HIERONYMI MERCVRIALIS
Foroliuiensis.

MEDICI AC PHILOSOPHI, NOSTRO SECVLO PRÆCLARISSIMI, PISIS MEDICINAM, LOCO SVPRA ORDINARIO MAGNA cum laude profitentis,

Commentarii eruditissimi, in Hippocratis Coi

Prognostica,
Prorrhetica,
De victus rat. in morbis acutis,
Et Epidemicas historias.

Quibus accessere Tractatus luculentissimi,

DE

Hominis generatione,
Vino & Aqua,
Balneisq; Pisanis.

A MARCO CORNACCHINO, PHILOSOPHO ET Medico, ex ore ipsius diligenter excepti, nunc primum in lucem editi, cum Indice locupletissimo.





Cum gratia & consensu Superiorum.

FRANCOFVRTI,
Typis Ioannis Saurii, impensis Caspari Pindoni Bibliopolæ Veneti.

M. D. CII.



SERENISSIMO CAROLO PHILIPPO EMANVELI SABAVDIÆ DVCI,

HIERONYMVS MERCVRIALIS

S. P. D.



A est, Sereniſsime Princeps, non nullorum Typographorum ad meas commentationes edendas procliuitas, ac feſtinantia, vt non ſolùm iis efflagitantibus interdum obſecundare compellar, verum etiam inueniantur, qui me inuito, certè inſcio, & quaſi mortuo, illud agere audeant: quemadmodum hiſce poſtremis diebus in Germania mihi contigit, quum quidam auditor meus nimis forſan, & nominis mei propagandi ſtudioſus, &, vt ait, publicè iuuandi cupidus, quas Patauii iam pluribus annis practicæ Medicinæ prælectiones habui, tanquam mortuus eſſem, edendas curauit: cuius pium ſtudium, an amauerim, an potius ægrè tulerim, haudquaquam decernere placet: ſane multo carius, & gratius mihi fuiſſet, ſi prius explorata mei ſalute, me quoque de rebus meis conſuluiſſet.

Poſthac vero cum deliberauerim, quæ ab auditoribus tam Patauii, quam Bononiæ, & Piſis ab ore meo excerpta ſunt, vt in lucem exeant indulgere, ne alii forſan deterioribus exemplaribus id faciant iniquius & inutilius: In Hippocratis prognoſtica, & in libros de victu acutorum cogitationes, & labores à me Piſis habitos, vna cum Lectionibus in Hippocratis commentar. olim Bononiæ editis, nunc imprimi permiſi, eoſque, vt tuæ Celſitudini potiſsimum dicarem, multæ cauſæ me impulerunt: quarum prior fuit ſumma tui in vniuerſo terrarum orbe authoritas: ob quam ſperare mihi licuit fore, vt eorum conatus compeſcatur, qui flagitioſe, & inique huic meæ

voluntati obtrectare contenderent. Altera fuit, quia inter clariſſimas Altitudinis veſtræ heroicas virtutes ipſam quoq; variarum diſciplinarum lectionibus, & ſtudiis delectari, intellexi, præſertim vero Medicos magnopere amare, quos etiam, & inſignibus dignitatibus ornaſſe, & pluſquam Aruntios Caſpios, atq; alios olim Romæ medentes locupletaſſe, fama eſt. Acceſſit his, & Iulii Riccardi Archiepiſcopi Barrenſis teſtimonium, qui, cum apud Celſitudinem veſtram ſeptem annis Pontificium nuntium, maxima prudentia, & ſingulari laude egerit, Te librorum meorum, præſertim de re gymnaſtica Lectione delectari, meumq; Nomen nonnunquam grato animo audire, narrauit, vt ob hoc in certam ſpem ſim adductus, hanc dedicationem minime tibi ingratam eſſe obuenturam. Solent, qui magnis Principibus res ſuas dedicant, eorum laudes longis orationibus proſequi, ſimulq; animorum erga ipſos ſuorum propenſiones diligenter ſignificare. Verum hæc cuncta omittenda cenſui, tum quia nullus eſt terræ angulus, in quo clariſſima, tam Tui ipſius, quam Proauorum virtutis belli, ac pacis monumenta extent: tum quia potius in bene, & feliciter agendo Altitudinem Veſtram delectari, quam in audiendis propriis laudibus, apud omnes exploratiſſimum eſt. Itaq; ſupereſt, vt, quod grati animi exiguum munuſculum ingenti promptitudine offero, ingenti quoq; benignitate ſuſcipias, neminemq; exiſtimes, qui mihi in Celſitudinis tuæ diuinis meritis prædicandis anteferendus ſit. Vale.

Piſis 1602.



AVCTOR



AVCTOR HIERONYMVS MERCVRIALIS AD BIBLIOPOLAM IOANNEM THEObaldum Schönvvetterum.



A Caspare Bindoni Bibliopola Bononiensi, te nonnullas meas in Hippocratem commentationes imprimere, intellexi, quod quantopere mihi gratum contigerit, vix exprimere possem: spero enim, quæ tua est in imprimẽdo accuratissima solertia, illæ & diligentia, & elegantibus typis, & emendata scriptione, ornatissime exeant. Sique meæ preces, hac in re quidquam apud te Virum humanum possunt, etiam atque etiam oro, nullum studium, nullamq; sedulitatem omittas, vt cuncta tam Græca, quam Latina, quam emendatissima prodeant, id quod cunctis medicinæ studiosis gratum obuenturum dubitare non debes, præterquam quod & ipse ingentes gratias, & habebo, & referam, sique in aliis meis, me inscio, & tanquam mortuo festinanter nimis edendis quicquam peccasti, id totum boni consulam, eo maxime, quod huiusmodi culpa potius in eos, qui tibi exemplaria communicarunt, quam in te ipsum esse reiicienda, videri posset.

Vale, idib. Nouemb. 1601.





Prelectionum

TRACTATVS

1. In Epidemicas Hippocratis Hiſtorias.
2. Tractatus de hominis generatione.
3. De balneis Piſanis Tractatus.
4. Tractatus de Vino & Aqua.
5. In Libros Hippocratis De ratione victus in morbis acutis commentar.
6. In Hippocratis Prognoſtica comment.
7. In Prorrhetica Hippocratis.



Pisanæ Prælectiones
HIERONYMI MERCVRIALIS FOROLIVIENSIS

MEDICINAM PISIS LOCO SVPRAORDINARIO VOCATO PROFITENTIS

In Epidemicas Hippocratis Historias,

Non minus ad Theoricam, atque Practicam Medicinam vtiles, quam ob eruditionem iucundæ.

HISTORIA PRIMA.



PHILISCVS *habitabat prope murum, & decubuit: in* PRIMA *die febris acuta; sudauit in nocte.* SECVNDA *laboriose, cuncta exacerbata sunt, sero autem à clysterulo recte deiecit; noctem vero quiete.* TERTIA *mane, & vsq; ad meridiem visus est fieri sine febre, & ad vesperam febris acuta cum sudore : siticulosus; lingua inaruit : nigra minxit: noctem multum moleste, non dormiuit; in omnibus delirauit.* QVARTA *omnia exacerbata sunt: fuerunt vrinæ nigræ, noctem faciliorem; vrinæ melioris coloris.* QVINTA *circa meridiem parum à naribus stillauit, sincerum, vrinæ autem variæ habentes enæoremata rotunda, genitali semini similia; dispersa; non subsidebant, cum autem apposuisset glandem . flatuosa, pauca exierunt: noctem laboriose; somni exigui, sermones, delirium; extrema vndequaq; frigida; & non amplius recalescentia: minxit nigra, dormiuit parum ad diem; sine voce; sudauit frigidum; extrema liuida, circa meridiem.* SEXTA *die obiit. Huic spiritus per totum tanquam reuocanti rarus, magnus: lien eleuatus est rotunda gibbositate ; sudores frigidi per totum, paroxysmi in paribus.*

IN HISTORIAS HIPPOCRATIS.



CVR hoc tempore, & hoc anno historias Epidemicas Hippocratis Coi vobis exponere deliberauerim; multæ me rationes sunt hortatæ; Prima fuit huiusce mei ingenij conditio, quod cum ægre bis eadem retractet, libenterque in iis versetur, quæ ab aliis, aut certe à paucissimis tentata sunt, huiusmodi tractatio ea est, in qua vix inuenire est quemquam Professorem publicum; qui eam interpretari, & in publicis gymnasiis coram auditoribus enucleare voluerit, dixi enim (vix) quoniam etsi Montanus vir celeberrimus hoc idem opus aggressus sit, tamen preuentus morte, solum duas priores historias absoluere potuit. Secunda est, quoniam cum alias decreuerim totum hoc quod mihi vitæ superest, Deo primum seruiendo, Hippocrati auditoribus interpretando dicare, atq; iampridem secundum

librum Epidemiorum non absque fructu, & studiosorum voluptate Bononiæ sim interpretatus; haud visum est ab instituti mei ratione alienum, si etiam in celeberrima hac Academia similem illi materiam tractarem, quæq; non modo stylo, verum etiam subiecto & grauitate si non superior, saltem par est. Tertia caussa fuit, quoniam si vspiam magnitudo, atque diuinitas ingenii Hippocratis enituit, certe in iis Historiis ægrorum, quorũ ægritudines & accidentia narrat, maxime omniũ elucet. Etenim cum sibi licuerit ea ætate florere, quã pauci medici erant, multæq; pestes vagabantur, ac propterea varia, & pene infinita morborum genera videre, atq; curare; contigit vt admirabili qua pollebat iudicij, & ingenij acrimonia complura obseruarit tam circa vsum artis, quam circa contemplationem, simulq; nunquam interitura dogmata, & præcepta humano generi reliquerit, ex quibus cognoscere, præcognoscere & curare vnusquisque tuto, & gloriose potest; & si eius obseruationes, ex quibus potest dici pene artem medicam totam conflasse, alicubi suorum commentariorum cognoscere licet, plane in libris Epidem. id reperitur, quos toto vitæ suæ cursu partim peregrinando artis gratia, partim vrbibus, & populis inseruiendo compilasse, & digniora selegisse, deindeq; ad Aphorismos, Prognostica, & alia componenda vsum esse constat. Quarta & postrema caussa fuit vestra, quæ semper mihi erit cordi vtilitas, quandoquidem ex integra, & absoluta cunctarum obseruationum Hippocratis speculatione, non modo Theoricę quam vocant medicinæ partem, verum etiam Praxim ipsam vobis me ita propositurum explicaturum & demonstraturum polliceor, vt non minus ex admiratione voluptatis, quam fructus sitis habituri. Sed antequam rem ipsam aggrediar nonnulla prius est necesse prælibare, quę à vobis comprehensa, atq; memoria tenaciter conseruata, ad reliqua artis mysteria complectenda mirũ in modum iuuabunt. Erunt autem hæc, Primum quid nomine historiæ Hippocratis sit intelligendum, hoc enim ignorato vaga, & quasi vana esset nimis dicendorum tractatio. Secundum erit quibus rationibus Hippocrates has conscripserit, & conscriptas posteris duxerit relinquendas; nam vt in Censura operum Hippocratis ostendi; nullus fere ambigit, quin Hippocrates ipsemet primum & tertium Epidemiorum in lucem dederit, vbi quas sum explanaturus, historiæ omnes habentur. Tertium quo ordine eas scripserit. Quartum ad quam medicinæ partem attineant. Quintum ad quid futura sit huiusmodi historiarum enarratio vtilis. Sextum & postremum qua methodo, & quo ordine sum vsurus, tum vt artis præcepta ex ipsis eliciantur, tum maxime vt à vobis quæ sum dicturus comprehendantur, & memoria conseruentur. Atque vt à primo exordiar, nemo est qui dubitet authorem harum historiarum fuisse magnum illum Hippocratem Coum, qui edidit Aphorismos, lib. de Natura humana, ac denique omnes, qui in prima Hippocratis operum classe à nobis collocati sunt; de quo Hippocrate quoniam alias plura dixi, istud tantum nunc adiiciam diuinum illum virum pro arte medica bene beateq; exercẽda & addiscenda omnes partes orbis tam frigidas, & calidas, quam temperatas peragrasse, vt ex fine libri Prognosticorũ satis compertũ est, ac propterea potuisse varias gentes, varios mores, variã rerũ accidentia spectare, diligenterq; obseruare. Etenim historiæ nomen etsi simpliciter narrationẽ apud Græcos significet, verum tamen historiarum tria genera reperiri certum est: Diuinũ Naturale & Humanum. Diuinũ est in quo res sacræ narrantur, vt sunt libri sacri seu Biblia. Naturale, vt libri Arist. de historia Animal. lib. Theophrasti de historia plantarũ, Plinij historia naturalis. Humanum, vt sunt libri, qui vel actiones hominũ narrant, vel animi humani naturã, vt appellat Aristoteles libros suos de Anima historiam, vel corporis vniuersam compaginem. Ceterum historiæ Hippocratis quas nos enarraturi sumus, haudquaquam vere vllo genere ex his comprehenduntur: sed alia ipsarum est ratio. Empirici medici inter alia instrumenta quibus vtebantur habuisse historiam à Galeno relatum est libro de optima secta, capite decimotertio & decimoquarto. At eam vt inutilem artis medicæ satis longo sermone confutauit; In lib. etiam de Subfiguratione empiricæ,

pirica, cap. decimo, videtur approbasse quod historia sit oratio eorum quæ conspecta aut veluti conspecta sunt, quamquã indicari concordantia & consensu scribentium probat, vt si complures macerē adstringere narrēt, veram esse illius historiam clarũ est. Verum neq; sic præcise appellamus historias, quas vulgus medicorũ vocat etiamnum casus, quorum copia magna præter Hippocratem est quoq; apud Galen. atq; huiusmodi Hippocratis narratio diuersa est à narratione aliorũ historicorum, quod omnia contingentia narrent. Hippocrates autem, vt ait Galenus, nequaquam omnia: qui libro secundo de Difficult. respiran. capite septimo, comparans historiã Thucydidis, qui descripsit libro secundo Atheniensium pestẽ, & Hippocratis qui de eadem locutus est in lib. Epidem. ait eum cuncta etiam idiotis perspecta enarrasse, Hippocratem vero pauca ex iis quæ ad totam affectionem pertinent circa quam ægrotus est periclitatus, scripsisse, multa vulgaria prætermisisse, multaque ab aliis prætermissa & neglecta recitasse, quod ad vsum artis valde conducerent. Itaq; historiæ Hippocratis quas hoc anno sumus vobis enarraturi aliud non sunt quam enarrationes eorũ, quę ab Hippocrate cõspecta vel tanquam conspecta & diligenter circa ægrotos obseruata sunt in constitutionibus tam pestilentibus quam non pestilentibus ab ipso in primo & tertio Epidem. libro descriptis: in quibus vt dicit Galenus loco citato haudquaquam totam morborum naturam persequitur, sed duntaxat quædam nota taliis nec admodum nota, nec obseruata. Sunt autẽ huiusmodi historiæ in primo lib. Epid. 14. in tertio vero 28. ita vt omnes sint 42. omnis ætatis, & omnis sexus. Neque vero est opus vt philosophemur circa hunc numerum fatalem, qui componitur ex sex septimanis, quando quidem similem numerum haudquaquam studio vllo ipsum accepisse puto, quemadmodum quoque haud paruifaciendus est hic labor Hippocratis, quasi vero ipse multa obscura & aspernanda videatur notasse, & nimium quantum paucos ægrotos viderit, quoniam Diuinum illud ingenium in hoc maxime est admirandum, quod notauerit, quæ aliis non videntur adnotatione digna. Neque vero existimandum est, quia paucos casus descripserit, ideo paucos ægrotos vidisse, quoniam in aliis libris Epidem. minus germanis, atque etiam germanis multa alia exempla ægrotantium habentur, quæ tamen omnia simul accepta vix vnam minimam, quos vidit ægrotantium partem fuisse vnusquisque existimare debet, qui sibi persuadeat Hippocratem à tenera ætate sub patre medico operam arti strenuam dedisse, multos annos vixisse, proque arte ditanda omnes orbis partes tam calidas quam frigidas, atque temperatas paragrasse. Ad secundum propositum caput accedo, scilicet quibus rationibus motus Hippocrates hæc adnotarit, & scriptis tradiderit, quem solum tempore suo medicinam sciuisse scribit Anenzoar lib. 3. tract. 3. cap. primo. Nam Hippocratem salutis humanæ amantissimũ nil antiquius & carius habuisse, quam artem medicam excolere, & ad aliquam perfectionem deducere, certũ est atq; ante alia curasse, vt sanaudi morbos rationem verã monstraret, sed quia morbi omnes finiri nequeunt, at complures ipsi multos finiunt, consequenter voluit artẽ indicare tam morituros quam seruãdos prędicendi, & quia ex rerum euenientium circa ægrotos huiusmodi obseruatione maxima ex parte hæc predicẽdi & curandi facultas cõparatur, ob id hæc omnia à se obseruata monumentis æternis mandare deliberauit, vt forsan nõ sine ratione Varro, Strabo, & Plinius dixerint eum, ex tabulis ægrotorum Templo Æsculapij ab ægrotantibus seruatis appositis artem medicam conflasse. Fuit & altera ratio, vt scil. sibi ad memoriam monumenta pararet; qui enim instituerat orbem peragrare, vt varios locos, varias gentes, variosque morbos atque accidentia videns obseruaret, & ex obseruationibus præcepta, atque dogmata fabricaret, necesse quoque habuit illustriora saltem adnotare, quo & facilius ea secum gestare, & memoria complecti valeret, quamquam illud possumus addere constitutionum pestiferarum & non pestiferarum, quæ fuut suo tempore grassatæ, voluisse diuinum senem aliqua exempla relinquere, vt possent posteri omnes ex illis peritiam, mores & alia symptomata vbi similes cõstitutiones

fierent, prædiscere. Hęc etenim, quantũ ipse puto, fuerunt potissimæ rationes; quibus Hipp. non modo propositas vobis exponendas à me historias scriptis mandauit, verum etiã preciosissimum illum thesaurum Epid. scilicet librum compilauit, ac posteris reliquit: ex quo deinde libros Prognosticorũ, & præsertim Aphorismorum quem humanum captum excedere dicebat Suidas, excerpsit. Cum enim alij sint morbi sporatici, alij communes, atq; hi vel cõmunes vni regioni, qui vocantur inquilini, & ab Hipp. in lib. de Ae. t. aq. & lo. tractantur, & de quib. loquebatur Lucretius quando dixit, Atthide tentantur gressus, oculiq; in Achæis; alij pluribus regionibus qui ἐπιδήμιοι vocantur, atque hi vel simpliciter Epidemij sint, vel Epidemij pestilentiales, in quibus pars maior extinguitur, de Epidemicis morbis maxima ex parte pestilentialibus tractate in his historiis Hippocratem nõ est vt quisquam dubitet. De ordine quod erat tertio propositum illud solum modo dicendũ est, Hippocratem sicut & alios veteres absq; certo & euidenti ordine sua cõmentaria scripsisse, vt Galenus primo de Fract. tex. primo docet, eo quod rebus solis, quas propria industria indagabant, acrius studerent, atq; ob paucitatem dogmatum facile memoria quæ scribebant complecterentur. Si quis tamen est in his historiis obseruandus ordo, ille elucet, quod Hippocrates priusquam ad particulares casus recẽsendos descendat, constitutiones antecedentes tẽporis enarrat, quæq; in illa communia symptomata, & morbi apparuerint, edocet: qui enim in lib. Progn. circa finem, tertio Aphor. & lib. de Aerib. aquis, & locis edixerat esse semper tempora, atq; temporum constitutiones spectandas, in re is primum omnium huiusmodi præceptum voluit obseruare. Adhæc in referenda postmodum historia quandoq; proponit vitæ exercitationem, mores, nomen, sexum, patriam; interdum ætatem, eò quod hæc omnia pro iudicio ferendo esse diligenter consideranda tertio Progn. mandauerit, tum quæ fuerint ægrotantis symptomata, ac morbi tam singula die quam nocte recenset, demum quid decretoriis diebus euenerit, vsq; ad liberationem vel interitum monstrat; interdum aliqua ex remediis adhibitis proponit, ea præsertim quæ sibi visa fuerunt maiori consideratione digna, quæq; putauit lectores instruere posse, vel ne decipiantur, vel vt opportunitatem auxiliorum, & qualitatem discant. Ceterum quod quarto loco proposui diffiniendum, nempe ad quã Medicinæ partem hæc tractatio attineat, sciendum est, vt narrat Plutarchus in lib. de Homero, in quo præclare docet diuinum illum poetam non minus medicam facultatẽ, quam aliàs calluisse; diuisionem medicinæ in Speculatiuam & Practicam haud quaquam Arabum, vt plerię; putant, fuisse inuentũ, sed multo antiquius eam atq; medicinæ definitionẽ, quod sit scientia salubrium & insalubrium, fuisse à scriptoribus traditam, ibi enim dicit Plutarchus. Medicinam partiri in contemplatiuam atque Practicam, & illam rursus in eam quæ tractat signa, & σημειωτική à medicis, & in eam quæ tractat caussas, ac propterea αἰτιολογική nuncupatur, rursum Practicam diuidi in Chirurgicam, Diæteticam, atque Pharmaceuticam. Laertius vero in Platonis vita scribit eum medicinæ partes quinque fecisse, Pharmaceuticam, Chirurgicam, Dięteticam, νοσογνωμονικὴν, quã alij παθολογικὴν, alij αἰτιολογικὴν vocant, & βοηθητικὴν, siue auxiliatricem. Sed vtcumq; sese hęc habeant, puto huiusmodi historiam Hippocratis tractationem, tum ad Contemplatiuam, tum maxime ad practicam attinere: ad contemplatiuam quidem, quoniam ex ipsis potissimum discuntur signa tam Diagnostica, quam Prognostica, nec minus aliquando caussæ, præsertim externæ, atque προηγούμεναι, seu Antecedentes vocatæ, necnon dierum criticorum vis, addiscuntur. Ad practicam vero attinent, cum victus, chirurgicorum remediorum, ac medicamentorum vsum ab ægris & medicis habitum proponit, quanquam ea etiam ratione dicere licet pertinere ad practicam, quod cum tractentur euentus variorum ægrotantium, in ipsis saltem implicitet continentur naturæ morborum, signa & curationes tam probabilitet saltem adhibitæ, quam adhibendæ, vbi visus poscit. Atque hinc disci potest quintum à nobis propositum, scilicet quæ vtilitas, qui fructus ex harum historiarum explicatione &

examine expectari debeant. Sunt enim commoda pro arte expectanda numero quinque. Primum est quod discitur quantum referant temporum constitutiones ad hos vel illos morbos producendos, sine illi sint puri Epidemiales, siue etiam sint λοιμώδεις, id est pestiferi. Secundum est quod solers ingenium vestigia Hippocratica sequens potest conijcere saltem quæ sint in ægro potissimum obseruanda, quo studio, & qua solertia dies omnes, præsertim critici sint adnotandi. Tertium, atque illud maximum commodum est, de indicio in ægritudinibus faciendo, quod sicut in medicina facienda maximi momenti est, non minus pro gloria medici, quam pro ægrotantium salute, ita omniũ promptissime cõparari potest ex sedula animaduersione eorum, quæ contigerunt ægris ab Hippocrate relatis, in quibus tanquã in speculo quodam potest ingenium præstans intueri caussas, cur hoc vel illud, eo vel illo die sunt ægrotantes passi, quibus comprehensis, & ad memoriam redactis potest deinceps, vbi vsus postulat, similiter in ægrotantibus medicandis incedere. Quartum est ad curationem pertinens, quoniam dum medicus ex remediis adhibitis, vel non adhibitis quid secutum sit contemplatur, siue bonum, siue malum sibi præcepta, & leges parat, quibus & ad acquirendum bonum, & ad euitandum malum instruatur & incedat. Similiter quoque potest ex præscriptis accidentibus coniectare, quid fecerit Hippocrates, aut saltem quid potuerit, debueritve facere. Quintum & postremum commodum est, quod vbi quis huiusmodi casibus non oscitanter versatus sit, potest infinita loca Hippocratis melius intelligere, atque interpretari, quæ vt dixi ante ex hisce aduersariis collecta alibi posuit; similiter etiam complura Galeni, & aliorum qui ex his exempla acceperunt, nam si diligenter quispiam libros Hippocratis Aphorismorum, Progn. prorrheticorũ, Coacorum, prædict. de Rat. vict. in ac. consideret, videbit quot dogmata, & præcepta proponat, quæ ex obseruatis circa hos ægrotos capta esse, aut saltem illustrata, & patefacta cognoscet. Non minus quoque si Galeni lib. de Difficult. respirat. de Crisi: & Diebus decret. de Præs. ex puls. de Præcogn. ad Posthumum, aliaque plurima ipsius commentatia videantur, facile erit cognoscere, quam creberrime hæc exempla citet, quam multa ex ipsis documenta eliceat, quam diligens fuerit in examinandis omnibus ab Hippocrate in historiis obseruatis, atque adnotatis. Sextum propositum de ordine, quo sum vsurus, id libenter pronuncio: me in primis tum in sermone, tum in explanatione omnem facilitatem, qua tractari similis res potest secuturum, vt vos comprehendere, memoriæ mandare, & ad vsum quando opus fuerit reuocare, quæ docebo, possitis. Præterea primum narrabo historiam, breuiterque quæ sit idea morbi dicam, tum nomen ægrotantis, patriam, sexum, mores, & si quæ alia occurrent breuiter considerabo, mox consideratis symptomatibus, caussas singulorum inexplicatas ab Hippocrate diligenter elicere tentabo; cur que vel mors, vel salus, vel longitudo, aut mutatio morborum sit vnoquoq; ægrotante secuta, quantum hoc meum ingenium exiguum valebit, exprimam: postremo quæ verisimiliter curatio sit adhibita, aut fuerit adhibenda, aut consonum sit, vbi occurrat, adhibere; ante oculos breuiter ponam; Iam modo ad rem ipsam accedamus, primamq; historiam aggrediamur acceptam ex tertio primi Epidemiorum contex.

PHILISCVS. Cum id constet ex Hippocrate ad tractandos, atque iudicandos quoslibet morbos, maxime interesse, vt non modo cognoscantur morbi vagantes, verum etiam ipsa temporis & præsentis & anteacti constitutio, operæprecium est priusquam ad explanandam præsentem historiam accedamus, cognoscere quæ fuerit anteacta constitutio, & qui morbi in ipsa sint populariter vagati, id quod faciemus, si ad memoriã reduxero breuiter vobis, quod Hippocrates ante hanc historiam de vtrisq; retulit. Etenim tres constitutiones nobis proposuit Hippocrates spectandas in his libris. In Thaso, in Cranone, & in Perintho. de duabus postremis egit secundo libro Epidem. de priore vero egit primo & tertio libro, vbi tres commemorat; vtrum vero aliqua ex his fuerit illa à Thucydide commemorata li-

bro secundo, & à Lucretio Latinis versibus reddita lib. 6. non admodum refert disputare, quemadmodum non attinet vt hoc loco quicquā de Cranonis & Perinthi constitutionibus loquar, cum de iis copiose in Lectionibus Bononiensibus tractauerim, sed tantū de aliis loquemur, quas omnes fuisse in Thaso narrat, diuersis scilicet temporibus; Thasus (vt narrant Herodotus lib: 6. Stephanus, & Strabo) insula est iuxta Thraciam è regione Athenarum abundans auro, argento, gemma, terrarum medicarū generibus, aliisq; metallis, & inter cætera vino, vnde vinum Thasiū, quod Hippocrates in fine tertij lib. de Morbis, vult misceri vetus vigintiquinque partibus aquæ pro facienda potione refrigeratoria. Nam & Athenæus & Eustadius in Homerum referunt ibi duo fuisse vinorum genera, alterum quod somnum ob generositatem inducebat; alterum quod vigilias, forsan ob exiguitatē, de qua Galenus in Meth. & Plin. lib. 14. cap. 7. id probat magis quod ibidem in Cuna nascebatur. Scribunt Hesychius, Stephanus, & alij vocatam esse Thasum, Ægyptum, Cyprum, aliasque regiones aerias, quod (vt puto) aer ibi esset apertus, & plerumq; serenus. Galenus vero primo in primum de Morbis vulgaribus, textu primo, nihil aliud dicit, quam ipsam fuisse aquilonariis & frigidis ventis expositam, vnde huiusmodi constitutiones, quas verisimile est per totam Græciam fuisse, potius voluit Hippocrates accipere à Thaso, quā ab aliis, quod cum ea insula esset salubeτrima, si ipsa morbis pessimis ob prauas constitutiones fuit tentata, multo magis alias, præsertim Athenas fuisse vexatas, probabile est, de quarū peste non ipse explicate, sed Thucydides eius coętaneus scripsit. Sic namq; Apollonius Tyanæus ex seipso prædixit futurā pestem, quod cum sanus esset, & parce viueret, nihilominus peste primus laborasset: quamq; licet etiā dicere magis Thasios fuisse peste tentatos ob bibacitatem, & ob vina generosa. Est enim vsu cōpertum in peste acerbius vexari illos, qui & bibaces sunt, & vina generosa potant, & in ea peste, quę non ita pridem in regione vagata est Veneta, & quam non absq; lachrymis recensere queo, illi potissimum extincti sunt qui bibaces erant. Prima itaq; constitutio totius anni austrina fuit in vniuersum à naturali tempore illius regionis, quæ aquilonaria & frigida est, admodum remota; quod vero ad partes anni pertinet, autumnus fuit humidus, hyems austrina, scilicet calida & humida, magis quam ipsi cōueniat, pauci venti boreales, siccitas, hoc est vacatio pluuiarum; sic enim appellat Aristot. prima sect. Prob. vigesimotertio, constitutionem austrinam siccam, qua vere non fiunt pluuiæ. Ver similiter austrinū frigidum cum paucis pluuiis. Æstas vero vt plurimum nubilosa sine aqua, etesiæ pauci, parui, sparsim spirantes; adeo vt si omnia conferantur, constitutio fuit præternaturalis regioni, fuit etiam præternaturalis vnicuiq; anni parti, vt ob hoc fuerit necessario expectandum aliquod malum insigne, dicente Hippocrate in tertia Aphorismorum octauo, temporibus inconstantibus, hoc est propriā naturam haud seruantibus, expectandos esse inconstantes & mali iudicij morbos. ergo iure merito scribit factas esse prauas febres, putredines, tumores, tusses, inflammationes, aliaq; innumera mala, quæ solent ab austro induci; cum enim semper regnauerit auster, atq; in autumno tantum fuerint pluuię, factum est, vt auster secundum suam naturam quæ morbosissima est, sit operatus, nec potuerit ab imbribus corrigi. Etenim Aristoteles prima sect. Prob. vigesimotertio, quærens cur austri nil humentes creare febres soleant, inquit ideo esse quoniam cum natura auster sit febriculosus, nisi à pluuiis corrigatur, secundum suam naturam operatur, ac propterea febres, aliaq; mala producit. Verum deinde cōstitutionem eiusdem insulæ narrans Hippocrates secunda sect. 1. lib. ait totius anni statum fuisse humidum, frigidum, borealem, ac propterea homines hyeme salubritate fuisse vsos. Inchoāte autem vere plurimos ægrotasse cuiusq; ætatis, præsertim secundū oculos, iuxta quod etiam ab ipso scriptum est tertia Aphoris. sicut æstate & autumno vagatas fuisse omnes pene intestinorum affectiones, vomitus pituitosos, & biliosos, febres tertianas, quartanas, quotidianas conuulsiones, aliaq; similia mala, quę potius humidi & frigidi effectus sunt, nec pestiferi adeo, sicut quæ sequuntur calidum & humidum, à

dum, à quibus excedentibus fieri egregias putredines nemo dubitat, vt propterea secundā hanc constitutionem ab Hippocrate relatā minime videatur, inter vere pestilentes esse reponendā. Tertia porro Thasi cōstitutio varia admodū fuit, siquidem paulo ante Arcturū, atq; in ipso Arcturo aquæ multæ fuerunt, cū ventis borealibus circa æquinoctiū autumnale vsq; ad Pleiadū occasum, aquæ austrinæ paucæ, paruæ, hyems borealis sicca, frigidi venti, niues magnæ. Circa æquinoctiū vernale maximæ turbationes cum frigore. Ver boreale siccum vna cum paucis & frigidis pluuiis. Circa solstitiū æstinum paucæ aquæ, magna frigora vsq; ad Caniculæ exortum; post Canē vsq; ad Arcturum æstas calida, magni ardores, non paulatim, sed affatim accedentes, nullæ pluuiæ, nulli etesiæ perflarunt. Post Arcturum pluuiæ austrinæ vsq; ad æquinoctium vernale. In hac constitutione quoq; vt varia, sic morbi varii sunt facti, febres ardentes, prauę aliiq; morbi ibidem relati, ex quibus complures tam viri, quam fœminæ interibant, & qui seruabantur vel fluxu sanguinis ex naribus, vel vrinarum copia multum sedimenti boni habentium, vel alno turbata & biliosa oportune reddente, vel dysenteriis euadebant. His itaq; summatim constitutionibus constabilitis, multisq; ad artis vsum præclaris præceptis interpositis vt particulari experientia monstraret, quæ dixit vniuersaliter in iis cōtigisse mala, incipit Casus seu Historias proponere, quæ vtrum vnius duntaxat cōstitutionis propria, an vero ex omnibus tribus sint capta, ita vt partim ex vna, partim ex altera, vel tertia fuerint accepta, haud explicate licet intelligere ex ipso Hippocrate, veruntamen sagax ingenium potest facile dubitare. Nam ex vna parte potius & cunctis, quam ex vna sola constitutione Hippocratis accepisse exempla videri potest: alioquin nos defraudasset, imo vero, cum non meminerit huiusce rei puto innuere voluisse, haudquaquam fuisse ægros vnius duntaxat constitutionis, sed plurium. Ex altera parte scitur Montanum, aliosque enarratores secus voluisse, scilicet hæc omnia capta esse ex tertia, quæ omnium pessima fuit, ac propterea omnes interiisse, contra quam sententiam dubito; quandoquidē cum prima fuerit tota austrina, & sicca, atq; hæc sit peior omnibus constitutionibus, vt diximus, vix credere possum ceteras, quæ non fuerunt tales, putandas esse pessimas. Etenim Galenus ipse met primo de Temper. capite quarto, scribit aeris intemperamentum calidum & humidum quale est austrinum, si totum annum detineat, fieri magnam pestilentiam; si vero detineat vnam solam anni partem, fieri minorem pestilentiam, cui etiam opitulatur Arist. 1. sect. Prob. 21. vbi scribit tunc annum fieri pestilentem cum calidus, atq; humidus est; quod si etiam aliis constitutionibus factas esse pestes narrant historici, quemadmodum diximus cap. 8. lib. de Pest. fuerunt aliæ causæ adiectæ illis constitutionibus. Itaq; mihi admodum probabile videtur ęgros ab Hippocrate hoc in primo lib. cōmemoratos laborasse partim in prima, partim in secunda, maiori autem ex parte in tertia, quę vere pestilens & ipsa fuit: quod enim verisimile sit in tot grauibus constitutionibus multo plures grauiter ægrotasse, quā hic memorentur ab Hipp. omnes facile intuentur, atq; solū Hippocrates memorauit aliquos vtpote illustriores, & quibus curandis ob excellentiā vel casuum raritatem multo maiore industria, & obseruatione vsus est. Modo accedamus ad historiam: etenim non contentus Hipp. in antecedentibus significasse quæ vniuersaliter contigerint in hac tempestate, etiam particularia subiungere ad maiorē claritatem sibi placuit.

PHILISCVS. Prior enumeratus Philiscus est, quem dicit habitasse prope murum: de loco; & de nomine hominis mentionem facit Hipp. sed cur nō de tempore anni, neq; de ætate? Hæc enim omnia vt scitis alias præcepit Hipp. esse diligenter expendenda, tum propter cognitionem morbi, tum ob iudicium, tum etiā ob curationem instituēdam. Sed dicendū est, ex accidentibus enarratis, vt videbitis, posse coniectura inueniri, & ætatem, & tempus anni, non autem nomē & locum, ea propter horū meminit. Philiscus enim hic ille idē fuit cuius meminit secunda constitutione, secundo in primum Epid. & tex. 62. Plin. lib. 11. c. 9. mentionem facit cuiusdam Philisci Thasij, qui maximo amore captus fuit erga apes, de quibus etiam scri-

psit, vnde existimo in Thaso hoc nomẽ fuisse vsitatum. Fuerunt etiam alij Philisci, vt auditor Diogenis, qui ad eum audiẽdum peregrinatus est; fuit etiam quidã tragicus, sed hæc scire nil refert; ad id quod vtile est ad artem; cur aũt addit, Habit. παρὰ τεῖχος? Murum Athenarum, quæ vrbs contra insulam Thasum sita est, constat fuisse qui ab ipsa ciuitate ad portum ducebat, cuius mentio habetur apud Platonem in Phædro vbi scribit singulo mane exercendi corporis gratia Socratem atq; Prodicum ambulasse ad murum. Verum non enim fuisse certum est, si velimus ægros hic nominaros fuisse Thasios atque in Thaso laborasse, quemadmodum est verisile, quare pro muro vel intelligẽdus est locus peculiaris sic nominatus in ciuitate, vt sæpe vsu venit, & cuius etiã mentio habetur secundo Epid. sect. 3. in Zoili historia; vel ipsa ciuitatis mœnia, quæ iccirco apposuit Hippocrates, vt magis destingueret Philiscum ab aliis, & notum faceret; nisi dicamus propterea addidisse, quia loca vrbium circa mœnia semper magis morbosa sunt, cũ omnes ciuitatũ sordes eo soleant deferri brutorumq; cadauera præsertim, & alia inquinamenta. Ætatẽ nõ apposuit secundũ Galeni sententiam, quoniã sequenti historia ex veloci morte quæ contingit sexta die colligi potest fuisse ętate prouecta, & ob id viribus infirmis, quę effecerunt, vt non potuerit diutius morbi vim sustinere; sed ego secus sentio, quoniam vt Hippocrates ait 3. Progn. ex acutis citius intereunt iuuenes, quippe qui grauius ægrotant, vnde verisimile est fuisse iuuenem, eo maxime quod laborauit ardente & acuta febre, quæ fit potissimum in ætate iuuenili, atq; in ipsa æstate, quemadmodũ Hippocrates dicit tertio Aph. 21. vt etiam hac ratione crediderim æstate ægrotasse Philiscũ, nec obstat Arist. 1. sect. Prob. 29. & 14. Prob. 3. cur dicat autumno & hyeme nec nõ frigidis regionib. fieri magis ardentes febres quoniam id dicitur nõ de copia, sed qualitate, siquidẽ id verissimũ est plures fieri ardẽtes in æstate, sed quæ fiunt in hyeme, & locis frigidis esse ardẽtiores. DECVBVIT. Nõ sine ratione & vsu aliquo putandũ est Hipp. hanc particulã apposuisse etenim cum dies ęgritudinum bifariã soleant enumerari & ab initio læsarum actionũ, & à prima decubitus die: certe inchoare à læsis primũ functionibus enumerationẽ valde ardnum est, Tum quia initia huiusmodi læsionũ sunt plerumq; obscura. Tũ quia maior pars hominũ medicos tantũ cũ decumbunt accersit, q. tempus solet esse longũ post actiones læsas, vnde medici vocati sunt Clinici à veterib. quasi solos decumbentes in lecto adeant, q. nomen narrat Cypria. à Gentilibus quasi per ignominiã Christianis fuisse tributũ, q. charitatis ergo infirmos decumbentes visitabant, & iis seruiebant: quod aũt hoc voluerit significare Hipp. s. numerandos esse dies à decubitu, dum apponit verbũ (decubuit) vel decumbebat, vbi aũt silet, ab actionib. læsis, probari potest ex omnibus fere historiis vt suis locis videbitur, maxime vero ex historia Critonis in Thaso quem comm. 3. huius 1. lib. scribit, dum erectus esset, cœpisse pedis dolore laborare, & eadem die decubuisse. PRIMA DIE Certe prima dies intelligenda decubitus; & quia dies est duplex Artificialis & Naturalis. Naturalis cõprehendit tum diem tum noctem. Artificialis vero tantũ diem, scilicet quo tempore sol est super terrã; Hippocrates sæpe pro naturali & sæpe pro artificiali vtitur. hoc antẽ in loco vtitur pro naturali, quia cõprehendit, vt audietis, diẽ & noctem. Iam vero cum ex historia ipsa satis constet præcipuũ morbum Philisci febrẽ putridam extitisse, atq; vt ait Galenus primo, & tertio de Crisi. circa febres quatuor considerentur, idea, magnitudo, motus, & mos; primum q. pertinet ad ideã febris continua fuit: & ardens, ac pptere a ex bile in magnis venis prope cor putrescente; siquidẽ habuit respirationẽ magnam affecti pulmonis, & partiũ vitalium indicium cumq; lien intumuerit semper sphęræ instar, & frigidus sudor vsq; ad finem extiterit, par est existimare etiã lienis inflammationem adfuisse: etenim id habent inferiora inflammationes viscerũ vt faciant ardentes, in quibus extrema frigẽt atq; interiora vruntur, quasq; vocat Arist. in Prob. Æpialas, & medici Lipyrias. Quod vero ad magnitudinem spectat, quæ vt ait Gal. meritur symptomatum magnitudine, magna fuit, tum quia erat ardens cum siti, & æstu magno, tũ quia, vt videbimus, magna symptomata habuit vigilias, deliria, &c.

Sic quoq; de motu dicendū est fuisse celerrimi motus, quoniā ipsemet Hipp. dicit fuisse acutam febrem, atq; sexta die obiisse, cum acuti vere morbi septima die vel etiam ante septimā soleant bene aut male iudicari. Postremo de more quem ex superuenientibus symptomatibus bonis aut malis solemus vocare benignū aut malignum non est dubiū, quin fuerit maligna febris non modo ratione constitutionis, quæ pestilens erat, verum etiā ratione ipsorum symptomatū quæ superuenerūt febri iam factæ. Nam 2. die omnia exacerbata sunt reliquis vigilauit, delirauit, minxit nigra, sudauit frigidū, cum extremis frigidis, stillam sanguinis habuit dieb. paribus, omnia exacerbata, quæ cuncta cum mala sint, plane videtur necesse fateri morbū fuisse malignū. Atq; hæc summatim de ipso morbo, quo Philiscus miser laborauit; modo singula expendamus, & primū illud statuamus, q; ab Hippocrate non commemoratū dicimus posse colligi ex ipsis verbis, nempe de tempore, anni, & ætate, esse verisimile fuisse iuuenē, nec non in æstate ægrotasse si quidem, vt habemus ex Hipp. 3. Aph. & lib. de aer. aq. nec non ex Arist. 1. sect. prob. febres ardentes frequentius fiunt in æstate, atq; in ætate iuuenili, in quibus maxime omniū bilis exuberat: sic Hippocrates 3. Progn. dicebat circa 35. annum magis fieri ardentes, sed cum duplex sit bilis flaua nempe atq; nigra, existimandum est etiā nigram putruisse, quod lien fuerit semper tumidus rotundo tumore, atq; vrinas minxerit nigras 4. & 5. die; quæ indicia fuerunt putrescentis atræ bilis in liene. Dicitur itaq; prima die fuisse febrem acutam, & nocte sudorē habuisse laboriosum. Circa quæ verba examinandum est quo pacto potuerit statim fieri febris acuta, cum sciamus initio omnia esse mitiora; præterea quid velit significare sudorē nocte fuisse laboriosum? De primo Hippocrates quarto de morb. scribit morbos nō statim fieri, sed diu conceptos statim erumpere, dixi vero iam nō fuisse vocatum Hipp. nisi post decubitum. Ex quo verisimile est hunc iuuenē prius febri simplici putrida aliquot dieb. laborasse atq; eam neglexisse, deinde cum facta esset acuta id est periculosa & vehemētis motus: qui sunt characteres acutorum, ipsum tandē fuisse coactum decumbere, & quia iuuenes in æstate multū bibunt edunt, aliosq; in victu errores cōmittunt, haud ab re est existimare corpus eius fuisse repletū multis succis tenuibus & ichorosis, qui nō solum febrem acutā pepererint, verum etiā sudorem nocturnum. Sunt qui putant fuisse frigidum sudorē, & hoc etiā in fine historię dicit Hipp. Dicitur aūt sudor esse laboriosus cum fit præter tempus, cum non tollit, aut saltē lenit febrem, & cum difficiliter fertur ab ægroto: sic in Philisco fuit præter tempus, quia in prima die, nam nil decretoriū fieri potest prima die, vt ait. Hipp. non abstulit febrem neq; leniuit, quia vt audietis 2. die omnia sunt exacerbata, vnde verissimile est haud quaquam faciliter tulisse, imo ob hoc dicit laboriose sudasse quasi vero fuerit is sudor, qui ab Hipp. inutilis & pessimus dicitur primo prog. 27. sed propter quam causam ita cito sudauit? quia erat plenus humiditate serosa & cruda, à qua fieri sudores perhibent Arist. 2. prob. & Theophrastus lib. de sudor. Abundauit autem his humoribus, quia cum esset Thasius multum potauerat, nam Athenæus scribit Thasios consueuisse potare magnis calicibus; præterea iuuenis erat, ideo in victu errauerat, erat quoq; æstas, quo tempore ob sitim solet quisq; plus bibere. Est animaduertendum quosdam textus esse deprauatos: legunt enim, sudauit, laboriosam noctem habuit; non enim sic legendum est, sed hoc pacto, (sudauit laboriose ad noctem) dixit autem ad noctem non quod tota die vsque ad noctem, sed in nocte: quando scilicet ob caloris natiui retractionem vis expultrix maxime valet. SECVNDA DIE. Hic Hippocratem pro die accipere artificialem, scilicet ab ortu ad occasum Solis perspectum est, siquidem subiungit noctem. Iam vero tria die & noctu contigerunt, mane & meridie exacerbata sunt omnia, scilicet febris, & quæ consequuntur febrem; & hac die potissimum, quia materia feruida tenuis & copiosa erat, & quia totus morbus debebat paribus diebus habere exacerbationes; etenim etsi febris esset continua, attamen ratione bilis alternas habere solent biliosi morbi exacerbationes, vt præclare adnotauit Galenus primo Aphorismorū duodecimo. Secundum fuit, q; tar-

do, hoc

do, hoc est vespere fuit impositus clyster; circa quem adnotādum est Hippocratē nullum verbū ociosum apponere. Dixit enim ὀψὲ, id est tardo, vt duo moneret, scilicet in administrando etiā clystere id esse obseruandū, vt in declinatione exacerbationis fiat, quam verisimile est vespere contigisse; & si hoc verum est de clystere, multo magis etiā id intelligi debet de aliis grauioribus auxiliis: Alterum quod monet est, vti nō quinis clyster, sed blandus & mollis in febribus ardentibus vsurpetur, vnde vsus est voce diminutiua κλυσματίῳ, id est clysterulo; imo libro de affect. vtitur Hippocrates in febrib. ardentibus clystere ex aqua pura frigida, quod etiam comprobatum habetur apud Oribasium lib. 8. collect. cap. 24. in febribus continuis & malignis: & huius exemplum habetur in quinto Epid. 18. Tertium quod contigit secunda die fuit, quod nocte quieuit, & caussa quietis fuit, tum quia exacerbatio erat admodum inclinata vespere quando iniectus est clyster, tum quia cum clyster καλῶς, id est commode subduxisset aluum, ea exinanita vapores, qui alioquin à fæcibus sursum mittebantur, sunt abducti: vnde tranquillitas in toto ac potissimū in capite secuta est; Et obseruandum est semper, quando nil aliud impedit, præstate vt clysteres vespere iniiciantur, siquidem ad tranquillā noctem transigendam facit, & forsan propterea Hippocrates ex aliis remediis, quę ægro tunc sunt adhibita, solius clysteris meminit, vt doceret quietē noctis secutam ab hoc vno fuisse profectam. TERTIA Miranda est Hippocratis diligentia, qui nec quicquam superfluū adnotauit, nec quicquā omisit quod facere posset ad lectorem instruendum; mirum etiam est vnum clysterulum potuisse tantum, vt redderet quietam noctem vsq; ad sequentem meridiem; quinimmo quia mirum erat, ab Hippocrate adnotatum fuit. dicit itaq; totā pene diē naturali, cū antecedente nocte, quę erat dies impar, cuncta pene fuisse sedatiora, ita vt videretur æger absq; febre, & dicit ἔδοξε, id est visum & putatum est absq; febre esse, quia vere non erat, cum esset febris continua, sed quia adstantes cōparantes statum præsentem quietiorē antecedendi acerbiori, ita existimabant. AD OCCASVM SOLIS dicebat Hippocrates 2. Epid. omnes partes diei correspondere partibus anni, atq; ita occasum solis siue vespere correspōdere autumno, qui cū sit θηριώδης. i. Ferinus, sic vesper & solis occasus. Dicet aliquis cur Hippocrates breuitatis amantissimus repetit, febrē fuisse acutā, nonne sufficiebat id semel initio adnotasse? Respondeo ideo repetiisse, quoniā cum noctem antecedentem vsq; ad meridiē satis placatam transegisset, iure potuisset quispiā dubitare, ne febris acutiē omnem deposuisset, vt solet interdū contingere: Etenim licet nōnihil magnitudo videretur remissa, haud tamē idea & motus erant permutati, ergo non modo remansit febris acuta verum etiā fuit cum sudore; quod ostendebat insignem plenitudinem, & cum appareret initio exacerbationis, minime bonus esse poterat, quinimo sitis secuta, & linguæ siccitas ostenderunt febrē acutiorem & auctiorem fuisse redditā, lingua enim quæ superposita est stomacho & pulmonib. vbi exarescit, indicat partes circa pulmones vt ait Arist. 34. prob. 4. vbi fit febris, valde flagrare. NIGRVM MINXIT. In tanta flagrantia & febrili æstu verisimile est combustos esse humores non paucos, atque eos in vesicam impulsos, lotium reddidisse nigrum; veruntamen huiusmodi symptoma non est proprium neque frequens febrientibus acute, inde par est existimare aliqua peculiari ratione Philisco accidisse. Neque mihi placet, quod aliqui dicunt, huiusmodi vrinam fuisse indicium cruditatis, quoniam & si eo tempore vrina minime potuerit habere vlla coctionis indicia, attamem nigredo haud est signum cruditatis in vrina, sed potius combusti in liene humoris admixtionis, quod quidem signum mortale erat, cum esset in principio, scilicet tertia die. Nam vrinas nigras in fine exeuntes nonnunquam esse criticas & salutares, non modo Hippocrates atque Galenus docuerunt; verumetiam quotidiano vsu comprobatur. Sed hoc in loco oritur nobilissima quæstio. Vtrum possint humores lienis expurgari per vesicam, nam ex vna parte est clarissima authoritas Galeni 13. Meth. cap. 17. vbi scribit nullam patere viam à liene ad vesicam, qua humores eius per vrinam queant expurgari. Ex altera parte

est au-

est authoritas Hippocratis qui secunda sect. 21. Epid. scribit: Bionem laborantem tumore lienis esse curatum vrinæ fluxu, adhæc in libello de Affect. pro curandis spleneticis vtitur medicamentis vrinam monentibus. imo Galenus primo, ad Glauc. in cura quartanæ vtitur diureticis. Pro hac graui atque vtili dubitatione soluenda duobus modis respŏderi potest, vno duplices esse naturę vias, alias manifestas, alias vero occultas, à liene ad vesicam non sunt manifestæ, vt ait Galenus 13. Methodi, sed sunt occultæ vt monstrat experientia, atq; ipsemet Hippocrates qui lib. de Alimento dicebat omnia conspirare simul, vnumque esse omnium confluxum & consensum: imo idem 6. Epid. quinta sect. initio dicebat naturam sibi inuenire vias non excogitatas. Alio modo respondere potest. Lienem posse dupliciter euacuari per vrinam, vel immediate, scilicet, viis occultis, vel per accidens, scilicet euacuato toto, cum enim per vrinā exinaniatur totum corpus; cōsequenter etiam siue per accidens vacuatur ipse lien. NOCTEM. Nox huius tertij diei correspondens primæ fuit & ipsa grauis, sed quia malum in augumento erat, fuit acerbior, siquidem dicit Hippocrates de tertia non tantum eam fuisse laboriosam, verumetiā nihil dormiuisse & delirasse; ait autē NOCTEM DIFFICILEM. Quæ verba dupliciter interpretari possunt, vel quod posteriora sint explicatiua prioris, quasi dicat noctem fuisse difficilem, quia non dormiuit, & delirauit; vel quod sint tres conditiones separatę, vt magis mihi placet. Nam laboriosa nox dicitur, quando corpus valde fatigatur, & potest talis esse cum somno, sed qui laborem non leuationem faciat, vt Hippocrates secunda Aphor. idq; malum est; at deterius est labori accedere somni priuationem, multo etiam deterius est vigilantes ægros delirare, & minime sapere; ea propter admirabilis Hippocrates ad testandā noctis prauitatem dicit fuisse molestam sine somno, & cum delirio. Delirauit autem Philiscus, quia à foco putredinis transmittebātur biliosi vapores, qui perturbantes cerebri statum, consequēter eius actiones vitiabant. Certum est deliria etiā quędam fieri cum somno, vt sæpe adnotat Hippocrates in his libris; verum deteriora sunt quæ vigilantibus contingunt, quippe quod facilius fit dormientes, & somniantes quam vigilantes à recto tramite mentis declinare, mala vero quæ facilius cōtingunt, mitiora semper sunt. QVARTA, Quarta die scribit cuncta fuisse exacerbata, & vrinas fuisse nigras. Sed optabit aliquis scire cur nō contentus dixisse omnia fuisse acerbiora facta, peculiariter addere voluit vrinas fuisse nigras; Puto hoc fecisse, quia huiusmodi symptoma non erat ex propriis neq; ex frequenter contingentibus, sed veluti aliquid rarum & maxime obseruandum, nec complectebatur cum aliis, sed putari poterat ipsum abfuisse. Nox PLACIDIOR. Noctē placidiorem habuit, & vrinas melioris coloris circa q. occurrit illud considerandum primo, quæ fuerit maior noctis præcedentis quies, an quod dormiuerit, an quod non delirauerit. Etenim desiisse deliriū haud verisimile est quandoquidem vbi vrinæ ex crassis & turbatis fiunt dilutiores, & melioris coloris, signum est, materiam morbificam non amplius ad vesicam ferri, sed potius in caput verti, ac propterea debere potius augeri quam minui deliria, idque non semel ab Hipprocrate in Coacis animaduersum, atque ipsa ratione satis euidens est. Verum dicendum arbitror tranquillitatem noctis in eo fuisse potissimum positā, quod aliquantisper dormierit, & minus delirauerit: nec obstat quod vrinæ fuerint coloratiores, quia nigredo illa cum esset symptoma non proprium, potuit fuisse sublatum, tota illa materia, quæ tunc eam denigrabat, euacuata. Neq; tamen bonitati eius noctis tantum erat tribuendum, vt medicus deberit sperare salutem, tum quia diebus paribus remissiones eueniebant, quod solet esse infidum, tum quia absq; vllo coctionis signo eiusmodi tranquillitas succedebat, quod Hippocrates similiter & in Apho. & in secundo Epid. dixit esse infidum. Rem autem sic sese habuisse docuerunt, quæ post subsecuta sunt in Quinta die, in qua circa meridiem parum sanguinis ab vtraque nare defluxit, sincerum; vrinæ fuerunt variæ non circa meridiem; quia id vix fieri potuisset, sed tota die quinta, cum contentis quibusdam rotundis, semine similibus sparsis, sine sudore. Apposita balano

ta balano exigua & flatuosa prodierũt, nox laboriosa fuit, cum somnis exiguis, verbis, delirio; Extrema frigida nõu recalescentia, parum dormiuit, atque hæc omnia nocte diei quintæ. Circa quam paulisper immorandum, & primum illud considerandum venit, sanguinem exeuntem complures prauas & lethales habuisse conditiones. Prima enim stilla fuit quam esse suapte natura signũ exitiale docuit Hippocrates & in Coacis, & in Progn. & in toto hoc Epid. opere; imo secunda sect. huius lib. tex. 62. monstrat huiusmodi stillam esse exitialem semper istius Philisci exemplo. Etenim significat prauum sanguinem, & copiosum abundare, quo stimulatur natura, sed eum expellere nequit; & notat Galenus omnes fere interiisse, quibus in prauis & magnis febribus huiusmodi sanguis manauit. Præterea prodiit ab vtraque nare, quod signum indicat totum corpus, scilicet tam in dextera, quam in sinistra fuisse viciatum; sicut enim exiens sanguis à dextera nare dexterum hypochondrium, & à sinistra sinistrum laborare significat; sic vbi manat ab vtraq; parte, vtrumque hypochondrium in vitio esse monstrat. Adhæc fluxit in meridie, quo tempore magis vires solent valere ob solis præsentiam, vt cum male valeant, quo tempore bene valere solent iure magis suspicandum sit esse debiles vere & valde; quanquã est & alia ratio, q; cum meridiei tempus sit aliis calidius, vt Arist. disputat. 4. probl. sect. 15. deberent tunc fluxiones humorum esse faciliores. Fuit postremo sanguis ille sincerus, hoc est nullis aliis humoribus permixtus, neque serosus quod signum erat æstum intestinum maximum esse, ichorosamq; substantiam consumptam ex toto fuisse, vnde recte Galenus interpretatur nigrũ, quicquid dicant alij, quoniam vbi feruore consumitur sanguinis ichor, nigrescit. & Hippocrates id testatur in Coacis vbi maxime omnium damnat stillas sanguinis atri. VRINÆ VARIÆ. Porto varietas vrinæ varietatem prauorum humorum indicabat, quæ malæ sunt, Hippocrate dicente excretiones omnes quanto magis variæ sunt, eò deteriores esse. At dignum est scitu, qua ratione contenta illa tres conditiones habuerint, vt essent rotunda, semini similia, atque sparsa. Etenim Hippocrates secundo Prog. contex. 28. vbi tractat de vrinarum contentis, horum nullam videtur mentionem fecisse; Nisi dicamus intelligi furfuraceas, de quibus loquens ex Hippocrate Auic. secunda, quarti. tex. primo, cap. 88. dicebat malas esse in acuta febre, quoniam significant abrasionem factam esse à febris incendio; furfura enim sunt sparsa, rotunda, & semini non admodum dissimilia, & non modo ob flatum, vertim etiam propria natura suspensa manentia: scimus enim semen ob spiritum supernatare vrinis. APPOSITA; BALANO Quando glans fuerit administrata & si non dicat Hippocrates, par tamen est existimare id fecisse vespere, quando similiter secunda die clyster iniectus est: potius autem glande quam clystere vsus est, quod à magnitudine morbi vires essent valde prostratæ: sic enim primo de acutis 45. viribus valentibus & ætate florente clysterem infundi, languentibus vero glandem administrari præcipiebat, cumque glandes vt clysteres fiant diuersorum generum, verisimile est simplici & leni esse vsum, tum quia magnitudo febris acriores repudiabat ob calorem, & mordacitatem ipsorum, rum, quia exigua, & flatuosa tantum exierunt, quod non contigisset si glans elaterio, colocynthide, scammonio, vt solebant veteres, facta fuisset, quanquam potuit etiam ob lienis vitium nihil exisse glande, siquidem scribit Arist. tertio de Partibus animalium, cap. 7. habentibus lienem tumidum plerumque fieri ventres præduros; eò quod humores qui pententes intestina molliunt ij in lienem abducti reddunt ea sicca, sicuti qui multum miugunt eadem ratione parum egerunt. Itaque sicuti clysterem qui melius duxerat, nox quierior excepit, sic glandi nil educenti, plenisque fœce intestinis relictis, vere nox laboriosa successit, in qua etiam nullo sudore imminuta materia nõ modo corpus vniuersum agitatum est, verum etiam oblocutio importuna, & deliria apparuetũt cum somnis exiguis; atque hæc nox respondebat primæ & tertiæ, quæ etiam graues fuerunt, licet in hac dormiuerit aliquantisper qui tamen somnus laborem potius quam leuamen afferebat. EXTREMA FRIGIDA. Inter præcipua febrium & earum

& earum ardentium quas Aristo. 27. Probl. 2. Hepialas, medici lipyrias vocant, indicia, est, vt refrigerentur extrema, atque interiora caleant, quod vel humores frigidi curem occupent, vel à magnitudine æstus extremorum calor pene extinguatur, vel magnitudine inflammationis alicuius visceris attrahatur ab extremis ad interiora: Verum in Philisco huiusmodi signum eo exitialius erat, quod & ab inflammatione & extinctione pendebat, quæ magna erat, ita vt non rediret, neq; recalesceret; nam etsi malum semper sit calorem à capite, pedibus, manibusque discedere; tunc tamen est pessimum, quando nunquam reuertitur, ad extrema. MINXIT NIGRA. Die aduentante minxit nigra, & ante quoque parum dormiuit & obmutuit. Circa quod considerandum est, Hippocratem adnotasse parum dormiuisse Philiscum aduentante die, quoniam vt monuit secundo Progn. somnus optimus est qui fit nocte vel mane vsque ad quartam horam, quod ita soleant cōmuniter homines dormire, vnde nullo huiusmodi tempore dormire pessimum est dormiuit autem Philiscus, quia euacuatus erat per vrinam nigram humor melancholicus & noxius. Sed quæ fuit causa vt obmutuerit, qui paulo ante multa loquebatur? Morituris cito frequenter contingit, vt loquelam amittant, idque pluribus de causis, vel quia mens & imaginatio penitus amissæ haudquaquam operantur (esse enim sermonem imaginationis & mentis effectum non est dubiū) vel quia instrumenta hoc est nerui & musculi famulantes locutioni sunt impediti, ob siccitatem aut repletionem; vel quia thorax facultatis motricis illustratione orbatus haudquaquam voci & consequenter sermoni faciundo inseruire potest. Iam vero Philiscus obmutuit, tum quia mens eius alio erat abducta, vt in ecstaticis, tum quia ob facultatis motricis summam imbecillitatem thorax non potetat moueri; eadem etiam ratione cum calor esset pene extinctus, sudabat frigidum, & extrema liuescebant; Sed cum infra dicturus sit Hippocrates hunc ægrum perpetuo sudasse frigidum, cur eius tantum meminisse voluit in fine quintæ diei? forsan quia tunc fuerat multo frigidior quam antea, idque ex eo probatur, quia etiam liuescebat, nam Hippocrates secundo, Prognos. tertio, scribit si digiti & vngues liuescant, statim esse expectandam mortem eo, quia vt ait Galenus in illo comm. signum est extingui calorem qui à corde influit, imo ait Hippocrates huiusmodi colorem esse nigro peiorem. DIE SEXTA. Tandem eadem die, scilicet sexta, & circa meridiem obiit, quod autem sexta die obierit, factum est, quia vt ipsemet Hippocrates in fine historiæ notat, exacerbatio in hoc ægro semper facta est diebus paribus, & præsertim circa meridiem: illud autem fere perpetuum est, quemadmodum etiam quarto de Morbis habetur ab Hippocrate, vt non modo die, verum etiam hora grauioribus intereant ægrotantes, & iure quia tunc mors potissimum contingit, quando maximus sit inter morbum & naturam conflictus, præsertim in iis, qui non longo morbo consumuntur, sed cito & magna vi pereunt: igitur iure periit circa meridiem Philiscus, quia aliis diebus circa eam horam factæ sunt exacerbationes. At percunctabitur aliquis, quomodo potuerit perire sexta die, cum Hippocrates secundo Epid. sect. 6. 15. aperte dixerit perituros necessario interire anno, mense, & diebus imparibus. Præterea cum Plinius lib. secundo, cap. 101. narret ex Aristo. omnes moti recedente æstu maris, atque id experientia comprobatum fuisse in Gallico Oceano, qui fieri potuit, vt circa meridiē interierit Philiscus? Adhæc quo genere mortis existimandum est periisse? Ad primum resp. propterea hoc fuisse ab Hippocrate adnotatum, quoniam rarissimum est, vt quis die pari obeat. nam Galenus dicit primo de Dieb. decret. cap. 4. & 5. Diem sextam fuisse vocatam à veteribus, tyrannum, quod ea torqueat & necet ægrotantes, præter omne ius & rationem: obiit autem potissimum sexta quoniam magnitudo morbi exigebat, vt citissime periret, quia autem iuuenis erat, restitit paulisper, nec debebat interire nisi septima, atque anteccessit vna die, quoniam ea facta est exacerbatio, in qua fit mors. De Plinio vero dicendum est, in aliqua forsan regione Oceani Gallici id fuisse obseruatum, at falsum est vbique illud fieri, cum omni hora &

omni tempore contingere viuentibus mortem vsu quotidiano comperiatur, nisi quoque dicamus id fortasse verum esse in morte naturali, quæ fit per consumptionem humidi, non autem in violenta & morbosa. Ad postremum autem dicendum est mortem nihil aliud esse, quam caloris natiui interitum, iam vero calor natiuus vt docet Aristot. tertia, Probl. 25. lib. de Breu. & long. vitæ, libr. de Senectute, Theoph. lib. de igne. Galenus lib. de Vsu resp. & 6. cap. lib. de Tremore & rigore, interit vel σβέσει id est extinctus à frigido & humido, vel μαράνσει, id est marcore, qui fit vel paulatim consumpto humido, vel affatim vt lucerna sub sole & igne erepto; addere possumus suffocationem ex Galeno qua, scilicet priuatur motu. Philiscus obiit, marcore extincto nempe calore natiuo, à febrili & igneo. Post relatum Philisci interitum Hippocrates notat quatuor commemoratu digna ipsi perpetuo contigisse; Quod respirationem habuerit à principio ad finem ægritudinis raram & magnam, tanquam recordantis oblitæ respirationis. Quod splen intumuerit rotundo tumore. Quod sudores habuerit vsque ad finem frigidos, & Quod paroxysmi paribus diebus inuaderent. De hoc postremo iam diximus, scilicet rarum esse, vt fiant exacerbationes morborum paribus diebus, ac propterea fuisse adnotatum hoc ab Hippocrate, qui licet vsus fit vocabulo paroxysmi, qui in interpollatis potius quam continuis febribus, qualis fuit proposita, fieri soler, attamen ea vox non proprie, sed communiter pro exacerbatione morbi sumitur. Cæterum de respiratione & aliis puto in extremo loco fecisse mentionem Hippocratem, vel quod oblitus esset adnotare, vt faciunt sæpe, qui celeri calamo adnotant, vel quod cum semper contigerint, si semper eorum voluisset meminisse, tædiosum & sua grauitate fuisset indignum. Etenim respiratio rara & magna semper fuit, quia à prima die occupata vi morbi mente obliuiscebatur respirare, donec vi mali ad sese reuocatus, quod omiserit respirationis magnitudine compensabat; sic enim plerunque fit respiratio magna atque rara præcipue in delirantibus, quorum symptoma præcipuum huiusmodi respirationem iure facit vbique Galenus & in primo, & secundo de diffic. respir. Quod vero à prima die delirauerit Philiscus ex eo potest conijci quod Hippocrates dicit eum nocte diei tertiæ πάντα, id est in omnibus delirasse quasi non antea adeo manifeste delirasset: & ne hoc ignoretis. Hippocrates rarissime meminit pulsus, quem licet cognosceret, haud tamen inuenitur eo vsus in medicina facieda. Imo nec Plato, nec (quod minus videbatur) Arist. qui libro secundo Meteor. cap. de terremotu licet non nihil dicat; id tamen non facit ad medicinam, sicut nec quod dicit in lib. de Respiratione & de spiritu, vbi pulsum non respondere respirationi, nec ad quicquam vtilem esset, at ex mera fieri necessitate prodidit. Herophilus primus qui vt ait Strabo lib. 12. in fine scholam medicinæ habuit inter Laodiceam & Caruram, de Pulsibus scripsit, & docuit vnde Herophilij eius sectatores sunt vocati: sed vt ait Plinius libro decimo ob subtilitatem artis fuit desertus. Post Herophilum Galenus & ipse de pulsibus locupletissime tractauit, at nimium quantum prolixe, & certe semper existimaui Galenũ illo suo ingenio multa de pulsibus excogitasse, quæ experientia nunquã probarat. Atqui respiratio, vt norunt omnes, fit ex duplici motu, & inspiratione & exspiratione, quando attrahitur spiritus, potest interdum bis attrahi, sicuti fit singultu plorantium atque hæc respiratio est illa, quæ hoc in loco vocatur ab Hippocrate veluti reuocantis. Splenis tumor rotundus visceris illius, non musculorum suppositorum indicium fuit; Etenim vbi musculi supra lienem positi inflammatione tentantur, solent prout ipsi longi sunt, ita oblongos pati tumores, vbi vero solum viscus, fit tumor teres, sicut & ipsum rotundum est. Porro quod semper sudores fuerint frigidi, non intelligendum est quasi assidue frigidum sudauerit, sed vult dicere Hippocrates sudores qui sibi contigerunt, semper fuisse frigidos, quam rem narrare forsan fuerat oblitus. Atque hæc tota fuit primi ægrotantis historia. quem haud arduum fuit prædicere saltem tertia die fuisse periturum cito, quando multa eaq; grauia symptomata apparuerunt. Siquidem ipsemet Hippocrates tertio Pro-

tio Progn. docet quibus fiunt, prima, vel tertia die labores aut quarta, aut septima iudicari. Nec tamen Hippocrates eum deseruit, cum adhibuerit glandem, vt doceret etiam quos timemus perituros, esse curandos, tum quia, vt dicebat Aretæus, humanitatis officium est non permittere vt ægri pereant desperati, tum quia interdum seruantur, quos perituros certæ speres, & vt dicebat Seneca lib. primo, de Clementia mali medici est desperare ne curet. Modo videndum est quæ nam curatio debuerit rationabiliter adhiberi. Vbi itaque à medico deliberatum est curam aggredi, illud primum in animo habere debet, vt sincere, fideliter, & diligenter omnia agat pro consequendo sibi proposito fine, scilicet ægri sanitate: quod quoniam obtentu difficillimum est, nisi cognoscatur id quod lædit sanitatem, siquidem iudicatio qua vtitur medicus rationalis est, vt ait Galenus libro ad Thrasybulum comprehensio lædentis & iuuantis, ideo debet semper ante cætera cognitionem indagare, quæ comparatur tum propria industria, tum ipsius ægrotantis interrogatione; quam interrogationem circa quinque potissimum fieri debere docet Hippocrates libro de Affect. nempe quæ patitur, ex qua causa, quot iam diebus, an venter secedat, & quo victu vtatur. Hæc autem omnia multo fusius docuit Galenus in hoc eodem libro contex. primo. Scribit Hippocrates prima Apho. acutissimis morbis tenuissium victum conuenire, qui erat nihil dare in prima die, imo vere vsque ad tertiam narrat enim Aristot. tertio Politic. cap. 11. apud Ægyptios capitale habitum si quis ante tertiam quicquam moueret. Sed hæc viuendi ratio hodie obseruari haud potest, quando habetur pro victu tenuissimo succus ptisanæ, vel panatella ex aqua. Cum itaque morbus præcipuus esset febris acuta maligna, cũ tumore lienis inflammatorio, indicatio postulabat inflammationis vt eius auctio prohiberetur diuersionibus & repercussionibus; sed repercutientia extrinseca poterant intro repellere humores fluentes. Iccirco abstinere satius erat, & pro dolore sedando placida adhibere, & laxantia leniter vt rosaceum hydrelæum. Ratione vero febris ab eius forma refrigerandum, & humectandum indicabatur: Ratione materiæ vt putrefacta tolleretur, alia conseruaretur à putredine, & à malignitate. Primo igitur institui debuit victus tenuissima ratio, & abstinentia vini, tum ob febrem, tum ob inflammationem. Cogitandum post hæc fuit de sanguinis missione indicata tum à febre putrida acuta, tum ab inflammatione, qui morbi magni sunt, nec putandum est Hippocratem abstinuisse, & si tacuerit, quoniam nec senem Philiscum fuisse nec viribus infirmis, initio probabile est. Euacuatis igitur primum aliquo intestinis statim fuit ad secandam venam deueniendum. Vnde secunda die vespere ab eo immissus est clyster mollis, quod non prius fuerit accitus, & sequenti mane missus sanguis, quo misso plane melius aliquot horis sese habuit, sed à qua parte, putandum à sinistra, & forsan etiam à dextera ob locum inflammationis, & à brachio, siquidem lex est ipsiusmet Hippocratis relata, & à Galeno libro de Curat. per sang. miss. & 13. Methodi, inflammatis partibus supra renes, venas superiores esse secandas. Hoc facto conuertendum fuit studium ad coquendos prauos humores refrigerantibus & aperientibus, vt scilicet posset fieri eorum expurgatio: tum etiam diuertenda materia erat à capite quo tendebat ligaturis, & lotionibus extremorum ob vigilias. Cæterum dubitabit aliquis numquid Hippocrates purgatoriorum vllum medicamẽtum præbuerit, & num præbere debuerit: Ego vero arbitror Hippocratem abstinuisse ab omni genere medicamentorum purgantium, quoniam sicut hoc in genere mentionem fecit clysteris, & glandis sic æquum fuisset, vt etiã meminisset alterius euacuationis. Adhæc non videtur cõuenisse; quia quibus vtebatur Hippocrates erant valde calida. Vnde secundo acu. 11. laudat solum πεπλίον, atque ea sibi probata, vt veratrũ nigrum, & peplium. Ab aliis dicit abstin. in primo Aphor. Sed alia parte valde durum videtur Philiscum sex diebus semel tantum deiecisse aluum, nisi dicamus sponte aliis diebus eam fluxisse, ac propterea nil de ea eliquandã, nisi bis cogitasse, quando nempe magis oportunum existimauit. Quale autem conuenisset

dare dubitari poteſt, ſiquidem dixit Hippocrates purgandum eſſe initio etiã crudos tumores, dum turgent, hoc eſt dum huc atque illuc moti periculum imminet ne ad nobiles partes ferantur; Iam vero vigiliæ & delirium quod nocte apparuit tertiæ diei demonſtrabant materiam ferri in caput, ſimiliter vrinæ enæoremata rotunda, ac diſperſa. Verum puto potuiſſe quidem Hippocratẽ aliqua ratione ſaltem lenitiuo appellato medicamento euacuare prauos humores, niſi forſan erat prohibitum, quoniam tertia die miſſus ſanguis, aliam purgationem non admittebat. cæteris tribus diebus iam morbus factus vehementior, & magis exitioſus vna cum ſæuis ſymptomatibus, & vires propterea factæ imbecilles minime permittebant vt noua vacuatione magis labefactarentur; atque eo maxime quod in vrinis nullæ vnquam apparuerunt coctionis, ſed potius cruditatis notæ. Fuiſſe autem vires imbecillas præ ceteris monſtrauit ſtilla è naribus, frigiditas extremorum continua, à glande exigua operatio facta. Porro medicamenta alterantia & putredini reſiſtentia credibile eſt fuiſſe adminiſtrata, vt potiones illæ refrigeratoriæ in fine tertii de Morbis propoſitæ & decocta herbarum oxalidis, endiuiæ, ſonchi, & ſimilia. Tempore noſtro bezoartica vocata conueniſſent; ſed illud notandum ſerapia quæ paſſim vſurpantur, mihi non probari, æſtate præſertim, & in morbis bilioſis, cum Hippoc. ſecundo acut. in morbis bilioſis cuncta dulcia repudianda cenſeat.

HISTORIA SECVNDA.



ILENVS habitabat in Platamone prope filios Euaclidis. Ex laſſitudinibus & potibus, & exercitationibus intempeſtiuis febris magna corripuit: cæpit autem dolere & lumbos & capiti habuit grauitas; colli aderat contenſio: à ventre autem. PRIMA *die bilioſa, ſincera, ſpumoſa, ſaturata, multa prodierunt: vrinæ nigram ſubſidentiam habentes, ſitibundus lingua arida, nocte nihil dormiuit.* SECVNDA *febris acuta, deiectiones plures, tenuiores, ſpumoſæ; vrinæ nigræ; noctem difficiliter aliquantulum delirauit.* TERTIA *cuncta ſunt exacerbata: hypochondrij contenſio ex vtraque parte, oblonga, ad vmbilicum ſubmollis; deiectiones tenues ſubnigræ; vrinæ turbidæ, ſubnigræ: nocte nihil dormiuit: ſermones multi, riſus, cantus, continere nequibat.* QVARTA *quod eadem.* QVINTA *deiectiones ſinceræ, bilioſa, leues, pingues; vrinæ tenues, tranſparentes, paullulum mente conſtitit.* SEXTA *circa caput modicum ſudauit, extrema frigida, liuida; multa iactatio: ab aluuo nihil exiuit, vrinæ ſubſtiterunt: febris acuta.* SEPTIMA *voce priuatus eſt: extrema non amplius recaleſcebant: nihil minxit.* OCTAVA *ſudauit per totum frigidum: exanthemata cum ſudore rubra, rotunda, parua, veluti vari permanebant: non abſcedebant: à ventre autem exiguo irritatorio ſtercora tenuia, qualia cruda exibant cum dolore; mœrebat cum dolore, mordacia; extrema parum recaleſcebant: ſomni tenues, comatoſi, ſine voce: vrinæ tenues, tranſparentes.* NONA *per eadem.* DECIMA *potus non recipiebat, comatoſus, ſomni vero tenues, à ventre autem ſimilia, minxit aceruatim, ſubcraſſum, ſepoſitum: ſubſidentia farinacea; extrema rurſum frigida.* VNDECIMA *interiit; à principio huic & per totum ſpiritus magnus, rarus; hypochondrij palpitatio continua, ætas, & quaſi viginti annorum.*



ILENVS QVI PROPE. Sequitur ſecunda hiſtoria, quæ vtrum habeat vllam cum ſuperiore connexionem haud eſt diligenti ſine fructu diſquirendũ: & cum ſit longa ac profuſa conabor ſub capita aliqua quam breuius fieri poterit explicare. Hic itaq; Silenus habuit ſicut & Philiſ. acutã febrem, ardentẽ vna cum hypochondriorũ ingenti incẽdio, ꝙ vtrum ſequeretur inflammatione alicuius viſceris an Eryſipelas ſuo loco expendemus. Obiit autẽ 11. die, ſ. multo tardius q̃ prior, & obiit impari die, quia etiã imparib. ſibi exacerbabatur morb. Sed melius ſtatim eſt ad exame ſingulorũ accedamus. Quis

fuerit

fuerit Silenus hic, non est ita facile cognoscere, cum ex veteribus plures habeantur huius nominis, quod primum à nutrice Bacchi deriuatum est. Galenus etiam tex. 4. primo. in tertio Epid. commemorat nonnullos interpretes, qui Silenum fuisse Lunaticum ἀπὸ τῆς σελήνης dixerunt: sed irridet eos quamquam apud Platonem & alios reperiantur vocati Sileni quidam dæmones, & Satyri. & in Glossario veteri habetur. Silenus παῖ Σιληνός. Sed hæc nil ad rem nostram; illud certe putandum est hunc fuisse nobilem non admodum, nec ita notum, cumque describat habitationem, nempe in Platamone atque vicinum, scilicet prope Eualcidis domum, Eualcidem verisimile est fuisse notissimum. Nam Herodotus qui fuit Hippocratis coætaneus, nominat quendam Eualcidem Eretriæum ducem, & gymnastam celebertimum, qui vtrum hic fuerit nil interest scire. Iam vero Platamon quid esset à scriptoribus varia dicuntur, aliis fluuium, aliis locum maritimum, amplum, vel quid aliud simile exponentibus, sed quod dicit Galenus in Linguarū expositione est. Platamonem esse petram læuem & humilem in mari eminentem, circa quam dilatantur fluctus, quod vt huic loco possit accommodari non video, vnde potius cum Hesychio puto intelligendū esse locum latum prope mare, qui debebat esse vbi habitabant Silenus, & Eualcides, nisi Platamonem, scilicet locum vbi Platani consiti erant intelligere libet. Erat autem hic æger iuuenis, scilicet viginti annorum vt in fine historiæ testatur Hippocrates & forsan saltator, vel cursor; sic enim Sileni dicti sunt dæmones quidam saltatores apud veteres: quod eo magis possumus existimare; quoniam scribit Hippocrates eum ex lassitudinibus, potibus, & importunis exercitationibus febrem fuisse nactum magnam, (siquidem, vt recte interpretatur Galenus vbi Hippocrates dicit πῦρ quemadmodum hic ingentem febrem denotat) ac propterea prima die cœpisse secundum lumbos dolere, capitis grauitatem, collique tensionem sentire. Sunt enim hæc accidentia nimium saltantibus, & sese exercentibus sæpe numero contingentia, & nos in Gymnastica monstrauimus saltu immoderato lumbos, renes, & caput maxime fatigari, vt propter hoc minime mirum sit Silenum incurrisse febrem acutam & hypochondriorum exæstuationem, cum corporis antecedenti dispositioni, & forsan habitui biliosо accesserint eæ caussæ externæ, quæ maxime omnium possunt corpora etiam non antea parata inflammare, saltus scilicet immoderatus atque potus: Et notandum est Hippocratem hic cōmemorasse caussas externas, quoniam maxime conducunt ad notitiam internarum, quæ ab ipsis inducuntur. Vnde secundo Epid. dicebat deueniendum esse ad occasionem, & occasionis initium. Veruntamen, vt optime notat Galenus etiam caussæ externæ non morbos graues ita faciunt, nisi in corpore adsit ad eos suscipiendos præcedens dispositio. Verum antequam vlterius progrediamur, hic oritur dubitatio, quomodo ex potu vini immoderato oriri possit febris ardens & incendium hypochondriorum? siquidem Galenus tertio cap. lib. de cauf. morb. & lib. de temper. scribit potius fieri ægritudines frigidas vt apoplexiam, paralysin, epilepsiam conuulsiones tremores, hydropem, imo Arist. tertia, sect. Probl. primo, & sexto quærens cur cum calidum vinum sit, attamen ex eius immoderato potu fiunt rigores & paralyses, (nam sic esse legendum & non pleuritides, quæ sunt ægritudines calidæ ipsa ratio docet) ideo esse respondet, quia, vbi multum humidum est in corpore si refrigeretur, facit quoque multum frigidum, vt vestis humido frigido imbuta multo frigidior euadit; refrigeratur autem calor natiuus vt alias dicit in eadem particula probl. 25. à nimio vini calore pene extinctus. Hoc item dicit Plutarchus tertio, Sympos. quinto, vbi probatur à nonnullis vinum esse frigidum quod ab eo paralyses, tremores, aliaque vitia frigida oriantur. Respond. dupliciter vno modo non dixisse simpliciter Hippocratem ex potu factam febrem, sed cum aliis causis nempe exercitationibus, & lassitudinibus. Alio modo & melius possumus dicere triplicem esse vsum vini, vel enim potatur moderate, vel immoderate, vel immoderatissime: si moderate potetur auget calidum innatum: si moderate calefacit immoderate, & facit febres, vt Gal. primo, de Diff.

feb. 2. sin immoderatissime, ita vt obruat calorē natiuum refrigerat per accidens, scilicet extinguendo calorem natiuum; ita enim dicit Aristot. tertia, Probl. 25. in quo quærit, cur ebriosi tremant, atque eo magis si merum copiosum sumpserint, ibi enim dicit tribus modis calorem extingui frigido, scilicet, & humido defectu pabuli, & immenso calore, quod quoque Theophrast. libr. de Igne, & Galenus libro de trem. & rig. cap. sexto locupletissime confirmarunt. Postquam igitur Silenus à lassitudinibus & potibus, & nimiis exercitationibus, (quod iure Galenus putauit sæpius fecisse) in febrem incidit, videre oportet quæ symptomata sunt secuta, quæque partim attinebant ad actiones læsas, partim ad excrementa mutata, quæ pertinebant ad actiones læsas, fuerunt: quia nil dormiuit; lumborum dolorem persensit capitis grauitatem, colli tensionem, siticulosus fuit, linguam valde siccam habuit. Quæ autem ad excrementa mutata spectabant, fuerunt, quia aluus statim effudit biliosa, immixta, spumosa, saturata, & copiosa; vrinas quoque nigras, nigramque hypostasin habentes. Sed circa hæc dubitatur vtrum secundum Hippocratem sit febris numeranda inter accidentia primæ diei? nam primo numerat febrem deinde dicit prima die aluus fudit, & cætera, vnde videtur colligi posse febrem nō esse numerandam inter accidentia primæ diei posset quispiam suspicari Silenum ex illis tribus causis incurrisse in diariam, deinde in putridam, sed non mihi placet hic modus respondendi, quia Hippocrates non consueuit vnquam appellare febrem diariam πῦρ id est ignem quemadmodum hic facit. Dicendum itaque est statim ab initio febrem Sileni fuisse putridam: puto autem Hippocratem vsum fuisse, hysterologia quadam, quæ est, quotiescunque ea quæ deberent prius dici posterius dicuntur. Videamus modo sigillatim caussas horum symptomatum: & primo animaduertere debemus quomodo potuerit Silenus prima die habere vrinas & fœces reterrimas. Ratio autem est, quia vt inquit Hippocrates quarto de Morb. excrementa & morbi non subito generantur, sed subito apparent. In Sileno itaque fuerat ante conceptus morbus, quia ex illa importuna viuendi ratione generati sunt paulatim praui humores, qui postmodum statim erumpebant, quia igitur habebat corpus aptum ad morbum, ideo habuit ab initio vrinas & fœces reterrimas, facta itaque est immensa copia bilis, quæ erat sincera; quia etiamsi in corpore Sileni adessent humores crassi & frigidi, tamen bilis primo parata erat. Erant autem spumosa quoniam cūm fieret magna ebullitio in corpore Sileni, fiebat etiam spuma, sicque spumosa excrementa. Erant etiam saturata. Appellantur autem saturata quotiescunque color bilis est maxime intensus, ita enim appellare solemus nos pannos rubros saturatos: quando, scilicet ruber color est valde intensus. Erant copiosa, quia longo tempore humores paulatim collegerat. Quo vero ad vrinam spectat, erat nigra, quia bilis assata erat, quæ postmodum per vrinam expellebatur, fiebat autem sitis & linguæ ariditas, propterea quod febris erat ardentissima. Non dormiebat tandem, quia vapores continuo elati acres cerebri membranas vellicabant: & summatim ex his symptomatibus poterat medicus peritus facile formidare hunc esse moriturum: cum Hippocrates & in Coac. prænot. & secundo Progn. huiusmodi excrementa statim apparentia interitum significare prodidit.

Secvnda die. Eadem symptomata continuarunt, scilicet fœces, vrinæ, vigiliæ. Duo autem addit super inducta febrem acutam, necnon delirium; & de delirio non est mirum quandoquidem vigiliæ antecedentes à bilioso succo & vapore deriuantes facile potuerunt demonstrare futurum delirium aliquod. Sed ex alia parte cum aluus pergeret educere multa & spumosa, videbatur consonum rationi haud quaquam debuisse mentem tentari: cum in Aphor. Hippocrates non semel docuerit insanias, aliaque superiorum partium mala finiri per excretiones inferiorum. Nisi dicamus fuisse secunda die fœces tenuiores, quod quidem argumentum poterat esse retentas crassiores humorum prauorum partes, si non ipsas

ipsas, saltem ab ipsis vapores in caput restagnasse, sicque delirium paruum induxisse. At quomodo dicit Hippocrates fuisse febrem acutam secunda die, quasi vero prima non talis fuerit, cum tamen cuncta symptomata relata demonstrarent, & eam fuisse periculosam & velocissimi motus, quæ duo sunt veri characteres morbi acuti, vt docuit sæpe Galenus & præsertim libro de Temp. morb. quinimo cum prima die dicat Hippocrates πῦρ ἔλαβεν, & vt exponit Galenus πῦρ significet febrem vehementissimam, negari nequit, quin etiam tum febris fuerit acuta, cur igitur addit in secunda die fuisse acutam? ego certe puto voluisse significare febrem fuisse acutiorem quam pridie: sic enim Galenus in comm. ad librum Progn. in quo certum est Hippocratem loqui de acutis morbis, vbi is mentionem facit acuti morbi, intelligere semper acutiorem vel acutissimum diserte asserit.

Tertia die. Scribit cuncta fuisse exacerbata, hoc est grauiora reddita tertia die, quoniam cum imparibus semper fierent exacerbationes, iure id potissimum contigit tertia. Sed dicet aliquis nonne etiam Philisco tertia die facta est exacerbatio, & tamen dixit Hippocrates diebus paribus fuisse illi exacerbationes? Dico Philisco vespere tantum diei tertiæ cæpisse exacerbationes, quod erat initium futuræ quartæ, hunc autem Silenum tota ipsa tertia, imo vero etiam quarta facta est, atque durauit exacerbatio: quæ autem & qualis hæc fuerit, diligentissime, vt consueuit adnotauit. Primum enim (quod non antea apparuerat) in vtroque hypochondrio tactu comprehensa fuit tensio oblonga; circa vmbilicum submollis, fœces tenues, subnigræ, vrinæ turbidæ nigræ, nocte nil dormiuit, sermones multi, risus, cantus, continere sese non potuit, atque hæc cuncta tertia & quarta durauerunt, quæ, quoniam digna contemplatione sunt, singula considerabimus paulo diligenter, & primum illud monendum esse existimo, consueuisse Hippocratem ægrotantium hypochondria singulo die contrectare, alioquin non dixisset tertia die tantam apparuisse tensionem eorum, nisi & prima, & secunda quoque die tetigisset. Vnde iudico quoque Hippocratem medicos imitari debere, ac diligentissimos esse in cognoscendo quotidie hypochondriorum statu, quandoquidem ibi est sedes facultatis naturalis, hoc est viscerum naturalium in quibus fere tota vis interitus aut salutis posita est, & in quibus tanquam in palæstra quadam omnes pene morbi & naturæ fiunt conflictus, quos maxime omnium semper medicus obseruat. Vtrum affectus ille hypochondriorum fuerit inflammatio vel erysipelas, vt aliquibus placuit & forsan etiam Galeno aut quidpiam aliud genus tumoris, minime indicandum putauit Hippocrates; quod facile ex obseruatis intelligi potuerit minime veram inflammationem aut tumorem inflammatorium vel erysipelaceum fuisse, quod non adesset dolor nisi forte lumborum, qui etiam prima die, & forsan febrem adfuerat, nec coloris illa mutatio, aut peculiare eius partis incendium, aut etiam vt ipsemet Galenus testatur, tumor; si enim adfuisset horum quippiam æquum fuisset vt aliquam saltem mentionem fecisset. Vnde suspicandum est potius fuisse insignem obstructionum copiam, quam ex crudis succis ob errores vitæ congesserat, & quæ potissimum tertia die apparuit, quod ante expurgarentur per fœces illi humores, tertia vero die factæ illæ sint non tenuiores vt pridie, sed simpliciter tenues quod erat indicium in hypochondriis crassiores humores detineri, & ex iis putrescentibus, ac flagrantibus tenuiores affluere, vt potius φλόγωσις, quam φλεγμονὴ fuerit vocanda, sed vnde illa submollities ad vmbilicum; forsan, quia omentũ, quod eo pertingit absq; obstructionibus erat. Accedit etiã quod vt recte perhibet Aristot. decima sectio. Probl. 43. homo habet vmbilicum maxime sanguineum & humidum: quo fit vt non ita facile irritetur indatur, atque durescat; erat autem oblonga tensio, quod occuparet omentum figura longum. Cum itaque hypochondriis humores corrupti retinerentur, iure pars ipsorum, ad vesicam amandata fecit vrinas nigras quidẽ vt antea, sed crassiores, ac propterea turbatas; Vnde facta maior in caput euaporatio, cuncta illius antea facta symptomata

non parum auxit, nimirū vigiliam & delirium, dicente Hippocrate quarta, Aphorismorum septuagesimo, quibus vrinæ crassæ, & turbatæ quales iumentorum, iis labor capitis aut adest, aut aderit; delirii autem incrementum ex eo maxime significabat, quod plura loqueretur, rideret, & caneret præter rationem, atq; ex huiusmodi risu minime sese continere posset. Verba enim sequi imaginationē & Arist. dixit, in lib. Perihermenias, vbi ea quæ sunt in voce scripsit esse notas eorum quæ sunt in anima, vt ab errante animo, necessario verba tum copia, tum qualitate errantia oriantur. Sed hoc in loco dignū est quæstione, quænā fuerit vera causa risus in Sileno, etenim risum atq; lętitiam consequi sanguinis puri exuberantiā Auicennas & Auerroes in Cantica docuerunt. Vnde Hippoc. quoque libro sexto, Aphorismo. 53. dicebat, quæ cum risu fiunt desipientias esse tutiores, eo quod vt pariter Galenus dicit huiusmodi desipientiæ cum risu fiant à caliditate sine vllo prauo humore; Etenim desipientias omnes fieri intemperie aliqua cerebri clare monstrauit Galenus cap. tertio. lib. septimo, de Plac. Hipp. & Plat. quomodo igitur in Sileno potuit fieri risus, in quo bilis flaua & exusta abundabat, à quibus potius feritas quædam & ferocia quàm risus & gaudium fieri consueuerunt? Et qui non seruari, sed immaniter mori debebat, quomodo potuit à sanguine risum habere cū sexto Epid. in fine tertii dicat Galenus affectus sanguineos esse tutissimos? Nonnulli doctissimi interpretes huiusmodi difficultate gustata extimarunt risum in Sileno non fuisse motum ab animo natum, sed potius caliditatem eximiam atque conuulsionem, ob quos motum ipsum septum minime contineri poterat, vnde risus. Huic autem adstipulari potest tum ipsemet Hippocrates, tum etiam Arist. Hippocrates enim quinto Epid. non longe à fine Tychonem quendam narrat in obsidione ciuitatis circa Datum accepisse vulnus in pectore à lancea, ac paulo post sibi risum fuisse cum tumultu cōcitatum, vnde visum est sibi euulsum quidem fuisse lignum. Sed ferream cuspidem in diaphragmate relictam esse; id etiam septimo libro repetitum habetur iisdem verbis. Aristot. autem tertio de Partibus animalium. cap. 10. hunc locum (ni fallor Hippocratis) quasi digito designans scribit ex vulnere illato in septum transuersum fuisse aliquibus risum excitatum ob titillationem, & calefactionem ipsius, quasi titillatio eiusmodi calefaciens, & mouens animum ad risum concitet, quod quoque vni homini inter animalia contingere scribit, quasi à natura sit ad risum comparatus, id quod etiam clarissime confirmauit trigesimaquinta partic. Probl. sexta, & octaua, vt hisce omnibus testimoniis videatur non male dixisse Vallesius. Cæterum vt ab eius sententia recedam, tria granissima argumenta me hortantur. Primum est, quod vbi risus à septo transuerso oritur secundū Hippocratem, & Arist. fit vel ob vulnera, vel ob insignem alarum & diaphragmatis titillationem, quorum nullum in Sileno fuit. Alterum est quia si ob solā calefactionem septi transuersi risus contigisset Sileno cur etiam non contingeret laborantibus febre ardente, in qua fomes putredinis atque æstus est circa præcordia, & propterea in ipso etiam diaphragmate? Tertium atq; postremum est, quod risus Sileni erat cum cantu, quod indicium est ab animi sede manasse, risus autem Tychonis, vt ait Hippocrates erat cum tumultu cuiusmodi verisimile est semper esse quando fit à diaphragmate violato, nempe quod cum deseruiat respirationi, vix ipsum vehementer lædi potest, quin respiratio vehementer vitetur, ac propterea tumultus in corpore excitetur: præterquam quod Silenus multū sitiebat, noctes graues habebat, quæ accidentia potius eum à risu debebant abducere. Itaq; dicendum potius iudico, hunc affectum seu symptoma originem habuisse in ipso animo, seu potius in ipsa animæ rationalis sede; atq; vt sententiam meam comprehendere magis liceat, supponendum est in primis risum esse vt dicebat Arist. affectum solius hominis, ac pertinere non ad animum duntaxat, sed simul ad animum & corpus, ac non ad animam sensitiuam alioquin non appareret, quin etiam bruta deberent esse risus capacia, neque ad motricem, cum non fiat risus sine cognitione, neque etiam intellectiuam, quippe quæ est quid seiunctum à materia corporea, & in

puetis

pueris non operatur, in quibus tamen cum titillatu, & absque titillatu videmus statim fere ac nati sunt oriri ipsum risum; sed spectare simul ad sensum cum vi cognoscente, vel intellectum cum sensu: licet enim risus veras non autem fictus & simulatus habeat originem ab aliqua voluptate, quæ consequitur motionem & calefactionē partium spiritualium, qua fit vt spiritus dilatentur & effundantur, ita vt interdum mortem attulerit, quemadmodum refert Val. Max. lib. nono de Philemone quodam, qui videns asinum edentem ficum præ risu extinctus est, vt etiam de Chrysippo narratur: attamē nisi hæc alteratio percipiatur à sensu & à vi cognoscente nunquam efficitur. Vnde fit vt apud medicos membrum, in quo generatur risus, non sit lien vt dicebat Democritus apud Alex. prima. Probl. 136. & Plinius libro vndecimo, cap. 37. existimantes adempto liene tolli risum & fieri homines melancholicos: cum id fiat, non quia risus sit causa lien, sed quia vt ait Galenus expurgatio humoris melancholici aufertur, qui deinde in ambitum corporis refusus mæstitiam potius quam risum adducit. Neque daphragma, aut cor sunt domicilia risus, vt ibidem Plinius atque auctor libr. de Morbis virginum asserunt. Sed ipsum cerebrum, in quo secundum medicos vis cognoscitur est collocata: iam vero cerebrum vt & partes spirituales facit risum dum calefit, atque effundens ex se spiritus in os & buccas aperiri, & hiare illas facit: tunc enim vis imaginatrix ex calefactione cerebri veluti læta & gestiens similes motus edit, neque id quæuis immensa calefactio facit, alioquin semper phrenitici riderent, sed tantum ea aucta, quæ non comburit, non potius voluptatem affert. Etenim si quispiam manus igni adhibeat, ac vehementer calefaciat delectabitur, donec non vrat, vbi autem vrit amplius non delectatio, sed tristitia sequitur; sic contingit cerebro donec vehementer calefactum non vritur potius delectationē cognoscitiuæ facultati affert; vbi vritur fiunt phrenesis, & mania. Ergo Sileno cum tantum sibi vehementer incalesceret cerebrum, necdum flagraret, factus est risus cum cantu, qui & ipse gestientis animi indicium est: Iamq; constat quare risus Sileno sit factus.

Qvarta die eadem. Quomodo fieri potest vt quarta die eadem fuerint ac tertia? Nam Hippocrates secunda Apho. 24. scribit quartum diem maximam vim habere, ac septimi indicem esse: quomodo igitur potuit quarta dies transire sine aliqua alteratione insigni? Sed res ita se habet; tertia die multa motio, & multa symptomata Sileno contigerant, quæ durarunt vsque ad quartum diem; verum quia exacerbationes fiebant diebus imparibus ac tertia die quæ apparuerunt, fuerant grauia, ideo quarta die eadem fuerunt. Sequitur Qvinta dies, in qua dicit Hippocrates Silenum multa accidentia habuisse pene tota excrementorum mutatorum, scilicet fœcum & vrinarum, quoniam autem hæc sunt secundaria symptomata, quæ sequuntur actionem coctricis facultatis vitiatam, facultatis autem huius essentia posita est in temperamento primarum qualitatum, vt docuit Galenus initio lib. de Fac. naturalibus, hinc fit vt quanto deteriora sunt huiusmodi symptomata, tanto magis violatam esse viscerum naturalium constitutionē sit necesse: ea propter fœces sinceræ, biliosæ, leues, valde pingues. Similiter vrinæ tenues transparentes indicabant caloris natiui temperamentum ab ingenti calore putredinali & febrili valde contaminatum; ideoque eliquatas carnes & pinguedines præstitisse excrementa cum læuore quodam ac supernatante pinguedine, cuiusmodi solet cōtingere in malignis, pestiferis, & vrentibus, ac colliquantib. febribus. quas vocare consueuit Hippocrates περικαίας. sexto Epid. com. primo. tex. 29. & in quibus dicit Galenus reperiri calorem purredinalē ab aliis febribus diuersum. Galenus secundo Prog. contex. 21. scribit λειότητι seu læuore in excrementis duobus modis comparari, vel per coctionem æqualiter omnes partes conficientem, & superficietenus complanantem, vel per vehementem colliquationem ita totam materiam afficientem, vt nulla pars eius immunis euadat; & animaduertendum est hunc fluxum colliquatiuum esse vnum ex iis signis, quæ solent inseparabiliter comitari pestiferas febres, vt docet Galenus tertio, in tertium Epidem. comm. 56.

At hoc

At hoc in loco illud non est ociose prætereundum; quomodo Hippocrates dicat in quinta fuisse vrinas tenues atque transparentes, & nihilominus parum delirasse. Etenim sententia vbique Hippocratis, & Galeni est, vbi vrinæ primum crassiores minguntur, deinde tenuiores morbo alioquin non decrescente, signum esse materiam, quæ iampridem ad vesicam perferebatur, alio verti, & sæpe ad caput, sicque delirium futurum indicari, tanto magis in iis febribus, quæ à biliosis & calidis succis efficiuntur, vt cum in Sileno ante vrinæ fuerint nigræ, & crassæ, ac turbatæ, demum factæ sint tenues, atque pellucidæ, necesse videatur affirmare humores illos combustos sursum esse conuersos, ac propterea debuisse non minuere, sed augere delirium. Præterea cur Hippocrates non meminit fœtoris, quem tamen adfuisse ingens & praua putredo testatur: neque enim hoc negligendum est à medicis, cum dicat Galenus septimo Meth. curatores Factionum romanarum consueuisse singulo mane odorari stercora equorum, vt eorum valetudinem explorarent. Aliqui dixerunt humores qui destiterunt ad vesicam pertingere, haud fuisse in caput sublatos, sed potius in inflammatis hypochondriis detentos, atqui si hoc fuisset, æquū erat vt incendium multo maius in ipsis hypochondriis perciperetur, quod tamen minime narratur in sexta contigisse. Itaque satius est existimare humores importune fuisse ad cutim conuersos, atque sic suppressa aluo & vrina papulas in corpore apparuisse die sexta, quæ tamen abscesserint: Nec quicquam obstat quod non meminerit Hippocrates, imo dixerit sexta die parum circa caput sudasse, extrema fuisse frigida. Liuida cum multa iactatione, quoniā cum Hippocrates dicat in octaua permansisse exanthemata, nec abscessisse, signum est, quod prius apparuerant, sed abscedebant; De fœtore dicendum est non meminisse: quoniam is necessario sequitur putredinem ingentem, vt Galenus ait quinto, de Simpl. med. cap. 15. Hippocrates autem delectatur ea prætermittere, quæ necessario consequuntur, vt quibusuis nota: Præterea illa liuiditas, & iactatio erant indicia tetræ materiæ in cutem properantis, quæ cum esset sordida putredine infecta, non erat mirum si ab ipsa partium externarum calor valde violatus extrema reddebat frigida & liuida, quod quidem potuisset alicui persuadere febrem fuisse imminutam: Verum cum interiora adhuc flagrarent Hippocrates addidit febrem fuisse acutam, hoc est etiam cum prædictis signis perdurasse magnam, quia etsi multa materia praua & corrupta in ambitum corporis vi quadam effunderetur, plurima tamen adhuc in internis partibus præsertim hypochondriorum relinquebatur, quæ feruens iactationē illam faciebat. Sicut etiam aliqua portio in caput sublata eum sudorem produxit exiguum; nam Aristot. secunda sect. Probl. 17. scribit nos sudare facilius fronte & facie, quia eæ partes laxæ & humidæ sunt, vnde vbi non alibi sudatur signum est nō posse fieri sudorē propter imbecillitatem. Sed hoc in loco duo debetis adnotare. Vnum est Hippocratē magno iudicio dixisse extrema facta esse frigida, liuida non è conuerso; quoniam vt Aristot. manifeste docet octaua Probl. primo. prius præcedit frigus deinde liuor; quoniam à frigore ob absentiam caloris natiui inducto congelatus sanguis redditur subniger primo, id est liuidus, deinde niger siquidem expirante calore, & spiritibus simul qui lucidi sunt, amittitur albedo & luciditas, sicque succedit liuor eo pacto, quo corpora senilia liuescunt deficiente calore, & quo vibices fiunt liuidi ob sanguinem ibi congelatum. Neque possum satis credere Aristoteli qui in vltima sectio. Probl. primo, quærens rationem, cur corpora fiant nigra in senectute, dicit hoc fieri quia siccantur; hoc enim verum esse potest in plantis, sed in hominibus non ita verum esse videtur. Alterum adnotandum est illam iactationem non à robore motricis, sed potius à debilitate esse factam, quia cū præ debilitate corpus vno situ stare nequit, subinde figuram optat mutare, vt Galenus scribit in fine primi de Motu musculorum, idque contigit Sileno sexta die, cui vires debiles erant propter onus, idque tribus de causis prima, quia aluus nihil reddebat, & excrementa antecedentia erant retenta secunda, quia vrinæ erant suppressæ, nam inter omnes euacuationes corporis nullæ sunt magis necessariæ quam

dejectio & vrina, quod demonstrant multa & maxima instrumenta à natura his vsibus destinata; tertia, quia febris erat acuta.

SEPTIMA deinde vocem amisit, calor non rediit ad extrema, & vrina fuit suppressa penitus, quæ omnia symptomaticum essent letalissima in tanto morbo, & præsertim septima die, iure debuissent eum finire nisi ætas iuuenilis & virium robur adiuuisset ad protrahendam mortem. Quæ autem fuerit causa aphoniæ, & vtrum durauerit vsque in finem iure quæri posset. At quod errore mentis non contigerit ex eo adducor ad credendum, quod septima minus delirauit, vnde verisimile est aliquam prauam materiam in neruos deferentes facultatem motricem ad linguam & ad thoracis musculos esse transmissam, sicque ex toto impeditis illis partibus facultatem simul & loquelam amisisse. Etenim ἀφωνία & aphonia ita se se habent, vt vbi illa fit non necessario fiat aphonia, quemadmodum ex aduerso aphonia facta simul ἀναυδίαν facit; quæ forsan causa effecit simul, vt vrina supprimeretur, scilicet facultate musculorum abdominis ad cõstringendam vesicam famulantium motrice impedita ob neruorum incrassationem. Scio etiam vitio cordis aphoniam oriri, vt perhibet Hippocrates lib. de morb. virginum, & vt de historicis experientia testatur, quas respirationem minimam, quæ est vocis prima materia, habentes non loqui quotidie obseruamus, vt ob hoc Heraclides vocarit eum morbum ἄπνουν vt Galenus sexto de loc. aff. & nos in variis lect. vberius monstrauimus. Verum in vitiis id non facile animaduertitur, atque eo minus in Sileno fuit, quod is vt dicat Hippocrates in fine historiæ, semper habuerit magnam & raram respirationem, atq; hypochondrii, scilicet dexteri continuam palpitationem. An porto semper durauerit aphonia, puto interdum intermisisse, sed rediisse, vt ob hoc repetierit Hippocrates octaua quoq; die aphonum, id est sine voce fuisse. Sed quare hoc Hippocrates adnotauit? quia amittere calorem in partibus extremis est grauissimum, sed ita amittere vt nunquam redeat exitialissimum est, quia fieri potest vt abscedat vitio inflammationis, aut alicuius accidentis? sed quando non reuertitur, indicium est calorem esse vsque adeo fractum vt non redierit.

NIHIL MINXIT. Cur Hippocrates diuersa phrasi hic vtatur, atque est ea; vbi scribit suppressam esse vrinam ratio est, quia sexta die non exibant ea facilitate, qua opus erat. sed septima die nihil omnino minxit; quod signum erat extinctionis facultatis expultricis, qua die, nec non nona narrat complura alia symptomata contigisse partim ad actiones læsas partim ad excrementa, partim ad qualitates mutatas pertinentia. Actiones læsæ fuere somni tenues, comatosi, vocis, priuatio; Excrementa fuere fœces multæ, crudæ tenues cum labore, & cum paruo stimulo redditæ, similiter vrinæ tenues transparentes, sed mordentes & dolorosæ. Aequalitates mutatæ erant, quod extrema parum recaluerunt, simulque cum sudore apparuerunt papulæ rubræ rotundæ, paruæ tamque vari, quæque permanebant, nec abscedebant. Atque hæc sunt quæ octaua die acciderunt Sileno obseruatu digna, quæque etiam non perdurarunt: quasi initium fuerit omnium in octaua, sed in nona postmodum fuerit quasi illorum vigor; cum excerbationes diebus imparibus semper fuerint. Et quia rationi consentaneum est hæc non absque summo indicio fuisse ab Hippocrate adnotata, ob id singulorum rationes ipsi quoque percurremus illud primum admonentes hunc iuuenem necessario robustissimum extitisse, siquidem morbus secundum signa, quę initio visa sunt, debebat finiri septima die, attamen protractus est ad vndecimam: & (quod mirum est) interpositis diebus atrocissima superuenerunt, quæ plane virtus robusta tandiu sustinuit. Primum enim somni fuere tenues & comatosi, quia materia crassior relicta in cerebro, illud irrigabat, atq; huius prænuncia facta est illa aphonia, quæ die antecedente apparuerat, quando, scilicet crassior materia circa neruorum principiũ firmata ibi incrassationem & motricis facultatis impedimentum attulit, quę materia postmodum etiam per vniuersum cerebrum superficieten⁹ distributa similiter q; facultatis in corpus distributionẽ paulisper prohibens comatosos, id est grauiores

& pro-

& profundiores peperit somnos, vt non modo aphonia si forte fuerat remissa, redierit, verumetiam aucta sit, ac propterea ab Hippocrate adnotatum fuisse credibile sit. At si somni tenues dicuntur in quibus facile excitamur, & comatosi in quibus difficulter, quomodo potuit simul & somnos tenues & comatosos habere? nisi dicamus Hippocratem voluisse dicere, quod modo faciliter modo difficulter excitaretur: aut quod faciliter quidem excitaretur, sed statim iterum in somnum delaberetur, comatosus enim dicitur non tantũ qui profunde dormit, sed etiam qui facile in somnum delabitur; sic enim Galenus in art. med. inter signa cal. & hum. cerebri ponit esse comatosum. Huiusmodi autem symptoma malignarum atque pestilentialium febrium fere perpetuum signum est, quodque Romæ frequentissime videri solitum testatur Asclepiades apud Cælium Aurelianum, cap. decimo, libro secundo, acutorum. Erant vero somni in Sileno tenues, hoc est facile excitabiles quoniam humor pituitosus ille tantum cerebri superficiem obsidebat. Etenim ille humor donec exiguus fuit sudorem tantum paruum circa caput peperit, auctus aphoniæ occasionem præstitit, magis autem adhuc auctus, & per cerebrum propagatus aphoniæ addidit somnum comatosum; Quod porro attinet ad excrementa mutata visum forsan alicui fuisset debuisse præberi aliquod medicamentũ purgans, quo aluus irritaretur, quia quotiescunque supprimitur aluus, debet quæri vt molliatur; Sed existimandũ est secus fecisse Hippocratem quando cum nõ conferret dum fluebat sponte, multo minus cõtulisset si arte id esset tentatum; paruus autem ille stimulus cuius meminit, alius non potuit esse, nisi vel placidissimus clyster, vel simplex glans, aut simile quippiam subdititium, nam certum est succo atq; decocto mercurialis ad id frequentissime vsos esse veteres, & præsertim Hippocratem, vt apparet eius scripta legentibus præsertim septima Epid. in casu Aristocratis, vnde haud potuit suapte natura tot fœces & excrementa educere: sed cum antea fuisset retenta aluus, rationi consentaneum est illam materiam cumulatam, atque corruptam quolibet deinde vel exiguo stimulo à natura fuisse exclusam: sed dicetis si fuerant retenta, quomodo igitur tenuia, qualia cruda; nam quanto magis fœces retinentur, tanto magis exiccantur, vnde Aristo. primo probl. 13. sectio. dicebat stercora retenta minus fœtere, quam vrinam quoniam exiccantur. Resp. solum fuisse retenta die 6. & 7. & quinta exisse immixta, vnde non potuerunt adeo exiccari, quinimmo liquidiora permansere, ob continuam illuuiem & colliquationem, quæ ipsis intestinis à toto corpore suppeditabatur.

Cum labore. Montanus exponens hanc particulam cum labore, dixit causam esse, quia fœces erant combustæ, quare ptopter suam acredinem & mordacitatem dolorem faciebant. Sed aduersus Mont. insto, quia Hippoc. dicit hæc excrementa fuisse cruda: non poterant itaq; esse combusta, quia quando Hippocrates loquitur de vrina non dicit μετὰ πόνυ sed μετ᾽ ὀδύνης, quia tunc vrina exibat cum dolore ratione mordacitatis? sed hic dicit μετὰ πόνυ, quare intelligendum est cum labore id est, cum difficultate: Erat autem causa difficultatis, quia facultas expultrix iam extincta erat, ex altera parte irritabatur natura, ad expellendam materiam prauam; & in hoc sita erat difficultas. Vrina quoq; cum fuisset tetenta ac propterea fœtida mordax reddita, ob bilis mixtionem & putredinem iure inter exeundum mordebat, ac dolorem inferebat, simulque tenuis & transparens erat. Iam vero sudor per totum fiebat ob excrementorum prauorũ exuberantiam. Etenim cum natura vi coacta octaua die non decretoria neque indicatoria propellere vellet excrementa praua ad cutem, pars ipsorum tenuior & serosior, sensibiliter per cutis meatus prodiens sudorem faciebat eo pacto, quo Arist. atque Theophrastus perhibent nonnullos cruentum habuisse sudorẽ scilicet sanguinis ichore exeunte ob tenuitatem per cutim: ex parte vero crassiore in ipsa cute firmata subortæ sunt illæ papulæ de quibus paulo post dicetur. Quod autem ille sudor videretur frigidus efficiebant ipsamet extrema ob natiui caloris paupertatem refrigerata. Nam quemadmodum, si in ipsa cute humores frigidi reperiantur sudorẽ per ipsos transeuntem

euntem reddunt frigidum; sic par est ipsasmet solidiores partes refrigeratas sudorem exeuntem reddere frigidum, quamquam Arist. 2. probl. sect. 35. dicit sudores frigidos fieri à copioso excremẽto vt calidos ab exiguo, atq; ob id eos esse deteriores, morbosq; lõgos efficere. Atqui forsan alia ratione erat frigidus, quia scilicet in toto corporis ambitu extinguebatur natiuus calor. De qualitatibus mutatis certũ est nõ recaluisse extrema, septima die, quoniam prauitate succorum indies magis calor natiuus veluti strangulabatur, atq; etiam ab interno incendio abducebatur à corporis ambitu, at octaua die parum recalescebant. Sed si in septima die calor redire nõ potuit, quo pacto in octaua in qua verisimile est calorem magis abscessisse, rediit? Pro responsione dicendum est id, quod dicit Galenus videlicet idem contingere naturæ, quod certantibus contingere solet: solent enim certantes vbi vident rem esse desperatã omni conatu niti, vt se ab hostibus liberent: non secus facit natura, quæ aduersus morbum contendens vbi sentit se à morbo superari, nititur extremum conatũ facere aduersus eum, in quo conatu omnia videntur reuiuiscere; adeo vt Medici ignari sæpenumero spem concipiant ægrum seruatum iri. Hoc itaq; contigit Sileno quia in octaua die cum natura esset peue à morbo victa, omnibus viribus conata est Silenum seruare, & propterea caluerunt extrema. Papulæ, quas diximus fuisse sobolem humoris crassioris & viscidioris, quatuor habuerunt conditiones, scilicet ruborẽ, rotunditatem, paruitatem instar varorũ, atq; permanentiam. Rubræ primum fuerunt, quoniã ichor sanguinis fædus è venis in cutem transmissus illas producebat, qui etiã vt solet aqua dispersa & partita figurã rotundam acquirere, sic & ipsæ rotundæ, & eleuatæ instar varorũ, qui Græce ἴονθοι dicuntur: paruæ exurgebant atq; manebant nec abscedebant vnquã, hoc est, nunquam delitescebant, sic enim interpretandũ est, non vt alij, abscessum faciebant, alioquin Hippocrates vana dixisset. Hæc autem contingebant ob copiam materię quę assiduò suggerebatur, atq; ob eius visciditatem; & quia natura infirma nõ poterat materiam superare. Cæterũ circa hoc tres occurrunt dubitationes, vna est quomodo in toto corpore factę fuerint huiusmodi efflorescentiæ, cum Arist. 36. partic. probl. vltimo, scribat varos esse veluti efflorescentiã quandam inconcocti humoris, quæ vt plurimũ circa faciem fit ob illius humiditatem atq; raritatem. Altera dubitatio est quomodo potuerint hæ papulæ esse rubræ, nam extremitates sexta die erant liuidæ; neq; valet dicere humorem abscessisse, quia ab Hippocrate nusquã hoc significatum est: præterea Herodotus apud Aetium lib. 5. cap. 129. loquens de eiusmodi exanthematibus dicit rubra esse semper salubriora, nigris, liuidisq;, si igitur hoc verum est, quomodo in Sileno poterant talia fieri; cum cætera exitialia signa haberet? Tertia est vtrũ huiusmodi papulæ fuerint variolæ nostrę appellatæ vt nonnulli putarunt, scilicet Manardus, & Valesius, an potius peticulæ vocatæ, an quippiã aliud. Circa primũ dicendum est Hippocratẽ non dicere papulas ꝓprie fuisse varos illos, qui hodie vulgo vocãtur cossi, sed similes varis, hoc est paulisper eleuatas, & rotundas quales sunt vari: etenim diximus hęc exanthemata fuisse sobolẽ ichoris sanguinei, vari aũt fiunt è crudis succis cruori permixtis, qui potissimũ fiunt in facie, vt etiam Iulius Pollux docet, vbi abundat humor pituitosus, qui postmodũ sanguini feruido ab iecinore transmisso cõmixtus, & in vultum vel attractus vel transmissus ipsum similib. tuberculis afficit: quæ in febribus pestiferis & ardentibus, qualis fuit in Sileno, haudquaquã fieri solent, sed in iuuenib. atq; aliis alioquin bene valẽtibus, quorum iecinora feruida sunt atq; vultus rariores, humidiores, & calidiores. Ad secundum respondendũ videtur, liuorem ortum esse quia præ frigore sæpius sanguis cõgelabatur, qui postea liuidus reddebatur, eo pacto, quo videmus partes flagellatas liuescere, in quibus sanguis extra venas ductus congelatur. Fiebant autẽ rubrę, vt dixi, quia cũ natura omni conatu quæreret expellere materias prauas, factũ est, vt ichor sanguineus à partibus internis ad externas proficisceretur: hoc aũt esse verum, cõprehendi potest, à Galeno sexto Epid. in historia Simonis: itaq; mirum nõ erat si existente etiam liuore in ambitu corporis apparerent rubræ papulæ. Quod

aũt non fuerit seruatus Silenus, alia exitiosa signa indicarunt, quia quantũ pertinet ad has papulas, potuisset seruari. Circa tertium in lect. nostris editis de puerorum morbis, copiose & accurate (ni fallor) demonstrauimus variolas nostras veteribus ignotas fuisse, vt propter hoc putem eos maxime errare, qui vel hic vel vspiã existimant Hippocratẽ nobis descripsisse variolas; neq; enim præter alia argumenta vnquam videbitis variolas aut morbillos appellatos erumpere octaua à febre die, sed secunda, tertia, & ad summum quarta, nec valet quod Hippocrates assimilet varis, quia similitudo huiusmodi potest quoq; conuenire aliis efflorescentiis. Non fuisse etiam peticulas nostras appellatas satis compertum est, quoniã hæc exanthemata faciebant tumores; peticulæ vero sunt absq; vllo tumore, sed instar morsuræ pulicũ, interdum rubræ, interdũ liuidæ, interdum nigræ. Nec mihi placet eorũ sententia, qui adeo recenter ortas faciunt peticulas nostras, quandoquidẽ etsi à vetustissimis scriptoribus non habeantur ita descriptæ, quales videntur, attamẽ Iacobus de Partibus medicus nõ incelebris, quiq; vixit circiter trecentos ante annos ipsarum clarissime meminit in com. ad Auic. prima quarti tr. 4. cap. 2. vbi appositissime eas describit, atq; similes morsubus non culicum, quas zenzalas populari vocabulo dicimus, sed proprie pulicum, necnon diuersorum generum, & colorum facit. Itaque dicimus fuisse papulas Sileni efflorescentias, siue, vt loquitur Plin. eruptiones rubras, quales apparent etiam hodie in febribus malignis, & quarũ meminerunt alij, ac forsan ipsemet Hippocrates secundo Epid. sect. tertia, & lib. quinto. vbi dicit circa 7. 8. dies apparuisse asperitates in cute miliaceas iis similes puncturis, quas inferunt culices, quanquam dicat se nullo in viro, sed in fœminis tantũ eas tunc obseruasse. Herodotus etiam medicus antiquus apud Aetium libro quinto, cap. 129. meminit vibicum in febribus prauis, morsuris culicum similium & diuersorum colorũ, inter quas præfert rubeas aliis coloribus. Ob quæ oritur dubitatio, quo modo si extrema erant liuida, poterant fieri maculæ rubræ, præterea quomodo rubræ, dicuntur meliores si Silenus cum iis moritur; nisi dicamus liuorẽ factum à sanguine congelato subtus cutem, papulas vero factas esse ab ichore sanguineo ab internis ad extrema misso, vt colligitur ex Gal. 6. Epid. vbi loquitur de papulis Simonis. quod perierit Silenus fuit ob alia deterrima symptomata, nõ ob papulas. DECIMA DIE. Cum 8. & 9. eadem Sileno contigissent, decima superuenerunt alia non minus miranda & grauia, siquidem laborantes febre ardente inexplebiliter sitiunt, & potare cupiunt, attamẽ Silenus nõ potauit, ad somnũ propensus fuit, sed somni erant tenues, à ventre eadẽ exierunt quæ pridie exierant; an aũt sponte, an cũ stimulo non dicit Hipp. est tamen coniiciendum etiã tum opus fuisse aliquo stimulo, cũ dicat similia egessisse, vrinã emisit confertim, quæ seposita crassitiem leuem acquirebat, sedimentũ vero farinaceũ erat album, extrema rursum frigida; nam antea, scil. octaua parũ recaluerant, & nona quoq; sic perstiterant; habuerunt aũt hæc omnia easdem caussas vt antea, sed quia signa grauia & exitialia quo magis perdurãt, eo etiã atrociora esse verisimile est, Hippocrati placuit repetere, vt intelligatur etiã in immanib. morbis natura quantũ potest reluctari, & vbi non sufficit vincere, cito, & statim vinci, quẽadmodum huic contigit, qui statim 11. die interiit. Id adnotandum est Hippocratẽ dicere Silenũ non accepisse potum, non quod nõ sitiret, sed quia iam occidente facultate omni haud sentiebat sitim, quæ omniũ maxime sentiri debebat; Potest etiã dici pro potu intellexisse omnẽ sorbitionẽ à medicis antiquis vsitatã, quam nõ capiebat amplius, q; vis appetitrix ob materiæ prauitatẽ esset pene extincta. nisi etiã dicatur vim deglutiẽdi, vt fit in moribundis pene defecisse, atq; hoc postremũ vt intelligã, facit mors quæ paulo post successit. Est etiã & aliud obseruandũ, de vrina farinacea, seu κριμνώδει, scilicet eam esse, in qua sedimenta fiunt farinam crassiorem æmulantia, & quæ cum significet ingentẽ vstionem, inter deterrimas ab Hipp. recensetur, secundo prog. quemadmodũ alba & tenuis secundũ liquorem: At dicet aliquis quomodo potuit vrina simul esse tenuis alba cum subcrasso sedimẽto. & cur de 11. die nil aliud adnotauit, quam ipsum ea die occubuisse? Vrina crassa seu turbida

bida (idem enim vtrumq;) vt Gale. dicit primo de cris. 12. interdum mingitur crassa & remanet, interdum non remanet, sed videtur clarescere paulo post subsidentia facta huius vel illius generis, & vbi clarescit, interdũ ipse liquor remanet mediocris, qui non est ita malus, interdum albus atq; tenuis, quæ conditio mala est, & ab Hippocrate damnata; præsertim quando & ipsamet subsidẽtia mala est. Etenim & crudos simul & exustos succos exuberare signum est. De Vndecima vero nil aliud notauit quã mortem, quoniã vel nil noui superuenit, cum iam in decima propinquæ mortis, æger potum, id est sorbitionem cibalem non accipiens indicium dedit; vel obiit inchoante vndecima, nam qui à morbo victi sunt plerumq; finire vitã & morbum solent initio dierum decretoriorũ, quasi nequeãt inchoare pugnã, sed statim in primo insultu cedant; q; potissimum contigit Sileno, quia exacerbationes ei fiebant principio diei, & certum est, quod scribit Hipp. ea hora plerumq; fieri mortes qua fiunt exacerbationes: Post relatũ Sileni funus notat Hippocrates tria, Vnũ est à principio vsq; ad finem spiritum magnũ & rarum habuisse, quod in quatuor ęgris ex quatuordecim primæ cõstitutionis obseruauit Gal. tum in his com. tum secundo de diffic. resp 2. Aliud est hypochondrii palpitationẽ perpetuam ei fuisse. Tertium & vltimum ætatẽ ægrotantis fuisse circa vigesimum annum. Quod spectat ad primũ iam alias dixi, Hippocratis ętate nondũ disciplinã pulsuum fuisse exciltam, forsan nec excogitatam, quam Heroph. Hippocrate posteriorem omnium primũ tradidisse, ac ob artis subtilitatem fuisse desertum à sequacibus memorat Plin. lib. 11. cap. 37. in fine. vnde solius respirationis potius quam pulsus mentionẽ facit, siq; interdum meminit pulsus, facit rarissime & quasi aliud agens. Caussa aũt cur Hippocrates potius respirationis, quam pulsus curam gesserit, est quia à respiratione possumus cognoscere plurimas affectiones, quæ voluntate reguntur; in pulsu autẽ non ita, & propterea non est verũ pulsum dari Amatoriũ & fortasse Erasistratus ille in respiratione potius quã in pulsu deprehendere potuit illius iuuenis amorem. Spiritus autẽ magnus & rarus cum (vt ait Hippocrates primo progn. 24.) proprius sit delirantiũ, qui ob feruorẽ febris plurima respiratione indigentes, atq; ob mentis errorem respirare quandoq; obliuiscentes eum ita reddunt, rationi consentaneũ est, Silenum, si habuit huiusmodi spiritum perpetuum, à primo quoq; die nõ bene constitisse mente, etsi forsan conspicui delirii notę duntaxat secunda die cœperint apparere; atq; hoc sane fuit in Sileno admirandum, qui statim mentẽ turbatam habere cœperit. Quod aũt ita sit manifeste docuit Galenus secundo de diffic. respir. cap. 10. vbi dicit, Philiscum & Silenum non habuisse alias caussas quam delirium respirationis raræ & magnæ. imo eodem lib. cap. 3. vberrime monstrat hanc respirationem esse delirij propriam sequacem, quod ante ab Hippocrate monstratum est prog. loco citato; & licet nõ semper in hoc fiat mentio delirij, quod forsan aliquando cessaret ex toto propter hoc tamen haud est negandum quin fuerit cõtinuum. Circa secundũ illud est obseruandum, quod alias etiã monui nomine Hypochondrij simpliciter prolati interdum apud Hippocratẽ intelligi dexterum, vbi scilicet iecur situm est, vt præclare docuit Galenus. interdum vero vtrumq;, hic aũt vtrumque hypochondrium accipi oportet, cum nulla alia sint relata signa, iocinoris aut solum aut principaliter patientis: Quid vero sit παλμὸς, seu palpitatio, cuius Hipp. in Coacis quoq; & alibi meminit, vt lib. 3. Epid. ægr. 3. & 1. lib. ægr. 4. & ægr. 4. lib. 3. atq; alibi, non est ita cõpertum; hoc enim vocabulum interdũ vsurpat pro vera palpitatione, quam diffiniuit Gal. lib. proprio esse motũ inuoluntarium partium, quo sponte attolluntur, atque vicissim deprimuntur. interdum, vt Aristot. etiam lib. de respiratione & spiritu pro percussu arteriæ alicuius, vel adspectabili, vel non adspectabili & præsertim vel cubiti, vel illius magnæ arteriæ, quæ dorsum perreptat, Galenus de palpitatione Sileni loquens, videtur eam habuisse sententiam, vt fuerit pulsatio arteriæ dorsalis ob inflammationẽ hypochondriorum, quod etiam mihi maxime placet, modo nõ veram inflammationẽ, sed φλόγωσιν potius intelligamus; Iam vero pulsatio huiusmodi sicut in brachio insaniam, vt secundo Epid. habetur,

ſic in hypochondrio tumultum atque delirium futurum vere ſignificat, vt monuit Hippocrates ſecundo progn. Cur vero ætatis Sileni meminerit, quod non fecit in Philiſco cauſſam putauit Gal. quod cum initio fuerint atrociſſima ſymptomata ob quæ debebat 7. die vel etiam ante extingui, ne quiſpiã miraretur, addit fuiſſe virib. maxime valentibus, vt ſunt in ætate 20. annorũ conſtituti, ob quas fuit diutius protractus morbus quam in Philiſco, qui forſan vel ob ætatẽ, vel ob aliud quippiã vires handquaquã ita validas habebat. Nam certum eſt ex omnibus ætatibus rarius perire conſtitutos intra 18. & 35. an. ſcilicet ꝙ tunc calor maxime robuſtus, ac propterea vires, quæ illo vno fulciuntur, validiſſimæ ſint: Sed poſſumus & aliam rationem adducere, vt ſcilicet oſtenderet iuuenes etiam robuſtiſſimos grauiſſimis morbis tentari, quaſi moneat poſteritatem, ne iuuenes confiſi viriũ robore errores in victu cõmittant, ſicut fecit Silenus. Vtrum aũt fecerit quicquam ad mortẽ inducendam, ꝙ circiter annũ climactericum nempe 21. eſſet, quos climactericos credit vulgus fatales eſſe, nil affirmare audeo, ſcio enim grauiſſimos auctores huic populari ſententiæ aſſenſiſſe. Sed ſcio quoq; Hipp. nil aliud hac de re ſcriptũ reliquiſſe, quam ꝙ habetur 2. Epid. ſ. perituros neceſſario die, menſe, & anno imparib' mori. Sed poſtquam iam miſer Silenus funeratus eſt, atq; conſonũ eſt eum fuiſſe remediis vel ab Hip. vel ab aliis tractatũ, ſupereſt, vt inueniamus, vel quæ remedia fuerint adminiſtrata, vel ſaltẽ quę debuerint rationabiliter adminiſtrari. Et quoniã medici munus eſt vnam ægrotantis ſalutẽ prę oculis ſemper habere, ad eamq; cunctos ſuos ſcopos dirigere, primũ oportet qui ſcopi, quæve indicationes in ſimilibus morbis eſſe debeant, reperire: tũ eis ſatisfaciendi accõmodata remedia, remediorumq; materias inuenire. Scopus itaq; primus & principalis cũ ſit auferre morbũ, qui eſt lædens, ad eum reſpicere nemo poteſt, niſi prius quis & vbi ſit cognoſcat diligenter, quo fit vt ante cætera oporteat naturæ morbi cognoſcendæ operam dare, ſiquidẽ ea ignorata minime expugnari poteſt. Fuit igitur morbus Sileni præcipuus febris cũ hypochondriorum tenſione inflammatoria, ſed nõ vera inflammatione. Vnde Galenus dicit viſam eſſe non ſimpliciter inflammationẽ, ſed quandam inflammationẽ diaphragmatis; dicebat aũt 1. & 3. de criſi circa negocium de febribus quatuor ſpectari oportere, ideam, magnitudinẽ, motum, & morem. Idea febris fuit continua ex genere ardentiũ, cuius focus fuit in hypochondriis prope iecur & ſeptũ tranſuerſum; non enim in ipſo tranſuerſo ſepto, alioqui debuiſſet reſpiratio nõ eſſe rara, ſed frequens; fuit aũt prope iecur, quia deiectiones quæ apparuerũt ſtatim fuerũt bilioſæ, ſinceræ, ſaturatæ, quæ fiunt ab ingenti calida iecinoris intemperie, vt Gal. docet 8. de med. local. 7. humores vero, qui putreſcebant erant varij ſucci crudi & ſeroſi ex errorib. in victu cõmiſſis cumulati; præterea pituita & bilis vtraq; vt oſtẽderunt lotia quandoq; nigra, quandoq; bilioſa, ſincera, tranſparentia & alba. Magna febris erat ꝓpterea quod magna quoq; ſtatim fuerunt accidentia ſitis, vigiliæ, deliria, inquietudines. Motus etiã celerrimus fuit, cũ ſtatim ad augmentũ deuenerit; & ni adiuuiſſet viriũ robur, cito etiã interficere eum debuerat. De more aũt iudicandũ eſt fuiſſe malignũ, tum quia febres omnes quæ ſequuntur viſcerũ accenſiones malignæ exiſtimantur ab Hipp. & Galeno 2. progn. tum quia accidentia quæ ſuperuenerunt à prima die fuerunt praua. dicebat vero Galenus tertio de criſi ab huiuſmodi accidentibus bonis vel prauis febrium iudicari mores, vt ſunt deliria, ſudores, refrigerationes extremorũ, difficilis morbi tolerantia, exanthemata. Itaq; cũ talis exiſteret febris, indicatio erat putredinem factam euacuandi, quę fiebat prohibendo; probibetur aũt putredo, ſi calor febrilis, qui eſt author putredinis tollatur refrigerantib' & moderate ſiccantib. nec non obſtructiones, quæ augent calorẽ & humores ad ſuſcipiendã putredinẽ diſponunt, auferantur: ſimulq; ſymptomatib. vrgentibus & quodammodo vim morbi agentib' occurratur. Ergo primũ fuerat inſtituendus victus refrigerans, moderato exſiccans, aperiens. Vnde aer eligi debuit frigidus, ſiccus, ſin minus ꝑparare cõueniebat flabellis, irrigationib. aliisq; aerẽ refrigerãtib. ſomnus etiã ꝓcurari debuit, ſine quo nullę bonę coctiones in viſcerib. fieri

poſſunt,

possunt, vt iure dixerit Hippocrates sexto Epidem. sect. quinta, tex. decimo, laborem esse alimentum carnibus, & articulis, somnum autem visceribus. Animi passiones moderandæ, abnegatis scilicet cogitationibus prauis, mœrore & mæstitia, ab omni motu corporis abstinendū, imo etiam à frictionibus, nisi gratia auertendi à capite molles factæ essent: nam febriculosas esse dixit Hippocrates; & quod pertinet ad motum animaduertendum est, ne surgant ad edendum, vel ad aluum exonerandum, quoniam sæpe fit vt in animi deliquia, & in alia detrimenta incurrant, nisi iacentes huiusmodi necessarias actiones obeant. Si aluus non fluxisset erat sollicitanda vel clystere, vel glande, & in omnibus febribus maxime diligo, quemadmodum etiam Auicen. vt si potest qualibet die aluus, nisi sponte fluat, excitetur, quandoquidem fœces quanto minus retinentur, minus feruent, atque intestina magis refrigerantur, præsertim si ex ptisana, vel sero, vel aqua hordeacea fiant clysteres, atque egelidi iniiciantur; hoc est vix frigoris expertes; nam etiam ex aqua frigida in febribus ardentibus fieri consueuisse ab Hippocrate, ipsemet testatur in libro de affect. internis: quod scriptum etiā inuenitur apud Oribasium octauo collect. cap. vigesimoquarto. & exemplum habetur quinto Epid. in casu Antimachi vxoris; qua in re debet medicus prudens esse, vt scilicet mensura clysteris magna vel parua, & qualitas aeris vel blanda vel mediocris pro ętate, natura, & regione eligantur. Etenim vt docet Rufus apud Oribasium citato loco fœminis plus clysteris, quam viris est iniiciendum, minus pueris quam adultis. In ardentibus & acutis vitandi sunt acres clysteres, sicut in teneris corporibus, Gallos, Thracas, atque Italos non ferre acres clysteres dicit Oribasius. Quod vero spectat ad inanitionem & repletionem, debet medicus curare ne æger nimis repleatur, seu euacuetur: habemus enim primo Aphorism. ægros magis peccare in victu tenui &c. Circa potum & cibum in huiusmodi casibus debet medicus accuratus & solers esse, nimirum vt à vino abstineatur, in qua re scio complures medicos esse negligentes, ac libenter ipsis ægrotantibus assentari, cum tamen Galenus etiam in febribus tutissimis primo ad Glauc. noluerit concedi vinum ante concoctionis apparitionem. Et in lib. de Marcore minime ausus est in eo affectu concedere vinum, etiamsi vires collapsę sint. Plinius etiam lib. vigesimotertio, cap. primo, omnium medicorum fuisse consensum scribit, vt febricitantibus vinum negaretur: Nec valet Hippocratem in dulsisse vinum faciliter in lib. de morbis, atque etiam in libris acut. quoniam illi libri sunt magna ex parte doctrina Gnidiorum, qui in victu errabant pleni: in his vero si quando vinum cōcedit, id semper intelligendum est vel magna necessitate postulante, vel morbo inclinante; præterquam quod tempore Hippocratis quædam ægris concedebantur, quæ si nostro tempore darentur omnes risum excitarent, vt exempli gratia, catulorum caro, quæ frequentissime illis temporibus in ægritudinibus adhibebatur: quod etiam apud Sextum empiricum in Pyrrhonicis legitur. Loco antem vini sunt multæ potiones vsitatæ aqua cocta simplex vel cum succo limonum, vel cum succo granatorum, cum saccaro; posca, aqua hordei, aqua è carnibus pullarum, per sublimationem extracta. Non me latet ab aliquibus damnari succum granatorum, quod scriptū sit à Galeno secundo de alimen. fac. etiam dulcia granata, non carere vi adstrictoria, atque adstringentia in febribus putridis caneantur. Verum si parum succi multæ aquæ cum modico saccaro misceantur, non video quid adstrictionis inesse possit, quod noceat; præterquam quod succus acidorum punicorum vim habeat resistendi putredini, refrigerandi, & modicam aut nullam adstringendi si ita paretur; verum est tamen dulcium succum non ita à me probari, quod facilius putrescat, vt propter hoc nobilissimus author Theophrastus libro quinto de causis plant. dixerit acida punica, dum fiunt dulcia, citius putrescere, quam dum permanent acida: & memini dum profiterer Bononiæ à me quadā æstate in qua incredibilis copia huiusmodi vini consumpta est, cōplures ægros ista potione fuisse adiutos; debet tamen semper potus esse frigidus, præsertim æstate, vt colligitur ex Galeno septimo Meth. de melca. & Auenzoare lib. primo, trac. de-

cimosexto, cap. 6. de aqua hordei. Hippocrates etiam in fine tertij de morbis multas refrigeratorias potiones proponit, & inter alias mixtionē vnius partis vini Thasij cum 20. aquæ: vt etiam de vino Maronæo scribit Plinius; sed hoc est potius ostendere quam concedere vinum, vt dixit ille medicus Galeno similem vini potionem indulgenti. In cibis panatella cum succo seminū melonum vel recentium, vel aqua frigida maceratorum, ptisana veteribus vsitatissima, succus ipse seminum melonū conueniunt: sed cauenda semper sunt huiusmodi semina vetusta, quoniam (vt ait Hippocrates secundo de diæta) inflammant, nisi vt dixi diu prius sint frigida aqua macerata. Panis lotus quoque bonus de quo in Varijs lect. locuti sumus: sed in pane eligendo semper illud obseruandū, quod initio suæ medicinæ dixit Anenzoar cum à prima coctura die non esse manducandum quod amittat temperatā complexionem, & difficiliter digeratur. Iuscula quoque paruæ pullæ concedi possunt, præsertim in progressu morbi; necnon herbæ ipsi in coctæ, & succo limonum aspersæ, vt lactuca, endiuia, acetosa, pimpinella. De ouis dubitant aliqui an debeant in febribus administrari, quemadmodum etiam de carnibus, eo quod calefaciant, facileq; corrumpantur; & putredini vberem segetem & materiā suppedirent; cum Auenzoar lib. tertio, tract. primo, in fine, omnes species carnium citissime in febricitantibus conuerti ad putredinem asserat. Sed oua sorbilia & tremula, quæ mediæ materiæ facit Celsus minime debent negari; præsertim post quartam diem, quod, vt dicebat Plinius, nihil est, quod in aduersa valetudine æque alat, neq; oneret, simulque vim cibi & potus habeat, Carnes similiter paruæ pullæ non damno, maxime cum viribus firmioribus est opus, & si cum ipsis coquatur oxalis, borrago, endiuia, pimpinella, vel redactis iis in succū adiiciatur limonis, aut citri succus, vel expressum ex ipsis paratum balneo mariæ vel prælo exhibeatur modicum. Id tamen de quantitate semper in cibandis grauiter, & pestifere febricitantibus est cauendum; ne, quod faciunt mulieres, multus cibus exhibeatur, quoniā cum nequeat coqui, necessario largus putredini suggeritur fomes, vnde vt præclare dixit Hippocrates septima Aphoris. 62. si quis cibum febricitanti præbear, sano quidem robur, laboranti autem morbus: & multi ægri propter hoc dum proximi sunt morti valde biliosas & fœtidissimas fœces reddunt. Hora cibationis est vel in remissionibus symptomatum, vel vt ait Auicen. hora consueta sanitatis tempore, atq; frigidiore. Instituto victu illud statim cogitandum erat de refrigerando corpore, deq; plenitudine tollēda, ac locis præparandis; pro vsu deobstruentium, quod cum fiat omniū commodissime per sanguinis missionem, non est dubium quin hoc in casu Hippocrates iusserit sanguinem è vena secta, etiam in copia mitti; non est autem locutus ea de re quoniam nimis vulgare fuisset docere se rem fecisse à nemine prætermittendam; quis enim est adeo male fortunatus medicus, qui in iuuene robusto, repleto, ac morbo magno laborante non statim admittendū sanguinem accedat? cum Hipp. vbiq; videatur constituere hos duos sanguinis mittendi scopos ad quos respiciendum est medico, scilicet morbi magnitudinem, & viriū robur; quinimo probabile est, cum videret humores sursum in caput ferri, atque hypochondria æstuare non semel tantum misisse; & forsan etiam ab infernis partibus, secta vena poplitis, aut tali. Etenim hirudinum vsum in extrahendo sanguine hodierna die vsque adeo medicis familiarē, Hippocrati atq; aliis veteribus aut ignoratum, aut minime probatum fuisse comperio, & Aristot. semel tantum mentionem huiusmodi animalculi fecit. Quod Hippocrates quandoque meminerit βδέλλης, vt in secundo Prorrhet. id pleriq; veteres putarunt esse dictum de vena varicosa, quamquam Galenus in explic. linguarum & Erotianus in Onomastico de ipso animali dictū velint, cuius etiam in fine Poeticæ mentionem fecit Horatius dum dixit, Nō missura cutem nisi plena cruoris hirudo; sic etiam Plautus in Epidico. Iam me vortam in hirudinē, atq; horum exsugebo sanguinem; quod ante quoq; dixit Theocritus in Pharmaceutria dum amorem hirudini confert, & Oppianus lib. 2. vbi loquens de Delphino & Amiarum pugna similitudine vtitur ab hirudinibus ducta, sed etiam si à veteribus

teribus hirudinum tamquam sanguinẽ exsugentium facta sit mentio, haud tamen facile est reperire eas ad extrahendũ à corporibus ægrorum sanguinẽ adhibuisse, nisi quispiam producat Nicandrum in Theriacis scribentem quandoq; morsus venenatos ab hirudine exsuctos curari, quod tamẽ nil facit ad id quod quærimus, scilicet, an veteres medici hoc animali tanquam euacuandi ab ægris sanguinis instrumento vterentur? Celius Aurelianus & Plinius certe forsan omnium primi vsus huius animalis in extrahendo sanguine meminerunt, ille Acut. lib. 3. cap. 3. in synanches curatione vbi ab ægro formidatur cuspis ferri, sanguisugam apponi iubet, hic vero lib. 32. cap. 10. eundem hirudines præstare vsum ad extrahendum sanguinem, quem cucurbitulæ tradit, quas tamen id vitij testatur habere, quod relinquant remedij desiderium singulo anno in iisdem partibus, quæ res forsan ab ipso dicta fuit de hæmorrhoidibus, attamen etiam podagricis eas adhiberi solitas tradit. Antyllus quoque Galeno vt puto posterior apud Oribasium septimo Collect. cap. vigesimoprimo, de hoc remedio loquens videtur innuere ipsarum vsum tempore suo innotuisse, nec adhiberi solitũ nisi timerentur alia mittendi sanguinis instrumẽta, addens non ex profundis partibus; sed tantum è superficie sanguinem exsugere. Galenus certe nunquam, quod sciam, huius remedij meminit, & liber qui eius nomine circumfertur, est Oribasij non ipsius Galeni, quemadmodum etiam ipsius nõ est liber ille Diffinitionũ medicarum, vbi scribitur adhiberi solitum hirudines vbi locum affectum tenuiter aperire consilium est. Auicennas quoq; id totum quod scripsit de hirudinibus ab ipso Antyllo apud Oribasiũ accepit, & valde miratus sum scholiastis Auicennæ oscitantiam qui nõ viderit ea, quæ sub Galeni nomine hac de re edita sunt, cuncta esse ipsissima Oribasij ex Antyllo verba, sicut etiam quæ apud Aetium referuntur libr. 3. cap. 22. ex Galeno non ipsius, sed eiusdem Antylli sunt, cum Galenus nunquam alias meminisse hirudinum, tanquam instrumenti ad extrahendum sanguinẽ vsurpati inueniatur. Paulus certe vbi tractat de dolore capitis in febribus, commemorat hirudinum applicationem sed nil præterea, adeo vt clare pateat huiusmodi præsidium à principibus medicinæ fuisse neglectum tanquam inutile, & forsan periculosum; præterquã quod si morsus & foramen attendatur, quod facit animalculũ huiusmodi, plane vsq; adeo angustum est, vt necesse sit crassiore sanguine intus relicto, tenuiorẽ duntaxat exire, & quod dicit Auicennas magis attrahere ex profundis partibus hirudines cucurbitulis apud me valde suspectum est, tum quia est contrariũ sententiæ Antylli apud Oribasium tum quia contratiatur etiam Galeno, qui duodecimo Meth. dicit cucurbitulas esse inuentas ob violentiũ à profundis partibus attractum; quamquã idem Auie. qui videtur huiusmodi inuentum tribuere medicis Indis, nullius alterius ipsarum vsus memoriã facere videatur, quam in cutaneis affectibus, & Iacobus de Partibus dum eam partem interpretaretur scripsit etiam interdũ adhiberi hæmorrhoidib. cæcis & dolorosis, quasi vero neq; in febrib. neq; in aliis morbis vt fit hodie passim, adhiberetur: & ego cum obseruauerim sanguinẽ semper tenuissimum ex angusto illo foramine exire non ad euacuandũ illum sanguinem crassum vt faciunt plerique, vror, sed duntaxat ad auertendum impetum vaporum, vel sanguinis à capite. Cum ergo non sit verisimile Hippocratem vsum fuisse hirudinibus, relinquitur videre num potuerit vti cucurbitulis, seu scarificationibus: certe euacuato sanguine forsan apparẽtibus octaua die exanthematib. locus fuisset vsui cucurbitularũ; maxime in partibus infra renes ad auxiliandũ ipsi naturæ pellenti prauos humores ad conuenientẽ locũ. At cum permaneret, & nulla signa coctionis apparerent, æquũ erat illum motum fuisse symptomaticum, & propterea non immitandũ, sed forsan præstitisset locum cutis mollibus, & moderatissimis frictionibus ac aliquo linimento, vt oleo, nitro laxare, atq; naturæ expellenti magis patefacere, quemadmodum narrat idem Hipp. sexto Epid. com. secundo, tex. 30. de Simone cui exanthemata lata contigerunt, non admodum pruriginosa, & quotiescunque ad ignem vngebatur, vel calida aqua lauabatur, iuuamentum percipiebat: nam vt optime narrat Galenus, etsi non

adeo hæc expulsio contulerit vt potuerit Silenum liberare, protraxit tamen vitam ad vndecimam, quæ debebat finiri saltem nona, nisi natura conata esset expellere inimicam materiam. At de Scarificationibus sciri debet, eas frequenter ab antiquis vsurpatas inueniri, imo vero Galen. quarto de Tuend. val. cap. quarto, vbi venæ sectio impeditur, ipsius loco Scarificationes cõmendat: sed valde diuersæ erant scarificationes à cucurbitulis scarificatis, vt ex Oribasio colligitur lib. octauo Collectaneorum. Ceterum quod spectat ad alia remedia pro præparandis humoribus, & vincenda putredine, confectiones ex soncho oxalide, scordio conuenissent, similiter & decocta, quemadmodum pro somno conciliando linimentum temporibus adhibitum ex oleo violato, philonij modico & limonum succo; pila ex opio, oleo anethino, puluere papaueris, & mandragoræ, atque lotiones extremorum ex decocto foliorum salicis, vitis, capitibus papauerum, vna cum ligaturis repetitis. De Pharmacis vt aliqua dicam, veteres ea diuiserunt in externa, & interna: interna adhuc in quatuor genera, videlicet in lenientia, purgantia, alterantia, & corroborantia: lenientia appellarunt ea, quæ aluum blandissime subducunt, in Sileno antẽ huiusmodi medicamenta non conueniebant, quoniam habuit aluum fluentem. De Cassia, manna, thamarindis veteribus ignotis; & huiusmodi dubitaruut nonnulli, an in his febribus conueniant? & ego certe ab humidis medicamentis quantum possum abstineo: Manna non displicet, sed præ cæteris clysterem laudo, nisi quid impediat. Præparantia dicuntur ea, quæ aperiunt vias, humores attenuant, & intemperiem corrigunt, iam vero in huiusmodi febribus humores sunt teterrimi & flagrantes, præparantia ergo debent esse refrigerantia, aperientia, exsiccantia, & putredini obnoxia, vt sunt decocta ex pimpinella, soncho melissa, endiuia, oxalide. Et quia omnes febres pestiferæ sunt ardentes nonnulli commendarunt vsum aquæ frigidæ indiscriminatim: de quo remedij genere alias dicam, nunc sciatur in his febribus, refrigeratoriis vtendum esse. In hoc genere sunt quoque ea, quæ putredini obnoxia sunt, vt Bolus armena & lapis Bezoar, & alia huiusmodi, quæ si non iuuant saltem non lædunt. Cauendum autem est omnino à dulcibus, cum magna ex parte hi morbi sint biliosissimi, in quibus dicit Hippocrates secundo Acut. magnopere fugienda esse dulcia, quare nunquam potui laudare vsum syruporum nostrorum, tum quia ægrorum gustui ingratissimi sunt, tum etiam quia facillime bilescunt. A purgantibus medicamentis veteres in huiusmodi febribus omnino abstinebant, & Hippocrates in his historiis nunquam in febribus acutis de purgantibus medicamentis mentionem facit. Quapropter ob eorum insignem caliditatem omnino euitanda sunt. nisi tamen interdum materia turgens secundum Hippocratis præceptum exigat: quo in casu mitiora, vt veratrum nigrum, rhabarbarum, agaricus, aliis grauioribus anteferre licet. Corroborantia veluti sunt Confectiones ex rosis, borragine, citro, & similes aliæ in vsu quoque esse possunt, & pro varietate viscerum debilium, sic sunt variæ eligendæ vt pro capite, confectio ex Saluia, Rorematino. Pro stomacho ex Menta: Pro iecinore ex cichorij tum folio, tum flore. Pro splene è capparibus, & sic de singulis. Pro corde habemus apud Pharmacopolas lætificantia Almansoris & Galen. species cordiales diamoscum, sed præ cæteris maxima cura semper est habenda ventriculi, qui, vt ait Galenus primo de Cris. in omnibus febribus semper ante alia viscera violatur. Et hæc de Sileni miseriis.

HISTO-

HISTORIA TERTIA.



EROPHONTI febris acuta: ab aluo pauca qualia in tenesmo secundum principia. Post hæc autem tenuia prodibant, biliosa, subcontinua: somni non aderant; urina nigra, tenues. QVINTA *mane surditas: exacerbata sunt omnia; lien intumuit: hypochondrij contensio: ab aluo pauca, nigra exierunt, mente motus est.* SEXTA *delirauit; in noctem sudor; refrigeratio: delirium perseuerabat.* SEPTIMA *virium frigebat; sitibundus; desipuit, nocte ad mentem rediit, dormiuit.* OCTAVA *febricitauit: lien imminutus est, intelligebat cuncta; doluit secundum inguen: tumor primum lienis secundum rectitudinẽ: deinde dolebat secundum vtraq; crura: noctem faciliter: vrinæ coloratiores, subsidentiam habebant paucam.* NONA *sudauit; iudicatus est; intermisit.* QVINTA *reuersus est: statim autem lien eleuatus est. febris acuta: surditas rursum: post recidiuam autem* TERTIA *lien fuit imminutus: surditas minus: crura dolorosa; nocte sudauit: iudicatus est* DECIMASEPTIMA: *neq; delirauit in recidiua.*

HEROPHONTI FEBRIS ACVTA. Cur Hippocrates in hac tertia historia solius nominis ægrotantis fecerit mentionem, dimiserit vero habitationem, atq; alia quæ interdum solitus est adiicere? puto caussam fuisse, quod hic vir esset notissimus omnibus, & sibi præsertim, vnde nec plura ob propriã memoriã erat necesse adnotare, neq; etiam vt testimonio aduersus alios vti posset: & cum huius nominis nullum inuenerim virũ celebrem ob aliquam virtutem, aut egregium facinus apud scriptores commemoratum, fit vt credam potius Hippocrati, valde notum fuisse ob aliquam turpitudinem & scurrilitatem, quam ob virtutem, atq; hinc factum esse, vt nisi post quintam diem ipsum visitauerit, vt apparet ex confusa narratione eorum, quæ sibi euenerunt ante quintam, sed vtcumque sit, pauca omnino discutit Galenus circa præsentem historiam, quasique per capita transcurrit totam; illud vnum dicens animaduersione dignum, hunc præsentem ægrum præter expectationem omnem fuisse seruatum: quod si cuncta symptomata quæ prioribus diebus acciderunt, expendantur, iure poterat quis timere eum fuisse moriturum. Atqui nos more nostro paulo diligentius circa ipsam discurremus, illud primum in medium proponentes morbum, quo laborauit, fuisse grauem, à quo cum euaserit existimandum est eius naturam & vires fuisse robustas, proptereaque & ipsum potius fuisse in iuuenili, quam in vlla alia ætate constitutum: quemadmodum etiam suspicor ægrotasse autumno, quo scilicet tempore fieri lienis morbum quo laborauit, ipsemet Hippocrates testatur tertio aphoris. & in lib. de affect. & quanquam ibidem dicat fieri etiam vere lienis morbos: tamen rariores, & alterius generis fiunt. Fuit aũt morbus quo laborauit Herophon duplex, alter quidem primus vt sic loquar, alter vero secundus seu recidiua. ex quo loco colligi potest recidiuæ dies semper esse connumerandos separatim à diebus morbi primi; quasi vero sint morbi separati, non vnus, vt aliquibus male placuit. In primo non fuisse vocatum Hippo. initio morbi, vt retro etiam monstraui, ex eo coniicio, quod explicare symptomatum solius quintæ diei; & aliarum sequentium facit mentionem; alia vero, quæ ante quintam commemorat confusa, & absque vllo dierum discrimine narrat, prout scilicet vel ab ipsomet ægro, vel ab adsistentibus audierat. In primo igitur morbo ante quintam atq; post quintam diem si singula spectemus, quæ euenerunt, possumus existimare quod ad ideã morbi pertinet, fuisse febrem ardentem, atq; ex iis quas dixit retro iudicatas fuisse cum recidiua die decimaseptima; cum tumore lienis minime inflammatorio. Fuit autem febris & magna & acuta, & non boni moris, tum propria ratione, tum etiam ob pessimam aeris constitutionem; Habuit Herephon ante quintam diem acutam febrem cum accidentibus partim ad actiones læsas, partim ad mutata excrementa spectantibus. Inter actiones lesas fuere vigiliæ, inter excrementa mutata fuerunt fœces paucę circa

initia

initia, quales in tenesmo eiici solent, hoc est mucosæ & subcruentæ, post tenues, biliosæ, copiosæ; Vrinæ quoque tenues & nigræ. Vt dicebam verisimile est Hippocratem ad hunc non fuisse vocatum ante quintam diem, atque forsan ob hoc fuisse ipsum notum quidem, sed non nobilem & pauperem, cuiusmodi etiam solebat non raro curare Hippocrates ob singularem pietatem & charitatem quæ erat in ipso. Consueuerunt enim nobiliores, atque opulentiores, vt qui magis metuant mortem, magisque diligant vitam quam prosperitatibus coniunctam degunt, statim atque ægrotant, medicum adsciscere. Quæ vero pauca narrat, puto intellexisse ab ęgrotante, vel adstantibus, siquidem, vt alias dixi, inter ea quæ Hippoc. lib. de affect. proponit percunctanda à medico est, quid patiatur, à quibus causis ægrotet, & quo victu vtatur, num aluus secedat. Cur vero fœces in principio habuerit paucas instar earum, quæ in tenesmo eiiciuntur, deinde fuerint copiosæ, tenues, & biliosæ, puto caussam fuisse, quod ante malo victu sit vsus, præsertim cepis, alliis, porris, ceterisq; herbis & fructibus, ex quibus generati fuerunt succi crudi, acres, & viscidi, qui adhærentes extremo intestino egerendi assiduum atque inane desiderium intulerunt, donec ipsis consumptis successerunt post biliosi, tenues, & copiosi, qui nisi fuissent acrimonia priuati, proculdubio dysenteriam peperissent. A cupiditate vero illa egerendi, atque à secuta post copiosiore fœcum egestione putandum est contigisse, vt prioribus illis diebus dormire nequiuerit, cum qui tenesmo, & alui fluore laborant, continuo excitentur, & egerere aliquid cogantur, simulq; aliquo dolore torqueantur; nam tenesmo laborantes certum est aliquo dolore exerceri, vt propter hoc medici illi apud Cornelium Nepotem in vita Pomponij Attici valde sint hallucinati, dum crediderunt ipsum tenesmo laboraſſe, & tamen omni dolore caruisse. Ceterum quo pacto Herophon vrinas nigras initio habuerit, atque priore morbo defunctus etiam à recidiua euaserit, non ita facile est comprehendere, quandoquidem vrinæ nigræ sunt exitiales, vt Hippocrates secundo prog. & in Coacis: & Galenus primo de crisi. 12. testantur, at in principio exitialissimæ sunt, adeo vt Galenus ipse asserat, neminem ex iis seruari; nisi dicamus nigram vrinam esse duplicem, aliam quæ fit ab vstione sanguinis & consumptione seri ob ardorem; aliam vero quæ ob mixtionem succi atri & melancholici; atque illam esse exitiosissimam, hanc vero non adeo, proptereaque Herophonta fuisse seruatum, cui secundo modo vrinæ fuerunt nigræ, vt ob id quinta die translatus humor ater in lienem, in tumorem illum eleuarit: nam secundum Hippocratem lien solet duorum humorum esse domicilium melancholici, propter cuius depurationem dicebat Plato in Timęo esse factum, nec non humoris aquosi, vt sæpius quarto de morbis scriptum reliquit. atq; ita vsq; ad quintam diem res ægri propositi sese habuerunt, qua die vocatus Hippocrates sua admirabili solertia obseruauit plura symptomata, inter quæ fuit in primis exacerbationē omniū antecedentium esse factam die impari. Atque ex actionibus læsis fuit mane surditas, & in fine desipientia Ex mutatis excrementis: ab aluo pauca & nigra. Ab affectibus præter naturam lienis tumor hypochondrij contensio, quorum omnium vt sigillatim causas perscrutemur, auspicabor à surditate: quam mirū est superuenisse, cum & per vrinas & per aluum, (nam hanc etiam perexisse fluere colligi potest ex eo quod dixit Hippocrates cuncta esse exacerbata) & per ipsum lienem tumidum factum materiam magna ex parte vel euacuatam, vel saltem à capite infra abductā fuisse rationi consonum sit, dicente eodem Hippocrate aphor. vigesimooctauo & sexagesimo. In surditate alui fluxio si contingat, eam cessare, Nisi huic respondere placeat forsan surditatem mane tantum apparuisse, quando scilicet noctē non adeo fluxerat corpus, nec dum humor in lienem lapsus pepererat tumorem & hypochondriorum tensionem. Nam quum dixerit mane fuisse surditatem, nec amplius in primo morbo eius meminerit, mihi probabile fit, nō eam vlterius esse progressam, sed statim desiisse factis in liene tumore & hypochondriorum tensione. Est autem surditas duplex, vna in habitu, altera in habitudine, & quæ est in habitu,

vt ait

vt ait Galenus primo pror.32. vel sit in febribus acutis humore impacto in meatibus auditoriis, aut facultate auditoria mortificata: quæ autem non firmata, sed fugax, & in habitudine est, modo accedens modo recedens, aut fit critice, aut symptomatice, cuiusmodi Herophontis surditas fuit, quæ quinta die non critice apparuit: sed cur facta fuit hæc surditas potissimum die quinta. Ante quintam diem fluxerat alnus, post quintam diem aluus reddidit pauca; factum igitur est, vt illi humores, qui per aluum excernebantur, petierint caput & aures, vnde surdus factus fuit Herophon: & hinc perspici potest quam verissimum sit oraculum Hippocratis quarto aphorismorũ 28. & 60. quando ait. Quibus biliosæ deiectiones sunt superueniente surditate cessant: & quibus surditas est superuenientibus biliosis deiectionibus cessat, quem imitatus Celsus libro secundo, cap. 8. dixit nil plus aduersus surditatem valere quam biliosam aluum. Cur autẽ humores illi in aures delaberentur, caussa fortasse hæc erat, quia antea habuerat auditum obtusum, vel saltẽ alias laborauerat ea parte, dicente Hippocrate quarto aphorismorum 33. quod si cui pars quædam doluerit ante morbum, ibi firmatur morbus: præter quam quod Aristoteles secunda sect. probl. 4. 10. 17. scribit nos maxime omnium sudare partibus superioribus, & præsertim capite atque facie, tum quia calor & spiritus sursum feruntur, secumque trahunt humores, tum quia caput & facies sunt partes humidæ & laxæ, imo veluti fons humoris, vnde distillationes cadunt. Cur porro delirauerit, eadem quæ surditatem caussa effecit, scilicet humorum, aut etiam vaporum melancholicorũ in caput elatio, & retentio: fuisse quoque delirium sicut & surditatem breue, neq; perdurasse facile colligi potest, ex iis quæ subiunxit, nempe sexta die delirasse, atque in delirio permansisse, vna cum sudore & refrigeratione; quem quidem sudorem verisimile est fuisse potissimum circa caput vbi fuisse malum testatur surditas, & delirium; est enim dogma Hipp. vbi sudor ibi morbus. Haud secus quoq; statuendum est de refrigeratione, nimirum illam fuisse maxima ex parte in capite, veruntamen etiam in toto, quod scilicet proprium sit, vel saltem frequens in ardentibus febrib. interiora vri, & exteriora frigere. Sed hoc in loco contingit dubitare, quomodo in sexta die dicat primo factã esse surditatẽ, deinde aluũ esse suppressam, id est pauca & nigra reddidisse, cum potius adstrictio alui faciat surditatẽ, nec valet quod Hippocrates in Coacis dicat surditatem in febribus aluũ sistere, quoniã id non vt caussa, sed vt signum facit. Altera dubitatio est cur Hippocrates in hac historia non meminit respirationis mutatæ cum duæ affuerint caussæ, propter quas debuit mutari, nempe delirium & lienis tumor, cum hypochondrij tensione & surditate; nam Aristot. 11. probl. 4. scribit surdos violentius spirare, & 36. partic. dicit surditatem esse vitium pulmonis, id est, significare pulmonis affectum. Ad primam dicitur Hippocratem ordinem facti, nõ autem rationem spectasse, & cum prius aluus fusa esset rationabiliter surditatem esse factã aluo prius firmata, quemadmodum è conuerso fieri solet, vt surditas alui fluore tollatur iuxta Hippocratis sententiã 4. aphoris. 28. Quod si Hippocrates dixit in Coacis surditatem in febribus aluum sistere, voluit intelligere eandem caussam quæ surditatem facit, aluũ etiam sistere, quæ caussa est retrocessus humorũ biliosorum ab intestinis ad caput. Ad secundã est respondendum, vt Gal. videtur sensisse secundo de diffic. respir. cap. 10. Herephontẽ, necnon Philini Epicratisq; vxores adeo delirasse, vt eius ratione multũ potuerit respiratio alterari, & plusquã conueniebat ratione febris. Adhæc Hipp. non narrat res consuetas quemadmodum in Anaxione pleuritico tacet initio difficultatẽ spirandi. Et Heroph. tumor in liene ac hypochondriorũ tensio haud potuerunt septũ ratione sui ita cõprimere, vt ob id in respiratione facta sit alteratio, siquidẽ lienis tumor nisi grandis sit nõ attingit diaphragma, & consequenter nequit respirationem lædere.

Septima die quæ est & impar, & decretoria nõ pauca cõtigerunt partim die partim nocte. Die enim refrigeratus est similiter secundũ totum ob aucta intestinorũ ardorẽ, vnde pariter aucta fuit sitis, atq; deliriũ secutũ est; nocte vero paulisper respuit atq; dormiuit. Etenim hoc tẽpore cœpisse crisis bonẽ effectũ apparere, scilicet

circa

circa finẽ ſeptimæ indicarunt & præcedentia & ſubſequentia. Præcedentia quidẽ, quoniã nox, vt dicit Hipp. atq; etiam dies præcedentes criſin ſemper moleſtiores eſſe ſolent, veluti cõtigit Herophonti, qui die ſeptima refrigeratus, maxime ſitiuit & delirauit. Subſequentia vero, quoniã octaua die poſtquã ſeptimæ nocte redierat ad mentem, atq; dormierat, febricitauit quidem, ſed lien imminutus eſt, omniaq; ſenſate intelligebat, in inguine dolor apparuit ſecundum rectitudinem lienis, hoc eſt, in ipſo inguine ſiniſtro, deinceps labores vtroq; in crure facti ſunt, noctemque pacatam habuit, & vrinas coloratiores cum modica ſubſidentia: vnde eſt factum, vt ſuperueniente ſudore vniuerſali, quem etiam calidum fuiſſe æquum eſt, non adeo integre iudicatus ſit, atq; priori morbo ſit finis datus. At circa hæc occurrunt nonnulla vtilia ſcitu non omittenda. Vnum eſt cur Hipp. dixerit Herophontẽ octaua febricitaſſe, quaſi vero ante remiſſa, vel potius intermiſſa fuiſſet febris, q; tamen nõ eſt probabile in tam graui morbo. Secundum eſt cur malo exiſtente in liene ad inguen ſiniſtrum duntaxat primũ factus eſt dolor, poſtea vero factus in vtroq; crure, nam videbatur ratio poſtulare, vt & in crure ſolo ſiniſtro fieret dolor, cum ab Hippocrate ſecundo Epid. ſit traditum atq; vſu compertum lienoſis crura ſiniſtra exulcerari. Tertium eſt diſcutiendum quas ob cauſſas parum durauerint criſis ſecutę effectus. Quarto & poſtremo dubitatur quomodo diminuto liene, potuerit reliquum corpus bene habere, cum Hippocrates lib. de loc. in homine dixerit vbi floret lien corpus contabeſcere, & econtra, ac Ariſt. tertio de partibus animalium 7. dicat quibus in liene plus eſt excrementi, iis corpus magis langueſcere. imo idem dicit Gale. 2. de pot. natural. vltimo. & Auic. 15ª. tertij tr. 1. c. 2. Ad primum nil puto melius reſponderi poſſe, quam quod Hipp. voluerit ſignificare tunc febrem auctã eſſe: cum enim antecedente nocte ad mentem redierit, atq; dormiuerit, probabile eſt febrem quoq; paulisper fuiſſe tunc mitigatam, atq; eo experrefacto fuiſſe auctã, proptereaq; dixiſſe ipſum febricitaſſe, niſi quoq; dicere malumus cum noctẽ melius tranſegerit, potuiſſe quempiã ſuſpicari ne febris abiiſſet, ideoq; huiuſmodi ſuſpicionem de medio tollere voluiſſe. Circa ſecundum vere dicendum eſt materiam quæ lienis tumorem effecerat, tranſmiſſam eſſe à natura primum ob vicinitatem & rectitudinẽ ad inguen ſiniſtrum, vbi peperit dolorem, ſic enim facere conſueuit natura, vt viſcera laborantia exoneret ſecundũ rectitudinem, ob quod etiã eſt ſententia Hipp. vt medicus imitans eã in vacuãdo ſanguine ſemper affectę partis rectitudinem obſeruet. Verum quia ſępe vſuuenit, vt materia aliunde tranſmiſſa ob ſui copiam vno tantũ in loco recipi nequeat, natura eã diuidens in plures locos & præſertim inferiores demittit, id quod in Herepbonte factũ apparet, cui, cum in inguẽ tranſmiſſę materiæ à liene non ſufficeret is locus, partim in ſiniſtrum partim in dextrũ crus eſt amandata, in quibus peperit dolorẽ tum caliditate materiæ, tum continui ſolutione. Crura autẽ recipiunt faciliter in morbis, quia agitantur. & hoc eſt quod voluit præ aliis ſignificare Hippoc. quando Epide. libr. ſexto, ſect. ſecunda, dixit lienem habentibus decliuem fieri pedes, & genua calida, naſum & aures frigidas. Sed quomodo potuit habere noctem quietam cum crurum dolore? niſi dicamus dolorem exiguum fuiſſe, quia materia erat magis diffuſa, & ob id ceteris remiſſis hunc non potuiſſe noctis tranquillitatem impedire. Ad tertium dicere oportet criſin præſentis ægri non fuiſſe ex iis, quæ liberant & à morbo, & à recidiua, tum quia facta eſt tantum per ſudorem, cuius modi criſin non eſſe adeo tutam, ſicut ea quæ fit vel ſanguinis è naribus fluxu, vel alui ſubductione inſigni, clariſſime docuit Galenus tertio libro de criſ; tum quia die decretoria minime facta eſt, neq; apparente coctione; tum quia materia morbifica, quę à natura in lienem miſſa fuit, haudquaquam conſumpta eſt, aut egregie euacuata, ſed tantummodo à ſuperioribus ad inferiores partes tranſmiſſa, quod quidem abſceſſus genus valde probatur ab Hippocrate ſecundo Epid. licet non ſit adeo tutum, quemadmodum vbi materia extra corpus mittitur, quoniã ſæpe ea materia retinens veluti fomitem quendam caloris putredinis facile oblata occaſione vel motus, vel alterius cauſſæ cale-

facientis

facientis nouam putredinem concipiens recidiuæ occasionem euidentē præbet, veluti credibile est accidisse proposito nostro, ægro, cui quinta die à subsecuta crisi rediit morbus, statimque fere eadem symptomata apparuerunt, vt videbimus. Ad quartum dicere oportet Hippocratis & Galeni authoritatem esse intelligendam de tumore lienis vetusto & essentiali, non autem recenti & alterius morbi sequace, & quamquam Hippocrates loquatur de tumore cum febre, tamen alia ratio est vt ibi videri licet.

QVINTA DIE. Obseruandum est die impari rediisse morbum, sicuti etiam imparibus antea factæ sunt exacerbationes, quasi vero natura etiam in repetendis febribus easdem rationes seruet, quas in perdurantibus, id quod cognoscens Cornelius Celsus dum loqueretur de febre quartana dicebat, ea finita adhuc diu obseruandam eam esse diem, in qua paroxysmus solebat inuadere. Igitur quinta die à crisi denuo statim tumefactus est lien. Verum antequam vlterius progrediamur videndum est quis fuerit status Herophontis inter diem iudicij & quintam, deinde quid sit recidiua, & à quibus caussis fiat. Quod ad primum videtur fuisse sanus, quia inquit Hippocrates διέλειπε, id est desiit morbus; præterea interuallum quartanæ est status sanitatis, vnde coguntur in iudicium vocati tunc comparere quartanarij iuxta legem, ergo multo magis in hoc interuallo; Ex altera parte adhuc vigebat fomes morbi, alioquin non esset renouatus. Aliqui dicunt esse neutralitatē, sed de hoc non est disputandum. Vnde satius puto dicere Herophontem tunc fuisse morbosum, quia non erat facta perfecta crisis, attamen erat in summa remissione. Ad aliud dicendum vocem ὑποτροπήν, & ὑποστροφήν, seu ὑποτροπιάζειν, & ὑποστρέφειν significare recidiuam, quæ nil aliud est nisi reditus morbi post imperfectam iudicationem, ad differentiam paroxysmorum, in quibus videtur redire morbus, & tamen non est recidiua, & ad differentiam morbi post perfectam iudicationem qui est nouus morbus non recidiua. Recidiua autem fieri solet vel ab internis vel externis caussis, vt colligitur etiam ab Auicenna secunda quarti, tr. primo, cap. 95. nedum à Galeno: Ab internis caussis fit, quando ex præcedenti morbo aliquis fomes relinquitur, vnde nouæ putredini traditur occasio; hic autem fomes vel est intemperies, vel humor, vel vtraq; de quibus iunctis loquens Hippocrates dicere solebat secundo aphor. 12. quæ relinquuntur in morbis recidiuam facere consueuerunt, ait enim εἰώθει, id est consueuerunt, quia non semper, sed frequenter id accidit: quod autem sola intemperie relicta fiat recidiua etiam diu post priorem morbum, ostendit hydrops postquam relicta in iecinore frigida sola intemperies, facile aquam regenerat, vt Traiano atq; Hadriano contigisse narrant. Caussæ vero externæ sunt plures, aer, vnde Hippocrates tribuit aliquibus ex aeris constitutionibus hoc in libro Epide. commemoratis vt facerent morbi recidiuas, præter aerem sunt & omnia alia errata in cunctis sex rebus non naturalibus vocatis, & præsertim in cibis atque potibus, in quibus si excedatur, calor natiuus à priore morbo hebetatus coquere non valens, crudos succos & excrementitios producit, qui iterum obstruentes viscera febribus, aliisque malis occasionem præbent. Et Auicen. de recidiua sermonem faciens loco citato dixit, recidiuationem esse peiorem sua radice, (quod accepit ab Hippocrate libro de affect. ita scribente, τὸ νόσημα ὑποστραφὲν μᾶλλον πιέζει ἢ κατ' ἀρχάς) ac non esse aggrediendam nimis festinanter curationem donec manifestus sit modus ægritudinis, & tutiorem esse recidiuam, quæ fit regiminis errore, quam quæ contingit per se. Iam vero quæ caussæ fuerint in Herophonte recidiuæ non est arduum conuicere; nam in primis fomes relictus fuit, cum non extra corpus, sed ad crura transmissa sit materia: tum etiam quia, vt audietis, cœpit statim lien tumefieri. His omnibus accesserunt caussæ externæ, & primo autumnus quo tempore puto eum ægrotasse, vt antea dixi, deinde mala victus ratio, cum quinque diebus absque medico, & consequen-

ter absque debita victus ratione vixerit. Sed quæ est causa cur autumnus tantum valeat in faciendis morbis, & recidiuis? Triplex est, quantum ipse arbitror, caussa: Prima, quia hoc tempore facultas naturalis incipit esse debilis. Secunda, quia motus, alterationesque fiunt in aere, & in die modo calor, modo frigus apparet, vt dicit Hippocrates tertio aphorismorum. Tertia, quia corpora incipiunt esse clausa. In vere facultas est valens: æstate corpora sunt laxa & aperta: hyeme vero nullus fit motus in aere: sed in autumno omnia ista concurrunt: quare non mirum si vsque adeo morbosus est. Symptomata quæ apparuerunt Herophonti post quintam diem à priori morbo finito fuerunt statim lienis tumor, febris acuta, surditas, quæ omnia sibi contigerunt, prima & secunda die, tertia vero splen subsedit cum minori surditate, crura doluerunt, & nocte sudauit. Iudicatus circa decimamseptimam, hoc est à recidiuatione facta computatione per coniunctionem hebdomadum. Addit Hippocrates non delirasse in recidiua. Ceterum ne hæc nimis breuiter, vt fecit Galenus, à nobis prætermittantur, circa præsentia contemplandum est cur adeo pauca de recidiua Hippocrates retulerit? cum Hippocrates & Auicenna dixerint quemadmodum antea monstrauimus, recidiuam esse peiorem sua racide; Secundo videndum est cur lienis tumor primum omnium symptomatum apparuerit, ac propterea ab Hippocrate sit ante alia obseruatus. Tertio cur surditas affuerit, non autem delirium, nam etiã hoc Hippocrati visum est aliqua dignum admiratione, cum post cuncta, quasi per emphasin quandam dixerit, neque delirasse in recidiua, in qua solent cuncta fieri deteriora. Quarto, cur solutionis febris tertia die non meminerit cum aliorum recordetur. Quinto quomodo dictum sit ab Hippocrate & Auicenna recidiuam esse deteriorem sua radice, & tamen in Herophonte secus contigerit, in quo deterior fuit primus morbus recidiua. Postremo dignum est consideratione cur dixerit simpliciter fuisse iudicatum decimaseptima die cum sudore, cum tamen abundauerit melancholia & liene laborantes non videantur recte iudicari sudore: Adhæc etiam quomodo dicat septima die sit iudicatus.

Ad primum iudico dicendum esse, potuisse Hippocratem ob alteram duarum causarum id fecisse, vel quia non ita sedulo visitauerit ægrum, siquidem solent plerique tædio prioris morbi affecti, non ita sese denuo committere medico, vel quia ipse cætera tanquam exigui momenti contempserit, nec propterea recensenda putauerit; & quamquam plerumque contingat peiorem esse recidiuam, non inconuenit tamen etiam quandoque esse placidiorem, præsertim quando in priori morbo facta est aliqua euacuatio, atque adhibita curatio recta, vt potuit contigisse Herophonti, vel æger post finitum priorem morbum paulo accuratius vixit, etenim sicuti bona victus ratio sæpenumero adimit recidiuam, sic non raro eam, si fit, multo mitiorem reddit: vt non immerito Cornelius Celsus scriptum reliquerit inter cuncta remedia potiorem omnibus esse vitæ temperantiam: & Auicen. loco citato dicebat recidiuationem quæ fit regiminis errore esse tutiorem, quam quæ per se. Circa secundum est apud omnes compertum lienis tumores ob humoris crassitiem esse difficiles superatu, & licet quandoque videantur diminui, atque recedere, nihilominus remanet plerumq; aliquid fomitis, quod facile oblata occasione aliqua iterum inualescit, imo etiã Hipp. lib. de internis affectib. narrat esse aliquos morbos lienosos, qui nisi recte curentur, post duodecim annos redeunt: quemadmodum certum est virus canis rabidi latitare in humano corpore viginti annis, atq; etiã triginta, vt in nostro de hydrophobia tractatu videre licet. Itaq; cum Herophontis lien in priori morbo non sit integre curatus, remansissetq; in viscere praua dispositio, & intemperies, nõ est mirum si iterũ inualuit is morbus, ac propterea est primo notatus ab Hippoc. qui etiam quarto de morb. dicebat cerebrum atq; lienem facillime omnium aliorum viscerum morbis subiici. Accedit quoq; & illud q; videtur prædictus in liene fomes relictus ceteris symptomatib. & morbis occasionẽ præstitisse, vt ob id dicere quoq; liceat ab Hippocra-

pocrate primo loco fuisse enumeratũ, secundo febrem, tertio surditatem; quia vt factæ sunt, sic Hipp. eas seriatim enumerauit. Circa tertium sciendum est, inter lienem, gingiuas, atq; aures magnam esse consensionẽ, merito cuius fit vt in aliquibus lienis morbis fiant putredines, atq; fœtores tam in gingiuis, quam in ipsis auribus, quemadmodum non tantum experientia, verum etiam Hipp. docet lib. de affect. atq; affect. internis. ergo ratione huius cõsensionis facile contigit vt surditas statim cum liene appareurit, præterea à liene affecto crassi & pituitosi vapores iugiter sursum feruntur, qui gingiuis adhærentes, ibiq; corrupti, & dentes, & halitum vitiant, quemadmodum etiam in cerebrum sublati, atq; ad aures delati, aerem implantatũ incrassant, recipiendæq; externi aeris percussioni ineptum reddunt, quo fit vt vel cerebri aliæ partes maneant sinceriores, vel si afficiantur, minime ad eã deueniant affectionẽ, quæ delirium pducat; quod tamẽ non absq; aliqua admiratione efficiebatur, cũ alioquin in recidiua febris quoq; esset acuta, & vtraq; bilis dominaretur, à qua solet delirium produci; atq; ideo magis admirandum videri poterat, cum tertia die surditas esset minuta, & subsedisset simul lien, nisi crura doluissent, quod quidem signum erat materiam & à capite & à liene fuisse in ipsa crura dolentia translatam, atq; etiam sudasse; etenim lienosos sudare vsu quotidiano probatur, & Hipp. atq; Arist. authoritate, quorum ille lienem aquę fontem facit 4. de morb. hic in prob. vocat sanguinẽ lienosorum ichorosum. Ad quartum dicendũ, cum febris sequeretur lienis tumorẽ, hoc sublatò illam etiam necessario desiisse. Hipp. vero, vt sæpe dicit Gal. & præsertim secundo de diffic. respir. quæ necessario consequuntur scribere semper recusat. Ad quintum dicendũ est vere mirum esse, quod fuerit mitior recidiua, quam prior morbus in Herophonte, imo credendum videtur vnam ex caussis quæ impulerunt Hipp. ad scribendam hanc historiam fuisse recidiuæ raritatem, quamquã possumus etiam dicere forsan recidiuam contigisse potissimum ex regiminis errore, quam omnibus aliis tutiorem esse dicit Auicennas. Deniq; cur sudore sit iudicatus, non est absq; ratione, siquidem vt dicit Hipp. 6. epid. com. 2. 38. pauidorũ, id est melancholicorum sanguis est ichorosus, & Arist. 9. prob. 5. dicebat sanguinẽ lienosorũ esse aquosum, imo experiẽtia docet quartanas iudicari sudore, vt Hippostrati vxori 2. Epid. sect. 3. contigit, nec præter rationem siquidem humor melancholicus sua natura calori natiuo aduersatur, qui hebetatus sanguinẽ aquosum producit. Decimo aũt septimo à principio prioris morbi facta est iudicatio, si supputatio fiat per cõiunctionem hebdomadum, non aũt per disiunctionem: dixit autem per emphasim 17. die esse sudore iudicatũ, quasi res insolita sit ea die quemquam perfecte iudicari; quamuis forsan nec ea fuerit perfecta iudicatio. Colligamus ergo hanc historiam quatuor habuisse mirabilia. Quod recidiua fuerit mitis. Quod iudicatus sit sudore. Quod in decima septima, quam ob hoc exemplũ inter iudicatorias ponere Galeno placuit secundo de dieb. decret. cap. 4. Et quod in recidiua fuerit surditas non deliriũ. Modo fas est aliquid de curatione dicamus, tam prioris morbi quam recidiuæ, de qua vt antea quoq; monstrauimus loquens Auic. dicebat non esse eam propeanter aggrediendum, nisi prius cognoscatur morbus, tum quia sæpe solet sua sponte recidiua finiri, tum quia solet finiri interdum in eundem morbum, seu deteriorem, seu mitiorem, qualis fuit in Herophonte, tum quia solet etiam nonnunquã in diuersum morbum recidiuari, cuius vera idea, magnitudo, motus, & mos, nisi prius cognoscantur, frustra atq; periculose circa curationem laboratur. Prius itaq; rationi consonum est fuisse ab Hipp. victum institutum sex rebus non naturalibus, quemadmodũ in aliis antecedentibus ægtis factum indicauimus. Abstinentia vini tanquã necessaria in cunctis similibus febribus semper supponenda est. Ceterum de remediis chirurgicis dubitari potest, nunquid vllum fuerit adhibitum, & magis eam sententiã sequor, non potuisse neq; debuisse Hippocratẽ de sanguine mittendo cogitare, tum quia initio non fuit vocatus, tum quia ille tenesmus ac fluor alui, qui primis quinq; diebus apparuerunt, ex iis sunt, quæ prohibent sanguinis missionem. Veruntamen si vlla cogitatio fuit habenda

circa hoc præsidium, potuit esse quinta & sexta die, quando scilicet aluo adstricta, & surditas, & lienis tumor apparuerunt, quo in casu vena cubiti sinistri, vel tali eiusdem incisio, siue crurum scarificatio fuisset accõmodata: neq; vero vetustas morbi debuit impedire, quod etiam in octaua, atque vlterius possit id remedium administrari, modo scopi præcipui adsint nempe & magnitudo morbi, & virium robur. In hoc genere ligaturæ blandæ, aliaque auxilia diuertentia conuenissent, quod fere semper visa sit materia sursum inclinare. Alia remedia præparantia humores crudos, necnon refrigerantia & putredini resistentia, par est existimare ab Hipp. fuisse administrata: sed quia tempore ipsius non ea placida erant in vsu, quæ nunc sunt ea propter hoc tempore possent administrari varia decocta ex acetosa, sonco, endiuia, borag. tormentilla, & similibus; extrinsecus vero etiam lieni tumenti, & tenso congruisset huiusmodi inunctio. Rec. ol. amyg. dul. capparorum, 6. vnc. i. & sem. pul. cetrach. drag. i. & sem. aceti, & ceræ parum misce, posset addi rosaceum oleum, si dolor coniunctus esset, cuiusmodi etiã oleum detracto cappariño, & asplenio potuisset adhiberi buboni dolenti, tum ad relaxandum locum, tum pro mitigando dolore. Illud enim est perpetuo obseruandum, vt glandibus tumentibus, & dolentibus rarissime adhibeantur repercutientia, quoniam cum sint in id factæ à natura, vt dicebat Hippo. lib. de glandulis, quo recipiant excrementa, ac ob id partes omnium pene sint ignobilissimę, periculum esset, ne vsu repercutientium intro ad partes nobiliores noxius humor pelleretur, quod præ ceteris est cauendum in iis febribus, quæ fiunt ex sordida, grauiq; putredine, idem quoq; dicendum est de colore crurum, quem habuit Herephon, quę partes tametsi à nobilioribus sint bubonibus longinquiores, attamẽ ab ipsis quoq; præsertim in huiusmodi casib. haudquaquam est materia praua, imo vero nec quæ benignior est, sursum repellenda, qua de re alias dicam. Atq; hoc modo videtur Hip. potuisse in medendo incedere in primo morbo; in recidiua, quoniã idem pene morbus, atq; eadem symptomata, sed mitiora apparuerunt, haud aliter quoq; incedendum fuit, nempe cum iisdem remediis, verum leuioribus.

HISTORIA QVARTA.

IN Thaso uxor Philini, cum fœmellam peperisset secundum naturam facta purgatione, & alioquin leuiter degentem in DECIMAQVARTA *existentem post partum febris magna cœpit cum rigore; dolebat autem à principio secundum cor, & circa hypochondrium dextrum; muliebriũ labores, purgatio desierat, apposito autem pessario leuata est: capitis vero, & colli dolores permanebant; somni non aderant; extrema frigida, siticulosa: aluus combusta est, pauca prodibant: vrinæ tenues, decolores à principio.* SEXTA *ad noctem delirauit multum, & rursus sapiebat.* SEPTIMA *siticulosa: deiectiones biliosæ, saturatæ.* OCTAVA *superriguit, febris acuta; conuulsiones multæ cum dolore, multa obloquebatur, exsurrexit: balano apposito multa deiecit cum circumfluo humore bilioso: somni non aderant;* NONA *conuulsiones,* DECIMA *parum intelligebat,* VNDECIMA *dormiuit, omniũ recordata est; celeriter autem rursus delirauit, vrinam vero reddidit cum conuulsionibus affatim multam, raro admonentibus, crassam albam, qualis fit in subsidentibus quando seposita multo tempore turbantur: non subsidebat; color, & crassities qualis iumentorum; talia mingebat qualia & ego vidi: circa vero* DECIMAMQVARTAM *existenti, palpitationes per totũ corpus; sermones multi; parum intelligebat, celeriter autem rursum delirauit. Circa vero* DECIMAMSEPTIMAM *existens; voce priuata est,* VIGESIMA *obiit.*

IN THASO, PHILINI VXOR. Mas & fœmina cum ex facultatibus vt ait Aristot. primo de gen. anim. 2. & instrumentis ac perfectione non parum inter sese diffideant, diuersis quoq; morbis suscipiendis obnoxios esse non est dubitandum, vt propterea Hippocr. qui historias totam artem complectentes nobis relinquere sibi proposuerat, fœminarum exempla non debuerit relinquere; quocirca memorabilẽ fœminæ casum proponit nunc nobis, quæ cum

multa

multa habeat scitu digna, atque ad vsum artis conducentia, nec à Galeno sufficienter examinata, in iis expendendis ipse paulo diutius immorabor. Fuit itaq; ægra, fœmina, viro coniuncta, & puerpera. Addit autem mariti nomen, scilicet Philini Hippocrates, tum vt famæ mulieris, quæ pepererat aliquam rationem haberet, tū vt in casu admirabili fidem historiæ maiorem acquireret. Et posset quiuis de veritate fieri certior; at nomen proprium omisit, quoniam fœminæ honestæ non debet cognosci, nisi nomine mariti. Philinum autem cuius hic fit mentio, hominē alicuius famæ extitisse nō dubito, neque tamen audeo affirmare eum fuisse, quem narrat Aristoteles, siue Theophrastus apud Athenæum libro primo Dipnosoph. & Antigonus libro de mirabilibus, toto vitæ cursu nec cibo nec potu alio fuisse vsum, quam lacte, etsi etiam apud eundem Athenæum libro nono, mentio habeatur alterius Philini commemorati à Stratonico in Phœnicide; In libro nomine Galeni edito, qui inscribitur Introductorius, mentio habetur alterius Philini Coi tanquam sectæ empiricæ authoris. At de his non plura: sat est fuisse hunc Philinum haud incognitum, postquam Hippocrates voluit eius nomine vxorem designare, & casum ipsius notum facere; Qua ætate, & quo corporis habitu fuerit non est facile coniicere, si quid tamē est diuinandum, cum fœminam peperit frigidioris potius quam calidioris habitus eam fuisse suspicandum est: cumque quatuordecim tantum diebus puerperia habuerit, quæ solent in fœminæ partu vsq; ad quadragesimam diem perdurare secundum Hippocratis sententiam libro de Nat. pueri, coniiciendum est non admodum robustam fuisse, alioquin non potuisset dicere Hippocr. ipsam quatuordecim tantum diebus esse purgatam secundum naturam. Verum prius quam vlterius progrediamur, ille scrupulus est eximendus, quomodo si secundum naturam est expurgata ad decimamquartam diem, & leuiter se habuit semper vsq; ad eum diem; potuit in vsque adeo grauem morbum incidere; cum idem Hippocrates libro de Morb. mul. primo asserat, si puerperia recte fluant vix fieri posse, vt quicquam aduersi eueniat. Nonnulli putant hanc mulierem ob aliquem errorem externum vt solent puerperæ interdum committere à febre correptam esse, quasi vero non potuerit vllam caussam internam morbificam habere; cum per puerperia secundum naturam fluentia, quicquid praui est in corpore puerperæ, expurgetur; ego vero non possum existimare ipsum Hippocratem fuisse tacitutū in re tanti momenti caussam externam, si vlla adfuisset, quemadmodum non tacuit in casu Sileni; neq; dicendum sibi forsan fuisse ignotum, quoniam huic ægræ affuit, & diligentia vsus est, vt in vrinis ipsius describendis monstrat, quemadmodum suo loco videbitis. Itaque puto dicendum id quod video etiam Galeno placuisse, nimirum veram caussam & immediatam febris, aliorumque malorum, quæ huic miseræ fœminæ acciderunt, fuisse importunam puerperiorū retentionem, quæ purgamenta cum plerumque praua sint, eo quod quicquid ipsi inest boni, totum ab ipso fœtu consumitur, fit vt Galenus dicit; quod nunquam aut rarissime mulieres bene habeant, quibus non recte fluunt. Etsi enim vsque ad decimamquartā purgata esset secundum naturam & copia & qualitate, propterea que tranquille satis vixisset, nihilominus quia forsan abundabat sanguine pituitoso, & fœminam pepererat, quæ minus sanguinis consumit in vtero quam mas, opus erat vt multo diutius puerperiorum exitus perduraret, siquidem vt antea dicebam in marium partu dicit idem Hippocrates mulieres triginta diebus, in fœminarum quadraginta purgari, quod etiam apud Hebræos notissimum erat, apud quos mulieres non ante quadragesimum diem sese templo ad purificationis benedictionem suscipiendam repræsentabant. Cum itaque Hippocrates dicat die decima quarta & febrem, & puerperiorum suppressionem cœpisse cum muliebrium dolore & cardialgia, sum huius sententiæ à purgatione deficiente cuncta ipsius mala prodiisse, etiamsi Hippoc. in recensendis malis non ponat primo loco menstruorum retentionem, sed alia symptomata, quæ vt maiora erant atque citius apparuerunt, sic magis torquebant. Sed quomodo dicere Hippocrates potuit purgationem successisse secundum rationē,

si duntaxat quatuordecim diebus purgata est: Respondendum, puerperas duplex genus purgationis post partum habere, scilicet secundinæ, & ichorum cruentorũ, necnon illius sanguinis, qui tempore fœtationis in ambitu corporis retentus fuit. Mulieri huic secundarum, & ichorum purgatio recte facta est: at ille sanguis qui retentus erat in venis, non potuit purgari quatuordecim tantum diebus, sed pluribus egebat, vt integre educeretur: vnde vero factũ sit quod post decimamquartã diem desierint purgamenta, vere non apparet, & hoc est quod dicebat Hippocrates primo de morb. mul. morbos mulierũ nescio quid diuini habere, quod scilicet sæpe lateant caussæ retentionum, vel nimiarũ fluxionum menstruorum, à quibus maxime omnium solent muliebres ęgritudines originem ducere, vt ait Hippocrates 5. aphorism. 57. quamquam non diffiteor potuisse etiam aliquem contigisse errorem à quo fuerint suppressæ purgationes, vt mœrores, nuncii tristes, & cibi aut potus crassefacientes, atq; adstringentes, siquidẽ etsi lamentetur Seneca Epist. 96. mulieres suo tempore turpi vita amisisse illud priuilegium, quod tempore Hippocratis habebant, vt scilicet caluitio & podagra laborarent, nihilominus etiam tum haud puto ita fuisse castas, & continentes quin in compluribus errarent. Sed vtcumq; sit, purgamenta retenta, tum in vtero, tum in toto corpore obstructionum occasione putredinem cõceperunt, ob quã in vtero ipso incendium factũ est, atq; ab ipso vapores fœdi & æstuosi per partes nerueas & musculos transeuntes in cor elati febrem cum rigore pepererunt: quam febrem fuisse ex genere hemitritæorũ visus est suspicari Galenus, eo quod ex vrinis, aliisq; symptomatibus apparuerint & biliosi & pituitosi humores putruisse. At si purgamentorum cessatio dedit occasionem ceteris malis, cur ab Hippocrate non ponitur primo loco? Nisi dicamus non visa esse cessare nisi tarde, nam puerperia non fluunt iugiter & continuatim, sed per interualla, vnde non statim animaduertitur vitium, sed post aliquod tempus. Potest etiam aliud responderi, id scilicet quod Hippocrates primo de morb. mul. dicit, mulieres verecundari sua vitia fateri; Iidem vapores iecur atq; ventriculum petentes, eiusq; os mordentes cardialgiam effecerunt, sicut etiam hypochondrii dextri dolorem atq; lumborum & ipsiusmet vteri, quæ omnia inquit subdito administrato vel προσθεμένῃ id est apponenti, vel postquam apposuisset: (nam forsan ipsa sine medici cõsilio vsa est pessario aliquo anodino & balano ob fœces exustas) facta esse leuiora, verum alia mala suborta esse nempe dolorem colli & capitis, lumborũ dolorem perdurasse: adhæc adfuisse vigilias extremorum frigora, sitim, ventris ardorem, alui adstrictionem, vrinas tenues, & initio decoloratas; quę cuncta qua pręcise die fuerint, non testatur, sed tantum monstrat contigisse primis diebus; quod puto fecisse, quoniam tunc parua admodum, aut nulla fuerit visa mutatio, vel quod ipse non fuerit cito vocatus; nam in puerperis raro adhibentur medici præsertim initio, quod lex sit apud mulieres vulgares puerperas manu medica non esse tractandas: illud certe est adnotatione dignum numerare Hippocratem dies morbi non à partu, vt maluisse videntur aliqui Arabes, & præsertim Auerroes quatto, coll. 40. & Haliabbas decimo. Theor. capite primo sed à febre, eo quod partus vsque ad 14. fuerit satis felix, & febris quæ secuta est alia de causa quam ob partum secura est; id enim vt alias videbitis certo obseruatur, vbi malum fit vitio partus, enumerare Hippocratem dies à partu; vbi vero nullam dat febri occasionem partus, numerare à febre. Itaque cum proposita mulier febrem ex retentione purgamentorum incurrisset, eo quod vtero putrescentia inflammatorium affectum attulissent, ex vaporibus inde elatis, & ex sanguine quoque in iecinore retento, factum est vt cardialgiam incurrerit, atque dexteri hypochondrij necnon ipsiusmet vteri dolorem. Cæterum dubitari potest vtrum vtrobique, scilicet & in vtero & in iecinore fuerit vera inflammatio, cum adesset febris acutissima, dolor, & sitis, videtur consentaneum quoque inflammationem fuisse: at si quæ scribit Galenus octauo, de med. local. cap. sexto, consideremus, non videtur verã fuisse iecinoris inflammatio, cum fiant in ea colliquationes carnis ipsius & humorum,

rum, euacueturq; per aluum bilis crassa, valde colorata, & graueolens: igitur puto fuisse quidē phlogosin iecinoris, at vteri inflammationem .i. φλεγμόνην ob laborem consuetum partus forsan aliquantisper calefacti; vnde sanguis crassefactus postmodumq; retentus occasionē attulit inflammationi; & hinc est, quod dolores & capitis, & colli, & lumborum non modo facti sunt, verumetiā perdurarunt: nam subtus lumbos vterum collocatū esse, eumq; habere summam consensionem cum capite, & collo prӕter anatomen docent, quotidie ipsӕ mulieres, quӕ vbi laborant vtero, semper de capitis & prӕsertim anterioris partis atq; colli dolore conqueruntur; Ex quibus affectib. atq; ex ipsa ardente febre consecuta sunt illa alia symptomata, quӕ commemorat cōtigisse ante sextam diem, nimirum vigiliӕ, extremorū frigiditas, quӕ solet febres ardentes ex alicuius visceris inflammatione comitari, sitis magnӕ febris comes, ventris exustio, fœcum exiccatio ob proximū vteri focum, vrinarū tenuitas, atq; circa initia decoloratio. Sed quid voluit significare voce πεσσοθεμένη. Galenus in comm. explicat, scilicet significare vel balanum vel pessarium, & hoc in casu potest vtrumq; intelligi, vnde contulerunt leniendo dolorem, & euacuando fœces, quӕ erant exustӕ.

Sexta die Iam vero quӕ sexta die noua euenerint prosequitur Hippocrates narrare dicens nocte diei sexta ipsam modo delirasse, modo ad mentem rediisse, quod quidem fiebat, quoniam nondum erat in cerebro facta ita magna impressio, vt per essentiam pateretur: sed vapores ab infernis partibus flagrantibus elati erant, qui temperamentum cerebri paulisper violantes eius hegemonicas actiones lӕdebant, & pro vt magis vel minus tollebantur, sic magis vel minus offendebant, vnde notandum quod antea dixi numerari diēs à febre, quoniam partus non dederat occasionem.

Septima. Septima die siticulosa facta est, & excretiones fuerunt biliosӕ, & saturatӕ. Veruntamen cum hӕ excretiones non durauerint, nisi vna die, haud potuerunt veram iecinori inflammationem indicare, quamquam ex phlogosi durante fieri phlegmonem non est dubium, atq; hoc cōgisse muleri facile coniicere possumus: quӕ cūm ante sextam diem simplici calida iecinoris intemperie fuisset tentata, eaq; perdurasset, tādem factus est iecinoris tumor, ac vera inflammatio, vnde sitis ingens, quӕ significatur per repetitionem vocis διψώδης. necnon fœces biliosӕ saturatӕ; nam dictum est antea ex Galeno qui laborant inflammatoria iecinoris affectione iis excerni bilem crassam fœtentem; sic enim significat vox κατακορέα Hippocrati usurpatissima, atq; etiam ipsi Aretӕo in primo dicitur: cap. 13. de immensa iecinoris caliditate loquenti: Et cum iam etiam in iecinore facta esset inflammatio in Septima; quӕ est dies critica, non est mirum si Octava deinde plurima alia symptomata super apparuerunt, scilicet rigor, febris acuta, conuulsiones cum dolore multa oblocutio, surrectio: apposita aūr glande, multa deiecit cum circumfluxu bilioso, sed nulli somni fuerunt: Quod ad rigorem superuenientē cum febre acuta debuisset quidem hoc sympthoma soluere morbum, quia signū erat materiā, quӕ febrem continuā faciebat, in venis putrescentem esse extra venas propulsam, ibique putrescentem dissipari potuisse, vnde Hippocrates 4. aphor. 58. dicebat ei, qui ardenti febre laborat, si rigor superueniat, fieri morbi solutionē, sed cum neq; concocta materia, neque in die decretoria apparuerit (nam Hippocrates quarto aphor. 29. dicit rigorem sexto die factum esse difficilis iudicii) haudquaquam factus est via vlla critica, sed potius à materia acriori, & deteriori reddita, quӕq; percutiens partes neruosas, & rigorem, & post rigorem febrim multo maiorem reddidit: prӕterea superuenit iam ӕgro debili, & febre non deficiente, quod malum esse dicit Hippoc. 4. aphor. 46. hic est mos Hippocratis in his historiis vt vocet febrem acutam, quӕ talis existens incrementum suscipit. Sed notandū Hippocratem dicere fere semper post rigorem succedere vel calorem vel febrem acutā quoniā alioquin certum erat tempore suo nunquam fieri rigorem absq; febre, vt ipsemet dicit in primo de morbis, & vt docet Gal. in sequenti historia atq; alibi; dicens tempore

suo ob ingluuiem fieri solitum sine febre rigorem, quod non erat tempore Hippocratis; rem autem ita esse præ ceteris ostenderunt conuulsiones cum dolore, necnon delirium, etenim iidem fœdi, & graues vapores, qui per partes totius corporis netueas atque sensibiles lati, rigores faciebant, in cerebrum sublati atque per vniuersam ipsius substantiam diffusi, temperamentum eius euertebant, vnde eo violato actiones principes, quæ fiunt ab eius inculpato temperamento iure lædebantur, quemadmodum neruorum principium iidem vapores grauiter percutientes, sæuas conuulsiones inducebant, præterquam quod vterus cum esset inflammatus, suapte ratione principium neruorum consensum trahebat, nō quia nerueus, quoniam sic vt optime dicit Galenus sexto Epid. sect. prima tex. 2. deberet prius lædi peritonæum, stomachus, intestina, septum transuersum: sed ob coniunctionem venarum, & arteriarum, quæ repletæ vt faciunt febres insignes, sic interdum conuulsiones, quamquam vt ibidem dicit Galenus raro hoc contingit. Et vocat Hippocrates conuulsiones cum dolore illas, quæ sunt ingentes & vniuersales. Etenim etsi omnes veræ conuulsiones fiunt fere cum acerbissimis cruciatibus, attamen videmus etiam sæpenumero in febribus malignis fieri conuulsiuos quosdam motus, qui exiguum atque etiam interdum dolorem nullum inferunt, eo quod non ita cunctæ partes grauiter torqueantur. Huiusmodi igitur dolore perculsa infelix mulier, ac delirans aliquando exurgere conabatur, quasi sic mente errans speraret molestiam fuga & surrectione esse depositura m. Sed dicet aliquis, nonne Galenus ibidem dicit, ab inflammato vtero nō fieri conuulsiones? respondetur, non dicere nunquam, sed non multum; nam conuulsiones etiam ab vtero fieri quotidiana docent experimenta; Ad hæc mala mitiganda apposita est glans, vt aluo aliquantisper soluta impetus vaporum ad superiora cohiberetur, & multa cum circumflua bile deiecit, nam vox vsitata Hippocratis, περιῤῥοίας in his met libris alias, necnon in Coacis prænotionibus, atq; alibi significat illum humorem, qui ab aliis corporis partibus in ventrem defluens ipsis excrementis circum circa effluit, sic in lib. 3. Epidem. ægro 16. dixit multas fœces deiecisse cum circumfluo humore. Oribasius etiam libro octauo Collec. cap. 36. mentionem facit fluxus alui περιῤῥὸς vocati. Sed cur potius glande quam clystere, & cur repetiit non adfuisse somnum? De primo Ruffus Ephesius apud Orib. lib. 8. cap. 39. scribit vsum glandium inuentum esse ad excernendas fœces, & præsertim in iis, qui non admittunt clysteres, itemque in pueris, atque mulieribus, & in habentibus stomachum auersum. At quæ fuit glans? puto fuisse vel ex melle & sale communi, vel ex bitumine & resina cum panace, cuiusmodi in suppressis purgationibus mulierum conuenire idem Ruffus tradit. Ad secundum repetiisse suspicor tanquam rem miram, scilicet nil prorsus dormiuisse octo plene diebus, & maxime adhibitis glandibus. Eductis itaque per glandem & fœcibus & biliosis humoribus, nihilominus haud somnum capere potuit, quod tanta esset copia humorum & vaporum, tantusq; in cerebrum impetus, vt ad eum reuocandum minime sufficeret debilis per glandem facta diuersio: Imo vero nona conuulsiones adhuc apparuerunt, quas etsi non dicat fuisse cum dolore, existimandum est tamen eiusdem generis extitisse cuius & anteactæ, quia si excretio facta per aluum nil contulit, ad prohibendas vigilias, multo etiam minus potuit conferre ad prohibendas conuulsiones, quæ fiunt à tristioribus vaporibus, quam vigiliæ, quamquam non est existimandum tota octaua die perdurasse conuulsiones, quippe quæ magno cum dolore fierent Seneca dicente magnos dolores non durare, quia cito vel finiuntur vel finiunt. quod vero DECIMA die minus delirauerit, factum est, quia temperamentum cerebri deprauatum non erat secundum habitum, sed duntaxat secundum dispositionem: delirium enim cum fieret solummodo à vaporibus sursum ex feruentibus succis elatis nō est à ratione alienum ob antecedentem deiectionem non ita vapores in caput irruisse, ac propterea minus delirasse. Sed cur totam VNDECIMÆ diei noctem dormierit, memoriam recuperarit, atque iterum in delirium celeriter lapsa sit, potest contigisse ob aliqua re-

media

media aduersus vigilias administrata tam extra quam intra, sed potuit quoque accidisse quoniam nonnihil pituitæ in cerebro existentis si vi vaporũ acrium & calidorum colliquatum, atq; ita per cerebrum diffusum paulisper illud irrigauerit, atq; ita somnum induxerit, donec dissipata vniuersa illa pituita, iterum & vigilare & delirare cœperit multo grauius quam antea. Nam quæ narrat Hippocrates ab vndecima vsq; ad decimam quartam euenisse, licet fere tota pertineant ad lotij conditiones, eiusmodi tamen sunt vt declarent cerebrum tunc temporis multo magis fuisse violatum. De memoria illud sciendum est, vbi sola deperditur, amitti ob frigus & humidum, vt Galenus tertio de loc. affect. cap. septimo. Vbi simul cum aliis, à qualibet intemperie lędi potest, & vbi tota recuperatur, signũ est omnes alias læsiones cessasse, vnde primo Prorrhet. & in Coacis dicit Hippocrates, phreneticorum euidentia insomnia, scilicet, quorum memoria conseruatur, esse bona. Atqui dicet aliquis, ergo fuerit hoc signum salutare omnium meminisse? verum respondetur bona & salutaria signa debere non modo apparere, verumetiam perdurare, quod huic non contingit, quia statim recidit in delirium. Vrina autem vitiata fuit hoc tempore, scilicet tribus diebus multis modis, nempe secundũ substantiam seu liquorem, secundum contenta, secundum quantitatem, secundũ calorem, secundum tempus, & secundum exeundi modum; Secundũ substantiã, quia erat crassa non solum simpliciter, verum etiam turbata instar vrinæ iumentorum, & instar illius, quæ vbi reposita est turbatur. Etenim scimus sæpenumero contingere, vt vrinæ alioquin clarissimæ redditæ si paulisper sub dio maneat, confundi & turbari & crassissimas euadere, tales erant miseræ mulieris, dum mingebantur, id quoque habebant, vt seposita nunquam clarescerent, quod quidem erat indicium nõ modo capitis male habentis atq; habituri, iuxta id quod dicit Hippocrates quarto aphor. 7c. verum etiam pessimi ipsius corporis status, eo quod vt scribit Gal. lib. 1. de crisi. cap. 12. inter vrinas crassas & turbatas deterrimæ omnium sunt, quæ vt minguntur turbidæ, sic semper permanet, quod præter magnam in vasis turbationem & tumultum significent quoq; naturam nec coquere, nec coctionem inchoare, quod postremo significatur ab vrinis, quæ turbidæ mictæ paulo post clarescunt; Contentis penitus carebant vrinæ, quoniam positæ non subsidebant, ideo pessimæ cum neque inchoare coctionem natura posset. Quod ad quantitatem & continuam & discretam raro mingebat, nec nisi excitata, quod ob mentis errorem mingere obliuiscebatur; vnde cum mingebat multam & confestim vrinam reddebat. Color albus & qualis iumentorum, scilicet ob cruditatem & quia aliquando materia sursum potius quam ad vesicam ferebatur. Quod ad exeundi quoq; modum peccabat vrina, quia exibat affatim, & cũ conuulsionibus. Sed hoc in loco duo occurrunt examinanda, quomodo exiret vrina cum conuulsionibus, & cur. Hippocrates addat se vidisse vrinam talem. circa primum Arist. 8. sect. prob. 9. quærens cur in extrema vrinæ emissione horrore quodã concutimur. inquit esse quoniã exeunte re calida, ne vesica vacua relinquatur, subingreditur statim aer frigidus quo horrescimus, sed hæc nil ad præsens, puto autem ob inflammationem vteri tangentis vesicam, quæ vacua vrina quasique desiccata conuellebatur. & cum ea totum corpus, vt contingit in epilepticis; quamquam possumus etiam dicere vesicam ob inflammationis viciniam ardentem lotio exeunte ab aere ingrediente frigido fuisse perculsam, & ob id conuulsiones fecisse. Quod porro dicit Hippocrates se se tales vrinas vidisse, quod rarissime aut forsan nunquam alias fecit; puto pluribus de causis hoc ipsum egisse; Vna fuit quia forsan alicui potuisset nimina diligentia videri obseruatio tantarum vrinæ vnius ægrotantis conditionũ, nisi ipse eas inspectione, quæ vt dicebat Plautus plus valet quam mille alia testimonia comptobasset. Altera fuit vt testatam posteris faceret sedulitatẽ, qua debet medicus vti in spectandis accurate omnibus ægrotantium rebus, nam sicut ait Galenus septimo Meth. aliqui interdum homines inspiciunt stercota etiam equorum, vt intelligant eorũ valetudinis. Tertia fuit vt doceret pre ceteris pertinere ad medicũ inspicere diligẽtissime

vrinas, nempe quas plus quam pulsus ad notitiam ægritudinum acquirendam valere non modo ipse contemptu pulsum fecit testatum, verum etiam Galenus primo de crisi.cap.12. Potest forsan etiam ita esse locutus, quod antecedentes vrinas non viderit, sed eas tantũ quas reddidit ab vndecima, cum circa decimamquartã essent(inquit Hipp.) labores facti per totum corpus, scilicet ob facultatis imbecillitatem; nam Gal. dicit hoc vnum signum potuisse significare mortis propinquitatem. Multa locutio, parũ mente constabat, & rursum statim delirabat, adeo vt facta sine voce circa decimamseptimam, obierit vigesima die. Sed cur potissimũ notat multam locutionem? Quia cum esset honesta mulier, hoc ab eius moribus multũ aberat, vt propterea delirare ipsam ex hoc solo coniici posset: etenim vt ait Hipp. primo pror.& initio Coacarum proteruæ locutiones in morigeratis pessimæ sunt, quoniã insignem in animo factam esse mutationẽ ostendunt. Dixit circa decimãquartam, non in decimaquarta, quoniã sæpenumero contingit, vt non præcise in die critica, sed vel paulo ante vel paulo post contingant mutationes, cum materia propter prauitatem properat facultatem alioquin exquisitioris sensus perturbare, aut ipsa facultas ob robur valide ipsi resistit; nam vt optime dicit Galenus dolores seu labores totius corporis, cũ delirio frequentiori qui superuenerũt huic mulieri poterant indicere futuram iudicationẽ circa diem decimamseptimã, nisi facultatis robur restitisset, atq; pugnam adhuc protraxisset; Sed mors quæ tunc debebat succedere, dilata est vsq; ad subsequentem criticũ diem, nempe vigesimam, & circa decimamseptimam, hoc est paulo ante decimamseptimam facta est ἄφωνος id est, sine loquella, & voce, quæ fuit quasi altera mors; atq; id contigit, quoniam facultas iam superata omnes vires amiserat, relicta sola respiratione instar illius affectionis, quæ solet accidere hystericis & vocatur ἀπνὸς siue ἄπνοια. Et certe cum durauerit absq; loquela & voce tribus pœne diebus integris, certissimum est argumentum hanc mulierem fuisse admodum robustam, nec fuisse interiturã, nisi morbus maximus eam oppressisset, mors enim quæ contigit vigesima die tribuitur à Galeno purgationibus suppressis, quæ hystericarũ instar eam suffocarunt, vt ob hoc libentius multo sentiam priuationem etiã vocis ab eadem caussa deriuasse: Et in hac visum est semper diebus imparibus factas fuisse exacerbationes, in quibus licet nullũ separatum apparuerit verè exitiale signum, nisi illud solum atq; maximum, scilicet in febre ardente extrema frigere, attamen si quod scribit Hippocrates in progn. ad memoriam reuocemus: vbi complura signa praua simul conueniunt, ita vt ab ipsis & numero & vi superentur bona, semper illa congeries signorũ habet exitialissimi signi facultatem, ita vt cuilibet perito medico, & in prognostica facultate exercitato facile mortem, & mortis diem prædicere huius fœminæ licuerit. Remanent duo dubia, vnum est, cur non numeret post vndecimam singulos dies, sed tantũ decretorios? Alterum cur nõ meminit respirationis? Ad primũ dico id egisse vel quia putans certo perituram, non visitabat continue; vel quia tantum erat malum, vt pauca noua acciderint. Ad secundũ respondit Galenus secundo de diffic. respirat: decimo Hippocratem non spiritum memorasse, quia certum erat esse paruum & densum ob dolorem cordis & ilii dexteri, ac delirium fuisse paruum, ideo non potuisse mutare respirationem. Modo ad curationẽ accedamus quã rationi consentaneum est ab Hippocrate fuisse diligẽter propositam postquã ipsemet testatur vt visum est sese intetfuisse, & diligenter excrementa spectasse; & quemadmodũ dixi retro, cum hæc mulierã partu nullam habuisset morbi occasionem, iure Hippocrates nõ ab ipso, sed ab initio febris dies numerare cœpit. Primis itaq; diebus verisimile est iussisse venam poplitis secari ob purgamenta cessantia; non enim erat secanda prius vena brachij vt Gal.x.de med.loc.& Aetius docuerunt, quoniã id tantum est faciendũ in plenitudine corporis ingenti, quam nõ adfuisse probabile est, cum vsq; ad decimamquartã partus diem esset rectè purgata. De loco vero est dogma Hippocratis confirmatum à Galeno lib.de sang.miss.& 13.Methodi.c.11.laborantibus inflammatione partibus supra renes à cubito mittendũ sanguinẽ, si vero infra

infra renes à partibus inferioribus; vnde ratione iecinoris à cubito dextro, ratione
vteri inflammati ab inferioribus erat sanguis detrahendus; & maxime à poplite, q;
creberrima illius sectionis in similibus casibus fiat ab Hipp. mentio, cuius tempore
chirurgi admodum exercitati in ea vena pertundenda erant, vt quoque Oribasius
indicat 8. collect. quamquã tempore nostro desciuerit ea administratio ob chirur-
gorum imperitiam, vnde plerīq; omnes potius vel tali, vel pedis venam incidunt,
& licet vnus atq; idem eandex sit venarum, cum tamen poplitis vena sit latior ea in
parte & vtero proximior, multo satius esset illam, quã tali aut pedis semper secari,
quemadmodum conducibilius est venam in vtroq; cubito vsu postulante aperire,
quam in manibus, vt male faciunt indiscriminatim multi; igitur siue à poplite, siue
à talo vena secetur, siue ipsa crura scarificentur in proposito casu sanguinem mitti
necesse est, nisi quippiam impediat; atq; hoc etiam factitasse Hippocrates credi po-
test, etsi tanquam rem claram & manifestam narrare omiserit, nec sibi proposuerit
curationes proponere, nisi quando aliquid rari habuerunt; cuiusmodi est vbi dicit
apposito huic mulieri administrato omnia fuisse leuiora reddita, siquidẽ id forsan
bonum potuit videri aliquibus, attamen secuta grauiora accidentia docuerunt nõ
fuisse veram alleuiationem. Cæterum quid per appositũ debeat intelligi non ausus
est diffiniri Galenus qui dicit & balanum seu glandem, & pessum vtero inditũ esse
potuisse; aliqui tamen putant fuisse glandem; sed cum infra Hippocrates explicate
glandem nominet, cur etiam hic eundem in modum nominasset? itaq; puto
vt ante etiam dixi potuisse esse vtrumq;, sed potius fuisse pessum, nam in talibus ca-
sibus facta prius per sanguinis missionẽ euacuatione solemus deinde ad localia de-
uenire, præsertim quando vrgent dolores sicut in præsenti muliere vrgebant ipsius
vteri inflammatorio affectu laborantis, pro quo potuit Hippocrates vti pesso; quo-
modo autem & ex qua materia pessi varij fierent scire potestis ex ipsomet Hippoc.
libris de nat. mul. & de morbis muliebribus: fit enim inuolucrum sex digitorũ lon-
gitudine & crassitudine digiti maioris pedis, atq; inditur in vterum. Hippocrates
ad ciendos menses vtebatur etiam cucumere syluestre in hanc formã redacto; sed
vbi vterus inflammatione laborat, atq; febris ingens adest, omnino fugienda sunt
huiusmodi calida atq; acria medicamenta, præstat autem lana vti obuoluta vitello,
oui, & rosaceo, aut carne bubula vt dictum est formata, atq; succo anethi medico,
myrrha & lactucæ succo oblita, vel aliquo alio simili, quod possit simul & dolorem
placare, & blande menstruas purgationes ciere. Sed dubitari posset an in hoc casu
conuenirent menses mouentia medicamenta: siquidem est præceptum æternum
Galeni 13. Math. c. 11. laborante inflammatione vtero abstinendum à prouocantib.
menses iecinore à diureticis, intestinis ab aluum ducentibus. Resp: loqui præcise
Galenũ de incipientibus, nõ autem de iam perfectis aut declinantibus; nam in his
cõueniunt, vbi præsertim à suppressis menstruis facta est inflammatio. Igitur misso
sanguine à partibus infernis, & adhibito pesso, iure leuati sunt dolores nonnihil,
sed purgamenta non redierunt; Vnde factũ est, vt hoc leuamento exiguo finito re-
dierint post symptomata sæuiora; vtrum vero pro dolore iecinoris etiam sectio cu-
biti dexteri fuerit adhibita non apparet; certe si in hunc casum inciderẽ, nec vires
obstarent, à vena quoque iecoraria sanguinem esse mittendum curarem, quando-
quidem in doloribus, atque in ipsis inflammatoriis affectibus nullum est magis
præsentaneum præsidium ipsa sanguinis missione, etiam vsque ad animi deliquiũ
facta, vt docet Galenus primo aphor. 23. in fine. Et quinto Epid. circa principium
historiæ quintæ testatur dolorem qui aliis remediis non potuit solui, hac missione
sanguinis fuisse solutum. Atque hæc diffinita sint de chirurgicis præsidiis, inter quę
numerari possunt quoq; ligaturæ, & blandæ frictiones artuum inferiorũ, quæ mi-
rum in modum conferunt ad ducendos prauos, & feruidos vapores à corde, atq; ab
aliis superioribus partibus, necnõ ad menstruas purgationes blande ciendas. At de
aliis auxiliis ita constituendũ esset in simili casu, vt quædã adhiberentur pro aperi-
endis moderate obstructionibus, pro putredine arcenda, alia vero ad symptomata
vrgen-

vrgentia; pro primo conueniret aliqua potio refrigeratoria atq; aperiens ex capillo Veneris Artemisia Endiuia Agrimonio. Pro secundo vero scopo primũ dolori vteri, lumborũ, & iecinoris congruerent sua accõmodata præsidia extrinsecus adhibenda ex sandalino, rosaceo, oleo lumbricorũ, aliisq; huiusmodi. Similiter pro somno conciliando, nam vt alias dixi ex Hipp. alimentũ visceribus est somnus, & nil est quod perinde atq; hic humores crudos cõcoquat. Pro siti multæ potiones proponuntur ab Hipp. in fine 3. lib. de morbis, quas in febribus ardentibus dicit conuenire ad frigefaciendũ, sitim sedandam, & vrinam ciendam, & quas vt refrigerentur vult exponi nocte sub dio, vt est aqua hordei, aqua pomorũ, aqua ex melonibus: circa quod illud adnotandum est à me eos non posse probari, qui putant ægris indiscriminatim potiones actu refrigeratas non esse dandas; nam hoc etsi aliquibus sit probandum, & tempore hyemis, attamen in æstate in febribus præsertim ardentibus, nil iucundius & vtilius miseris ægrotantibus esse arbitror, quam vbi implacabiliter sitiunt, potum valde frigidum offerre, quod facit Hipp. qui in huiusmodi febribus, etiam clysteres ex frigida infundit lib. de affect. vt quoq; apud Oribasiũ inuenitur probatũ lib. 8. imo & Galenus septimo methodi postulante vsu fatetur sese tum aquam niue refrigeratam, tum melcam, quæ est genus poscæ cum melle, necnon fructus vocatos aliosq; cibos similiter refrigeratos ægrotantibus obtulisse, pręterquam quod in summis ardoribus, si nil frigidum exhibeatur, neq; sitis quicquã demulcetur, & æstus intestinus incrementum potius sumit, quam vt vlla ex parte imminuatur; & ipse soleo fœlici cum successu æstate febricitantibus magnam hordeacæ aquę copiam refrigeratam in statu paroxysmorũ febrium concedere, quod ab Arabibus probatum reperio. Iam vero aduersus delirium solemus oxyrrhodina varia adhibire, interdum pure repercutientia, veluti quando fit delirium à solis vaporibus ab infernis partibus sursum elatis interdum vero addimus etiã discutientia, vt oleum anethinũ, camomelinũ cum aceto, & decoctis vel aquis accõmodatis.

HISTORIA QVINTA.



PICRATIS VXOREM, *quæ decumbebat apud Archegetem circa partum iam existentẽ rigor cœpit fortiter: non calescebat, vt dicebant: &* POSTERA *die talia.* TERTIA *peperit filiam, & alia omnia secundum rationẽ prodierunt.* SECVNDA *post partum corripuit febris acuta, cordis dolor, & muliebriũ; Vbi autem pessum adhibuisset, hæc quidem sunt alleuiata, sed capitis & colli, & lumborũ dolor, somni nõ aderant: ab aluo autem pauca, biliosa, tenuia exibat sincera: vrina tenues, subnigra; à qua vero cœpit febris in noctem.* SEXTA *delirauit.* SEPTIMA *omnia sunt exacerbata, vigil, delirauit: siticulosa; deiectiones biliosa, saturata.* OCTAVA *superriguit, dormiuit plus.* NONA *per eadem* DECIMA *crura laboriose dolebant, cordis rursum dolor, capitis grauitas: haud delirauit; dormiuit magis; aluus substitit.* VNDECIMA *minxit coloratiora: copiosam subsidentiam habentia: degebat leuius.* DECIMAQVARTA *superriguit: febris acuta.* DECIMAQVINTA, *vomuit biliosa, flaua, subcrebra, sudauit, sine febre; in noctem vero febris acuta; vrinæ crassitiem habentes. sedimentũ album* DECIMASEXTA *exacerbata ad noctem, & moleste: non dormiuit: delirauit.* DECIMAOCTAVA *siticulosa, lingua exusta est; non dormiuit delirauit multa; crura dolorose habuerant: circa autem* VIGESIMAM *mane parum superriguit; comatosa per quietem, dormiuit; vomuit biliosa, pauca, nigra; ad noctem alleuiatio: circa vero* VIGESIMAMPRIMAM *lateris sinistri grauitas per totum cum dolore: parum tussiuit; vrinæ autem crassitiem habentes turbida, subrubra; seposita non subsidebant; alia vero leuius: non expers febris: statim à principio faucium dolor, rubedo, columella reuulsa; destillatio acris: mordax; salsa ad extremũ permansit: circa autem* VIGESIMAMSEPTIMAM *sine febre, vrinis subsidentia: latus dolebat, circa vero* TRIGESIMAMPRIMAM. *febris corripuit, venter biliosis subturbatus est, vomuit:* QVADRAGESIMA *pauca, biliosa; iudicata est perfecte absque febre* OCTVAGESIMA.



PICRATIS VXOREM. Hæc historia quæ satis copiose ab Hippocrate fuit proposita, à Galeno parce admodum est tractata, quo fit vt nobis maior incumbat labor circa eam versandi; Et notandum est in primis solertia diuini scriptoris, qui sicut antea proposuerat historiam mulieris, quæ post partum ægrotare cœperat, sic voluit illi cōiungere alteram mulieris grauidæ prope partum existentis. Diligenter autem apposuit coniugis nomen & habitationem, tum ob casus magnitudinem, tum quia persona forsan erat obscura, aut non admodū clara, ita vt opus esset illis ipsa describere, qui voluissent rei ipsius fieri certiores. Etenim apud Athenæum mentio habetur Epicratis cuiusdam qui fuit Æschinis rhetoris curator, cognominatus Cerybion; & alterius Atheniensis, qui fuit legatus ad regem Persarum, eique adulabatur; atque hi licet fuerint contemporanei Hippocratis attamen quia Athenienses fuerunt, & clariores: puto de nullo horum Hippocratem esse locutum: nam cum dicat hanc mulierem decubuisse apud Archegetem videtur indicare non habuisse domum propriam, sed in alterius domo habitasse, aut saltem casu aliquo in aliena domo ægrotantem iacuisse Galen. secundo de dieb. decr. huius historię faciens mentionē non Epicratem, sed Iphicratem vocat mendose. Qui porro esset Archigetes, vtrum, scilicet nomen sit propriū alicuius viri, aut, quod potius suspicor, positi in aliqua dignitate, vel publico munere, nihil attinet diligentius perscrutari. Hæc itaque mulier, ait Hippocrates, cum esset prægnans & partui vicina, prima & secunda die à forti rigore correpta fuit, à quo non admodum incaluit, vt referebant. Dicit fuisse proximam partui, seu circa partum iam fuisse, vt significaret eam in nono mense extitisse, non autem in octauo, in quo magis grauidæ periclitantur & intereunt, si quandoq; morbo aliquo capiantur, vt non fuerit adeo mirum ipsam esse seruatam quemadmodū videbitur. Animaduertit autem hoc de vicinitate partus, propterea quod vbi mulieres sunt longe à partu, solent laborare vomitu inappetentia & grauitate corporis: vbi vero proximæ sunt partui, solent esse validæ: ratio autem est, quia donec fœtus debilis & exiguus est, multa excrementa gignuntur, quæ siue contineantur in toto corpore, siue in ventriculo, siue in vtero, solent ea mala generare. Vbi vero fœtus grandior & proximus partui est, maxime consumit, vnde pauca relinquuntur excrementa, & mulieres tunc temporis ob id validiores esse solent: tum etiam quia tunc maxime se exercent ambulando & agitando corpus. Cur vero Hippocrates non fuerit statim accitus, quemadmodum ipse testatur, referens accidentia duorum priorum dierum ex relatu aliorum, existimo accidisse tempestate eius, quod etiam hodie fere vbique obseruatur, nempe in vulgi mulierum opinione esse, grauidas nō esse à medicis tractandas, præsertim cum partui approximantur, tum quia sponte partu adueniente soleant antecedentes affectiones finiri, tum quia in eo tempore timetur ne medicamentis tractatæ mulieres importune partū accelerent, aut perdant. Cum autem Hippocrates dicit post rigorē nō caluisse, haudquaquā intelligēdum est, quod biduum totū rigor perdurauerit, sed q; quotidie aliqua stata hora, aut incerta accesserit neq; post ipsum ingens successerit febrilis calor, Quod.n. scribit Galenus Hippocr. addidisse illa verba: vt referebant, quasi ipse qui alias dixerat rigorē absq; febre non fieri, haudquaquā crederet propositā mulierē riguisse nec febricitasse, fieri quidē potest, vt magis mihi probatur, quod dixi, scilicet ipsum ob antedictas causas non fuisse priorib. diebus vocatum, sed ex aliorum dictis esse locutum. Nam quod pertinet ad rigorem ipsemet Hippocrates primo, & quarto de morbis monstrat semper rigori succedere febrem modo minorem, modo maiorem: idque tempore ipsius verum fuisse notat Galenus ob vitæ temperantiam maiorem, qua tunc homines viuebant, vt ob hoc vere Plutarchus in sympofiac. lib. 8. cap. nono docuerit ob victus varietatem & prauitatem nouos morbos oriri consueuisse: quamquam possumus etiam dicere tempore Hippocratis fuisse quidem rigorem sine febre, sed non fuisse animaduersum: quemadmodum tunc quoque erat rabies canina, & hydrophobia: sed

nec ab ipso, nec ab Arist. cognita aut animaduersa fuit, vt fusius in variis lectionibus nostris, & in tract. de hydrophobia differuimus. Porro quid sit rigor, & quomodo à tremore differat secus, quam à Platone in Timæo propositum est, ipsemet Galen. differre docuit, tum in lib. proprio de rigore, tum in comm. ad Platonis Timæum, nihilominus hic aliqua sunt rememoranda. Fit rigor à duplici caussa, ab humore frigido, lento, tenui, & mordaci: vel à mordaci & acri. vterq; hic humor cū pungit partes sentientes efficit vt calor natiuus ab humore noxio stimulatus contra illum insurgat, cui materia morbifica quantum potest resistit: in hac caloris natiui lucta cum humore inimico totum corpus concutitur, vnde rigor, quem fœmina hæc passa est, non potuit esse ab humoribus acribus, & mordacibus: quia dicit Hippocrates post rigorem non caluisse: nam necessarium est, vt quotiescunq; rigor fit ab humorib. acribus & mordacibus, semper rigorem sequatur calor, & calor igneus: secus est vbi fit à frigidis, quia quamquam fuit illa lucta, est minor; vnde non est necesse vt calor rigorem sequatur: quia motus tardus est, & materia illa frigida obtundit vsque adeo calorem, vt non possit augeri: passa igitur est hæc fœmina rigorem à materia frigida, quia dicit Hippocrates eam non incaluisse. Quod ergo hic dicit Hipp. mulierem hanc primo biduo non caluisse post rigorem, intelligendum est laborasse febre exigua, non adeo magna quemadmodum sequentib. diebus. Quæ vero fuerint caussæ externæ & procatarcticæ similis rigoris non commemorantur ab Hippocr. quod non fuerint sibi relatæ: potuit tamen esse factus, vsu fructuum aliorumve prauorum eduliorum, quibus pleræq; prægnantes solent delectari, non tantum in prioribus, verum etiam in postremis mensibus, & ex quibus vt optime coniicit Galenus verisimile est hanc mulierem frigidos, crudos, & crassos humores collegisse, propterea; rigorem incurrisse, & ex rigore excitatam esse febriculam ita exiguam, vt nulla pene videretur, cuiusmodi esse solent cunctæ febres, quæ ex putrescentib. succis crudis, & crassis fiunt, quasue Hippo. febres frigidas aut ad tactum mites nuncupare consueuit in Epidemiis passim, vbi videbitis ipsum frequenter dicere aliquos ægrotantes non febricitasse in peste, qui blanda, & ad tactum frigida, aut saltem tepidiore febre tenebantur.

Secvnda die inquit Hippocrates fuisse eadem, quæ dictio dupliciter accipi potest, vel quod secunda die nihil noui acciderit, cum enim post rigorem non factus sit calor, verisimile etiam est nihil noui secunda die accidisse: potest etiam intelligi quod adfuetit rigor sine febre, quæ expositio probabilior esse videtur, tamen non mihi placet, quia non possum existimare duobus diebus factum esse rigorem sine febre.

Tertia die. Tertia die scribit peperisse fœminam, atque alia cuncta secundum rationem successisse. Verum hic oritur dubitatio, vtrum hic partus fuerit legitimus, consummatusque an vero acceleratus nimis? dubitationis ratio est, quia Hippocrates ait peperisse filiam, & omnia recte se habuisse, dicere omnia recte se habuisse, videtur significare hunc partum fuisse opportunum: ex altera parte habuit hæc fœmina duobus diebus rigores, sunt autem rigores concussiones, quæ fiunt cum frigore. Iam vero Galen. quarto, aphorismorum, commen. primo, assimulabat fœtus fructibus arborum, qui vbi sunt recentes & immaturi quolibet vento excutiuntur: pari pacto vbi postea maturi sunt facili negotio decidunt: idem Galenus dicit fœtibus contingere: hoc cum ita verissimum sit, hæc fœmina duobus diebus laborauit frigore proxima partui, quo tempore solent mulieres magis laborare: iure igitur iste rigor partem accelerare debuit: quid ergo dicendum est: existimo nihil vel paulisper à rigore acceleratum esse partum propter duas caussas, vna quia rigor non potuit esse magnus cum non fuerit factus ab humoribus calidis, sed frigidis: præterea hæc fœmina erat robustissima, fœminæ robustæ etiam si agitentur nihil patiuntur: fœminam autem hanc fuisse robustissimam ex eo coniicere possumus, quia habuit similia accidentia, quæ habuit vxor Philini: nullum enim ouum alteri (vt prouerbio dicitur) ouo tam simile est, quantum

quantum casus hic superiori: Cum itaque hæc fœmina fuerit robustissima, & rigor non esset adeo magnus, credendum, hunc partum vel nihil vel paulisper acceleratum fuisse. Apposuit autem peperisse filiam non tam vt esset mulier notior; quam quia vt alias dixi, refert ad morbos comprehendendos, & mulieris statum colligendum, vtrum quæ ægra est fœminam an marem peperit. Etenim Hippocrates in libro de nat. pueri edisserens qua ratione fœmellæ tardius formentur, & dearticulentur, necnon mulieres fœmellas parientes diutius purgentur parientibus mares, esse ait quoniam genitura fœminea debilior est & humidior, quam mascula, & libro primo, de diæta dicebat fœmellam ab aqua magis & à frigidis ac humidis augeri, tum cibis, tum potibus, marem vero magis ab igne atque calidis vt siccis: Vnde suadebat, vt quoties vir & fœmina cupiunt marem aut fœminam generare his vel illis vtantur, ergo existente fœmina debiliore in partu minus ad exitum sese adiuuat, & consequenter mulier ipsa in parturitione magis laborat: id quod euenisse huic probabile est, quam dicit Hippocrates secunda à partu die fuisse correptam febre acuta cum aliis symptomatibus ab ipso enumeratis, etiam si recte alia successissent: & id quod dicebam in vxore Philini in memoriam reuocandum est, videlicet habere puerperas duo purgamentorum genera, alterum statim post partum, vt purgationem secundinæ & omnium aliorum excrementorum, quæ statim post partum purgari debent: alterum vero quando paullatim sanguis ille, qui superfuit in venis, purgatur per quadraginta dies in fœminis, in maribus per triginta vel paulo minus. Hippocrates igitur intelligit de primo genere & quasi rem miram adnotat, videlicet fœminam hanc filiam peperisse & omnia recte se habuisse. Vt autem facilius à vobis symptomata complectantur, ad proprios fontes cuncta redigam quæ contigerunt vsque ad sextam diem inclusiue: nam Hippocrates non nominat, nec secundam, nec tertiam, nec quartam, nec quintam dies, quod forte sero vocatus fuit, vt dixi alias sæpe contingere in mulieribus puerperis, quas vulgus fœminarum putat medicis non esse vllo medicamento tractandas. Quod itaque pertinet ad actiones læsas sexta die delirauit, ante sextam non dormiuit, atque muliebrium locorum doloribus laborauit, quos tamen subdito adhibito ait fuisse mitigatos: adhæc doluit quoque caput, collum, & lumbos. Quo vero ad excrementa mutata aluus pauca deiecit biliosa, tenuia, sincera: vrinas reddidit tenues, subnigras. Atque hæc omnia ante septimam diem euenerunt. Quorum omnium priusquam caussas, & morbos proprios inuestigemus, illud sciendum est hic Hippocratem numerare dies à febre acuta, non à partu, quæ, vt audietis, hic dederit occasionem cæteris malis: quoniam rigor antecedens cum leui febre occasionem præbuit illo concussu partus celeritati; adeo vt liceat dicere primam occasionem datam esse ab ipso febrili rigore, non autem numerare dies ab hoc, sed à febre acuta, quoniam tunc clarius visum est inchoare morbum. Iam vero morbus quo laborauit, & à quo omnia pene symptomata emanasse verisimile est, nullus fuit alius, quam ipsius vteri intemperies contracta ex labore partus fœmellæ, celerioris, vna cum materia cruda, biliosa & melancholica: quos humores fuisse accumulatos, tum malo victu, tum ob fœmineum conceptum facile possumus coniicere ex iis, quæ antea protulimus ex Hippocrate: nempe fœminas fieri vsu ciborum frigidorum, & humidorum, atque ocio similiter ob debilitates fœtus fœminei minus consumi in vtero sanguinem, & consequenter in enitendo magis laborare parientes: Igitur laborante vtero in temperie calida cum prauis humoribus iure merito ibi excitata est putredo, cuius vapores ad cor peruenientes febrem primum acutam pepererunt: atque iidem in os ventriculi sublati cardialgiam induxerunt, sicut in caput sublati eius & colli dolores induxerunt, vigilias effecerunt, tandemque ad delirium mulierem deduxerunt. Haud secus quoque vteri affectum secutus est non modo ipsius dolor, verum etiam partium ipsi propinquarum, & lumborum, à quibus pariter consonum est incepisse rigorem, cum alias Hippocrates

tum secundo, tum sexto Epidem. scripserit rigores mulieribus inchoare à lumbis in viris antem à pedibus, & aliis extremis, quod etiam ipso vsu, & ab Arist. confirmatum reperitur. Ab eodem vteri morbo factum est, vt intestina, quæ ipsum contrectant incaluerint, sic exiccatæ fœces non exierint, sed tantum biliosus humor impermixtus fœcib. ac tenuis: pari pacto vesica calefacta ab vtero, qui inter ipsam, & intestina collocatur vrinas tenues, & subnigras reddidit. Et notandum est in recenter fœtis non esse fidendum vrinis, quia tametsi desinant purgamenta, nihilominus semper fere excolatur aliquid, quod inficit eas, quo modo vero subdito dicat cardialgiam, & vteri dolorem, ac vigilias fuisse mitigatas in antecedente historia explicanimus, vbi hæc eadem habētur, scilicet pro subdito intelligēres, pessum dolori & feruori compescendis accommodatum: & miror quomodo nonnulli interpretes vt Valesius particulam παρακμάζουσα sint interpretati sequenti die quasi voluerit Hippocrates omnia sequenti die fuisse leuata, quod est præter omnem rationem, nisi dicamus forsan ipsos contextum habuisse deprauatum.

Sexta die inquit delirasse sub noctem, mirum est, vt Hippocrates hoc in loco vtatur quodam loquendi genere, quo rarissime, vti consueuit: dixit enim initio tertia die à rigore peperisse, rursus dixit secunda die post partum correptam esse febre, si simpliciter sexta die dixisset, non licuisset scire vnde nam accipiendum esset, initium huius diei, quod si quis quærat cur Hippocr. numeret potius dies ab initio febris, quam à rigore, vel à partu: dicendum est rigorem fuisse sine febre, nec per consequens fuisse vere morbū, sed potius πάθος idcirco non debuit numerare dies à rigore, neq; etiam, à partu, quia nunquam numeratur dies partus nisi quando dat occasionem morbo, id quod hoc in loco haud fecit. Cur autē addat in nocte: ratio est, quia duplex est delirium, aliud dormientium, aliud vigilantium: sæpe enim vsu nenit, vt cum ægri dormiant, agitent manus, exurgant, & alia huiusmodi deliramenta efficiant, quæ Hippocrat. in Coac. deliria comatosa appellat: vt igitur demonstraret hanc fœminam delirasse dormientem, ea propter addit in nocte, id quod etiam nobis declarant verba subsequentia, quibus inquit septima die vigilantem delirasse: non enim alia ratione nominat vigiliam, nisi vt distingueret hoc delirium ab illo.

Septima exacerbata sunt omnia, siquidem in somnis cum delirio fuit, sitim habuit magnam, excrementa biliosa, saturata, quæ omnia febris vehementiam arguebant: Verum dubitabit aliquis cur cum Hippocrates dixerit omnia fuisse septima die exacerbata, contentus non fuit, sed voluit addere hæc quatuor vigiliam, delirium, sitim, & alui excrementa. Respondeo egisse illud ꝓpter alteram duarum caussarū vel ambas: vna fuit, vt explicaret quænā fuerint ea, quæ sunt exacerbata, quasi dicat Hippo. exacerbatum est delirium, quia sexta die delirauerat domiens, septima vero delirauit vigilans: Iam vero multo deterius est delirium, quod fit in vigilia, quā illud q; fit in somno: altera caussa potuit esse, quoniam iis duob. generib. scilicet actionibus læsis, & excrementis mutatis voluit significare cuncta similiter alia ad eadem genera pertinentia fuisse immutata. Iure autem hæc illi contigerunt: erat enim magna varietas imo contrarietas humorum, quibus hæc fœmina abundabat, qui prout mouebantur, diuersa etiam symptomata efficiebant: iam vero in hac septima die, quæ est decretoria, moti sunt succi tenues, & calidi, frigidi autem erant veluti quieti, neq; à natura tractabantur, quare non mirum si hac die delirium, vigilia sitis, & excrementa biliosa apparuerunt, id quod demōstrauit etiam sitis, quæ apparuit hac septima die, cum tamen prius non apparuisset.

Octava. Octaua die, inquit Hippocrates superriguisse, ac plus dormiuisse: sed quæ fuit caussa? Respondeo rigoris caussam fuisse humores frigidos, crassos, per sensibiles corporis partes latos, quos antea diximus in mulieribus suapte natura cumulari, quosq; verisimile est iam aliqua ex parte euacuatis biliosis humoribus per secessum esse relictos tum in toto, tum maxime in capite, vbi postmodum fecerunt somnum: etenim sæpe contingere, vt hac ratione phrenitidi aliisque à

caussa

caussa calida factis deliriis succedant sopores, & comata scilicet scribit Hippocrates Galenus initio libri Prorrhet. quod tamen intelligendum est fieri ipso rigore cessante: etenim rigentibus non obuenire somnum locupletissime docuit Aristo. qui vltimo probl. sect. octauæ dicebat rigentibus non contingere somnum, quoniā spiritum retinent: fit autem somnus spiritum laxantibus: quod si dicat aliquis in initiis paroxysmorum, vbi ægri rigent, maxime procliues esse ad somnum, atque etiam quandoque dormire, quemadmodum experientia quotidiana docet: Respondeo duo esse tempora rigoris, alterum quo humores adhuc sunt in motu cum calore pugnantes, alterum quo humores quidem sunt quieti, tamen calor aduersus illud insurgit, in primo non possunt vlla ratione ægri dormire propter ingentem illam concussionem, & commotionem corporis: in secundo vero tempore quamuis calor non superauerit, ex toto humores, tamen ex illis eleuantur halitus & vapores, qui delati in cerebrum non modo somnum, verum etiam soporem faciunt. Et hæc est ratio, propter quam in fine rigoris soleant ægri somno capi. Non mirum est hæc omnia contigisse huic mulieri, cum Hippocrates primo de morb. mulieb. frequenter dicat ea accidere puerperis, quæ non purgantur. Vtrum vero hunc rigorem secuta sit febris necne, Hippocrates non dicit, vel quia non adfuit febris, aut si adfuit exigua fuit eo quod infra vbi rigoris meminit iterum, cum rigore nominat febrem, quam quidem non nominasset, nisi fuisset insignis, & fortasse contendendum ei erat cum adstantibus, qui nisi videant immoderatum calorem, nolunt credere adesse febrem.

Decimo crvra. Porro decima die multa alia contigerunt, quæ quia partim diuersa fuerunt ab antecedentibus, partim eadem, sed aucta, Hippocrates notare voluit: sunt autem hæc: crura laboriose dolebant, dolor ventriculi, qui subdito fuerat leuatus, rursum rediit, similiter dolor capitis, non delirauit, dormiuit magis, & venter substitit. Fuit sententia Hippocratis quarto aphor. 58. a febre ardenre habito si rigor superuenerit, eum liberari, quod si non statim, saltem post aliquod tempus fit, atque hoc manifeste conspicitur, verum in præsenti muliere, quæ cum laboraret febre acuta, octaua die, & nona, sibi rigor superuenit, quo factum est, vt illo concussu, humores qui partes præcipuas, & maxime caput lædebant, fiut ad cruta translati vbi dolorē pepererunt sua caliditate, & acrimonia; delati autem sunt potissimum ad crura, tum quia à natura eo depulsi sunt, tum maxime sua grauitate, qua naturaliter ad infernas partes præcipitari solent; & hinc est, q̃ mulieres habent semper crura crassiora viris, propterea quod cum habeant à natura multos succos frigidos, facile fit vt illi ad crura descendant: Relicto autem capite somnus rediit, & delirium cessauit, quod semper somno solet mitigari; quia tamen pituitæ nonnihil in capite relictum est, hic facta fuit illa καρηβαρίη, seu capitis grauitas, quæ humoris crassi solet esse effectus; Rediit vero cardialgia, quoniam in motu facto à rigore aliqua portio succi acris, ac tenuis eo est delata; iure autem rediit post rigorem, quia dum rigent corpora, facile humores ad partes antea affectas demittuntur: Iam vero huic ventriculus affectus erat. Quamquam autem Hippo. non soleat commemorare ea, quæ ægris non contingunt, voluit tamē hoc in loco adnotare nō adfuisse delirium, quia antea bis delirauerat, s. dormiens, & vigilans; quare quicunq; humor moueretur seu calidus, seu frigidus debebat iure aliquod delirium parere, q̃ cum sequutum haud sit, ea propter tā quam rem miram adnotauit Hippocrates. Sed quare aluus, quæ prius fluebat, constitit? & quomodo ea adstricta potuerunt vlla bona consequi? Primum inchoabat vndecima, in qua solent fieri morborum mutationes, vnde verisimile est rigore illo anteacto datam esse occasionem alicui occultæ crisi, propter quam alui fluxio haud est retenta, sed potius finita partim humoribus aluum pendentib. consumptis, partim in alias partes abductis. Illud autem mirum est, quomodo Galen. dicat euentū huius ægritudinis dubium fuisse mortis, vel salutis, vsq; ad vndecimam: etenim si cōsiderentur, quæ octaua nona & decima, contigerunt, eaq; antecedentibus conferantur,

planè ingentem spem salutis potuerunt promittere, etsi vrinæ illæ tenues longam esse futuram ægritudinem significarent, somnus delirii cessatio, alui fluxus, sedatus, præ cæteris est clarissima Hippocratis sententia supra relata, in febre ardente, nec intermittente si rigor superueniat, fieri solutionem morbi: præterea vt videbitis multa alia post vndecimam contigerunt, quæ potuerunt iure timorem incutere: nisi dicamus rigorem id quidem significare, nisi inueniat vires debiles, ant aliquod aliud exitiale signum. Atqui licet in proposita muliere verisimile sit vires fuisse robustas, quę suffecerint morbo tam diuturno debellādo: attamen cum bonis signis aderant etiam aliqua praua, vt capitis, & oris stomachi dolor; possumus etiam dicere decima die inchoasse eos effectus, vt sæpe fieri solet, ac propterea nomine vndecimæ intelligere Galenum etiam decimam.

In vndecima igitur vsq; ad decimamquartam scribit hæc apparuisse, sudorem, vrinas melioris coloris, hypostasin copiosam habentes, quæ omnia leuiorem morbum reddidere, eo quod & coloris in vrina mutatio, quem dicit Galenus, primo de Cris.12 esse primum, quod in vrina mutatum apparet, & sedimenti copia ostenderunt iam coctionem fuisse inchoatam, quæ semper, vt ait Hippocrates indicat securitatem, & vbi consummata est, iudicii celeritatem. Sudorem autem fuisse calidum, & per totum, necesse est secundum Hippocratis regulas secundo progn. siquidem die decretoria cum signis coctionis consulit. Iure autem coniungit vrinam sudori, quia vt scribit Galen.10. simpl. med. cap. de sudore, sudor, & vrina, eandem materiam, eandemq; generationem habent. Vnde quatenus ad signa coctionis pertinet: cum apparuerint vndecima die, debebat consummata coctio, & crisis expectari decimaquarta die, atqui in corpore multis, crassis, & crudis succis referto haud potuit fieri crisis integra, sed tantum impetfecta, quę fuit, quod superuenit rigor, & post ipsum acuta febris, tum decimaquinta biliosus, & frigidus vomitus, (nec mirum quia, vt ait Galenus secundo de temper. sexto, raro fit vomitus biliosæ simul & frigidæ materiæ; attamen qnādoq; contingit, cum scilicet humor frigidus à capite biliosus, à iecinore in ventriculum mittuntur) sudor febris cessatio, quæ tamen in nocte redit acuta cum vrinis crassitiem nec non albam subsidentiam habentibus. Hæc enim omnia satis clare indicarunt, naturam voluisse crisin his diebus tentare vomitu rigore, sudore & vrinis; at non potuisse ob copiam atq; crassitiem morbificæ materiæ. Galenus dicit fuisse hanc prauam iudicationem decimaquarta die factam, quæ imperfecta quidem vt dicebam fuit verum in ea apparuerunt futuræ tandem salutis certa pene indicia, nimirum coctio satis euidens, etsi non consummata: apparuit quoq; facultatis expulsiuæ robur, quæ simul vomitum sudorem, rigorem, & vrinas tentauit: adeo vt si conferantur antecedentia sequentibus, proculdubio aliqua non obscura salutis indicia sese obtulerint, quæ tamen haudquaquam fuerunt constantia, vt debent esse, quæ certam & celerem promittunt sanitatem, quā doquidem die decimasexta nocte cuncta sunt exacerbata. Cur autem adeo frequenter sudaret, dici potest contigisse huic mulieri id, quod melācholicis, & quartanariis contingere solet, qui cum multis humotibns crassis & frigidis abundent, frequenter sudant, propterea quod humori melancholico multū seri commixtum est, quod postmodum per sudorem excernitur: pari pacto cum hæc fœmina abundaret multis succis frigidis, tum natura propria, tū maxime propter retentionem mēstruorum, hi tandem per sudorem expellebantur. Vrinæ antem crassities non aliunde fiebat, nisi quia materia crassa illi permiscebatur, cum.n. vrina ex Gale. sententia loco citato fit id omne quod potatur, quotiescunq; admiscetur ei materia crassa, fit crassa, quod intelligendum est extra venas nō autem in venis, tunc enim dicuntur potius vrinæ perturbatæ.

Decimosexto. cuncta sunt exacerbata, difficiliter morbum tulit, nō dormiuit, & delirauit. Si ad memoriam reuocentur Hippocratis verba ex secundo Progn. vbi hæc tria symtomata inter pessima signa collocat, nempe difficulter ferre morbum, non dormire, atq; delirare: certe non debebat seruari: sed iuuentus, &

virium

virium robur adiuuit, mortemque in morbi longitudinem commutauit. Sed quæ ratio fuit, vt post apparentem concoctionem, atq; remissionem malorum, nihilominus decimasexta die omnia sint exacerbata, & signa lethalia apparuerint? Potuerunt certe errores huius euentus esse caussæ. At quia nil dicitur de hoc ab Hippocrate potius vera caussa fuit, quia vt dicebã hic morbus originem habuit à puerperiis suppressis, quæ nunquam redierunt, nec de his quicquam loquitur Hippoc. & certe si videantur symptomata, quæ scribit Hippoc. primo de Morb. mulieb. sequi puerperiorum suppressionem cuncta apparent in hac muliere, vel etiam dicere licet id accidisse, quia, vt dicebam, nõ erat firma, & vera coctio, sed inchoata tantum; deinde materia cruda, & crassa, ac biliosa nouam putredinem adepta caput alioquin male affectum denuo tentauit, vnde delirium, & vigiliæ, similiter tentauit ventriculum, vnde illa δυσφορίαι & notãdum est, in hac muliere, vt plurimũ nocte contigisse exacerbationes, quoniam frigidi & crassi succi magna ex parte noctu agitantur, vel ob lunaris luminis vim, vel quod tunc corpora compactiora, & intus calidiora cum sint huiusmodi materiã ex sese inertem mouent, & agitant; quæ etiã est ratio, cur morbi nocturni magis durare soleant. Cum ergo nocte diei decimæsextæ cuncta essent exacerbata, nõ modo per sese mala fuerunt, verumetiã significarunt sequentib. diebus futura deteriora, id quod euenit decimaoctaua, quando vt narrat Hippoc. ægra siticulosa euasit, lingua exusta est, & non dormiuit, multa delirauit, & crurib. doluit, id quod sibi cõtigit ob auctam putredinem atq; vteri inflammationem; etenim Hippoc. & Galen. 6. Epid. sect. quinta, decimaquarta linguam aridam fieri ab vstione, vel ob ardentem febrem, vel ob vteri inflammationem dicunt. Nominat autem Hippocrates in hac die sitim, non q; continuo non adfuerit, hoc enim fieri haud poterat ratione febris, sed quia non adeo mulierem hanc exercebat, ac fecit in hac die. Non dormiebat autem propter sitim, & linguę ariditatem, a qua continuo efferebantur vapores putridi & acres, qui percutientes cerebri membranas, non modo molestiam, verumetiam delirium inducebãt. Dicit autem crura doluisse simpliciter, non autem vehementer, quemadmodum decima die; quia fieri potest, vt alterius generis, etiam diuersis caussis fuerint facti dolor crurum decimæ diei, & hic; ille enim factus fuit à copia materiæ prauæ depulsæ per rigorem ad illas; hic vero potius per consensum ab vtero, à quo in crura protendunt venæ amplissimæ, vt apparet in venis poplitis, quæ ferẽtes sanguinem, vna cum prauis humoribus dolorem illum pariebant. Cæterum circa vigesimam diem, quæ solet esse postremus acutorum terminus, aut certe iudicatorius, non modo aliqua ex præcedentibus redierunt, verum etiam noua, & nunquam alias in ipsa ægritudine visa sibi acciderunt; rediit mane rigor exiguus, & vomitus biliosus, paucus, & niger: superuenit autem comatosus somnus, & noctu surditas: Rigor primum fuit exiguus, quia vt antea dixi post decimamquartam diem cœperat putrescere crudi succi, vna cum biliosis atq; huiusmodi putredo pluribus continuauit diebus, vnde non est mirũ vigesima subsecutum fuisse exiguum rigorẽ: scilicet huiusmodi materiæ vapores per partes sensibiles transmittente: ex quo etiam factum est, vt successerit vomitus biliosus exiguus, & niger, quod ex rigore, vt sit concussu illo non tantum sit ventriculus commotus, verum etiam aliunde eo sit effusa bilis tum flaua, tum cõbusta, quę ventriculum alioqnin imbecillum, & antea læsum magis violarit, sicq; vomitui occasionem attulerit: Bile porro euacnara remanētibusq; in stomacho, & capite succis frigidioribus, & crassioribus subsecutum est coma, seu somnus quietus, & comatosus, scilicet irrigata cerebri vniuersa substantia, vel à vaporibus crassis, & frigidis illius meatibus occlusis, qui pariter in aures demandati surditatem effecerunt, sicuti in morbis diuturnis, atque aliis, in quibus succi crudi, & frigidi putrescunt, contingere solet: Et aduertendum est dixisse Hippocratem noctu factam fuisse surditatem, quia tametsi Aristot. vndecima sect. Prob. 33. dicat homines propter diuersas caussas noctu melius, quã interdiu audire, id tamē intelligendũ est, de sanis non de ægris, qui varias ob caussas possunt auditũ

 impeditum

impeditum habere, scilicet ob copiosas crassas euaporationes, imo vero experientia obseruatur interdum eos, qui à somno nuper expergiscuntur, non ita clare audire, donec ex toto huiusmodi vapores, in capite, & auribus per somnum collecti fuerint dissipati; sed quid sibi vult illud verbum repetitum (comatosa quiete dormiuit?) forsan, quod interdum comatosi obloquantur, & sese agitent, interdum vero quieti maneat, quando, scilicet à pituita blandiore cerebrum irrigatur absq; vllius bilis permistione, cuiusmodi fieri solere coma vigil vocatum habemus apud Hippocratem, & Galenum initio lib. Prorrhet. Nisi magis placeat dicere à rigore fieri solere insignem ad somnum propensionem, & medici iubent ne tunc dormiatur; vnde imprudenter permissa est die dormire, & post rigorem, statim, non quidem ab Hippocrate, sed ab astantibus, ac propterea secutum est potius delirium, successit vomitus, & sub noctem surditas. Factus est vomitus, quoniam vt ait Arist. tertio, de Hist. An. decimonono, in somno sanguis ab ambitu corporis intro abscedit, ita vt si tunc pertundantur venæ sanguis minus effluat, cum sanguine humores ferantur ad viscera & ad stomachum, idq; frequenter apparet in vomiturientibus, qui quo magis dormiunt, magis vomitu anguntur. Facta est à somno surditas, quia dormientibus capita replentur, & ob id plus dormientes decolorantur, vt ait Aristor.

Circa Vigesimamprimam. Lateris sinistri grauitas totum cum dolore apparuit, parum tussiuit, vrinam minxit crassitiem habentem, turbidam, subrubram, & quæ seposita non subsidebat; in cæteris autem leuius sese habuit, non tamen sine febre. In hac die critica (nam & vigesimam, & vigesimamprimam esse criticas per coniunctionem, & disiunctionem dixit Hippoc. & Galen.) quędam visa sunt noua, quæ tamen haud timorem incutere debebant; & primum quod grauatinus dolor in toto sinistro latere fit ea die factus fuit, quia humor pituitosus, & crassus, qui in cerebro pepererat surditatem, in thoracem cum quo est consensus insignis, vt docet Arist. trigesima secunda sect. Prob. sit delapsus, & tussim peperit; & quod in latus sinistrum decesserat, ab eo factus est dolor ille per totum latus grauatiuus; Idem per venas præcipitatus in vesicam vna cum aliis humoribus lotium reddebat crassum, turbidum subrubrum, atq; sine subsidētia: cumq; materia morbifica per has partes expurgaretur, relictis nobilioribus, haud mirum est, si leuius habuit, ita tamen, vt prorsus nō esset sine febre, eo quod fomes adhuc perduraret, & focus magnus, qui antecesserat non plene esset extinctus: nam vrinæ turbidæ, quæ nunquam clarescunt, à Galen. 1. de Crisib. duodecimo putantur omnium deterrimę. Quomodo igitur hic nil mali portēderunt? quia scilicet illa turbiditas nō ex agitatione venarum, sed vt dixi, ob materiam à capite per venas delapsam, quod fieri solere habemus ab Hipp. lib. de Glandulis, & alibi, & notandum est, hoc in loco Hippoc. videri distermin are vrinam crassam à turbida secus quā nonnulli existimarunt, qui crassam ac turbidam vrinam, vnam, atq; eandem esse dixerunt contra Auicennæ dogma, qui secunda primi doc. tertio cap. primo aptissime docuit esse diuersas: quod etiam ex eo probari potest, quod crassas interdum Hippocrates appellat albas cum aliquo, scilicet splendore: turbidæ autem sunt semper obscuræ, & sine vllo splendore: nisi dicamus particulam θολερὰ esse, vel expletiuam, seu explicatiuam antecedentium verborum πάχ@-ἔχοντα: quod tamen haud satis mihi probatur. Huius mulieris curationi vtrum toto tempore atq; solita sedulitate & diligentia interfuerit Hippoc. haud satis certus sum, quoniam deest ille ordo, & in principio, & in toto progressu morbi, vsq; ad vigesimamprimam quem obseruare consueuit, vt putauerim ipsum adstantes percontantem interdum adnotasse, quæ in hisce libris memoriæ prodita habemus. etenim postquam narrauit, quæ conrigerunt, vsq; ad vigesimamprimam repetit multa omissa, nec contemnenda ab initio vsq; tunc visa. & deinde summatim cætera vsq; ad octuagesimam diem, in qua fuit iudicata, recenset quasi toto eo tempore ægram, aut nunquam, aut certe rarius, quam antea visitauerit, vt fieri solet in plerisque diuturnis morbis, in

quibus,

quibus medici postquam vident ægros esse periculo defunctos, consueuerunt non sollicitì esse in visitando, sed contenti sunt per interualla tantum videre, de præteritis summatim quærere, & quæ sunt ordinanda ordinare. Sed vt cumque sit, dicit Hippocrates ab initio hanc mulierem faucium dolore fuisse tentatam, & rubore: columellam habuisse contractam, acrem ad eas partes fluxionem, mordacem, salsam: atque hæc semper eatenus perdurasse. Vtrum autem fuerit illa inflammatio in gurgulione, & faucibus, aut in ipsamet columella, quæ potuerit cæteris malis occasionem præstare an vero hæc fuerint febrem secuta, vt sæpe solet, iure dubitari posset, cæterum quia tumores inflammatorii huiusmodi partium grauissimi esse solent, vt Hippocrates locupletissime docuit libro tertio, Prognost. & præ aliis anhelandi facere difficultatem, nec Hippocrates de hoc quicquam dicit (quod sane silere non debuisset si adfuisset,) fit vt censeam potius fuisse puram partium huiusmodi veluti excoriationem factam, tum ratione catarrhi eo assidue destillantis, & rodentis, tum etiam ob vapores feruentes, & acres, qui assiduo ferebantur ad fauces à partibus pectoris, prope quas erat focus febrilis, nec non etiam à stomacho, quem & doluisse, & flagrasse interdum scripsit. Cæterum cum dicat Hippocrates à principio ea adfuisse, non constat, an à rigore, an à partu, an ab initio febris; & potius inclinot vt credam ab initio febris, quoniam ea symptomata, solent febres acutas, & prauas consequi. Vnde vero ea sit exorta destillatio, licet non manifeste appareat, ex obseruatis ab Hippoc. suspicor tamen vitam anteactam primum huic destillationi faciendæ contulisse, siquidem Auicēnas dicebat frequentes cruditates destillationum esse matres: quas cruditates æque est existimare ab hac muliere frequenter esse commissas: cum abundaret, vt monstratum est succis crudis, & crassis. Sed & ipsa febris etiam non parua occasio est destillationum, cum calor febtilis quicquid in cetebro pituitæ continetur, ad fauces mittit, quæ via inter septem commemoratas ab Hippoctate lib. de Glandulis promptior, & proximior est ad suscipiendos à capite delabentes humores: Sed quid vult significare illa verba κίων ἀνεσπασμένος κίων seu columella interdum accipitur pro parte palati, quæ sic ab Aretæo describitur primo de Acutis, cap. octauo, corpus solidum seu nerueum, in medio tonsillarum collocatum ex palato protendens κίων, id est, columella, seu gurgulio vocatur, interdum veto dicitur affectus eiusdem partis, quando scilicet ita tumefactus est tam in summo, quam in imo, vt columnam paruam æmulentur: cum autem hæc pats tres affectus patiatur columellam prædictam, nec non σταφυλὴν, scilicet vuulam, quando summa pars tumet instar vuæ, atque lorum vocatum, quando, scilicet instar corii, & lori extenuatur, certe putarem hic pet columella reuulsa intelligendam potius eam partem totam tumefactam, & præ plenitudine contractam: est enim vt dicit Aretæus huiusmodi pars in loco posita decliui, proptereaque fluxionibus suscipiendis maxime exposita, vnde cum ingens & praua satis esset destillatio ad fauces, rationi consentaneum est ibi positam columellam fuisse ab ea vexatam, atque repletam: posthæc, vt dixi, cum morbus iam factus esset ex acuto diuturnus, ac propterea multo rarius Hippocrates eam inuiseret, paucaque obseruatione digna accidissent: contentus fuit quædam pauca vsq; ad octuagesimam diem, in qua fuit iudicata mulier obseruata commemorare, & idcirco dixit vigesimaseptima quæ est, & vigesimæ, & vigesimæptimæ per coniunctionem prima septimana diuturni morbi, & ideo iudicatoria, eam fuisse absque febre, minxisse vrinam Hypostasim seu subsidentiam habentem, atque latus subdoluisse, quod enim adnotauerit caruisse, tunc febre: caussa fuit, tum quia erat dies decretoria: tum quia forsan tunc primū visa est sine febre, & iure: nam etiam tunc vrina erat cum subsidentia, quæ est coctionis indicium debuisset morbus finiti apparente caussa coctione, nisi imperfecta fuisset, vt existimandum est, eo quod non apposuit Hippocrates alias vrinæ conditiones, quæ sunt propriæ coctionis consummatæ sed solum dixit, οὔρησεν ὑπόστασιν, id est, minxit subsidentiam, siue vt antiqui contextus habent, οὔρεεν ὑπόστασιν, id est,

vrinis

vrinis subsidentia quasi vtero in vrina esset multa subsidentia, nec quicquam aliud obseruatione dignum, quod porro dicit latus subdoluisse, sane de sinistro latere intelligendum est, quod dixerat vigesimaprima die per totum doluisse, etenim febre iam intermissa, & vrina, sedimentum habente congrum est magnam partem eius materiæ, quæ dolorem faciebat fuisse per lotium euacuatam, ac subinde magnopere dolorem esse imminutum, nec nouum est, quæ in partibus pectoris sunt per vrinam exire, cum etiam per aluum pectus euacuari docuerit Galenus, & experientia quotidie testetur: ipsa quoq; ex anatome cōstet venam aiugon vocatam per dorsum intus repentem ad emulgentes pertingere, in easque humores posse eructare: circa trigesimamquartam iterum febris rediit, & aluus turbata effudit biliosa. An febris cum rigore redierit, & an fuerit recidiua haud constat: attamen quia septima die post illius cessationem reuersa est, atque id contigit die decretoria, suspicari possumus aliquem, sed non effatu dignum saltem horrorem affuisse, quod scribat Galenus proprium esse continuarum non horrore: atque huiusmodi suspicio eo magis augetur, quod dicit aluum turbatam biliosa deiecisse: etenim sicuti biliosæ, febres solent in fine accessionis habere similes deiectiones, pariter initio solent inducere rigores, vel saltem horrores, neque proprie debet dici recidiua, alioquin Hippocrates non soluisset, sicuti, non tacuit retro in Herophonte.

QVADRAGESIMA die, quæ est septima per coniunctionem à trigesimaquarta, iterum bilis mota est, paucaque exiuit per vomitum durante adhuc febre: ab hac die vsque ad octuagesimam nil obseruatum est, nisi quod in aliis quadraginta diebus penitus sine febre reddita perfecte iudicata est: ex quo colligi potest quadragesimam postremis diebus, statu incerto mulierem vixisse, ita vt quandoque febricitaret, quandoque non, alioquin non dixisset perfecte iudicatam fuisse octuagesima, siquidem iudicationes quæ antea visæ sunt, omnes fuerant imperfectæ, & hoc vsitatissimum est, vt morbi, qui fiunt à copia humorum crudorum, habeant inæquales, & inordinatos accessus, & recessus: prout scilicet materia hæc vel illa plus minusue coquitur. Dicit Galenus, & recte, coctionem tarde inchoatam indicium fuisse longitudinis morbi, & ob hoc decimaquarta primam fuisse iudicationem, quasi vero tunc aliqua potuerit certitudo haberi futuræ salutis decimæquartæ & quadragesimæ interuallo ἐνοσηλεύετο, ait Galenus, id est, ægrotauit sine periculo, & octuagesima die perfecte fuit liberata. Addit illud esse perpetuo memoriæ tenendum nempe quadragesimam & octuagesimam dies esse decretorias, vt experientia docet, falsumq; esse, & vsui repugnans, q; dies iudicatoriæ semper numerentur per integras septimanas, sic enim quadragesimasecunda, & sexagesimatertia, & octuagesimaquarta, non quadragesima, sexagesima, octuagesima, vt hæc historia docet, iudicarent. Nunc aliquid de curatione dicamus, & primum de victu, quem donec durauit acuties morbi, tenuem fuisse institutum est verisimile, mox post decimamquartam cum iam & tutus, & longus visus est futurus, iure debuit ipsi Hippocrates, siue quispiam alius victum augere. Vtrum autem vinum in huiusmodi casu fuisset concedendum quæri posset: certe ipse non concessissem, siquidem etiam decimasexta acerbatus est morbus, & delirauit: est autem Galeni præceptum primo ad Glauconem 14. vt vbi est delirii vel doloris capitis, aut præsentia, aut suspitio, omnino abstineatur à vino, præsertim in febribus, prætetquam quod ab initio vsque ad vigesimamsecundam laborauit calida destillatione ad fauces, cuius merito minime conuenit vinum, itaque nisi post vigesimamptimam, ipse vinum indulsissem: & miror nostro tempore plerisque in locis medicos adeo faciles esse in concedendo vino febricitantibus ante coctionem, & adhuc vigentibus symptomatibus, cum Hippocrates secundo de victu acut. præcipiat haudquaquam mutandam esse victus rationem, præsertim in acutis nisi postridie à crise, quod intelligendum est à legitima euacuatione, siue facta à natura, siue ab arte. Audiatur Plinius auctor grauissimus cap: primo lib. vigesimitertii, vbi hæc

hæc scribit, quod ad febrium valetudines attinet, certum non dandum in febribus & nisi veteribus ægris vinum: nec nisi declinante morbo, & quæ sequuntur, vbi etiam à partu, & ab abortu esse denegandum monet. De Chirurgicis præsidiis, Hippocrates nihil meminit, vtrum puerperia post inchoatum morbum secundum rationem procederent: Attamen credendum est non profluxisse, cum nunquam Hippocrates eorum meminit, & in ea quæ fœminam peperit, quæque diebus quadraginta purgari debet vt diximus: alioquin, quomodo potuisset tam sæuus morbus eam tentare, quæ copiose, & secundum rationem purgaretur: etenim si videatur Hippocrates primo lib. de Morb. mulieb. vbi de iis tractat, quibus post partum haud recte fluunt puerperia, fere cuncta symptomata iis contingere scribit, quæ hoc in loco commemorat contigisse Epicratis vxori: vt ob hoc verisimile putem, quemadmodum alias dixi, ei defuisse puerperia, tacuisse autem Hippocr. quia (vt dixi) non sedulo visitauerit ægram, atque magis curarit reliqua symptomata, quam hoc: ergo in desinentibus, vel suppressis puerperiis necessum est sanguinē à talo, vel poplite mittere, sine crura scarificare: & dum hæc scribo, fœminæ Florentinæ nobili & pulcherrimæ, cui in primo partu octauo mense fœtus mortuus fuerat manibus extractus, nec purgamenta partus succedebant, post quartam diem extracta libra sanguinis à pede, eam à dirissima febre, aliisque doloribus liberauit: De ceteris remediis primum fuisset coctioni humorum incumbendum iis, quæ vim habent aperiendi, refrigerandi, ac humectandi, additis etiam semper aliquibus menstrua prouocantibus, vt erythrodani, ac petroselini radice, rubeo cicere, capillo veneris, aliisque similibus, & aduersus symptomata fuisset contendendum, vt aduersus vigilias, & deliria oxyrrhodinis, lotionibus extremorum: aduersus sitim foliis lactucæ, aut frustis cucurbitæ, vel peponis ore detentis aurantio aqua macerato: lotiones oris etiam ex pura aqua in febricitantibus cum dolore capitis Aetius damnat, eo quod aqua palato incenso affusa vapores magis in caput mittat, verum aduersus continuum illam oris partium affectionem collutionibus vtendum fuisset adstringentibus, vt ex rosis balaustiis myrti baccis. Aduersus quoque dolores erat pugnandum vnctionibus, & fotibus tepidioribus tam tactu, quam potentia, aut camomelo, anetho, meliloto: Apparente aliquo coctionis signo post decimamquattam licebat præbere medicamentum aliquod purgatorium, cuius loco nunc componi posset ex sena, rhabarb. agar. mell. ros. sol. Tum adhuc pergendum erat in aperientibus, attenuantibus, detergentibus: & quia vigesimaseptima fuit sine febre, & minxit cum hypostasi, tunc iterū fuisset exquisitius purgandum corpus, quemadmodū hoc tempore vel pillulis illis aggregatiuis vocatis, vel confectione Hamech, & diluto agarici, vel alio quopiam simili medicamento crassos humores purgare valente. Qua purgatione repetita, & exacte muliere purgata fuisset vsque ad perfectam crisin relaxanda victus ratio, tum in potu vini, tum in vsu aliorum ciborum, ita tamen vt semper edulia essent aperiente vi prędita, cuiusmodi fit cum vna cum carnib. feruet hyssopus, vel radix petroselini, aliaque attenuans victus ratio administratur, de qua præclarum Galeni libellum habemus. Veteres (vt ait Celsus) declinantibus morbis balnea, frictiones, gestationes, aliasque exercitationes adhibebant, sed nostro tempore balneorum vsus desueuit. Inde possent in his casibus cetera moderate, atq; prudenter adhiberi, præsertim constans viuendi obseruatio est in cunctis morbis diuturnis necessaria, quando ab hac vna inobseruata morbos longe lateque protrahi quotidiana docet experientia.

HISTORIA SEXTA.



LEONACTIDEM, qui decumbebat supra Herculis ædes, febris magna corripuit erratico modo: dolebat autem & caput ab initio, & latus sinistrum & aliorum; dolores lassitudinis modo; febres exacerbatæ aliæ aliter, inordinatę; sudores interdum quidem, interdum non: vt plurimum inuadebant paroxysmi in decretoriis magis. At circa VIGESIMAMQVARTAM. *secundum extremas manus refrigeratus est; vomuit biliosa, flaua, & subsequentia; paulo post virulenta; omnibus leuatus est. Circa vero* TRIGESIMAM *existenti cœpit à naribus fluere sanguis; ex vtrisque, & hæc erratico modo paullatim vsque ad iudicationem: non autem cibum auersabatur, neque siticulosus toto tempore: neque vigil. vrinæ autem albæ, non decolores. Circa autem* QVADRAGESIMAM, *existens minxit sub rubra subsidentiam multam, valde rubram habentia; leuatus est: post hæc autem vario modo: vrinæ aliquando quidem sedimentum habebant, aliquando vero non.* SEXAGESIMA *vrinis subsidentia multa, & alba & leuis: remissa sunt cuncta; febres defecerunt: vrinæ tenues quidem, at boni coloris.* SEPTVAGESIMA *sine febre: intermisit dies decem.* OCTVAGESIMA *superriguit, febris acuta corripuit; sudauit multo; vrinis subsidentia rubra, leuis, perfecte iudicatus est.*

LEONACTIDEM, qui decumb. Præsens æger cum nulla habuerit pestiferi morbi indicia, sed statim ab initio longioris morbi & salutaris argumenta fuerint, dubitari posset, cur Hippocrates inter cõstitutionis pestilentis ægros recenseat; sed sciendum est in peste quoq; fieri morbos non pestiferos ptopter subiectorum corporum ad eam suscipiendam ineptitudinem, vt lib. de flatibus habetur, & ptopterea Hippocratem, vt hoc doceret, voluisse præsentem, & alios non pestilenter ægrotantes proponere, præsertim quos aliquid rari habuisse cognouit. Quis autem fuerit hic Cleonactides, siue (vt vocat Galenus secundo de diffic. respir. cap. 10.) Cleantides, aut Cleanactis vt alii, cuius ciuitatis, ætatis, & professionis haud constat, si quid tamen conicere licet, primum puto fuisse Thasium, & forsan sacris faciendis deditum, cum supta Herculis templum habitaret, vel saltem æger decumberet: nam censueuisse veteres ægros in templa, vel templorum domos mittere, vt beneficio Deorum curarentur, certum est ex historiis. Iam vero crassis atque melancholicis humoribus eum abundasse, & ob hoc prauis eduliis victitasse ostendit febris ipsius natura, quam ab initio habuit: febres enim etraticas propterea in quartanas desiere docuerunt Galen. primo ad Glauc. & Hippocrates, quoniam à melancholicis & crassis succis fiunt. Vtrum autem visitauerit hunc Hippocrates quotidie, dubito, quia quæ contigerunt ante vigesimamquartam haud distincte, & copiose narrat: nam qui obseruandis ægrorum rebus diligenter student, quolibet die, quæ cõtingunt, adnotare solent, sicuti summatim adnotant, quæ aliorũ relatu ex plurib. diebus colligunt: sed, videamus quæ symptomata dicat Hippocrates primis diebus ante vigesimamquartam accidisse: nam quod spectat ad actiones læsas dolore capitis, lateris sinistri, aliarumque partium laborabat, & dolor erat lassitudinis cuiusdam modo. De excrementis mutatis dicit illum sudasse interdum, aliquando non sudasse. Quod ad affectus, seu qualitates mutatas, febris initio eum cepit erratico modo: quæ tamen inordinate exacerbabatur, sed ita vt semper in criticis diebus potissimum fierent. Atque hæc vsque ad decimamquartam, ita sese habuerunt. Ceterum de dolore capitis, lateris sinistri, & aliarum partium certum est non fuisse pleuritidem, quod hæc dolorem habet pungitiuum, non autem modo lassitudinis, vt habuit præsens æger. At dubium est quid Hippocrates intelligat per dolorem lassitudinarium: nam Galenus primo & secundo de loc. aff. vbi innumeras prope dolorum differentias ex Archigene atque aliis proponit, huius doloris nullam facit mentionem: scio lassitudinis tres esse factas differentias à Galeno in lib. de tu. val. atque alibi nempe tensiuam, vlcerosam

vlcerosam, atq; phlegmonosam; sed nec ibi, nec vspiam alibi, quàm hic doloris lassitudinarij meminit. Dicerem id quod scribit Galenus eodem secundo de loc. aff. differentias dolorum à medico non posse recte exprimi, nisi ipse passus sit; propterea; ab ipsius ægrotantis relatione potius comparari; ægrotantes vero, cum plerumq; ignorantes sint, haud referunt res ad amussim, vt habent, sed prout sciunt ipsas scribunt; vnde si quando simul, & lassitudine & dolore laborant, atq; lassitudo sit tensiua, aut vlcerosa, aut phlegmonosa dicunt esse dolorem cum lassitudine, atque hoc forsan intelligens Hippo. dixit dolorem modo lassitudinario, non autem dolorem lassitudinarium; & ego puto fuisse dolorem, qualis solet esse in quartanariis, quibus crassitie humoris fit dolor grauatiuus, ac tensiuus: cum enim vniuersum pene corpus huiusmodi crassis humoribus scateret, accedente febre facta est varia & diuersa putrefactio; vnde erratico modo se habuit febris, eaque putredine elati vapores in caput ipsius dolorem pepererunt. Iure autem dicit Hippoc. doluisse latus sinistrum, cum in eo situs sit lien, qui est humoris melancholici, quo iste abundabat, domicilium proprium: & aduertendum est Hipp. non dicere fuisse febrem erraticam, sed erratico modo afflixisse; quoniã vt optime dicit Galenus, hæc erat febris magna acuta, & continua, quæ tamen haud statas, vt Plinius loquitur, habebat accessiones, sed incertas, vt ait Celsus, & inordinatas ob variam, & variorũ locorum putredinem. Febres autem erraticæ vt plurimum sunt intermittentes; atque solent, vt dicit Hippocrates secundo prog. in quartanas desinere, quod minime contigit Cleonactidi, quia nõ erat vere erratica, sed tantum erratico modo exacerbabatur, in diebus potissimum decretoriis, ita vt neque diem, neq; horam certam liceret animaduertere exacerbationis, sed modo tertia modo quarta modo sexta fiebat, quę erat caussa vt sudaret: Hæc scilicet, quia abundabant succi crassi, & melancholici, quibus semper iuncta est ingens seri copia; vt propterea Hippocrat. quarto lib. de morb. dixerit lienem esse aquæ locum, & sexto Epide. pauidorum, id est melancholicorum sanguinem esse serosum, id quod etiam Aristot. in probl. scripsit. Circa VIGESIMAMQVARTAM (ait) multa alia contigisse, & dicit circa vigesimam quartam, id est paulo post, atq; in ipsam et vigesimaquarta, quoniam non exacte, qui sibi referebant, ipsas res significabant. Hoc itaque tempore inquit circa extremas laborasse manus, ac vomuisse flaua biliosa συνεχέα, id est subcontinua, paulo post autem æruginosa, ex quibus leuatus est. Quis fuerit dolor extremarum manuum, de quo ait Galenus, nõ est ita facile conijcere, neque puto quod aliqui dicant fuisse abscessum, quoniam si fuisset, sane iuuisset; quia partium inferiorum abscessus sunt vtiles, vt Hippocrates dicit secundo Epide. non apparet autem iuuisse. Vnde potius suspicor hunc dolorem fuisse puram chiragram, etsi velimus huiusmodi expulsionem vocare abscessum communi nomine, vt sæpe solet Hippocr. & chiragram appellare, non moror. Veteres solebant appellare totum brachium à cubito manum, medici autem magis proprie appellant manum, quicquid à carpo vsq; ad vngues est: extremæ autẽ manus, vt est apud Pollucem & Ruffum Ephesium sunt digiti: dolor igitur iste erat proprie in digitis, qui à duabus caussis fiebat, altera fuit accidentalis, altera naturalis. Accidentalis fuit, quia forte hic manibus operabatur; vnde facile fiere potuit, vt laboraret secundum ipsas; est autem Hippocratis sententia quarto aphorism. 33. quod vbi pars aliqua ante morbũ laborat, in ipso morbo eo potissimum concurrere solet materia. Caussa autem naturalis fuit consensus, qui est inter iecur, & manus, cum enim iecur maxime flagraret, vt demonstrarunt vomitus biliosi & æruginosi, facta est ingens copia bilis, quæ postmodum in stomachum fusa, fecit vomitum, delapsa autem in manus chiragrã induxit, quæ veluti alij morbi articulares, vt scribit Hippocrates in libro de aff. inter. à bile, & à pituita constituitur. De hoc autem consensu manuum cum iecore dubitatum est apud antiquos. Rhasis enim auctor celeberrimus lib. decimoseptimo, & Auicenna secunda primi doct. tertia, cap. primo, & decimaquarta tertij trac. primo, dicunt adesse huiuscemodi consensum, & ideo breuitate manuum iecinoris par-

F

ris paruitatem, & illius magnitudine harum longitudinem argui posse. Ex alia parte Hipp. & Gal. nil meminerunt huius rei: imo vero Auerroes quarto coll. quarto, irridet Auicen. quasi non cognouerit vbi sit virtus formalis, sed miror quomodo Auerroes ita audacter reprehenderit Auicen. nec obstat, quod virtus formatrix sit vel in corde, vt ipse cum Aristotele existimauit, siue in alia parte, quia etiã sicut ipse Auerr. dicit, facultas ex operatione dignoscatur, non tamen potest colligi conformatio ex instrumentis: nam vbi iecur calidum est, & cõsequenter vbi sanguis multus est, opus est, vt vasa etiam sint magna; venæ autem maximæ tendunt ad manus; vnde caliditatis iecoris manuum caliditas argumẽtum certum habetur: hoc idem potest etiam contingere de breuitate & longitudine. Quod autẽ fuerit euacuatione per vomitum leuatus Cleonactis nõ ab re contigit, siquidem vt ait Hipp. primo aphor. secundo, in perturbationib. ventris, & vomitibus spontaneis si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facile ferunt. Quod autem in febre erratica, quæ à crassis succis originem habet, etiam biliosi interdũ fiant, & vomantur, contingit quia à febribus calescens, magis, atq; magis iecur succos attractos exurit, atq; pro exustionis ratione modo bilem flauam, modo æruginosam facit, quando huic humor crudus miscetur, haud secus ac obseruamus in ipsis hydropicis febrientibus generari febres, atq; interdum bilem. Vbi autem huiuscemodi humor genitus est, facile in stomachum eructatur, vtpote ab ipsis febribus debilitatum: in stomacho languido facile humor alioquin propria natura fluitans vomitum ciet, præsertim quando rigoribus, vel horroribus, aliisve perturbationibus inchoant febrium accessiones, in quibus videmus frequenter vomitum concitari, vt ob hanc rationem dixerit Hipp. huiusmodi vomitum biliosum fuisse non ita frequentem, nec ita rarum, sed ὑπόσυχνον; Cum ergo hæc sola obseruatu digna in febre diuturna, & minime periculosa contigissent circa vigesimamquartam, alia quoq; acciderunt circa TRIGESIMAM, quando scilicet à naribus vtrisque cœpit sanguis inordinate fluere, & paullatim vsque ad crisen, quo tempore nec absque appetitu, nec cum siti nec cum vigiliis erat; sed vrinæ tenues atq; decolores erant. Atq; horum omnium euentuum satis manifesta fuit caussa, & primum, quod sanguis proflueret, fuit, quia dolor antecedens capitis, & vomitus illud reliquerat debilitatum, & aliquantisper sanguine repletum, quẽ natura expellere tum cœpit paullo validior facta, atq; vomitu exonerata: etenim vomitu caput, & præsertim circa oculos magnopere commoueri ipsamet experientia docet, vt ob hoc vomituris soleant prudentes medici oculos fasciis obligare, atque constringere. Fluebat autem sanguis ex vtraq; nare: quia vtrumq; viscus erat affectum, tum scilicet iecur, tum lien: exiguus porro erat sanguis, quia forsan ob ætatis inclinationẽ, & febris naturam non admodũ sanguis exuberabat; Et quia motus eius febris motum sequebatur, propterea, vt erat illa inordinata, & erratico modo affligens, sic erratice sanguis mouebatur, & consequenter vsq; ad consummatam crisin perdurabat. Porro cur Hipp. addit, quod vrinæ tenues, nec decoloratæ essent per totum morbi tempus? nõ enim id accidebat, quoniam morbus ad coctionem tenderet, quam à caloris mutatione in vrina dicebat Gal. primo de cris. 12. inchoare; siquidem hoc fuit semper etiam initio febris, quando nondum fit coctio. Igitur dicendum est verum esse, quod coctio, (quæ vt dicit Galenus, est veluti quædam adæquatio humorum, & ad medietatem redactio) quę sunt tenuiora incrassat, & quæ sunt crassiora attenuat; attamen tenuitas quoque est cruditatis indicium, cum statim apparet, sicuti coctionis, vbi succedit crassities; vnde cum in Cleonactide adfuerit cum colore, signũ erat vt adnotauit Galenus, morbi longitudinis; quam non indicasset, si simul coloris, & consistentiæ mediocris fuisset; quæ conditiones, vt coctionis, ac morbi breuitatis signa sunt. Etenim tenuitas, quæ cruditatis comes est, significat opus esse multo tempore, vt crudus succus coquatur. Iam vero quid est quod Hippocrates dicit; non fuisse ἄσιτον, neq; ἀγρυπνὸν, non autem dicit ipsum appetiuisse, & dormiuisse? præterea quæ fuit caussa, cur in tot febribus nunquam sitiuerit? Ad primum puto prudenter ita fuisse Hippocratem

cratem locutum quandoquidem mirū quodammodo erat in morbo diuturno, & à crassis succis genito, à bilioso, & æruginoso vomitu haudquaquam insigniter esse labefactatam appetentiam; dico insigniter, quia in nullo pene morbo & præsertim diuturno potest appetitus perdurare; sed sat est, si inappetentia, siue ciborū abominatio non fiat; Pari pacto etsi handquaquā dormiret secundū sanitatis temporis consuetudinem, dormiebat tamen moderate, atq; de inappetentia, & vigiliis ait Gal. sic locutum fuisse Hipp. vt doceret in huiusmodi febre haudquaquam exnberasse biliosum & calidum succum, à quo inappetentia, & vigiliæ producuntur. De siti mirum est si in febre nunquam ea adsit; neque Hippocr. dum dicit, quod non erat ὀλιψώδης, voluit significare ipsum prorsus fuisse toto morbi tempore absq; omni siti; sed quod non haberet eam in habitu, & semper, vt solent, qui sunt siticulosi; cuius caussa erat quia abundabat succis frigidis, crudis, & crassis, qui sitim non faciunt nisi quando incalescunt, & putrescunt. Circa QVADRAGESIMAM, quæ est diuturnorum decretoria dies cum esset, Cleonactis, subrubram vrinam cum multa rubra subsidentia minxit, ac leuatus est; at non perdurauit vrina, sed usque ad sexagesimum diem interdum subsidentiam habebat, interdum ea carebat. Verum dubitari iure posset, cur Hipp. in sequentibus diebus nullum aliud fere accidens commemoret, quam illa, quæ ad vrinā pertinent, cum tamen haud verisimile videatur nulla alia contigisse. Primum, quod nō meminerit respirationis dicit Gal. secundo de diff. resp. decimo, hoc fecisse Hipp. quia erat conspicuum cum vigesimaquarta laborasset sinistri lateris dolore, eam difficilem cum necessario habuisse. Quod autem solius vrinæ meminerit puto duas fuisse caussas, vnam quia in morbis diuturnis nullum certius signum est ipsa vrina; cum enim oriantur à succis frigidis, & crassis; istorum statum oprime demonstrat vrina, vt ait Galenus primo de cris. 12. & Arist. initio quarti Meteor. Altera caussa fuit, quia forsan nō visitabat amplius illum, quoniam cum post vigesimamquartam vidisset illū extra periculum, ipsum reliquit, & ad se delatas vrinas, quemadmodū etiam hodie fit, tantummodo inspiciebat. Vrina subrubra cum sedimento rubro, & copioso monstrat humoris copiā, qui coquitur, non autē coctus est, alioquin sedimentum album fuisset: cum autem semper talis nō esset, sed aliquando nil haberet subsidentiæ signum erat materiam variam, in variis locis fuisse, atq; aliam crudam penitus, aliam semicoctam extitisse, & propterea diutius morbum fuisse protrahendum. SEXAGESIMA DIE, quę & ipsa decretoria est diuturnorum coctio, quæ iam inchoata, & multum progressa erat, cœpit apparere perfecta; vnde vrinæ fuerunt cum subsidentia multa alba, & læui; ac ob id cuncta remissa sunt symptomata; similiter, & febres defecerunt; atque tedierunt ante septuagesimam adhuc tenues, id est sine sedimento, & cum bono colore, quoniam vt dictū est varia erat materia, atq; variis in locis putrescebat, aliqua pars nondum perfectam maturationem adepta erat, neque vrina haud semper coctionem integram ostendebat, & forsan etiam ob hoc aliqua febricula aderat, cum subiungat Hipp. septima die ægrum per decem dies absq; febre fuisse, hoc est vsq; ad octuagesimam, in qua factus tigor cum febre acuta succedente, euacuataq; materia per multū sudorem, & vrina cum rubore sedimento, atq; læuia reddita perfecte iudicatus est. Circa quæ nonnulla sunt animaduersione, & aliqua speculatione digna; & primum quomodo crisis perfecta potuerit fieri octuagesima, cum potius morbi longi per abscessum, vt dicebat Hipp. quam per crisin soluantur. Deinde cur potius per sudorem, cum ratas admodū perfectas crises fieri sudore prodiderit Gal. tertio de crisi. Postremo si perfecta crisis nequit esse absq; perfecta coctione, quomodo hic dicat Cleonactidem fuisse perfecte iudicatū cum sedimento vrinæ rubro, & læui, debet enim sedimentum esse album, & læue, si perfectam indicaturū est coctionem, vt vbiq; Hipp. & Gal. docuerunt: & certe miror cur perscrutari, ac definire hæc omnia, præsertim autem vltimum voluerit Gal. Ad primum igitur dicendum est, hunc casum, tanquam rarum ab Hipp. adnotatū fuisse; & puto potissimum fuisse inductū ad eum obseruandum, & posteris relinquendū, quoniam etiā

sibi videbatur mirum posse quempiam octuagesima die iudicari cum sudore copioso,& cum vrinæ subsidentia non alba,sed rubra. Verum cum hæc ita acciderint, de tarditate dicendum est,quoniam materia nó erat vnius, sed variorum & diuersorum generum. Etenim homogenea materia, & non admodum crassa multo citius coquitur,aut in aliquem locum depulsa abscessum facit; quæ autẽ est diuersa, & cum crassitie, opus habet multo tempore ad hoc vt possit perfectam coctionem adipisci; quod enim pertinet ad octuagesimam diem,si,vt significat Galenus,vigesima dies complectitur tres septimanas,& ob id est indicatoria etiam octuagesima inter iudicatorias est collocanda,veluti quæ cóplectitur quater vigesimam. Porro de sudore duplex assignari potest causa cur ea facta sit in Cleonactide crisis; prior est,quoniam materia cruda,crassa, & melancholica semper multum serum habet, vt compertum est in quartanis,in quibus fiũt sudores copiosissimi. Altera fuit rigor,qui octuagesima superuenit, à quo cum iam materia esset magna ex parte attenuata,facile fuit,vt cómota per vniuersum corpus in cute propelleretur, quemadmodum etiam cótigit ante vigesimam quartam,quo tempore etiá interdum sudasse adnotauit. At sedimentũ vrinæ rubrum,sane exemplũ,vt dicebam rarum est, veruntamẽ haud caret aliqua ratione, scilicet variam fuisse materiá; cuius maxima portio perfecte cum fuerit cocta minima vero fuerit,quæ nondum exactam maturationẽ erat consecuta, handquaquã hæc potuit impediri, quominus fieret legitima,atq; perfecta expulsio,& crisis. Nunc de curatione tẽpus est aliquid dicamus,& quoniam primis diebus satis concipi poterat morbum futurum esse diuturnum, par erat,vt victus institueretur non ita tenuis,sed paullo largior,quo posset statum, & coctionem,quæ longe distabant absque virium detrimento expectare: vnde & oua,& caro auicularum saltem poterat concedi.Vinum quoque ipse concessissem, nisi dolor capitis,& sinistri lateris,atque aliarum partium,qui prioribus diebus apparuerunt obstitissent. Quod pertinet ad chirurgiam necesse fuit, vt mitteretur sanguis, si non ob aliud, saltem quia febris putrida erat; & in putridis omnibus dicebat Gal. 11. Meth. 17. saluberrimum esse sanguinem mittere. Imo vero cum circa trigesimam diem sanguis è naribus exiguus profluere cœpisset, atque tum verisimile esset vires non esse inualidas ob accidentia remissa libenter sanguinis missionem repetiuissem;sed forsan obstitit ætas,& copia crudorum humorum, siquidẽ est sententia Galeni quarto de tu. valet. 4. & lib. de curat. per sang. miss. vbi humores crudi sunt non debere mitti sanguinem, & maxime si febris adsit. De aliis remediis cum nullo tempore apparuerint vnquam turgentiæ, vel vrgentiæ argumenta, coquendi, & recoquendi humores non semel erant,sed iterum, atque iterum similiter perpurgandi iis præsertim medicamentis, quæ varios, & crassos humores purgandi facultatem habent; & quoniam natura initio & sudoris, & vrinarum euacuationes fere conducturas perspicue docuerat,credibile est medicos curæ præfectos id potissimum studuisse,vt tam sudorem , quam vrinas prouocarent; quo similiter factum puto,vt in ipsis vrinis copiosa sedimenta perspicerentur.

HISTORIA SEPTIMA.

METONEM *febris magna corripuit, lumborum grauitas dolorosa.* SECUNDA *aquam bibenti subcopiosam ab aluo recte secessit.* TERTIA *capitis grauitas:deiectiones tenues,biliosa, subrubra.* QUARTA *omnia sunt exacerbata: fluxit à dextera nare sanguis, bis, parum: noctem moleste, deiectiones similes tertia; vrinas subnigras habuit, enæorema subnigrum existens dispersum:non subsidebat.* QUINTA *fluxit largius ex sinistra, sincerum sudauit,iudicatus est: post crisin vigil: obloquebatur, vrinæ tenues, subnigra, balneis vsus est ad caput: dormiuit: resipuit: huic non rediit, sed sanguis sæpe,& post crisin.*

METONEM FEBRIS COEPIT. Præsens historia, quamquam breuis sit, attamen præclara documenta in se continet, neque dubitandum est, quin ex ægrotis antecedentis constitutionis fuerit, atque ab Hippocrate sit visitatus; imo vero cum solius nominis proprij fecerit mentionem, opinari mihi libet hunc Metonem satis valde illustrem, ac notam personam fuisse, quamquam sola nominis raritas solet interdum facere homines notos, vt ob hoc cum rarissimi essent, qui vocarentur Metones facile fuit illum absq; alia nota cognoscendum proponere. Ceterum his in præsens dimissis videamus quid nostro Metoni contigerit; quem æstiuo tempore ægrotasse mihi fit verisimile, tum quia morbus fuit breuissimus, cuiusmodi esse solent omnes æstiui, tum quia medici aquæ multæ frigidæ potum secunda die illi non concessissent, nisi fuisset æstas, cum inter alias conditiones, quas solent medici in exhibenda aqua frigida obseruare, sit, vt tempus sit æstiuum, & æger multam aquam potare soleat. Itaque Metonem statim prima die ignis, id est, febris magna corripuit vna cum lumborum grauatiuo dolore. Verum aliquam externam occasionem habuerit Meton febris magnæ in prima die acquirendæ non apparet ex relatis; nisi ad caussam communem febrium pestiferarum recurramus, nempe ad aerem pestilentem, quam vnicam esse pestis caussam, ea irrefutabili demonstratione probauit Hippocrates, quod morbi communissimi vt pestis caussa sit communissima, nempe aer; neque enim paludes Auernæ, vitiatæq; aquæ aut cadauera non cremata faciunt pestē nisi aerem primo vitiando; sicut nec vsus prauorum ciborum; nisi quia disponunt corpora ad suscipiendum aeris vitiū; vt perspicue docet Galenus primo de diffi. febr. quarto. neque etiam contagium absque aere ipso vitiato quicquam potest ad eam producendam, alioquin nil impediret, quia febres citra pestem pestilentes adstantibus communicarentur; vel saltem aliquibus paratioribus, quod tamē experientia non comprobatur. Nisi etiam ex dolore lumborum grauatiuo placeat suspicari an rea immoderate brachiis, & dorso laborasse, vt faciebant tēpore Hippocratis luctatores, & pancratiastæ; quemadmodum nos in arte gymn. docuimus; vel nimium equitasse. Etenim Aristot. quarta probl. 12. quærens rationem cur equitantes euadant libidinosiores, id propterea euenire scribit, quoniam in equitando illæ partes valde mouentur, & agitantur, quæ etiam in coitu, nimirū lumbi. Sed vtcumque sit rationi consentaneum est putredinē accensam fuisse in vena caua, quæ dorsum perreptat, ibiq; copiosam materiam putredine aptam existentem ob intemperiem ingenitē peperisse dolorē ob copiā vero dolorē grauatiuum; similiter etiam febrem enimiā produxisse, quod putredo esset magna in parte non exigui momenti, & vnde non multa cum difficultate poterant copiosi vapores putridi in cor mitti, illiusque calorem in ignem verti. Etenim vbi ea in vena fit putredo, experientia quotidiana docet non modo ingentes excitari febres, verum etiam singulari quodam dorsi dolore tantisper febricitantes cruciari, donec sedetur febris, & illius partis feruor mitigetur; quem solemus placare vsu epirhematum modice refrigerantium illis partibus applicatorum, vt sunt folia lactucæ, aut panni linei lacte immacerati, aliaq; similia auxilia. Cum autem dicat Gal. primo & tertio de Crisi. quatuor circa febrem semper esse consideranda. Ideam, magnitudinem, motum, & morem. Primum de idea, cum nulla rigoris, aut horroris mentio fiat, putandum est continuam fuisse ex putredine vtriusq; bilis circa iecur, & lienem, vt indicauit fluxus sanguinis primum è dextra, deinde è sinistra nare. De magnitudine autem postquam Hipp. appellat hanc febrem ignem existimandum, omnino est eam fuisse magnam, sic enim solet eas semper appellare, quando sunt magnæ. Fuit celeris motus, quia acuta, cum quinta die terminata sit. Fuit etiam maligni moris, & quamquam euaserit, habuit tamen symptomata deterrima, adeo vt mirum sit ipsum enasisse. SECVNDA DIE, inquit Hippocrates, Metoni aquam bibenti multam aluum profudisse honeste fatis. An ipse sua sponte adactus siti potauerit, an medicorum consilio nō dicit Hippocrates, attamen vtrumque potuit contigisse, nam (vt dicit Plato in Philebo) fe-

bricitantibus nil est optatius, nil iucundius potu aquæ frigidæ. Sed quia valde dubium est, quomodo potuerint medici tuto secunda die aquam frigidam exhibere, ea de re paullo fusius disputabo, cum curationem tractandi tempus erit. Quod aũt dicat à potu aquæ aluum καλῶς, id est recte fluxisse, non est præter rationem, quia ubi aqua in magna copia sumitur, magnã vim infert naturali facultati, tam retentrici, quam expultrici, quæ si, vbi stimulatur vehementer, valida sit, non modo eam protrudit solam extra corpus, verum etiam simul quicquid in maioribus cauitatibus expulsioni aptum reperitur, quales sunt biliosi, subrubri, ac tenues succi, quos TERTIA die aluo exiuisse narrat. Atqui posset, aliquis percunctari, cur factum sit, vt post illius aquæ potũ, & exeuntibus humorib. peccantibus, nihilominus capitis grauitas tertia die fit subsecuta: cui respondendum est, potuisse tantũ aquæ in ventriculo esse, vt eius atq; intestinorum facultatibus expulsiuis vim inferret absque ingenti agitatione, quę ob eximiam, quam habet ventriculus cum capite communionem, illi impertita, dolorem grauatiuum pepererit; sic enim dicere solebat Galenus, ventriculum grauatum etiam animum male afficere. Prædicta autẽ turbatio, & agitatio, cum paullo diutius durauerit, factum est, vt dixerit Hippocrates quarta die cuncta fuisse exacerbata, scilicet noctem fuisse absq; quiete; bis sanguinem paulatim ex dextra nare effluxisse, ab aluo easdem, quas tertia die deiectiones exiuisse, vrinasq; reddidisse nigras cum suspensione subnigra, & dispersa sine vllo sudore. Videndum aurem cur sanguis potissimum è naribus fluxerit, cur à dextra, cur quarta, cur bis, & cur parum. Quod pertinet ad primum illud compertissimum est facillime omnium è naribus sanguinẽ exire, cuius rei triplex potest afferri ratio; vna est, quam affert Aristot. tertio de part. anim. quinto, vbi scribit sanguinem propterea facile homini ex naribus profluere, gingiuis, & sede, quoniã vasa in his ampliora, & patentiora sunt: imo decima prob. secundo, dicebat ex omni animantiũ genere, vni homini sanguinẽ defluere è naribus quoniã plurimum cerebri idemq; humidi habet. Altera ratio est copia sternutamentorũ, ob quã concussa vasa facilius aperiuntur: scribit enim idem Arist. 10. probl. 20. hominem frequentius cæteris animalibus sternuere, quod nares habeat omniũ breuissimas. Tertia ratio est tractatio frequẽtissima harũ partium, ob quã vasorum ora redduntur apertiora ad hiandum, sicut etiam eadẽ ratione frequenter profluit sanguis, è gingiuis, & sede. Ad secundum est dicendũ iecur huic maxime fuisse incensum; vnde sanguis tenuior, & vapores rapti facilius ratione rectitudinis, quam diligit maxime natura, è nare dextra sanguis erupit. Quarta die, quia est prima decretoria, cum enim sanguis calore, & mobilitate sua cito moueatur, iure hoc facit prima decretoria die, quæ est quarta. Bis aũt, & parum fluxit, tum ob crassitiẽ, tum quia nondũ erat paratus, quo factum est etiam, vt sequens nox sibi fuerit grauis, ã attracto, vel depulso ad cerebrũ sanguine. Quod porro nullus in morbo bilioso quarta die apparuerit sudor, magna cum ratione factũ est, siquidem natura aliis euacuationib. impedita haud faciendo sudori poterat incumbere, atq; multo minus cũ pars serosa per vrinas, & deiectiones tenues, atq; biliosas euacuaretur. Cum aũt tenuior pars sanguinis ad narem dextram, vt dictum est, ferretur, pars crassior & exusta magis ad vesicam delata vrinã nigram reddebat, vna cum subnigra nubecula, eaq; propter exustionẽ diuulsa. Et certe ratione huius vrinæ Meton perire debuisset; si vera scripserunt Hipp. secundo prog. & in Coac. & Gale. primo de cris. duodecimo, qui dicunt vrinam nigram, cum nigro sedimento esse adeo exitialem, vt Gal. fateatur neminẽ sese vidisse cum ea seruatum. Sed nigredo illa tam liquoris, quam nebulæ haudquaquam intensa erat, sed exigua potiusq; roboris facultatis expellentis, quam ingentis, seu exitialis incendij nota; sic etiam alios videbitis ab Hippocrate commemorari, qui cum vrinis nigris sunt seruati, quæ factæ sunt nigræ non propter simplicem exustionẽ, sed ob commixtionem atri humoris. Quamquam potest etiam dici casum hunc fuisse rarissimum, atque propter huiusmodi raritatem fuisse ab Hippocrate notatum.

QVINTA DIE. Porro quinta die effluxit largiter è nare sinistra sanguis sincerus, sudauit,

sudauit, & iudicatus est. Diximus focũ putredinis fuisse tum circa iecur, tum circa lienem; quare cum ante putredo iecinoris vtpote expulsioni paratior partim per narem dextram, partim per vrinam esset exonerata, ea quæ fiebat circa lienem, postera die impetu maiore mota, quę erat feruidior per sinistram narem fuit expulsa, quæ vero serosior, & aquosior per sudorẽ euacuata est, & cum larga fuisset effusio, sane facta est crisis. Sed hoc in loco dubium est vtrum hæc vera fuerit iudicatio? ex vna parte est Gal. qui in secundo de diff. resp. decimo, scribit ipsum esse quinta die perfecte iudicatũ, quod est rarissimum. Ex alia parte idem Gal. in com. huius historiæ videtur negare fuisse perfecte iudicatũ, quod hoc non sit factum apparente coctione. Dicendũ est die quinta fuisse perfecte iudicatũ inchoatiue tantum; hoc est tunc incœpisse perfectam iudicationẽ; quæ paullo post consummata est. Cæterũ post ipsam crisin relicta est somni priuatio, oblocutio, vrinæ tenues, & subnigræ, quæ omnia significabant totum sanguinem melancholicũ haud fuisse depuratum; sed partem aliquam superfuisse, quæ fecit delirium; quæq; post paullatim tam per nares, quam per vrinam ducta, tandem iudicij perfecti defectui suppleuit, & integram sanitatem attulit: nam (vt ait Galenus) hic æger pro exemplo est & confirmatione illius dicti; Largæ sanguinis è naribus fluxiones vt plurimum liberant. Quod autem humor partim biliosus partim melancholicus in capite relictus delirio occasionẽ attulerit certissime omnium docuit curatio quam affectuũ naturas clarissime indicare non semel dixit Hippocrates. Fuit autem curatio per balneum capitis adhibitum, à quo vigiliis & delirio sublatis ait Hippocrates Metonẽ dormiuisse, & resipuisse, eo quod aquę dulcis tepentis (hoc enim intelligit Hippocrates cum simpliciter balneũ memorat) facultas blandissime humectans, suo tepore feruorem vtriusq; bilis furentis compescit; vt propterea Galenus glorietur sese deliria melancholica sæpe solo victu, ac tepentis balnei vsu persanasse; Et notandũ est Hippocratem dixisse balneis, non autem balneo, quia non semel, sed sæpius eo fuisse vsum verisimile fit, vt hinc etiam nos intelligamus, vbi inuentum est rationale remedium haudquaquam illud esse dimittendum, si statim non prodest, sed esse in eo pergendum, donec profectus ipsi rationi correspondeat: ita namque dicebat Hippocrates secundo aphoris. 52. omnia secundum rationem facienti, & non succedente secundum ratione non esse transeundũ ad aliud, manente eo, quod à principio visum fuerit. Quod porro scripsit in postremis verbis, nõ reuertisse morbum, sed frequenti sanguinis fluxu fuisse perfecte iudicatum, id fecit, quoniam quæ non iudicantur integre, vt dicit secundo Epid. & 2. aphor. 12. sunt φιλυπότροφα. id est recidiuæ amica, nam vt diximus, haud apparuit perfectæ coctionis signũ in vrina; & quæ dissiparent sine signo, dicebat secundo Epid. sunt infida, ex quo potuisset facile quispiã formidare ne Metoni morbus rediisset, ad quam suspicionẽ tollendam placuit adiicere, quasi per emphasin quandã morbũ non rediisse. Modo de curatione loquamur, cuius pars diætetica ea vel fuit, vel saltẽ esse debuit, quæ morbis acutis, & statim ad statũ deuenturis debetur secundum Hipp. leges primo aph. nempe victus tenuissimus, vteremur ptisana, & aqua in potu vsq; ad crisen, à qua nõ nisi postridie mutandã esse victus rationẽ præcipiebat secundo acut. De chirurgicis auxiliis minime dubitandũ quin prima die mittendus fuerit sanguis nihilo impediente, & febre, ac lumborũ dolore id postulante; imo haud prudenter fuisset secunda die exhibita aqua copiosa; nisi præcessisset aliqua sanguinis euacuatio; ob q. summo iure Galenus septimo aphor. 46. repudiauit tanquam spurium aphorismorum quo dicitur in doloribus oculorum prius vino, & calida aqua, quam venæ sectione esse vtendum. In reliquis cum natura tentasset sudorem, & vrinas, per eas partes erat molienda euacuatio, vt etiam monuit Gal. ex Hipp. sententia primo aphor. 21. quo natura vergit, eò ducere oportere per loca conuenientia. Verũ hoc in loco tria cõsideratione digna occurrunt, primum est cur Hipp. solum meminit duorũ remediorum, aquæ exhibitionis, & capitis ablutionis, nam rationi consentaneum est alia quoque fuisse adhibita auxilia, & præsertim sanguinis missionem, vt dixi.

Alterum est an recte fuerit secunda die tradita aqua, siquidẽ Galenus vbi præcepta tradendæ frigidæ docet, inter alia mandat, vt non nisi in statu morbi, atq; coctione apparente administretur. Tertiũ & postremũ est de capitis balneo, quomodo. Illud sit indicatũ & quomodo ita profuerit, vt statim somnũ induxerit, atq; delirium sedauerit. Circa primũ respondendum est nunquã fere Hippocratẽ in his historiis mentionẽ facere illorum auxiliorum, quæ manifestissimam rationem habent, sed illorũ tantum, quæ vel in vsu, vel in vtilitate percepta aliquid rari habuerunt; vnde cum talia fuerint, dno hæc cõmemorata præsidia haudquaquã ea silentio præterennda duxit Hipp. quæ autem fuerint rara; & inusitata fere in iis, colligitur ex vsu, nimirum, quia fuit exhibita aqua statim die secunda febris, & forsan deerant aliæ conditiones, quæ desiderantur in huiusmodi præsidij administratione. Ex vtilitate vero aliquid etiam rari habuit, quoniã visum est potius obesse; cum tertia die grauitas capitis sit subsecuta; attamen contulit, quia aluus fluxit, & natura exonerata, velutique recreata postmodum & sanguinis fluxui faciendo & sudori aptior fuit. Haud secus est sentiendum de balneo capiti adhibito; in quo illud fuit rarum, vt statim egregium iuuamentum attulerit, tum delirium tum vigilias auferendo: prẹtetquam quod, vt innuit Galenus, minime videtur cum ratione factum, quod Hippocrates tertio de acut. circa finem caueat fluente sanguine balneum administrari, scilicet ne vel impediatur naturæ motus, vel ea nimis concitetur. Circa secundum certe dubium est, an iure eo tempore aqua fuerit administrata; primum quia non contulisse videtur sed capitis grauitatem induxisse, deinde non videtur ex ratione factum, quoniam vbi cruda est materia, & viæ adhuc occlusæ veluti solet contingere initiis morborum, adhuc magis illa recrudescit, & aqua potius retinetur, quam vt expulsionem faciat. Ex alia parte videtur contulisse, quoniam seruatus est Meton atque cito iudicatus: præterea in curandis febribus acutis primus scopus videtur esse, vt statim causa effectrix putredinis, quæ est calor febrilis, extinguatur, quod quidem egregie fit vsu aquæ frigidæ copiosæ, quemadmodum experientia monstrat; vbi in ardentibus febribus administratur, propter quod Arabes fuerunt admodum audaces in illius vsu etiam quouis tempore. imo Hippocrates sæpenumero in curandis febribus biliosis & ardentibus tantum frigidæ aquæ bibendum, quantum lubet, concedit, veluti in libro de vic. acut. & in secundo de morbis, & in quarto Epidem. reprehendit medicos, qui acute febrientibus frigidam aquam dare pertimescunt. Itaque dicendum aquam posse exhiberi dupliciter, vel in magna copia, & iis legibus, quas tradidit Galenus, vt scilicet simul, & calor extinguatur, & materia copiose per omnes partes expellatur. Vel non eo modo, sed vt tantum calor febrilis, vel extinguatur, vel saltem magnopere imminuatur. Si primo modo sit danda aqua certe multo securius est eam præbere in statu & morbi, & paroxysmi, quam vel in principio, vel in argumento, quoniam etsi in aliis à statu temporibus possit opitulari ad feruorem febrilem frangendum, nõ ita tamen valet ad egregiam illam, & (vt sic dicam) criticam euacuationem. Si vero secundo modo aqua sit administranda licet, imo etiam expedit, tam in principio, quam in augmento offerre; nec semel tantum, sed pluribus vicibus, quo quidẽ tempore neque ita copiosa, neque ita frigida datur; sic enim consueui ipse in æstate omnes febres magnas feliciter curare, nimirum, vel quotidie, vel altera die si sic fiant exhibendo in statu aquam hordeaceam frigidam ad mensuram trium, quatuor, vel etiam plurium librarum: nam hoc pacto calor febrilis quotidie retusus faciendæ, atque propagandæ putredini redditur ineptior, ac impotentior. Et forsan hoc voluit significare quoque 6. Epidem. Hippocrates quando dixit, calidis natura conuenire aquæ potum; necnon sitim extingui si os comprimatur, taceatur, ventusque vna cum potu frigido attrabatur. Ad tertium & postremum de Capitis ablutione respondere oportet veteres, vt dicit Cornelius Cels. plerumque in ægritudinibus curandis vsos esse balneis in ægritudinum, & præsertim febrilium inclinationibus, tantum scilicet ad reliquias humorum morbificorũ dissipandas; necnon

necnon ad caliditatem, & siccitatē relictas corrigendas; quod si in aliis temporibus vsi reperiuntur, id fecerunt propter aliquod symptoma vrgens, vt vel dolorē capitis, vel vigilias, vel deliriū mitigarent, aut abolerent, sic dicebat Hipp. dolenti capiti multam calidā effusam illum soluere. & sexta Aphor. 31. dolores oculorū meri potione aut balneo finiri: ita hoc in loco dicit balneū restitisse & somnum, & mentē; somnum irrigando, atq; humectando cerebrū, acrimoniaq; vaporum temperādo; mentem tum refrigerando, tum maxime vapores melancholicos & feruidos humectando, eosq; dissipando; scimus enim melancholicis curādis nil esse vtilius, atq; accomodatius, quā vsum balnei aquæ dulcis tepentis frequentem. Sed oritur dubitatio quomodo Metoni febre biliosa laboranti potuerit conducere balneum capitis, cum idem Hipp. septimo Aphoris. 42. scribat conferre multā aquam calidam capiti affusam si febris non sit ex bile, quod etiā secundo Epid. sect. 6. scriptum inuenitur. Præterea dignū est quæsitu quomodo eodem Epid. secundo, sect. 5. Hipp. vbi vlcera fundunt sanguinē præcipiat caput lauari calida. Ad primum responderi potest; vel vt dicit Gal. in commento illius aphorismi intelligendum esse de febribus cum inflammatione, in quibus nulla prius facta sit euacuatio. Vel dicere possumus aphorismum loqui de multa non per vices, sed affatim effusa, qua Meton non est vsus, sed duntaxat vt dixi, per vices. Ad secundum vero dicerem, quod etsi vlceribus balnea simpliciter obsint, tamen si capiti adhibeantur posse quandam auxilij diuersorij speciem exhibere.

HISTORIA OCTAVA.

*E*RASINVM, *qui habitabat ad Bootæ torrentem febris magna corripuit post cœnā; noctem turbulentus, diem* PRIMAM *quiete, noctem laboriose.* SECVNDA *omnia sunt exacerbata: in noctē delirauit.* TERTIA *laboriose delirauit multa.* QVARTA *molestissima, ad noctem vero nihil dormiuit; insomnia, imaginationes; deinceps deteriora, magna, & periculosa, timor: difficultas ferendi morbi.* QVINTA *mane recreatus est, & intelligebat omnia: multum autem ad meridiem furore agitatus est; continere sese non poterat; extrema frigida, subliuida; vrinæ substiterunt; interiit circa Solis occasum. Huic febres per totum cum sudore: hypochondria eleuata, contensio cum dolore: vrinæ autem nigræ, habentes enæoremata rotunda, non subsidebant: ab aluo autem stercora prodibant: sitis vsque ad finem non valde: at conuulsiones multæ cum sudore circa mortem.*

ERASINVM, QVI HABITABAT. Hanc historiam breuiter nimis à Galeno tractatam nonnulli interpretes collocarūt ante Metonis casum, qua ratione ignoro, cū contextus omnes Græci, & Latini eam hoc in loco ponant; sed vtcumq; sit parui refert, & forsan impressorum vel describentiū error fuit. Quis porro fuerit hic Erasinus haud intelligitur ex relatis, nisi quod cum nomē sit satis rarum, atq; eius habitatio ab Hippocrate satis diligenter exprimatur, minime clarum & notum fuisse suspicandum est. De Boota torrente verisimile est locum fuisse in Thaso non admodum salubrem, cuiusmodi plerumque esse consueuerunt loca torrentibus propinqua, in quibus aquæ penuria est, & aperturæ terræ, vbi aer corrumpitur, vt forsan etiam ob hoc Hipp. ad confirmandam morbi Erasini prauitatem addiderit eius habitationem. Docet enim præ ceteris Hippocrates in libro de Aere, aquis & locis habitatores locorum, vbi prauæ sunt aquæ habere viscera admodum contaminata, qualia sunt maxime iecur, atq; lien, vt hac ratione veteres quemadmodum narrat Vitruuius libro primo, capite tertio, ad explorandas locorum, & aquarum pro extruendis oppidis & vrbibus bonitates inspectione extorum brutorum in sacrificiis vterentur; & Aristot. decima quarta sect. Prob. sexto, quærens rationē, cur iis qui loca habitant palustria, cito vlcera in capite, tardo autē in cruribus sanentur, iccirco esse dicit quod illorū humores terreni sunt, & graues, quo fit vt relinquentes superiores partes inferiora petant; sicq; harum sanationem impe-

impediant. Modo videamus quid Erasino sigillatim contigerit, quem ait Hippocrates post cœnam corripuisse τὸ πῦρ, id est febrem magnam (sic namq; putandum, quemadmodum sæpe monuit Galenus, vbi Hippoc. vocat febrem ignem, plerumque intelligere febrem magnam) & noctem turbulentam habuisse, adeo vt primã diem satis quiete, noctem vero traduxerit laboriose: dicit μετὰ δεῖπνον, id est post cœnam, quia vt Plutarchus octauo Symposiacorum sexto scribit, veteres vt plurimum bis tantum in die comedebant, mane solum vino, panem immaceratum, aut quippiam aliud simplex, quod vocabant ἀκράτισμα quasi temperatum, & ἄριστον quasi ῥᾳδὸν, seu facile paratu; Vespere vero lautius multo edebant, quē cibum vocabant δεῖπνον; vt Romani cœnam: in qua fercula apposita vocabantur ὀψώνια, eo quod ὀψὲ, scilicet peractis cunctis negociis cœnarent. Erasinus itaque opipare, ac laute admodũ vespere epulatus febre magna correptus est. At dicet aliquis quomodo potest esse, vt adeo statim à ciborũ copia, & varietate fuerit ingens febris excitata? Cui respondendum est, id quod scribit Hippocrates quarto de Morbis nimirũ morbos haud statim concipi, & produci, sed diu conceptos statim ἐκλάμπειν, seu erumpere, qui namq; praui humores malo victu fuerunt longo tempore accumulati, potuerunt occasione liberalioris cœnę incalescere, atq; ita feruentes, & putrescentes magnã febrem excitare; cum Gal. secundo de Alim. fac. cap. de cucum. & ipse scribat ex frequentato prauorũ eduliorũ vsu copiosos humores colligi, qui qualibet vel leui occasione febres κακοηθεῖς accendant. Et puto certe Hippo. hanc nobis historiã proposuisse tanquã exemplum quoddã ingentis detrimenti, errores in cibo, & potu commissos sequentis NOCTEM turbatam habuit non tantũ ob febrem; quantum ob cœnam, siquidem qui copiose nimis cœnant, cum ventriculũ copia valde onustum, & grauatum habeant haud quiescere possunt, vt quotidiana experimẽta docent, cui oneri si adiiciatur febris, tanto maior inquietudo, atq; turbatio succedit. Atq; hoc est quod dicit Arist. tertia. Prob. 24. ebriis nõ fieri somnos, quoniã ad creandũ somnum oportet humor calidus sit, qui cõcoqui expedite potest, & qui si deest. exiguusq; humor aut concoctu difficilis insit, somnus nõ oritur: qua etiam de caussa post cibum, ac potũ somnolentissimi fieri solemus. Cum Hip. hic duarum primæ diei noctiũ, atq; ambarũ turbatarum mentionẽ faciat, arbitror ita rem sese habuisse; vt à cœna statim febris sit facta, ac nocte nõ quieuerit tum ob febrem, tum maxime ob stomachũ repletum; sequenti die stomacho sedato, & copia ciborum aliquo pacto à calore externo cocta quietior fuit; etenim tertia Prob. 28. & 32. quærens Aristot. cur ebrij maxime Solis tepore gaudere soleant, inquit, eo fieri quia ebrij coctionẽ desiderant, cum refrigerati sint, vt ex eo colligitur quod attoniti stupidiq; mox fieri solent à potu. Cæterum nox sequens quasi priori correspondens maiorem febrem habuit, ac propterea maiorem molestiam, quã dies præbuit. Atque hic fuit prioris diei, & noctium status. SECVNDA DIE. Porro secunda die, inquit Hippocrates, cuncta fuisse exacerbata vsque ad noctem, atque etiam tum delirasse. Omnia sequenti die exacerbata iri debuisse satis præsignificare potuit antecedens grauis nox, quod soleat semper futuras febris accessiones acerbiores grauis nox præcedere. Delirium autem secutum non tam ob febris magnitudinem, quam quod caput iam affectum ex nimio potu, & cibo, à vaporibus materiæ morbificæ, & putrescentis multo magis afficiebatur; neque enim Hippocrates adnotasset post cœnam fuisse à febre tentatum Erasinum, nisi ab ipsa aliquã saltem fuisse datam occasionem putasset. TERTIA DIES etiam laboriosa fuit; hoc est febris magna durauit, ac propterea multum delirauit, scilicet magis quam antea, tum quia forsan erat dies impar, quã solent exacerbari febres, tum quia caput affectum grauiter in dies magis patiebatur. Veruntamen id habuit hic morbus, vt videbitur, licet semper sequens dies antecedenti fuerit deterior, quasi vero imaginem quandam habuerit synochi putridæ ac masticæ pestilentis; attamen & quarta & sexta dies, in quã periit, fuerunt omnium deterrimæ, vt vnus hic inter alios possit nobis exemplum esse eorum, quos dixit Hippocrates iudicatos quinta & sexta in

præsenti constitutione, vel quorum accessiones paribus factæ sint; quamquã Gal. non ob hoc præsentem casum ab Hippocrate fuisse notatum ait, sed vt esset exemplum celeritatis mortis. QVARTA itaque DIE omnia fuerunt grauiora, siquidem die, & nocte habuit maximã inquietudinem, quæ inter lethalissima signa ab Hipp. recensentur secundo Progn. Ad hæc nocte nil dormiuit, insomnia, & imagines habuit, atq; die sequenti nocte, scilicet quartæ omnia facta sunt sæuiora, & periculosa, timor, & inquietudo corporis, quæ propterea contigere, quod indies putredo augebatur, & consequenter morbus malignior euadebat. Sed dubitabit aliquis hoc in loco, quomodo si nihil dormiuit, potuit habere insomnia, siquidem insomnia duntaxat dormientibus cõtingunt. Præterea quis potest scire delirantes somniare nisi ipsi dicant, & quomodo possunt ipsi dicere? Respondendũ ex Hipp. hic loqui secundum vulgus eorum, qui ministrant ęgrotantibus, qui vbi vident ægros oculis clausis obloqui, & munia vigilantium obire, putant illos somniare, atq; variis imaginationib. tentari, cum tamen non sint vera insomnia, quia non dormiunt, sed potius delirantium actiones; & quod hic Hippocrates dicit Erasinum habuisse λογισμὸς, siue imaginationes, & cogitationes, Catullus dixit esse imaginosum, de quo nos in variis lectionibus. Nisi etiam dicere placeat id quod scribit Aristoteles quinto de gener. animal. primo, scilicet tres esse status hominum, vigilantium, dormientium, & eorum, qui neq; vigilant neq; dormiunt: febricitantium igitur, qualis erat Erasinus actiones possunt esse mediæ, hoc est neq; prorsus vigilantium aut dormientiũ, cuiusmodi sunt qui dormientes ambulant, vt sibi aliquãdo contigisse narrat Gale. QVINTA vero MANE recreatus est, omniaq; intellexisse dicit; multa furens egit, ita vt contineri non posset, extrema facta sunt frigida, & subliuida, cum vrinis crudis, adeo vt circa occasum sit extinctus; circa quam mortẽ illud sciendum est eam successisse in fine quintæ diei, atq; fere eadem hora, qua cœpit ægrotare, nam post cœnam cœpit, & veteres maiori ex parte circa id tempus cœnabant, atque in plerisque illud experientia inuenitur, fere morbos eadem hora necare, qua inuadunt. Verum forsan dicet aliquis, quomodo quinta die potuit melius se habere, & omnia intelligere, cum antea pessimis symptomatibus cruciaretur? Dicendum est contingere naturæ, id quod solet certantibus contingere, qui vbi acerrime pugnant, defessi interdum quiescunt; pari pacto natura, vbi per multum temporis pugnauit cum morbo, cessat à pugna, in qua cessatione videntur ægri melius se habere, vnde sæpe ignari decipiuntur id quod Erasino nostro contigit, quia cum natura vsque ad quartam diem acerrime cum morbo pugnasset: quinta die cessauit, vnde visus est recreatus, quandoquidem omnia intelligebat, maximo autem consilio Hippocrates voluit dicere (omnia intellexit) non autem resipuit, sicuti solet, quia delirantes pessime imaginantur, pessime ratiocinantur, & pessime intelligunt, vbi vero cessat delirium, intellectio cum tantum redditur, hoc idem contigit Erasino, qui paullo post moriturus esset, certe non potuit omnino ad mentem reuerti; sed possumus etiam dicere Erasinum quinta die mane recreatum esse, quia erat mane: quo in loco notandum est in hisce prauis febribus haud fidendum est statui matutino, quoniam sæpenumero tunc melius habent ægri, quemadmodum etiam & sani, ob celebratas coctiones, & quiete nocturna, ac somno recreatas vires; meridie vero cum Sol potentior sit, ambientisque calor maior augendo etiam febrili calori, valde confert; nam vt scribit Aristoteles vigesimaquinta sectio. prob. quarto, meridies æstuosus esse solet, tum quia tunc minime sunt Solis vmbræ, tum quia venti silent, & vigesimasexta prob. decimoquinto, dicebat auroram esse vespera frigidiorem, quod sit proximior meridiei, qui est calidissimus aliarum diei partium. Itaque ægri hac ratione, æque ac sani melius valere, vt plurimum solent: circa meridiem vero acerbius ab inflammationibus ac febribus tractari; quod accidit Erasino, cui cum circa meridiem inflammatorum hypochondriorum incendium, ac febrile admodum esset auctum extincto extremorum calore natiuo, tum etiam ad interna viscera inflammata retracto ab eius magnitudine merito ea facta sunt frigida, atque

atque liuida, cumque, vt ex crudis vrinis constabat, vapores, & humores feruidi, atque combusti in caput feruentior iure facta est phrenitis, & mania; ita vt contineri non posset: id quod etiam contigit, quia natura, vt retro dixi, paulisper quieuerat, vnde visus est recreatus; sicuti autem qui à pugna paulisper cessant, post quietem solent multo vehementius pugnare, sic fecit natura in Erasino, quæ paulisper recreata; vehementiorem pugnam aggressa est; & notandum quod scribit Galenus libro de loc. aff. quinto, phrenericos valere vsque ad miraculum viribus ob siccitatem neruorum; & musculorum motrici deseruientium, etsi arbitror hanc haudquaquam esse caussam adæquatam, nisi addamus vehementiam, & feritatem imaginationum, qua concitati phrenetici; cum habeant organa accommodata, vehementer sese mouent, ita vt vnus sæpe vix à tribus quatuorve contineatur; Demum cum habeat proportionẽ meridies cũ æstate, sicuti æstate tum ob sideris caniculæ influentiam, vt dicebant nonnulli, tum ob caliditatẽ, & siccitatem, furore maximo agitantur canes, haud secus etiam febricitantibus accidit, vt Alexander ait primo prob. 76. Sed cur dicit fuisse vrinas crudas die mortis? nam hoc est perspectissimum non posse coctionem esse cum morte, & Hippocrates nunquam clarissima proponit; Dicendum voluisse Hippocratẽ significare adfuisse solam cruditatem, non autem contrariam coctioni; atque ideo mirum fuisse in febre adeo maligna. Ad hæc si verũ est, quod sæpissime docuit Hippocrates perite, & seruari homines, qua die fiunt exacerbationes, cum hæ quarta non quinta fiant, haud videtur debuisse quinta die mori. Galenus vt hunc scopulum vitaret, dixit periisse quarta; quod prima dies, quæ fuit quieta, non sit annumeranda. At nisi dicamus primam febrem fuisse diariam vt ipse suspicor; proptereaq; alterius generis à sequenti, minime Gal. adhærendũ; alioquin semper fere prima dies esset omittenda, cum initia febrium, imo omniũ terũ semper sint ruitiora. Alij dicunt periisse sexta, quia circa occasum diei quintæ: & ob id tanquam exemplum mortuorum in sexta, ab Hipp. fuisse propositum. Sed nec horũ sententia mihi placet, quoniam finis quintæ fuit in qua est mortuus, non aũt sexta; Igitur satius puto dicere fuisse, acmasticam putridam, quæ semper progreditur augendo, vsq; ad interitũ, vnde cum in quinta febris in immẽsum, & accidentia fuissent aucta, nec amplius intendi posset, necessario secuta est mors. Hæc enim narrasset sigillatim Hipp. prout qualibet die eueniebant diuersimode, nec tamẽ erant continua; post narrat quæ semper sibi affuerunt, à prima vsq; ad finem diei quintæ qua interiit; Fuerunt autem pertinentia ad læsas actiones, conuulsiones multæ & circa mortem frequentissimæ cum sudore, sitis, minime valida hypochondriorum dolor, & inquietudo: Fiebant conuulsiones, eo quod principium neruorum morderetur à materia praua, quę in caput ferebatur. Cum enim Hipp. lib. 3. Epid. proponat multas febrium differentias sumptas, & à substantia, & à quantitate, & à qualitate; inter illas aliquando nominat sudorificas, qualis erat hæc, & siccas: sunt autẽ sudorificæ febres illæ, in quibus multum ægri sudant, sicuti siccæ, quæ omni humore carent: Igitur Eras. febre sudorifica laborauit, quia continue sudanit; sudabat autem continue, quia synocho putrida labotabat; quod cum fiat is à sanguine cholerico; facile fit vt cũ ipso adsit sudor copiosus. Pertinentia vero ad mutata excrementa fuerunt, vrinæ nigræ cum rotundis suspensionibus: stercoraceæ à ventre deiectiones. Quod ad mutatas qualitates adfuit tensio, & eleuatio hypochondriorum, ex quibus omnibus licet facile colligere ideã ægritudinis, qua laborauit Eras. fuisse febrem synochã, cum putredine, acmasticam, & ardentẽ cum lienis, & forsan iecinoris inflammationibus, aut alterius partis hypochondriorum, dixi (forsan) quoniã Gal. 8. de med. loc. inter alia signa iecinoris inflammati recenset fluxum collatiuum, qualis in pestilentibus fieri consueuit, qui tamen in hoc ægro non fuit, sed semper stercora eduxit, nisi placeret dicere non affuisse, quoniã nimis cito periit, quod si diutius durasset, etiam fluxus superuenisset. Quod autem magna, & acuta fuerit febris, non modo accidentiũ magnitudo, verum etiã mortis celeritas satis indicarunt, quemadmodũ haud est dubitandũ, quin fuerit maligna,

post

post quam tot sæua symptomata superuenerunt, atque cum viscerum inflammatione fuit, cuiusmodi febres malignas semper esse non semel Hippocrates, & Hippocratem secutus Galenus docuerunt. Verum circa hæc nonnulla sunt dubia, & primum est, quomodo potuerint vrinæ esse crudæ, atque nigræ, quandoquidem crudarum vrinarum perpetua comes videtur esse potius albedo, & decoloratio, quam nigredo ad hæc quæ sint suspensiones rotundæ. Secundum est, qua ratione aluus stercora tantũ redderet; & vtrum sponte, an irritata remediis. Tertium, quomodo cum dixerit febres vsq; in finem fuisse cum sudore, dicit tamen conuulsiones fuisse cum sudore: nam videtur sat potuisse esse, quod dixerit febres ipsi fuisse vsq; in finem cum sudore. Quartum & postremum est, quomodo in febre ardente, in viscerum inflammatione potuerit esse exigua sitis, eo maxime, quod non possumus attribuere delirio, nempe quod minime fuerit continuum. Ad primum respondendum quod scribit Arist. quarto Meteor. & Gal. & Auicen. cruditatem dupliciter accipi solere, vel pro omni eo quod contrarium est coctioni, quodq; proprie ἄπεπτον dicitur, siue sit excessus siue defectus: vel accipitur pro solo defectu, à coctione, quodq; proprie loquendo ὠμὸν dici solet; si hoc postremo modo accipiatur, certe cruditas non potest esse cum nigredine, sed semper est cũ tenuitate, & albedine, vel decoloratione, eo q; materia minime tractata sit à calore, sed in sua natura maneat: sin autẽ capiatur primo modo plane potest cruda vrina esse & nigra, quãdo scilicet materia, à calore quidẽ tractatur, verum ad medioctitatem non reducitur, quod est proprium legitimæ coctionis, sed potius comburitur, & nigra fit: sic etiam solent medici passim facere in stomacho duas cruditates, aciditatem quæ à frigore fit, & est defectus coctionis, & nidorem, qui fit à calore non coquẽte, sed assante, quemadmodum etiam eodem quarto Meteor. nos docuit Arist. Itaq; ex his clare apparet non male dixisse Hippocratem vrinas fuisse crudas, quia humor morbificus præ febris magnitudine comburebatur, & propterea vrinæ nigræ reddebantur, quemadmodum etiam propter eandem caussam materia, ob flatum suspensa, & ob vstionem rotunda reddita suspensa illa vrinę rotunda producebat, nisi dicere velimus hic Hippocratem nomine suspensi intelligere subsidentiam circa fundum locatam (cuiusmodi loquitur secundo progn.) quæ orobaceam, & furfuraceam vrinam ab Hippo. nuncupatam, dum comburitur, reddit: quæq; exitialis semper iudicatur: quanquam ipsemet Hippocr. fatetur vrinam haud habuisse subsidentiam: & certe si huiusmodi vrina fuit semper in Erasino vna cum aliis lætalibus signis, non tantum mors statim prædici poterat, verũ etiam illius celeritas. Ad secundum respondẽdum est, initio viscerum inflammationum, semper quantum sit esse, fœces exsiccari ob viciniam incendii, donec multiplicata ab æstu bilis, atq; in intestina effusa fluores illos biliosos, crudos & fœtidos producit; Et idcirco verisimile videtur potius vsu alicuius subductorii vel iniecti fœces, de quib. loquitur Hippoc. quam sponte prodiisse, non meminit autem ipsius, vt alias consueuit; quod ex eius vsu nullum aliud memoratu, & consideratione dignum fuerit secutũ, quam vna stercoris eductio: nam nominat Hippoc. clysteres, vel glandes, quando ex ipsorũ administratione aliquid noui, siue boni, siue mali sit consecutum: Ad tertium de sudore dicendum est duplicem esse sudorem non criticum, alium syncopticum vocatum, qui fit cum extremo virium lapsu, & prope mortem, alium vero, qui omni morbi tempore apparere potest; in fine habuit Erasinus sudorem syncopticum: in aliis temporibus alium, quos vt distingueret, ita voluit loqui: neq; enim verisimile est idem repetiuisse absq; vllo vsu, & ratione; quod autem ita sit, Hippocrates intelligendus ex ipsius verbis licet industrio lectori cõprehendere: cum dicit conuulsiones multas habuisse cum sudore, & circa mortem continuas: cum enim in febribus prauis conuulsiones fiant, non tam ob siccitatem, quam ob humores prauos neruorum principium lædentes fit vt ex concussione facultatibus omnibus vis maxima fiat, ob quam contentrix pene extincta permittit fieri quicquid inest sanguini exire, ac propterea exitialissimum signum est, nempe quod

G mortem

mortem præcedat, & nunquam aut rarissime cum eo ægri seruentur. Porro de siti, quod erat postremum, certe non est facile intellectu, quinimo puto Hippocratem propterea hoc voluisse in fine adnotare, quod sibi etiam admirabile videretur. Attamen, si vlla saltem probabilis ratio afferri potest, hæc sane est, quod focus putredinis esset circa viscera naturalia longe à spiritualibus, à quibus flagrantibus solet oriri magna sitis, vt dicit Aristot. & vt innuere ardentibus fit, in quibus putredo est in vasis magnis circa cor: quod vero ita sit, verisimile mihi fit ex eo, quod Hippocrates nullam facit respirationis mentionem, quemadmodum facere solet dum ob feruoris vehementiam modo spiritum densum, modo elatum, aut veluti strangulatorum in ægtis fuisse dicit: quanquam Galenus secundo de diffic. resp. cap. 10. proptetea Hippocrat. in Erasino siluisse dicit anhelitus difficultatem, quia cum laboraret inflammatione, atque præcordiorum tumore perspectissimum erat necessario simul laborasse spirandi difficultate. Curationẽ fuisse breuem, quia breuis & acutissimus fuerit morb. necesse est. Et primũ cum febris à cœna sit orta, necesse fuit, prima die à toto abstinere, ac tenuissimo in aliis victu vti. Et quia dicit Hippocrates huic sitim fuisse continuam, haud exiguum in ea placanda medici studium postulabatur. Aristot. enim primo Problem. 57. & tertia sect. 21. quærens cur febricitantibus potio sæpe & paulatim sit cōcedenda, respondet multam præcipitem deferri, exiguam lente incedentem irrorare, madefacere, seseque corpori insinuare: haud secus atque pluuia quæ confertim delabens minus humum irrigat, quam quæ paulatim defluit. Quo in loco non modo monstrat, id fuisse in vsu medicis, vt sitientibus in febre potum exiguum, & sæpe indulgerent, secus quam faciant plerique practicantes, verum etiam quatuor præclara documenta posteris reliquit medendis corporibus ægris maxime vtilia. Quorum primum est ægrotantes, & maxime febricitantes quietos, atque immotos manere debere, eo quod ignis, vbi non mouetur, sponte emarcescit, sicuti motu magis excitatur. Alterum est eosdem ægrotos haud flatui aduersus iacere debere, eo quod flatus excitat ignem, ipsumque in immensum auget, & ex paruo magnum facit. Tertium est operiundos, nec vestibus exuendos esse febricitantes, quoniam veluti vbi ignis cooperitur ita vt perspirare nequeat, facile extinguitur, sic calor febris cohibitus veluti suffocatur. Quartum & postremum est, laborantibus febre intermittente balnea ac fomenta pedibus esse adhibenda, pluresque vestes superponendas, & quietem esse agendam, quo corpus perquam calidum sit ante accessionem, quoniam vt lucerna ardere non potest, vbi in magno igne ponitur, quod magnus paruũ ad se attrahat, sic si in corpore magnus calor locetur prius, haud febrilis excitari potest, quippe quod febrilis præ altero qui fit, exiguus sit. Et sectione secunda, Problem. 26. testatur id fuisse vsitatum apud medicos, vt ante rigotis inuasionem, potissimum pedes operirentur, sicque calefierent, & cruditatem è corpore pellere: sic enim Galen. secundo cap. lib. de cib. bon. & mal. suc. mandat enacuare quidquid in intestinis, & primis viis est priusquam de mittendo sanguine cogitetur iuxta regulas ab ipsomet traditas in methodo medendi: atque hoc potuit sane aliquo modo fieri cum clysteribus, vel multo satius fuisset id præstare cum aliquo lenienti medicamento, si habuissent nostratia, vel mercurialis decocto aut similibus: nam existentibus, vt par erat, multis adhuc in stomacho, & prioribus intestinis succis crudis, haudquaquam commode statim, quemadmodum requirebat morbi apparens magnitudo, educi sine medicamento, & solis clysteribus, qui vix ascendunt ad media intestina potuissent, vnde erepta fuisset occasio adhibendi statim missionis sanguinis remedium: quod quidem necessarium fuit statim adhibere, scilicet prima die vespere, aluo exinanita prius, atque ab interna dextri cubiti, ex qua secta magis quam ex vlla alia vniuersum corpus exinaniri non semel est testatus Galenus. Misso sanguine decenti mensura, imo vero in magna & ad animi deliquium vsq, fuisset & oxyrrhodinis certandum aduersus imminentem phrenitidem, & linimentis ac fotib. dolorem lenientibus hypochó-

dria

dria dolentia curanda, vt oleo camomelino & rosaceo lumbricatis. Aduersus conuulsiones linimentis ad nucam, & nisi aluus fluxisset, quotidie erat clystere sollicitanda, vt ego existimo abunde factitatum fuisse clysteribus, quos iure dicebat Auicen. sibi præ aliis semper fuisse dilectos, & præsertim dilecti esse debent, cum à capite necesse est reuellere; vt hoc in casu, in quo etiam vsum boli armenæ, aliorumq; bezarticorum præsidiorum fuisse, habirum, non est à ratione alienum, cum præsertim Galenus referat in pestilentia quadam maxime auxiliarem esse bolum armenam vel in aqua febricitantibus, vel in vino non febricitantibus traditam.

HISTORIA NONA.



RITONI *in Thaso pedis dolor incæpit fortis à digito magno erecti ambulanti: decubuit eadem die, horridus, anxiosus, parum subcalefactus: nocte delirauit* SECVNDA *tumor per totum pedem, & circa talum subruber cum contensione: phlyctenæ paruæ, nigræ: febris acuta furebat: ab aluo autem sincera, biliosa, submulta prodierunt: obiit secunda die à principio.*



RITONI IN THASO. Quod Galenus scribat, hunc Critonis casum esse memoratu dignum, vehementer laudo, sed quod eum sic iudicatum adeo breui commentatione pertransierit, nosque sua circa res medicas examinandas priuauerit industria ferre non possum: id enim si fecisset, multum laboris nobis abstulisset: Conabor itaq; vbi is defecit, aliqua saltem ex parte supplere; Critonem hunc Thasium fuisse satis aperte monstrat Hippocrates, Plinius lib. 18. c. 31. meminit cuiusdã Critonis, qui scripsit de astrologicis, sed minime hic fuit quemadmodum, nec ille quem sæpissime citat Galen. in lib. de comp. med. tãquam probum de medicamentis scriptorem, & præsertim de pertinentib. ad Ornatum. Fuit etiam Crito amicus Socratis, vt Laertius scribit, & apparet ex Plato. qui nomine eius Dialogum περὶ κριτῶ inscripsit, sed nullus ex iis Thasius fuit, vnde potius hic nobilis aliquis erat, quem vt distingueret ab aliis eiusdem nominis apposuit patriã. Et notandum est, quod etsi loquatur de constitutione, quæ fuit in Thaso, attamen, immiscuisse etiam ægros aliarum nationum, qui morbos tunc vagantes passi fuerunt, & qui aliquid rari in ægritudine habuerunt, qualis fuit præsens Criton, qui illud admirabile habuit, quod sæuissimus morbus à magno digito pedis inchoauit, qui ipsum secunda die interemit. Partiemur autẽ, vt distinctius explicetur, historiã in duas partes: vna erit eorum, quæ prima die acciderunt: altera vero eorum, quæ sequenti: Prima die igitur cum Criton erectus staret, sanorumq; munera obiret, repẽte eum inuasit acerbus dolor digiti magni pedis, & quãquam cuius pedis fuerit, non dicat Hippocrates, solet tamen semper intelligere dextrum: vt quando dicit hypochõdrium doluisse, vel manum: semper enim nobilior pars intelligitur, quæ est dextera: Fuit autem dolor ita acerbus, vt coegerit eum eodem die in lecto decumbere, quo tempore horror eum cœpit cum anxietate, & licet parum subcalefactus sit post horrorem tamen nocte delirauit, atque hæc præcipua fuerunt, quę Critoni prima die obtigerunt, & ex quibus solers medicus facile colligere potest materiam aliquam malignam & venenatam in ea parte fuisse genitam cuius vis repente in totum pedem, in corpus, in cor, stomachum & cerebrum propagata attulerit prædicta symptomata: nam & ipse Galen. scribit præter mortis celeritatem, Plyctenas nigras secunda die ortas indicium fuisse prauitatis materiæ. Doluit potissimum secundum pedem, quia vt scribit Hippoc. in lib. de aff. inter omnes dolores articulares acerbissimi sunt dolores pedum, quod fiat conflari ex innumeris fibris, & neruis: sic etiam dicebat Arist. tertio de Partib. animalium, in renibus dolores fieri magnos, eo q; constet ex multis fibris & neruis: erat autem tãta materiæ prauitas, vt statim à natura expulsa, cœperit per partes sentientes ferri, quas mordicans peperit horrorem quem exiguus calor subsecutus est, non autem insignis,

ficuti post rigorem solet ob materiæ venenositatem, quæ vsq; adeo calorem natiuum hebetauit, vt nō posset amplius resurgere; & quamquam hæc à nobis ita summatim dicta, vera sint: multa tamen præsenti in casu sese offerunt, quę si diligenter examinentur, non minus vtilia, quam iocunda erunt; id primum videndum est, quomodo potuerit adeo subito, in parte minima, maximeque remota, tantum venenum gigni, quod tam immania symptomata, atq; adeo subitam mortem inferre potuerit: scio de digito magno pedis complura quasi miracula scribi, vt de Pyrrho, quem dicunt in eo tantam vim habuisse, vt lienosos ipso contactos curaret: & de puero legitur apud Galenum, qui sentiebat à digito pedis auram attolli frigidam, quæ vbi ad caput ascenderat, epilepsiam inducebat: at hic de Critone effectus certe non minor aliis quibusq; videtur. Secundum erit quo pacto hæc materia potuerit à parte infima in superiorem & maxime longinquam adeo subito recurrere. Tertium, qua ratione subsecuta sint commemorata accidentia, & vtrum si statim amputatus fuisset digitus ille, potuissent vitari & mala, & fatum; quemadmodum videmus, si eiusmodi pars ab aliquo venenato animali commorsa illico abscindatur, mortem fugari. Circa primum quod in re exigua & pusilla possit magna vis aliqua gigni, & locari, siue bona siue mala docuerunt Hippocrares & Galenus. ille quando lib. de Genit. loquens de semine, dicit id, quod robustissimum est, in ipso contineri: Hic quando sexto de loc. aff. loquens de semine eodem corrupto & de veneno scorpionis, dicit in minima quadam mole, ingenrem veneni potentiam repetiri: Medicamenta quoque purgantia huic veritati attestantur, quando quotidie experimur scrupulum atq; etiam minus elaterii scammonii, colocynthidis atq; illius perniciosissimi antimonii tot tumultus in corpore excitare: vt taceā de veneno illo, quod in Africa nasci prodiderunt eius scriptores, qui perhibent illius solum granum multos homines interimendi facultatem habere. Quomodo autem in humano corpore tanta pernicies gigni possit, certum est, haud quaquam subito fieri, licet subito erumpat: sed longo tempore atq; paulatim contrahi, donec cumulata & ex insigni putredine magnam prauitatem adepta, adigit partis, vbi est facultatem ad sese expellendam in ignobiliorem, atque ab ea adhuc in aliā, donec in extremam delapsa, atque ibi consistere non valens, vtpote ab eadē parte agitaretur propulsa, retro iterum vertitur, sicq; contactas partes contaminans malignam qualitatem per partem, & post partem toti corpori & consequenter cordi, stomacho atq; cerebro cōmunicat: quod sane Critoni nostro euenisse non est dubitandum, in cuius corpore cum diu genita fuisset teterrima & exitialis materia, illaq; ad pedes esset demandata, eos primum vehementer corrupit, vt ostenderunt Phlyctenæ nigræ ibi natæ: quæ corruptio ob suam magnitudinem vniuerso corpori, præcipuisq; visceribus communicata non modo sæuissimum dolorem, verum etiam alia praua symptomata induxit: & inter cætera cor os ventriculi, atq; cerebrum magnopere violauit, vt iure merito tum horror, tum anxietas illa tum delirium superuenerit, quod potius noctu factum, quoniam ea pars vt omnium à pede remotissima, tardius etiam lædi debuit: & quoniam noctu corpora sint compactiora, atque adstrictiora: summa ratione fit, vt vitia interna euadant tunc atrociora, ac vapores coacti maiore impetu in superiores partes pellantur. Cur autem dolor incœperità maiore digito pedis fuit, quia tabus ille teter & venenatus à cunctis aliis partibus in ipsum tanquam remotissimam omnium & ceteris capaciorem atque ampliorem depulsus est: quod etiam de puero epileptico à Galeno tertio de Locis aff. 7. & lib. de Vtil. resp. commemorato affirmare licet, etenim quod ferunt de Pyrrho aut falsum est, aut arcanam & humanis ingeniis ignotam rationem habuit. Cur similiter post horrorem non secutus sit ingens æstus, vt solet, fuit, quia statim à venenata materia calor natiuus hebetatus atque veluti strangulatus haud potuit magno impetu surgere aduersus materiam lædentem, & propterea neque facere rigorem, neque calorem, qui ex concussione rigoris & ingenti lucta caloris natiui aduersus humorem lædentem subsequi consueuit. Neque vero de-

sunt

sunt exempla quibus mala pollicis pedis vim ingentem ad perdendum habere docetur, vt in Harpali filio videre est quinto & septimo Epid. lib. qui captus est diro illo opisthotono ex pollicis pedis plaga & luxatione, sicut & Aristoni in 7. Epid. relato ex eiusdem digiti vulnere gangræna, & ex gangræna mors est subsecuta. Etenim constitutio pedis si diligenter aduertatur plane tot ossibus neruis aliisq; partibus sensibilibus constat, vt sicut ob hoc dicit Hippocrates lib. de Affect. eos dirissimis cruciatibus torqueri, sic inde verisimile sit lethiferas labes toti communicari. Ad secundum dicendum est, materias quidem corpulentas opus habere tempore, vt per vniuersum corpus discurrentes ab imis ad summa ferantur, atqui vapores, & aureæ nudæque qualitates, vt optime discurrit Galen. tertio de Loc. aff. 7. ocyssime transcurrunt non minus propria natura, quam vi summa, cunctarum partium, quasi communi consensu in illud incumbentium, vt eiusmodi inimicam materiam à sese longe lateque depellant; sicut enim videmus animalem facultatem momento minusq; ictu oculi, à cerebro in vniuersum corpus, atq; etiam in remotissimas partes diffundi instar lucis, haud secus contingit, vt aura vel aliqua alia fœda qualitas à digito pedis possit citissime in totum corpus propagari: exemplum præ cœteris huiusmodi effectus esse nobis duo possunt cantharides, atq; Hydrargyrum, quorum illæ si pedibus apponantur, exiguo tempore vim suam in vesicam mittentes eam sauciant, atq; vtinam cruentam reddunt; hoc vero statim in caput & os, de se vapores mittit, qui auro in ore retento adhærentes, illud manifeste dealbant, quasi argumentum certissimum sit, ipsummet argentum viuum sua tenuitate, atq; spiritali quadam natura velocissime per vniuersum corpus ferri. Neq; vero dubitandum. Quia si initio, vel præcisa vel ligata, vel amputata fuisset ea pars, malum aut desiisset aut multo minus euasisset, quemadmodum cõtingit, vbi digitus ab aspide, alioue animali venenato commorsus ad vitam tuendam, vel arctissime ligatur, vel præciditur, sic etiam dicebat Lucilius apud Nonium, ne gangræna digiti penetret in brachium præcidi debere. Ad tertium iam respõsum est, ea symptomata esse secuta, quod viscera præcipua à lethalissimo succo, & vapore sint valde offensa eorum temperamenta, à quibus actiones integræ prodeunt penitus corrupta. Tot de priore parte. Sequitur secunda, scilicet, SECVNDÆ DIES in qua symptomata, quæ apparuerunt multa fuere, & horrenda valde: nam primo apparuit tumor, subrubor in toto dextero pede, & circa talum, necnon cum tensione phlyctænæ nigræ, febris acuta, graue delirium, ab aluo deiectiones sinceræ, biliosæ multæ, atq; secundo die à morbi initio periit. Si enim cuncta, quæ secundo die euenerunt, expendantur, indicant non modo partem ipsam esse magnopere affectam, verum etiam prauitatem, atq; venenũ per vniuersum corpus ita esse diffusum, vt nulla pars non violata permanserit, presertim vero cerebrum; certe haud quaquã ita cito potuisset extingui, nisi & malignitas materiæ ingẽs fuisset, & membra principalia valde læsa. Factus fuit tremor ex puro dolore, qui propter magnitudinem tantam attraxit materiæ venenosæ colluniem, vt cum eam continere digitus haud posset, eleuatus fit in tumorem qui ad talum vsque peruenit, sequi, erat durus, non tantum propter materiæ copiam, quantum propter flatum: & iure dicit Hippocrates illum fuisse subrubeum, non autem rubeum, quod à sanguine deterrimo fieret; aderant etiam pustulæ nigre, quas Galenus secundo Prognost. capite de Empyem. commemorat inter signa lethalissima, & dicit eas esse quasdã maculas crustosas factas ex humore prauo, & acri, & quandoque videmus in cruribus, vbi autem pustulæ essent Galenus loquitur tanquam ex circa pedem, & talum apparuerint tantum: at id non expresse dicit Hippocrates, imo possumus etiam suspicari apparuisse in toto corpore, quemadmodum sæpe numero accidere videmus in pestilentibus febribus, quod si dicere velimus eas fuisse tantum in pede, necesse est fateamur illum tumorem fuisse gãgrænam. Iam vero furor factus est, quia vapores teterrimi in cerebrum sublati non modo temperamentum ipsius euertetunt, verum etiam membranas mordentes dilacerabant. Cur autem alui fluxus,

qui ob ardorem ingentem factus est, non contulerit aduersus id, quod scribit Hippocrates in Aphorismo, quod superueniente diarrhœa mania curatur; dicendum est, hoc factum esse propter materiæ prauæ copiā, quæ non poterat tota per aluum educi. Conqueritur quasi Galenus, quod Hippocrates magna vtilitate nos priuarit, tacens modum interitus. Verumtamen si verum est quod ipse dicit, nempe celeritatem mortis signum fuisse multitudinis deterrimæ materiæ; suspicari possumus, non per tabescentiam, neque per suffocationem, neq; minus per conuulsiones, vt putarunt aliqui, sed potius κατὰ σβέσιν, id est, per extinctionem obiisse; etsi enim proprie σβέσις seu caloris extinctio fiat à contrario, quod est frigidum: attamen æque ac frigidum, nisi etiā plus, venenum ipsi contrariari certa docent experimenta. Iam vero occasio extinctionis fuit illa pedis ingens inflammatio, quæ statim transiit in gangrænam, hoc est, illius partis mortificationem, & insignem putredinem, cuius mala qualitas cordi communicata, eius calorem veluti iugulauit, vnde mors sequuta est: alioquin quomodo potuisset, vsq; adeo immane venenum esse, in extremo pede, quod tam celerem attulisset necem; & ante mortem immane illud delirium, quod certe indicabat à putri, & pestifero vapore, vel humore cerebri temperamentum euerti, atque illius substantiam veluti dilacerari: sic enim puto cum Cœl. Aurel. & phreneticos & maniacos acerbissimis secundum cerebrū dolorib. torqueri; neque vero mirari debemus ante mortem tot mala successisse, nempe rumorem magnum, & prauum, pedis maculas nigras maniam, fœdum alui profluuium, & acutiorem febrem; quoniam cor quantum potest ob virtutis robur sese tuetur, ac humores prauos à sese ad alias partes repellit, vt etiam dicit Aristot. tertio de Partibus animalium, cap. quarto. vnde necesse est alias partes ante ipsam offendi, alioquin ipsum violentiam passum statim concidit. Galenus secundo de Diff. resp. decimo, nonnulla dicit examine digna de hoc casu; illud primum est, Critonem inopinatissime mortuum esse, aliud ipsum Hippocratem symptomatum immanitate perterrefactum non potuisse obseruare respirationem, cum subitò perierit, & furiosus euaserit; einsmodi ægros medici lōge fugiunt, vel potius nō dignatum esse mentionem facere propter inopinatum tot symptomatum cōcursum. Sed pace Gal. non possum credere Hippoc. in cognoscendis, & præuidendis morbis solertissimum, haud statim cognouisse mortem cito futuram. Deinde q; non obseruauerit respirationem, vel furoris timore, vel alio distractus à concursu tot prauorum symptomatum, minime puto, tum quia non apparet, adeo furiosum fuisse, præsertim prima die, ac tam breui tempore, tum quia etiam furiosos arte, & industria videant, atq; contrectent Medici. Vnde potius dicerem, non fuisse sibi mutatam respirationem ob affectum cordis, vt Galenus ipse docet contingere in pestiferis de Pulsu. tertio de Præs. ex Puls. cap. quarto & quin. modo videamus, quę curatio potuerit adhiberi. Victum tenuissimum, seu purum prisanæ cremorem, aut lac seminum melonum, vel quippiam simile cum aquæ potu conuenisse nemo non videt: in reliquis statim iniiciendus fuisset clyster mediocris, & à clystere, de sectione venę cogitandum, cuius cum mentionem non fecerit Hippocrates, quærens rationem Galenus dixit, non secuisse venam, quoniam tarde vocatus est, verum hæc defensio mihi non placet, quoniam in morbo qui tantū biduum durauit, quomodo potuit tardo esse vocatus? præterea tarditas vocationis nō poterat excusare, quoniā sicuti Anaxioni pleuritico, octaua die vocat⁹, nihilominus secuit venā, existente morbo magno, & viribus valentibus: sic secunda die vocatus ad Critonem acutissimo & maximo morbo laborantem, nec dum viribus debilitatis, cur non debuit mittere sanguinem? Itaque multo satius est dicere, secuisse quidem venam Hippocratem, at siluisse: quoniam manifestum erat id auxilium non fuisse prætermittendum: qua ratione plerumque in hisce historiis huius auxilii non facit mentionem, non quia illud non administrauerit; esset enim præter omnem rationem: sed quia tanquam rem manifestam narrare omisit, quod si interdum meminit, est quando aliquid rari, vel quoad administrandi rationem, vel quoad effectum

effectum inde secutum habuit. Vtrum autem præstitisset digitum illum amputare dubitari certe potuisset: verum id minime agendum fuisse ea ratione adducor: quod principium, & sedes mali non erat tantum in eo pede, quin prius fuerit in penitioribus corporis partib. ex quo nō deueniebatur ad occasionis initium: vt mandat Hippocrates secundo Epid. quod si in venenatis id facimus, summa cum ratione fit: quoniam, scilicet ibi est occasio, & occasionis mali initium: quando, scilicet aliqua pars à venenato animali commorsa, aut venenato telo sauciata est: potuisse facta gangræna, partem totam gangrænatam abscindi, quemadmodum quotidie fit, & Lucilius quoq; dixit apud Nonium, & Galen. 3. de Loc. aff. narrat fuisse nonnullos rusticos, qui cum commorsi essent ab aspidibus & viperis, statim sponte abscideruut partes commorsas, & curati sunt. Atqui nihilominus interiisset, vitio existente intus, & à principio, & post etiam à pede communicato. Ego certe partem illam scarificassem, theriacam adhibuissem extrinsecus, & pedi, & cordi: bezoarticā postmodum non dimisissem, neq; capiti oxyrrhodina adhibere cessassem: sed omnino necesse erat in tanta pernicie occumberet: & propterea melius erat statim prædicere periculum, quod sane fecisse Hippocratem in Arte prognost. admirandum non dubito: licet Galen. secundo de Diffic. Respirationis voluerit sibi hanc mortem fuisse inopinatissimam.

HISTORIA DECIMA.



LAZOMENIVM qui decumbebat apud Phrynichidæ puteum febris magna corripuit: dolebat autem capite, collo, lumbis ab initio: statim autem cruditas: somni non erant, febris acuta cœpit, hypochondrium eleuatum est cum tumore: non valde contensio, lingua sicca. QVARTA *ad noctem delirauit.* QVINTA *laboriose & omnia exacerbata sunt, sed circa* VNDECIMAM *nonnihil remiserunt: ab aluo autem a principio; & vsque ad* DECIMAMQVARTAM *etenim multa aquei coloris exierunt: commode res circa deiectionem transigebant. Deinceps aluus compressa est: vrinæ per totum tenues quidem, at boni coloris, & multum habebant enæorema dispersum: non subsidebant. Circa vero* DECIMAMSEXTAM *minxit paulo crassiora: habuerunt paruam subsidentiam, leuarunt aliquantulum, intelligebat magis; at* DECIMASEPTIMA *rursum tenues: prope autem ambas aures facta est eleuatio cum dolore, somni minime aderant, delirabat: circa vero crura dolorose habebat.* VIGESIMA *sine febre iudicatus est: non sudauit. omnia intelligebat. Circa vero* VIGESIMAMSEPTIMAM *coxæ dolor dexteræ fortiter, cito cessauit: at tumores circa aures, neque subsiterunt, neque suppurarunt, at dolebat circa vero* TRIGESIMAMPRIMAM *fluxus alui multus, aquosis, cum dysentericis: vrinas crassas mixint, subsiterunt quæ circa aures: sed circa* QVADRAGESIMAM *secundam oculum dextrum doluit, obscurius cernebat, constitit.*



LAZOMENIVM, qui decumbebat. Galenus putat hunc ægrum esse exemplum duarum rerum, nempe quanti referat vrinarum speculatio ad ferendum iudicium ægritudinum; nec non stabiliret illius dogmatis, quod sæpe nos docuit Hippocrates, scilicet, & crises, & mutationes morborum fieri in diebus decretoriis: Atqui alia sunt etiam in præsenti historia, quæ non minus digna sunt, vt propter ipsa Hippocrates eam nobis scriptam reliquerit, vt pedetentim videbitur. Sunt qui putant, hunc fuisse illum Hermippum Clazomenium, de quo loquebatur Hippocrates, quando theoriam vniuersalem tradens eorum, quæ contingebant in ea constitutione circa parotidas: exemplum attulit Hermippi Clazomenii: ego vero & si non penitus inficias eam, illum ipsum fuisse; tamen est etiam aliquid, quod videtur dissuadere: nempe habitationis ipsius appositione, quam forsan quispiam suspicabitur ob id esse additam, vt distingueretur à Clazomenio supra memorato: nisi dicimus habitationis eius

meminisse; vt ostenderet ipsum ob putei viciniam potuisse in bibendo delinquere: quod testari quoq; possunt, quæ sibi euenerunt prioribus illis diebus, nimirum vsq; ad decimamquartam hypochondriorum tumor, atque deiectiones, multæ, tenues, aquosæ. Sed siue fuerit Hermippus, siue quispiam alter haud multum refert cognoscere, quemadmodum, quæ vrbs fuit patria illius: nam Strabo lib. secundo scribit Clazomenem quoq; fuisse insulam: quæ tempore Hippocratis erat peninsula, Abderæ finitima; imo (vt ait Solinus) interdum Abderæ, quod esset à Clazomeniis amplificata, eorum nomine est vocata. Ex hac ciuitate ortus est Anaxagoras Philosophus, & Arist. tertio Pol 26. mentionem facit Satyri cuiusdam Clazomenii maledicentissimi, & contumeliosi: & apud Ælianum secundo, Var. cap. decimoquinto scribitur de quodam Clazomenio fastuoso, qui Spartam accedens Ephororum sedem fuligine tinxit; adeo vt facile comprehendatur eam gentem haudquaquam bonorum morum fuisse. Hunc vero è sua patria in Thasum venisse non admodum à Clazomene distantem, ibiq; habitasse verisimile est: & quamquam esset alienigena: haud effugere potuit, quin & ipse morbum illius constitutionis senserit: tanti valet morbidus aer ad afficienda quæcunq; corpora. Cuius ætatis fuerit, non constat, conijcere tamen licet, iam vel senem, vel prope senium fuisse, cum stet Hippocratis sententia secundo Prognost. tumores aurium in iuuenibus frequenter, in senioribus raro suppurari, vt contingit huic Clazomenio: quamquam hoc illius constitutionis peculiare fuit: vt retro iudicatum est ab Hippocrate. Caput ei à natura fuisse debile, & male affectum ex eo colligi potest: quod ipsum videtur præcipua mali sedes: dicebat enim Hippocrates in Aphor. quod qui ante morbum habent aliquam partem imbecillam iis in morbo fit ea pars mali sedes. Incipiam autem paulo accuratius videre, & examinare, quæ sigillatim contigerunt huic ægro. Et quia summatim tantum, quæ ante quartam apparuerunt, proponit Hippocrates, facile fieri potuit, vt non statim fuerit accitus. A principio igitur hoc est.

Prima die febris Clazomenium corripuit τὸ πῦρ, id est, febris magna, cui ex symptomatibus fuerint copulati dolores capitis, colli, lumborum; paulo post surditas, vigiliæ, febris acuta eum cœperunt, necnon hypochondrii tumor cum exigua tensione, & lingua arida, atq; hæc omnia contigerunt ante quartam diem. Quod pertinet ad febris ideam fuisse statim putridam non est dubitandum: vtrum continua primis tribus diebus fuerit dubitari certe potest: cum enim dicat primo cœpisse eum febrem: & post iterum dicat cœpisse eum febrem acutam videtur innuere fuisse duas febres, id est, duos motus diuersos: est autem sententia Arist. vbiq; semper inter duos motus diuersos intercedere mediam quietem: vnde interpollatam extitisse videtur hac ratione colligi posse. Veruntamen ex alia parte non adfuit horror, neq; refrigeratio, quibus discernuntur ab interpollatis cõtinuæ febres: & propterea magis mihi placet fuisse quidem febrem continuam, sed secunda atq; etiam tertia die acutiorem esse redditam: putredinis vero focum habuisse in hypochõdriis, atq; etiam in ipso capite: q; ante debile extitisse supposuimus, symptomata illius grauia docuerunt: etenim dolor capitis, colli, surditas, atq; vigiliæ haud aliunde potuerunt ita subito & impetuose proficisci, quam à materia morbifica in cerebro putrescente: simulq; & membranas, & neruos lædente, nec non aurium siue meatus, siue aerem implantatum violate: nam qui fiunt dolores, & affectus in capite per consensum id habent: vt non sint perpetui, neque continui, quemadmodum luculenter docet Galenus primo de Loc. aff. at in Clazomenio non solum fuere continui, verumetiam indies magis acerbiores vsq; ad vndecimam euasere: & quod grauius apparet, alui fluor, qui debebat prodesse, si fuisset per cõsensum, nec abstulit ea symptomata, nec leniuit. Similiter fuisse alium putredinis, & consequenter febris in hypochondriis focum significarunt tumor illorum, & eleuatio, lumborum dolor, atq; arida lingua: quæ tamen absq; vlla inflammatione fiebant: cum exigua esset tensio, nullusque dolor, ergo pituita & bilis in cauitatibus

hypochon-

hypochondriorum maioribus, atq; adeo in ipsis venis putrescebant: vnde, incendium venæ illi magnæ, quæ dorsum intus perreptat communicatum, forsanq; ibidem facta putrefactio, doloribus circa lumbos occasionem manifestam attulerunt: quemadmodum etiam vapores feruidi ad os inde perlati linguam siccam reddebant.

QVARTA DIE IN NOCTE DELIRAVIT. Cur dilatum sit delirium in quartam, effecit tum ius ipsius diei, tum surditas: nam capti sensibus, vel sensu aliquo externo difficilius delirio tentatur, aut saltem apparet.

QVINTA LABORIOSE. Vult dicere Hippocrates à quarta quæ est decretoria, vsq; ad secundam non modò increuisse ipsa symptomata magisq; laboriosa, atq; grauia euasisse, verumetiam delirium superuenisse: & certè mirum fuisset, nisi delirasset hic homo: quoniam cum focus putredinis esset in capite, atq; etiam continuo ab hypochondriis tetri & graues vapores illi suggererentur, quid poterat aliud magis formidari, quam tandem vniuerso cerebri temperamento corrupto eius præcipuas, & hegemonicas operationes violari, & consequenter non remittente sese febre, totius corporis statum magis euerti, propptereaq; laborē maiorem sequi.

CIRCA VNDECIMAM. Circa vndecimam nonnihil malum placatum est, etiam si à principio vsq; ad decimam quartam venter eiecerit multa tenuia, aquei coloris, omnia tamen exibant cum bona tolerantia. Quod enim hoc tempore factum sit initium alicuius ad melius mutationis, iure contigit, quia impar ac indicatoria dies erat: & quia licet fluxus ventris fuerit symptomaticus, nihilominus, quia bene ferebat æger, tamen diuturnitate contulit: præcipue cum à caussa externa forte originem habuisset vt dixi, scilicet ex importuno aquæ potu, à quo refrigeratus ventriculus, & intestina crudos multos, & aqueos succos produxere, qui donec durarunt per aluum sunt effusi: post DECIMAM QVARTAM, iis iam cum tolerantia euacuatis aluus suppressa est, & quod indicatum fuerat ab XI. cœperunt clariora coctionis apparere signa, quandoquidem vrinæ & si tenues ex toto essent, bonum tamen colorem nactæ sunt: à cuius bona mutatione dicebat Galen. primo de Cris. cap. 12. inchoare coctionem: & cum bono colore habuerunt quoque suspensum multum, & diuulsum à quo significabatur adhuc crudos adesse humores, qui flatu pleni suspensum copiosum, & diuulsum producerent, non habebant tamen subsidentiam.

CIRCA DECIMAM SEXTAM. Circa decimam sextam maiora coctionis melioris argumēta sese obtulerunt ex vrinis, quia factæ sunt crassiusculæ quæ prius erant tenues cum parua subsidentia, vnde meritò nonnihil leuatus æger magis, ad mentem rediit, nempe humoribus prauis partim cōsumptis, partim castigatis, sed cur factum sit, vt DECIMA SEPTIMA, iterum vrinæ tenues redierint ratio fuit, quia materia erat heterogenea, & copiosa. Vnde licet aliquæ partes maturuissent, & fuissent dissipatæ, superarat tamen adhuc multa cruda tum in capite, tum in toto, quę putrescere pergebat, atq; inde factum est, vt parotides dolorosæ circa vtrasque aures sint factæ, somni erepti cum delirio & dolore crurum. Etenim in capite putrescentis humoris pars crassior depulsa ad aurium emunctoria, ibique firmata tumorem fecit, cum enim laborasset initio surditate, eæ partes factæ debiliores facile suscipiebant humores qui ob copiam locum, distendebant, & ob calorem putredinalem temperaturam partis vitiabant, sicque iure dolor aderat, quemadmodum etiam eadem intemperie cerebri temperamentum euertente sequebatur delirium; sed quæ fuit, ratio, vt debuerit etiam in cruribus fieri dolor? certe non alia potuit esse, nisi quia illæ partes in febribus grauibus, & molestiis valde iactantur. Quo fit, vt aptæ reddantur ad suscipiendum humores agitantes tum ob hoc, tum ob sitim: quod autem fuerit tumorum genus circa aures, non videtur dubitandum, siquidem fuerunt illi ipsi qui vocantur parotides, quarum, vt colligitur apud Galenum tertio de Med. local. cap. 2. tres sunt differentiæ, aliæ leues, aliæ graues, aliæ modetatæ, quæ omnes discernuntur ex magnitudine doloris,

quamquam

quamquam dicat omnes ex inflammationum genere esse; puto autem Glazomenii parotidas fuisse moderatas, vt indicauit euentus, dicebat Cassius in Probl. medicis à veteribus fuisse vocatas parotidas Dioscuros, quod ipsis apparentibus ostêdatur sanitas, vt tranquillitas promittitur à Castore, & Polluce syderib. Atqui non, id est, perpetuum, imo vero nec plerunq; verum in medicina.

VIGESIMA DIE, quæ est terminus acutorum postremus, iudicatus fuit sine febre non sudauit, & omnia bene & recta mente intelligebat: sed dubium est quomodo Hippocrates dicat hunc iudicatum esse vigesima die, quoniam in decimaseptima, quæ est vigesimæ index potius mala quam bona signa apparuerint, vnde haud vllo pacto crisis expectanda erat vigesima, & si ad mentem redierit. Huic responderi potest fuisse quidem iudicatum ab adstantibus, & forsan à medicis sine febre, at non habuisse veram iudicationem: hunc enim sensum ipsa phrasis videtur prabere: imo vero etiam ipsa ratio, quia vt videbitis, nunquam habuit hic æger vllam bonam & perfectam iudicationem, & hic loquendi modus, scilicet ἄπυρος ἐκρίθη, id est, sine febre iudicatus est, alias inuenitur ab Hippoc, in eum, quem dixi, sensum vsurpatus: & solet non raro contingere, vt ægro leuato nonnihil, symptomatibus remissus, eum esse sine febre ab idiotis, vel etiam imperitis medicis iudicetur, cum tamen ipsa ratio secus persuadear. Et q nulla facta sit tunc iudicatio, sed sine febre iudicatus sit vsque ad vigesimam septimam ostendere possent, quæ ipsa VIGESIMA SEPTIMA apparuerunt, nempe dexteræ coxæ vehemens dolor, qui celeriter sedabatur: parotides, ita vt nec delerentur, nec suppurarentur, sed dolor perseueraret: quod quidem signum erat naturam haud dum vincere cœpisse, & caussam doloris parotidum permansisse. Verum cur hic dolor ita cito sedatus est? & cur fiebat in dextera potius coxa? Fiebat in hac parte, quoniam iecur affectum erat: siquidem supra dixit hypochondrium intumuisse, hypochődrium autem singulariter prolatum alias dixi significare Hippocrati dexterum. Quod vero citò fiant & cito tollantur affectus, oritur vel ex eo quod fiant à vaporibus: vnde Auer. tertio col. vltimo probat ea ratione fieri Epilepsiam à flatu, quia cito fit, & cito soluitur: vel ex eo quod ab humoribus prauacuum aliquod repente habentibus orientur, vt dicit Galen. 3. de Loc. aff. cap. septimo, & secundo de Symp. caus. vltimo. Iam vero hic dolor potius à flatibus fiebat, qnia cito sedatus est. Quia autem quispiam fortasse suspicari poterat hunc dolorem potuisse conferre ad parotidas, eapropter occurrens huic falsi suspitioni, dixit, quod tametsi dolor leuatus sit, tamen permanserunt parotides, & non suppurabantur: erant primo cum dolore, quia materia erat acris, & mordax: non subsidebant propter illius crassitudinem: non suppurabantur, eo quod materia esset frigida: & æger forsan in ætate senili: scribit enim Hippoc. tertio Prognost. non longe à fine, parotidas in iuuenib. quidem suppurari: in senibus vero raro admodum.

CIRCA TRIGESIMAM PRIMAM. Alui fluor, excrementorum multorum in dysentericis factus est: simulq; & vrinas crassas reddidit, & parotides subsiderût. Quod fluxu aquoso, & dysenterico facto parotides desierint, videtur rationi, & Hippocratis dogmatibus consentaneum, rationi, facta scilicet translatione materiæ à capite ad inferiora, quæ translatio probari semper solet Hippocra. quoniam, is quarto Aphor. 60. scribit, quibus in febribus aures obsurduerint, iis sanguinem ex naribus fluentem, aut aluum turbatam morbum soluere: ex quo loco apparet optimam esse, & consuetam commnnicationem, & transmutationem huiusmodi: sicut etiam è conuerso accidere consueuit, vt alui fluxu desinente circa aures abscessus suboriantur, quemadmodum Hipp. testatur circa finem Coacorũ. Sed hoc in loco dubitatio oritur, quomodo potuerit hic æger seruari, quoniam in iisdem Coac. scriptum est ab Hippocrar. dolorosas parotidas esse perniciosas: præterea dicit ibidem in longis morbis parotidas quæ non suppurantur esse exitiosas: aut saltem recidiuas innuere, quod libro de iudicat. similiter proditum reperitur. Nisi dicamus parotidas esse secutas post surditatem, quæ facta est initio: iam ex sur-

ditate

ditate leuiter fieri parotidas: & ob id minus malas esse in Coac. habetur. Vel dicere possumus parotidas non suppurantes esse tunc malas, cum alui fluxus nō sequitur quamquam etiam cum alui fluxu in febribus prauis sæpe videmus interitum afferre. Cæterum in Clazomenio propterea parotides cum alui fluxu non attulerunt mortem: quoniam vrina, quæ fuit ante quadragesimam crassa, indicauit coctionem; quasi in ipsa perseuerarit bonus color cum pauca subsidentia, & duntaxat tenuitas sit in crassitiem commutata, propteteaque parotides deletæ visæ sint.

Quadragesima die. in qua dicebat Hippocrates acutos ex decidentia finiri, factum est, vt oculi dexteri dolor, & visio eius hebetior facti sint, & ratio fuit, quia delituerunt parotides sine suppuratione; et si enim probabile sit, materiā quæ in iis post aures abscessibus continebatur, fuisse maiori ex parte dissipatam, diuturnitate, atq; fluxu alui antecedente translata; tamen verisimile est, quoq; portionem aliquam recessisse ad oculum dexterum, ibiq; & visorios spiritus, & humorem albugineum confudisse, sicq; visionem esse labefactatam: cur autem potius ad dexterum, quam ad sinistrum oculum decubuerit humor, qui ad ambas aures collectus fuerat, complures efficere caussæ potuerunt: vna, quia iecur adhuc caloris febrilis fomitem aliquem conseruaret; cum enim dixerit Hippoc. huic ante quartam intumuisse hypochondrium, pto hypochondrio simpliciter prolato accipi debere dexterum; & consequenter iecur alias monstrauimus. Altera caussa potuit esse decubitus: etenim vt Arist. docuit sexta Probl. vltimo: Situs lectorum vetetum ita erat, vt dum in parte sinistra cubabant, haberent lucem aduersam oculis: dum autem in dextrum haberent aduersam, quasi semper dormirent supra dexteram partem: vnde fiebat vt oculus dexter multo facilius incalesceret atq; ad recipiendas fluxiones redderetur aptior. Et si enim partes dexteræ alioqui in agendo sint valentiores, in oculis tamen inquit Arist. 31. Probl. 12. & 13: hoc non est visu compertum, nec ratione: cum sensus operatio fiat patiendo, ad quam passionem sunt magis natæ dexteris sinistræ partes. Addit postremo loco Hippocrates hoc verbum κατέστη, quod omnes fere interpretantur, quasi voluerit Hippocrates dicere, ægtum rediisse ad suum statum, hoc est, factum esse sanum: imo hanc sententiam videtur Galen. secutus, qui dicit quadragesimo die factam perfectam morbi discessionem. Ego vero hac de re plurimum dubito: primum, quia hæc vox, κατέστη, non id significat, sed subsidere, vel desistere, vt paulo supra volens significare parotidas euanuisse, & subsedisse visus est eadem voce, κατέστη, cum autem Hippoc. vult significare solutionem perfectam morbi solet dicere τελέως ἐκρίθη, id est, perfecte iudicatus est, & similib. vocibus vti. Verum quod magis est, si omnia quæ præterierunt, ante quadraginta cōsideremus, nulla fuerunt, quæ pollicerentur crisin perfectam quadraginta die fututam, licet namq; vrina facta esset crassior, non habuit tamen nisi paucum sedimentum; excrementa alui posterioribus diebus fuerint aquosa, & dysenterica, parotides delituerunt sine suppuratione, quod nunquam bonum solet esse; & propterea oculi dexteri affectus est secutus. Quomodo igitur statim potuit absq; signis factam esse, vt dicit Galenus perfectam morbi solutionem, cum sit Hippocratis sententia secundo Epid. passim confirmata, quæ disparet sine signo esse infida? Quare dicerem verbum illud significare tantum oculi affectum cōstitisse, nec vltra tunc progressum: quis autem fuerit finis ægritudinis, non significasse nobis Hippocrates, quod cura decesserit, priusquam bene, vel male finiretur morbus sæpe hoc contingit, vt vbi morbi minores fiunt, diuque protrahuntur ipsi medici eos astantibus relinquant, atq; etiam ipsimet ægri tædio ægritudinis, & remediorum affecti sese deseri non modo permittant, verum etiam percupiant: potest etiam fieri vt hæc historia sit manca. Veruntamen haud nego, quin potuerit Clazomenius tandem seruari postquā mitior factus fuerat morbus: nam Hippocrates in Coac. dicit parotidas subsequentes surditatem solere esse salutares, cuiusmodi fuere Clazomenii: præterea Cass. in Problem. & Galenus in Introduct. scribunt

scribunt veteres solere appellare parotidas Castorem, & Pollucem: sicuti enim quando nauigantibus ista duo Astra apparent, significãt serenitatem futuram: pari pacto, parotides quando apparent idem significant; sed quod quadraginta die id factum esse ab Hippocrate fuerit significatum plane nego. Reliquum est de curatione aliquid dicam, tum ipsius affectus, tum etiam symptomatum, quę cum habe-rent rationem morborum, videntur & ipsa aliquam curationem postulasse. Quod pertinet ad affectum, certum est laborasse febre, atq; ea à principio satis acuta, quo-circa ipsius ratione indicabatur refrigerandum, humectandum, ipsique putredini occurrendum, quibus scopis satisfaciẽdum erat primum victu refrigerante, & humectante, eoq; tenui, quod prioribus diebus, & febris, & symptomata non fuerint contemnenda, ptisana, lac amygd. vel sem. melonum, aut recentium, aut aqua maceratarum conueniebant cum aquæ simplicis hordeaceæ potu, aut simplicis, aut iuleb. ros. vel oxysacchara, aut granatorum succo commixtæ. De sanguinis missione certum est, & morbi magnitudinem, quæ statim innotuit, & vires robustas, quas adfuisse nil negat, eam postulasse, atq; etiam copiosam: at obstabant fluxus alui, & copiosa crudorum humorum, qua præsente negat Galenus quarto de Tuend. val. quarto: & libro de Curat. per sang. mis. mittendum esse, itaque eo magis si febris adsit. Dimisso igitur sanguine debitis potionibus fuisset studendum coctioni humorum, & refrigerationi oxalide, endiuia, lactuca, cichorio, soncho, agrimonio, & similibus addito, vel oximel. vel acet. simpl. id potissimum curando, ne potiones multum dulces exhiberentur, & quia quarta die delirauit, & quinta omnia sunt exacerbata ni quid obstitisset ad auertendum à capite furentem materiam de sanguine ab hęmorrhoidibus mittendo potuisset cogitari, vel per cucurbitulas infra dorsum adhibitas: quo tempore etiam ad delirium compescendum lauacra refrigerantia, & oxyrrhodina capite deraso adhiberi iussissem, sicq; perexissem. De medicamento purgatorio certe cogitãdum fuisset decimasexta propter multas caussas: prima quoniam cum aluus esset sponte commota cum optima tolerantia, & statim fluor desiisset, signum erat non esse integre à natura euacuatam materiam: propterea; arte supplendum esse, secunda quia apparebat aliqua coctio in vrina, cuius, scilicet mutatus erat color cum suspenso copioso, & diuulso, & aliqua subsidentia, tertia quia cum delirium apparuisset quarta die timẽdum erat ne rediret: quẽadmodum vere rediit post decimamsextam, & forsan si Glazomenius euacuatus fuisset hoc tempore, materia quæ repetebat ad caput, ibiq; putrescebat euacuata, haudquaquam decimasexta iterum vrinæ attenuatę essent, neq; forsan successisset delirium nec illæ parotides, quæ postmodũ pluribus dieb. torserunt: pręclare Hippocrates dicebat 6. Epid. 3. de Hæmorrh. loquens decubitus, qui aduenientes tollunt iam factos morbos, si antecedant, ab iisdem morbis vindicare. Medicamentum dandum fuisset ad omnes humores purgandos, tam crassos, quam subtiles: vt Agaricus, Elleborus niger: scamonium, Sena, Rhabar. quorum aliqua veterib. certe incognita erant: sed iis nihilominus nobis vti licet, vbi vsus postulat. Et quia ex symptomatibus, quæ vrgebant parotides potiorem partem obtinebant, illis etiam curandis maxime studendum erat. Galenus tertio de med. loc. cap. secundo docet vt retro dicebam tria esse parotidum genera, vnum grauissimum hoc est valde dolorosum: & cum copioso materiæ affluxu, aliud leue, hoc est cum pauca, eaq; benigna materia, & absque dolore, vel admodum exiguo: tertium vero medium: quod fit ex mediocri materia, & cum pauco dolore. In nullo genere, neq; Archigenes, neq; ipse Galenus repercussoriis vtendum esse præcipiunt, nisi multo discussorio aliquid pusillum repercussorium immiscere aliquando placeret: ratio est, quoniã etsi partis sit tumor inflammatorius: quia tamen est locus valde proximus cerebro, in quod, periculum est, ne teter & noxius humor vsu repercutientium repellatur, ab hoc scopo inflammationibus communi, scilicet initio repellendi abscedimus, & potius aut attrahimus: aut si attractio dolorem faciat, relaxamus, quo possit natura facilius in eam partem exonerare noxios humores, vt butyro, oleo amygd.

dulc.

dulc. pinguedine anseris, ac similibus. Iam vero cuius generis fuerint parotides nostri Clazomenii conijcere quadantenus licet ex ipsiusmet Hippocratis verbis, qui cum dicat factam fuisse eleuationem circa ambas aures cum dolore, atque secutas esse vigilias, & delirium, plane signum est fuisse graues, aut saltem ex iis, quas Galenus scribit loco citato fieri in febribus acutis, & in quibus si humoris influxus sit nimis impetuosus, haudquaquam vult aut cucurbitula, aut medicamento attractatorio ad iuuandum naturæ conatum nos vti debere, ne febris, dolor, vitiumque defectus augeantur: sed mitigandum esse per cataplasmatum maxime lenientium vsum: vt est frumenti farina, cum caricarum decocto, atq; oleo. Itaq; in præsenti casu statim atque apparuissent parotides, erat butyro cum laua vtendum, & malo crescente, ac dolore, debuisset cum validioribus, & dolorem sedantibus magis pugnari; additis etiam mediocriter discutientibus, qualis panis tritus cum lacte, & oleo chamomelino, quo dolore cessante erat suppuratio tentanda cum emplastro ex succis diachylone à pharmacopolis vocato, vel ex altheæ radice cocta, & colata cum pinguedine gallinæ & passulis per colum transmissis, aliisque similibus. Suppuratione autem non succedente, ad discussionem, & dissipationem fuisset deueniendum, & duritiem emolliendam, vt facta illitione prius ex oleo, ad plantaginem cum sale, vel ficum, vel rumicis syluestris radices cum vino coctas.

HISTORIA VNDECIMA.



ROMEADÆ *contugem post filiam enixam, aliisque omnibus factis secundum rationem in* SECVNDA DIE *existentem rigor corripuit: febris acuta: cœpit autem dolere* PRIMA *die circa hypochondrium, anxiosa, horrida, inquieta, & sequentibus, non dormiuit: spiratio rara, magna, statim retracta* SECVNDA. *à qua riguit, ab aluo honeste stercora prodierunt: vrina crassa, albæ turbida, quales fiunt ex subsidentiam habentibus, quando conturbantur seposita multo tempore: non subsidebant: nocte non dormiuit.* TERTIA *circa meridiem superriguit: febris acuta: vrinæ similes, hypochondrii dolor, anxiosa, noctem difficulter, non dormiuit, sudauit per totam: subfrigida: celeriter autem denuo recaluit.* QVARTA *circa quidem hypochondria parum alleuiata est: capitis vero grauitas cum dolore, subsoporata est: destillarunt pauca à naribus: lingua valde sicca, siticulosa: vrina tenues oleosæ, parum dormiuit.* QVINTA *siticulosa, anxiosa, vrinæ similes, ab aluo nihil: circa vero meridiem multa delirauit; & rursum celeriter aliquantum resipuit, cum surrexisset, subsoporata est, refrigeratio modica: noctem dormiuit, delirauit.* SEXTA *mane superriguit, velocitier autem incaluit, sudauit per totum: extrema frigida: delirauit: respiratio magna, rara. paulo post conuulsiones à capite inceperunt, & celeriter interiit.*



ROMEADÆ VXOR. Dromeadem, cuius erat vxor proposita nunc ægra, & de qua paucissima Galenus, fuisse cursorem, prout nomen denotat, atque mos est Hippocratis nempe ab aliqua facultate, atque vitæ exercitio ægros vocare, facile puto, quamquam etiam fieri potest, vt ab excellentia currendi nomen hoc proprium sit adeptus, quando ætate Hippocratis erant in ysuludi illi, in quibus quicunque excellebant, ab illius excellentia vocabantur. Narrat Pausan. libro sexto. Stymphalium quendam Dromeum multarum victoriarum in cursu coronis clarum omnium primum carne vesci cœpisse, cum ante Athletæ caseo è fiscellis alerentur, sed hæc nil ad rem. Historiam pedetentim examinanti non pauca vtilia, & grata offerunt. Cursoris enim vxor in prædicta constitutione fœmellam peperit, cui quæ in partu necessaria sunt, licet omnia secundum rationem contingerent, & nihilominus secunda die à partu cœpit ægrotare. Cur autem hoc contigerit non possumus imaginari aliud nisi, quod

H cum

cum nulla caussa externa præcesserit corpus huius mulieris fuerit prauis, & crudis succis repletum, ac forsan sibi puerperia desierint; ob idq; ex partus agitatione cunctis consueta facta sit occasio illis succis putrescendi, sicque oborto rigore secuta sit febris, vt semper consueuit tempore antiquorum, quemadmodum alias diximus. Sed mirum est statim fuisse febrem acutam, atq; prima die tot accidentia apparuisse; nempe vigilias, respirationem raram, & magnam anxietatem, horrorem, dolorem & retractionem hypochondriorum. Nisi dicamus complures caussas potuisse concurrere ad malum tam sæuum statim inducẽdum, vnam, quia cum esset cursoris vxor promiscue, & non bono victu tum alias, tum prægnationis tempore vsa multos crudos, & prauos succos congesserit: sic enim dicebat Galenus secundo de Alim. fac. cap. de Cucum. ex esu prauorum eduliorum, paulatim cumulari succos tetros, qui qualibet, vel minima occasione febres malignas pariunt. Aliam, quia cum concepisset fœmellam, & peperisset, non licuit ita sibi consumere congestos succos, vt patientes masculos fœtus ob maiorem calorem, magis superuacaneum sanguinem, & excrementa dissipant, propter quod semper solet Hippocrates apponere cuius sexus sint fœtus. vt ex eo liceat deinde comprehendere cuiuis medico multa ad cognoscendos affectus valde conducentia, tertiam & postremam, quia & si prima die atq; in ipsa parturitione omnium secundum rationẽ sint secuta, superærant tamen multa adhuc purgamenta, quæ spatio quadraginta dierum in fœminis secundum medicos solent consumi, & quæ verisimile est hoc in casu incendium, & putredinem contraxisse, sicq; febri, & aliis malis occasionem præstitisse: Dico enim secundum Medicos, quoniam secundum Hebræos in Leuitico, menstrua post partum durant septem dies; purgamẽta vero vsq; ad 60. producuntur. Cur porro potissimum accidentia facta sint circa ventriculum, & hypochondrium, scilicet dexterum, fuit, quoniam iis in locis frequentissime solent cumulari, & colligi illi succi, & excrementa, quæ retinentur ex puerperiis, quæq; ibi putredinem postmodum, & prauitatem nacta fastidia, anxietates, horrores, atque dolores, & consequenter vigilias producunt: Etenim vbi ventriculus vehementer aliqua re læditur, certum est somnum ilico adimi, mentẽ quoq; oblædi, ita vt postmodum sequatur respiratio rara, & magna, qualem esse errantis animi signum sæpissime monstrauit Hippocrates primo Progno. & docuit Galenus tum alias, tum maxime secundo de Diff. Resp. decimo, & tertio libro, in pluribus capitibus, qui libri sunt veluti commentaria, tum horum librorum, tum Prognosticorum. Cæterum videre oportet, quid significet, spiritus reuulsus. Circa quod id prius est notandum, aliquos contextus habere non (spiritus statim reuulsus) sed (hypochondrium statim reuulsum) verum quod legendum sit, spiritus reuulsus, manifeste monstrat Galenus secundo de Diff. Resp. decimo, & tertio, cap. nono, vbi declarat spiritum reuulsum esse illum, quẽ alias dicit fieri dupla introreuocatione; atq; cõuulsionem significare, ita vt spiritus magnus, & rarus, atq; reuulsus delirium, & cõuulsionem significet, quæ duo symptomata huic mulieri contigisse videbitur; Vtrum autem in dextero hypochondrio fuerit tumor insignis inflammatorius, videtur Galenus statuere loco citato non potuisse esse, alioquin superasset delirium incipiens, & respirationem paruam, raramque effecisset, atque hæc prima die contigerunt.

SECVNDA autem DIE. multa quoque facta sunt alia, quæ prinsquam consideremus operæ precium est illud adnotare, Hippocratem hinc enumerare dies non à partu, sed ab initio febris; hoc est, à rigore, scilicet quia partus ex sese nõ fuit principalis caussa vel occasio morbi, sed aptitudo ipsa corporis, & repletio, simul, atque cacochymia. Ergo secunda die ab ea, qua cœpit rigere ab aluo fœces καλῶς id est, honeste reddidit. Vrinæ fuerunt crassæ albæ, turbidæ, quales esse solẽt, vbi ex subsidentib. turbantur, separatæ per multum tempus non subsidebant, nocte non dormiuit. Circa quæ sunt nonnulla haudquaquam silentio prætereunda, & Primũ videndum est, quæ sit caussa cur Hippo. mentionem facit stercoris recte exeuntis:

nam

nam hoc scire haud multum videtur interesse, ob quod neq; semper illius meminit Hippocrates. Secundo cur vrinas turbatas ita diligenter describit. Tertio propter quid hæc mulier, cui partus secundum rationem successerat ita cito delirare cœperit, delirasse autem colligitur ex spiritu magno, & raro. Ad primum respondeo Hippocratem iis verbis voluisse ægritudinis magnitudinem, & prauitatē denotare: quasi dicat etsi aluus naturaliter profluxerit absq; vllo adiutorio, attamen vsq; adeo erat graue malum, vt delirarit, atq; cætera mala perseuerauerint, præsertim hypochondrii, & stomachi affectus, qui rationabiliter debuissent mitigari saltem euacuatis à fœcibus ipsis intestinis. De vrina porro sunt eius sententiæ, voluisse Hippocratem eam sic describere, vt non modo monstraret à crassitie turbiditatem discrepare: verum etiam eius generis esse, quod turbidum mingitur, aut turbidum permanet: quodq; omnium esse deterrimum prodidit Galenus primo de Cris. duodecimo, & propter quod dicit hic Galenus, idem debuisse hanc ægram cito perire: Etenim videmus vrinas, quæ habent sedimentum turbari, ita vt splendorem perdant: nec simpliciter crassæ sint: verum etiam ab quo pacto obscuræ: vnde ait hoc etiam habuisse vrinas huius mulieris, vt sepositæ longo tempore nil subsidentiæ haberent: quod est perinde ac si dixisset vrinas minxisse turbatas: semperque similes perdurasse. Fiunt autem huiusmodi à magno, qui est in vasis tumultu, & agitatione factis ob magnum febrilem calorem, quem necessario consequitur magna in cerebrum vaporum feruidorum, & putridorum elatio: à qua violatum cum sit, principes ipsius actiones læduntur, deliriumq; oritur. Atq; hoc est illud ipsissimum vsu probatum, quod pro oraculo posuit inter Aphor. libro quarto, 70. nempe quibus in febribus vrinæ perturbatæ, veluti iumentorum redduntur, iis capitis labores πόνους adesse, aut adfuturos esse. Cur porro ita cito delirare cœperit, fuit caussa in primis sexus; solent enim mulieres alioquin operationibus cerebri minus, quam viri valentes facile delirare: altera caussa fuit retentio purgamentorum, quæ statim in cerebrum, vel ipsa restagnarunt, vel vapores miserunt. Modo succedunt TERTIAE DIEI symptomata, quæ & ipsa sunt examine digna: nam si hæc ægra prima, & secunda die habuit signa, ita exitialia vt quiuis mediocriter peritus medicus potuerit statim prædicere ipsam fuisse morituram. Tertia, & quarta etiam vsque adeo grauia fuere, vt etiam cito futuram mortem eius prædici potuerit. Itaque TERTIA DIE CIRCA meridiem riguit, & febris acuta secuta est: vrinæ fuerunt, quales ante, hoc est, turbatæ, dolor hypochondrii, anxietas, noctem difficulter tulit, non dormiuit, sudor per totum corpus frigidus, celeriter rursum calefacta est: Primum autem videndum, cur superriguerit, & circa meridiem: nam rigorem potius bonum fuisse, quam secus iudicare quispiam potuisset, siquidem Hippocratis testimonio quarto Aph. 58. ei qui febre ardente laborat, si rigor superuenerit, morbi fit solutio: neq; dicendum est hanc ægram fuisse debilē, aut febre non laborasse ardente, quia ipsemet Hippocrat. dicit fuisse febrem acutam: nec debilitatis virium meminit, imo vero cum vix duobus diebus ægrotasset spiritum magnum, & consequenter pulsum similem haberet, nullaque caussa vires euertens præcessisset, par est existimare ægram non fuisse debilem, ac ob id non esse casum ab Hippoc. propositum eodem quarto Apho. 46. Nisi dicamus rigorem huic ægre proprie non superuenisse, hoc est, non antea factum apparuisse: siquidē etiam prima die rigore tentata est: & hic qui tertia superuenit ipsi adhuc febrienti pro portionem tertianariam quandam habuit, ita vt hemitritæi imaginem habuerit expressam, vt apparet non solum ex delirio, symptomatibus, verumetiam ex propensione ad somnum quam habuit vt videbitur, & quam hæmitritæos comitari Asclepiades apud Cœlium docuit: cum enim humor biliosus vna cum crudo putresceret tam intra venas, quam extra, circa ventriculum & iecur, bilis à venis effusa, & persensibiles partes transcurrens rigorem affeēbat: pertingens etiam ad stomachum: eiusq; os acriter vellicans anxietatem, & inquietudinem tum die, tum nocte pariebat: similiter & vigilias, quemadmodum & hypochondrii dolo-

rem eadem mordicatione afferebat. Notauit autem potissimum Hippocrates fuperriguisse circa meridiem, vt significaret rem ideo fuisse grauiorem, cum ea pars vtpote calidior minus apta sit rigores ferre, quasi tunc non nisi à maxima, & potenti caussa, veluti à sæuissima bile, fieri queant; quamquam Aristot. tertia Problem. septimo scribit, nos æque ab externo calido, atque frigido rigere. Verum dicet aliquis, quomodo fieri potuit sudor per totum frigidus, atque celeriter rursus calefieri? Dico quod etiā supra dixi, verisimile esse huic mulieri, licet pepererit secundum rationem, statim puerperia desiisse, alioquin facto couenienter partu, & exeuntibus recte purgamentis, non debuisset ægrotare, aut saltem non adeo immani morbo occupari, sicut suppressis purgamentis, nō modo in venis, & cauitate ipsius vteri, verumetiam in vniuerso corporis ambitu, tetra retenta sunt excrementa, atque præsertim cruda & serosa, cuiusmodi in enixa fœmellam exuberasse admodum rationi consentaneum est. Ergo in febri hac vapores acres, & feruidi ab hypochondriis aliisq; intimis corporis partibus, in ambitum elaris succos illos crudos, & serosos magis eliquantes, & fundentes frigidum sudorem pepererunt, donec expirante, & cōsumpto illo frigido sudore, calor febrilis magis sese exserebat, & percipiebatur, qui ideo celeriter fiebat, quia summo æstu materia illa serosa cito absumebatur. Si enim non ob hanc caussam, sed ob caloris natiui extinctionem à febrili factam, vt solet etiam sæpe contingere, sudor frigidus fuisset: certe non debebat cito calefieri, quia vbi semel is simile quidpiam passus est, haud facile ab eo emergit.

Quarta die adhuc grauiora successerunt, tum quia hæc est ex decretoriis, tum quia id habuit præsens ægritudo, vt visa semper sit fieri in partibus acerbior, adeo vt etiam in pari, scilicet sexta die sit mortua, & quamquam statim dicat Hippocrates hanc mulierem quarta die circa hypochondria fuisse nonnihil leuatam, id tamen parum fuit, nec admodum optabile, eo quod humor, qui solebat illa turbare, versus est ad nobiliores partes, nempe ad caput, vbi grauatiuus dolor factus est, ad somnum morbosa, & carotica propensio, exigua è narib. sanguinis stillatio, lingua arida, & siticulosa, cum vrinis paucis, tenuibus, oleosis, & cum pauco somno. Cur enim factus sit dolor grauatiuus cum stilla sanguinis è naribus, lingua sicca, & siticulosa, nō est arduum rationem inuenire, siquidem sanguis biliosus, & feruens in caput sublatus copia distendens cerebri membranas cum dolore inducebat, cumq; natura grauata sese ab eo exonerare tentaret præ debilitate summo illo onere lassato haudquaquam abunde, sed parce id faciebat, ac propterea stilla, sequebatur, quam omnibus in hac constitutione fuisse exitialem Galenus ex Hippocrate vere obseruauit: pari pacto linguam fuisse siccam, & sitientem facile intelligitur, quod humor feruens, eiusq; vapores à foco inferiorum partium, per palatum in caput transeuntes suo feruore, & siccitate linguam exsiccarent, & consequenter sitim inducerent. Sed illud non ita facile comprehenditur, quomodo dicat Hippocrates puerperam hoc quarta die caroticam fuisse, seu sopore tentatā & parum dormiuisse: Præterea quo pacto ipsius vrinæ potuerint simul esse tenues, & oleosæ. tertio, cur Hippocrat. breuitatis studiosissimus, qui dixerat linguam esse valde exiccatam, voluerit addere hanc fœminam fuisse sitibundam. At primum dicendum puto non Hippocratem dixisse eam simpliciter fuisse soporatam, sed ὑποκαρώθη dicit, hoc est, subsoporata est; potest enim hoc modo inclinatio quædā in somnum fieri, nec tamen æger dormire, quando scilicet vapores crassiusculi sunt, & calidi, vt qui fiunt ex sanguine, etenim ratione crassitiei fit obturatio meatuum cerebri, ob quam impedito spirituum excursu fit ad somnum propensio: ratione vero caliditatis stimulantis fit vt anima haudquaquam sopiatur, sed cōtinuo excitata somno priuetur; haud secus atq; dicunt Arist. tertia Probl. 36. & Plutarch. tertio Sympos. octauo contingere iis qui ἀκροθώρακες, id est, leuiter inebriati sunt, quique quodam pacto corpus oppressum, animum autem liberiorem habent, sic quoque dicebat Galenus in Art. Med. eos qui habent cerebrum calidum & humidum

midum esse comatosos. De vrina dico non conuenire, vt ea secundum liquorem, atq; totam substantiam tenuis sit, attamen secundum superficiem oleosa appareat, quandoquidem & si oleum suapte natura inter crassa corpora ab Arist. quarto Meteor. recensetur, experientiaq; ipsa doceat obturare, ita vt hac ratione insecta quorum est pusillus calor, interimat: attamen potest supernatare ratione aeris sibi inexistentis, cuilibet humore etiam tenuissimo. Itaq; cum calor summus in hac muliere esset in partibus internis, humores attenuabat, simulque carnes & pinguedines assans, & eliquans vrinas faciebat, quæ secundum liquorem, & substantiam tenues erant: pinguedo illis supernatans illas faciebat oleosas; vt enim videmus chymicos longa ignis, & magna operatione ex corporibus primum tenues humores, demum oleum extrahere: sic calor febrilis, qui vere ignis à medicis nuncupatur, agés, in carnes & humores, primum tenues, deinde oleosos succos extrahit, vt frequentissime videmus contingere in iis febribus, quæ colliquatiuæ, & marasmodes vocantur. Cur autem Hippocrates voluerit addere hanc fœminam fuisse sitibundam (quod erat tertio propositum) hæc forsan potuit esse caussa, quia fieri potest, vt sitientes sitim ipsam non percipiant, quod quidem dupliciter contingere potest, vel propter mentis errorem: vnde dicebat Hippocrates secunda, Apho. sexto: quod qui dolentes parte aliqua corporis dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat: vel propter facultatis sensitricis destructionem: qui enim habent linguam valde aridam, etiamsi valde sitiunt, nihilominus sitim non percipiunt, quod sensitiua facultate sint orbati: vt igitur ostenderet Hippocr. hanc ægram hoc tempore nec mentem habere læsam, neq; in lingua intemperiem vsq; adeo ingentem, vt facultatem iugularet, eapropter voluit addere sitibundam fuisse.

Iam vero QVINTA DIE sitis, fastidium, vrinæ similes, ab aluo nihil, circa meridiem delitauit multa, & rursum statim parum ad mentem rediuit: resurgens in soporem delapsa est, exigua refrigeratio, nocte dormiuit. Atque hæc omnia quinta die, inter quæ si recte considerentur, nihil noui est, qui etiam reliquis præcedentibus diebus affuerint, quia eædem caussæ vigebant, quæ cum deterrimæ essent; nihilque remitterentur, plane signum erat mortem proximam fuisse. Sed dicet aliquis, cur Hippocrates non dixit vno verbo symptomata fuisse similia, quemadmodum dixit de vrinis; etenim is qui cuncta summatim notabat, & breuitatis amantissimus erat, vtiq; potuisset multo contractiorem facere narrationem. Sed respondeo, forsan id facere voluisse, quia vrinæ solent magis eædem permanere, quã alia symptomata, & præsertim quæ à fœdis vaporibus fiunt, vt anxietatem, sitim, delirium: soporem in hac facta esse diximus, prout namque vapores modo magis, modo minus attolluntur, sic ab ipsis fiunt deteriora, vel mitiora accidentia. Vnde vt Hippocrates adnotaret hæc fere fuisse perpetua voluit ea repetere, adeo vt neq; mihi sit alias sumendus labor eorum caussas peruestigandi, cum iam de iis abunde retro simus locuti. Illud tamen non est silenrio pertranseundum, quia Hippocratem adnotasse aluum nil reddidisse, quia cum vsq; ad hanc diem semper fluxisset, potuisset aliquis suspicari quinta die etiam fluere, quam suspicionem, vt auferret voluit id adnotare; non fluebat autem aluus hac die, tum quia omnis pinguedo, & ichor per vrinam expellebatur; est enim sententia Hippocratis, quod vbi vrinæ sunt copiosæ, fœces, vel paucæ vel nullæ sunt; tum quia à maximo incendio fœces torrebantur, tum maxime, quia cum sexta die peritura esset, iure facultates omnes & præsertim expultrix obrui cœperunt.

SEXTA DIE delirauit: mane rigor superuenit, & post rigorem incaluit, sudauit per totum (& extrema frigida erant, spiritus magnus ratus, & paulo post conuulsiones à capite incœperũt, sic quæ celeriter extincta est:) adeo vt sit ex iis ægris, quos Hipp. adnotauit in hac constitutione die pari, id est, sexta ab initio morbi interiisse, cum tamen ipsemet secundo Epid. sect. sexta, non longe à principio scriptum reliquerit omnes perire die, anno & mense imparibus. Nisi dicamus hanc septimo sã partu obiisse: Quoad rigorem, debebat omnino fieri die quinta vt hemi-

tritæi naturam seruaret, sed præ debilitate in sextam dilatus fuit. Animaduertit autem Hippocrates conuulsiones à capite incœpisse, vt grauitatē casus augeret; quia si quando conuulsiones à manibus incipiunt, vt experientia docet, sunt lethales; tanto magis quæ à capite incipiunt. Verum dubitabit aliquis, cur cum Hippocrates commemorasset delirium, voluerit addere respirationem magnam, & raram, quæ continuo comitatur delirium, & eo magis quia Galenus secundo de Diff. resp. tertio, & decimo scribit Hippocratem raro commemorari huiusmodi symptoma in delirantibus. Præterea cum dicat Hippocrates primo Prognost. spiritum reuulsum esse proprium signum conuulsionis: hæc mulier habuit sexta die conuulsiones, attamen Hippocrates non meminit spiritus reuulsi. Nisi dicamus ideo fecisse hoc Hippocratem, quia hoc in casu duæ erant caussæ spiritus immutantes, deliriū & conuulsio: & prout hæc vel illa superabat, talis etiā spiritus apparebat, & ab Hippocrate etiam commemorabatur, vt igitur doceret delirium superare, voluit tacere spiritum reuulsum, & commemorare magnum, & rarum. Alexander secundo Probl. primo, quærens rationem cur phrenetici, & insanientes spiritum magnum, & rarum habeant, respondet actiones animæ perfici musculis, & neruis, à quibus thorax mouetur, ac ob id facultate animali læsa respirationem raram fieri, qua anima sui operis oblita neruis & musculis haud operetur, fieri vero magnam ob cordis ventilationem, siquidem vitalis facultas exurgens stimulet, moueatque aliam sibi interitum cominata, quæ anima quod ob morbum omisit, cor magnitudine ob proprium vsum complet. Cæterum pro fine totius partis theoricæ historiæ præsentis sciendum est, sudorem paulo ante mortem in hoc ægro apparētem alterius generis fuisse ab eo quem habuit tertia die, qui licet & ipse fuerit vniuersalis, & frigidus potius tamen, vt diximus, à feruore intestino, & extremis succis frigidis proficiscebatur: hic vero à virium imbecillitate cum caloris extinctione, qualis solet esse sudor syncopticus vocatus, qui moribundos comitari solet. Præterea, quod statim ab incœptis à capite conuulsionibus interierit, vera ratio fuit, quia iam debili & emortua omni facultate vitali, & naturali, cōsequens erat, imo necessarium, vt ad quamuis insignem motricis læsionem ilico status vniuersi corporis corrueret: quemadmodum ob continuum pene delirium factum est, vt semper raram, & magnam respirationem habuerit: quod si etiam consideretur initio quoque spiritum reuulsum habuisse, fit vt rationabiliter videatur iure in fine esse passam conuulsiones, quam simili respiratione præsignari docuit Hippocrates primo Progn. Cur autem dixerit in fine celeriter eam esse extinctam, puto egisse, vel ad significandam insperatam eo tempore mortem: vel potius ad testandam conuulsionum à capite violentiam, ob quam subitanea mors post ipsas contigerit, scilicet nulla ex iis existente re, quæ solet antecedere mortem, vt oregmon popnlariter vocatus, luminis priuatio, & similia, in hoc casu quid statim debuerint medici facere nō est arduum iudicare, cum enim prima die acuta febris cum dolore hypochondriorum aliisq; grauibus symptomatibus sese manifestauerit, æquum erat vt morē publicum nutriendi copiose statim puerperas penitus omitterent: abstinentiamq; vini, & vsum cibi tenuis, & simplicis præciperet, quo facto ad auxilium chirurgicorum considerationem erat deueniendum: & quia diximus huic mulieri suppressa fuisse subito purgamenta, idcirco omnis ratio postulabat, vt secunda die post emissas recte fœces ad pertundendam poplitis, siue tali venam, deueniretur: quinimo pro reuocandis iis, atq; à capite, corde, stomacho, diuertēdis prauis succis, & vaporibus nullum genus diuersionum erat declinandum, præsertim cum lenibus frictionibus crurum, & coxarum ob febrem, ligaturis, cucurbitulis, & siccis, & scarificatis, siq; nulla est occasio, quæ in febribus indicet vsum vesicātium medicamentorum ad crura saltem certe hæc est, in qua & purgamentorum prouocatio, & reuulsio à cunctis superioribus partibus est necessaria, & nuper in nobili Florentina puerpera, & grauissime laborante experti sumus hoc præsidium magnopere contulisse: maxime si vesicantia fiant è cantharidibus, quæ attrahunt sanguinem à vesica &

fica & consequenter ab vtero, id quod optatur. Aduersus febrem certandum erat cum refrigerantibus & humectantibus, ac moderate aperientibus, ac non respondente quotidie aluo debuisset clysteri aliquo vel leniori, vel medio eam solicitare, semper tamen prædictione mortis propinquæ & facta, quod signa exitialissima statim apparuissent. Ad symptomata vero, & precipue ad illam anxietatem, quæ immanissime ægros torquere solet, extrinsecus conuenisset oleum citoniorũ, mastichinum cum puluere corallorum rubeorum, intus panis lotus in succo granatorum, vt fecit Hippocrates in illa muliere commemorata, secundo Epid. cui cardialgia laboranti obtulit polentam cum succo granatorum, cuius vsu persanata fuit, & quamquam idem Hippocrates septima Aphoris. quinquagesimosexto, anxietatem tolli à vino æquali aquæ portione commixto asserat, id tamen haud simpliciter est intelligendum, sed de febre carentibus, aut saltem de illa anxietate, quæ non à calidis, & acribus, qualis fuit nobis modo proposita, sed à frigidis succis originem docuit. Pro delirio ozyrrbodina conuenissent frequentia, & pro siti, ablutiones oris aqua hordeacea factæ, detentio ore prunorum, cucurbitæ, carnis, succus berberorum, aut ribes saccaro conseruatus. De somno nulla fuisset habenda solicitudo: tum quia longæ non potuerunt in breuissimo morbo esse vigiliæ, tum quia interdum visa est sopore quodam tentari. Atqui omnia fuissent sane irrita auxilia, quod morbo lætbalissimo, & humana remedia superanti haud licebat salutarem medicinam facere.

HISTORIA DVODECIMA.



OMO calescens cænauit, & potauit multum: vomuit omnia nocte: febris acuta: hypochondrii dexteri dolor: inflammatio submollis, & interna parte: noctem moleste: vrinæ autem à principio crassitiem habentes, rubræ, sepositæ non subsidebant: lingua præarida: non valde sititulosus. QVARTA *febris acutu.* SEXTA *vespere multa delirauit; neq; ad noctem dormiuit.* SEPTIMA *cuncta sunt exacerbata: vrinæ similes: sermones multi, continere se non poterat, ab aluo autẽ irritatorio humida turbulenta exierunt cum lumbricis: noctem similiter laboriose: mane vero riguit: febris acuta, sudauit calido: sine febre visus est fieri: haud multum dormiuit: ex somno refrigeratio: frequens expuitio: vespere multa delirauit: paulo post vero euomuit nigra, pauca, biliosa.* NONA *refrigeratio, delirauit multa, non dormiuit.* DECIMA *crura dolorose: omnia exacerbata sunt, delirauit.* VNDECIMA *obiit.*



OMO CALEFACTVS cœnauit. Certe mirum est, quam ieiunus sæpe sit Galenus in historiis exponendis, vt in præcedenti, præsenti, & postrema huiusce libri; cum tamen interdum in aliis, vsque ad fastidium profusus. Sed ita ingeniis humanis contingit, vt interdum nimis caleant, interdum immodice frigeant. Narrat autem Hippocrates in præsenti historia cuiusdam hominis, cuius nomen, patriam, habitationem, ac professionem tacet, forsan quia sibi ignota erant: est enim credere dignum sapientem senem sæpenumero copia ægrotantium veluti obrutum, bæc quæ parum ad ipsius propositum spectabant, contempsisse; fieri etiam potest, vt aliquando ab assedis suis sibi narrata adnotauerit, ob idque ægrotantium notitiam tradere prætermiserit: sed vtcumque sit, præsens æger cum ante calefactus esset cœnauit, & potauit multum; ita vt nocte ob nimium potum, & cibum coactus sit omnia vomere; ex quo secuta est acuta febris, atque intra quartam diem multa passus est grauia, nocte non dormiuit, hypocbondrii dexteri dolore, & submolli inflammatione circa internas partes laborauit: vrinæ ab initio fuerunt rubræ, nec sepositæ vllam habebant subsidentiam; lingua sicca quidem erat, sed non admodum siticulosa, atq; bæc omnia primis tribus diebus, in quibus (vt docet Arist. tertio Politic. 11.) apud veteres medicos Ægyptios nihil licebat medicis circa ægros mouere, & propterea suspicor sæpenumero

Hippocratem non accessisse ad ægrotos nisi quarta die, antequam vel non vocabatur vel nil volebant fieri: imo id quoq; apud plerosque videmus factitari hodie, vt medicum accersere præstolentur vsque ad tertiam & quartam diem, cum maior pars medicinæ opus ægre experiatur, & de sese bene speret. Examinare modo sigillatim cuncta conuenit. Marem fuisse, & iuuenem ex eo coniici potest, quod ex labore sit calefactus, & deinde statim cœnauerit, & multum potauerit: nam vt scribit Galenus secundo Aphoris. 39. senes in victu prudentiores esse solent, ac propterea rarius quam iuuenes ægrotate. Hic autem multos errores commisit, à quibus corpori alioquin ad ægritudines parato, vt ipsum fuisse verisimile est, data fuit non exigua occasio inflammationis hypochondrii dexteri, necnon acutæ, & malignæ febris. Primum enim calefactus est: sed vtrum febrili calore, quasi cum febre cœnauerit, an vel exercitationibus, vel aliquibus aliis laboribus, certe dubitandum videtur. Galenus & alii putant illum calorem fuisse leuem febriculam: quam quia neglexit, aut non percepit, voluit cœnare, largiterque bibere: ex quo malum auctum est in corpore, alioquin febribus prauis parato. Ego vero etsi non diffiteor id, quod scribit Galenus ita potuisse contingere: attamen non videtur Hippocrates multum vti hac voce θερμαινόμενος pro febriente, nisi quando prius rigoris meminit, vt fecit in antecedentibus ægris, præsertim in Critone, & Epicratis vxore: præterquam quod qui leuiter febricitant, nō solent multum edere aut bibere: sed veluti cibos auersantur: contra autem qui laborant ita vt caleant mox fame, & siti potissimum tentantur, imo bibunt copiose, vt fecit hic homo: nam Aristoteles quinta Problem. 30. scribit homines ab exercitatione non protinus esurire, quoniam sitiunt. Ex quo suspicor potius hunc fuisse magnopere ex validis exercitationibus calefactum, atque ita adhuc calentem cibum, & potum nimium sumpsisse, ac propterea euomuisse: etenim vt scribit Aristoteles quinta Probl. 28. erat præceptum antiquitus, ne statim post exercitationem cibus sumeretur, quoniam corpus adhuc purgatur, nondum à laboribus quiescit, atq; excrementa redundant: & nos in Gymnastica demonstrauimus nil perniciosius esse, quā statim post exercitationem edere, vel bibere: atque hoc non solū in homine obseruādum, verumetiam in iumentis, quorum curatores id student, vt nunquam iis potum, vel cibum exhibeant, nisi postquam à labore aliquantisper conquieuerint, & propterea veteres inter alias exercitationum leges habebant eam, vt post ipsas apotherapiam vocatam facerent, scilicet, leuem motum, quo paulatim conceptus calor ex labore abscederet. Itaque hic homo ita calefactus, & pastus, & potatus, summa ratione vomitu tentatus est: non modo quia multo onere grauatus ventriculus haud potuit illud sustinere diu: verumetiam quia forsan (quod solet fieri post labores immensos) impetuose, & nimia celeritate ingurgitauerat, quæ res multum facit ad concitandum vomitum: præterquam quod ex verbis Hippocrat. colligitur ipsum plus potasse quam comederit, cum dicat simpliciter ipsum cœnasse, & plus quam conueniebat bibisse; nimius autem potus facit supernatare in ventriculo cibum, vnde ab eo ventriculi os contrectatum, & perculsum ad reiiciendum, quod lædit, per vomitum stimularur: atque hoc est, quod dicebat Aristoteles tertio Problem. 18. vinum nimis dilutum magis quam aquam, & vinum ciere vomitum, quoniam tum ob inæqualem actionem vini, & aquæ, tum ob insuauitatem magis supernatat: sicque consequenter magis stomachum turbat, vnde fit euomitus: nec inconuenit, quod Hippo. dicat secundo Prorrh. morbos ab errore externo esse salutares, hunc fuisse lethalem, quoniam id intelligitur nisi corpus sit prauis morbis paratum. Porro debebat vomitu stomachus leuari, quia vt scribit Aristot. quinta Problem. septimo, veteres ad leuandam lassitudinem præcipiebant vomitum, quasi eo excremēta illa euacuentur, quæ pertingentia ad musculos faciunt lassitudinem: & forsan leuatus est ab ea grauitate & molestia, quā inferebat cibus & potus. Verumtamen, quia corpus adhuc calebat, & iam pridem febri paratus erat suscipiendæ factum est, vt motu & agitatione vomitus calor antecedens auctus, atque venis, & cordi commu-

communicatus febrem acutam pepererit, simulq; in dextro hypochondrio, atque in ipso iocinore sanguis biliosus cumulatus, & calefactus, atque putrescens inflammationem genuerit, quam fuisse in ipso viscere, scilicet iocinore, non in suprapositorum musculorum interiore parte: ex eo colligo; quod etsi non esset siticulosus, & aluus potius esset adstricta, quam soluta primis diebus, attamen septima die habuit aluum turbatam: qui enim hepatis laborant inflammatione, vt scribit Galenus octauo de med. loc. solent alui fœdo tentari fluore, simulque vehementer sitire. Dicit Hippoc. fuisse inflammationem ὑπολάπαρον, id est, submollem, quoniā iocinoris caro affecta non poterat duritiem extra contrectantibus ostendere: Febris ergo magna, dolor inflammationis assiduus, haud mirū est si noctes insomnes atque molestas reddebant, quemadmodum quoque & ex ipsa inflammatione, & in corporis plenitudine necessum erat linguam exsiccari, vrinasq; rubras, crassas absq; vlla subsidentia fieri. Sed dicet aliquis, quomodo fieri poterat, vt siccam haberet linguam, internam inflammationem, & nihilominus non sitiret? Dicendū est forsan non sitiuisse initio, quod aliqua materia à capite defluens linguam & palatum irrigaret: atqui debuisset simul linguam aridam emollire: ergo satius est dicamus, aut non percepisse sitim ob mentis læsionem aliquam obscuram, aut forsan quod fœces putredinis, & febris minime essent circa spiritualia & ventriculum, vnde sitim fieri dicebat Aristoteles, sed tātum circa naturalia, quale est iecur: nam in lib. Art. Med. Galenus tradens signa calidi, & sicci iecoris, haud ponit sitim, contra apponit dum ventriculi sicci signa edocet. Iam vero QVARTA DIE nil plus habuit hoc est cuncti prædicti labores per totum perdurarunt, & acuta febris, cum qua etiam diem quintam protraxit: atque id plus habuit, quod multum minxit leue, atque oleosum: perdurante enim in iecore inflammatione & febre ardente colliquabatur illius substantia, ex quo vrinæ copiosæ & pinguedine aspersæ reddebantur. Non sine maximo consilio Hippocr. præter suam consuetudinem singula die vsq; ad octauam febrem commemorat, quia scilicet magis vrgebat febris, quā symptomata. SEXTA MANE DELIRIVM, quod obscurum hactenus fuerat, atq; ex sola sitis imperceptione coniici poterat, iam factum est manifestum, quando multa præter rationem fecit & dixit, nec nocte quicquam dormiuit. Similiter & septima die omnia sunt exacerbata: vrinæ quales antecedentes fuerunt, multi sermones. Sed quæret aliquis, cur omnes delirantes sint adeo loquaces? Quantum ego puto caussa hæc est: In delirio prima facultas quæ læditur est imaginatio; & quamquam Gal. in lib. de Loc. aff. dicat aliquando lædi imaginationem non læsa cogitatione, & econtra, nihilominus sensibiliter, seu insensibiliter semper imaginatio prima læditur duplici de caussa, tum quia cum sit in parte anteriori facilius læditur propter commissuram coronalem, tum etiam quia hæc facultas est veluti brutalis. Cum itaq; in delirio primum lædatur imaginatio, locutio autem sit nota eorum, quæ sunt in imaginatione: hinc fit, vt læsa imaginatione, lædatur etiam loquela, & prout multa & varia phantasmata sunt in imaginatione, ita quoq; magis, vel minus sunt loquaces delirantes. PRÆ DELIRIO contineri haud poterat, id quod etiam fiebat, quoniam fœcis febrilis, & vapores putridi ac praui iam tenaciter cerebrum occuparant. Cumq; aluus vix clystere, aut glande esset irritata, reddidit tamen excrementa humida turbata, vna cum lumbricis, atq; ita laboriosam quoq; noctem traduxit. Cur solo leui irritamento aluus talia effuderit, ratio erat, quia in iecore inflammationem habebat, à qua liquati, & corrupti succi, necnon ad intestina transmissi solent, vt dicit Galen. eos facere fluores alui, qui in pestiferis febribus conspiciuntur. Lumbrici etiam solent in malignis febribus conspici, non quia tunc generentur (quomodo enim in tam pauco tempore possent fieri, & in eam magnitudinem augeri in qua spectantur?) sed quia antegeniti à dita putredine, aut vini, aut mortui fugantur: & sane non absque ratione contingit, vt in quibus solent gigni ex putredine lumbrici tetri, in iisdem etiam ob eandem occasionē facile fiant febres malignæ, & pestiferæ: Neque valet quod secundo prognost. 18.

dixerit

dixerit eommodum esse lumbricos rotundos cum fœcibus exire, quoniam id quidem verum est, ac morbo eunte ad iudicationem. OCTAVA DIE MANE rigor accessit, cum eodem febre acuta, multo sudore calido sudauit, ita vt sine febre esse visus sit: Attamen haud multum dormiuit, sed à pauco illo somno refrigeratio, atque frequens expuitio est consecuta. Vespere vero eiusdem diei multa delirauit, ac paulo post nigra, pauca, & biliosa euomuit. Cum ita hæc vsque octaua die apparuerunt, haud sine aliqua contemplatione sunt prætereunda, & primum de rigore, qui etsi superuenisset ardenti, propterea que vtilis hac ratione esse potuisset, scilicet regulas nobis ab Hippoc. relictas, attamen quia erat cum inflammatione iocinoris, haud poterat quicquam boni indicare, quemadmodum nec sudor etiam multus & calidus; ambo enim facti sunt, quia à iocinore incenso vapores elati, & per corpus essusi, ad sensibiles partes appulsi molestiam inferebant, qua calor natiuus excitatus aduersus colluctabatur; sicque rigor sequebatur, & post rigorem sudor, scilicet iis vaporibus, vel ab ambiente in humorem conuersis, vel humores in corporis ambitu repertos colliquantibus, & secus extraducentibus, ad quam expulsionem licet non desineret febris, alioquin optimus fuisset, vt docuit Hippocrates secundo progn. attamen nonnihil remittebatur; ita vt imperitis, & rudibus videretur abscessisse. Sed cur ex leui somno fierent refrigeratio, & expuitio, alia caussa erat; nimirum debilitas natiui caloris; qui per somnum intro coactus haud libere, & faciliter poterat ad calefaciendas partes externas redire, quemadmodum pariter succi cumulati, & eliquati in cerebro, per somnumque recenti post ipsum statim in os ferebantur, sicque expuitionem frequentem caussabantur: quam Gale. primo Prorrh. dicebat fieri, aut vitio cerebri, aut vitio oris ventriculi: & hoc est, quod ait Hippoc. secundo Aphor. initio, somnum vbi facit laborem esse mortalem. Vespere iterum multum delirauit ob temporis conditionem, siquidem, vt docet Hippoc. secundo Epid. Vesper autumno correspondet, qualitatibus, quas non secus prauas haber, atque ipse, vt ob hoc quoque paulò post euomuerit pauca biliosa, & nigra, quæ non est mirum, si vbi in ventriculo erant, graui delirio occasionem præbuerint; siquidem huiusmodi vomitus insaniam grauem portendere non semel Hippoc. in Prog. & in Coac. dixit; vt etiam apparet in historia Philiste, qui valde insaniuit, post vomitum æruginosum multum, ex quo verisimile est factum esse vomitum nigrum: imo Hippoc. primo Prorrh. 30. quasi ex hac historia acceperit, hoc dogma fecit. [In phreneticis præfrigerationes, & spuitiones, vomitum nigrum portendere] quem locum interpretans Gal. dixit à spuitione vomitum, à refrigeratione vero nigrum significari. NONA extremorum refrigeratio reuera est, similiter & delirium, & vigilia, quę omnia indicabant non modo paulatim aboleri calorem extremorum natiuum: verumetiam pergere vaporum prauorum, & feruidorum à loco inflammato hypochondriorum elationē. DECIMA dicit cuncta esse exacerbata cum delirio, & crurum dolore. VNDECIMA, scilicet indicatoria & decretoria die, vt notat Galen. expirauit, nempe initio vndecimæ, quæ forsan fuit media nox, vt corresponderet initio mali, quod à cœna fuit: etenim fuisse mortem illius initio vndecimæ potius quam alia hora illud mihi persuadet, quod ab Hippoc. nullum eius diei symptoma commemoretur. Sed quid factū est vt in fine vitæ crura doluerint? Ego puto non fuisse dolorem alium, quam stupidū, seu stuporem: vnde non dicit Hippoc. doluisse, σκέλεα ἐπωδύνως, id est, crura dolorose. Iam vero certum est plerisq; moribūdis incipere stupere crura ob caloris defectum, qui incipit à partibus à corde remotioribus, quamquam licet quoq; dicere ob agitationem in continuo delirio factam potuisse crura admodum defatigari, atq; inde cum morti proximus esset, lassitudinem persentire. Atque hic fuit casus hominis, quem, vt initio dicebam, an Hippoc. curauerit, an quispiā alius, qui postea Hippoc. seriem totius historiæ retulerit, haud affirmare audeo. Dicam tamen quæ potuerit esse curandi ratio. Cum à cœna vomuerit cibum, & potum, statimq; eadem nocte cœperit febris acuta cum iocinoris inflammatione, dubitari potuisset, an

set an inflammatio dederit occasionem febri, vt sæpe contingere solet, an simul vtraque inceperit. Verumtamen quicquid esset, vterq; morbus indicabat refrigerandum esse; peculiariter vero inflammatio indicabat, vt prohiberetur auertendo ne incrementum susciperet, atq; id quod factum erat consumeretur; quos scopos etsi statim iudicari poterat difficile futurum assequi: haud tamen erat committendum, quin omnis opera ad curandum accommodata adhiberetur: quando etiam est in desperatis rebus ægros haudquaquam esse deserendos non magis humaniter, quam prudenter consulebat apud Aetium nescio quis. Itaq; primum victus, qualis conuenit acute laborantibus statim instituendus erat, nempe vini abstinētia, & loco eius aqua hordei, & aqua cocta cum vino granatorum, quod semper dilexi in febribus: quoniam vt optime dixit Auerroes septimo coll. cap. 17. in granis granatorum reperitur proprietas resistendi putredini. Vsus panatellæ ptisanæ, & post septimam alicuius iuris paruæ pullæ, & vitellorum oui, quos alias diximus ex Plinio in aduersa valetudine magis omnibus aliis nutrire, neq; onerare, quosque si sorbiles, aut tremuli patentur, imbecillimæ esse materiæ, scilicet quæ facile à naturali calore superatur, profitetur, Cornelius Celsus lib. 2. cap. 18. tamen alicubi in hoc valde peccari à medicis, innenio, qui copiosius æquo ægris oua indulgent, ita vt nimium grauata natura tantum alimentum corrumpat potius quā concoquat, etsi de his duntaxat locutus esset Cardanus, quando oua simpliciter pro ægris damnauit, plures sectatores habuisset. Victu instituto statim de adhibenda sanguinis missione erat cogitandum, non modo ratione febris, verumetiam ipsius inflammationis. Ergo sedato vomitu illo nocturno, sequenti die aluus clystere fuisset exoneranda: cum enim solius vomitus mentionem faciat Hippocr. ac per eum non euacuentur quæ sunt in intestinis, nisi in voluloso affectu, par est existimare ipsa intestina fœcibus fuisse repleta: quas erat necesse, vel clystere mediocri, vel glande educere, priusquam demittendo sanguine vlla haberetur deliberatio. Fœcibus eductis protinus vena interna cubiti dexteri erat pertundenda, atq; permittentibus viribus sanguinis copia detrahenda: quinimo si vllus est casus, vbi liceat mittere sanguinem vsq; ad animi defectum, certe hic fuisset: in quo præter febris magnitudinem, aderat præcipui visceris inflammatio cum dolore, in quo dicebat Galenus primo Aphorismorum vigesimotertio, pene necessarium esse præsidium sanguinis missionem ad animi deliquium, vt etiam probatur quinto Epidem. historia quinta circa principium, vbi habetur dolorem, qui non potuit vllis aliis remediis finiri: huiusmodi remedio fuisse sublatum: quod remedium etiam commendauit Galenus nono Meth. cap. 4. etsi Auerro. septimo coll. octauo, semper hoc tanquam periculosum, & ipsi naturæ insuitatum damnauerit tribus rationibus, vt ibi est videre: Quod si aliqua ratione haud licuisset tantam vna vice sanguinis copiam ducere, ad partitam, quam vocant, euacuationem fuisset deueniendum, vt scilicet duabus, vel tribus vicibus extraheretur, atque eo maxime, quod ad retrahendum ab inflammato loco mirum in modum cōducere solet sanguinis repetita euacuatio: quā si ab eodem loco facere non placuisset, à diuersis fieri poterat, hoc est, ab vtrisq; brachiis, ab ano per hirudines, aut etiam à cruribus, vel pedibus: & forsan etiam hoc in genere chirurgico conuenissent vesicantia saltem infernis partibus adhibita. De aliis medicamentis refrigerantia valde conuenissent, vt aqua hordei refrigerata, & quotidie administrata in non exigua copia, vna cum acetosæ conserua, aut Serapio de acetositate citri: bolus etiam Armena, & puluis bezoarticus conduxisset non parum. Pro tuendo capite oxyrrhodina, & solita lauacra, quemadmodum etiam ad dolorem & inflammationem iecoris linimentum congruum fuisset, ex succo cicli hepaticæ, vnguento sandalino, ac oleo rosaceo completo.

HISTO-

HISTORIA DECIMATERTIA.

Mulierem, quæ decumbebat in littore, tertio mense ventrem gestantem febris magna corripuit; statim incœpit dolere secundum lumbos. Tertia *dolor colli, capitis secundum claviculam, & manum dexterã: celeriter autem lingua voce privata est; dextera manu resoluta est cum convulsione paraplectico modo; deliravit in omnibus: & noctem molestè, non dormivit: alvus turbata est biliosis, sinceris, paucis.* Quarta *lingua voce soluta est: convulsiones eorundem; dolores omnium perseverabant: secundum hypochondrium tumor cum dolore: non dormivit, deliravit in omnibus: alvus turbulenta: urinæ albæ, haud boni coloris.* Quinta *febris acuta: hypochondrii dolor: deliravit in omnibus: deiectiones biliosæ, in nocte sudavit sine febre.* Sexta *ad intelligentiam rediit: omnibus alleviata est: circa vero claviculam sinistram dolor permanebat: siticulosa: urinæ tenues: non dormivit.* Septima *tremor subsoporata est, parum deliravit: dolores secundum claviculam, & brachium sinistrum perseverabant: in aliis, autem levata est: omnia intelligebat, ter autem intermisit sine febre.* Vndecima *rediit, superriguit: febris magna corripuit. Circa autem* Decimamquartam, *vomuit biliosa, flava, submulta: sudavit, sine febre iudicata est.*

Mulierem, Quæ decumbebat in littore. Si diligenter observetur, certũ est Hippocrat. aut nullius, aut admodum paucarum mulierum historias proponere, quæ non fuerint vel prægnantes, vel puerperæ, vel abortæ: & quas hactenus enarravit mulierum historias, fuerunt omnes puerperatum; nunc vero de gravida tertio mense loquitur. Ratio cur ita facit, est, quia morbi mulierum nil habent rarum, aut diversum à virilibus, nisi ob has occasiones, vel alium quempiam uteri affectum, & in constitutionibus pestiferis, quæ potissimũ patiuntur, sunt vel puerperæ, vel prægnantes, de quibus loquens Aristot. quarto de Gener. anim. sexto, dicebat bruta dum utero gerunt, magna ex parte optime valere: mulieres contra plerumque ægrotare, quod ut illa labore consumunt excrementa, sic istæ otio, & vita sedentaria accumulant, atque ita ægrotant: quòd si quæ sunt nationes, & gentes, apud quas gravidæ laborent, eas multo melius & degere prægnantes, & facilius parere. Vitruvius libro secundo, capite nono, scribit, mulieres gravidas, dum vendebantur, solitum præstari sanas, quasi dum utero gerunt pleræque ægrotent, quamquam Sabinus 21. Digest. dicat convenire inter omnes peritos gravidas mulieres esse sanas, quod in id sint natæ, ut concipiant, atque pariant. Imo dicebat Hippocrates primo de Morb. mulie. nisi id agant, haud eas posse frui sanitate. Ex sellulariis autem fuisse præsentem mulierem non modo conicio ex multitudine, & pravitate excrementorum, quæ congesserat, verumetiam quia Hippocrates scribit eam habitasse in littore. Neque valet quod Galenus infra in Pythione videatur damnasse hanc nimiam solicitudinem interpretandi habitationes ægrotantium; quoniam haud ego penitus abhorreo: sicut nec circa nomina, in quibus vim posuisse nonnunquam videtur Hippocrates, ut in Stymarchi voce Galenus in Linguis insinuavit. Itaque consueverunt qui habitant circa littora, ut plurimum piscatores esse, ac ob id neque ipsos, neque uxores alios quam piscandi labores suscipere, in qua piscatione dicebat Plato, nec animum, neque corpus exerceri. Proposuit hoc exemplum Hippocrates tanquam rarissimum, quoniam cum dicat quinta Aphorism. 30. mulierem gravidam tentari acuto morbo esse læthale, vel ipsi vel fœtui, ut ait Galen. & cum primo de Morb. initio affirmet, necessario perire, si pleuritide, phrenitide ardente febre capiatur, mirum est hanc mulierem & fœtum esse servatos, præsertim tertio mense, quando magis periclitantur. Atq; adeatur iam ipsius historiæ discussio. Miratur Galenus, cur Hippoc. non apposuerit mulieris ætatem, quasi id necesse fuerit ob casus raritatem; in quo mulier gravida tertio mense, & à validissimo morbo correpta, tamen servata est sine

est sine embryonis interitu. Verum nō mihi videtur hoc in Hippoc. admirandum, nempe quem scimus raro ætatē apponere, & præsertim quando licet ex aliis, quæ dicit, eam colligere, vt in præsenti; quæ cum esset grauida non poterat esse senex; cumq; à morbo grauissimo euaserit absq; conceptus corruptione haud verisimile est fuisse iuuenculam, sed valde robustam, ac propterea in media ætate parientium adhuc constitutā circa trigesimū annum. Hanc ergo mulierē tertium iam vteri gestationis mensem agentē τὸ πῦρ, id est febris ingens cœpit; statimq; dolor secundū lumbos; quæ omnia & prima, & secunda die durarunt. Quod febris ea inuaserit nō erat mirum; quoniam (vt dicebam) prægnantes mulieres magna ex parte male valent, atq; hæc forsan multo magis ob vitam ociosam, & ob victū prauum, aliosve in victu cōmissos errores; cur autem febris magna statim fuerit, natū est tum ex præparatione ipsius corporis; tum maxime ab ipsa constitutione, in qua semper initio fuisse τὸ πῦρ, id est febrē magnam testatur ipsemet Hippocrates. Porro cur statim apprehenderit, dolor lumborum fuit, tum quia focus putredinis circa vterū erat; vnde communicata intemperies lumbis dolorē inducebat; tum quia (vt ait Hipp. secundo Epid. tertio. & sexto Epid. tertio) mulieribus supra naturam solent rigores; atq; adeo ipsę febres à lumbis initium capere, scilicet propter vterum, qui ipsis subiacet, ac pars est frigida. Tertia autem die alia noua superuenerunt symptomata partim ad actiones læsas spectantia, partim ad excrementa mutata. In læsis actionibus fuit dolor colli, & capitis, circa clauiculā, delirium ingens, vigiliæ, noctis molestia, lingua voce priuata est, manusq; dextra resoluta cū conuulsione, apoplectico modo. In excrementis mutatis fuit aluus, quæ turbata fuit, ac biliosa, pauca, sinceraq; deiecit; atq; tot fuere tertiæ diei symptomata, quę sane satis sęua & magna cum fuerint, necessario morbum quoq; magnum fuisse indicant; magnum inquam nō tantum propria essentia, quantum ob nobilitatem affectæ partis: siquidem cerebrum vehementer affectum erat, & morbo in intemperie & in conformatione. Intemperies calida à febre inducta, & ab vtero flagrante cōmunicata delirium faciebat: mala conformatio erat tum in ventriculis cerebri, tum in initio neruorū, merito cuius vitij haud facultas cōmunicabatur linguæ exsiccatæ; & propterea locutio, & vox impediebatur; similiter dextre partis initium medullæ spinalis impeditā resolutionem, qualis solet sequi apoplexiam faciebat, (id enim est, quod ait Hipp. apoplectico modo.) Ad hæc cum vapores acres & feruidi in cerebrum ferebantur, membranas illius percutientes dolorem capitis parturiebant, sicuti, & colli, & clauiculæ. Etenim medullæ spinalis initiū patiebatur; & propterea iure quoq; collum dolore tentabatur, sicut de clauicula; has namq; partes vbi cerebrum grauiter patitur, & ipsas quoque affici non est à ratione alienum, & præsertim in grauidis tertio mense, quo tempore eas magis turbari prodidit Hipp. qui propterea statuit, eas à medicis maxime esse ferendas, neq; faciliter aut medicamentis, aut sanguinis missione tractandas. Et cum caput in tanta turbatione versaretur, quis non videt haud ipsam potuisse dormire, sed summa inquietudine agitari debuisse? Cæterū excrementa illa alui summā quoq; succorum biliosorū prauitatem ostendebant, qui putrescentes circa iecur, & vterum à natura mittebantur in intestina; erant aūt pauci, quoniam magna pars eorum in supernas partes ad caput, & iugulū ferebatur; ibiq; non contemnenda mala inducebat; & certe (vt dicit Gal.) mirum fuit hanc mulierem grauidam tertio mense fuisse absq; abortu seruatā; cum Hipp. scripserit quinto Aphor. 30. mulieri grauidæ læthale esse, si morbus acutus ipsam apprehenderit. læthale inquam, vel matri, vel fœtui, vel vtrisq; (vt ibi exponit Gal.) atq; hæc non modo acuto, verumetiam acutissimo morbo laborauerit; & quemadmodū retro dicebam Hipp. ob hoc voluit huiusmodi casum posteris adnotatū relinquere propter raritatem; vt scilicet doceret regulas ab ipso scriptas esse quidem, vt plurimū veras, sed & aliquando eas fallere; quod autem ait Gal. in Comm. grauidas mense tertio multo difficilius pati, quā aliis mensibus videtur esse contra ipsum Hipp. qui quarto Aphor. primo, scripsit à quarto mense vsq; ad septimū posse remediis tractari ob

fortitudinem: ante vero, & post hos menses magis formidandũ, easq; verendas; Ex
certe nisi dicamus pro tertio mense Gal. intelligere ipsum iam finitum, atque abso-
lutum, quomodo tueri ipsum valeamus haud facile intueor. Sed priusquã vlterius
progrediamur, dubitandum est quomodo manus possit esse conuulsa, & resoluta,
cum hæ sint contrariæ affectiones, atq; conuulsio nõ desinat in paralysin. Dico du-
plicem esse conuulsionẽ aliam manifestam, quę non desinit in resolutionem; aliam
immanifestam, quæ desinit in resolutionẽ, vt alias monstraui ex Gal. & Auic. de hac
vltima conuulsione loquitur, quæ æmulatur apoplexiã in resolutionẽ desinentem;
vnde dixit accommodatissime apoplectico modo, i. ad imitationẽ apoplexiæ. Pos-
sumus etiam dicere conuulsionem aliam vniuersalem, aliã particularem esse; par-
ticularis desinit in paralysin; vniuersalis vero totius corporis non, eo q; materia vbi
concutitur à toto corpore longe à neruis expellitur, & ideo eorum principiũ non
occupat, sicuti fit in particulari conuulsione. QVARTA DIE, dicit Hipp. linguã ite-
rum voce priuatam esse, eorundem cõuulsionem affuisse, atq; omniũ dolores per-
mansisse, partes secundum hypochondriũ cum dolore esse cõuulsas, nec dormiuis-
se; in cunctis delirasse, aluum turbatã, atq; vrinas tenues haud bene coloratas exti-
tisse; atq; hæc 4. die, quæ si aduertantur, etiam priorib. diebus acciderunt; veruntã-
men, repetiuit ea Hipp. vel vt adimeret omnem suspicionẽ legentibus ne putarent
aliqua ex iis saltem intermisisse, vel vt significaret 4. die, quæ est decretoria, fuisse
aucta: nam q; pertinet ad linguam supra dixit γλῶσσα ἠφώνει, hic vero dicit γλῶσσα
φωνῆς ἐλύθη, quasi dicere voluerit ante quartam fuisse quidẽ locutionem, & vocem
oblæsam, verũ est quarta fuisse penitus vtrosq; ablatos. Sed dicet aliquis, quomodo
Hipp. tribuit vocẽ linguæ, cum ea potius opus sit spiritualium partium, quã ipsius?
nam vt etiam Plut. dicebat in Præcep. sanit. vox est motus spiritus; ad quem eden-
dum cõcurrunt guttur, musculi ipsum mouentes, & nerui omnes, qui ad ipsos mus-
culos vim motricem à cerebro deferunt. Respondendum est apud Hipp. φωνὴν, seu
vocem ab Hipp. vocari φθόγγον, φθέγξιν, & φθέγμα, locutionem vero, & sermonem
dici διάλεκτον, & διάλεξιν, ad quam efficiendam conueniunt lingua, nares, labra, &
dentes, vt ex ipsomet Hipp. constat lib. de Princ. & Gal. 4. de Loc. aff. & libr. de Vsu
part. Iam vero. vt Hipp. doceret in proposita muliere non modo sermonem, sed et-
iam vocem fuisse vehementer læsam ob vitium tam cerebri, quam spiritualium in-
strumentorũ; dixit linguam esse voce priuatã; hoc est tum articulatam, tum ipsam
simpliciter vocem fuisse vehementer offensam; & certe miror nec ab Erotiano, nec
à Gal. nec à Concinnatore Oeconomiæ Hippocraticę hunc loquendi modũ fuisse
notatum, quemadmodum plerosq; alios obseruarunt, non huic admodum absimi-
les, veluti est quando vocat linguam ἀσσώδη in Coac. prænotion. Possumus etiam
dicere exsufflationem antecedere vocem, & hanc sermonem; vnde sicut nõ potest
vox fieri sine exsufflatione; ita nec sermo fit sine voce; lingua aũt, quæ est instrumẽ-
tum sermonis, potest impediri ab edendo sermõne non tantũ priuatione vocis, ve-
rum etiam ꝓprio aliquo vitio; & ob id, vt significaret sermonis priuationẽ non fieri
vitio linguę, sed vocis priuatione facta ob musculorũ thoracem mouentiũ lęsionẽ;
sic locutus est. De hypochõdriis cũ dolore conuulsis, dicendum conuulsionẽ dum
fit parere dolorẽ; maxime si subito fiat; facta vero est sine, sicut, si fiat paullatim, cũ
motus huiusmodi sint insensibiles. Aliorum symptomatũ, quæ in hac eadem 4. die
contigerunt caussæ fuerunt illæ ipsæ, quas retro attuli. Ceterum cum dicat vrinas
fuisse tenues, neq; boni coloris; summa ratione id eueniebat. Etenim tenues erant,
quia succi crassiores ferebantur in intestina; coloris aũt deprauatio ex turbatione
proficiscebatur, & forsan ille nõ bonus color erat pallor albicãs, qualis solet esse vbi
succi colorantes, vel in cerebrum, vel in intestina feruntur. Verũ posset quis quære-
re, quid sit hypochondriũ conuulsum? nam Hipp. in Coac. solet frequenter cõme-
morare hypochondriũ reuulsum; at cõuulsum rarissime. Præterea cur Hipp. addit
cum dolore, quasi vero fieri possit vlla cõuulsio sine dolore? Ad primũ dicendũ est
nil aliud esse hypochondriũ conuulsum, q̃ quando hypochõdria vsq; adeo in se cõ-

trahun-

trahuntur, vt videantur dorsum rentare. Addit aūt Hip. cum dolore, quia conuulsiones dupliciter considerari possunt, vel in toto corpore, vel in aliqua parte, & hæ adhuc accipiuntur, vel initio, vel in fine: quę fiunt in toto sunt semper cum dolore: ceterū quæ fiunt in aliqua parte, si cōsiderentur dum fiunt semper cū dolore, fiunt ꝓpter violentam illam attractionē musculorū versus sua principia: at in fine quando. s. iam in paralysin desinunt, licet non semper, nempe quando fiunt apoplectico modo, finnt sine dolore: voluit itaq; significare Hipp. hanc conuulsionē fuisse quidem in aliqua parte, sed in fieri. QVINTA DIE ait Hipp. febris acuta, hypochōdrij scil. dextri dolor, delirium omniū, deiectiones biliosæ, nocte sudauit, & sine febre facta est; Quod simul & febris, & hypochondrij dolor aucti sint die quinta cōtigit, quoniam augumentū erat morbi, quo tempore augeri quoq; symptomata consueuerunt; cum enim, vt dixi alias, materia esset copiosa atq; praua, omneq; corpus ab ea male tractaretur, natura quantum poterat expellere noxia tentabat; itaq; præter alui morū, quem etiā ante fecerat, sudorē attulit vt putandū est satis copiosum, ob quem febris cessauit, quemadmodū contingere solet. Sed cum Hipp. 5. die febrem commemoret, q. in quarta non fecit, posset quis dubitare in quarta non adfuisse, q. tamen haud veritati consonū est; tacuit. n. quarta die febrē, quia ab aliis symptomatib. superabatur, id quod in quinta nō fuit. De dolore aūt hypochondrij existimandum omnino est, fuisse diuersum à superiori; fiebat. n. hic propter alui turbatæ tumultum; fiebat aūt potius in dextro dolor, tūm quia ibi erat inflammatio, tum etiā quia in manu, & clauicula dextra etat dolor. Sed dubitabit aliquis quomodo cū febris sit ablata, postea rediit tamē morbus, nam Hipp. qui secundo Prog. quatuor genera sudorū facit, optimum omniū esse dicit, qui est calidus in toto, atq; morbum soluit. Dicendū est quamquā febris sit sublata, & potuerit sudor simul esse vniuersalis, atq; calidus, attamen cum esset absq; signis coctionis, & non vna parte, vel vno morbo, sed pluribus laboraret et haud potuit esse sudor, & illa etiā febricitatio, ita secura, qnin recidiuā iute cuilibet, vel mediocriter in medicina facienda exercitata portenderet. Iam vero sicuti quintæ diei nocte sudor factus febrē deleuit; ita quoq; credibile est alia symptomata saltē mitigasse; vnde subiungit Hipp. SEXTA sequente die resipuisse, atq; in omnibus eam fuisse non penitus liberatā, sed leuatam; præterquam q. permansit dolor circa sinistrā clauiculam, siticulosa fuit cum vrinis tenuibus, neq; dormiuit: iure namq; fuit siticulosa, licet sine febre ob euacuationes tam alui quam sudorum; vrinæ erant tenues, quoniā non erat cocta materia, & propterea crisis fuerat imperfecta, neq; tuta, & quamquā caput leuatū esset delirio sedato nihilominus adhuc in ipso etant vaporū reliquiæ acres, & mordaces, à quibus blandiuscule stimulabantur membranæ cerebri; ita vt vigilias, non aūt dolores facerent. Iam vero SEPTIMA DIE SVPERVENIT tremor, inclinatio ad soporē, parum delirauit dolores circa clauiculā, & brachium sinistrū permanebant: In aliis leuius sese habuit, omnia intelligebat, ac ter sine febre fuit. Si recte cursus morbi huius consideretur, plane semper caput ab initio tertiæ diei male affici visum est, quod quoq; vsq; in finem perdurauit; quia etsi visa sit pro posita mulier in reliquis sæpius leuari, attamen capitis symptomata nunquā sunt finita, neq; etiam admodnm mitigata, & in septima tre[illegible]or superuenit, qui nunquā antea apparuerat, q. iam principium neruorum pateretur, atq; ad propulsandam noxam insurgens motum cōuulsorium faceret, quem alias diximus sępe ab Hipp. vocari tremorem. Sic quoque factus est leuis quidam sopor, q. humiditas cerebri eliquata à vaporibus ascendentibus blande, & superficietenus irrigaret cerebrum. Ceterum hic breuiter tria sint quærenda, vnum est, quomodo dicat Hipp. sexta vel septima permansisse dolorem brachij sinistri, cuius antea non est facta mentio. Secundum est quomodo dicat in aliquibus ipsam esse leuiorem factam, & omnia intellexisse, cum de hac eadem septima die sermonem faciens dixerit parum delirasse in ea. Tertium est quomodo dicat ter ipsam fuisse absq; febre, tamen semel tantum dixerit ἄπυρος, id est sine febre fuit. Circa primum aliqui putant in superioribus vbi habetur (dextræ clauiculæ,

 & bra-

& brachij) textum esse mendosum; atq; legi oportere sinistræ vt hic. Sed non video rationem si corrigendus est textus, cur potius non hic corrigatur, & loco sinistrarũ partium legantur dexteræ; atqui forsan melius est contextum nil mouere, & dicere, quando Hipp. supra meminit doloris claviculæ sinistræ intellexisse etiam dolorem ipsius brachij, non nominasse aũt quoniam tunc exiguus erat, nec contemplabilis præ clauiculæ dolore; in septima autem nominasse vtrumq;, scilicet & clauiculæ, & brachij, quoniam tunc vterq; dolor haud erat despicabilis, quod scilicet vapores & succi leuiores essent, pergerent sursum petere, omnesq; superiores partes offendere. Circa secundum potest respõderi sub iis verbis (in aliis leuata est) intelligendum esse, quod in aliis dieb. à septima, scil. vsq; ad vndecimam fuerit leuior, atq; 9. & 10. delirium cessauerit, quod in septima fuerat paruum; & quamquam (quod erat tertium) nõ meminerit nisi semel infebricitationis; attamen fieri potest, vt illis diebus qui intercedunt inter septimam, & vndecimam bis fuerit absq; febre, & semel ante septimam. Atqui illa infebricitatio semper fuit parũ secura, quia sine significatione, vt propterea iute secunda redierit; potest etiam intelligi, vt video nonnullos interpretari, quod tribus diebus, s. octaua, nona, & decima fuerit absq; febre, & vndecima post redierit, in qua præcedente rigore subsecuta est magna febris, quã quoq; verisimile est perdurasse vsq; ad decimamquartam. Rediit autem febris VNDECIMA die cum rigore, quia natura erat crisin factura decimaquarta die, quã crisin aliquis motus præcedere debebat; cum itaq; bilis dominaretur, elata per partes sensibiles fecit rigorem, quem postea secuta est febris acuta. In DECIMAQVARTA, cum euomuisset biliosa, flaua, nõ admodum multa, atq; sudasset, febris penitus extincta est, atq; ita iudicata; addit tamen Hipp. huiusmodi iudicium haud fuisse absq; dolore ex iisdem effectibus. Quod enim decimaquarta die motus simul sit & vomitus, & sudor iure contigit, quandoquidem ex recidiua facta in vndecima die cum rigore, indicabatur aliquid memorabile in decimaquarta esse euenturũ; & sane ille idem humor biliosus, qui vndecima propulsus per sensibiles partes rigorẽ pepererat, decimaquarta partim ad stomachũ conuersus fecit vomitũ, partim ad cutẽ fecit sudorem, atq; ita febrem finiuit; veruntamen hoc nõ contigit absq; dolore, quoniã, vt optime adnotauit Gal. factum est huiusmodi iudiciũ absq; coctione, & propterea haud facta est crisis perfecta; quamquã nec perfectæ iudicatiões solent esse absq; perturbatione, & molestia. Ceterum quid velit significare Hipp. particula illa ἀπερὶς σκέψη, nec Gal. nec quisquã alius explicauit. Ego puto Hipp. addidisse hæc verba, vt doceret mulierẽ ita fuisse iudicatam, vt nulla ex prænarratis affectionib. sibi relicta sit, id quod sane admiratione, atq; singulari obseruatione dignũ est; addo q; præter spẽ fuit mulieri, cui in 11. die praua signa apparuerunt, nec vlla bona fuit iudicatio, decimaquarta sine coctionis vllius consummatæ nota fuit facta iudicatio, atq; omnium affectionũ liberatio; & certe potest hic casus recenseri inter illos, in quibus præter spẽ ægros euasisse notat. Priusquã huic parti finem imponã, loquendum est de quadam Galeni contradict. quandoquidẽ in com. hoc manifeste ponit inter prægnantes magis causis morbificis resistentes illas, quæ sunt trimestres, & quadrimestres, cum tamen quarto Aph. primo, ponat tantũ cum Hipp. quadrimestres, q; & alij medici sensisse videntur sæpe, & præter medicos Auer. septimo Coll. quarto. Nisi dicamus vt retro Gal. hoc in loco intelligere de mensis tertij fine, qui quodãmodo naturam quarti refert. Sequitur curatio; & primũ quod spectat ad victus rationẽ, ea esse debuit, quã in aliis acutis febrib. esse obseruandã monstraui: habita tamẽ semper fœtus, qui in vtero est ratione; & qui nõ permittit eam victus parcitatem, q̃ acuti exigunt. De chirurgicis auxiliis dubiũ esse potest vtrũ conueneris sanguinis missio, & à quo loco, & quantum. Plane conuenisse non videtur à ratione alienũ, quandoquidẽ cum esset grauida in 3. mense, nondũ fœtus ita erat grandis, vt posset consumere saltẽ magnam partẽ illius sanguinis, qui quotidie colligebatur; preterquam q; ex sanguinis missione haud fit ea perturbatio, atq; agitatio, quæ fit ex purgatione per medicamenta; neq; valet quod Hipp. quinto, Aph. 30. scripserit

mulieri prægnanti si vena pertundatur, eam obortiri, præsertim quando iam fœtus grandior sit, quoniam id intelligitur de ea venæ sectione, quæ ingentem sanguinis copiam euacuabant, præsertim partib. infernis quæq; ipsis veteribus erat vsitatissima. Iam vero si vena cubiti secetur, & ea mensura quæ alimentum fœtui adhuc pusillo eripere nequeat, sane detrimentum nullum accedere potest, aut si quippiam fiat, multo plus est iuuamentum, quam damnum. Itaq; fuit sanguis mittendus, & forsan medicus partita vsus est missione, vel saltem bis ab vtroq; brachio sanguinē curauit mittendum, simul vt magnitudini morbi prospiceretur, atque ipsius fœtus ratio haberetur. Quod spectat ad alia remedia ratione febris conueniebat, vt refrigerantia, attenuantia, & moderate aperientia vsurparentur, & dixi moderate aperientia, quoniam in grauidis magna prudentia cauendum est, ne dum aperientib. grauiorib⁹ putredini occurrere studemus, simul venas vteri aperiamus, quod perniciosissimum saltem ipsi fœtui esse consueuit. Ratione symptomatum, quia principium neruorum, & nucæ patiebatur, conueniebat facta vniuersali euacuatione eius loci habere rationem cum vnctionib. ceratisve deficcantibus & corroborantibus, ita enim & collo, & clauiculæ, & manibus quæ afficiebantur succurrere licebat. Verum quia etiam mens patiebatur, haud negligendum erat reliquum caput, quin debitis medicamentis obsisteretur, sed hoc in loco notandum est, haud conuenisse ea oxyrthodina, quæ valde repercutiunt, quoniam cum nucæ origo nō parum esset affecta, periclitabatur ne humores, & vapores capitis impetu repercussi ad ipsam nucam declinarentur, sicq; multo magis tota pars illa afficeretur. Quare sat fuisset oleum rosaceū omphacinum, cum aqua anethi & rosaceo, ac multo pauciore acetho, quā adhibere solemus, vbi principium neruorum nihil patitur. Ceterum examinandum est breuiter, vtrum aliquod purgans medicamentum conuenire potuerit. Ex vna parte non videtur, tum quia vterum gerebat tertio mense, quo tempore dicit Hipp. primo Aphoris. quarti libri, & quinti lib. 29. grauidas non esse nisi summa prudentia medicamentis tranctandas, tum quia aluo sæpe effluxerunt biliosa impermixta: Ex altera parte videtur potuisse conuenire aliquod purgans pharmacum, primum, quia corpus ægræ prauis humoribus scatebat; secundo quia materia ipsa turgens videbatur, cum modo ad clauiculas, modo in hypochōdria, modo in caput decurrerent, ac sit Hipp. Lex, vbi turget materia euacuandam esse, neq; obstabat alui fluor, quia (vt ipsemet Hipp. adnotauit) exiguus erat nec vllum euidens emolumentū afferebat ad imminuenda symptomata; postremo Gal. inter menses quibus omnium difficillime patiuntur fœtus in vtero, enumerat vna cum quarto tertium, vt etiam retro docui. In hoc negocio sane non leui, puto videndum fuisse vtrum quæ aluo excernebantur essent, pro ratione peccantium humorum, quod si non fuissent, vires opus erat attendere, quæ cum robustæ essent, vt putat Galenus (alioqui tam graui & exitioso morbo defungi non potuisset) certe audiendum fuisset sexta saltē die aliquod leue purgans exhibere, quo scilicet materia peccans imminuta minus fureret, & forsan id actum si fuisset à medicis, haud ea mala essent consecuta, quæ postmodum septima, atq; etiam vndecima die visa sunt, scilicet tremor, sopor, delirium, & alia.

HISTORIA DECIMAQVARTA.

*M*ELIDIÆ, *quæ decumbebat apud Iunonis templum, incepit capitis, & colli, & pectoris dolor fortis: statim autem febris acuta corripuit: muliebria vero exigua apparebant: dolores horum omnium assidui.* SEXTA *comatosa, anxiosa, horrida; rubor ingens. parum delirauit.* SEPTIMA *sudauit, febris defecit: dolores permanebant: rediit: somni parui: urinæ vsq, in finem bene coloratæ quidem, sed tenues, deiectiones tenues, biliosæ, mordaces, valde paucæ, nigræ, fœtidæ prodierant: vrinis subsidentia alba, leuis: sudauit, iudicata est perfectè* VNDECIMA.

MELIDIA, QVÆ DECVBVIT. Galenus qui in exponenda proposita historia fuit breuissimus duo tantū adnotauit circa ipsam, vnum est de vrina, quod & ipse suo loco indicabo, aliud est quod hæc mulier inter eos ægros debet connumerari, qui ob viriū robur ex magnis morbis euaserunt; Verum quia historia licet breuis videatur, habet tamen pulchras aliquas contemplationes, more solito eam paullo diligentius, quam fecerit Gal. expendam, & primum quod pertinet ad nomen, atq; habitationē, Hipp. haud cōsueuit mulieres nomine proprio appellare, sed vel nomine patris, vel nomine mariti, vel tacere nomen omniū, & mulierem simpliciter dicere, quemadmodum ex historiis, & anteactis, & sequentibus videre licet; atq; hoc forsan fecit Hipp. honestatis maioris gratia, siquidē debent medici, qui curant mulieres, non tam oculos, & manus quam animum habere castos vt vix quas curant cognoscant, & nomina propria ignorent, quemadmodum in Iureiurando Hippocratico scriptum est. Ceterū cur in præsenti historia nomen mulieris ægrotantis appofuerit, existimo esse factū, quod sacra esset, atq; sine vlla suspicione nominari, nec alia ratione dignosci quam nomine posset. Fuisse enim sacrā, & forsan Iunonis sacerdotissam ex eo coniicio, quoniā habitabat prope Iunonis fanum; solent enim etiam temporibus nostris omnes, qui seruiunt templis siue fœminæ, siue mares habitare prope ipsa, vt possint semper præsto esse; similiterq; peculiare aliquod, quo vocentur, nomen habere; accedit etiam, quod vox videtur apprime conuenire rebus & personis sacris, cum significet suauem cuiusmodi etiam vtitur voce μελιδία Hipp. vt est apud Gal. in ling. sic etiā Iunonis templum plerisq; in locis habebatur, & vrbibus, quemadmodū in Cratone, Samo. Vnde licet Hipp. non exprimat locum, vel ciuitatē vbi esset, æquum tamē est putare de Thaso eum sermonem habere, & propterea de illius regionis templo, quod forsan ibi debebat tunc esse celebre, quemadmodū in Ephesō augustissimū Dianæ templum; Quæ vero essent sacra Iunonis à Tertul. & Apuleio 6. de asino aureo, Deæ cœlestis vocatæ non admodū est difficile ex scriptorib. cognoscere, vt forsan hinc aliquid coniectari liceat, quod non parum faciat ad cognoscendas propositæ ægritudinis causas, veluti quod fuerit virgo, quemadmodū erant illæ, quæ non Veneri, sed aliis Deabus inseruiebant: Porro virginum morbos nescio quid arcanum, & magnū habere ipsemet Hipp. abunde fecit testatum in lib. de Morbis virginum; Itaq; Melidia à prima die morbi vsq; ad sextam variis symptomatibus turbata fuit, & q; præ ceteris æstimari debet fuit menstruorū imminutio; siquidē memoria proditum est ab Hipp. quinto Aphor. 57. mulieri si menses immodice fluant aut nō fluant fieri ex vtero morbos: præter mensium imminutionem quam putare debemus cetera mala antecessisse, statim febris acuta ipsam cœpit, cum qua dolor iungebatur capitis, colli & pectoris validus atq; continuus, adeo vt singula hæc vsq; ad sextam diem perdurauerit: Fuit itaq; morbus præcipuus, & principalis acuta febris à sanguine bilioso, & pituitoso orta, siquidem cum imminuta essent menstrua, verisimile est sanguinem in venis retentum & cumulatam putredinem contraxisse, præsertim circa pectus vbi dolor erat; Nam menstrua vbi deficiunt, vel minuuntur in pectus sæpe restagnare claris exemplis demonstrauit Galenus in eo libello, quem scripsit aduersus Erasistrateos, qui Romæ medebantur, à febre autem simul, & à menstruis deficientibus non fuit mirum suboriri capitis, pectoris, & colli validos dolores, tum quia id familiarissimū est etiam sanis mulieribus; vbi male purgantur, tum quia vbi mulieres viri consuetudine carent, nec generant, innumeris, & grauibus vitiis tentantur; vt habemus apud Hippocratem libro primo de Morbis muliebribus; nec dicendum est videri Hippocratem tribuisse principium omnium malorum in hac muliere doloribus, quoniam cum dixerit statim febrem acutam affuisse, & cum dolores sint symptomata, & propterea sequantur morbum, par est existimare febrem præcessisse, Hippocratem vero sic esse locutum, quod simul cum febre apparuerint, & vt magis lædentes, ac molestiam maiorem febrem afferentes, citius quoque videantur facti. Atq; hæc omnia quinq; prioribus diebus mulierem incessanter occuparunt. At

SEXTA,

Sexta, quę est dies tyrannica multo magis grauiora successerunt, nimirum sopor, anxietas, horror, rubedo in genis, exiguum delirium. Nonnulli interpretes existimarunt hanc mulierem proprie peripneumonicā fuisse, quod dolore pectoris laborauerit, febre acuta, & presertim rubore genarum, quod postremum symptoma solere affectos pulmones consequi omnes fatentur, idq; ante alios videtur cognouisse Nicander antiquissimus author, qui vbi de veneno Leporis marini tractat, à proprietate pulmones statim lædentis illud primum signum videtur constituere, quod genæ rubeant, scilicet ob communicationem quam habent pulmones cum facie, etiam ab Aristotele significatam sectione trigesimatertia problematum. Ceterum si spectemus signa peripneumoniæ nobis sæpenumero proposita ab Hipp. secundo, & tertio de acutis, necnon secundo atq; tertio libro de morbis, aliqua alia signa desunt ibi commemorata, & inter alia anhelandi difficultas, seu orthopnœa, & tussis, quarum hic Hippocrates nihil meminit, qui tamen non raro solet respirationis meminisse, vbi ipsa insigne aliquid patitur detrimentum; præterea, aut nullum, aut exiguum dolorem facit, cum pulmo careat sensu; habuit autem Melidia validum pectoris dolorem, sed quod magis est Galenus in Pythione monstrat eum non fuisse pleuriticum, nec peripneumonicū, quoniam id Hippocrates non dixit, nec pręcipua eius ęgritudinis signa commemorat, nempe anhelitus difficultatem. Quare dicendum est hanc non fuisse veram & formatam peripneumoniam; sed aliquod illius veluti simulachrum, & eo maxime, quia Septima dicit Hippocrates febrem desisse; quæ in peripneumonicis non modo est continua, verum etiam ingens, & fere semper ardens, atq; exitiosa. Itaque cum prioribus diebus pectus, collum, & caput valde laborassent, factum est, vt in hisce partibus videatur malum esse firmatum, & cum sanguis in venis cunctis præsertim partium superiorum exuberaret ob menstruorum imminutionē, iure factus est sopor in capite, & cum ipso aliqualis deliratio, qualis sæpe solet iis contingere, qui in somnum immodice sunt propensi; eadem ratione facta est in genis rubedo, anxietas, & horror, scilicet vaporibus feruidis stomachum, faciem, & neruosas partes lædentibus. Septima die dicit Hippocrates febrem cessasse, sudasse, atque dolores permansisse. Quod febre cessante dolores permanserint, videtur argumentum euidens non fuisse inflammationem; alioquin durantibus doloribus ea durasset, & consequenter febris non cessasset; quæ propterea desiit, quoniam sudore euacuata est magna pars morbificæ materiæ, quæ in toto erat. Adhuc tamen circa pectus, collumque & caput reliquiæ superfuerunt, quæ dolorem conseruarunt; & bonum quod apparuit in septima sane indicauit vndecima die futuram esse absolutam crisin, vt vere contigit. Sed quid est quod statim subiungit (reuersa est?) puto ego deesse diem, quasi dicere voluerit Hippocrates, Nona die quæ est impar rediisse febrem: Scimus enim vbi futura est crisis, semper paullo ante solere febres, & symptomata augeri, vt sæpenumero monuerunt Hippocrates atque Galenus, & ob id cum deberet indicari morbus vndecima die, conueniens erat, vt paulo ante febris, atque alia symptomata fierent, & hæc potius impari die, ac tertianæ proportione, cuius est nona dies. Quamobrem iure dixit Nona rediisse febrem nec etiam dormiuisse, idq; contigisse ante crisin dicente Hippocra. quibus crisis est futura, iis noctem antecedentē solere esse grauē; veruntamen quia natura egregie coquebat humores, apparuerunt vrinæ post septimam vsq; ad finem morbi coloris boni, atq; tenues cum subsidentia alba, & leui; adeo vt facta integra coctione, & præparatione, subinde natura valida molita sit euacuationes duas, s. sudorem, qui etiā septima die apparuerat, necnō alui fluxū, quo euacuata est materia, quę putruerat biliosa, mordax, & nigra. Sed cū facta sit crisis absoluta, & firma, quomodo potuit excretio esse valde pauca, vt videtur Hip. declarare? preterea dubitat & iure Gal. quomodo potuerit in vrina esse bonus color cum substantiæ tenuitate; quandoquidē tenuitas semper habet albedinē coniunctam. Respondendū est ad primum, particulā illam χάρτα, i.

valde cũ antecedente esse coniungendam, f. δακνώδεα, quasi dixerit valde mordacia exiuisse, & pauca, nam non fuerunt multa propter copiosum sudorẽ, & quia pauca, non fecerunt dysenteriã ob mordacitatem. vt sępe solet post crises huiusmodi euenire; quamquã potuerunt etiã medici occurrere clysterib. mordacitatem placantibus. Ad secundum respondet ipsemet Gal. verum esse, quod exactè bonus color non potest stare cum substantiæ tenuitate; sed intelligendum esse Hip. quod bonus color fuerit quatenus potest esse cum substantiæ tenuitate. Igitur iure præsens mulier per crisin liberata est egregie à morbo acuto, & forsan Hipp. nõ alia ratione voluit præsentem casum adnotare, nisi vt exemplar nobis relinqueret legitimæ crisis, quæ fit optimis signis in vrina apparentib. per euacuationes etiam non insignes in die indicatoria: Videndum aliquid de curatione, & primum de victu id statuendũ ipsum debuisse tenuem esse, quia indicatio futura erat cito, & ante sextam procul-dubio cogitandum fuit de sanguinis missione, vel ab vtroque pede statim, vel si euidens, (vt par erat) affuisset totius corporis plenitudo, primum interna cubiti dextri erat secanda, tum vel poplitis, vel tali, atque in ea copia, quam vires præsentes sustinere valuissent, & præter sanguinis missionem cucurbitulæ quoque saltem siccæ cruribus, & coxis, veluti frictiones iisdem partibus adhibitæ conuenissent frequenter, & hora quietiore, id enim perpetuo est obseruandum, vt auxilia reuulsoria, quæ propter vrgentiam symptomatum administrantur omni tempore vsu postulante adhibeantur, vbi autem administrantur absque insigni vlla vrgentia, sed potius ad præcauendum, hora diei frigidiore, vel saltem quietiore, atque semper longe ab accepto cibo in vsum recipiantur. Ante septimam diem nulla fit mentio alui excrementorum; veruntamen non est dubitandum, quin vel sponte pro ratione fluxerit, vel ei prospectum sit ab arte, scilicet clysteribus aut glandibus, etsi intestina, & ventriculus fuissent valde repleta, plane ipse lenitiuum aliquod medicamentum 2. die ante sanguinis missionem sumendum curassem; deinde ad apetiendas vias, prouocandas vrinas, & præparandos humores deuenissem potione facta ex cap. ven. agrim. pentaphillo, botag. & petroselini radice. De euacuatione per medicamenta non fuit locus cogitandi, quod à septima die vsq; ad finem, vt diximus, aluus fluxit, qui licet multa non redderet, haud tamen æquũ erat, ipsum sollicitare, ne vel acrimonia sauciaret intestina, vel nimis fluor excitaretur. Ceterum dolores cõtinui & magni aliquam mitigationem postulabant præsertim capitis atq; pectoris, vt est linimentum ol. ros. anethini, & violac. simul mixtorum, cumq; nulla facta sit mentio sputorum, vel tussiculæ, de iis nulla fuit habenda sollicitudo, vt ob hoc quoque in ea sententia confirmer, minime hanc mulierem vera pulmonis inflammatione laborasse, à qua non ita esset liberata, cum scribat Hipp. sexto apho. 16. malum esse vbi peripneumonico superuenit alui profluuium, vt contigit post septimam propositæ mulieri. Hic est finis 3. sect. prioris libri Epid. in qua vt visum est, 14. historias nobis proposuit Hipp. & quas vt pro ingenij viribus explanaui. Sequeretur vt nonnullas, quæ etiam in secundo Epid. habentur explicarem, verum, quia in Bononiensi Academia totum illum librum diligenter exposui, & propediem illæ Prælectiones sub prælo erunt, ad eas prosequendum historias, quæ in lib. 3. Epid. obseruatæ, & notatæ inueniuntur, me conuertam.

HISTORIA DECIMA QVINTA.

PYTHION, *qui habitabat prope Telluris phanum inchoauit tremor à manibus.* PRIMA *febris acuta, delirium.* SECVNDA *cuncta sunt exacerbata.* TERTIA *eadem.* QVARTA *ab aluo pauca, sincera, biliosa exierunt.* QVINTA *omnia exacerbata sunt; somni tenues; aluus suppressa est.* SEXTA *sputa varia, subrubra.* SEPTIMA *os distortum est.* OCTAVA, *omnia sunt exacerbata, tremores perseuerabant: vrinæ vero à principio quidẽ, & vsq; ad octauã tenues, decolores, enæorema habebãt nebulosum.* DECIMA *sudauit: sputa subcocta, iudicatus est, & vrinæ subalbæ circa iudicationẽ, ac post iudicationem.* QVADRAGESIMA *die tandem suppuratio circa sedem: & stranguriosus factus est abscessu.* P.M.V.Q.S.i. *probabile multitudine vrinarum, quadragesima sanatum.*

PYTHI-

PYTHION, qui habitabat prope Telluris templum.) In prima sect. huius tertij libri tres tantum historias enarrat Hipp. Pythionis, Hermocratis, & cuiusdam qui in Dealcis horto habitabat. In qua autem constitutione hi ægrotauerint an in Thaso, an vero in Cranonis, quæ proxime ante hunc librum in secundi libri initio, an Perinthi, quæ tertia sect. eiusdem lib. cõmemorata est, haud ita compertum habetur. Sed si quicquam licet mihi conijcere, vel putarem ad nullam constitutionem peculiarem pertinere, vel ad antecedentem proximiorem, s. Perinthi. Vtcumq; autem sit dignæ sunt diligentissimo examine, eo maxime quod Gal. qui in antecedentib. vt videre potuimus fuit admodũ breuis, & ieiunus. In his tribus nimiũ fusus, & præsertim in Pythione fuit, qua ratione ignoro, nisi fuerit ob libidinẽ, qua flagrabat contradicendi, & damnandi veteres Interpretes. Pythionis nomen, & habitationẽ nobis notã facere voluit Hipp. vel quia eius nominis plures fuerunt diuersis in locis habitantes, vel (q. alij interpretes veteres dixerunt, & Gal. contumeliosis verbis damnauit) vt nobis significaret professionẽ, & vitã illius, quæ tota erat circa sacrorũ ministeria. Id.n. videtur nobis persuadere posse, tum q. vocaretur Pythion, siue Pythius, quo nomine significabãt eum, qui mittebatur ad Pythium Apollinẽ pro capiendis responsis, tum q. habitaret prope templum Tellutis, nam habebitis etiã in tertia sect. huius tertij libri mentionem, & historiã integram alterius Pythionis, qui & ipse habitabat ,ppe templũ Herc. quamquã vere haud is sum, qui hæc omnia putẽ ad Veneris abstinentiã referenda, vt illi fecerunt. Huiusmodi aũt templum in compluribus regionib. habebatur aliis, quemadmodum & Romæ. Iam vero cõuenit examinare, quę singulis dieb. huic Phythioni acciderunt. PYTHION PRIMA DIE tria habuit, tremorem manuũ, febrem acutam, atq; deliriũ; Gal. vt sæpenumero solet grammaticũ agens notat solœcismum esse in initio horũ verborum, Pythion, qui &c. Atqui, vt Hipp. ab hac ignominia liberetur, alterum duorũ oportere facere, vel vt priora verba sint veluti titulus historiæ, & reliqua sint ipsa narratio, vel vt loco Pythiõ legamus datiuo casu Pythioni; sed vtro modo legamus res parui momẽti est medice tractantib.: illud aũt multo magis refert speculari quis fuerit Pythionis tremor, & quæ potuerint esse causæ vt tam cito in febre delirauerit; Etenim quę solent febres comitari deliria rarissime prima die fiunt, sed potius morbi progressu. Quod pertinet ad febrem cum dicat Hipp. fuisse acutam, necesse est quoq; eam fuisse putridam, atq; de genere cõtinuarum, fomitem vero putredinis fuisse circa caput, circa q. statim apparuerunt symptomata, quæ quoniam magna erant, magno pariter morbo attestabãtur; sicut celeritas motus propinquitati status; De more ipsius febris nil videtur principio statui potuisse, siquidẽ nulla symptomata iam factæ febri superuenere; sed potius videntur cum ea inchoasse; quamquam vere non sunt accidentia propria, neque constituentia ipsam febrem. Quod porro attinet ad febris caussam, si Hippoc. (vt ait Galenus) aliquas externas causas, habuisset notas nempe vllam vel vllas ex rebus sex non naturalibus vocaris, vt sui moris est, commemorasset, quod cum non fecerit, ęquum est existimare causas tantum internas affuisse, nempe congeriem pranorum humorum, & præsertim melancholicorum longo tempore aceruatorum. Quod enim fuerint magna ex parte melancholici succi atq; etiam biliosi, non modo colligi potest ex quartanariis exacerbationibus, quas habuit, vt pedetentim videbitur; verumetiã ex læsione insigni cerebri, quod & suapte natura, & proprietate quadam huiusmodi succi videntur petere. Hic enim vir si sacris faciendis, vt suspicor famulabatur, credi potest vigiliis, ieiuniis, ac ciborum nõ ita proborum, atq; ipsamet professione potuisse accumulare non modo copiosos succos crudos, verumetiã melancholicos: siquidem non desunt veteres, qui putarunt ad melancholiam pertinere ipsam religionem, qualis fuit Aretæus medicus antiquissimus, necnon Plutar. in lib. de Superst. Imo quotidiana experientia docet, eos qui admodum religioni sunt dediti, vel fieri, vel esse melancholicos, ita vt nõ nullos ipse viderim, qui ob religionẽ nimiam, quasi de salute animæ desperantes sese strangularunt, aut suffocarunt: & hæc est quoq; causa

propter

propter quam inter monachos,& monachas cõplures melancholici morbi oriuntur. Fuit itaq; febris putrida ex humorib. varijs præsertim melãcholicis circa caput putrescentibus. Quo factum est vt non absq; ratione statim delirium,atq; tremor apparuerint: vehementerq; errauerit Sabinus,& sequaces, qui dixerunt in ipso factum esse delirium,ac tremorem ob Veneris abstinentiam,scilicet genitura in cerebro nimium cumulata. Et de delirio iure Gal. discurrit fuisse non admodum graue, vt notat vocabulum Græcum λῆρος, ac vel ob inflammationem cerebri, vel à succis calidis originẽ habuisse;quo in loco notare licet pro phlegmone intelligere incendium, scil. phlogosin, non autem veram inflammationẽ, alioquin à vera inflammatione non leuis desipientia aut vesania fit; sed phrenitis,& mania, quę sunt maxima deliria. Fiebat ergo in Pythione deliriũ ex supercalefactione ipsius cerebri ob humores intra ipsius cauitates maiores putrescentes; nõ autem vt dicebat Sabinus ex retentione seminis, quia etiam si Hipp.& Arist. sint huius sententiæ magnam partẽ seminis à capite fluere; tamen Gal. ex sententia Democriti in Art. Med. scribit venerem caput maxime lædere, qua etiã ratione, cum & calor & vapores putres communicarentur initio medullæ spinalis, motus ille deprauatus ab Hipp. tremor vocatus nascebatur, qui vtrũ fuerit verus tremor, vt manifeste profitetur Gal.& longissima oratione disputat, an potius motus cõuulsorius, vt Sabino & alijs magis placuit, certe non ita clarum est, æque.n. rarum est in febriũ initio vniuersali fieri tremorem verum à quacunq; ex trib. caussis à Gal. cõmemoratis, atq; motum cõuulsorium: attamẽ sequor potius Gal. putantẽ fuisse factum in Pythione tremorẽ, non ob animi affectum vllum, nec à Veneris abstinẽtia, vt putarunt veteres interpretes, sed ob facultatis motoriæ imbecillitatẽ, quippe quæ ob aliquam incrassationẽ factam in iis neruis, per quos defertur facultatis illustratio à cerebro ad ipsas manus, impedita fuit quominus integra eo perferretur. Quamquã præ ceteris hoc solent habere melancholici, vt ob timorem, quo semper occupantur, facile in tremorem incurrant: metuentes enim tremere rationabiliter, & præcipue manibus, & labris docet Arist. 27. Probl. primo, 6.& 7. Non inficior tamẽ quin etiam à vaporib.& succis potuerit principium nucæ percuti, atq; inde aliquis conuulsorius motus oriri, sed rarius initio hoc euenit, quã verus tremor, & maxime vt dixi, in melancholicis.

Secvnda die. Sequitur secunda dies, in qua dicit Hipp. omnia esse exacerbata, nimirum febrem, tremorẽ, atq; delirium, ex quo loco colligimus in prauis, & magnis febribus etiã vsu venire, vt diebus paribus exacerbentur, quemadmodũ alias fusius docuimus; exacerbationis huiusmodi natura debuit esse, q; febris acutior & propterea periculosior enaserit; delirium q; erat placidum euaserit grauius, atq; magis ferinum; similiter & tremor non solum fuerit maior, verumetiam aliis membris cõmunicatus, caussa porro cur augeantur paroxysmi, vt Gal. plerisq; in locis docuit, vel sunt errores ægri, aut medici, aut astantium, vel est materia ipsa putrescens facta aut copiosior, aut deterior, aut vtrumq; simul Gal. multũ solicitus est in indaganda caussa, ppter quam potuerit Pythionis morb. secunda die vsque adeo augeri, & inquit sæpenumero hoc cõtingere; quia dimittatur præstantissimũ omnium auxiliũ nempe sanguinis missio, quam ipsemet 11. Meth. 15. dixit saluberrimã esse in omni febre putrida. Vtrum aũt Hip. vere eam nõ adhibuerit statim, vel narrare vt manifestam rem, & suis dogmatib. maxime cõsentaneam dimiserit quemadmodũ complurib. aliis facit, non parũ, nec absq; ratione dubitat, etenim dimisisse, & in Pythi. & in aliis plerisq; auxilio hoc indigentib. Hipp. vix credere potest, vt qui in omnib. germanis suis cõmentariis, & aphor. de vict. acut. de artic. hoc remedium aliis pene omnib. semper antepornisse reperitur, vbi adest morbi magnitudo, viriũ robur, atque ætas consentiens, & si 8. die id adhibuit in Anax. vt videbitur suo loco, multo magis credibile videtur etiam in aliis dieb. in quibus conuenientius est adhibuisse. Quod etiam dimiserit cõmemorare non putat ita probabile, cum sæpe in his libris mentionẽ faciat aliorũ etiam minimorũ remediorum, vtpote glandis. Itaq; vtroq; hoc absurdo, & ab Hip. dignitate, & consuetudine alieno existente statuit eligendã

esse

esse eam opinionē, quæ minus absurditatis contineat nimirū Hipp. in multis dimisisse auxiliū, vel tanquā non necessarium, vel quia tardo esset adscitus, dimisisse etiā in multis illud commemorare, q nimis euidens esset, illud tanquā optimum, & necessarium nec potuisse, nec debuisse omitti, & ad hoc existimandū dicit Gal. se potissimum ab eo impelli, q voluerit Hipp. missionis sanguinis 8. die factę meminisse tanquam rari euentus, cum semper alioquin ante hanc diem adhibere consueffet, nisi impediretur. Si. n. in germanis libris præcipit mittendū esse sanguinē existente morbo magno, & consentientib. viribus, atq; ætate. Sique in 8. die ipse id fecit, iure colligendum est tum aliquando fuisse dimissum illud præsidium, tum etiā fuisse ab eo omissum enarrare: quod euidentissimū esset, & debuisse fieri, & factū propterea esse. TERTIA DIE, subiungit Hipp. (eadem) hoc est exacerbatio cunctorū facta in secunda vsq; ad tertiā totā durauit, id q argumentū esse potest non à caussa externa, sed interna prouenisse: nam vt scribit Hip. 2. Pror. quicumq; morbi à causa externa fiunt, momētanei sunt. IN QVARTA. Ceterum in quarta nescio quid noui factū est, nempe aluus fudit pauca, sincera, & biliosa. Si hoc symptoma cum aliis copulemus, certe male de Pythione fuerat iudicandum, eo quod 4. dies est index septimæ etsi ea pessima sit, similem quoq; futurā esse septimam est formidandum, quod autem quarta fuerit pessima facile perspici potest; quia febri acutissimę delirio, ac tremori magis accessit alui fluor, qui tres prauas conditiones habuit, f. pauca excrementa, sincera, & biliosa. Paucæ euacuationes semper malæ sunt, quia (vt ait Gal.) de stilla sanguinis, signum est à prauitate, & copia materiæ naturam stimulari; sed eam non valere pro necessitate expellere. Similiter sincerę omnes deiectiones ab Hipp. tum secūdo Prog. tum in Coac. magnopere damnantur; Haud secus, & biliosæ deiectiones videntur semper malæ, quod indicia sint magni æstus. Erant autē sincerę deiectiones, quia proprio sero priuatæ erant; quilibet. n. humor habet proprium ichorē tum naturę necessitate tū ob vsum, quandoquidē quilibet humor à proprio ichore castigatur, vbi igitur humores isto priuant, pessimum est, tum ratione caussæ, tum ratione signi: ratione causę, quia sine eo fiūt effrænes: ratione signi, eo quod ingens incēdium indicent. QVINTA DIE. Quinta die omnia dicit adhuc esse exacerbata; tremores permansisse, somnos tenues fuisse, & ventrem substitisse, hoc est eum exiguum fluorem desiisse. Fluor quin fuerit symptomaticus, negari non potest; veruntamen quia praua euacuabantur, licet signis coctionis absentib. attamen minnebatur aliqua ex parte praua materia, idq; saltem sequebatur, vt nō augeretur malum, atqui cessante aluo, & propterea tota praua materia in corpore retēta, iure factum est, vt cuncta sint paulo acerbiora reddita, tremores perseuerauerint, atq; somni tenues extiterint, sed à materia retenta vaporib. sursum elatis, atq; cerebrum excitātibus, quominus in somnū laboretur. Sed si dixit omnia grauiora esse facta, ad quid repetit tremores? Propter duas causas potuit hoc efficere; vnā, quia tremor in eadē conditione permansit, secus quā cetera, quæ aucta erant, alterā quia videbatur aliquo pacto rationabile, vt cessare deberet, tum quia erat tantum in manib. tum maxime quia fiebat ab humorib. incrassantibus neruos deferentes facultatem motricem ad manus. SEXTA DIE. Porro sexta die scribit Hip. sputa fuisse varia, & subrubra, circa quę verba dubitat Gal. vnde nam huiusmodi sputa orta sint, cum Pythion neq; pleuriticus, neq; peripneumonicus extiterit, neq; etiam à capite profluxisse verisimile sit huiusmodi sputa, quæ cum tussi, cum anhelitus difficultate, nec non cum dolore lateris, & disiunctim, & cōiunctim fieri soleret. Tandē concludit magis probabile esse secundum primas thoracis partes, quę coniunguntur extremis colli vertebris cumulata fuisse nō multa excrementa, quæ in radicib. neruorū ad manus pertingentiū firmata, easq; cōprimentia tremori efficiundo occasionē prestiterint eo pacto, quo dictum est. Atq; eadē excrementa pituitosa, & sanguinea extra reiecta sputum varium, & subcruentum reddiderint absq; anhelitus difficultate, quæ solet fieri, vbi vel in pulmone, vel in thorace, vel in humiliorib. musculis intercostalibus nō aūt superiorib. materia collecta. Cur deinde 7. die os distortū sit, eadem effecit

materia,

materia, quæ sursum magis eleuata eos neruos, & musculos repleuit, qui ori mouendo famulantur, qua repletione veluti contracti nerui, & per neruos musculi os contorquebant instar illius affectus qui proprie κυνώδης σπασμὸς siue canina conuulsio appellatur, quamquam Cæl. Aurel. lib. Tard. 2. cap. 2. videtur disterminasse à canino raptu conuulsiones musculorum labia conlegantium, quod hæc semper acuta, illa vero etiã tarda sit passio. Dubitatum est ab antiquis vtrum in huiusmodi conuulsionibus caninis, morbus sit in parte contorta, vel sana? Sed res ita se habet cum enim duo sint motus in hac contorsione contrarij, contractio, & relaxatio; in contractione morbus est in parte contracta, at in relaxione est in parte sana.

Octava. dicit iterum cuncta esse exacerbata tremores permansisse, & vrinas, quæ ab initio vsq; ad octauam tenues fuerunt, & decolores factas cum suspensione nebulosa siue vt copiose exponit Gal. media inter albam, & nigram: nam hactenus satis patet quarta quaq; die factas fuisse exacerbationes; vt hinc humoris melãcholici dominantis non exigue notæ sese obtulerint, neq; mirũ est tremores permansisse; quoniam cum duæ essent in hoc vero affectiones, vt ait Gal. altera venarum, quæ febrem faciebat, altera vero neruorũ; & thoracis, ex coctione inchoata quam monstrabant vrinę cum suspenso nebuloso, iure febris imminutionẽ ostendebant; Atqui tremores perseuerabant, quoniã nondũ materia illa thoracis, & intercostalium musculorum superiorum erat cocta. Atq; hoc dico de materia illa peculiari, cuius simul cum vniuersali coctione procedebat, licet interdũ quæ materia aliqua peculiaris, sed in distanti parte seposita coqui, & vniuersalis esse cruda q̃ memoria dignũ indicauit Gal. 2. in primo Epid. & adnotatũ est ab Hipp. primo Epid. 3. sect. exemplo Cratistonactæ, & Scymni pictoris ancillæ. Erat aũt tenuis vrina, quia materia adhuc cruda erat; erat etiã decolorata, quia calor natiuus eam non coquebat ad partes supernas tuendas intentus. Addit aũt Hipp. huiusmodi vrinam habuisse nebulã nebulosam, quæ verba exponens Gal. inquit primum verbũ, nebulam, esse accipiendum, pro substantia secundum autẽ, id est, nebulosam, pro colore, qui est quasi medius inter clarum, & obscurũ; fiebat hic color partim à pituita; partim ab humore melãcholico. Cum aũt Decima die sudauerit, atq; sputa subcocta fuerint, iudicat⁹ est, quamquã circa ipsam iudicationẽ vrinæ fuerint tenues. Dicit Pythionem fuisse subiudicatũ 10. die, vt habet aliqui tex. Græci, vel iudicatũ, vt alij quoniã nõ fuit vera iudicatio, quia nec in sputis, neq; in vrinis apparuit absoluta coctio, nec in die decretoria, sed in 10. qua Gal. secundo decret. scribit fieri alienando falsas iudicationes ob errores accelerantes motũ illum qui in 11. fieri deberet. At in sputis, erat quæ dicit fuisse subcocta ὑπόπεπα non similiter in vrinis, quas dicit circa crisin fuisse subtenues, vt etiam circa initia fuere tenues vsq; ad septimã; etenim quæ coquuntur semper fiunt crassiora, vt docet Arist. quarto meteor. imo putauit Galen. scriptũ fuisse vndecima, sed à transcriptorib. fuisse adulteratã. Cum ergo decima, vel vndecima essent quidẽ certa coctionis indicia, non autẽ fuisset perfecta, ac propterea crisis facta esset nuper perfecta nõ absq; ratione, post ipsam durarunt aliqua symptomata, licet nõ nominentur ab Hipp. ita vt ex acuto factus sit acutus per decidentiam sicq; 40. die iterum iudicatus, sed per abscessum ad sedẽ, qui ad suppurationem à natura, & forsan etiã remediorũ ope deductus est, ac simul stranguriosus redditus abscessus, atq; hæc fuit Pythionis historia, postquã apposuit nonnullas notas, sex scilicet de quibus priusquã loquar. Tria sunt quærenda, vnũ erit, cur cum multi intercesserint dies à 10. vsq; ad 40. ac propterea necesse sit multa occurrisse; tamen Hipp. ea tantum commemorat, quæ quadraginta apparuerunt. Alterum est cur potius factus sit abscessus in sede, quam in vlla alia parte; maxime cum antea ibi nullus apparuerit affectus, dicebat enim Hipp. quarto Aphor. 33. vbi in morbo aliquæ partes patiuntur, ad eas solere fieri abscessus, vt hac ratione potius in superioribus, scilicet in thorace debuerit fieri quod doluit, quã alibi. Tertium erit, quid significet abscessus stranguriosus & cur factus sit. Circa primum puto Hippocratem omisisse ea nominare, quod post vndecimã diem reliquisset ægrũ, nec quicquã de

eo am-

eo amplius intellexisset, quam quod post contigit quadragesima die, ita enim consueuisse facere non paucos medicos certum est, qui vbi vident morbum in tuto positum, aliis inferiorib. medicis reliquias morbi penitus superandas permittunt. Alia etiam potuit esse ratio, quoniam nil interiecto tempore commemoratu dignum cötigerit; præterea quæ antecesserunt; nam vbi vis, atq; impetus morbi sunt remissi, solet natura, quod superest vincendum vel paulatim finire, vel materiam in aliquas ignobiles partes absq; molestia conducere, donec eas nimis multiplicatas, vel extra pellat, vel in alias ignobiliores regiones abscessus modo transmittat; vt verisimile est Pythioni contigisse. Circa secundum multæ caussæ conuenisse potuerunt, vt potius circa sedem factus sit abscessus, quã circa illam partem: vna quod illa pars fuerit infra morbũ, & inferior, cuiusmodi abscessus maxime solet diligere natura; altera quia vt Galenus scribit nono de Med. loc. cap. sexto, sedes cum sit receptaculum, vel potius transitus excrementorum cibi, & humorum acrium facile ea pars irritatur, atque irritata suscipit, & inuitat naturam ad eò mittendos superfluos humores; postrema quoniam forte hic homo assuetus erat frequentibus sessionibus, ob quas ea pars infirmior facta facile fuit, vt ipsa sese natura per eam exoneraret, nam & Arist. quinta, Porbl. 14. & sexta, prob. primo dicebat alios ob huiusmodi nimias sessiones pinguefieri, alios vero extenuari; quod qui humoribus abundant excrementitiis, nisi motus eos cõsumat facile corpus vitietur, & ob id contabescat. Ad tertium putant aliqui inter quos etiam Gal. abscessum stranguriosum fuisse diuersum in Pythione à sedis abscessu; quasi vero humores, qui in partibus superioribus antea offendebant infra delati partim in sedem decubuerint ibique sint suppurati; partim ad vesicam præcitati sua acredine eam irritantes, & mordentes vrinæ stillicidium cum dolore pepererint. Sed quamquã hoc verum esse possit, haud tamen absurdum est, vt videtur putare Galenus etiam potuisse contingere vt ab illo eodẽ abscessu sedis suppurante & continuo vesicam contrectante communicata ipsi sit intemperies ob quã vrina reddita mordax neq; à vesica sustineri potens illud stillicidium, seu strangurium pepererit, haud secus atq; contingere solet aliquibus prægnantibus, in quibus dum ab vtero pleno & graui cõprimitur vesica, & accenditur, haudquaquam vrina potest contineri; & in hanc interpretationẽ eo magis inducor, quod Hippocrates non dixit factum esse Pythionem stranguriosum, cum abscessu sedis, at ei factum esse abscessum, sed stranguriosum. Modo pauca de notis, seu characteribus hic in fine positis cum Galeno dicamus; etenim veteres vsos esse notis, vel puris elementis, & characteribus ad res ipsas significandas, hancque consuetudinem ab Ægyptiis primum fuisse monstratam satis conspicuum est; & quamquam ob plures occasiones id facerent, vt docent qui de notis hieroglyphicis conscripserunt; posteriores tamen ea vna potissimũ caussa fecerunt vt dum à dictantib. accipiebant; eos celeriter loquentes assequi possent, vt ex Martiale aliisq; colligere possumus. Cur vero Hipp. vsus characteribus in multis ægris horum librorum comperiatur; si tamen eius sint vt videntur veteres, & Galenus negasse puto causam fuisse quod occupatissimus in ægris curandis magna celeritate inscribendis obseruatis indigeret, quam sane melius assequi non poterat, quam breuiter, & per notas scribendo. Vnde prout vsus, & celeritas sibi erant expetendi, sic modo breuiter, modo breuius, modo breuissime scriptitabat; possumus item dicere id fecisse Hippoc. vt etiam in rebus dubiis iudicium suum proderet. Et sane haud ita facile puto huiusmodi notas sibi vni Hippocrates forsan recte cognitas interpretari. Veruntamen quia viam à Galeno nobis stratam habemus, illi ipsi insistemus, & ne quæ ab ipso scribuntur hic præcise, & inutiliter proponamus, sat est huiusmodi characteres secundum Galeni expositionem hoc significare. Pythionem hunc probabile esse multitudine vrinarum quadragesima die fuisse sanatum; Vtrum autem, quod aliqui dubitant, sit metiendus quadragesimus dies ab initio morbi, an à decima qua facta fuit iudicatio imperfecta, mihi magis placet, vt numerentur ab vndecima; quoniam non apparet ex verbis Hippoc. potuisse intra id

tempus fieri iudicationes per vrinas; ad hæc stranguria, quæ facta fuit morbi quadragesima haud potuit iudicare, cum per eam, quæ est purum stillicidiū ingens vlla copia vrinæ, quæ facit iudicationē excernatur. Verum fieri quidem potuit, vt post quadragesimam ex stranguria relicta sit in renibus & vesica intemperies calida, cuius vi natura sit inuitata & excitata ad deponendum eo quicquid humoris molestabat. Iam de curatione, cum initio morbus satis fuerit acutus, valde consentaneū est victum tenuissimū fuisse sibi constitutum, & quoad remedia pertinet, dicit Gal. cum morbus esset periculosus debuisse Hippocratem prima die sanguinē mittere, nisi venter incoctum cibum tenuisset, aut omnino altera, id quod etiā innuit Auer. septimo. coll. cap. primo. ex sententiā Auenzoar. ex quo loco licet colligere, priusquam ad sanguinis missionem deueniatur, etiā si morbus sit periculosus, & acutus, aluum debere exeuacuari à cibo incocto, quod fit vel media, vel subductione alui, qua & stomachus, & intestina exinaniantur, nam qui putant, semper solum clysterem sufficere ad commode, & ex præscriptis veterum, educendos cibos incoctos, priusquā mittatur sanguis, longe falluntur; siquidem clysteres vix ad intestinorum mediam regionem perueniunt, cibi autem incocti magna ex parte supra intestina media, & prope meseraicas retinentur, vt nisi prius inde pellantur periculū immineat ne facta sanguinis missione magna pars ipsorū à venis euacuatis trahatur. Ex quo multo rationabilius est, neq; semper medicum esse contentum solo clystere, neq; semper ad subductorium medicamentum cōfugere, sed prout animaduertit vel minus incocti cibi insuperna, vel in inferna parte ventris contineri sic modo hoc, modo illo vti adiutorio. At sciscitabitur forte aliquis quomodo Hipp. probauerit sanguinis diminutionem in ægro tremente, cum tremor sit pura soboles motricis facultatis imbecillæ vt millies docuit Galenus; nisi respondeamus imbecillitatem Pythionis à plenitudine originem duxisse sicut in famula Strymarg, cui cum menstruorum deminutione trementi secta vena tali Hippocratis consilio miram opem attulit. Quantitas etiam sanguinis copiosa esse debebat, vel repetita. Tum præparandæ viæ coquendi humores, & vacuandi: sed quia tremores, atq; oris distortio affici neruorum principiū indicabant, iccirco opus fuisset vti frictionibus, inferiorū ligaturis, vesicantibus, ac principio nucæ applicare vnguentū costinum, vulpinum; vel quodpiam aliud ea ætate magis vsitatum. Cæl. Aurel. qui secundo Tard. cap. secundo distinguit spasmum oris à conuulsione canina, quam facit acutam, ait hanc curari paralysis curatione, scilicet embrocationibus, emplastris, aliisque plurimis ex veterum sententia propositis medicaminibus.

HISTORIA DECIMASEXTA.

Hermocratem, qui decumbebat prope nouum murum, febris magna corripuit: incepit autem dolere capite, & lumbis: hypochondrij tentio mollis: lingua vero incipienti exusta est: surditas statim: somni non aderant: siticulosus non valde: vrina crassa, rubra, seposita non subsidebant; ab aluo autem non pauca, combusta egrediebantur. QVINTA *minxit tenuia, habebant enæorema; non subsidebant; ad noctem delirauit:* SEXTA *ictericus: omnia exacerbata sunt; haud mente constabat.* SEPTIMA *molestè; vrinæ tenues, similes; sequentibus similiter. circa vero* VNDECIMAM *existenti, cuncta visa sunt alleuiari: coma incepit, vrina crassa, subrubra, infra tenues, non subsidebant; quiete intelligebat.* DECIMAQVARTA *absq; febre: non sudauit, dormiuit intelligebat omnia; vrina similes circa* DECIMAMSEPTIMAM *existenti rediit: calefactus est; sequentibus febris acuta, vrinæ tenues, rursum autem* VIGESIMA *iudicatus est: sine febre: non sudauit, cibum auersabatur toto tempore: intelligebat. loqui non volebat: lingua præarida: non sitiebat, dormiebat, comatosus. circa vero* VIGESIMAM & QVARTAM *iterum incaluit: aluus humida multis tenuibus fluens, & sequentibus febris acuta, lingua combusta est.* SEPTIMA & VIGESIMA *mortuus est; huic surditas vsq; in finem permanebat: vrinæ crassæ, & rubræ non subsidentes, vel albæ & decolores; & enæorema habentes, gustare autem non poterat.* P.D.S.V.S.M. *id est probabile deiectionibus suppressis, vigesimaseptima mortuum.*

HERMO-

HERMOCRATES, Qui decumbebat. Quis fuerit hic Hermocrates nec facile est, nec multum interest scire; Etenim multi hoc nomine memorantur à scriptoribus Sophistæ, & inter cœteros duo insignes, alter ob auaritiam, qui cum intellexisset sese in recuperanda sanitate expensurum plus drachma, perire, quam pusillum sumptum facere, maluit; alter ob medendi infelicitatem, quippe quem vbi aliquis æger somniabat habere medicum protinus interibat, vnde Martialis, de quodam defuncto loquens. In somnis, ait, viderat Hermocratem; at cum Hippocrates commemoret illius habitationem, aut propter ignobilitatem id fecit, aut quia essent alii complures eiusdem nominis; narrat Galenus nonnullos interpretes forsan curiosos nimis voluisse ab Hippocrate fuisse appositam habitationem, quod qui muros, & domos recente calce oblitos incolunt morbis grauibus tentari soleant, qualis fuit præsens; atqui hoc tanquam verissimum, scilicet à recenter illitis domibus ægrotare homines confirmatum reperitur apud Galenum primo. Prorr. octauo. vbi præ ceteris mentis vitia succedere, & deliria dixit, licet non ita lethalia, quemadmodum quæ ab internis caussis fiunt. Quod vero alij vt ipsemet Galenus testatur imaginati sint Hippocratem apposuisse murum nouum, quasi ob murum nouiter, & præter consuetudinem eius domui inductum, haud bene perflaretur à ventis, proptereaq; morbosa esset, certe nimiæ ingenij lasciuiæ opus est; quamquam non negetur à quoquam multum facere ad sanitatem habitationes, quibus ventis illæ aspirentur, vt docuit Hippocrates libro proprio de habit. Vitruuius, atque Laertius apud quem legitur Emped. vocatum fuisse κωλυσανέμαν quod cum animaduertisset Agrigentum patriam suam à nonnullis ventis insigniter vitiari, eos, occlusis per quos flabat montium interstitiis, prohibuit, sicque patriam liberauit. De ætate, & corporis habitu, coniicit Galenus fuisse iuuenem, & robustum, quia cum acutissimo morbo laboraret ipsum cito necare debebat, nisi iuuenilis ætas, & virium robur ipsum vsq; in vigesimam septimam protraxissent. At de his satis, quæ licet videantur superuacanea, & nimis diligenter examinata, haud tamen prorsus inutilia, & iniucunda cognitu sunt. Itaq; vt Hermocratis casu pro more examinentur ab iis exordiar, quæ passus est à PRIMA die vsque ad quintam; primum enim quoad actiones læsas animales statim facta est surditas, & vigilæ, nec non capitis dolor, & lumborum: naturalium læsa est appetentia, quia siticulosus fuit. Ex mutatis excrementis habuit vrinas crassas rubeas, quæ sepositæ nullam subsidentiam faciebant: excrementa alui non pauca, sed cõbusta exibant, in qualitatibus mutatis erat totius corporis ignis, quod ipsa febris erat magna, vt propterea Hippocrates more suo ignem vocarit; nec non tensio mollis hypochondrij, vna cum linguæ ab initio facta exustione. Quæ symptomata cum sequuta sint febrẽ magnam, atq; eam fere cuncta ab initio, plane probabile est fuisse ardentem, atque eam ab hepatis inflammatione originem duxisse, vix enim possunt statim esse febres ardentes, nisi alicuius præcipui visceris antecedentem inflammationem sequantur. Sed dicet aliquis debeat ne huiusmodi febris vocari morbus, an accidens? nam ex vna parte hic Hippocrates videtur constituere ipsum morbum, cum statim dicat Hermocratem corripuisse ignem, quasi vero prior morbus, à quo fuit occupatus magna febris fuerit. Ex altera parte est sententia Galeni sæpius repetita vt quarto aphor. 66. 73. & septimo 42. & primo Epid. com. tertio. ter quarto, veteres non appellasse febres, quæ erant inflammationibus iunctæ, seu potius ipsarum sequaces, sed nomine ipsorum viscerum inflammatorũ, vt phrenitidis, hepatitidis, peripneumoniæ, pleuritidis, atq; similium. Dicendum vere inflammationem iecinoris fuisse morbum principalem quia prima die apparuerunt ipsius manifesta indicia, & vere pathognomica: vt sitis, linguæ exustio, fœces exustæ, tensio dexteri hypochondrij licet vacua, & non dura hoc est sine tumore apparente, exterius cum esset in sima iecoris parte. Veruntamen voluit primo loco febrẽ recensere Hippocrates, quod inter symptomata quibus cognoscuntur morbi, primum locum ipsa teneret, suaq; magnitudine maxime, & euidenter læ-

deret. Igitur Hermocrati factus est statim tumor inflammatorius in hypochōdrio dextro hoc est in ipso iecore, quod Empedocles vt ait Plut. quinto Sympos. octauo, vocabat πολυαίμαπν quia abundet sanguine, & ob id valde obnoxium inflammationibus; etsi enim Hipp. indefinite hypochondrium nominauerit, attamē vt præclare monstrat Galenus tum propter visceris ipsius præstantiā, tum propter naturam symptomatum, quæ statim apparuerunt, necesse est intelligamus dextrum. Quæ vero fuerit caussa, cur potissimum hanc ægritudinem contraxerit, certe non potuit esse habitationis conditio, verum potius ingluuies, ob quam sanguis in iecinore multiplicatus ibiq; aliquarum obstructionū occasione cohibitus, & cōclusus primum tensionem induxit nō admodum insignē, sed molliusculam, ratione substantiæ mollins ipsiusmet visceris, post puttescens atq; flagrans ob vetitam transpirationem, vapores feruidos in cor, atq; proxima ipsi vasa magna transfudit, vnde ardenti febri occasio est oblata quamquam potuerūt etiam & potus vini generosi & terum calidarum, & carnis bubulæ esus, vt Hippocrates libro de Intern. aff. in secundo morbo hepatico attestatur, eiusq; partis compressio, vel percussus efficere, vt sanguis ibi colligeretur promptius: etenim Galenus octauo de Med. loc. ca. sexto scribit quod cum omnes venæ, & arteriæ iecinoris habeant angusta oscula, qua parte sima cum gibba committuntur obturationem aliquando vitiosorū humorum contingere, ad quam putrefacti sequitur in calidi bteui, in frigidi nō cito, sed temporis progressu. Vtrum autem in conuexa, an in concaua iecinoris parte fuerit tumor symptomata, quę apparuerunt prima indicarunt, fuisse initio concaua; sed vt videtur Galen. sensisse putandum est tandem vtriq; fuisse communicatum. Cum ergo visum sit, quomodo febris generationē habuerit, modo reliquorū accidentium naturam, & generationis modum perpendamus; quod enim doleret caput, & lumbi, focus putredinis in iecore existens effecit, qui proximus lūbis ipsis existens, iisq; calidā intemperiem communicans dolorē peperit, sicut vapores putridos, & feruidos in caput mittens non modo induxit dolorem verum etiā vigilias atq; surditatem. Quod porro linguam exustam, atq; sitim modicā haberet, ab eadem caussa profectum est; siquidem cum lingua superposita sit tam œsophago, quam asperæ arteriæ; æque fuligines ac torridi vapores vtrinq; ad eam ferantur, qui ipsam exsiccant, & denigrant, simulq; sitim inducunt. Sed dubiū est, cur nō admodum sitiret, Galenus dicit vel ob delirium, vel quia naturalis facultas ventriculi extincta, esset. Sed neutrum erat in Hermocrate qui nō delirauit ante quintam; neq; potuit initio vim naturalem habere emortuam. Igitur puto sitiuisse quidem, sed nō admodum respectu siccitatis linguæ, eo quod aliqua humiditas à capite flueret, quæ non sineret ita sitire vel lingua exusta non percipiebat sitis magnitudinem. De vrinis scribit Galenus tubras quemadmodum ait Hippocrat secundo Progn. esse quodammodo medias inter bonas, & prauas, nec mortē, sed morbi longitudinem portendere, quod inflammatione iecinoris vnquam fiant bonæ, impossibile est, quoniam cum ibi fiant, & per gibbas partes in vesicam effundantur, iis inflammatis necesse est quoq; vrinę accendantur; proptereaq; rubræ, & interdum prærubrę reddantur, vt Hermocrati contigit, cuius vrinæ etiā fuerunt crassæ, & sine contentis, propterea que morbus in initio erat, nec dum poterat natura coquere, & crassum à tenui separare; sic enim dicit Galenus & recte crassas vtinas nec subsidentes vocari turbidas, & crudas, nec non multo spiritu plenas, instar musti, sed subsidentes initiū aliquod coctionis monstrare, vt etiam primo de Cris. 12. dicit. Cæterum cum ab alno copiosa excernerentur, & combusta, fuit, quia vt scribit Gal. & hic, & citato loco de med. loc. vbi ingenti calida intemperie laborat iecur, & præsertim in concaua parte alimentum, & humores attracti comburuntur, atque ad intestina mittuntur; imo vero præcedente morbo sæpe vsu venit, vt etiam carnes ipsiusmet visceris colliquentur, sicque per ventrem bilis crassa graueolens, & abunde colorata euacuetur, vt in pestilentibus febribus contingit, atq; hæc omnia facta sunt in Hermocrate primis quatuor diebus, quantum ego puto arbitrio continuatis, cum iam di-

ctum sit à principio factam fuisse iecinoris inflammationem, quæ forsan propterea est facta statim, quia is calido iecore donatus erat, in quo statim fieri putredines vbi obstructũ est, retro iam diximus. Verum posset aliquis mirari, cur Hipp. vsq; adeo confuse narret, quæ Hermocrati contigerunt; & Galenus qui hanc dubitationem vidit dixit in com. hoc fecisse Hippocratem quia his diebus nil non contigit. Sed cum morbus esset acutissimus non videtur fieri posse; vt à prima die vsq; ad quintã nihil contingeret. Quare multo satius erit, si dicamus his diebus Hippocratem nõ visitasse Hermocratẽ, sed ea quæ narrauit percunctatũ fuisse ab astantibus, & prout ei narrabatur, ita etiam commemorasse. QVINTA DIE dicit Hipp. Hermocratem vrinas reddidisse tenues cum suspensione, sed absq; sedimento, nec nõ sub noctem delirasse, delirium quidem iure subsecutum est vigilias, vt fere semper solent, qui deliraturi sunt, vigilare, eo quod acres vapores, & succi, qui stimulantes cerebri membranas dolores, & vigilias inducunt, iidẽ acuti; & perdurantes temperamentum totius cerebri paulatim peruertunt; vnde hegemonicæ facultates mirum in modum læduntur, & pro læsionis magnitudine actionum quoq; detrimenta apparent. At quod vrinæ statim fierent tenues cũ nebula, & sine sedimento euenit, quia materiæ in sublime ferebantur, vt ostendebat suspensio, quę à flatu fiebat: etsi enim vrinas crassas dixerit Hippocrates capitis laborem adfuturum portendere, attamẽ alia ratione: prædicta possunt etiã tenues idem indicare; illæ quidem, ob turbationem, & tumultum in vasis existentem, ob quos facile vapores in cerebrũ feruntur; hæ vero quod quæ materia vrinæ immixta eam crassam reddebat, in alias partes, & præsertim in caput sublata illud male afficit. Iure autem nocte factum est delirium, quia vbi caput à partibus infernis læditur, tunc potissimum læditur, quando fiunt euaporationes maiores, quæ præsertim nocte fiunt, quia calor tunc magis intro cogitur, vnde augetur incendium.

SEXTA DIE acerbiora successerunt, cum delirio maiori, & quod pessimum est, cum icteritia; hæc enim vbi mentis læsioni coniungitur, vt sæpius dicit Hippocrates in Coac. mortale est. Cæterũ circa hoc symptoma quatuor speculatione digna sunt, vnum est, quid sit icteritia, alterum à quibus caussis fiat, tertiũ vtrum qui icteritia laborant cuncta flaua intueantur, quartum & postremũ vtrum hoc symptoma in Hermocrate fuerit læthale. Quoad primũ Icteritiam Barbari vocant, quã morbum regium appellant Latini. Lucretius lib. 4. de Natura. eam appellat arcuatum morbum; dicitur enim morbus regius, quod vt ait Celsus modo quodam regio, scilicet delitiis, & blanditiis curatur; dicitur etiam Icteritia à quadam aue quæ icteros appellatur à Græcis χαραδριον dicta Latini nostri appellant Galgulam; & omnes fere scriptores existimant hunc morbum ita vocari, quod hæc auis id habeat peculiare; vt quotiescunq; ictericos intueatur, intra se morbum attrahat, & curet, & Plutarch. quinto Sympos. septimo multa de hac aue præclara narrat, & inter cætera hanc auẽ statim atq; animaduertit aliquem ictericum, oculos ab ipso auertere, non quasi inuideat huic egregio remedio, sed quia oculi ipsius valde offenduntur ex quo loco etiã Plu. colligit fascinationes, quæ fiunt ex oculis, maxime veras, & naturales esse; hoc igitur symptoma nil aliud est, quã effusio bilis per vniuersum corpus, & præsertim per oculos, & Plin. magnopere miratur, quomodo bilis, quæ tamen est humor, angustas illas oculorũ venas penetranti vim habeat. Fit aũt icteritia duobus modis critice, & symptomatice, symptomatice fit, vel quia in iecore propter intemperiẽ calidam gignitur maxima bilis copia, quæ cum non possit attrahi, neq; contineri à propria vesica à natura stimulata per vniuersum corpus effunditur, quæ effusa subtus cutem eam maculat, & deturpat. Vel fit quia impedita est via ab iecore ad vesicam prorepens, seu quæ à vesicula ad intestinum duodenum procedit. Quoad secundum à tribus caussis fieri potest hic morbus ab inflammatione, vt Hermocrati contigit, vel propter obstructionẽ, quando scilicet laborantes abundant humoribus crassis, & viscidis, qui sanguini, & bili commixti obstruunt, quo minus pateat trãsitus à vesica ad intestina, vel propter duritiem aliquã, veluti propter scyrrhum.

Quoad tertium certe complura acq; pœnitẽda hac de re, & forsan primi diximus in lib. Variarum lectionũ, vt ea legentibus omnis labor superuacaneus sit, qui hoc ipso in loco sumatur; nihilominus haud inutile erit repetere multos extitisse, qui dixerunt arcuatos omnia quæ tuentur flaua conspicere, & rursus non fuisse qui de icteritia tractantes penitus huiusmodi symptoma siluerint, tanquã in rerum natura minime comperiatur; etenim valde mitũ videretur Hippocratem Auic. aliosq; celeberrimos auctores de morbo regio tractãtes tam notabile symptoma tacuisse, si illud experientia comperissent: vt propter hoc in eam libenter sententiã veniam forsan aliquod genus reperiri admodũ rarum, in quo quæ conspiciuntur lutea appareant. Verũ ipse, qui diligentissime in innumeris de hoc euentu sum percunctatus, nunquam audire quemquã potui, qui sese illud habere fateretur. Quoad quartum & postremum ex vna parte videtur semper icteritia ante septimam diem esse læthalissima, vt scribit Hipp. quarto Aph. 64. & in Coac. dicit sexta die morbum regium esse semper malum & insidiosum. Ex altera parte est ipsemet Hipp. qui in lib. quarto acut. tex. 81. dicit in febribus biliosis si icteritia fiant ante septimam diem à febre liberare, Præterea Plinius lib. 26. cap. 12. scribit Hippocratem tradidisse morbum regium ante septimam diem lethale esse sed hoc minime verum esse, quia multos narrat se vidisse ab hac desperatione liberatos, adeo vt Plinius manifestissime asserat morbum regium ante septimam diem nõ semper malum esse: & Auenzoar, qui vixit in Hispania *112.* annis, quo tempore maxima fœlicitate Medicinam fecit lib. primo tract. 13. cap. vltimo damnat veteres, q; existimarent morbum regiũ malum esse ante septimam diem; cum enim fiat à bile, quæ est humor tenuissimus, quæque cito mouetur, cito etiam iudicatur. Auer. tertio. Col. 23. vt forsan tueretur Hippocratem ab hac calumnia dixit, quod ab Hippocrate scriptũ est fuisse verum in patria ipsiusmet Hippocratis; scilicet in Græcia, non tamen in Arabia, & alibi, sed hoc mihi haud placet, quia idem Hipp. in fine Prog. scribit sua scripta & in Aphrica, & in Scythia, & in Delo verissima esse. Dicendum igitur potius est, morbũ regium fieri vel à mera bilis effusione, vel cum duritie aliqua iecoris: primo modo salutaris est, atqui secundo modo semper malus est, siue fiat cum iecoris inflammatione, siue obstructione, vel duritie simplici. Inquit igitur in Hermocrate fuit cum iecoris inflammatione, ideo fuit læthalis, & eo magis quia delirauit, iam vero scribit Hippocrates in Coac. & Prorr. quod quotiescunq; morbus regius fit cum delirio, esse semper signum exitialissimum, quod sit indicium bilem non modo in vniuersum corpus, verum etiam in cerebrum diffundi.

Septima. Iam vero die Septima grauiter eum habuisse dicit, vrinasq; tenues, & similes prioribus vsq; ad secundam fuisse, quo in loco animaduertendum est vocem illam, grauiter, haud esse simpliciter accipiendam, quando dixerit & initio, & quinta die male habuisse, & cuncta fuisse exacerbata; sed debet intelligi, quasi sicut ante grauiter se habebat, pariter quoq; sese vsq; ad vndecimã habuerit, qua die cum soleat natura non finire morbum, sed aliqua euacuatione, aut decubitu saluté promittere, factum est, vt visa sint omnia remissa, quandoquidem cœpit dormire, licet nõ naturaliter, sed soporose; vrinæ factę sunt crassiores & absq; subsidentia, aliquantulum mente constitit; atq; sic vsq; ad decimamquartam permansit. Verum circa hæc nonnulla occurrunt consideratione digna, primum est quo pacto potuerint remitti omnia in morbo admodum periculoso, & crudo absq; vllis coctionis notis. Alterum est, quomodo vrinæ possint fieri in summa parte tenues, & in ima crassæ, nam si crassities sit ab humorib⁹ crassis verisimile est crassas partes petere fundum, ac propterea potius in summa parte attenuari. Circa primum dicendum est iure Hippocratem dixisse, visa esse omnia mala remitti, quod nullo modo vere facta fuerit remissio, sed ignaris medicis, & astantibus sic apparuerit, quia cũ ante vigilaret, & misere angeretur, quiescens, & in somnũ inclinatus, proptereaq; minus delirans poterat videri aliquibus melius degere, atqui dicebat Hipp. initio secundi Aphor. somnum, & vigiliam si modum excesserint, vtraq; mala esse; Cæterum dicet rursus

aliquis,

aliquis quo pacto quo febre acuta, & ardente ex iecinoris inflammatione laborabat, potuit in coma labi, quod vitij genus fit potius ab humido, & frigido. Respōdet Gal. & recte fieri coma, hoc est in somnum propensionē, vel refrigerato, vel humectato, vel simul refrigerato, atque humectato cerebro, aut ob facultatis animalis imbecillitatē. Humectato à pituita cerebro fieri nō potuisse ex ipsius febris natura vere probat. Cæterum vtrum ex perfrigeratione an ex imbecillitate facultatis id proficisceretur, indeterminatū omisit, vnde alij interpretes dixerunt tum lāguore caloris natiui, id est frigore, tum imbecillitate facultatis id Hermocrati obtigisse. Verum neq; ego intueri possum, quo pacto coma potuerit ex his exitiosissimis caussis oriri, in eo qui cæteroqui deterius non habebat; imo in decimaquarta fuit absq; febre, vt videbimus, dormiuit, atq; mente constitit. Itaq; potius mihi dicendum videtur, vel coma Hermocratis haudquaquam fuisse soporosum, sed potius vigil, in quo scil. oculos quidem clausos tenebat, verum nō dormiebat, atq; rem ita sese habuisse videntur subsequentia verba decimæquartæ diei significare, in qua ait Hipp. ipsum dorminisse quasi vero ante nō dormiret, sed clausis oculis vigilaret. Fieri aūt huiusmodi coma, vel à frigidis succis putrescentibus, ac propterea acrioribus redditis, vel à biliosis, & pituitosis simul mixtis demonstrauit Gal. in libello illo de Comate, quem millies ipsemet citat; demonstraturusq; est adhuc sæpius in hoc eodē libro: quod vero in Hemocrate fuerint simul & biliosi, & pituitosi succi indicarunt satis vrinæ crassæ, fœces exustæ, lingua arida, imo vero tota ipsa morbi idea, vel dici potest cerebrū vt ait Hippoctates lib. de Gland. esse arcem, & metropolim humidi frigidi viscidi propterea in eo semper aliquid tale esse quod interdum à feruidis vaporibus eliquatum, & per cerebrum fusum illud irrigans propensionem saltem in somnum facit. Circa secundum dicendum est vere per se vrinas potius in fundo, quam in summo crassitiem præseferre, sed per accidens potest secus esse scilicet ob flatum, qui sicut in musto eleuat fœces, ac racemos quæ sunt partes grauiores, easq; ex superficie retinet, in fundo vero permanet liquor nempe leuior, haud secus in vrina spiritus contentus partes crassiores subleuans in summo eas continet, quod etiam poterat indicium esse aliquas partes crassiores, & crudas à vaporibus, & flatu in caput tolli, nec non biliosis, & acrioribus succis commixtas coma vigil, quemadmodum dixi, producere. Sequuntur QVARTÆ DECIMÆ diei symptomata priusquā examinare aggrediar, illud notare debetis, quod etiā ab aliis adnotatūm obseruaui, nempe Hippocratem in rebus præsentis ægrotantis enarrandis haud singulos dies separatim fuisse prosecutum, veluti in aliis plerisq; fecit, sed per quaterniones enumerasse præter quam quod à quarta vsque ad septimam singulos recensuit, & caussa fuit, quoniam in quarta vsque ad septimam morbus maiori celeritate ferebatur, quam celeritatem cum ex parte deposuisset post septimam, factum est, vt singulis quaternionibus tantum notabiles mutationes habuerit, quæ post modum aliarum mutationum succedentium fuerunt indicatrices; & Hipp. tertio Prog. septimo scribit in morbis acutis, qui futuri sunt productiores, cum habeant principia similia, difficile esse euentum prædicere, & iccirco spectandos esse singulos quaterniones, in quibus mutationes factæ docere possunt futuros successus. Igitur DECIMAQVARTA. air Hippocrates Hermocratem fuisse liberum, non sudasse, dormiuisse omnia mente comprehendisse atque vrinas easdem habuisse Quod spectat ad febrem, mirum videtur quomodo potuerit abiisse perdurante iecinoris inflammatione, nisi dicamus hac die cœpisse etiam inflammationē dolose remitti, cum coqui, & maturari non posset ac propterea febre quoq; remissam dedisse infebricitationis quandā speciem. Gal. multa hic dicit in ostendendo fallaciā morbi, qui sæpe videtur desinere, cum tamē adhuc ferociat, sicq; ignaros medicos fallat, & certe illud vetissime dicit, q. etiam alias ex Hipp. proposui, nempe non esse fidendū, neq; morbis, neq; symptomatibus absq; signo & absq; ratione desinentib. quoniam frequenter reuertuntur, & interdum etiam exitium afferunt; quando, scilicet natura præ imbecillitate pugnam cum morbo dimittit; sic enim in tumori-

bus inflammatoriis fit, vt cum natura concoquere, & maturare eas nequit, cessent illi dolores, & febres, quas alioquin dixit Hip. maturationẽ comitari; id quod Hermocrati contigisse verisimile est. Cæterum iure quæritur à nonnullis cur Hippoc. memorauerit, quæ nõ acciderunt, & cur potissimum sudorem; nam videtur superuacaneum, cum infinita potuerint non accidere, ea velle recensere, maxime quod nihil agant, nec indicent. Sed nec Hipp. hoc absq; ratione fecit, quia cum docere vellet illam febrem non vere fuisse solutam, nec critice licet in die decretoria, subiungit caussam, scilicet omnis euacuationis carentiam, quasi dicat quia potuit illa febris esse soluta vere, quæ nullã euacuationem secuta est? Quod porro sudoris nomine intelligat alias quoq; euacuationes elate ex eo colligi potest, quod febres ardentes, cuiusmodi sunt inflammationum, viscerum sequaces potissimũ sudore solent finiri, vnde eo non existente non verisimile est vllas alias euacuationes criticas affuisse, maxime quod vrinæ similes essent, hoc est absq; coctionis signis: Sed si dolosa erat febris decessio, cur igitur dormiuit? cur mente cõstabat? Dormiuit quia qui antea erat sopor seu coma vigil cõsumptis vaporibus acrioribus, & calidioribus remanserunt frigidiores succi; qui nihilo magis tutum morbum reddiderunt, & si effecerint vt dormiret, quã similiter ratione fiebat, vt desisteret delirium, nempe q; soboles est materiæ calidæ; & certe propter tres caussas possunt, qui pessime habẽt, videri meliusculi, vel quia facultas sit emortua, vt in membro post inflammationẽ grangræniato, in quo cessante coctione ob caloris mortificationẽ cessant symptomata; vel quia excrementa non amplius agitantur ob naturalis facultatis imbecillitatem, ob quod cum non occurrunt nouis partibus; quas prius possidebant consuetudine insensibiles faciunt, sicq; contingit tẽpore leniri dolores, vel quia extremos conatus faciente natura excrementa à partibus nobilioribus, & sensibiliorib. ad minus nobiles, & sensibiles pellit q; fuisse in Hermocrate dicunt aliqui. Verum ipse secus sentio, cum hoc in valde proximis morti fiat. Hermocrates aũt post quatuordecim vixerit adhuc tredecim diebus; vnde potius fuit ratio, quã ante attuli, scilicet quod natura non moueret vapores acres, & calidos, sed quasi quiesceret paulisper. Vtrum autem in hac specie remissionis morbi vires essent validæ ex quarum & morbi comparatione certũ fieri potest futuri euentus iudicium, vt secundo Progn. perhibent Hipp. & Gal. haudquaquam è verbis Hippocratis colligi potest, quoniam vt ait Galenus hoc in loco Hippoc. nullam facit vnquam pulsus mentionem, qui certissimum est virium indicium.

Decimaseptima. Post decimamquartã proximus quaternatius est decimusseptimus in quo iterum vis morbi inualuit, q; scilicet permanente inflammatione iterũ succi, & vapores feruidi cumulati, partim cor petierint, vnde febris acuta, & valida successit, quæ sequentib. quoq; diebus durauit, partim in caput rapti deliriũ renouarint, propter eaq; vrinæ tenues sicut antea remanserint, nimirum biliosa, & feruida materia à viis vrinæ alio abducta. Sed dicet aliquis cum in decimaquarta fuerint bona satis signa, & in decimaseptima nihilo deteriora, quã prius secuta sint, erat ne timendum magis an sperandum? Respondetur signa duplicia esse, vt sæpe docui, alia coctionis, alia salutis, & mortis; quod ad hæc postrema non erant admodum exitiosa, & propterea quantũ esset ex ipsis nihil magis erat metuendũ, quam antea; quod verò ad signa coctionis, existentibus vrinis tenuibus proptereaq; cruditatem ostendentibus, erat formidandũ ne vires in tanta morbi vi vsq; ad concoctionem possent perdurare, quemadmodum Hipp. docuit secundo Progn. tex. 31.

Vigesima die ait Hippocrates iterum esse iudicatum, atq; à febre liberum euasisse, nec tamen sudasse. Et certe hæc etiam fuit fallax iudicatio nempe quæ citra vllum signum vllamq; euacuationem facta est; nec potuit alia esse caussa quam quod materiam impræparatam vis debilis nequibat propellere, propterea que in quiete permanens vapores ad faciendam febrem, atque delirium minime mittebat. Nisi tamen dicamus dictionem illam ἐκρίθη ἄπυρος ita esse accipiendam, perinde ac dicat ipsum fuisse à febre liberum iudicatum, scilicet à medicis, vel astantibus;

tibus; sed cibum abhorrebat: id q; tribus de caussis fieri potuit, vel propter vitiosos humores os ventriculi contaminantes; vel quia facultas appetitrix esset emortua, vel propter mentis laborem. Galenus existimat Hermocratem à cibo abhorruisse propter facultatis debilitatem. Ego vero potius puto propter vitiosos humores; quia Hippocrates in fine historiæ, dixit Hermocratem laborasse inappetentia toto morbi tempore, in quo non est dicendum facultatem fuisse semper languidam. Loqui etiam nequibat, quia lingua arida, haudquaquam à prostrata virtute mouebatur; sicut ipsa sitis & siccitas minime percipiebatur ab eo, quamuis iure adesset, vt ob hoc etiam nequeunte ipso ægro vigilare quædam somni imago, & comatis à frigore, seu caloris defectu inducti appareret. Etenim quod dicit Galenus verissimum est, cuncta quæ apparuerunt, fuisse emorientis vitalis, addo & animalis facultatis indicia, quemadmodum quoq; valde rationi consonum est, ipsum tandem in marasmum torridum decidisse, vt solent pleriq; qui ardentibus febribus, & viscerum inflammationibus tentantur, VIGESIMAQVARTA. De vigesimaquarta die dicit Hippocrates incaluisse, hoc est febrem, quæ vigesima fuerat soluta, reuertisse, putat Gale. hac die factam esse nouam ex putrescentibus succis febrem, quæ ipsum peremerit vigesimaseptima, & certe necesse est ita existimare permanente inflammatione; atqui quomodo ergo potuit laborare marcore torrido, vt ait ipse, si febris noua ipsum quatuor diebus extinxit priusquam sine febre fuit; nisi dicamus iam pene consumptum fuisse in vigesima & post ab anteacto morbo, ac propterea consumpto corpore febrem nouam accedentem validam vigesimaquarta ex residuo humorũ putrescente potuisse ipsum in marcorem iam inchoatũ præcipitare; atq; superueniẽte fluxu alui, & linguæ maiori siccitate fuisse extinctũ vigesimaseptima, nam dicebat Hipp. in Aph. à tabe habitum cito perire si alui fluxus ipsis contingat: sed forsan melius est statuere si periit marasmo, nõ quidem torrido periisse, sed illo qui fit ob cibi indigentiam; de quo ipsemet Galenus loquitur primo cap. libri de marc. atq; in hac sententia magis confirmor, quod prope mortem bis fuit sine febre. Atque hæc est tota Hermocratis ab Hippocrate proposita historia, in fine cuius præter notas quasdam appositas tria de ipso dicit, scilicet perpetuo obsurduisse, vrinas modo crassas, & rubentes, non subsidentes hoc est turbidas, nec clarescentes, modo tenues, & decolores cum enæoremate habuisse, nec quicquam gustare potuisse. De surditate cum à duabus fiat caussis, vel propter humores crassos impactos in aurium ductibus; vel propter vapores crassos à partibus inferni suppeditatos, existimandum est, eam factam esse propter humorẽ aliquem impactum auribus, eo quod continuo Hermocratem afflixit. Cur autem nil gustare potuerit, puto duas extitisse caussas, vnam quod lingua etiã ab initio sibi fuit combusta; esse vero linguam gustus sensorium nemo dubitat, vt ipsa vehementer læsa, necessario gustus mirum in modum offendatur; alteram, quod os ventriculi ob viciniam inflammati visceris perpetuã intemperie fuerit corruptum; imo vero etiã humorũ. & vaporum tetra putredine vitiatum. Sed cur repetit hoc cum etiam dixerit vigesima fuisse ἀπόσιτον nam videtur inutilis, & superuacanea repetitio: nisi tamen dicamus apud Hippocratem in hac historia diuersa esse ἀπόσιτον & non, gustare cibũ, nam in illa vt dicit Galenus primo in primum Epid. tex. 29. cibus auersatur, & non sumitur, nec gustatur, quod factum est vigesima die, in hoc sumitur, sed absq; gustu, & delectatione; vnde corpus consumitur, vt contigit Hermocrati quemadmodum etiam tertio in tertium huius dicet Galenus vt & hinc nonnullis vsque adeo fuisse adeo violatum ventriculum à pestilenti putredine, vt potius eligerent mori, quam cibum sumere. Etenim vbi iecur valde afficitur, tota vegetatrix facultas, quę in ipso collocatur, insignem perniciem subit, ac consequenter appetitus emoritur. Miratur Gal. cur Hippocrates in fine rememorans, quæ Hermocrati contigerint, haud mentionem facit icteritiæ, & respondens dicit, tanquam rem clarã omisisse, siquidem cum nec sudor, nec vlla bilis euacuatio superuenerit, consonum videtur nõ potuisse eum affectum finiri. Sed pace Galeni, haud placet mihi eius responsio, quoniam

quoniam falsum est nullam Hermocratē habuisse euacuationem, quandoquidem vigesimaquarta die aluus fudit tenuia, preterquam quod sępe videmus regiū morbum spōte abscedere absq; vlla euacuatione sensibili, scilicet ichore illo bilioso insensibiliter dissipato. Quare satius est dicere, ppterea siluisse Hippocratē, ictèritiā, quomā non fuit Hermocrati perpetua, nec ab initio, sed tantummodo post sextam diem; repetebat autē duntaxat, quæ à principio vsq; ad finem perdurarunt, nempe surditatem, vrinæ varietatem, & gustus amissionem. Cæterum de notis, eas interpretatur Galenus quasi dicere voluerit Hippoc. probabile esse deiectionibus suppressis vigesimaseptima fuisse mortuū; atqui dubito vehementer de veritate; quoniam si marasmo torrido mortuus est, vt antea dixit Gal. in hoc morbo alui fluxus succedens, vt fere semper solet eliquatis, scil. carne, & pinguedine cito ægros perimit, priusquā possit detinere, atq; hoc est q; dicebamus antea ex Hipp. 5. Aphor. 14. profluuium alui superueniens tabidis proximam mortem significare, tanquā causam, & tanquam signum. Accedit & illud, quod nonnulli dicunt Hippocratem nō consueuisse notis quicquā aliud significare, quam q; in narratione historiæ dictum fuit, in historia vero de suppressa aluo nil dixit: vnde q; aliqui interpretes veteres, & recentiores probant, magis mihi placet, vt notam, Ε, interpretemur non ἐπισχεθέντων seu suppressis, sed ἰόντων, id est, exeuntibus, sic enim & Hippocratis orationi, & veritati consona dicemus: Hippocrati cōsona, quia primo Prot. 31. huius pene casus totam seriem breuiter, & dogmata repetit; ibiq; alui fluentis mentionem facit, qua dicit Hermippum obiisse, & forsan aut hic Hermippus, aut ibi Hermocrates legendus est. Sed illud vitium adscribit Galenus authori Protr. vt ex vno, vel altero exemplo incertos aphorismos cōstituat. Iam vero de curatione, quæ potuerit huic morbo accommodari, pauca quædam adiiciam; & primum à morbo, qui fuit iecinoris inflammatio indicationes hauriēdæ, quæ cum sit intemperies cum materia, seu morbus in intemperie in compositione vitiata, & continui solutione, indicatur vt intemperies corrigatur, aucta magnitudo tollatur, eiusq; incrementum prohibeatur, necnon vnitatis solutio curetur. Pro quibus scopis attingendis rationi consentaneum est primum viuendi tenuem, & exquisitam rationem fuisse institutam, scilicet abstinentiam vini ptisanæ cremorem. Forsan aliquis decimaquarta die, aut paulo post quando à febre visus est liberatus, & vinū indulsisset, & victū pleniorem; atqui medicus prudens, & peritus id minime debebat facere, quod Hipp. secundo acut. monuerit haudquaquam victum mutandum, nisi postridie à iudicatione, vt scilicet certo cognoscatur an crisis bona, vel mala fuerit; cum enim dicat Hipp. circa diem decimamseptimā rediisse morbū, par est existimare paulo post decimamquartam præludia reuersionis comparuisse, quæ potuerint medicum solerte commonefacere haud fuisse verā crisin; ac propterea minime victū fuisse mutandum, vel saltem paruam mutationem acuti edurante, imo etiam crescente fuisse faciendam. Sed cum perpetuo fuerit sine gustu, quid verisimile est fuisse actum; aut quid erat agendum. Certe cum indicatio vitalis omnium maxime referat, debuisset medicus omnia agere vt cibum sumeret, gustui etiam aliquid preter rationem concedere iuxta id Hippocratis secundo Apho. paulo deterior cibus, aut potus, suauior autem &c. Hac etiam ratione fuisset extrinsecus ori ventriculi subueniendum, & linguam emolliendam, & humectandā muccillaginibus, vel aliis ingeniis. Medici Arabes, & Corn. Cels. in his casibus dicunt esse nutriendos ægros per clysteres ex contusa carne, & ouis, & iuribus optimis comparatos, qui nō statim reddi debent; vnde sine sale cōficiendi sunt, ac tepidi iniiciendi. Arabes etiam faciunt balnea ex vino, & iuribus, natura enim per arterias tunc attrahit alimentum. De sanguinis missione haudquaquam dubitare oportet si Hippocrates statim, vel quispiam alius grauis medicus fuit accitus, quia præ euacuatis clystere intestinis secuerit ptimum basilicam, seu internā cubiti dextri, vel sinistri; deinde iecorariā; ita enim postulabat dexteri hypochondrij affectus, atq; adeo ipsius iecinoris inflammatio vt statim sanguis, nec exiguus mitteretur, quo facto fuisset illinendū iecori oleum rosaceum

cum

cum succo cichorij, vel hepaticæ, & ceræ modico, sic quoq; & auribus potuisset instillari propter illam perennem surditatem oleum ex amygdalis amaris, irinum, & laurinum; & quia vrinæ fuerunt perpetuo crudæ omni industria coctioni humorum fuisset studendú, ita vt simul etiam haberetur magna ratio iecinoris flagrantis, quod dicebat Gal. ob suæ substantiæ naturá moderatis emollientibus indigere, decoctum cichor. filicis ad iecur siue calefactione deobstruendum, valde potest postularum similiter quas ait Gal. loco citato modice adstringere, & secundú totam substantiá ipsi visceri familiares, & proprias esse; hepaticæ, agrimonij decoctú fuisset in id accommodatú, & quæcumq; alia auxilia ad laborantes inflammatione iecinoris sunt à veteribus proposita. Hepar lupinum proprietate cunctis affectibus iecinoris cōuenire videtur credidisse Asclepiades apud Galenum octauo de Med. loc. ca. octauo, at ipsemet Galenus alibi dixit se eius remedij nullum certum experimentum habuisse. De aluo soluenda nulla erat habenda sollicitudo.

HISTORIA DECIMASEPTIMA.



Vi decumbebat in Dealcis horto capitis grauitatem, & tempus dextrū dolorosum habuit tempore multo, cum occasione vero febris magna corripuit; decubuit; SECVNDA *ex sinistra paucus, sincerus effluebat sanguis: ab aluo autē stercora honeste prodierunt: vrinæ tenues, variæ, enæorema habentes, minutum, instar farinæ semen genitale referentis.* TERTIA *febris acuta; deiectiones nigræ, tenues, spumosæ: subsidentia liuida deiectionibus: subsoporata est: moleste habebat circa exsurrectionem: vrinis sedimentū liuidum subuiscidum.* QVARTA *vomuit biliosa, flaua, pauca, intermittens parum, virulenta, ex sinistra paucus, sincerus effluxit: deiectiones similes, vrinæ similes: supersudauit circa caput, & claviculam lien intumuit: femoris dolor secundum rectitudinem; hypochondrij dexteri contensio submollis; nocte non dormiuit, delirauit parum:* QVINTA *deiectiones plures, nigræ, spumosæ: subsidentia nigra deiectionibus, nocte non dormiuit, delirauit.* SEXTA *deiectiones nigræ, pingues, viscidæ, fœtentes, dormiuit: intelligebat magis.* SEPTIMA *lingua præarida, siticulosus, non dormiuit: delirauit, vrinæ tenues, nō boni coloris.* OCTAVA *deiectiones nigræ paucæ, compactæ, dormiuit, mente constitit: siticulosus non valde.* NONA *superriguit; febris acuta, sudauit: refrigeratio: delirauit: dextro oculo peruersus est.* DECIMA *circa eadem.* VNDECIMA *intelligebat per totum omnia sine febre, dormiuit: vrinæ tenues circa iudicationem: duobus diebus intermisit sine febre: rediit* DECIMAQVARTA, *deinde vero nocte nō dormiuit. omnino delirauit.* DECIMAQVINTA *vrina turbida, qualis eorum quæ cum subsiderunt, conturbantur: febris acuta: omnino delirauit: non dormiuit, genua, & tibias dolentes habuit: ab aluo autem glande apposita, nigra stercora exierunt.* DECIMASEXTA *vrinæ tenues: habebant autem enæorema nubilosum. delirauit* DECIMASEPTIMA *mane extrema frigida, contegebatur, febris acuta: sudauit per totum: alleuiatus est; sapiebat magis, non absq; febre: siticulosus, vomuit biliosa, flaua, exigua; ab aluo autem stercora prodierunt; paulo post vero, nigra, pauca, tenuia, vrinæ tenues, non boni coloris.* DECIMAOCTAVA *non constabat mente, comatosus.* DECIMANONA *per eadem. vrinæ tenues.* VIGESIMA *dormiuit; intelligebat omnia: sudauit absq; febre, non sitiuit, vrinæ vero tenues.* VIGESIMAPRIMA *parum delirauit; subsitiuit, hypochondrij dolor, & circa vmbilicum palpitatio vsq; in finem:* VIGESIMAQVARTA *vrinis sedimentum, intelligebat omnia.* VIGESIMASEPTIMA *coxæ dextræ dolor: vrinæ tenues, & habebant sedimentum; alia autem habuit placidissima; circa vero* VIGESIMAMNONAM *oculi dextri dolor, vrinæ tenues;* QVADRAGESIMA *secessit, alba subcopiosa: sudauit multo per totum, perfecte iudicatus est.*



VI IN DEALCIS decumbebat horto. Præsentis ægroti nomen proprium non apponit Hippocrates, sed tantum habitationis, vel quod ignorauerit, vel quod ignobilis admodum esset; quod enim Hippocrates nomina propria eorum quos curabat ignoret, haud mihi videtur eius humanitatē, & diligentiam

tiam decuisse; siquidem id in primis videntur ciuiles, & humani mores postulare, vt cum quibus versamur, sicut faciunt medici cum ęgris, in primis nomina propria dicamus, eo magis, quod ab Arist. proditum est secundo, Rhet. cap. de ira, homines irasci contra eos, qui ipsorum nomina ignorant quasi non curari sese ab iis, sed contemni ex eiusmodi ignoratione colligant; Quod etiam Hippocrates hæc scripserit ex aliorum relatione nec affuerit curationi nunquam credam, quia vt videbitur, nulla forsan habetur his libris historia, in qua enarranda sit maiori diligentia, & iudicio vsus. quam in hac, quare tacuit forsan nomen, quia ex sola habitatione celebri poterat facile sciri, quis esset. Sabinus vt Galenus testatur, existimauit Hippocratem proposuisse habitationē statim, quasi hæc fuerit occasio saltem morbi, nempe esum herbarum, & fructuum, quibus large vesci consueuerunt illi, qui habitant in hortis huiuscemodi rebus abundantibus, qualem fuisse Dealcis hortū verosimile est; nam narrat Laertius in vita Heracliti eum incidisse in hydropem ob herbacea edulia, quibus fuerit antea diu vsus, & Gal. secundo de Alim. fac. cap. de cucum. scripsit abstinendum esse ab huiusmodi eduliis, quod ex iis paullatim colligātur mali succi, qui deinde, oblata vel minima occasione, febres malignas pariūt. Addit Sabinus ad herbas edendas haudquaquā natum esse hominem; q̄ in natura corrupta, & post diluuiū forsan verum est, atqui ante diluuiū omnes à carnibus abstinebant, terreq; fructibus vescebantur, qui nondū corrupta terra, & iucundissimi, & ad alendū potentissimi erant; vt ob hoc Plut. in orationibus de abstinentia carniū valde improbarit esum carniū & extulerit fructus terræ, q̄ pariter à Porphyrio traditum est in li. de Abst. ab animalib. Atqui hæc pro Sabini interpretatione, quam Gal. tribus rationibus confutare laborauit, quas nō ingratum erit expendere postquam & ipsemet interdum in huiusmodi rebus non multum ad artē pertinentibus vagatus est; Prima ratio fuit, quod Hipp. non dixerit hunc ægrū habitasse, sed decubuisse in hortis Dealcis, quasi potuerit, vt faciunt aliqui dum ægrotare cœpit, aut paulo ante sese à propria habitatione ad hortos transferre, maioris amœnitatis gratia. Non diffiteor sane id q̄ Gal. dicit potuisse contingere, attamen verisimilius videtur etiam eos hortos incoluisse, postquā ex narratis patet ibi cœpisse ægrotare, & Hipp. alias consueuit per decubitum intelligere incolatum, seu habitationē. Secunda ratio fuit, etiamsi velimus ipsum habitasse in hortis, haud necessum fuisse vt iis vesceretur, quemadmodum habitantes prope macellum vbi veneunt carnes caprillæ, & onillæ, eam deuorare minime sequitur, vt faciunt athletæ. Sed & hæc ratio satis friuola est, sicut nec necessitas in Sabini expositione reperitur; solent tamen plerumq; ij, qui in hortis perpetuo versantur, faciliter capi delectatione fructuum, & herbarum, vt Adamum in Paradiso positum fructus vetiti delectatione captum voluisse illum edere narrat Moyses. Tertia ratio fuit aerem hortorum potius damnandum esse, quam commendandum, tum ob latrinas, quæ in eos repurgantur variumq; fœtorem inducunt, tum quia ibi sæpe sunt arbores, quorum vel vmbræ corporibus humanis noxiæ sunt, vt brassica, caria, & buxus. Quod pertinet ad primam, tertiæ rationis partem, forsan ætate atque in regionibus ipsius Galeni cloacæ in hortis expurgabantur, vt ij stercorarentur, atqui nec tunc fiebat in cunctis, & nunc in paucis obseruatur, imo vero solent pleriq; id cauere, vt omnes lacunæ & sordities ab hortis arceantur, ac mundities semper insit, quod multo magis facere student, ij qui hortorū habitationibus oblectantur, & nec Hippocrates nec Vitruuius nec Columella, nec Oribasius, qui de habitationū salubritate sunt locuti, viridaria hac ratione improbasse cōperiuntur. De altera parte rationis tertię cur brassicarum aerem damnet Gal. non satis video, de cuius laudibus volumen integrum edidisse Chrysippum medicum, Pythagoramq;, & Catonem non parcius celebrasse perhibuit Plin. lib. 20. cap. 9. vbi licet dicat eam vitibus & vino proprietate quadam esse inimicā, haud tamen dicit locos, vbi seritur, ita insalubres esse. De carea sciendum est Græce legendum esse καρύας, id est, nucis, de qua loquens Plutar. tertio symp. quæst. prima scribit veteres vocasse nucem καρύαν, quod spiritū quendam gra-

dam grauem, ac soporosum inducat, sicq; lædat illos, qui sub ipsa recumbunt, vt ob hoc vel morbus κάρος, id est, sopor ab arbore, vel arbor à morbo sumpserit appellationem, sic etiam dixit vocatum esse narcissum ἀπὸ τῆς νάρκης, id est, à torpore, quod neruos lædat, & dormientes sub ipsa torpore tenteantur, vt ob id Sophocles vocarit Narcissum veterum magnorũ Deorum, id est, manium coronam. Idem etiam de buxo vere proditur arborem esse funestam. Sed hæc omnia intelligenda sunt de iis, qui motantur, ac dormiunt sub iis non autem quod aer totus hortorum ab ipsis contaminetur; quamquam qui student faciendæ hortorum salubritati huiusmodi herbas & arbores fugere consueuerunt. Sed de his hactenus non inutiliter forsan licet præter rem à Galeno prouocati diximus. Nunc narrationem Historiæ aggredior. Præsens commemoratus æger cum diu capitis grauitate, atque dexteri temporis dolore fuisset tentatus randem igne, id est, febre magna captus decubuit. Certe pleriq; non solent ob simplicem capitis dolorẽ, imo vero nec ob quamlibet febrem, sed tantum ob grauem decumbere; quod forsan hic multo magis fecit, quia plebeius erat, & forte colendis hortis deditus, cuiusmodi viri solent initio semper quoslibet morbos negligere, vt ob id Plato in libro de Repubḷ. Herodicum medicum criminatus est, qui diæteticam medicinam artificibus, & egenis inutilem nimis exercuerit. Quemadmodum ergo solent morbi initio spreti tandem augeri, & in magnos euadere, sic proposito ægro contigit, vt contemnens dolorem temporis dexteri, & capitis grauitatem in magnam febrem tandem inciderit: quomodo autem hoc factum sit, sic ego sentio hunc virum iocinore calido præditum natura fuisse, propterea; dextetum tempus dolore potissimum fuisse tentatum, quod externa occasione, scilicet labore, & esu prauorum eduliorum, vt alliorum, ceparum, raphanorum, ac similium in hortis nascentium indies magis auctus sit calor, ob quem in capite, & præsertim dextera parte grauitatem, & dolorem habuerit. Cum autem dicat Galenus secundo de Med. loc. primo, dolorem capitis fieri posse triplici de caussa, vel ab intemperie cum materia, vel à pura intemperie, vel à pura materia dolor huius viri erat à sola materia, id q; ex grauitate capitis facile cõiici licet, tum etiam quia dolor non erat magnus: quod necessariũ fuisset, si cum intemperie fuisset. Erat autem ista materia pituitosa, & melancholica, vt indicauit diuturnitas, sopor, & stilla à nare dextra. Crescente vero calore, & bile febri magnæ fuit data occasio: nam vt ait Hippocrates quarto de Morb. & Galenus secundo de Alim. fac. cap. de cucum, morbi haud statim gignuntur, sed paulatim, & negligentia concepti, coaliti, & aucti affatim erumpunt. Et propterea sapiẽter dicit Galen. potuisse hunc ægrotantẽ sese tueri à morbo, si statim atq; sensit dolorem, & grauitatem capitis permanere, & crescere, medicum asciuisset, atque sese ipsi curandum obtulisset, in eo enim tota vis præseruatricis facultatis est collocata, vt ilico nascenti morbo occurratur, cuius vires adhuc imbecillæ non multo negotio franguntur, sicuti difficiliores sunt superatu, postquam incrementum aliquod effatu dignum susceperint. Circa hanc particulam (occasio) Galenus in commen. & primo Epid. commen. primo, tex. decimo: dicit tria significare apud Hippocratem vel caussas spurias, vel euidentes, cuiusmodi sunt sex res non naturales, vel omnem caussam in vniuersum tam externam, quam internam: dicit igitur Galenus Hippocratem accipere occasionem pro caussa externa, quæ, scilicet fuit ille labor, & error in victu, vt dictum est.

Itaque PRIMA DIE id fuit obseruandum, quod febris magna suborta est, quam existimandum est prima die fuisse diariam, cum constitutum sit eam à caussa externa occasionem habuisse, sed crescente calore in putridam versam esse, sicuti sæpe fit.

At SECVNDA comparuerunt symptomata tantummodo ad mutatum exiens pertinentia, nimirum à sinistra nare modicus sanguis profluxit merus, aluus stercora recte deiecit, & vrinæ tenues cum variis enæorematibus dispersis, ac veluti farinæ crassiores genituræ similes. Cæterũ ante alia dubitabit aliquis, quomodo po-

 tuerit

tuerit febris magna cum sanguinis stilla, & vrinis prauis, esse absq; aliis symptomatibus præsertim capitis iam antea affecti; etsi affuerint alia symptomata, cur Hipp. hæc tantummodo retulerit: Cui respondeo, dolorem quidem, & capitis grauitatē perdurasse, & forsan etiam creuisse sitim, & aliquam inquietudinem adfuisse, verū nil vsq; adeo memoratu dignum contigisse, quemadmodum tria proposita, & primum, quod ad sanguinis fluxum è nare sinistra pertinet: mirum sane videri posset iecinore potissimum flagrante parteq; capitis dextera antea dolente non fluxisse potius sanguinem à dextera, quam à sinistra nare: quam mirandi occasionem vidit quidem Galen. sed ei satisfacere vel neglexit, vel impetu scribendi oblitus est. Ego vero puto id contigisse, quoniam simul cum iocinore lien quoq; fuerit affectus, & incensus: vnde sanguis niger quem dicit Galen. frequenter nomine meri significari à natura sursum ꝓpulsus per locum directum: nempe sinistram narem prodiit, sed exiguus ob crassitiem, merito cuius detinebatur, quominus efflueret copiosus: neq; mirandum est potissimum, sanguinē alioquin crassum in partes supernas fuisse sublatum, quod antea caput esset affectum, & occasione insolatus in horto vel laboris adhuc magis incaluerit, proptereaq; & ad trahendum, & ad recipiendum fuerit paratissimum dicente præsertim Hippo. in Aphor. in ea parte solere morbū decumbere, quæ ptius laborauerit. Sed ad quid Hippocr. addit aluum recte stercora deiecisse, nam hoc est quid naturale, non morbosum, nec symptomaticum, vt propterea non debuerit referre cum accidentia tantum morbi narrare proposuerit; nisi dicamus id tanquam mirum quid retulisse, scilicet quod in magna febre, aluus naturalem deiectionem seruauerit, secus quam & vsus, & ratio postulant. De vrinis tres differentias commemorat tenuitatem, suspensiones dispersas minutim, necnon farinam crassiorem genituram æmulantem referentes: Tenuitatem vrinę materiæ cruditas efficiebat, suspēsiones similiter crudam, & flatulentam materiam arguebant, quæ tamen varia erat, & cum combureretur à febrili calore, non modo minutim sparsa erat, verum etiam crassioris farinę, & seminis imaginem quandam repræsentabat, ac propterea mala erat, siquidem Hippocrates huiusmodi vrinæ genera in Prog. & in Coac. valde damnabat: præclare Galenus quarto Aphoris. 77. scribit vrinas farinaceas si cum vrina tenui fiant, è venis prodire: sin cum crassa vitium aut renum, aut vesicæ monstrare.

Tertia die dicit febrem acutam fuisse, non quod etiam prioribus diebus non foret acuta, quando prima die dixit inuasisse febrem magnam, sed quod esset acuta: sic enim consueuit Hippocrates sæpenumero loqui, vt cum velit dicere acutam febrem, dicat ipsam fuisse acutam; quod autem deiectiones fierent nigræ, tenues, & spumosæ, quæq; in ipsis residebant essent liuida, minime mirum erat, cum ab ingenti æstu cuncta illa fierent, perinde atque vrinæ subsidentia liuida, & subuiscida; at quod simul Caro, & ad surgendum imbecillitate tentaretur, quæ symptomata frigidos morbos comitari solent, maiori admiratione dignum est. Atqui neque hoc absq; caussa, & ratione efficiebatur: etenim diuturnus capitis affectus, qui morbum antecesserat necessario humores frigidos, vt solent omnes vetusti morbi peperit, qui humores donec non admodum incaluerunt nec putredinem conceperunt solam grauitatem in capite fecerunt, postquam autem calor febrilis totius corporis cœpit etiam in caput redundare, pituita putrescens, & consequenter eliquata, cœpit cerebrum irrigare, ex quo secutus est veternus, in quo solet præ cæteris fieri impotentia quædam mouendi corpus, non quia nerui, ac tendines irrigantur, nec possunt firmitate motrici facultati famulari, tum quia principium neruorum pituitoso humore crassefactum haudquaquam facultatis motricis illustrationem admittit, ac transire liberam permittit.

Quarta die complura alia symptomata apparuerunt, quæ omnia dicit Gal. mala fuisse præter lienis tumorem, & sinistri femoris abscessum, quæq; iure debuissent quemlibet versatissimum medicum perterrefacere, ni vires ægrotantis, vt par est

par est existimare fuissent robustissimę. Iam vero symptomata fuerūt omnis generis, & primum quoad actiones læsas animales, nocte non dormiuit, & aliquantulū delirauit quoad excreta mutata è nare sinistra aliquantulū sanguinis meri effluxit, vomuit pauca primum biliosa flaua deinde virulenta aluus eadem quæ prius fudit, & vrinæ similes prioribus exierunt, sudor fuit circa caput, & clauiculas: quod ad qualitates mutatas, lien intumuit fœmur sinistrum doluit, & hypochondrium dexterum submolliter intendebatur. De his omnibus antecedentibus, & consequētibus, cur adeo pauca dixerit Galenus haud satis video. Studebo tamen ipse vbi defecit is, aliqua nec pœnitenda supplere; si prius dixero cur ipsemet Galenus dicat cætera symptomata quartæ diei fuisse mala præter lienis, & sinistri cruris abscessum: nam videtur, & id ipsum haudquaquam fuisse bonum, quod nil decretorium in materiæ cruditate, & absq; vllis coctionis signis vnquā probetur; nisi dicamus propter tres caussas nō fuisse malum huiusmodi abscessum, vnā quia erat in parte inferna, atque infra morbum. Alteram, quia erat in viscere, & parte ignobilibus. Tertiam, quia sic materia, quæ alioquin magno impetu sursum esset sublata alio abducebatur: vnde licet non esset huiusmodi abscessus toto genere bonus erat tamen valde minus malus, quam cætera symptomata. Porro vigilia, & delirium successerunt iure, quoniam cum caput antea, vt visum, vehementer fuisset passum, eo ferebatur impetus tenuiorum, acrium, & feruidorum vaporum, qui postquam pituitam ex parte consumpserunt, loco soporis, qui antecesserat, vigilia, & delirium successit; sic enim in Prorrh. dicebat Hippocrates ex lethargicis & soporosis fieri sæpe vigiles & phreneticos, sicut econuerso interdum contingit, vt phrenetici euadant lethargici. De vomitu bilioso, & virulento dicendum est magnam fuisse in hoc ægrotante humorū biliosorum & exustorum redundantiā, non tantum quod prius in ipso fuissent ii geniti, verum etiam quod quotidie ob immensum æstum totius corporis, & præsertim iocinoris, aquæ gignerentur, atqui partim ad vesicam, partim ad aluum, partim ad ventriculum effunderentur, & iure, primum flaua, deinde virulenta exibant, quoniam illa semper sunt copiosiora, & exitui paratiora, quod propter acredinem magis stimulent facultatem ventriculi ad expellendum, quam hæc. Cum autem bilis æruginosa dupliciter fiat, vel ex mixtione pituitæ & bilis atræ: vel ex combustione bilis flauæ: in hoc ægro fiebat propter vstionem. Sanguis similiter & iure è sinistra nare fluxit paucus, quoniam lien afficiebatur, sanguisq; crassior minime copiosus poterat exire, & quia quarto die exibat erat maxime damnandus secundum Hippocratem secundo Progn, sudor vero, qui fuit circa caput, & clauiculas pessimus erat, secundum regulas nobis ab Hippoc. in Progn. relictas: nam ostendebat caput maxime affici, quia vt is ait 4. Aphorism. 38. vbi sudor ibi morbus: & certe hæc omnia signa erant exitialia: verumtamen quia natura tendebat vndequaque expellere, nec vspiam deficiebat ob virium iam antea constitutum tobur, non vsq; adeo fuisset desperatum. Porro lienis tumor factus fuit, quia crassus, multus, & adustus sanguis ad eum trahebatur, & pellebatur: scimus enim illud egregium lienis munus, vt sanguinem, atque adeo ipsum iecur à crasso, ac tetro sanguine depuret, quod dum facit ipse tumet, vt ob id Hippoc. lib. de carn. necnon Plato in Timæo & Galen. sæpe dixerint dum floret lien, corpus contabescere, & econtra florente corpore lienem ipsum tabefieri: Coxæ etiam, & femoris sinistri dolor sequutus est lienis tumorem cum id sit frequentissimum, vt laborante splene, quemadmodum Hippoct. significat sexto Epidem. sectione secunda. 39. partes sinistræ infernæ maxime coafficiantur; haud secus atque patiente iocinore videmus dexteras partes tam superiores, quam inferiores compati, & certe forsan in hoc ægroto non passæ sunt partes infra iecur dexteræ, etsi ipsum intensum esset: tum quia erat cum mollitie, hoc est non valde affctū, tum quia magna pars materiæ calidioris, & acrioris in hepate genitę sursum ferebatur, vbi delirū, atq; vigilias inducebat, alia vero pars ad aluū demissa deiectiones plures nigras & spumosas reddebat, quales vna cū vigiliis, & delirio factas fuisse.

Qvinta die testatur, & quales etiam perdurasse & deteriores euasisse sexta die subiungit. Verum dubitare posset aliquis, quomodo Hippoc. loco nuper citato dicit, laborante liene partes infernas incalescere, caput vero refrigerari, videbatur igitur refrigerato cerebro potius somnum, quam vigilias & delirium induci debere. Cui respondeo hoc tunc factum fuisse nisi adfuisset iecur inflammatum, à quo postea illa gignebantur.

Sexta die inquit melius intellexisse, atq; dormiuisse, nec mirum, eo quod praui corrupti, & fœdi succi per aluum excreti abducebant secum quicquid vaporum, & humorum alias in caput sublatum illud lædebat, & propterea nec dormire, nec sapere sinebat. Sed si ita est, cur ergo in quinta die, quãdo aluus copiosa, & praua deiecit, nihilominus delirauit nec dormiuit? An quia is motus cum esset tumultuosus agitabat: qui vero factus est sexta non modo agitabat, verum etiam euacuabat, prauamq; materiam consequenter imminuebat.

Septima die. Quæ autem septima die contigerunt, hæc fuerunt, quod lingua erat arida cum siti insigni, cum delirio, & vigiliis, necnõ vrinis tenuibus, nec boni coloris. Vtrum vero aluus fluxerit, haud quicquam dicit, attamen verisimile videtur desiisse ea die fluere, quod sicuti profluẽte & octaua & sexta die dormiuit, neq; delirauit, quasi ad id cõtulerit (vt dicebã) euacuari prauos humores per ipsam aluum, pari pacto ꝓbabile est non fluxisse septima, ac propterea rursum delirasse, neq; dormiuisse. Quæ tamen omnia prædicta signa dicit Gal. fuisse fallacia, tam ꝓ morte, quam pro salute prædicenda; tũ quia haud permanebant, sed permutabantur, tũ quia nulla coctionis, neq; etiam contraria coctioni euidentia signa cõparebant. Nona, &c. Porro nona & decima successerunt aliqua noua, aliqua eiusdẽ generis. Noua, accidit refrigeratio, sudor, dexteri oculi distorsio: perseuerauit autem febris acuta delirium: vigilia, linguæ ariditas, sitis: q; enim duraret sitis, linguæ ariditas, & delirium plane in caussa erat febris vehementia, necnon alui compressio: cum enim humores combusti nõ expurgarentur per aluum, ii ad superiora cõuersi tot mala inducebãt; quod vero superuenerit rigor, seu perfrigeratio cum sudore factum est, vt optime conicit Gal. ob virium ægrotantis robur, quo natura conabatur noxios humores à venis extra venas, atq; adeo ad ipsam cutem propellere. De peruersione oculi, nil aliud dicit Galen. quam eam esse vnam ex symptomatib. quæ solent fieri ante iudicationem. Verba autem quibus Hippoc. vtitur in hoc symptomate narrando sunc hæc, δεξιῷ ἴλλωσε, vocem autem ἰλλαίνειν & ἴλλωσιν, vt Hippocraticam explicant & Galenus in linguis, & Pollux & Phauorinus, qui omnes interpretantur huiusmodi vitium esse, τῶν ὀφθαλμῶν διαστροφήν, id est, oculorũ peruersionem. Sed vti non est ita sequens affectus, sic oportet existimare aliqua peculiari ratione illud sibi contigisse, nimitũ quia ante morbũ non modo capitis grauitate diu est cõflictatus, verumetiã dexteri temporis dolore tentatus fuerat: solẽt aũt diuturni dolores capitis in cæcitatẽ finiri, & præsertim à melancholico humore, vt Hippoc. 6. Aph. 56. & in lib. de Inter. aff. & in Coac. atqui tunc promptius quãdo sedes doloris est proxima ipsis oculis, vt Hipp. 4. Aph. 37. cũ enim dolor semper attrahat, atq; oculi apti sint ad suscipiendũ, facile factũ fuit, vt humores, & vapores in caput rapti, atq; in ipsum tempus dexterũ iam pridẽ affectum nõ modo neruosi, & musculos mouentes oculũ dexterum cõuulsione, ac propterea distorsione affecerint, verumetiã ipsummet oculũ non parum turbauerint: dicebat aũt Hippoc. in lib. de Iud. q; in febre ardente si superuenerit oculi distorsio, aut cæcitas, &c. febrẽ soluit, q; non vt caussa, sed vt signũ verum esse potest. illud aũt est verissimum, & ad rẽ nostram accõmodatissimum, q; scribit Aristot. 31. Probl. 5. vbi quærens cur cœci à natiuitate non fiãt calui, dicit ideo esse, quoniam vbi in capite multa est humiditas lædit oculos, continuoq; gignendis pilis humiditatem suppeditat.

Vndecima die dicit omnino mente constitisse, quasi antea nunquam omnino constiterit; à febre fuisse liberum, necnon sudasse; attamen vrinas tenues circa iudicium habuisse, non quod prius mente constaret, quam sudaret: visus

enim est Hippocrates, vti sæpe solet hysterologia quadam: cum delirio autem credendum est alia symptomata cessasse, nominat vero Hippocrates tantummodo delirium, quasi per excellentiam comprehendens alia symptomata. Sed percunctabitur aliquis, cur Hippocrates, qui antea etiam vrinarum tenuium meminerat, voluit iterum eas repetere in enatratione symptomatum vndecimæ diei? Certe non absq; ratione, & summo iudicio id fecit: siquidem quæ antecesserunt nona & decima die, videbantur signa indicii futuri, vt sudor, refrigeratio, distorsio oculi, similiter quæ vndecima contigerunt, alioquin & ipsa decretoria die existente videntur fuisse iudicialia, vt febris abscessio, quæ etiam vsq; ad decimamquartam diem perdurauerit, delirii integra cessatio, necnon sudor: nam hæc omnia tam ante vndecimam, quam in ipsamet facta poterant polliceri firmam salutem, atq; morbi finem: verum quia coctio non aderat, sed cruditas ab vrinæ tenuitate monstrata, propterea q; morbum longum, atque recidiuum superuenturam necessario erat expectandum, cum Hippocr. in Aphorism. & secundo Epidem. scriptum reliquerit crudam materiam cum virium robore morbum longum significare, & quæ apparent sine signo coctionis infida esse, recidiuamq; promittere. Igitur ne quispiam existimaret vndecima factam esse firmam crisin, voluit addere bonis signis vrinæ tenuitatem. Id autem fuisse verum euentus probauit, quoniam DECIMAQVARTA die, in qua debuisset magis bona crisis confirmari si fuisset, febris rediit, & vna cum febre eadem pene accidentia, nimirum vigiliæ nocturnæ & delirium, quæ non ob aliud redierunt, nisi quia materia adhuc multa superetat in corpore, quæ putrescens maligno, vel saltem intenso quodam modo caput similiter lædebat, ac insomnietatem, & delirium producebat; voluit autem Hippocr. hanc recidiuam noctis indicare per delirium, & inquietudinem, quia nil est, quod euidentius nocte molestiam significet ac ista duo, quia nox est dicata quieti: cetera vero symptomata nocte potius obscurantur: tum etiam, quia nocte magis delirant ægrotantes, quam die. Iam vero ista duo non modo perdurarunt DECIMAQVINTA, verumetiam iis alia non meliora sunt coniuncta, nempe vrinæ turbatæ, quemadmodum illæ, quæ postquam subsederunt, agitantur, genuum, & tibiarum dolor. Addit postremo hac eadem die subiectis balanis aluum reddidisse stercora nigra. Circa quę nonnulla sunt animaduersione digna, & in primis de vrinis turbatis verisimile est eas fuisse tales redditas ob agitationē factam à febre, quę cū rediisset, & acuta fuisset cū materia cruda, cœpit humores in venis agitare; vnde serum quoque & vrina turbata sunt, & iure eæ vrinæ coniungebantur cum delirio, cum dicat Hippotrates similes significare capitis laborem, aut præsentem aut futurum 40. Aphorism. 70. Genuum vero ac tibiarum dolores, quos Galen. dicit omnes tum esse bonos, inde nati sunt, quod natura validior, & veluti leuior facta humores cœpit depellere ad partes longinquiores, atq; hoc sic fore indicarunt vrinæ tenues, iuxta Hippocratis regulas in Aphorism. traditas. Sed quod dubitare licet est, quare genuum & tibiarum dolor non abstulerit delirium, cum Hippocrat. sexto Aphor. 21. & Aristot. quarta Problem. 21. dicant à varicibus solui maniam, & idem Hippocrates tertio Epidem. sectione tertia, ægro quinto, narrat historiam cuiusdam Calui, qui cum cœpisset statim dolere femore dextero, obiit quarta die. in quo obseruaui, quod quamdiu dolor fuit in crure dextero, nunquam delirauit, postquam autem paulatim decessit dolor ille, cœpit delirare. Nisi dicamus hunc dolorem non fuisse abscessum, vt sunt varices, sed leuem admodum, ita vt non potuerit diuersionem vllam effatu dignam facere: aut dicere possumus quod dicit Galenus in comm. scilicet, varices iuuare insaniā à melancholia, non à bile. Quod vero hoc in loco dicunt nonnulli delirium præsentis ægrotantis fuisse veram phrenitidem haudquaquam iis assentiri possum, tum quia cum sit cerebri inflammatio non potest vllam febris intermissionem habere, nedum duorum dierum, tum quia phrenetici veri habent immanissimos motus: Hippocrat. autem hic nil plus dicit de hoc delirio, quam de aliis simplicibus: tum quia phrenetis cum sit acutissimus

 morbus

morbus aut in septima die finit, aut finitur, quod certo clarum est huic ægrotanti non accidisse. Notandum postremo est, dum Hippocrates dicit decimaquinta die administratos fuisse balanos, duo nos docuisse; vnum est antecedentibus diebus aluum fuisse suppressam, & ob id delirium rediisse, queadmodum ipsa fusa sedabatur, quod certum indicium erat fuisse delirium per consensum, non autem veram phrenetidem. Alterum est Hippocrat. consueuisse vsu postulante non semel tantum, sed iterum atq; iterum eadem die balanis vti, quasi vt alias docuit secundo acut. haudquaquam exigant robustas vires, atque clysteres. Notat antem Gal. stercora nigra balanis deiecta fuisse mala propter colorem, vnde colligi potest in quacumq; re sit nigredo semper eam esse malam, postquã est mala in stercore alioqui naturali, & caussa est; quia sit vel propter mortificationem caloris natiui, vel propter ingentem vstionem.

Decimasexta die delirauit adhuc, & cũ cœperit quarta delirare, si tunc verã phrenetis incboasset, quæso qno pacto potuisset tot diebus protrahi? habuit tamen hæc dies illud peculiare, quod licet vrinæ quoad liquorem & substantiam essent tenues, inerat tamen iis nubilosa, id est, nec clara, nec obscura suspensio, quæ aliquã coctionem inchoare significabat. Sed si hoc verum est, & Galen. 1. de Crisib. duodecimo, dicit coctionem auspicari à coloris mutatione, quare dicit in decimaseptima, quæ est dies indicatoria vrinas adhuc fuisse tenues neq; boni coloris? Dico aliud esse dicere vrinas esse mali coloris, aliud non boni: id enim monstrat adhuc esse crndas simpliciter, hoc vero non esse perfectam coctionem, quæ demonstratur à coloris vrinæ bonitate, sed rudem quodammodo, & inchoatam: quod autem inchoata, atq; etiam aliquantisper esset progressa coctio, significarunt quoq; cetera, quæ die eadem euenerunt, s. ingens extremorum refrigeratio, ob quam coactus fuit sese magis cooperire, quam erat, etenim & Hippoc. sexto Epid. sect. tertia, 19. & secundo Epid. sect. tertia, 24. & quinto Aph. 69. & Arist. secundo Probl. 26. dixerũt viris incipere semper ab extremis rigores, sicuti mulieribus à lumbis, ob quod loco citato Arist. scribit medicos studere, vt pedes in ægritudinibus maxime opertiantur, quod facit Hippocr. qui secundo de Acut. scribit semper esse curandum, vt pedes quammaxime caleant: tum calefactio ingens, quam significare voluit Hippoc. febre acuta, post sudor vniuersalis, qui toto corpore factus alleuauit ægrũ, ita vt melius saperet, minus febriret, sed sitiret. Vomitus biliosus, flauus, & paucus, qui etsi connumeretur post sudorem: æquum tamen est existimare antecessisse, hocque factum fuisse, vel in ipsa rufrigeratione, vel paulo post, quemadmodum quotidie contingere experimur, scilicet quando natura expellens humores à venis extra eos in ventriculum mittit. Imo Arist. octaua Probl. in fine 13. dicebat rigorem sequi vomitum ꝓpter euacuationem, cum semper corpora euacuata sint frigidiora: quo etiam tempore verisimile est aliquam eorum portionem in intestina fuisse præcipitatam, quæ ipsa stimulans primum fecit stercora egeri, deinde nigros & paucos, ac tenues succos qui aderant; sic enim frequenter fit, vt vbi aluus sit cienda; primum crassiora, quæ in extremis intestinis continentur, exeant, deinde subsequatur tenuiora, atq; hæc omnia fuisse signa iudicatoria, licet imperfecta ob coctionis perfectæ carentiam ab vrina indicatam, satis apparet ex sudore, qui licet nõ esset optimus cum morbum penitus non abstulisset, erat tamen optimo proximus secundum Hippocra. sententiam nobis primo Progn. relictam, s. quia erat vniuersalis, calidus, & morbum alleuiabat in die decima septima, quæ indicatoria saltem est, si nõ vere iudicatoria, cæterum deerat coctio, cum vrinæ essent tenues nec boni coloris. Et certe illud est hoc in casu verissime obseruandum per singulos quaterniones fuisse factas mutationes ingentes, & nõnullas iudicationes imperfectas, quæ tandem ob virium conseruatarum robur suppleuerunt pro bona, integra, atque perfecta crisi.

Decimaseptima, &c. Quod porro decimæseptimæ diei iudicatio fuerit imperfecta, præ ceteris docuerunt, tum sitis relicta, quam dicit Hippocrat. sexto Epid.

Epid.sect.secundá,tex.20.significare recidiuam, & quám intelligendum est debere esse immodicam,alioquin post euacuationes modica, semper est bona, vt colligitur ex Hippoc.quarto Aphor.19.tum quæ decimaoctaua & decimanona euenerunt: in qua licet minota forsan extiterint quam paulo antea: attamen aliquid etiam graue affuit, quod potuit testari,nondum esse morbum penitus expugnatum, atque id fuit delirii perseuerantia,& comatosus affectus,hoc est,nimia in somnum profundiorem propensio quæ fiebat, quod magna portio succorum biliosorum, ac tenuium decimaseptima erat euacuata: vnde tametsi aliquid adhuc eorum esset relictum, quod faceret delirium,copia tamen quoq; pituitæ supererat, quæ leuiter putrescens in cerebro, sicq; per totum ipsum fusa obstruebat, quo minus spiritus ad subministrandum facultati motrici,& sensitrici transmeare posset,quæ est ratio generationis somni nimii,præternaturalis,& laborem facietis, de quo loquitur Hippo.initio secundi Apho.hoc autem dicit Gal. id bonum habuisse, q; significaret facultatem cum morbo certare,ac forsan victoriam esse obtenturam.

VIGESIMA. Dies vigesima quæ per coniunctionem est quarta à decimaseptima habuit,& ipsa aliquid iudicatorii licet non exacti. Etenim in ea æger in primis dormiuit,& prudenter hoc dicit Hippoc. quia multum differt inter somnum comatosum,& somnum naturalem: in comatoso ægri, aut non excitantur , aut ægre excitantur, mox iterum in somnum labuntur,obloquuntur, non mouentur,& alia faciunt, quæ in naturali non fiunt,& ob hoc iure Hippoc. hunc naturalem significat voce(dormite.) Præter somnum alia fuerunt etiam iudicatoria signa non antecedentia,sed subsequentia, nempe mentis constantia,sudor,liberatio à febre, & sitis abscessio; quæ meliorem iudicationem monstrabant autecedente. Sudorem namq; fuisse copiosum, calidum, vniuersalem , & ad huiusmodi euacuationẽ esse consecuta cetera bona, non est dubitandum, Verumtamen cum adhuc vrinæ tenues essent,ac proptérea coctio nondum esset consummata, haudquaquam potuit fieri perfecta,atq; tuta crisis, quemadmodum docuerunt accidentia vigesimeprimæ diei, quam & ipsam interdum inter decretorias fuisse ab Hippocrate connumeratas,vtpote quæ sit septima per disiunctionem à decimaquarta alias docui. Fuerunt autem accidentia exiguum delirium sitis,sed mitior, hypochōdrii dolor, & perpetua ad vmbilicum palpitatio, quæ omnia vtrum durauerint vsq; ad vigesimamquartam haudquam expresse dixit Hippoc. nihilominus quia de vigesimasecunda & vigesimatertia nil dicit habita ratione diligentiæ eximiæ , qua videtur vsus in hac historia enarranda existimandum est propterea filuisse, quia in his dieb. eadem perseuerauerint; etenim delirii, & sitis imminutio satis indicabant paulatim coqui,& minui morbum; id certe habent morbi, qui soluendi sunt longo tempore,& per crises imperfectas,vt paulatim minuantur, prout paulatim fit coctio,& cocti humoris, vel sensibilis, vel insensibilis pulsio. Ceterum cur hypochondrium doleret,& perpetua esset ad vmbilicum palpitatio, aliunde videtur indaganda occasio. Hypochondrium fuisse dexterum non est dubitandum, siquidem primum ante morbum doluit externum tempus, quarta die dextrum hypochōdrium submolliter contendebatur, nono dexter oculus conuulsus est, vigesimaseptima dextera coxa dolebat,& vigesimanona dexter oculus, ita vt certum sit partes dexteras magis ceteris fuisse passas, ac propterea fere necessarium esse, vt quando dicit vigesimaprima hypochondrium doluisse,intelligendum sit de dextero, vt sic intelligendum esse, nō sine ratione dixerit retro Gal. in Hermocratis historia. Quod iccirco tunc doluit, quia ad eam partem vt primum affectam, atq; debiliorem detrusa sit à natura materiæ morbificæ aliqua portio, quæ continui solutionẽ, & consequenter dolorem attulerit. De palpitatione vero vtrum fuerit vera palpitatio, an potius pulsus, quemadmodum præ ceteris loqui consueuit Arist. in lib. illis de spiritu, & respirat. Videtur sane dubitandum. Ego autem sum eius sententię, haudquaquam de vera palpitatione, sed de pulsu esse interpretandum, sicut etiam in Sileno; atque ad hoc existimandum duæ præ ceteris me impellunt rationes, vna

 est quod

est quod vera palpitatio fit à flatu, vt vbiq; docet Galen. affectus autem flatulenti momentanei sunt, non autem perpetui, qualem dicit fuisse propositi ægrotantis, atque Sileni Hippocrat. neque enim valet, quod interdum quoq; fiat palpitatio à sanguine feruente, vt significauit Galenus quarto de Loc.aff. exemplo illius iuuenis, qui sanguinis missione fuit ab ea vindicatus, quoniam neque is affectus multis horis perseuerare potest, nempe qui violentissima passio est: cuiusmodi violentiã nequit cor sustinere diu. Altera est, quia pulsus circa vmbilicum solet fieri, vbi arteria illa magna, quæ subtus vmbilicum perreptat dorsum, patitur aliquod incendium, quemadmodum verisimile est in præsenti casu euenisse, in quo hepar incensum, potuit feruorem illi arteriæ communicare, ob quod aucto illius motu facile postmodum declarabatur circa ipsum vmbilicum; quemadmodum sæpenumero dicit Gal. initio lib. de Pulsib. ad tir. obseruari in extenuatis corporibus, & quemadmodum quotidie obseruamus in iis melancholicis, in quibus pylorus flagrat, & in quibus euidentissima pulsatio prædictæ arteriæ circa vmbilicum perpetuo percipitur. Iure itaq; cum huic ægro iecur esset incesum, pulsatio perpetua circa vmbilicum percipiebatur. Sed dubium est, quia Hippoc. tum in Coac. tum in fine primi Prorrh, docet huiusmodi palpitationem vmbilici, atq; ventris insaniam facere. Nisi dicamus sępe etiam tunc delirasse, licet parum à vigesimaprima vsq; ad vigesimamquartam, quo tempore semper habuit palpitationes. A vigesimaquarta progrediente coctione vrinæ subsidentiam habere cœperunt, ac delirium ita sedatum est, vt amplius non reuerterit: quando etiam verisimile est cessasse palpitationes, quasi vero, & hoc etiam quaternione aliqua crisis fuerit facta, quæ eo maiorem securitatem pollicebatur, quod si non perfecte, saltem multo maioris quam antea coctionis indicia apparebant.

Vigesimoseptimo, dicit Hippoc. dexteram coxam doluisse, vrinas tenues cum sedimento habuisse, ceteraq; mitissima sibi fuisse. Iure fuerunt sibi mitissima omnia, quoniam iam properabat materia ad coctionem, vt ostendebant vrinæ cum sedimento, quod rationi consonat fuisse laudabile ob remissionem symptomatum: quamquam substantia, & liquor tenuis esset, nec dum tedactus ad eam mediocritatem, quæ necessaria est in perfecta materiæ coctione. Sed si symptomata dum fit coctio, semper augentur, ea vero consumata abscedunt, quo pacto potuit hic materia nondum plene cocta, sed adhuc natura eam coquente, ita habere cetera mitissima? Respondendum est duplicem esse coctionem, aliam quæ fit affatim, & vt ita dicam vno impetu, aliam vero quæ paulatim; in illa fiunt symptomata, & de illa Hippoc. loquebatur lib. secundo Aphoris. 47. in hac vero minime fiunt, sed potius diminuuntur, quoniam vt insensibiliter bene coquitur materia, qui motus dolorem non facit, vt dicebat Galen. primo de Loc.aff. sic expellitur, ad quam expulsionem accidentium remissio sequitur. De coxæ autem dolore perseuerante illud memoria est repetendum, quod ab Hippocrate traditum est secundo Epidem. sect. quinta, scilicet, si caput doluerit descendere ad pectus, deinde ad hypochondria, postea ad coxam: est enim illud naturæ proprium, atq; familiare vt longe à partibus nobilibus, præsertim à capite & à corde caussas morbificas, & offendentes depellat ad partes extremas, maxime quando materia est grauis, adeo vt proprio impetu infra ruat, sed quia à capite ad pedes ire nequit, nisi per medias vias, & præsertim aptiores ad suscipiendum, quales sunt ventres, & articuli, hinc fit, vt primum in pectus, qui medius est venter, deinde in infimum ventrem, quæ sunt hypochondria, postremo in coxam, quæ inter articulos omnes est aptissima ad susceptionem materiæ fluentis descendat; hoc autem naturæ artificium valde elucet in præsenti ægrotante; in quo primũ materia caput læsit, deinde hypochondria, postremo coxã: in qua firmata cum sit, non immerito diutius perseuerauit: quod si de pectoris læsione nil dicit Hippoc. est, quia hic robustus existens, & præcipue in partibus vitalibus, ab ea regione statim depulsa est in hypochõdriorum locum materia; nec quicquam obstat, quod vigesimanona etiam dolor dextri oculi

ri oculi, qui nona est conuulsus apparuerit cum vrinæ tenuitate, quoniam cũ fuisset antea conuulsus, verisimile est tunc non habuisse dolore, quia facta cõtractione dolor non percipitur, sed dum fit; declinante vero morbo, & consequenter distorsione ablata, restitutoq; parti ipsi sensu factũ est, vt percipiens affectus preteriti reliquias aliquantisper doleret, quem etiam verisimile est eadem die fuisse finitum, vtpote cuius non amplius meminit. Quæ à vigesimanona vsq; ad quadragesimam contigerint haud commemorat Hippo. vel quia ipse tunc non amplius diligenter visitauerit, vel quia nil noui, quod relatu dignum esset, euenerit, sed in eadem cuncta perrexerint inclinatione. Ceterum QVADRAGESIMA die, quæ fuit finis totius morbi natura totam iudicationem expleuit duabus euacuationibus, s. alui, & sudore copioso vniuersali, quem sane optimum fuisse ex eo constat, quod quatuor illas conditiones, quas proponit Hippoc. habuerit, nimirum fuit per totũ, fuit copiosus, fuit cõsequenter calidus, & (quod caput totius rei est) morbum penitus abstulit cum coctione. Aluus vero pituitosa copiosa, subcrebra; etenim adfuisse pituitam, vt fit in morbis longis, docuit comatosus ille affectus, qui cõparuit decimooctauo vsq; ad vigesimam primã: eapropter si seruãdus, & à morbo liberandus erat, oportebat, vt ea euacuaretur, non quidem mediocriter, nec semel, sed copiose, & sæpius. Atqui dubitari licet, cum duæ fuerint euacuationes alui, & sudoris, quæ potissimum iudicationem effecerit. Galenus tertio de Crisi crebrius, & facilius fieri crises per aluum, quam per sudorem dicit; vnde & ob hoc & quia lõgitudo, & cruditas morbi indicauit pituitæ dominium ea expulsa videtur rationabiliter ab ipsa facta crisis. Atq; hic fuit finis ægri præsentis, & exemplum morbi ex eorum genere, qui acuti per decidentiam nuncupantur, & quadraginta diebus terminantur. Galenum in postremo comm. multa dixisse puto, quæ desiderantur: quod autem adnotari meretur, est iudicium clarum, & manifestum, quod facit librorũ tum Præd. tum Coac. in quibus libris quicquid veri, & boni repetitur, id totum esse ex Aphorismis & Prognosticis exceptum asserit: cetera vero esse plerumque erroribus plena, & ob id errare eos medicos, qui ipsis tantam authoritatem tribuunt: quod etiam repetit Galen. in comm. hunc immediate sequente. Iam vero aliquid secundum institutum de curatione dicam, quam par est æque diligenter fecisse Hippo. atque diligentissimus fuit in tota historia referenda. Cum idea morbi huius fuerit initio febris puttida continua, & acuta cum magnis symptomatibus, nec sine aliqua malignitate statim fuit victus non tenuissimus, sed tenuis instituendus, prisanę s. cremor, aquæ hordeaceæ potus vel simplex vel mixta succi aurantiorum, vel limonum modico, vel granatorum cum sacchato, similiter succus seminum melonum, vel recentium, vel aqua maceratorum, ius etiam paruæ pullæ, saltem post quartam poterat conuenire, atque hic in tanta morbi varietate diu fuit seruandus. Instituto victu prima die: secunda erat de missione sanguinis cogitandum, & quia aluus secunda die spõte stercora deiecerat, haudquaquã fuisset vlla de ipso solicitudo habẽda, sed statim deueniendum ad sanguinis missionẽ, tum quia (vt optime animaduertit Galenus) cuncta fere initio praua fuere in morbo magno, tum quia vires erant robustissimæ, ita vt non modo permitterent auxilium, verum etiam hortarentur, vt copiose mitteretur, quemadmodum est æqnum fecisse Hippocratem, etsi nil dixerit more suo tacendi, quando scilicet res per se clara est: Locus mittendi sane fuit in dextero cubito, tum quia sic magis euacuatur plenitudo, vt sæpius dixi, tum quia si recte animaduertistis, maxime omnium pars dextera fuit affecta, præsertim caput, atque iecur, ob quod rationi consonum est conuenisse etiam vsum cucurbitularum, & vesicantium infernis partibus, maxime quando comatoso affectu cœpit tentari. Quod spectat ad alia remedia, humores fuissent præparandi & corrigendi oxymelite, vel aceto. s. simpl. si habuissent veteres illi saccharum cum suis accommodatis decoctis, tandem expurgandi leni medicamento saltem post decimamquartam, cum s. aluo suppressa necesse fuit eadem die plurib. glandibus vti. De symptomatib. quoq; cura non modica debebat haberi: in

primis

primis lieni, & iocinori molliter tenso debebantur emollientia citra insignem caliditatem remedia, quo s. tensioni occurreretur, cuiusmodi est oleum amygd. dul. cum puluere sandalorum pro iocinore, & pro splene oleũ idem cum oleo de capparibus, & scolopendrii puluere. Aduersus delirium similiter certãdum erat cum frictionibus lenibus, atq; ligaturis, tum oxyrrhodinis, quæ comatis tempore extenuantia, & dissipantia magis sunt administranda, addendo oleo, & aceto, vel aquã, vel pulueres nepetæ, origani, maioranæ, thymi, atq; aliorum similium, quemadmodum si coma fuisset pertinax valde, non erat omittendum quin & excitando ægrotãti omnis opera daretur strictis ligaturis, puncturis, sternutatoriis, aliisq; similibus, quæ profundo veterno detentos excitare apta sunt, & quoniam morbus fuit diuturnior, fuissent repetẽdæ præparationes humorũ, & viarum cum iis, quæ magis aperiunt, ac repetenda quoq; maior purgatio cum subsidentia in vrina apparebat, quod forsan factum fuit in illis diebus, de quibus nil dicitur ab Hippocrate, scilicet inter vigesimamnonam, & quadragesimam.

HISTORIA DECIMAOCTAVA.



N Thaso Philistes capite dolebat tempore multo, & aliquando etiam subsoporatus, decubuit: ex potationib. vero febribus continuis factis, dolor exacerbatus est: nocte supercalefactus est primũ. PRIMA *die vomuit biliosa, pauca, flaua primum, postea æruginosa, multa: ab aluo autem stercora prodierunt, nocte moleste.* SECVNDA *surditas, febris acuta: hypochondrium dexterum contensum est. repebat ad interiora: vrinæ tenues, diaphanæ: habebant enæorema semini simile: parum furebat circa meridiem.* TERTIA *moleste.* QVARTA *conuulsiones: exacerbata sunt omnia.* QVINTA *mane extinctus est.*

IN Thaso caput Philist. &c. Hoc in loco qui partiti sunt, & Hippocratis libros, & Galeni commentaria inchoant librum, seu commentarium secundum libri tertii Epidem. & qui hic proponitur æger quartus est, multa autem dicit Galenus in Præfatione huiusce commentar, quorum primum est se non fecisse libros vllos, nisi ab amicis requisitum, & in intetpretando Hippocrat. semper germanissimos elegisse: Illud vtrum verum sit Deus nouit: hoc tamen ipsemet limitat, & Prorrh. & alia non ita germana interpretatus dicit amicorum & necessariorum hortatu sese ad id contulisse. Alterum quod dicit est ex libris Epidem. primum ac tertium germanissimos esse, in secundo vero & sexto nonnulla circa finem minus germana esse adiecta, sicut & libris Aphorismor. quibus omnibus Thessalus Hippocratis ipsius filius clarissimus nonnulla addidit forsan ex ore Hippocratis familiariter differentis excepta, & vt de lib. Prædict. aliquod exemplum referat, falsitatis eorum proponit dictionem hanc, scilicet (febres ex hypochondriis malignæ) quam in aliquibus, non autem vniuersaliter veram esse ex eo probat, quod in lib. Epidem. inueniuntur ægri, qui euaserunt ex huiusmodi febribus, & minime verum est omnes, febres hypochondriorum esse malignas, nisi vel iecur sit inflammatum, vel lien, vel septum transuersum, quo in loco etiam illud licet adnorare omnes febres. quæ consequuntur graues cuiusuis precipui visceris, & partis nobilis affectiones ab eo vocari malignas. Tertium quod dicit Galenus est, sese residuum librorum Epidem. esse interpretaturum ex pacto, quo est vsus in interpretando primo. Nunc ad historiam deuenio Philistæ, de quo illud primum dicendum est, quantum ipse puto hunc fuisse verum celebrem, & notissimum in Thaso, postquam ipsius solum nomen apponit, & forsan notus erat ob aliquod vitium, & præsertim bibacitatis, vt sæpe contingere solet eos à cunctis cognosci, qui ob insigne aliquod vitium prædicantur, quos plurimos connumerat Athenæus libro Dipnosoph. atque in hanc suspicionem potissimum inducor, quod dicat Hippocrates hunc Philistam diu secundum caput doluisse, vt nonnunquam

veternosum aliquamdiu per decubuisse tandem ob immensas, & continuas potationes in febrem incidisse cum nocturno dolore grauiore, quam antea. Et certe illud minime negari debet, quod scribit Hippocrates iii lib. de Affectib. tantam esse vim errorum, vt non modo corpora ægra, vel in longas valetudines, vel in magna discrimina, vel in exitium deducant, verumetiam sana in prauos morbos & ingentia pericula præcipitent. Vnde fieret diuturnus ante febrem dolor capitis non dicit Hippocrates: putandum est tamen à materia crassa & pituitosa ob errores in victu, & maxime in potu commissos in capite cumulata, à qua etiam cum funderetur per cerebrum, veternosus ille affectus oriebatur. Quæ vero symptomata febrem sunt consecuta, hæc fuerunt, quod primo incaluit, deinde biliosa pauca, primum flaua, deinde virulenta, plurimaque alia euomuit, aluo stercora excreuit, & noctem habuit molestam. Atque hæc fuerunt, quæ prima die visa sunt; circa quæ vtiles & iucundæ sese offerunt contemplationes, & primum quod pertinet ad vini potationem, videtur dubium alias etiam propositum, quomodo ex ipsa possit febris acuta generari, siquidem Aristotel. tertia sect. Problem. primo & sexto, necnon Galenus primo de temp. dicunt vinosos tentari morbis frigidis, eo, quod humidum nimium calorem superat, eoque victu refrigeratur: in quo Aristotel. loco alias monui male legi pleuritidem, quæ est morbus calidissimus: sed legendum esse vel paralysin, vel arthritidem, quod & literæ aptatur, & res ipsa docet, cum experiamur quotidie vinosos in resolutiones neruorum, & arthriticos morbos incidere. Respondendum est verum esse, quod scribunt Arist. & Gal. si per se intelligantur: atqui non inconuenit, quin per accidens, s. vel per vini qualitatem, & quantitatem, vel propter motum sibi adiunctum, aut aliam quampiam caussam etiam calidissimi oriantur morbi, vt videmus vlcera, scabies, faciei que deturpationes ebriosis sæpennmero contingere, atque id forsan accidit Philistæ, vt potatione calidioris vini humores, qui in ipso antea fuerant cumulati, valde incaluerint, sicque putredini, & febri occasio oblata sit, etenim ebriosos etiam veterno, & graui somno ob immensam humiditatem tentari, & vsus, & ipsa ratio docent satis. Possumus etiam respondere, & forsan melius, vinosos, id est, eos, qui continuo operam dant potationibus à frigidis morbis tentari, at qui non semper, sed aliquando nimium potant, & præsertim vina generosa calidis, imo etiam calidissimis occupari queunt: iam vero quod dolor capitis exacerbatus sit, fuit caussa eadem nimia vini potatio. Quod quidem propter duas caussas caput maxime lædit: vna est, quia vinum ob nimiam caliditatem in caussa est, vt multi vapores in cerebrum attollantur, quod peruertentes dolorem pariunt: altera est vini proprietas quædam, etenim Aristoteles 30. Proble. primo, quærens quomodo fiat ebrietas à vino, dicit eam fieri ob proprium vini temperamentum non ob calorem simpliciter alioqnin aromata complura id multo magis facere deberent. Sed quæ fuit ratio, vt statim noctes cœperint esse graues, & quomodo biliosa, & virulenta, aliaque plura euomuit, postremo ad quid Hippocrates in hoc ægro adnotare voluit eum prima die stercora eiecisse? De primo dicendum est id præcipue habere eos, qui nimio vino stomachum aggrauant, vt quiescere noctu nequeant, sed ventre grauato huc, atque illuc sese vertant, quo situm mutantes leuentur, quasi putantes se posse molestiam oneris effugere situs mutatione, eo pacto quo illi, qui anxiosi sunt, & morsu ventriculi laborant, qui continuo situm mutare cupiunt licet in vanum, vt testatur Galenus primo de Mot. musc. cap. vltimo. Quod porro vomuerit biliosa, & pauca varia fecit indigestionum multitudo, sicut enim nil est, quod æque indigestiones frequentes inducat, atque eximiæ potationes: ita nil est, quod similiter varios morbos, & humores producat, ac indigestionum frequentia, vt vere Auicenna dixerit indigestiones esse ægritudinum matres: neque mirari oportet bilem à vinositate fieri, quoniam & obstructiones à cruditatibus inductæ, vt ipsemet vini calor iecur accedentes generationi bilis occasionem præstant: quinimo si Hipp. tertio de vic. acut. 39.

acut.39.& tertio de fract. circa finem, & Alex.cap. de Pleur. dicunt aquam verti in bilem, multo magis id potest facere vinum. Vomuit autem primo biliosa flaua, quam virulenta, quod bilis flaua, vt alias dixi, sit ad motum facilior. Quod postremo Hippoc. voluerit adnotare aluum reddidisse stercora, puto fuisse eam caussam, quoniam qui vomunt nō solent aluo quicquam excernere, aut paucum quid. Vnde Philestes qui, excreuit prima die stercora, id est, copiose, non potuit id fecisse, nisi quia etiā portio bilis fuit ad intestina trāsmissa, qua sunt excitata ad excernendum, præter quam quod in pectus ille, & vis vomendi solet etiam intestinorum expultricem excitare, quamquam & illud verissimum est quod scribit Aristoteles tertia Probl. quinto, scilicet aliquibus à vini potu copioso fieri aluos faciles, nempe quod intestina etiam large humectentur.

Secunda die alia symptomata grauia accessisse dicit Hippocrat. nempe surditatem, & circa meridiem insaniam: vrinas tenues, pellucidas, suspensionem paruam geniture assimilem habentes, acutam febrem, id est, maiorem dexteri hypochondrii contentionem, atq; intro inclinationem. Certe exitialissimum fuisse huius viri morbum magnitudo symptomatum, quæ statim apparuerūt, satis docere potuit; & primo de surditate, cum antea caput dolore diuturno vexatum fuisset, verisimile est aurium meatus assiduo dolore fuisse non modo labefactatos, verumetiam proxime iis collectam esse pituitosam materiam, quæ deinde febrili calore eliquata in ipsum auditorium meatum fusa sit; vnde is oppletus haud poterat externum aerem, qui tympanum percuteret, admittere, atq; ita soni perciperentur, efficiebant. Insania pariter subsecuta est, quod caput prius affectum facile reciperet vapores biliosos, qui eo magis delirium inducebant, quod iam ebrietates antecedentes, & multæ illum maxime simili malo suscipiendo dispositum & paratum reddidissent. Cur autem potius circa meridiem ingens insania facta sit, alias diximus hoc sæpius adnotasse Hippocratem, nec absq; ratione eo tempore potius, quam alio fieri, quoniam meridies pars diei calidissima est, & iccirco iure in eo fiunt morbi calidi, quale est delirium, & febris, quam probabile est eo etiam tempore acutiorem, & maiorem fuisse redditam: & quod hic Hippocrates ait de insania, poterat facile expectari ab eo qui didicisset in primo Præd. vomitus ærugi-nosos cum dolore capitis, & surditate portendere cito futuram insaniam. Vrinæ tenues erant ob cruditatem, pellucidæ ob bilem, & cum ingens æstus partes internas torreret, habebant suspensionem genituræ assimilem, hoc est, bullosam, & spiritu plenam, quale solet esse semen, quod ideo superficiei vrinæ supernatat, quia elaboratum, & spiritu plenum est, vnde Venus à Græcis dicta est ἀφροδίτη ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ, id est, à spuma, quam refert sperma, vt Arist. dicit. 2. de Gene. anim. 2. vbi etiā improbat Etesiam Cnidium medicū, qui dixit Elephantis semen siccum vsq; adeo durari, vt electrum referat, sic etiam fit in vrinis, vt carnes à febrili incendio colliquatæ & vrinis immixtę suspensionem qualem dicit Hippo. reddant. Ceterum de hypochondrio contento, & intro inclinante, quid Hippoc. dicere velit haud ita perspectum est. Galenus enim ait fieri huiusmodi hypochondriū vbi à septo transuerso vicinæ partes velluntur, ipsum vero septum tendi interdum in pleuritidē ob magnitudinem inflammationis membranæ costas succingentis; interdum ob originem neruorum, ad se neruos, qui ad septum transuersum pertinent attrahētem, interdum vero ob propriam sui ipsius inflammationem. Vtrum autem horum modorum factum sit, quod dicit Hipp. placuit Galeno potius ob neruorum tēsionem septum attrahentiū, & consequenter hypochondrium ipsi Philistæ fuisse retractū, quod siue de vtroq; latere, siue de vno tantū intelligatur perinde esse dicit. Famulantur aūt Gal. conuulsiones, quæ die quarta contigerunt. At alii putāt Hipp. hoc non intellexisse de septo trāsuerso, sed potius de iocinore, quippe cuius venæ cum sint planæ, vt erant in Philista, atq; turgent in superiora feruntur, sicq; retrahi faciunt sursum hepar. Ego vero neutrum horum intelligo significasse Hippocratē, si quidem læsa in ambobus fuisset respiratio præsertim affecto septo, quod tamen

non

non affuit, alioquin Hippocrates non illud siluisset, quemadmodum etiam alias respirationis vitia haudquaquam solet tacere: neq; dici potest, vt Galen. loquitur secundo ac tertio de Diff. resp. sæpe tacere difficultatem anhelitus, quando clarum est necessario adesse, quoniam haud ita est in præsenti casu. Eapropter potius dicerem Hippoc. pro contentione hypochondrii intellexisse duritiem aliquam iocinoris, quæ bibacibus sæpe contingere solet; pro eo autem quod dixit intra illam intentum inclinasse, nil aliud significare voluisse, quam illum tumorem; seu duritiem potius internam fuisse, quam vt clare exterius, vel perspiceretur, vel contrectaretur.

De Tertia die, nil aliud, inquit Hippocr. nisi eam ægrum difficulter tulisse, perinde ac si diceret, quæ symptomata immania sibi contigerunt secunda die, ea non modo tertia etiam perseuerarunt, verumetiam ita creuerunt, vt ea die nullam requiem habuerit. Etenim vt alias dixi ex Hippoc. secundo Progn. inter signa lethalia primum locum habet δυσφορία, id est, difficultas ferendi morbi, quæ exitialior est, cum nunquam desinit, sed perpetua est, qualem fuisse Philistæ iis paucis verbis significare voluit Hippoc. nam habere accidenti a sæua malum est, sed pessimum vbi nec intermittunt, nec quicquam boni sibi habent coniunctum.

Qvarta die adhuc omnia exacerbata esse dicit, atq; amplius conuulsiones apparuisse. si vllus est, qui facile conuulsionib. tentetur, sane sunt illi, qui vino, & ebrietatibus dediti sunt, vt propterea Arist. 8. de Historia animal. in fine dixerit veteres Medicos vetasse nutricibus vinum, ne lactentes pueri conuulsionib. caperentur; ferunt etiam Mahometem epilepsia, quæ est conuulsio totius corporis, laborantem hac ratione, & sibi, & sequacibus vini vsum interdixisse.

Qvinta die dicit summa luce obiisse, nec dubitandū est vsq; ad mortis horam perdurasse conuulsiones, ita vt si pro matutino tempore intelligamus finem quartæ diei necesse sit ipsum in quarta periisse; in qua solere ebrios mori cōuulsos docuit Hippoc. quinto Aph. quintæ sect. quemadmodū par est contigisse Philistæ, qui ex potationib. ægrotationis occasionem habuit, etsi initio conuulsiones minime apparuerunt, vt forsan debebant, statim post nimiū vini vsum id contigit, quia febris superueniens coxit quodāmodo humorem vini eo pacto, quo inquit Hipp. secundo Epid. sect. 6. crapulam meri potione sanari, & Arist. 3. Probl. vinum merū minus lædere caput vino modice diluto, quoniam suo calore seipsum coquit: sic ergo febrilis calor initio coxit nimium humorem, quo deinde exhausto, exsiccatoq; neruorum principio alioquin debili, nō mirum est si conuulsiones sunt secutæ. Quæ debuerit huic morbo curatio adhiberi non est arduum cōiicere, tum ob breuitatem morbi, tum ob subitam acutiem, quæ statim apparuit: nam vt ait Cels. lib. 3. cap. 1. in acutis morbis temporis exiguum spatium est, intra quod nullum remedium prodest, æger extinguitur, vt hinc certissimum esse queat debuisse quamprimum viuendi rationem tenuissimam institui: tum quæ erant cruditates in primis cauitatib. atq; intestinis excerni, vel clystere, vel aliquo à veterib. ὑπηλάτῳ, id est, subductorio à nostris lenitiuo medicamento appellato: etenim in illis, qui potationib. & crapulis dediti sunt, abundare semper cruda excrementa certum est, vt ob hoc in hisce omnib. necesse sit semper aluum soluere, priusquam ad sanguinis missionem deueniatur: nisi tamen sufficienter sponte id fiat, quod tamen nō puto fuisse in Philista, & si prima die exierint stercora tantum, aluo paulisper soluta, nil cunctandum fuerat, quin sanguis mitteretur, primum à communi dexteri brachii, deinde à cephalica nuncupata: misso sanguine extinguendo feruori febrili fuisset incumbendum aliqua ex iis refrigeratoriis potionib. quas in fine tertii de morbis descriptas nobis reliquit Hippoc. deinde cōtendendum erat aduersus symptomata, & primum ad iocinoris internam tensionem, & duritiem externo lenimento agendum erat, vt oleo amygd. dul. mastichino, & suc. cich. simul cum cera mixtis, & notandum est in viscerib. duris, ac tumidis emolliendis minime solis laxantib. esse vtendum: sed iis semper aliquid cōiungi debere, quod familiaritate visceri illi conueniat,

ueniat, vt cichorium hepati, scolopendria lieni, & quod corroborare queat, vt mastix: Aduersus autem capitis affectus surditatem scilicet, insaniam, atq; conuulsiones diuersionib, fuerat agendum ligaturis, nempe cucurbitulis, necnon vesicantibus infernis partibns adhibitis. Sed quamquam hæc omnia opportunissime fuissent adhibita, haudquaquam tamen poterat in tanta morbi immanitate tamdiu intus ob errores vitæ concepta, & connutrita liberari: vnde fuisset statim prædicendum non modo periculum, verum etiam mots propinqua, quod vbi initio in corporibus prauo, & copioso humore plenis apparent signa exitialia, vix vnquam seruantur, quod (vt dixi) id fiat à prauitate multo antea in eo corpore genita, atque aucta.

HISTORIA DECIMANONA

CHÆRIONEM, qui decumbebat apud Demænetum ex potatione febris magna corripuit. Statim autem capitis grauitas dolorosa: non dormiuit: venter conturbatus tenuibus, subbiliosis. TERTIA *febris acuta: capitis tremor: maxime vero labii inferioris: paulo post autem rigor, conuulsiones: in omnibus delirauit: nocte moleste.* QVARTA *quiete, modicum dormiuit, obloquebatur.* QVINTA *laboriose: cuncta exacerbata sunt: Delirium; nocte moleste; non dormiuit.* SEXTA *per eadem.* SEPTIMA *superriguit, febris acuta, sudauit per totum, iudicatus est: huic vsq; in finem ab aluo deiectiones biliosæ, pauca, sinceræ: vrinæ tenues boni coloris, enæorema nebulosum habentes: circa* OCTAVAM *minxit melius, & magis colorata, habentia sedimentum album, exiguum: mente constabat, sine febre intermisit. Circa vero* DECIMAMQVARTAM *febris acuta: sudauit.* DECIMASEXTA *vomuit biliosa, flaua, subcopiosa* DECIMASEPTIMA *superriguit: febris acuta: sudauit sine febre: iudicatus est: vrinæ post recidiuam & crisim melioris coloris, sedimentum habentes: neque delirauit in recidiua.* DECIMAOCTAVA *calefactus est parum: sitiuit: vrinæ tenues: enæorema nubilosum: parum delirauit. Circa* DECIMAMNONAM *sine febre: collum dolorose habebat: vrinis sedimentum. Perfecte iudicatus est* VIGESIMA. *P. M. B. V. V. S. hoc est, probabile multitudine biliosarum vrinarum vigesima sanatum.*

CHÆRIONEM, qui apud Demænetum. Et hic æger, vt antecedens ex occasione potus ægrotare cœpit, cumque historia satis exacte recitetur ab Hippocrate, mirandum est, quomodo Galenus ita parcus fuerit, atque ieiunus, vt dixerit tantum hunc ægrum ex abundantia biliosorum humorum ægrotasse, atque in ipso conspici veritatem dierum decretoriorum, & vrinarum iam traditam. Sed morem iam susceptum seqnar. Si nominis etymon præsentis ægrotantis spectare placeat, significare potest hominem lætum, festiuum, quales esse solent potatores; in vino enim hilaritatem posuisse veteres præter Plutarchum in Sympos. id dicentem, etiam Plato libro primo de Legib. testatus est, vbi dicebat vinum hominibus datum esse ad depellendos timores, & hilaritatem in homine efficiendam: vnde postmodum Poeta nescio quis apud Athenæum vocauit, vinum curarum iugulatorem: & Diuinus etiam Poeta Dauid cecinit vinum lætificare cor hominis. Hic itaque Chærion, vt ego puto, non erat admodum notus, nec forsan locuples, sed in domo Demeneti viri illustris habitabat, atque ipsi ita charus erat, vt voluerit Hippoctates, ad ipsum curandum accersiri; id enim facere solent plerique magnates, vt quos habent penes se charos, & spectatos viros dum ægrotant, eos faciant omni diligentia, & studio curare. Sed hæc parum attinet ad artem. Hic autem Chærion cum sese potu exhilarasset nimio, ab igne, id est, febre vehementi correptus est; & vsque ad tertiam diem exclusiue dolore grauatiue capitis, & vigilia vexatus est: aluusq;

est: aluusq; tenuia, & subbiliosa cum turbatione fudit. Quod enim attinet ad dolorem capitis grauatiuum scimus ex Galeno primo de Loc. aff. eum oriri à copia & crassitie humorum solnentium continuum; vnde verisimile est ex potu nimio caput sibi fuisse valde repletum. Arist. enim apud Athenæum in fine lib. 1. scribit temulentos ex vino decumbere capite prono ob grauitatem quam inducit, ebrios autem ex zythio capite supino decumbere, quia facit sopotem, & veternum: atq; inde spiritus primum vehementer incaluisse, mox calore febrili humorib. iam paratis communicato febri putridæ efficiundæ occasionem esse datam. Sed dicet aliquis cum vinum potius soporosos homines reddat, cur factum est, vt ex potu incurreret statim in vigilias? Respõdendum est dupliciter. Vno modo vt dicit Arist. tertia Probl. 15. scil. vinum alios te tardos, alios concitatos, & maniacos facete, nõ ratione sui, sed ob varietatem corporum, quæ ipso vtuntur. Vel dicendum est forsan meri, hoc est, vini generosioris, & vetustioris potum fuisse; ab hoc autem vino immense corpora calefieri, & consequenter vigilias induci testatus est Galen. 2. de Loc. aff. in fine exemplo pueri illius si recte recordor Grammatici, qui cum lateter merum hausisset copiosum, in vehemẽtes vigilias incidit. Nec obstat quod scribit Arist. 3. sect. Prob. 24. vinolentis somnum oriri non posse, quoniam iis deest humor calidus, qui faciliter concoqui possit, siquidem ea sententia suspecta est, cum alias decreuerit Arist. somnum fieri ab hnmidis vaporibus obstruentib. cerebri meatus, quominus eos spiritus animales penetrare queant, atq; tamdiu durare somnum, quoad vapores illi coquantur, atq; dissoluantur, quasi vero facilis solutio humoris calidi potius ad vigilias, sicut difficilis ad somnnm efficiendum conferat, secus quã in prædicto Pobl. docet; nisi dicamus ibi intelligere nõ solutionem, & dissipationẽ consummatam humoris: sed potius eliquationem & fusionem: etenim nisi humores, qui sunt in cerebro soluantur, & fusi claudant meatus cerebri, eiusq; corpus irrigent, haudquaquam somnus suboritur. Porro de excremẽtis tenuib. & subbiliosis iutatem hanc fuisse cruditatem nidorosam ex immodico potu, quas cruditates in corporib. paratis accendere primum diariã febrẽ, deinde putridam, simulq; aluum cieri, & fundere crudos, aquos, & subbiliosos humores quotidie experimur, atq; ratio ipsa dictat, quod s. corrupti in ventriculo succi non modo in aquosas superfluitates, sed etiam acres conuertantur, à quib. deinde irritata expultrix intestinorum facultas eos affatim per aluum effundit. Si dicet aliquis, Gal. in lib. de Cib. bon. & mal. suc. cap. 2. dicit, quod vbi fit cruditas ex copia potus vel cibi, si sequatur alui fluxus, quiescendum esse, ex quo colligi posse videtur hunc fluxũ in Chærione debuisse iuuare. Dico istud verum esse, si fluant humores ipsi crudi, sin autem non, necessarium est accidat quemadmodum contigit Chærioni, qui non cruditates, sed biliosos humores fudit.

TERTIA die cuncta acerbiora fuerunt, in primis aucta est febris, simulq; caput præter dolorem grauatiuum cœpit alia sentire symptomata, nempe tremorẽ, & præcipue labii inferioris primum, deinde rigor successit, & à rigore cõuulsiones, atq; manifestum delirium, ita vt etiam nocte sequente morbum difficiliter tulerit. Cur tertia die, quæ est impar, symptomata sæuiora comparuerint, non tam est tribuendum imparitati diei; qua solet magis natura irritari, quam ipsi materiæ biliosæ, quæ sic à natura mouetur, & quam in corpore Chærionis fuisse cumulatam copiose iam diximus: ab hac eadem materia sursum tum ob capitis dispositionem, tũ ob febrem sublata factus est primo tremor capitis, qui dubitari potest an fuerit vetus tremor: & ex vna parte non videtur, quia vetus tremor proficiscitur ex debilitate facultatis sustinentis membrum, vnde non tremunt membra nisi erecta, iam vero Chærion decumbebat. Ex alia parte non videbatur esse cõuulsio: erat enim motus; & Hippo. infra recensebit conuulsiones, quare esset veluti repetitio. Dicebam itaq; neq; verum tremorem, neq; proprie conuulsionem fuisse, sed motum quendã conuulsorium: fuit autem potissimum conuulsio in labro inferno, quod præsertim nerui eam partem mouentes læderentur, vel quod aliquid bilis in ventriculo con-

 tineretur:

tineretur; & mirum est non vomuisse biliosa, nisi sextadecima die, cum inter signa futuri proxime vomitus ab Hippoc. atq; à Galeno referatur tremor inferni labii: nisi dicamus non vomuisse citius, quoniam maior portio bilis in caput, exigua in ventriculũ ferebatur; aliqua etiam in totum corpus missa, partesq; sensibiles vellicans rigorem peperit, atq; totius conuulsiones, simul & delirium, quibus malis admodum grauib. existentibus, quomodo poterat non grauiter, & difficiliter noctẽ transigere: atq; etiam quarta & quinta, in quib. dicit primum delirium perrexisse & vigilias, mox omnia esse exacerbata, delirium, difficultatem ferendi morbi, vigilias, atq; sic vsq; ad septimam perdurasse, & certe si magnitudinem, & prauitatẽ symptomatum spectemus, debebat hic æger perire, & cito, verũ robore facultatis factũ est, vt victus sit morbus, sed non ita cito liberatus, quin peruenerit ad vltimũ terminum acutorũ, f. vigesimam. SEPTIMA vero die rigore superueniente, & post rigorẽ calore succedente, atq; deinde sudore facta est crisis, vt iure antecedentium dierum mala ostenderint, cito aliquam indicationẽ futuram siue bonam, siue malam; Et certe potius mala erat exspectanda, nisi (vt dixi) vires valde robustæ fuissent, & maxime verum est, quod Galen. innuit, nimirum vim dierũ imparium maxime in præsenti casu elucere; q in iis factæ sint exacerbationes: quanquã nec vera crisis fuit, cum paulo post redierint symptomata, nec vrinæ coctionem perfectam ostenderent, nẽpe quas dicit sibi antea fuisse tenues boni coloris, cum suspensione nebulosa, id est, tenui, sicut deiectiones biliosas, paucas, & meras, id est, serosæ aquositati, nec aliis humorib. commixtas. Nec miretur quispiam me dixisse ab vrinis nõ fuisse perfectam coctionem indicatam, quoniam etsi color esset bonus, nec contentum malum, aderat tamen tenuitas substãtiæ, quæ semper alicuius cruditatis est comes, cum coctio, vt sæpe dixi, sit quædã reductio humorum ad mediocritatem inter crassitiem, atq; tenuitatem; præterea non habebant nebulã, non sedimentum. OCTAVA die cœperunt maiora coctionis indicia apparere, & iure, quia euacuata per rigorẽ, & sudorẽ magna biliosi succi parte, multo facilius deinde fuit reliquũ concoquere, q tamen statim fieri minime potuit, etenim meliorẽ coctionem non est dubiũ indicasse meliorẽ vrinæ colorẽ, simul contentum, nempe q. vt antea erat solum enæorema nebulosum, sic octaua fuit sedimentũ, atq; illud albũ, quæ sunt cõditiones optimæ coctionis vrinæ: illud forsan poterat dãnari, q. esset paucum, vt ob hoc quoq; appareret nondũ fuisse consummatã coctionẽ, sed eam tamen, ob quã iam febris intermiserat, deliriumq; cessauerat: quæ febris NONA die rediit, quoniã adhuc fomes febrilis, & materia semiputrida erat, qua accẽsa nona die excitata est febris, etenim id manifeste visum est in Chærione semper exacerbationes fuisse dieb. imparib. At cum Hippo. dimittat narrare, quæ cõtigerint à nona vsq; ad decimamquartã, quem putandum est ægri fuisse statum hisce dieb.? Ego sane suspicor nullã insignem mutationem fuisse, & forsan febriculam, quæ reuersa est nona die, sic perdurasse cum remissione aliorum symptomatũ: ita. n. videtur consonum fuisse post iudicationẽ si non perfectam, saltem mediocrem. Quod vero ita fuerit videtur colligi posse ex eo q. subiungit Hipp. DECIMA QVARTA die febrẽ fuisse acutã, sicq; decimasexta etiam perseuerasse, quasi quæ ante erat mitior, tunc facta sit maior, tum ob vim decretoriæ diei, tum quia materia relicta, atq; fomes febrilis paulatim auctus tandem in maiorem flammam eruperit. Quam tamen credibile est fuisse remissam, tum quia decimasexta die biliosa, flaua, subrubra euomuit, quib. imminuta materia mitiorem quoq; fecit focum, tum quia ipsemet Hipp. testatur decimaseptima, f. die indicatoria fuisse febrẽ acutã cum rigore præcedente, & cum sudore subsequente, adeo vt à febre postmodũ sit decretorie liberatus: Iure aũt euomuit decimasexta biliosa, quia erat dies præcedens iudicationẽ, quam dicit Hippoc. esse semper grauem: vomuit autem potissimum biliosa, quod bilis abundans in ventriculum laberetur.

DECIMASEPTIMA igitur die superriguit, adfuit febris, & sudauit, & iudicatus absque febre est. Mirum certe, quod eodem pene modo facta est iudicatio

decima-

decimaseptima die, ac facta fuit septima: in qua etiam superriguit, sudauit, febris aucta est, & indicatus est; interest tamen inter hanc, & illam iudicationem, quod in illa sudorem fuisse copiosum dicit Hippoc. in hac vero non: praeterea in illa dicit iudicatum esse, in hac vero absq; febre iudicatum esse: sudor enim decimaseptima die non fuit adeo copiosus propter vomitum copiosum praecedentem, per quem humores multi euacuati sunt: addit decimaseptima die absq; febre iudicatum esse, non q etiam septima die liber à febre non fuerit, sed non ita euidenter. Iure autem Hippo. addidit particulam illam ἐκρίθη ἄπυρος, quia decimaseptima dies minime est vere decretoria, sed in ea fieri possunt mutationes non vere iudicãtes, at veram iudicationem quodammodo aemulantes; quod vero ἐκρίθη ἄπυρος, id est, fit visus liberatus probat, quia vrinae coloris boni, & cum sedimento semper post recidiuam vltimam fuerunt, hoc est, coctionem perfectae saltem proximam significarunt. Ad haec praedicto similiter tempore nõ apparuit amplius delirium, quod quidem certissimum erat argumentum materiae morbificae iam adeo consumptae, vt amplius caput petere nequiuerit. Sed hic oritur nobilis dubitatio, quia Hippoc. in lib. de Affect. & Auic. quarta primi scribũt recidiuam esse peiorem sua radice, quomodo ergo Charion in recidiua melius se habere potuit? Aduertendum est duplicē esse recidiuam, propriam, & impropriam: propria est quotiescunq; prior morbus ita discessit, vt aeger per aliquod tempus vere sit sine febre, impropria verò, in qua aegrotantes melius quidem se habent, sed non in toto liberantur, quemadmodum contigit Charioni, qui non fuit ex toto à febre liber: Est autem deterior illa recidiua, quae est propria, quia vbi semel morbus est absolutus, non potest nisi aliqua ingenti caussa iterum redire: quando autē non perfecte tollitur morbus, qualibet caussa reuerti potest, cum adhuc in corpore fomes morbi adsit: solent enim duplici de caussa aegrotantes in recidiuam incidere, vel quia magna portio materiae relicta in corpore sit, vt dicebat Hippoc. vel ob errorem in victu.

Decimaoctava. Mirum sane est cum decimaseptima tot bona apparuerint, attamen decimaoctaua die fere cuncta recruduisse, quando calor, & sitis aliquantisper ipsum vrgebant, paulum delirabat, atque vrinae adhuc tenues cum suspensione erant nebulosa. Dicit autem incaluisse, quia febris erat exigua, materia praua iam per duas iudicationes pene tota euacuata. Caeterum de siti dubitari potest, cur nunquam antea ipsam commemorauerit, etsi non adfuit, quae nam fuerit caussa, sicuti etiã cur decimaoctaua die adfuerit. Non adnotauit Hippo. sitim ante decimamoctauam diem, quia non adfuit, & forsan eo tempore leui quadam, & insensibili destillatione laborabat, quae linguam & palatum irrigans sitim mulcebat, id quod colligi potest, quia multum potauerat, ad haec dolorem capitis grauatiuũ habuerat, qui ex copia materiae oritur, & Hippocr. in Coac. & in Aphor. scribit tussiculas, & destillationes in febribus ardentibus sitim extinguere. Vnde cum decimaoctaua die finita esset destillatio, vomuisset, alui fluxum habuisset, & bis sudasset, quid mirum si exsiccatis faucibus sitiuit? Atqui circa vrinas dubitabit aliquis quo pacto, quae antea subsidentiam albam habebant, iterum ea carentes loco eius suspensionem, & eam quidem nebulosam habuerint. Cui respondeo potuisse hoc fieri, vel altera, vel duabus de caussis, vna quia noua aliqua materia, sed tenuis & exigua putredinem conceperit, quae paruam febrem, & delirium induxerit, quaeq; ad vrinas portionem aliquam succi dirigens simile contentum fecerit: vbi enim non fiunt verae crises semper aliquid succorum relinquitur, quod recidiuam facere solet. Altera caussa potuit esse, quod aeger confidens sese decimaseptima esse liberatum paulo licentiosius vixerit, vnde factus aliquis crudus succus flatum pepererit, qui postmodum, & vrinas tenues, & cum nebuloso enaeoremate reddiderit: Et notandum saepe medicos falli, qui putant semper contenta vrinarum esse portiones humorum putrescentium, cum saepenumero à vitioso victu ea fiant, quod tam de nebula, quam de hypostasi intelligendum est; quae ob id saepenumero in primis diebus conspicitur, falsamque in exercitatis medicis propinquae salutis spem af-

fert. Ergo cum exigua, ac tenuis materia pntredinem concipiens, vel ob victum prauum, vel ob aliquid relictum febrem, atq; delirium modicum pepererit decimaoctaua die, iure decimanona febris soluta est cum aliquo dolore colli, qui ex dolore capitis antecedente relictus fuerat, non quod fuerit decretorium signum, quia debuissent, & alia adesse. Et quia vrinæ subsidentiam habuerunt, & maturam coctionem indicarunt, inde factum est, vt 20. quæ est vltima decretoria dies acutorum sit integre indicatus. Addit Hippocrates notis probabile esse per vrinas biliosas, & copiosas sanatum fuisse. Circa quæ verba sunt duo quærenda, vnum est, cur potius voluerit Hippoc. notis hoc suum iudicium, quam literis explicatis relinquere. Secundum est, quomodo Hippoc. & quibus coniecturis id indicauerit. Ad primum dicere oportet veteres in rebus dubiis consueuisse characteribus vti, & veluti hieroglyphicis notis, ne in mendaciis facile deprehenderentur, quod tñc magis fecisse Hippoc. æquum est, cum abesset ab ægris, nec ita fideret aliorum relationibus: hunc enim Chærionem forsan posttemis illis diebus, quando etat certus de ægri salute, non amplius visitabat, sed ab adstantib. de eo percunctabatur, atque secũdum aliorum relata scribebat, quamquam potuit etiam breuitatis, & magnarum occupationum gratia, sic cursim scriptitasse. Ad secundum dicendum est, cum Chærion 20. liberatus sit, non coctione, vel solutione, quæ maiori tempore egent, sed exctetione id sibi contigisse. Iam vero excretiones, quibus solent iudicari morbi, sunt sanguinis fluxus, alui exctetio, sudor, & vrina. De sanguinis fluxu certissimum est non potuisse eo iudicari, quia morbus potius à succis biliosis fiebat, nec vnquam vlla ad eam euacuatiorẽ visa est naturæ propensio, quemadmodũ videri solet semper per quas vias facienda est euacuatio iudicatoria, eo paulatim inclinare. Non potuit etiam pet vomitum, quia tametsi decimasexta vomuerit biliosa, flaua, subcrebra, antea tamen nil vomuerit, neq; post amplius vomitu ciebat. De aluo potuisset sane dubitari, cum dixerit Hippocr. vsq; ad septimum sibi fuisse biliosas deiectiones paucas, & meras, at quia septima die vsq; in finem hand commemorantur amplius similes deiectiones non est vt ambigatur. Accedit, quia si fuisset iudicatus morbus per alui biliosas deiectiones, oportuisset multum eiusmodi materiam vsq; ad illud tempus in corpore conseruari, quæ cur non fecisset febres & deliria, aliaq; symptomata sæua, quæ tamen nõ apparnerunt, imo potius cuncta prope finem mitiora fuerunt. De sudore pariter forsan rationabilibus existimari posset per eum fuisse Chærionem iudicatum, siquidẽ cum duas habuerit ante vigesimam iudicationes imperfectas nimirum septima & decimaseptima die semper ptius sudauit, vt ob hoc verisimile videatur, etiam tum sudasse cum perfecte libetatus fuit: at sudor factus septima & decimaseptima semper secutus est rigorem, qui in vigesima haud narratur adfuisse, præterquam quod decimanona catuit febre: sudor autem iudicatorius fit in febre, sed ab ea liberat, vt Hippocrates docuit secundo Progn. Itaq; suspetest huiusmodi ratiocinio facto non potuisse ptęsentem ægrum vlla alia ratione, seu excretione iudicari, quam vrinarum biliosorum copia, atq; eo magis, quoniam ab initio vsq; ad finem visa est aliqua naturæ in eam partem inclinatio, ac ipsæ vrinæ semper fuerunt tenues, cum suspensione, & aliquãdo cum sedimento. Videamus modo aliquid de curatione, pro qua quoniam morbus fuit continuus, & acutus, quis victus conueniat, iam sæpius est definitũ: à victu instituto deliberandum fuisset de sanguinis missione: verum dubitari poterat nunquid cõuenisset, quia si ab initio morbi vsq; ad septimam diem, vt ait Hippocrates, deiectiones fuerunt biliosæ, & sinceræ, nõ videbatur conuenire, quoniam monuit Galen. primo ad Glauc. cap. 14. vbi fluit aluus non esse cogitandum de alia euacuatione, quoniam vna sufficit, periculumq; est ne si sanguis mittatur vires nimis hebetentur. Verum hac in re maximi momenti si ipse constituissem, vt quia deiectiones erant exiguæ omnino mitteretur, sed in minori quantitate, quam ipse morbus postulabat, & saltem die tertia id fecissem, scilicet à vena communi sanguinẽ mittendum curassem, cumq; caput non modice tentaretur ab eo diuellere, & repellere,

lere omni studuissem ingenio tam ozyrrhodinis, quam frictionibus, ligaturis, cucurbitulis, & vesicantibus: intus vero incumbendum erat in humorum præparationem, & coctionem decoctis refrigerantibus modice, aperientibus atque vrinam cientibus: etenim si quo vergit natura eo duci oportere docet Hippocrates primo Aphorism. sane præstabat in proposito casu vrinam mouere ad quam, euacuationem semper visa est inclinasse natura; etsi prioribus diebus vsque ad septimam nulla eius fiat mentio, præterquam quod humores biliosi, atque serosi, qui in hac ægritudine exuberarunt multo facilius lotio, quam vlla alia euacuatione consumuntur.

HISTORIA VIGESIMA.



VRYANACTIS filiam virginem febris magna cœpit: erat autem sine siti perpetuo: cibos non accipiebat: ab aluo autem pauca exibant: vrinæ tenues, paucæ, non boni coloris: incohante autem febre circa sedem dolebat. In SEXTA *die existens sine febre non sudauit, iudicata est. Quod autem erat circa sedem modice suppuratum est. Ruptum est cum iudicatione: post vero iudicationem in* SEPTIMA *die existens riguit: parum supercalefacta est. Sudauit: post vero iudicationem in* OCTAVA *existens riguit non multum: in postremam autem extrema frigida semper, circa* DECIMAM. *Post sudorem factum delirauit: & rursum cito ad mentem reuersa est: dicebant autem eam, postquã gustasset racemum, hæc pati: intermittens vero.* DVODECIMA *rursus, multum delirauit: aluus turbata est biliosis, paucis, & sinceris, tenuibus mordacibus: sæpe exsurgebat. A qua autem delirauit, postremo periit.* SEPTIMA *hæc incipiente morbo doluit faucibus, & semper ruborem habuit: gurgulioque retractus est: fluxiones multæ, prauæ: acres: tussiebat: coctum nihil reiiciebat: abhorrebat omnes cibos toto tempore: neque appetebat quicquam: sine siti, neque aliquid bibebat effatu dignum: silens, nihil loquebatur: mœror, & desperatio statim ipsam habuit: erat autem aliquid, & congeneum tabe obnoxium.*

EVRYANACTIS filiam virginem, &c. Cuius ætatis esset hæc mulier filia Euryanactis haud aliud quicquam dicit Hippocrates, quam fuisse virginem, & quamquam æque prouectiores, atque iuniores possint esse, & appellari virgines, quia tamen hæc erat filia, scilicet patrem habebat viuum, probabilius est non fuisse admodum adultam. Quod autem dicitur in fine historiæ habuisse quiddam natiuum tabidum, nil aliud significare voluit, quam ipsam fuisse habitu gracili, longumque collum, pectus arctum, & spatulas prominentes habuisse, cuiusmodi habitus solet fluxionibus maxime omnium esse obnoxius, vt Galen. primo in primum Epidem. tex. 18. Cur Hippocr. menstruorum nihil meminerit, forsan fuit, quia vel pro ratione fluebant, vel quia nõdum erat in ea ætate, qua fluere plerisque solent, quamquam fieri etiam potuit, vt essent suppressa, postquam initio fuit sine appetitu, tristis, tacita, & cum desperatione, quæ symptomata solent comitari virgines, & eas oẽs, quibus menses non fluunt, vt Hippo. adnotauit lib. de Virginib. atque de Natura mul. Sed ad historiam veniamus, in qua narranda tametsi Hippoc. primum particularia quedã, deinde qui vniuersaliter in toto morbo contigerunt proponat, ipse tamen conabor distinctius singula suis diebus assignare: & certe Hippoc. hic solita diligentia non videtur esse vsus, imo si aduertantur, quæ dicit Galen. in extremo cap. secundi lib. de Diff. resp. id quod est in fine historiæ debet esse in principio, secus quam dicit initio præsentis com. nisi quoque dicamus, quod forsan assiduo ipsam non visitaret; etenim mulieres, & præterim virgines, frequenter pudet mala sua recensere, vt dicebat Hippoc. primo de Morb. mul. ac viros minime familiariter adspicere. Sed vtcumque sit primis diebus, vsque ad sextam hæc virgo à febre tentata est sine siti, sed cum magna inappetentia, ita vt nil gustare posset, melancholica erat cũ dolore, & rubore fauciũ, nec nõ columellæ reuulsione

fluxionibus acribus multis interdum, exiguis nonnunquam, propter quas etiam interdum cocta cum tussi reiiciebat, interdum nil excreabat. Vtrum hæc omnia singulis diebus fierent, an vero quædam quibusdam non constat ex notatis. Certũ est dolorem ab initio febris vsq; ad sextam diem perdurasse. Et quantum pertinet ad morbi ideam, puto febrem acutam, & continuam fuisse, quæ originem habuerit ab illis destillationib. calidis, & acribus, vt videtur etiã placuisse Gal. cum enim esset natura tabida, propterea q; vt dicebam, ob iocinoris calorem destillationib. calidis, & iugibus subiiceretur, factum est, vt destillationes eiusmodi partim in fauces delapsæ pepererint dolores, & rubores, partim in sedẽ præcipitatæ, ibiq; firmatæ tumorem effecerint. Cur autem ibi potissimũ firmata sit materia, forsan in caussa fuit, quod mulieres sedentariæ cum sint, eas partes, sicut & crura, solent habere crassiores, laxiores, atque suscipiendis destillationibus valde obnoxias, vt non immerito dicat Gal. Aph. 22, à sede communicari facile ventri calidum & frigidum, quemadmodum etiam dicit nono de Med. loc. cap. sexto, sedem esse multo sensu præditam. Igitur cum hæc virgo talis habitus, atque temperamenti esset, destillatio acris, calida, & copiosa non modo in fauces, & in sedem, verum etiam in venas & arterias delapsa ibique putredinem concipiens, & massam sanguinis contaminans febrem attulit; quemadmodum quæ in ventriculum descendebat sua humiditate sitim extinguebat, atq; inappetentiam faciebat, & ciborum abominationem, quæ mala eo deteriora erant, quod aluus pauca egerebat. Galen. enim septimo Meth. scribit, vbi destillationes calidæ in vẽtriculum frigidum labuntur, multo deteriores euadere, si adstricta aluus iis coniungatur. Itaque vna hæc destillatio, quam scribit Hippocrates libro de Glandulis per septem vias solere fieri in palatũ, ventriculum, pectus, sedem, hypochondria, necnon in venas delapsa omnium malorum, quantum ipse existimo, caussa fuit. Imo vero etiam illa desperatio, tristitia, atque taciturnitas, non aliunde proficiscebatur, quam quod virgo existens & forsan menstruis purgationibus orbata, simulq; tot grauibus ægritudinibus affecta minime poterat non tristis, & melancholica esse. Certe si nostrates mulieres similibus infirmitatibus occurrant, statim effascinationes esse prædicunt, vt exorcistas potius, quam medicos accersant. Sed dicet aliquis, quomodo fieri potuit, vt destillatio in stomachum flueret, & non faceret alui fluorem: est enim sentẽtia Hippocratis lib. de Affect. vt fluente destillatione in stomachum fiat alui fluxus? Non fiebat alui fluxus propter ardorem febrilem. Iam vero Hippocrates id intelligebat, quando non aderat febris. Vrinarum tempus, paucitas, nec bonus color demonstrabant omnino morbum esse crudum. Erat autem tenuis, quia erat virgo, & carebat menstruis, qua etiam ratione erant pauca, quia pueri & virgines propter modestiam parum bibunt: Dixit autem Hippocrates potius non boni, quam mali coloris fuisse vrinas, quod aliud mali haberent, quam puram carentiam coloris.

Sexta die. Circa sextam diem tria quærere oportet primum, quomodo ea die, quæ non est decretoria, imo plerumque soler esse infida, fuerit sine febre, adeo vt Hipporates dicat ipsam esse iudicatam. Præterea ad quid Hippocrates dixit ipsam minime sudasse. Postremo, quia fieri potest, vt statim vsque adeo abhorruerit cibos. Ad primum dicendum est neq; febrem fuisse vere solutam, nec propterea virginem vere indicatam, sed ita sibi relatum ab adstantibus adnotasse: nam infra dicet, eosdem dixisse affectam ita fuisse, quod racemum gustasset, quasi vero Hippocrates minime affuerit ægrotanti virgini, sed quæ narrabantur ab adstantibus scripserit, qui consueuerunt vbi ægrotantes ex morbo paulum recreantur, statim spem certam salutis concipere. Iam vero vnde orta sit tanta recreatio, vt potuerint suspicari assistentes mulierem esse iudicatam, & à febre liberam, puto fuisse, quia mala quæ à destillationibus oriuntur, augentur atque fouentur, eiusmodi sunt, vt prout illæ modo sæuiores, modo placidiores, sic ipsa inde orientia mitiora, vel atrociora appareant. Ad secundum dicendum propterea Hippocratem præter morem addidisse non sudasse, ne aliquis suspicaretur illam à febre fuisse libe-

ram ob

ram ob sudorem, ac ob id fuisse perfecte indicatam, quamquam etiam potuit id dixisse, vt ostenderet iure secutam esse recidiuam, quia cum non factus sit sudor, qui fieri debebat, probabile est nullas alias euacuationes decretorias adfuisse: praeterea ex dictis apparebat non potuisse habere vomitum, quia nil cibi sumebat, non alui fluxum, quia pauca ab aluo prodibant non vrinæ fluxum, quia erant paucæ, non sanguinis, quia tumor sedis indicabat potius eo naturam inclinare, sicut & rubor faucium ad ipsas, vnde supererat solo sudore potuisse iudicari, quem etiam abfuisse dixit, vt doceret non fuisse bonam crisin. Cur porro, quod erat extremum propositum, vsque adeo statim cibos abhorruerit Galenus tres differentias facit, eorum qui male sese erga cibos habent, vna est eorum, qui quoduis genus ciborum, & eorum, qui olim sibi placebant fastidiunt, nequicquam appetunt, sumunt tamen aliqua: aliud eorum, qui cætera edulia abhorrent, præterquam ea, quibus delectabantur antea, quibusq; oblatis vescuntur: aliud vero eorum, qui neq appetitum, nec oblata olim grata sumunt, sed statim ipsa auersantur, atque hoc postremum genus extremam facultatis appetitricis extinctionem significare tradit: sicque præsentem mulierem interiisse, cui sententiæ facile quoque ipse assentior, illudque addo huiusmodi extinctionem haudquaquam potuisse contingere, vel ob insignem aliquam intemperiem, vel ob consumptionem, seu tabescentiam longitudine, & magnitudine ægritudinis contractam, sed potius ob pestiferum vitium, quod propter pestiferam constitutionem contraxerant humores, sic enim habebimus hoc in libro commen. tertio, & ab Hippocrate & Galen. relatum nonnullos ea peste tentatos ita corruptam, atque amissam habuisse appetentiam, edendique facultatem, vt potius eligerent mori, quam cibum sumere, eosque tantum in simili calamitate fuisse seruatos, qui velut vim sibi ipsis inferentes alimetum capiebant. Itaque habemus, quo pacto Euryanactis filia habuerit iudicationem, cui eo minus vt dixi fidendum fuit, quod facta est in die sexta, quæ tyrannica est, & in qua dicit etiam tumorem sedis ad suppurationem esse deductum paruam, atq; pus ipsum exiisse. Sed dicet aliquis curiosus, cur Hippocrates paucis verbis repetit nomen iudicationis, dicens ægram esse iudicatam, atque suppuratam esse cum iudicatione? Cui respondeo idcirco addidisse illam particulam (cum iudicatione) vt emphasin quandam ad demonstrandam rem non vulgarem, nempe quod in sexta facta sit cum iudicatione puris eruptio, & certe insida fuit vere iudicatio, post quã morbus statim rediit, vt mordicet, quod quidem haudquaquam spectatur in vetis iudicationibus, de quibus intelligendus est Hippoc. quando scripsit in libro sexto Epidem. sect. 3. text. vndecimo, quod suppuratum est non reuerti, quoniam in ipso est coctio, abscessus & iudicatio. Post iudicationem ergo subiungit Hippocrates septima die; atque octaua riguisse, incaluisse, sudasse, atque in posterum semper habuisse frigida extrema; quod enim riguerit & incaluerit, factum est, quia materia aeris adhuc & calida remanserat, quæ propter virtutis imbecillitatem expultricis haudquaquam potuit cum impetu & copiosa extra venas trudi, sed exigua, & paulatim, vnde & parum riguit, & parum incaluit, & parum sudauit, & consequenter extrema frigida sunt reddita, & ita permanserunt ob caloris natiui infirmitatem; quomodo enim aliter esse poterat cum iam haberet facultatem naturalem appetitricem, vt diximus extinctam. Res autem illius in deterius semper labi ostẽderunt, quæ circa DECIMAM contigerunt, nempe post sudorem, delirium, & rursus resipientia: quæ symptomata dicebant idcirco sibi accidisse, quod gustasset racemum vuæ, à decima vsque ad DVODECIMAM nil aliud commemorat Hippocrates, quia forsan nil aliud obseruatu dignum contigerat, vel quia ab aliis non audierat sat esse delirasse decima ægram, & tota vndecima mense constitisse: De sudore an perdurauerit ab octaua vsq; ad decimam non satis manifeste colligitur: verum si aduertantur verba, non videtur sudor continuasse, nisi octaua, siquidem dicit (a sudore quem habuerat) nam suffecisset dicere post sudorem: nisi voluisset significare, ante aliquod tempus, non immediate sudorẽ desiisse: sed potest

etiam

etiam esse vt perdurarit sudor, vel noui et fieret decima. Cur vero delirauerit, & statim resipuerit à sudore, puto caussam fuisse, quoniam sudor exiguus erat, quod cito desinebat, & cum natura agitaret humores, nec plene eos posset enacuare pars tenuior, & acrior retenta in capite delirium peperit, donec consumebatur. Cæterum quod dicit Hipporates de racemo duo habet obseruatione digna, vnum est id quod retro dicebam, nimirum hanc virginem non esse visam ab Hippocrate, sed ex aliorum narratione fuisse notatam, quemadmodum suspicor alias euenisse: etenim sicut nos consueuimus sæpe absentes consiliis iuuare, atq; singulis, vel alternis diebus res ægrotantium audire, pariter & Hippocrates faciebat: & forsan tunc magis, quando ægrotantes erant virgines, vt sunt nostræ moniales, quas non ita licebat viris spectare. Alterum est de racemo, quem potuisse caput lædere etiam adstantes suspicabantur, vt ob hoc facile intelligere valeamus vehementer eos medicos errare, qui ita faciles sunt in concedendo vino ægrotantibus, quia si racemus lædit caput, imo etiam secunda ipsa loca, vt scribit Gal. secundo de alim. fac. multo magis timendum est à vino ipso, quod promptius & efficacius sursum, atq; in vniuersum caput fertur. Nonnulli putant hunc errorem racemi fuisse cõmissum ante morbum à Virgine, atq; hic sine ordine fuisse interiertum, vel ab Hippocrate, vel ab aliis: ego autem potius sentio fuisse commissum eadem decima die, atq; ob id ab Hippocrate notatum, vt moneret minimum quemq; errorem in ipso morbo esse grauem, ac propterea vitandum: quis enim vsq; adeo grauis error fuisset racemum solum ante morbum gustasse: cum etiam Galenus primo ad Glauc. concedat in febribus, vt fructus gustentur, id est, parum quid ipsorum edatur? Quare verissimum puto in ipsa decima die racemum gustasse, id est, parum quid edisse, tum quia solent virgines similia appetere, rum quia mulieres adstantes, imo etiam viri indulgent facile ęgrotantibus aliquid optantibus, vbi parum rei optatæ offerendum est, nam erat racemus quem tantum gustauit, neq; multum esitauerat, & putarum fuit læsisse. Sed potest dubitari, quomodo racemus potuerit lædere caput tantum, vt delirium induxerit, siquidem Galenus secundo de Alim. fac. & lib. de Cib. bon. & mal. dixit vuas omnium fructuum esse innocentissimas, nec vnquam se ab iis abstinuisse? Præterea si vt Arist. dicit tertia sect. Prob. mustum non inebriat multum, minus potest racemus vuæ lædere mentem: nam scribit idem Arist. 20. Probl. 23. vuas vindemiatas euadere velut mustum. Dicendum est Hippocratem loqui ex aliorum relatione, aut si volumus id ab ipso esse probatum, possumus dicere aliud esse loqui de sanis, aliud de ægris, & pręsertim acuto morbo laborãtibus, in iis haud nocet vua, sed hisce qui habent cerebrum iam à febrili calore labefactarum, vt minimus quisq; error offendat. Cum ergo intermisisset delirium rediit, rursus delirauit, venterq; turbatus est, nec nõ biliosa, pauca, mera tenuia, mordacia eiecit, crebro surgebat, tandemq; septima die qua postea delirauit, extincta est. Fuit hæc dies totius morbi decimanona, circa vigesimam, siquidem cœpit primum delirare decima & postremo duodecima. Cur autem Hippocrates à duodecima vsq; ad vigesimam nil commemoret, dici potest mala huius miseræ esse vsq; adeo aucta, vt nil fere peioris addi posset, vel vt retro dicebam, eam his diebus non visitasse, quia erat virgo. Verum subit dubitare, quomodo fieri potuit, vt excretionibus illis non sedatum sit delirium, ita vt videretur potius auctum, si enim verum est id, quod scribit Hippocrates quarta Aphor. 28. 60. surditatem curari alui fluxu multo magis delirium curari, vel saltem leniri debuisset. Præterea cur Hippocr. præter morõ suum dixit ad significandam huius virginis mortem potius die septima à delirio postremo, quam die decimanona obiisse. Demum videdum est quo genere mortis obierit, quandoquidem Hippocrates eam tantum memorat expirasse. Ad primum dicere oportet illas excretiones id habuisse potissimum, vt fuerint paucæ, ex quo multa existens materia biliosa, & acris partim in caput ferebatur, & delirium perpetuum vsq; in finem, & forsan phrenetidem veram peperit, partim vero transmissa ad intestina fluxum dysentericum, & vt suspicor, tenesmodem induxit, quando-

quandoquidem cum crebro ad deiiciendum surgeret non ob aliud id agebat, quã quia excitabatur assiduo vis excretrix extremorum intestinorum ab humoribus biliosis, acribus, & paucis, & quanquam non essent veræ illæ cupiditates egerendi, & exsurrectiones, quemadmodum fieri solet in veris tenesmis, habebant tamen non exiguam cum eo similitudinem; vere enim tenesmus, vt ait Hippocrates lib. de Morb. & de Aff. est quando egeritur mucus & sanguis cum dolore, & interdũ in dysenteriam desinit. Ad secundum responderem Hippocratem idcirco sic esse locutum, vt doceret etiam secundum sibi relata hãc ægram periisse die decretoria, & impari, iuxta id quod alias scripsi secundo Epid. ægros necessario die mense, & anno imparibus fato fungi, Licet etiam dicere hanc mulierem phreneticam duodecima die esse factam, & quia phrenesis est morbus vere acutus, qui ad summum septima die interimit, ne quispiam ea de re dubitaret ob antecedens delirium, voluit sic loqui, perinde ac si dixisset eam, ex quo facta est phrenetica, periisse die septima. Circa tertium nonnulli dicunt interiisse propositam ægram tabe, atque in hanc sententiam ducuntur ex postremis verbis totius historiæ, in quibus Hippocrates ait ipsam perpetuis & acribus destillationibus, columellæ reuulsione, faucium rubore necnon, tussi irrita, & frequenti esse exercitatam: præterea dicit Hippocrates habuisse quiddam natiuum tabidum, vt ob hoc etiam multo magis augeatur suspicio talis. Præterea ita rem sese habere multo efficacius probant, ex iis quæ habentur in prima sect. primi Epidem. vbi describens genera mortis ægrotantium illius tempestatis, appositissime videtur describere præsentem historiam, dicitque tabidos mortuos esse. Ego vero non refragor hanc mulierem consumptam ex inedia esse, & forsan etiam ob natiuam dispositionem, ita vt potuerit tabida, velut i torrido marasmo affecta mori, verum prauitatem, & pestilitatem febris vna cum phrenitide immediatam potius mortis caussam fuisse reor, tum quia ab hac fuit inducta illa omnis generis eduliorum abominatio, tum quia tabidi, & tabe pereuntes haud ita cito vitam finiunt, tum quia Hippocrates vt nuper dicebam, non temere dixit septima die à postremo delirio vitam finiisse, sed vt doceret vi febris, & phrenetidis ipsam fuisse è viuis exemptam: etenim quod dixit duodecima multum etiam delirasse videtur significare ipsam tunc cœpisse tentari phrenitide. Sequitur Hippocrates narrans quæ omnibus diebus contigerunt, quæq; singulis diebus narrare omiserat, ne tædiosior euaderet. Hæc autem licet complura essent vna tamen erat omniũ origo, nempe destillatio, atq; ea acris, tenuis frequens & parua, id est, non admodum copiosa, quæ partim fiebat ob natiui calidioris iocinoris, & cerebri humidioris intemperiem, partim ob menstruorũ defectum, quęq; in fauces delabens, calore, & motu dolorem, ac ruborem inducebat, replens vero columellam vt contraheretur, & reuelleretur efficiebat, in pectus delabens tussiculam faciebat, qua nil coctum reiiciebatur, tum ob materiam coctioni rebellem, tum maxime ob prauam pectoris constitutionem.

Omnes cibos. Non diffiteor potuisse destillationem in stomachum præcipitatam destruere apperentiam, vt sæpe accidit, verum quia omnes cibos abhorrebat etiam anteà sibi familiares, & gratos, hinc puto à prauitate febris facultatẽ appetitricem esse penitus euersam, quemadmodum contigisse plerisq; in ea pestifera constitutione dicent, in sequentibus & Hippocrates & Galenus.

Sine siti. Sunt multi, qui etiam si non sitiant, bibunt tamen, imò dicebat Plin. id nos à vini inuentione esse lucratos, vt etiam non sitientes bibamus, atqui hæc virgo nec sitiebat, nec quicquam essatu dignum potabat, non tantum ob facultatum insignem læsionem, de quaq; loquens Galenus primo in primum Epid. dicebat carentiam sitis in febribus ardentibus esse exitiosissimum signum atq; prauitatis maximæ indicium, quantum ob tussim, ob quam modica humiditas in fauces illabens easque irrigans sitim tollebat, vt interdum euenire etiam in ardentibus & vsus, & Hippocrates docent.

Tacens. qui tacet, certe non loquitur, ad quid ergo Hippocrates dicit tacens nil loque-

nil loquebatur; nisi dicamus Hippocratem hac forma loquendi voluisse significare ægram consummatam, & integram taciturnitatem habuisse, etenim dicuntur etiam ab Hippocrate tacere qui latenter obmurmurant, vt phrenetici: nam Hippocrates in Coac. vocat ἐκστάσιας σιγώσας mentis emotiones, quibus tacite obloquuntur ægri, idem etiam in Prorrh. & Galenus in Linguis dicit opponi hanc vocem σιγῇ, id est, cum silentio, dictioni μεθ' θορύβου, id est, cum tumultu; habebat & aliud, quod desperabat, atq; hoc solet euenire viduis, & virginibus melancholicis, vbi menstruis carent, vt dicat Hippocrates lib. de morbis Virg. sese nonnunquam strangulare, & in puteos demergere.

Erat innata. Affectiones, aut saltem promptitudines ad affectiones nobis innasci ex vitio paterni seminis nemo dubitat, & Hippocrates secundo Prorrh. inter morbos συγγενέας enumerat secundo loco pthisim, seu tabem, quod etiam habetur apud Plut. in lib. de Ser. num. vind. vbi dicit veteres consueuisse natos ex parentibus tabidis statim curare, scilicet detinere pedes natorum in aqua, donec mortuus combureretur, cauentes hac ratione, ne morbus paternus ipsis communicaretur: In curatione verisimile est ab Hippocr. siue ab aliis medicis institutam fuisse victus rationem circa quam cum peccauerint magnopere veteres, vt Hippocrates monuit lib. de vic. acuto, seu vt citat Plin. de Ptisanæ laudibus. Et vt constat de morb. & aliis qui circumferuntur sub nomine Hippocratis & doctrina illa vetusta Cnidiorum damnata, pleni sunt: eapropter non est sectanda ea ratio viuendi, quæ in iis legitur, sed illud semper memoria tenendum est, in acutis victu tenui esse vtendum, atq; præcipue à vino abstinendum, quoniam si racemus vuæ duntaxat gustatus tot mala peperit filiæ Euryanactis, multo certe maiora intulisset, si vino esset vsa. In reliquis cum gustum deperdidisset cuncta agenda, & permittenda fuissent, vt aleretur, alioquin frustra tentantur remedia, vbi æger sine cibo ad certam tendit mortem. Post victum, de sectione venæ fuisset cogitandum, aut saltem de sanguine mittendo aliqua alia ratione: etenim si menstrua non processissent secundum rationem vena poplitis aut tali, primum incidenda fuisset, vel non existente vllo in menstruis purgationib. vitio à vena dextri cubiti erat sanguis demendus iuxta perpetuam Galeni regulam, & Hippocratis, qui voluerunt inflammatis partibus supra renes sanguinem à supernis mitti, sed non in magna copia, quia cibum non capiebat, & quia inflamatoriusaffectus circa fauces vitio fuit. Post missum sanguinem cucurbitulæ spatulis appositæ conuenissent, sicut quoq; ligaturæ artuum, & frictiones ob febrem blandiuscule in aliis, quoniam initio veter paucade iciebat ante missionem sanguinis fuisset clysteribus saltem solicitandus: post autem aliquo leni medicamento potabili ob fauces erat irritandus: tum coctioni humorum, atq; præparationi studendnm, interim vero fauces dolentes, atque rubentes placido gargarismate oportuisset tractare, sed quia in fatis omnino erat, vt moreretur, atq; à principio signa tum naturalia, tum præternaturalia satis praua sese obtulerunt, ita omnia à medico erant agenda, vt tamen esse perituram dubitaret, atq; aliis prædiceret.

HISTORIA VIGESIMAPRIMA.



Nginosa apud Aristionem primum à lingua incepit; obscura vox: lingua rubra: superexiccata est. Prima *horrida, super calefacta est;* Tertia *rigor: febris acuta, tumor subruber, durus, colli, & vsque ad pectus ex ambabus: extrema frigida, liuida: spiritus eleuatus, potum per nares effundebat: deglutire nequibat: deiectiones & vrina destiterunt:* Quarta *omnia sunt exacerbata:* Quinta *obiit anginosa. P. E. D. S. Q. M. id est, probabile est deiectionibus suppressis quinta mortuam.*

ANGINOSA, QVAE IVXTA. Sæuissimæ anginæ historiam nobis proponit Hippocrates breuiter quidem, sed diligenter, & perspicue satis, vt solet (quemadmodum ait Galenus) in iis morbis acutis, qui cito occidunt, additis in fine notis, quod sæpe fecit, quæ quoniã difficiles intellectu sunt, placet mihi in iis Galeni interpretationem sequi. Fuisse hanc mulierẽ obscuram, & ob id haud nomine proprio, nec parentum appellatam, sed duntaxat habitatione prope Bitonem, quem fuisse virum illustrem valde suspicor, descriptam arbitror. Galenus aũt in hac historia interpretanda profusissimus fuit, in cuius com. si quid erit speculatione dignum, nõ prætetibo. Et ne labore in intelligendis quæ sum dicturus, prius nonnulla de tota anginæ natura proponam; est enim vt in vniuersum dicam angina inflammatio circa collum, cuius partes cum sint internæ, & externæ similiter variæ, atq; diuersæ illius species nec nõ appellationes fiunt, quæ appellationes apud scriptores videntur esse diuersæ: si namque partes tantum externæ, scilicet musculi inflammentur, affectus παρακυνάγχη, vel παρασυνάγχη vocatur, quasi dicamus non veram sed spuriam anginam, sin vero partes internæ partes inflammationem patianrut, quæcunque sinr vel dextræ, vel sinistræ aut illi musculi qui sunt in larynge, nec oculis conspicui sunt, afficiuntur, atq; affatus vocatur κυνάγχη & à nonnullis λυκάγχη eo quod canes, & lupi maxime huic morbo siut obnoxii, atque interimantur, vt perhibet Arist. octauo de hist. an. cap. 22. aut inflãmmantur faucium musculi interni, qui oculis ipsis conspicui sunt, vocatur affectus & ipse κυνάγχη, sed ab aliis συνάγχη, seu συάγχη eo quod sues potissimum hac ægritudine laborent. Hunc puto esse illum, quem Arist. eodem lib. cap. 21. nuncupat βράγχον Theodorus transfert raucedinẽ, de qua etiam loquitur ille Plautus in Trinumo vbi quidam persuadere volens ne alter ægrum nescio quẽ emeret, dixit in eo sues angina acerrima perire. Scio hac de re & Aretæum, & Cæl. Aurel. & Celsum dissentire; sed de nominibus vt frequentissime Galenus monet haud est disceptandum, modo de re ipsa constet. Cur autem canes, & sues potissimum hisce morbis capiantur, caussa in canibus & lupis est tum vehemens baubatio, tum quia ossa edunt, à quibus exasperatur fauces luci negatio, post inflammantur. In suibus autẽ fit suus morbus, quia facile ob constitutionem illo affectu subtus linguam tentantur, quã hippiatri appellant βατράχιον, id est rauunculum. Cæterum quali angina laborauerit nostra mulier facile est colligere, primum fauces internas cœpisse inflammari, deinceps tumorem etiam partibus externis communicatum vsq; ad pectus fuisse propagatũ adeo vt immanissime vexata sit, quam quã non fuerit prima, & horreutissima illa species, sed potius secunda ex cõmemoratis ab Hippocrate tertio prog. tex. 16. sed expedit morbo circa singula aliquid vtile contemplari, & quod ad scripturę, quæ fuit antiquitus diuersa, integritatem pertinet id statuatur eam esse penitus sequendam, quam ipsemet Galenus aliis cunctis ante tulit.

ANGINOSA Prope Bitonem. Hic Biton vt antea dicebam fuit vir notissimus, alioquin Hipp. haud ipso designasset hanc mulierem, & forsan fuit athleta celebratus apud Pausaniam, & Herodotum, quem dicunt ex sacris certaminibus multas victorias, atq; triumphos reportasse, quamquam nonnullis in codicibus loco Bitoni legitur Aristion, vel Ariston, vt etiam apud Galenum secundo de Diff. resp.

PRIMVM à lingua incœpit. Cur hic morbus inchoauerit à lingua, ita vt fuerit vox ἀσαφὴς id est obscura; aduertendum est, duos vsus habere linguam in homine, vnum sermonis conformationem, vnde longa, lata & rotunda facta est, alterum saporũ gustatum. potest itaq; lingua vtroq; modo lædi & à saporibus, scilicet quando sunt nimis acres, seu adstringentes, & à nimia loquela vero mulieres solent esse admodum loquaces vnde fieri potest, vt lingua facile affecta sit; etenim iis qui nimiũ loquuntur & clamant, fauces incenduntur atq; à capite humor attrahitur, quo fit, vt ratione caloris partes illæ laxatæ non modo recipiant verũmetiã quodam pacto inuiteant partes ad mittendum eo sanguinẽ, qui postmodum à venis in partem fusus, & collectus tumorem facit, & consequenter vocem & loquelam lædit, adeo vt

etiam ἀφωνίαν aliquando transeat, & deglutiendi vim impediat, sicuti docet Hippocrates secundo Epid. & secundo de morb. sed potest etiam esse, quod hęc mulier gustauerit aromata, vt piper, cepas, porros, & alia huiusmodi alimenta calidiora, quæ postmodum sua acredine, & mordacitate linguam læserint. Et certe in angina vera primæ notæ solent capi à lingua quippe quæ à tumore compressa promineat, & vt ait Aretæus 7. cap. lib. primi de acutis, exerta à labiis & dentibus prodeat. Sed cur Hipp. commemorat quæ contigerunt prima & tertia die, de secunda vero nil dicit? Fecit hoc Hippocrates, quia forsan angina non est cœpta nisi tertia die, quæ enim prima, & secunda die apparuerunt, fuerunt potius præludia quædam ipsius anginæ & fortasse si Hippocrates sen alter initio fuisset vocatus, facile huiusmodi malum euitari potuisset. Itaq; collectus in facie sanguis & in tumorē elatus, cœpit putrere, & ad sese humorem aliunde euocare, quo factum est vt statim prima die apparuerit horror (quo tempore materia adhuc pauca & benigna erat) quē statim secuta est calefactio, id est febricula. Tertia vero die, quę primę correspōdet, & impar est, morbo acuto rigor factus est, & à rigore postmodū febris acuta fuit: etenim vbi morbi vel fiunt à fluxione, vel eam saltem coniunctā habent, solent prout ipsa fluxio maior vel minor per partes sensibiles labitur, sic modo horrorē, modo rigorem inducere; & sicut horrorē, qui est lenior passio, febricula sequitur, quā appellat nunc Hipp. simpliciter calefactionem, sic rigorem, qui est motus horrore multo vehementior, sequi debet non febricula, sed febris magna, & acuta, quā dicit tertia die factam. TVMOR. Oedematis vox, qua vtitur hic Hipp. & millies dixit Galenus & maxime quarto Aphor. 34. & quinto aph. 65. 66. interdum significat quemuis rumorem; interdum genus proprium à pituita factum; nunc autē pro tumore communiter accepto interpretari oportet, vt ostendunt, clare nobis conditiones huius tumoris, quæ fuerunt tres, quarū prima fuit quod erat in collo, ab vtraq; parte, vsq; ad pectus pertingens, hoc est vsq; ad initiū pectoris, qui est terminus colli & superiacet laryngi, ita vt locus affectus esset non modo faucium regio, verum etiam ipsa larynx, vel saltem ipsius caput. Secunda conditio fuit, quod erat subruber, nō enim à puro sanguine fiebat, alioquin fuisset ruber, sed à sanguine pituitoso, qualis esse consueuit in mulieribus. Tertia conditio fuit, quod durus erat, quæ durities non à flatu, non à frigore fiebat, sed à copia materiæ sanguineæ nimium replentis, atq; distendentis, & hæc erat morbi idea: ex quo perspicuū esse potest, vere dictum fuisse à nobis tertia die veram anginam inchoasse. Cum autem is horrendus, & grauis esset tertia ipsa die non modo prædictus tumor eam adeptus est naturam, verum etiā plura alia sæuissima symptomata sibi fuerunt copulata, inter quæ primū fuit, quod extrema frigida simul, & liuida sunt reddita, cuius euentus totam caussam tribuit Galenus mortificationi, atq; extinctioni ipsius caloris. Sed quæret aliquis nec absq; ratione, quo pacto potuerit adeo cito nempe tertia die; tanta esse in calore natiuo ruina, vt facta sint, & frigida, & liuida extrema, quod videri non solet, nisi in proximis morti, & propterea iam multo ante à vi morbi fractis, & consumptis. Respondeo cum calor intereat pluribus modis, vt scribunt Arist. in Prob. & libro de Long. & breu. vitæ, nec non libro de Vita & morte. & Galenus libro de Trem. rig. & palp. vel σβέσει, id est extinctione scilicet à contrario, vt ignis ab aqua: vel μαράνσει, id est, marcore, vt ignis paruus à magno: vel à siccitate, græci dicunt, & ipse Arist. ἀναπνοῶν vel πνίξιν id est suffocatione; nulla est mors, quæ celerius properet, quā per suffocationē, vt ob id nullum genus mortis sit, quod frequentius à Iudicibus in plectendis sontibus exerceatur ad accelerandā mortem, quam laqueus suffocans: & ratio huius est, quoniā quandiu viuit calor noster, oportet, vt duos motus habeat, alterum sursum ad expurgandum seipsum à fuliginibus alterum deorsum ad attrahendum alimentum, quibus motibus correspōdet respirationis actio, si vel altero, vel ambob[us] ex his calor priuetur, statim extinguitur, vnde fit, vt dixit Arist. tamdiu viuere animalia, quandiu spirant. In suffocatione hoc est in priuatione respirationis affatim interdum calor emoritur, prout est ipsa vehemens, interdum paulo tardius, quo fit

vt tunc

vt tunc primũ extrema remaneant sine calore, & consequenter ipso sanguis splendore orbatus, & subniger remanens ea liuida reddat; quæ est etiam vera caussa, vt qui pereunt suffocati, ipsorũ corpora liuida, atq; nigra reddantur; & qui carnes animalium edere candidas delectantur, solent curare, ne suffocentur, sed ingulentur, quod quoq; ex præcepto faciunt Hebræi, ne vllo pacto sanguinem, vt pote secundum ipsos animæ domicilium gustent, & certe iis qui suffocatione interimuntur, sanguis extra venas effunditur, qui extra proprium locum quasi congelatur, & nigrescit, & consequenter cutem ipsam maculat.

SPIRITVS sine πνεῦμα μετέωρον. Multis verbis versatur Galenus & hic, & in primo Prorrhet. circa hanc dictionem, vt secus quam veteres inneniat verum huiusce vocis significatum apud Hippocratem: sed summa est proprie hoc in loco significare difficillimam respirationem, qualis in peripneumonicis, & orthopnoicis fieri consueuit; in qua cum magna vi nitantur musculi omnes ad mouendum thoracem, vt inspiretur, atq; expiretur, spatulæ & thorax euidentissime eleuantur: simulq; ipsarũ narium alæ mouentur; imo vero tanta est interdũ respirandi difficultas, vt ipsi ægri cogantur sese sursum mouere, atq; hoc totum contingit in anginosis potissimum, quia cum à tumore sit valde impedita respirandi via, nisi vi summa ęgri obnitantur ad emittendum, atq; attrahendum aerem haudquaquam viuere queunt; atq; hoc est propter quod Hippoc. morbos huiusmodi vocare consueuit passim πνιγώδεας, id est suffocationes. Habuit ergo proposita Anginosa huiusmodi spiritum, quia immanissima angina torquebatur. Verum dubitabit aliquis cur Hipp. respirationis difficultatem, commemoret, cum tamẽ necessario hoc symptoma anginã semper consequatur; Cui dicendum est Hippocratem meminisse difficultatis anhelitus non tantum ipsius ratione, quantum vt doceret nos quæ potissimũ species difficultatis anhelitus secuta sit hanc anginam.

POTVS. per nares exibat, addiscimus ex anatome foramen est in palato, quod ad nares pertingit à natura factum non modo vt per eum caput expurgetur, verum etiam vt respirationi, quæ est omnium maxime necessaria animalibus actio, famuletur & quia deglutioni maxime incommodat strictura, tumor q; faucium, & gulę, hinc fit, vt quando tument illæ partes ob angustiã neq; cibus, neq; potus in stomachum ferri queant; quo fit vt cũ spiritus per nares exeat, ab eo quoq; potus vi quadam per illud foramen pellatur, in nates, quemadmodũ eueniebat huic ægræ, quæ deglutire nõ poterat; & si bibere conabatur, potus ei per nares exibat. In tanta itaq; caloris, ac facultatum pene omnium, & virium ruina, mirũ non est, si eadem quoq; die nec vrinam, nec fœces potuit reddere scilicet iam calore affatim pereunte, & expulsiua facultate emortua; ac vt ita dicam ipsamet anima tota in cor, & pectus ad illud tuendum collecta: Et notandũ est cum dicat fuisse aluũ suppressam TERTIA die signum esse, quod aliis diebus aluus fluxit saltem per consuetudinem; hæc duo autẽ symptomata ad fœces scilicet, & vrinas spectantia etiãsi ex accidentibus propriis anginæ non sint, tamẽ Hipp. libenter commemorat, quia maximi interest ad vnumquemq; morbum constituendum, quis sit status vesicæ, & alui: si enim bene se habeant, bonus etiam est ægrotantium status; si n male malus. Hæc omnia, quæ in tertia die sese ostenderunt, multo maiora sunt facta in QVARTA ob illius vim; attamen quia erat iuuenis, vt puto, ac valde robusta, non ea die est extincta, sed vsq; ad QVINTAM producta fuit; & quamquam esset robusta, si tamẽ laborasset anginæ prima specie ab Hippocrate tertio Prog. commemorata haud potuisset tandiu viuere; quoniam vt ipse ait, qui simili genere cruciantur prima, vel secunda, vel tertia, aut ad summam quarta die strangulantur; fuit vero potius tertia species commemorata ab Hippocrate cũ extra appareret robur, ex qua scribit euadere, non euasit autem hæc mulier, quia huic malo accessit vrinæ suppressio. Multa alia Galenus dicit in profuso hoc comm. de die mortis huius anginosæ quæ ibi videre licet, inter cætera miratur quomodo potuerit tandiu produci adeo graui angina correpta, & quod pertinet ad litteras in fine additas, existimat non esse Hippocratis, multaque

alia dicit parum ad vsum artis conducentia. Attamen quod putant aliqui illos characteres non esse absonos, quasi suppressio excrementorum vere fuerit caussa necis, vel saltem celeritatis eius, haud assentiri possum, primo, quia ipsemet Hipp. ait QVINTA mortuam esse anginosam, hoc est angina, alioquin illa vox esset superuacanea, cum & initio posuerit, secundo, quia angina hæc licet non fuerit illa horrentissima de qua Hippocrates tertio Progn. 16. attamen & ipsa sæuissima fuit, vt potuerit etiam citius interimere, nisi robur obstitisset, quid enim exitialius sibi poterat contingere, quam liuor, & frigus extremorum cum ingenti spiritus difficultate, & deglutione impedita. Igitur characteres illos delere magis rationi consonum est, quam retinere. Nunc de curatione aliquid dicatur; in qua illud primũ statuendum est, de victus institutione, si quis morbus est, in quo tenuissimus victus sit administrandus; imo vero nihil dandum, plene esse anginam; præter quã quod id habet eiusmodi ægritudo, vt quod vtile est, necessario fiat, siquidem nec cibum nec potum deglutire possunt; ita vt in extrema cibi indigentia confugere oporteat ad clysteres nutriẽtes; etenim posse clysteribus corpora nostra ali, atq; sustentari, præter Arabes, Corn. Cels. lib. 3. ca. 19. & Rufus apud Orib. lib. octauo cap. 24. testantur; sunt autẽ quæ in hunc infunduntur ptissana, tricici, & alicæ cremor panatella, oua in iure eliquata; & notat vnum Orib. in hoc casu debere cornu, aliudue clysteris instrumentum si vmquam alibi, esse quam longissimum, & manibus compellendum maxima vi clysterem esse, vt ad remotas supernasq; partes quam maxime contendat. Præterea monet, antequam immittatur clyster nutritorius, vt præmittatur alter ad educendas fœces. Instituto victu cum mulier esset, debuit Hippoc. aliusne medicus diligenter percunctari de menstruis an fluerent, vel parce fluerent; dixi enim diligenter hoc esse quærendum, tum quia maximi momenti est, tum quia, vt dicit Hippocrates libro de nat. mul. & de morb. mul. eas pudet res suas narrare, nisi verbis, & quæsitis compellantur ad id; Ergo his in casibus si sanguis menstruus sit interceptus prima sanguinis missio facienda est à talo, vel à poplite, tum à cephalica, demum à lingua; sin fluant menstrua, statim oportet deuenire ad sanguinis missionem à brachio, tum per cucurbitulas in dorso, demum ab ipsis venis subtus linguam; & si quis morbus est, in quo sit necessario statim sollicitandum in sanguine mittendo, plane est angina, ita vt medicus statim atque visitat anginosum, vel anginosam habeat præmisso acri, vel mediocri clystere, vt mittatur sanguis, enixe curare Cels. libro quarto. cap. quatto vult si vires patiantur, esse mittendũ sanguinem, Secundum esse vbi sanguis, non abundat, ducere aluum; similiter laudat cucurbitulam sub mento, & circa fauces admotam, vt id quod strangulat, euocetur. Cæterum quoniam tanta vis est in hoc præsidio, & tanti momenti est administrare, vel non administrare; nonnulla circa ipsa paulisper sunt expendenda. Vnum est, an etiam non existente sanguinis abundantia sit mittendus; nam de viribus requisitis semper non est dubitandum, & nostra hæc mulier quam constituimus fuisse iuuenem, plane vires habebat, & rarum est, quin sufficiant etiam in sene; cum morbus præsertim robustis, & sanguineis accidat, statimq; remedium administrare sit opus Alterum expendendum est, an cucurbitula à Celso proposita conueniat. Tertium & vltimum an quoque vtile sit, vt hodie faciunt practicantes, venam incidere subtus linguam. Circa primum dicendum est illud esse verissimum quod prima, & naturalis indicatio mittendi sanguinem est ipsius abundantia, quia euacuatio, & imminutio alicuius rei iuuans indicatur ab abundantia illius lædente, atqui abundantia sanguinis, vel est vniuersalis, in roto corpore, vel est particularis scilicet in aliqua tantum parte. Iam vero ad mittendum sanguinem haudquaquam semper exigitur illa vniuersalis plenitudo cõstituta ex syndrome illorum propositorum signorum ab Erasistrateis, tam qui Romæ, quam qui Smyrnæ profitebantur; & hoc est, q; Gal. contra eos semper intendens plerisq;, in locis dicer haud esse necessariam plenitudinem, de hac scilicet loqnens in mittendo sanguine; sed sat est si sit plenitudo in aliquo peculiari loco, cuiusmodi est in angina, in qua si sit vera, semper adest copia

sangui-

sanguinis circa fauces attracta, atque transmissa ipsius inflammationis vi. Igitur ni aliquod adsit graue impedimentū semper in curanda angina, est deueniendum ad sanguinis missionem, etiā si aliqua virium debiliū adesset suspicio. Circa secundum de cucurbitula Celsi, dicendum nō conuenire nisi facta diligenti totius euacuatione, vt docet Gal. 13. Meth. 19. Ad tertiū Hipp. quarto de acutis, & secundo de morb. laudat omnino, vt post venæ sectionem pertundantur venæ subtus linguam, & sanguis mittatur: imo Arist. 8. de hist. an. ca. 21. monstrat morem esse porcariorum, vt quotiescunq; sues morbo simili tentantur, venas sub linguam incidentes sanguinē detrahant. Cæterum Cælius Aurel. siue potius Soranus Ephesius (nam ipsemet Cælius testatur se esse Sorani interpretem) lib. 3. acut. c. 4. in duobus Hipp. damnare vt sæpe facit, conatus est: primo quod in lib. ad Gnid. sententias, qui est liber de victu acutorum, seu vt Pli. citat de Laudib. ptissanę voluerit ab ambob. brachiis sanguinē esse mittendum, q̄ ait periculum inducere animi defectus. Secundo damnat, quod is voluerit venas subdus linguā secari, atq; in hoc vtitur tribus rationibus, quarum prior est his venis sectis maiorē fieri ad partem affectam sanguinis attractum, quod perniciosum est. Secunda ratio est ad secandas has venas oportere collum laqueo stringere, vnde multo maius suffocationis periculum impendet. Terria q̄ sectis his venis difficiliter sanguinis effluentis impetus cohiberi potest. Sed nugæ sunt Cœlij, primum, quia Hipp. nō vult secari huiusmodi venas, nisi prius diligenter euacuato sanguine à toto, vt s. sanguinis caueatur ad locum affectū attractus. Ad secundā, & tertiam rationē respōdendum est, ea posse timeri vbi negociū ab imprudente Medico, & Chirurgo exerceatur; sed vbi vterq; munere suo, vt debet fungitur, omne eiusmodi periculū euitatur. In hoc genere sunt frictiones, ligaturæ, atq; omne genus reuulsionum, in quib. valde sollicitandum est. Præter remedia Chirurgica sunt & alia, quorum quæ fiunt in principio intrinsecus debēt esse repercussoria, extrinsecus vero attract. transacto principio repellentib. admiscenda sunt cōcoquentia, & post malo cōcocto ea tantū administrate oportet, quæ vim habeant discutiendi. Extrinsecus attenuatoria, vt emplastrum ex stercore canis, vel columborum. Olea ex liliis albis, costi & similia. De quibus omnibus videndi sunt practicantium libri.

HISTORIA VIGESIMASECVNDA.



DOLESCENTEM, *qui decumbebat in mendacium foro febris magna prehendit ex lassitudinibus & laboribus & cursibus præter consuetudinem.* PRIMA *venter turbatus, biliosis, tenuibus multis: vrinæ tenues, subnigra: non dormiuit: siticulosus.* SECVNDA *omnia sunt exacerbata, deiectiones plures, intempestiuiores non dormiuit; mens turbata: parum subsudauit.* TERTIA *moleste: siticulosus, anxiosus: multa iectatio: inquietudo: delirauit: extrema liuida, & frigida, hypochondrij tensio sub mollis ex vtrisque.* QVARTA *non dormiuit, in deterius.* SEPTIMA *mortuus est, ætatem circa annum vigesimum* P.P.S.M.I. *probabile peregrina aliqua caussa mortuum.*



DOLESCENTEM qui in foro. Galenus in hac quoq; historia satis profusus est, sed magna ex parte versatur in disputatione notarum, de quib. millies locutus est, atqui hæc multa dicendi libido potest facilirer illi condonati, qui tot aliorum bonorum author nobis fuit. Historia itaq; est adolescentis 20. annis nati, qui pestifera febre correptus spacio septē dierum extinctus est. Atq; illud obseruandum venit magistrum nostrum in historiis exempla nobis proposuisse omnis sexus, atq; omnis ætatis, vt simul ostenderet præcepta, atq; regulas artis esse in cunctis verissimas, ac propterea qui circa has aliasq; erunt versati, totius medicinæ vera semina habituros. Sed iam examinare eā incipiamus, & primum circa nomen illud sciendum est, sileri ab Hipp. quoniam sibi ignotum erat quemadmodum etiā & domus: vnde voluit eum significare per habitationis regionē, quę appellabatur

mendacium forū, vel quod in ea conuenirent homines locutulei, atq; mendaciorū structores vt fieri solet in plerisq; vrbibus, vel quod olim ab aliquibus publice mendacibus incoleretur, vnde appellatio deriuata postmodū perdurauerit diu, quemadmodum, ait Gal. Athenis fuisse forum κερκώπων. id est veteratorum. Nam & Eusthatius in com. ad Homer. scribit Athenis prope Helieā fuisse κερκώπων ἀγορὰν vbi furta venderentur eo q Cercopes fuissent fures, nimirum improbi illi, quos fabulantur mutatos esse in simias, atq; Pithecusis nomē dedisse. Professio huius iuuenis ni fallor, erat forsan sellularia, cum narret Hip. eum incidisse in morbū ex laborib. & cursibus præter consuetudinē; qua in re nō est prætereundū q animaduertit Gal. s. videri aut particulam πόνων abundare cum in cursibus inconsuetis cōtineantur labores, aut loco πόνων (q magis mihi placet) πότων, esse legendū, quasi dicere voluerit hunc iuuenē in febrem incidisse ex lassitudinibus, potib. atq; cursibus insuetis, id q etiam dixit primo Epid. com. tertio de Sileno, quem etiā eiusdem ętatis, cum hoc. s. 20. ann. fuisse testatur. Neq; vero me deterret quod Gal. displiceat in fine com. hæc mutatio πόνων, in πότων. quasi in eo nullæ noxiæ à nimio potu apparuerint, quoniam licet neruosarum partium læsio euidens visa non sit, attamē affuerunt deliria, & inflammationes, quæ fiunt non raro ab immoderato vini potu. Qui multum currunt eos quoq; sitire non est dubiū, quemadmodū non est dubiū si quis vel inter currendum, vel statim post cursum potest, magnopere lædi, & præsertim si frigidus potus capiatur, quo statim aliquos extinctos fuisse memorat Gal. & ratio est, quoniā inter laborandū calor natiuus languescit, & corporū meatus valde aperiuntur, per quos frigidus potus penetrans calorē natiuum alioquin pene exhaustū facile aggreditur, & extinguit; qua ratione scribit Arist. 5. probl. 28. non debere quoq; statim post exercitationē cibum capi, q excrementa, & colliquationes adhuc redundent; Cum itaq; quis præter consuetudinē vehementius laborat atq; potat, multis de causis læditur, atq; lassatur, tum quia vt ait Hip. primo apho. semper in assuetis labores ferre magis offenduntur assuetis; imo dicebat Seneca hoc dedisse pręclarū homini naturam, vt etiā miseriæ assuetudine imminuārur; tum quia vt lassitudo ab exercitationibus phiberetur, solebāt veteres quemadmodū ait Arist. 5. prob. 6. & 7. vti vomitu, atq; vnctione ex oleo, & aqua q minime fecisse hunc adolescentem alioquin ociosum, & improuidū verisimile est. Ergo cum ex cursibus atq; potibus in lassitudines, incidisset, subsecuta est magna febris scil. τὸ πῦρ vetum cum Hipp. secundo aphor. videatur magis damnare lassitudines spontaneas, quam eas, quæ fiunt à caussis externis, cu... ..... est, vt hic ob caussas externas lassus factus nihilominus in febrē, atq; eam magnam inciderit? Nisi dicamus dispositionem corporis antecedentē id fecisse, nempe quod ociosus existens, iuuenis vel forsan natura, atq; consuetudine bibax humores biliosos, atq; pituitosos accumularit, qui capti à cursibus occasione incaluerint, sicq; putrescenres ingentem illam febrē induxerint, quam deinde varia sunt cōsecuta symptomata, partim in genere excrerotū immutatorum, partim actionū læsarum; Excremēta mutata fuerunt, quod venter turbatus est excrementaq; fudit biliosa, multa, tenuia ταραχώδης κοιλία, i. aluus turbata, locutio frequens est Hipp. quando scil. cum tumultu & molestia alui excirantur ad excretionem. Cels. lib. 2. c. 8. vertit resolutum ventrem, & in Coac. dicuntur ventres dolentes sine turbatione, qui dolent, sed nihil fundunt; erant vero quæ aluo fundebantur primū biliosa, tum ratione ætatis adolescentiæ, in qua ob calorē solet bilis sponte accumulari, tum praui victus & immodicorū cursuum vsu. Erant multa, quia lōgo tempore facta erat ingens excrementorum colluuies; erant demū tenuia, propter cruditatē, quæ non poterat nō adesse in principio. Similiter inter excrementa fuerunt vrinæ, quę non tantum omni coctionis indicio carebant, verū etiam signa coctionis contraria habebant, nempe tenuitatē, atq; subnigrorem: tenuitas fiebat, quia erat pura materia potulenta nullo morbifico humori commixta. Cæterum dubitatur vnde nam statim eiusmodi nigrorem sit adepta; nisi dicamus illam su.. nigredinē significare obscuritatem quandam, quæ oriebatur ex humorū agitatione, & si quoq; non

incon-

inconuenit ex immodicis cursibus aliquos humores combustos eum colorem peperisse, nec tamen tenuitatẽ abstulisse. Quod spectat ad læsas actiones, quæ fuerunt sitis, atq; somni carentia; sitis non potuit nõ adesse, cum febris magna esset, cumque aluus copiosa funderet, eaq; biliosa, & multum cucurrisset. At quod statim non dormire cœperit; videtur alienum ab vsu, siquidem potores tunc solent magis dormire, cum maxime à febre calescunt: atqui hic oblæsum habebat antea cerebrum ob immoderatos cursus; siquidem scribit Theophrastus in lib. de lassitud. & Arist. quinta Probl. 9. cursum velocem tam in brutis, quam in hominibus afficere capita morbis quoniam, & si deberent alioquin excrementa à partibus superiorib. ad inferiores trahi, vt in immodice ambulantibus contingit, quorum crura fiunt propterea tumida, nihilominus quoniã qui velociter currunt, necessario spiritũ retinent vehementer, inde fit vt pectora, & capita ipsorum repleta maxime calefiant, sicq; internis, atq; externis iniutiis disposita magis euadant. Læsa autem capita, & nimiũ calefacta nisi humore multo abundent, somnũ desiderare solent; vt contingit huic adolescenti, qui nulla die dormiens & prima die subnigras vrinas mingens haud difficile erat, vt ait Gal. cognoscere, eius morbũ, non modo periculosum, verumetiam exitialem esse. Atq; hæc de primæ diei symptomatibus. Sequuntur accidentia SECVNDÆ in qua dicit Hipp. cuncta fuisse exacerbata, nempe excrementa alui plura fuisse, atq; magis intẽpestiua, nõ dormiuisse, turbationẽ mentis, paucumque sudorẽ habuisse. De excrementis quomodo Hipp. dixerit ea fuisse ἀκαιρότερα, id est intempestiuiora, dubitant nõnulli, eo q; non possit eiusmodi vox accõmdari ad superiora; cũ tales deiectiones, quanto citius apparent, tanto magis importunæ, & intempestiuæ dici possunt: vnde comparatiuũ pro positiuo Hip. posuisse dicunt. Sed si res ita se habet, cur igitur in deiectionib. priori die non apposuit eam vocẽ? siquidem si sint magis importunæ priores posteriorib. tanto magis dicebat Hipp. ita appellare illas, & nõ secũdas hasce? Igitur arbitror eo modo hic recipiendas esse intempestiuas deiectiones, quo Gal. 1. in primũ Epi. tex. 25. accepit. s. pro crudis; sic. n. Hip. dicit ἀκαίρων ὑποστάσεων vrinæ. i. crudum, & non coctũ sedimentum, vt interpretatur Gal. quasi dicere velit 2. die fuisse adhuc deiectiones plures, & crudiores, quã prima; nisi quoq; dicere placeat voluisse significare priores habuisse quidẽ aliquam occasionẽ ex erroribus; sed has secundas minorẽ habuisse, propterea q; fuisse magis intempestiuas. Quod vero SECVNDA die cœperit habere mentem turbatam, & si aluus abunde flueret, quo in casu solẽt potius desinere priores mentis turbationes, quã incipere, fuit & illud quidẽ cum ratione, quia caput, vt dixi, ex cursibus maxime calefactum erat, fluxus alui assiduus magis exiccabat, sicut & vigiliæ propterea calefacto & exiccato cerebro iure sequebatur mentis turbatio; neq; n. est quicquã quod æque deliriũ futurum prænunciet, atq; præcoces & assiduæ vigiliæ; præsertim vbi fit deliriũ ex sola intemperie absq; humoribus. SVDAVIT PARVM. Quod sudauerit parũ, non est adeo mirum, quia multum deiiciebat, raro. n. simul duæ copiosæ euacuationes fieri solent: ideo hoc nomine haud fuit damnandus sudor, vt putant aliqui, quia esset exiguus; sed quia esset intẽpestiuus: hoc est neq; in decretoriâ die, neq; vlla apparente cõctione ob q; Gal. dicit hoc signum quoq; inter læthalia fuisse. TERTIA haudquaquã melior fuit in qua difficulter morbum tulit, quod ab Hipp. 2. Prog. inter signa exitialia primo loco adnumeratur: sed & alia malorum illas huic adiuncta est: nẽpe sitis ingẽs anxietas, multa iactatio. i. πόλυ σβλησμὸς. ἀπορία siue ambignitas, delirauit; extrema liuida, & frigida hypochõdrij tẽsio submollis vtrinque. Certe vnũquodq; horum signorũ sufficiebat ad præsignificandã mortem futurã: vnde omnia simul multo magis, atq; amplius ad eius celeritatẽ attestandã: libenter assentior Gal. qui aduersus alios interpretes conat' est probare exacerbationes fuisse diebus imparib. quemad modũ & mors; est. n. Hip. firma sententia iisdem dieb. siue paribus, siue imparib. fieri, & exacerbationes, & iudicationes. Quod pertinet ad anxietatẽ, sane videtur Hip. hic præter morẽ tribus vocib. vsus, quæ vnã, & eandẽ rem significant nempe ἀσώδης, βλησμὸς ἀπορία siquidẽ omnes significant

inquietudinem illam corporis,qua ęgri sese hinc atq; illuc vertunt,locum,& situ inuenire nequeuntes commodum: atqui Hipp. non consueuit ita nugari;neq; eande rem plurib.verbis eodem in loco,ac tempore significare. Nisi dicamus verum esse, quod hæ tres voces significant quidem eandem rem, sed diuersas caussas eiusdem, atq; id non inconuenit facere, nec Hipp. nec Arist. primum. n. ἄσσης seu anxietatis caussa est oris ventriculi mordicatio, quam cupiens natura effugere, omnem situm frustra mutat; atq; hęc mordicatio à prauis,& pestiferis succis inducitur, porro βλησριασμὸς apud Hipp. sæpe in hisce ægrotantib. vsurpatus significat ingentem illu motum, seu iactationem, quam ob insupportabilem æstum, atq; febrile incendiu ęgrotantes frequenter faciunt, ἀπορία vero significat angustiam & iactationẽ, ac veluti desperationẽ, qua ægri ob pestiferos, ac malignos succos animum despondent, atq; interdum in deliquium cadunt: Iam vero hic adolescens omnes huiusmodi causas intus gerebat oris ventriculi morsum ob humores biliosos, & acres: incendium ingens in toto corpore, præsertim in hypochondriis, adhæc febris malignitatem, ob quam animus, & calor natiuus pene conciderant, adeo vt minime Hipp. nugetur, sed potius vt semper solet, nil absq; ratione dicat; Deliriũ fuit maius tertia die, quia in secunda tantum mens fuit παραχθεὶς in tertia vero παρέκρουσεν.i.delirauit. Delirare aũt quid maius est, quã mentem habere turbatam. de extremis vero liuidis, atq; frigidis dicit Gal. fuisse signũ læthale in febre acuta, vt etiam Hipp. 4.aph.4.scribit, ac præsertim in ætate 20.an. fieriq; vel ob magnitudinem inflammationis in viscerib. vel ob extinctionem caloris natiui, quę cum possit etiã fieri ob vehementiã inflammationis, par est existimare Gal. haudquaquã de ea intelligere, sed de alia, quæ fit à pestilitate materiæ, quæ cum cor præ cęteris petat, sane ibi calorem natiuum ita ferit, vt corruat; Vtrum aũt tensio illa vtriusq; hypochondrij significauerit lienis, & iecoris veram inflammationem, vt putant aliqui, non abnuo; quanquam nõ videntur integra adfuisse signa, quæ ponuntur à Gal. 8. Med. loc. ca. 8. præsertim fœdus alui fluxus, de quo nihil loquitur in 3. die, & qui nõ potuit esse, qui 1. & 2. die visus est, quãdo.s. nondum erat illa tensio; certe adfuit in illis partib. ingens incendiũ, & forsan principium veræ φλεγμονῆς cum Gal. dicat fuisse illam tensionem submollem absq; tumore, ac demonstrasse nõ vllum ex musculis extimis fuisse inflammatum, sed vel septum transuersum, vel iecur, vel lienem. De QVARTA pauca & multa dicit; pauca quia nil aliud dicit, quam ipsum non dormiuisse, & omnia peius habuisse, multa autem dicit, quia verba illam ἐπὶ τὸ χεῖρον in peius significant omnia præterita mala adfuisse quoq; in quarta, sed cuncta in deterius fuisse lapsa, ita vt sexta die interierit; & pnto Hip. non cõmemorasse accidentia 5. & 6. die, quoniã cum vidisset in quarta nullam amplius esse spem, timeretq; citissime peritnrum, amplius non accessit; & certe debebat in fine quartæ vitam finire, nisi robur virium vsq; ad septimam diem ipsum produxisset; atq; hoc sane exemplum est acutissimi, & exitiosissimi morbi, vt vere quemadmodum ait Gal. præsetulerit hunc titulũ ὀξὺ quo solebant veteres vti ante historias, ad ostendendam casus magnitudinem, atq; acutiem, quamquam de die mortis non exigua ex characterib. est ab Heraclide Tarentino quæstio ob alios codices in quibus legebatur ipsum 5. die interiisse. At quod Hipp. voluerit in fine apponere ægroti ætatem, nempe q; esset 20. ann. puto caussam fuisse, quia voluit ostendere morbum fuisse violentissimum, propterea q; septima die iuuenem iugulauit 20. ann. id est, robustissimum; & vt similiter indicaret habentem in quarta die signa euidentia propinquę mortis, nõ potuisse vltra procedere ob aliam rationem, quam quod iuuenis, atq; robustus erat. De characteribus in extremo positis multa suo more edisserit Gal. quæ omnia quoniam pertinent parum ad vsum artis & ea cupientib. cognoscere licet apud ipsum, libenter dimittam; atq; de curatione quæ similibus morbis debetur, nonnulla ex instituto nostro breuiter dicam, primum enim morbus fuit acutissimus, atq; ob id opus etiam fuit victu acutissimo, qualem fuisse statim ab Hippocrate institutum minime dubitare oportet, & si quis est morbus, in quo opus esset statim sanguinem mittere, tum morbi magnitudinis ratione,

tione, tum ob viriũ robur, certe hic fuit; verum vetuiſſe videtur hoc auxiliũ fluxus alui inſignis; qui 1. & 2. die adfuit, & quo exiſtente dicit Gal. primo ad Glauc. 14. nullam aliam euacuationem moliri oportere. Tertia etiã die haudquaquam anxietas, anguſtia, ambiguitas, & extremorum frigus, ac liuor permittebant vllam ſanguinis miſſionem, adeo vt veriſimile ſit huiuſmodi potentiſſimũ auxilium neceſſario fuiſſe dimiſſum, atq; vbi occurrit caſus ſimilis, omnino dimittendum eſſe, vt potius vi morbi, quã medici imprudentia æger periiſſe dicatur. Sed quoniã prauitatis morbi certa indicia ſtatim ſeſe obtulerunt erat quoq; ſtatim aduerſus huiuſmodi prauitatem contendendum tum externis remediis, tum etiã internis, facta prius prædictione. Vt enim anxietati, quæ fit vitio actium humorum eſt occurrendũ emplaſticis, atq; refrigerantibus potibus & cibis: ſic aduerſus incendiũ, & peſtilentiam; à quibus fiebant inquietudo, & ambiguitas valere aliquid poterant refrigeratoriæ tũ potentia, tum actu potiones, atq; bezoartica remedia, nunquam q; etiam adnotat Gal. dormiuit præſens propoſitus adoleſcens; & quoniã nil magis cõſternit, & animos & corpora ægrotantium, quam omnimoda ſomni priuatio; præ cæteris in ſomnum prouocandum omni diligentia incumbendũ erat vſu emulſionis, ſeminum papaueris, lactucę coctæ, lotionũ partium extremarum, inunctionibus temporum, cum diapopuleon eadie & Philonii potione, & obſeruandũ eſt in febribus ardentibus, atq; in iuuenibus, & æſtate, quo tempore hunc ægrotaſſe mihi perſuadeo, nõ abſurdum eſſe in cõſumata & iugi ſomni, priuatione, etiam ad magna opiata deuenire, qualis eſt Theriaca recens, quæ etiam perdomando peſtiferæ tabo valere poteſt: Philonium Romanum pillula de cynogloſſa, aliaq; ſimilia, quæ cum valde ſint frigida, poſſunt etiam extinguendo febrili calori non exiguam opem præſtare.

HISTORIA VIGESIMATERTIA.



Pvd Tiſamenum mulier decumbebat: cui voluuloſa moleſte mota ſunt: vomitus multi, potum continere non poterat: dolores circa hypochondria: & in infernis: ſecundum aluum dolores, tormina continua: non ſiticuloſa: ſuper calefacta eſt: extrema frigida vſq; in finem: anxioſa; vigil: vrinæ paucæ, tenues, deiectiones crudæ, tenues paucæ, iuuare nihil amplius poterat: mortua eſt.



Vlier quæ decumbebat apud Tiſamenum. Præſens hiſtoria, ſi quæ vlla alia maxima admiratione & diſcuſſione digna eſt, non modo propter morbi acutię ingentem, verum etiam, quia Hipp. de ætate nil dicit, de vita anteacta, minus, aut de quoquã alio, ex quo poſſimus colligere, aut ſaltẽ conicere: quæ faciunt ad vniuerſum morbi ſtatum; ſed quod magis miror tanquam Hippocrati inuſitatiſſimum eſt, quod neq; dies notat exacerbationũ neq; iudicationum: imo vero nullius diei mentionem facit: neq; dicendũ eſt vt Gal. ſecunda, vel tertia die obiiſſe, ideoq; ob morbi ſæuitiẽ ægram interiiſſe, vt non fuerit neceſſe connumerare dies, neq; diem mortis, quoniã Hipp. vt videbitur, & vt legitur primo Epid. in hiſt. Critonis, numerat etiam dies eorum, qui ſecunda die obierunt; quod ſaltem etiam hic facere debebat, nempe diem mortis adnotare. Neq; etiã mihi placet dicere Hipp. non adfuiſſe huic ægræ quoniam vſq; adeo diligens eſt in recenſendis omnib⁹ ſymptomatib. vt appareat illa ipſum met adnotaſſe: imo vero cũ dicat nullam à remediis vtilitatẽ percepiſſe, inde conici poteſt etiam ab ipſo mulierẽ hanc fuiſſe curatã, & ꝓpterea aliquot dieb. vixiſſe; alioquin aut nulla, aut pauca fuiſſent adhibita remedia, & cõſequenter non opus fuiſſet Hipp. vt diceret nullam vtilitatẽ percepiſſe ex remediis. Itaq; fieri poteſt, vt tunc Hipp. quando hanc hiſt. ſcribebat, fuerit multis curis, multiſq; occupationibus implicitus, vt dies adnotare oblitus ſit; neq; n. incongruũ magnos viros, magniſq; & multis negociis detentos errores memoriæ & incuriæ cõmittere, cũ etiam quæ ſua ingenuitas eſt quarto Epid. cõfeſſus libere ſit ſe interdũ in commiſſutis capitis à vulnere diſtinguendis erraſſe; qua in re à Plut. Baſilio, Gregorio Nazianzeno cõmendatur. Verũ adhuc maior, & pulchrior difficul-

difficultas oritur, vtrum morbus, quo tentata est proposita mulier fuerit verus volulus, vt videtur appellare ipsemet Hipp. in quo, scilicet stercora ore reiiciuntur, & quẽ aliqui Barbari appellant (Miserere mei,) ob morbi existiosissimas conditiones; an potius fuerit morb. colicus; nam quod Hipp. nunquam memorauerit colicum morbũ, eumq; sub Ilei nomine intellexerit satis in variis lectionib. monstrauimus, nisi dicere vellemus, tunc tẽporis ant nõ fuisse huiusmodi morbũ, aut ab Hip. ignoratum fuisse quorũ neutrum mihi placet asserere, qui forsan primus aliorũ hoc obseruaui. Præterea Hipp. neq; meminit fœtoris, neq; vomitus stercoris, qui est verus veri voluuli character; Adhæc deiectionũ mentionẽ facit, quas tamen in vero volulo fieri omnes negant, imo neq; etiam flatum aluo exire in voluulo pro cõperto habetur apud medicos, vt manifeste docet Hip. tertio de morb. vbi diligenter satis omnia symptomata veri voluuli proponit; dico aũt veri, quoniã in li. de Aff. internis cõmemorat voluulum arcuatum, & voluulum æmatitem, quemadmodũ etiam secundo Epid. sect. 6. voluulum mollem, quorũ neutrum conuenire cum descripto tertio de morb. vnicuiq; satis manifestum esse potest, vt his rationibus videatur potius colicum morbũ describere solum post Tiberij Imperatoris tempora apud medicos celebratissimum. Et certe cõplura ex signis propositis videntur ipsi cõuenire, attamen quoniam Gal. sentit loqui de vero voluulo, atq; hunc fieri tam in superioribus ac tenuibus intestinis, quam in inferiorib. & crassis. Areræus dicit colicos sępe ileo iugulari, quasi morbi sint admodũ similes; ipse quoq; hanc sententiã sequar; & iccirco priusquã ad verborũ Hipp. anatomem deueniã pauca quædam de huiusce mali natura docebo; Qui enim voluulus à Latinis, & Iliaca dicitur, eo q; in sese voluantur intestina, à Græcis Ileos nuncupatur, nec nõ interdũ cordapsus. Cæl. Aurel. 3. acut. c. 17. appellat tormentũ acutum, & sic vocari ait, q; torqueantur intestina ob spiritus exitum negatum, atq; ob dolorẽ, ob quem ægrotantes in sese cõuoluuntur & arcuantur; ob quod forsan Hipp. quandam speciẽ vocat voluulum arcuatum Silimachus apud eundem Cælium narrat quosdam Pythagoricos vocasse φραγμὸν, id est sepimentum; quasi in ipsis intestinis fiat, veluti sepimentum. Vtrũ dictus sit ileos morbus ab intestino, an intestinũ ab hoc morbo, parũ refert decernere. Gal. certe secundo Meth. c. secundo putat sic vocatũ à symptomate, scil. ἀπὸ τοῦ εἰλεῖσθαι id est, à conuoluendo. De nomine aũt cordapsi tria notanda; vnum est Cels. 4. lib. cap. 13. scribere Dioclem Carystium vocasse morbum crassioris intestini ileum, tenuioris aũt cordapsum; tempore vero suo econtra crassioris intestini morbũ vocatum esse colon, vel colicum, tenuioris ileum, ex quo loco colligi potest verũ esse, quod initio dicebam nomẽ colici non fuisse ante Celsi tempora, qui floruit circa Tyberij principatum vnde etiã miror q̃uo Gal. hoc in loco dicat ileum esse morbũ tam crassiorum, quam tenuiũ intestinorum. Alterũ adnotandum est, Aret. lib. de acut. ponere differentiã inter ileum, & cordapsum, q; pręter tormina in cordapso est tumor, qui si comprimatur, cedit, & quodammodo videtur relaxari, quam etiã differentiã videtur agnouisse apud Aetiũ Archigenes. Cæterũ Diocles Caristius secundus Hip. ab Atheniensib. vocatus posuit alias differentias, s. in Ileo fieri eructuationes, crepitus sine stercore tamen sæpe sine tumore, ac duritie, recipi clysteres, & dolores inchoare à superiorib. In cordapso vero si mitis sit per os excerni humores. Sin vehemens excerni stercus, non recipi clysteres ventrem durum esse, atq; tumidum. Gal. aũt sexto de loc. aff. secundo inquit vocatũ esse cordapsum hunc affectum, q; in eo instar cordarum circunuertantur intestina ab antiquis etiã cordæ vocata. Tertium notandũ est veterinarios medicos qualis Absyrtus vbi iumenta reiiciunt cibos, vel per os, vel per nares vocare cordapsum. Verũ dimisso nomine, dico Ileum esse dolorem acutum, vt plurimũ intestinorum tenuium, nihil deorsum permittentẽ labi; vnde colligi potest Ileum arcuatũ, & sanguineũ, & mollem, ꝓpositos alibi ab Hipp. nõ esse hunc. Est dolor acutus quia semper acerbissimus, licet Gal. 2. & 6. de loc. aff. videatur acerbiorẽ facere colicum, quippe quo aliquos sibi manus consciuisse narrat. Dixi maiori ex parte intestinorũ tenuium, quoniam Gal. vt dixi hic vult etiam

fieri

fieri in crassis, sed illud est rarius, & per cōmunicationē à superiorib. atq; tunc euomuntur stercora, quæ verā formam stercoraceam tantum in crassis, & extremis, nō aūt in tenuibus, atq; superiorib. atq; virunt. Caussa aūt ē ꝑpter quam frequentius patiantur intestina tenuia est, tum quia sunt magis sensibilia, tum quia angustiora, tū quia humorū sentinis sunt proximora. Dictum est prohibere nil exire extra, ad differentiā colici, in quo, vel sponte, vel ope clysteriū educunt fœces, & humores: imo plerunq; hisce tātum curatur; cum in Ileo solū per superiores partes aliquid reiiciatur. Est symptoma in genere tactoriæ actionis depravatæ, est & expulsoriæ læsæ. Facultas autē tactoria, & expulsoria lædi possunt vel essentialiter, vel accidētaliter, vel vtroq; modo, vt & aliæ, quemadmodū scribit Gal. 3. de symp. caussis. c. 1. Læditur essentialiter læsa reperie, q est facultarum substantia, vt ait Gal. initio li. de fac. nat. læditur accidentaliter, quando impeditur ab aliquo morbo instrumentali, ne possit operari, vt obstructione. Iam vero in Ileo vtroq; modo læditur facultas tactoria, & expulsoria. s. ob inflammationē, seu tumorē inflammatorium, nec nō obstructionē, q̄ vocabant Pythag. vt ante dicebā sepimētum; etenim cum vel tumore, vel alio pacto cōuoluta intestina nil permittunt infra exire, facultas expultrix nitens pellere vertit omnia ad superiora, vnde intestina tenuia, & sensibiliora distētā à flatu, & fœcibus, necnon ab inflāmatione, & humorib. acribus dilaniatā incredibiles illos cruciatus inferunt, aliaq; symptomata tertio de morb. ab Hipp. commemorata, adeo vt caussæ internæ huius affectus sint humores, & flatus facientes tumorē, obstructionem, & extensionē, externæ caussæ sunt in primis tempus anni, vt Autumnus secundum Hipp. tertio aph. 22. de quo etiā loquens Aretæus dicebat Ileū fieri magis autumno, quam hyeme, & æstate, quam vere. Auic. etiam vult aerem pestilentē facere ileum, & videtur hic indicare Hipp. frigus, vehemens idem facit, vt aliqui cibi, qui ꝑprietate quadam faciunt similes dolores; vt Cic. dicit sibi cōtigisse ex esu helueolarum, sic refert Aetius de atramento sæpiæ, siue succo nigro loliginis, potus, aquæ frigidæ, impulsio vehemens intestinorum in curandis herniis, vt nuper vidi in mercatore Pisano, qui sic factus est Iliacus ex bubonocele; Venena etiā aliqua hunc morbū faciunt, vt recitat Nicand. de aconito, & argēti spuma: Fungos quoq; interdum producere hunc morbū testatur Cæl. Aur. Modo accedamus ad Hip. nostrū.

MVLIER. Græce γυνή, vtrum virgo, an nupta an alterius conditionis esset non dicit Hippocrates, vel ob modestiam, vel quia ignoraret: attamen haud virginem fuisse certe iurarem, quod proprie vocarent Græci γυναῖκα sicuti latini mulierem, quæ iam defloratà esset; vnde refertur de Democrito, qui cum die quadā fuisset obuiam factus cuidā fœminæ, quæ antecedēte nocte fuerat vitiata, sic appellauit χαῖρε γυνή, id est mulier salue, cum ante semper virginem vocasset. Cicero etiā obiurgantibus, q; sexagenarius virginē duxisset, respondisse fertur, cras mulier, i. γυνή erit, sic vocabāt γυναικεῖον locum domus vbi deflorate, παρθένιον vero vbi virgines habitabāt, vt est apud Plut. in Alex. DECVMBEBAT apud Tisamenum, nō quod in domo Tisamem esset, sed q; domus, vbi erat ægrotans, propè domū ipsius Tisameni esset; qui Tisamenus Eleus erat ex gente Iamidarum, qui & ipsi medici erant, & arte aruspicinam callebant, ac ob alia præclara facinora, vt scribit Herodotus lib. 9. omnibus notus, vt patet, quiq; forsan habitabat in Thaso, quamq̄uā non inconuenit hos cōmemoratos ab Hipp. haud omnes fuisse Thasios, sed circumuicinos etiam, quos eū visitasse haud absurdum est. Illud certū est, & Tisamenum de quo multa scribit Herodotus, vixisse Hippocratis ætate, vt is fuisse facile potuerit. Hæc aūt mulier quomodo in hunc morbū inciderit, hoc est ob quas externas caussas haudquaquā diuinari sufficio, nisi dicamus propter victus errores, & præsertim ob aerē pestilentē, à quo etiā fieri Ileū ex Auic. sentētia prius diximus: huic ergo statim Iliaca symptomata difficiliter mota fuīt. Quæ aūt sint huiusmodi symptomata pedetētim enarrat dicens. ἔμετοι πολλοὶ q; enim quis vomat, nō protinus est Iliac⁹, sed qui multos vomitus habeat, hoc est frequentes copiosos, atq; varios de eo dubitari potest. POTVM continere non poterat) Cur Iliaci potum continere nequeant, est quia frequenter vomunt:

vomunt:sed dicetis nonne eadem ratione haud continere possunt cibum?id quod si est,cur potius id dicit de potu,quam de cibo? An forsan,quia facilius potũ, quam cibum vomitu reiicere possumus;quamquã non diffiteor esse quosdam œsophagi, & stomachi affectus;in quibus facilius vomuntur dura,& solida, quã liquida; sicuti animalia ruminantia, quæ cum reuomant cibum in os, vt illum conficiant magis, haud tamen vnquã reuomunt potum,& si interdũ copiosissime potent. Possumus etiã dicere nomine potus intellexisse sorbilem cibum, quẽ sumebat, & quo Hipp. ægros semper, & præsertim acutis detentos alebat: etenim & hoc pessimũ est euomere continuo cibum,quia nutritio sic auferatur,sine qua non potest vita consistere. Dolores. Circa Hypochondria) siue flatus contineantur in hypochondriis siue quispiam tumor, fit dolor, scilicet ob solutionẽ continui, vtrumq; fieri solet in Iliacis,ac propterea, nunquam est quin doleant circa præcordia, si malum sit intestinis superioribus. Et in infern. Non solũ in hypochondriis dolorẽ habebat misera mulier, sed etiam in toto ventre inferiori; non quod totum abdomen vel tumetet, vel esset repletũ flatu, sed intestina cum sint sibi ipsis continua vix vna pars ipsorũ affici potest, quin simul & aliæ afficiantur;vnde ait etiã fuisse cõtinuos dolores: Sed cum dolores continuo faciant fieri ægrotantes ob cõtinuas querelas, quomodo inquit non fuisse siticulosam?Hæc est vna ex iis rebus, quæ faciunt admirandã hanc historiam, caussa antẽ huius euentus esse potuit, quod potus reiiciebatur, qui irrigans ipsas fauces prohibebat quominus illæ exiccarentur, & sitim facerẽt;nec valet, quod vomitus quoq; sitim facere soleat, quoniam id quidem verum est, vbi reuomuntur humores superuacanei, dum reiiciuntur vomitu, haudquaquã madefaciunt, imo biliosi magis exiccant;contra cibus & potus madefaciunt;sic enim dicebat Arist.25.probl. 11.aerem non madefacere superficietenus, sed aquam. Supercalescebat. Volnulosi omnes habent quidem febrem, sed quæ varia est,& iugiter augeri, ac remitti videtur;ea propter dicit hanc mulierẽ supercaluisse, quasi calori febrili existenti alius superuenerit;& cum febris esset praua & maligna, haudquaquam magnitudinem illam ostendebat. Extrema. Id habent vt sæpe dixi, omnes internæ inflammationes, vt calorem ab extimis ad sese trahant; idcirco inflammatione existente in præsentis ægri intestinis haud mirum si toto morbi cursu fuerunt sibi extrema frigida, ob quod etiam fuit & ἀσώδης, & vigil, si quidem affecto grauiter ore ventriculi, tum ob inflammationis viciniam, tum ob iugem vomitum, haudquaquã dormire poterat. sed dicet aliquis ad quid Hipp. commemorauit insomnietatem; quis vnquam existimaret hunc in tanta malorum colluuie posse dormire? Ratione doloris certe dormire nullo pacto poterat, aderant tamen multa alia, quæ somnum aliquem inducere posse videbantur: qui quoniam non inducebatur; nil mirum si ab Hipp. hoc adnotatũ fuit. Cumq; ad mali sedem confluerent cuncta pene corporis excrementa, non mirum est vrinas fuisse paucas, atque tenues. Cæterum dubitatione dignum est, quomodo dicat fœces fuisse crudas atque tenues, siquidem interpræcipua voluuli indicia illud est, vt ab intestinis neq; flatus, neq; fœces reddantur, sed omnia per os reiiciantur, qua ratione multo miserabilis efficit hoc morbi genus. Respondent aliqui, quod scribit Hipp. deiectiones alui fuisse crudas atq; tenues, ita intelligendum esse, quasi id quod exibat non esset opus expultricis facultatis; sed veluti quidam tabes sponte exiens, & colliquatus vi caloris febrilis, & incendij iecoris. At hoc non tollit dubitationem, quia si neque flatus exire potest, aut quid aliud, vt dicit Hipp. in lib. de Aff. multo minus vlla alia materia. Itaque dicendum quod scribit Galenus diuersos esse tumores superiorum, & inferiorum intestinorum, quia in illis reiicitur ore, & stercus, & morbus, est læthalior. Iam vero quæ in hac muliere intestina paterentur non dicit Gal. sed cum Hipp. non memoret stercoris exitum, existimandum esset potius fuisse malum in inferioribus. Sed adhuc dubitatur, quia stercus propriam figurã acquirit in inferioribus intestinis, vnde non videtur posse reiici nisi cum hæc patiuntur. Præterea cum intestina solum affecta sint, ad quid potest vrinæ contemplatio conferre? Ad primum dicendum,

dum; vel Gal. nomine κόπρος intelligere quicquid in intestinis continetur tam superioribus, quam inferioribus; vel potius totum siccum primæ coctionis excrementum, quod modo compactum & durum est, vt appellatum ab Hippocrate πύλαιον κόπρανον, vel recens & molle. Atque hoc est quod etiam intelligere voluit Hippocrates in fine primæ sect. secundi Epid. vbi dicebat ruptiones pectinis, vbi fiunt supra vmbilicum in dextera parte esse dolorosas, anxiosas, atque stercoris vomitum inducere. Quod autem dicit Hippoc. deiectiones fuisse crudas, ac tenues, certe non est facile intellectu, nisi dicamus id ipsum dixisse de deiectionibus, quæ ante morbum factum exibant, quasve fuisse tales consonat rationi. Quod vero dicitur apud Cœl. Aurel. loco iam citato aliquos putasse stercus exiens mali odoris esse melius stercore simplici, non est præter aliquam rationem, cum quæ non habent tetrum odorem significent, incendium ingens, quo exsiccantur, & inodoræ fœces redduntur: nec valet quod Hippoc. in Coac. præd. & tertio Prorrh. text. 66. dicat voluulos fœtidos necare statim, quoniam id dicit, vbi ileo coniunctæ sunt parotides. Ad aliud de vrina luculentissime satisfacit Gal. in comm. nempe in cunctis affectibus valde præstare vrinas ipsas obseruare, quoniam licet affectui principali cognoscendo nil, aut parum omnino obducant, valde tamen interest vtrum ipsi quispiã alius affectus coniungatur siue bonus, siue malus, q̃ ex vrinis cognoscitur, quę si bonæ fiunt, haud ad salutem attestandam multum cõferunt, sin autem prauæ sint, mortem multo magis significant: vnde Hippocrates in præsenti cum dixerit vrinas, & excretiones alui fuisse tenues, & crudas, quis non videt hæc signa auxisse necis futuræ suspicionem? ita vt merito statim subiunxerit nullum remedium sibi contulisse, atq; ipsam interiisse. Ex quo loco, vt optime notat Gal. coniicitur huic ægræ ab Hippocrate fuisse adhibita vsq; ad extremum remedia, etsi ab initio moritura ab ipso putaretur; vt exemplum esse possit non deserendos esse ægros, licet extreme periclitantes, quemadmodum nec Hippocrates desetebat, quamquam eorum remediorum præterquã sectionis venæ interdum rarissime meminerit, quod nimis operosum, & ab ipsius instituto alienum fuisset singula præsidia adhibita recensere; quod si nonnunquam (vt dixi) id facit, est quia remedium commemoratum habuit aliquid rari veluti in Anaxione, cui in octaua die morbi existenti secta fuit vena præter morem medicorum, & rationem, qui docent statim vbi exigitur, ad phlebotomiam esse deueniendum. Illud vnum haud est sine animaduersione prætereundum, hic Hippocr. appoluisse ante mortem, præter ipsius consuetudinem, quod nullum remedium contulerit, tum ad ilei sæuitiem declarandam, ob quam vt dixi a barbaris vocatus est, miserere mei, tum quia nullum futuræ mortis indicium certius habetur, quam vbi vi morti cuncta humana præsidia vincuntur, vt dicebant Aretæus, & Aetius de elephantiasi. Priusquam autem ad curationem descendam duo videre operæpretium est, vnum qua die mortua sit hæc mulier, cum Hippocr. de hoc nihil dicat. Alterum est circa vrinas, quomodo Hippo. sexto Aphor. 44. & in Coac. dicat stranguriæ si superueniat ileus, perire ægrotantem intra septimam diem, nisi superueniat febris cum vrina copiosa. vt vt dicit Auic. 16. tertii tract. quarto, cap. 29. sudor: Quem Aphorismum interpretans Galen. dicit se ignorare veras caussas illius sententiæ, imo suspicatur an sit germanus Aphorismus Hippocr. Ad hæc videtur Galen. negare fieri ileum posse ab humoribus frigidis, & crassis, secus quam sentit Hippocr. in lib. de Affect. Ego autem puto, quod interdum superueniat ileus stranguriæ esse, quando eadem caussa, scilicet humor valde glutinosus, & viscidus, qui facit stranguriam in intestinis cumulatus, & stercori obuolutus transitum impedit humoribus, & fœcib. ad alnum; in quo casu febreq; accedente humor ille aut soluitur in sudorem, aut eliquatus, & in vesicam corriuans morbum soluit, alioquin vere dicit Hippocrat. in Coac. iliacis superuenientem vrinæ interceptionem cito interimere. Quã autem die mortua sit hæc mulier, quod erat alterum; sunt nonnulli, qui dicunt periisse statim eadem die, & propterea Hippocr. non commemorasse neque dies exacerbationis, neq; mortis,

Verum haudquaquam mihi probari potest istorum sentẽtia, propterea quod certissimum est, complura remedia ab Hippocrare adhibita fuisse, quandoquidem ipsemet fassus sit ea nil contulisse: adhæc, vt nuper dixi, Hippoc. sexto Aphor. dicit, quibus ex vrinæ stillicidio ileus superuenit septem diebus perire: ileus suapre natura est exitialis, multo exitialior est, si alteri morbo superueniat: si igitur quando ileus exitialior est, non intrerimit statim prima die: multo minus potuit ileus huius misellæ prima die eam interimere: Sum itaq; huius sententiæ, hanc mulierem periisse quidem cito, sed non adeo cito; vt non peruenerit ad tertiam aut quartam diem; non commemorauit autem Hippoc. diem, quia cum esset occupatissimus, forsan (vt alias dixi) oblitus fuit, vel non habuir otium. Modo de curatione huic dirissimo morbo debita aliquid dicamus; in qua instituendum primum opus est mali sedem dignoscere, an scilicet in extremis, an in summis intestinis posita sit, quia ex variatione huiuscemodi sedis, curationẽ quoq; variari nõnihil necesse est. Itaq; si vel inflammatio præsens adsit in infernis intestinis, vel suspicio ne sit futura, statim deueniendum est ad sanguinis missionem à pedibus secundum Hippoc. & Galen. præcepta iubentium inflammatis infra renes partibus sanguinem mitti oportere ab inferioribus; sin vero inflammationis superiorum metus sit a brachio, mittendus est sanguis, quamquam Hippocr. tertio de Morb. vbi longius de his loquitur aliter decernat de sanguinis missione, vt Diocles apud Celsum. Tum studẽdum est intestinis ipsis apertis reddendis, atq; conseruandis; idq; fit vbi malum est infra clysteribus mollibus, vt succo maluæ, pthisana, decocto capitis castrati, cum hordeo, quod remedii genus non modo valet ad intestina mollienda, & reserandá; verum etiam ad prohibendum ipsius inflammationis incrementum. Vt autem recipiantur clysteres, modum docet auctor ille tertii libri de Morb. vt scilicet folle prius vento repleantur intestina, atq; iis distentis clyster iniiciatur, podiceq; cum spongia obstructo æger in aquam calidam deponatur, quamquam & hoc pariter Cœlius improbat. Sin superiora intestina laborent, idem faciendum atq; tentandum est potu iurium, atque succorum similiter emollientium & refrigerantium, (quod monet Hippocrates tertio de Morb.) leniter, vt est ius maluæ, lapathii, capitis castrati, phtisana, similibus iuribus facta. Aliqui veteres, vt Diocles voluerunt pileam plumbeam esse deuorandam quo aperiãtur intestina. Sed Cœl. Aurel. tertio acut. decimoseptimo damnat, quod frigiditate magis intestina denset, & coarctet. Sicut etiam damnat quod medicamẽta purgantia exhibeat tanquam magis exasperent, & quod ad pillulam eam certe, quando cætera remedia prosunt, abstinendum ab eius vsu: at quando casus est desperatus, tunc licet aggredi quodlibet remedium. Extrinsecus quoq; circa vmbilicum, & circa pectinem eadem intentione est incedendum. Quod ad victum pertinet is debet esse, qualis in acutissimis omnibus, præsertim vero curandum vt omnis cibus sit non modo sorbilis, verum etiam maxime aquosus, ne scilicet crassior cibus in intestina delabens ea alioquin male affecta magis adhuc exacerbet. Hippoc. secundo Epid. circa finem iubet dari multum vini meraci, atq; frigidi donec somnus vel dolor fiat crurum. Cœl. autem loco citato vbi curationem totam Hippoc. vel cuiuspiam alterius auctoris illius lib. damnat, de vino dicit id concedere malis, sed sui similib. consiliis, eumq; tribus criminatur: quod in dando vinum haud obseruandum iusserit mali declinationem; quod plurimum dari iubeat, atq; meracum, à quo etiam sanos mente alienari perspicimus: quod det frigidũ, quod à frigido omnes tumores augeantur. Sed cum Hippoc. pro remedio ad conciliandum somnum maxime in hac ratione necessarium, non pro victu præcipiat, haud ita videtur damnandus; præterquã quod de molli voluulo, & à frigido humore facto loquitur: in quo sicuti scribit conferre febrem, vt etiã sexto Aph. 44. & in Coac. Prænot. sic par est existimare posse quoque vinum meracum multum prodesse: Quod Cœlius cum methodicis suis velit ægrotantes loco lucido, & mediocriter calido esse detinendos cum requie & silentio probo, sed imperare suam abstinentiam cibi vsque ad tertiam diem, & post al-

ternis

ternis tantum diebus cibatione vti, in morbo, in quo facile vires omnes ruunt, haudquaquam commendare possum.

HISTORIA VIGESIMAQVARTA.

MVLIEREM *ex abortu infantuli earum, quæ circa Pantimidem,* PRIMA *febris magna corripuit, lingua perarida, siticulosa, anxiosa, vigil, aluus turbata tenuibus, multis, crudis:* SECVNDA *superriguit: febris acuta: ab aluo multa, non dormiuit.* TERTIA *maiores labores.* QVARTA *delirauit.* SEPTIMA *obiit, aluus semper humida deiectionibus multis, tenuibus, crudis: vrinæ paucæ, tenues, febris causus.*

MVLIEREM ex abortu. Alterius mulieris proponit nobis hoc in loco Hippocrates exemplum, sed ab antecedente longe diuersum, id quod facit, vt raris cuiusque generis, & cuiusq; sexus morbis nos exerceat. Voco hunc casum ratum, non quod frequenter non contingat, siquidem crebro id euenit, vt abortientes ardentibus, & prauis febribus capiantur: verum quia celeritas, & modus mortis non fuerunt ita vulgares. Fuit itaque mulier quædam habitans apud Pantimidem, quam febris magna ex abortu infantis corripuit. Quis fuerit Pantimides, apud quem complures mulieres habitabant, non est adeo anxie quærendum, sicut nec quæ fuerit hæc mulier, quam omnino ignobilem fuisse non dubito; & forsan Pantimides erat leno, apud quem multæ mulieres pro illius sæculi consuetudine venales prostabant, siquidem illius coniugis non meminit. Sed vtcumq; sit, hæc aborta est *νήπιον*, hoc est, infantem, in quo mense non dicit Hippoc. quemadmodum dicet in sequenti, quoniam forte hanc non visitauit, neq; id sciuit, suspicandum est tamen non fuisse fœtum grandiusculum, siquidem erat *νήπιον*, sed (vt dicit Galen. in sequenti historia) vel vnius, vel duorum, vel ad summum trium mensium. Dicitur autem Hippoc. *νήπιον*, siue puerulus per metaphoram, vt Galen. in comm. atq; tertio Epid. secundo & quarto Aphor. primo, fœtus paruus ab initio vsq; ad quartum mensem ad summum, hoc tempore cum fœtus eiicitur ab aliquibus Latinis vocatur abortus: sicuti abortus dum eiicitur non longe à legitimo partu; sed de nomine haudquaquam curandum est præsertim Latinorum; illud certum est omnes abortus ab Hippocrate vocari *ἀποφθορὰς* id est, corruptiones, vt hoc in loco, sicut & *ἀμβλυώσεις*, quod vere tunc fœtus corrumpātur, & minime vitales sint; simili pacto vocantur *ἀποφθόρια* ea medicamenta, quæ grauidæ mulieres sumunt, siue sua sponte sine aliorum consilio ad perdendum fœtum; quæque Plin. lib. 28. cap. septimo, videtur appellasse abortiua medicamenta; Etenim apud veteres licebat fœtus nondum animatos interimere, vt se fecisse in illa psaltria testatur Hippocr. libro de Genitura; at vbi vero animati essent minime licebat: ob idque Hippoc. in iuramento præcepit, ne medicus propinaret abortiuum. At apud Christianos nullo tempore hoc licet: siquidem (vt dicebat Tertullianus in Apologetico) properatio homicidii est probibere nasci. Scribit Hippocrates lib. de Septimestri partu fieri abortus frequentiores quadragesima conceptionis die, quando verisimile est præsentis *νηπίου*, id est, infantuli fuisse factum. Fit vero abortus aut ab externis; aut ab internis caussis: quæ internæ caussæ, aut sunt vitio mulieris, aut vitio infantis, de quibus omnibus, quoniam satis diligenter sum locutus in tractatu de Morb. mul. ab iis amplius tractandis abstinebo. A qua caussa hæc mulier sit aborsa, an scilicet interna, vel externa, haud satis constare potest ex ipsius Hippoc. verbis: Verum quoniam statim ab abortu capta est morbo exitiali, atque symptomatibus sæuis, puto cum Galeno haud ab externis caussis esse factum abortum, alioquin id Hippocrates dixisset; sed suspicor ante abortum habuisse corpus maxime vitiatum, & pluribus crudis, atq; tenuibus humoribus repletum, ita vt acetabula nimis laxa, & humida reddita fœtum etiam paruulum sustinere nequiue-

rint. Omnem abortum esse grauem, & partu naturali multo grauiorem satis vsu compertum est, & Hippoc. primo de Morb. mul. probat, quia totus præter naturam est, sicuti partus est naturalis. Omne autem violentum semper naturali deterius, atque periculosius est: quare in hac muliere deterrimis succis repleta haud mirum est, quod ex labore abortus fuerit præter naturalis calor accensus, atq; inde putredo, & febris accensa. Fuisse autem propositam mulierem crudis, atq; prauis succis repletam inde coniicio, quod statim atqui ægrotare cœpit, humores multos tenues, & crudos aluo fudit, sicque toto morbi tempore durauit, quos non in morbo, sed ante fuisse, in ipsius ægræ corpore genitos, & accumulatos rationi est consentaneum. Etenim nisi ita fuisset, haud erat æquum, vt moreretur, quoniam etsi abortus omnis periculosus sit, quia dilaceratis acetabulis facile vteri vlcerantur, atq; inflammantur, vt Hippo. adnotauit, attamen multo minus periculosus est abortus, qui fit primis conceptus diebus, quando acetabula nõdum bene coalita leui negotio scinduntur: præterquam quod non est diuturna facta menstruorũ intermissio adeo, vt opus longa purgamentorum euacuatione. Hanc ergo mulierẽ, postquam aborsa est, ilico febris magna corripuit. Galenus autem dubitat, nunquid hæc febris initio fuerit ardens: quia ex vna parte videtur fuisse, tum quia ipsemet Hippoc. in calce historiæ id restatur, tum quia statim apparuerunt indicia febris ardentis, nimirum æstus ingens, linguæ ariditas, sitis. Ex alia parte suspicatur dictionem illam καῦσος haudquaquam esse Hippocraticam, quia si Hippocra. voluisset docere genus febris, vtiq; in cunctis historiis id facere debuisset, non fecit autem, quoniam supponebat lectoros symptomata tantum à se obseruata ægrotantium ex iis fore cogniturōs genus morbi, à qua dependent. Quamquam autem ita dubitauerit Galenus, & forsan multo profusius quam decuisset in eo sese elongauerit, vt probaret postremam illam vocem καῦσος fuisse ab aliquo adiunctam: tamen haud videtur negasse, quin potuerit etiam febre ardente initio laborasse: & quia videbat obstare posse, quod Hippocrates dicat semper humores crudos ab aluo fluxos: ardentem vero febrem fieri à bile putrescente, dixit potuisse bilem quidem exuberare in totius corporis ambitu, atq; ibi putrere; in primis autem vasis, in meseræo, atque in concaua & conuexa iecoris regione crudos succos latitasse, qui partim per vrinã, maxima ex parte per aluum euacuarentur. Sed miror sane, quomodo dicat causum fieri posse ex bile putrescente in venis ambitus corporis, siquidem ipsemet pluribus in locis docuit ardentes fieri à bile putrescente in vasis intimioribus, & secundo in primo Epid. tex. vigesimo, proponens differentiam ardentium febrium, atq; tertianarum, dicit eas conuenire in materia, differre autem loco, quoniam si febres ardentes sint, in venis præsertim iecinoris, & ventris bilis abundat: tertianæ autem fiunt cum in totius corporis carnibus dominatur bilis, quod etiam clarius dixit primo Epidem. comm. primo, tex. nono, & comm. secundo, tex. 20. & 73. vbi scribit fieri ardentes cum in vasis sanguini mixta bilis putrescit, præcipue vero in ventris, aut iecoris, aut pulmonis venis tanquam cordi propinquioribus. Nisi pro Galeno dicere placeat non fuisse febrem ardentem exquisitam vere, sed minus exquisitam. Nonnulli interpretes putarunt hanc fœminam ex abortu incidisse in vteri inflammationem, idq; insinuasse Hippoc. quando dixit ægram doluisse, adeo vt potuerit febris ardens inde nasci, quando certum est secundum Galeni doctrinam à quolibet viscere inflammato posse febrem ardentem oriri; & Hippocr. de Morb. mul. ex abortu huiusmodi inflammationes, vlcerationes, aliaq; mala fieri docet. Galen. quoq; secundo de Diff. resp. huic sententiæ adhæsisse inuenitur. Atqui non video necessarium hoc esse, vt inflammationem passa sit, maxime cum iam fuerit constitutum fecisse abortum conceptus primorum dierum, quando acetabula nondum ita firma sunt, vt opus sit ea dilacerari, sicque inflammationi occasionem præstari. Atqui præparatio corporis potissimũ fecit ad generationem febris magnæ; nec valet quod abundaret tenuibus, & crudis succis, quia possunt esse biliosi simul, maxime quando fit præparatio à cibis

prauis,

prauis, vt alliis, cœpis, aliisque similibus, quibus Græci solebant vesci, atque etiamnum vescuntur. Cum itaq; facta esset in proposita muliere statim prima die febris magna, & ardens licet non exquisita, iure merito facta est, & lingua arida ob æstum intimarum partium. Sic enim Aristot. trigesimaquarta Probl. quarto, dicebat linguam esse indicium febris ardentioris, tum quia spongiosa est, & bibax humorum atque vaporum, tum quia superposita est pulmoni, & cordi, quæ sunt febris domicilia. Facta est enim διψώδης, hoc est, continuo sitiens, id enim significat vox Græca. Quod vero facta fuerit ἀσώδης, Galen. dicit fuisse propter κακοήθειαν, seu malignitatem febris: Ego vero addo fuisse quoq; putredinem, quæ prope ipsum ventriculum fiebat, cuiusm odi diximus iam in ardentibus febribus contingere. Vbi autem ventriculus ita torquetur, vt anxietatem faciat, quis est qui dormire queat? habet enim ventriculus, & præsertim ipsius os tantam cum cerebro coniunctionē, vt illo patiente necessario hoc etiam compatiatur. Ad hæc prima die, inquit Hippocr. aluum turbatam multis tenuibus, atq; crudis humoribus: quod enim dicebam hanc mulierem ante abortum habuisse corporis ad morbum sæuum præparationem, sibiq; puerperia fuisse retenta id quoque colligi potest ex hoc, quia statim prima die aluus fudit multa, tenuia, & cruda, quasi vero pars nō exigua purgamentorum, & aliorum excrementorum quibus mulieris corpus scatebat, eo sit conuersa, vt fieri sæpe solet, & dicit ταραχώδεις κοιλίας, quoniam haud simpliciter & pacate exibant huiusce modi excrementa, vt solent interdum facere in his febribus, sed cum tumultu ac turbatione.

Secunda die superriguit. ἐπεῤῥίγωσε, nam haud amplius habuerat rigorem, quod forsan debuisset prodesse secundum Hippoc. quarto Aphor. 58. at non profuit, quinimo febris facta est acuta, à caluo multa exierunt, nihil dormiuit. Febris aucta est, & facta acuta: quod concussu rigoris massa prauorum humorum, qui inerant venis, & extra venas calefacta, & putrescens augumentum febri præstiterit non exiguum, à quo febris augumento necnon ab alui fluore qui pergebat, necesse erat somnum adimi. Atque huiusmodi labores non modo perseuerarunt

Tertia die, verumetiam maiores euasere, & iure, quia cum prima dies fuerit molestissima ob multa praua symptomata, quæ in ipsa contigerunt, æquum erat, vt tertia quoq; secundum proportionem pessima esset.

Qvarta die, habuit præter alia mala delirium, quod cum ab Hippocrate secundo Prognost. reponatur inter signa exitialia, atque ipsa quarta sit index septimæ, iure iudicari poterat morituram esse ipsa septima die. & Hippocrates potissimum hoc recensuit, quia cum aluus flueret, non videbatur debere delirium succedere: nisi dicamus iam aluum destitisse, proptereaque mentis motionem esse subsecutam: sed cum in fine dicat semper fuisse aluum lubricam, haud est dubitandum vnquam substitisse, vt magis mirari oporteat eam mēte motam fuisse. Sed cur vsq; ad quartam omnia cōmemorauit; post hanc vero solius mortis secutæ in septima fecerit mentionem: non potest alia verisimilior afferri caussa, quam quod illam non visitauerit, vel quod eadem mala perrexerint, nec quicquam aliud commemoratu dignum nouiter accesserit: mala namque relata vsqueadeo ex sese valida erant, vt possent absque aliorum accessu mulierem perdere. Narrata morte Hippocrates, quod sæpenumero facere consueuit, nonnulla proponit, quæ ipsi mulieri semper affuerunt: idque non per recapitulationem facit, vt existimarunt aliqui, siquidem, qui breuitati studet, ac solummodo grauia, & vtilia notat, eum minime decet in recapitulando tempus consumere, sed potius, quia cum non visitasset ægram singulis diebus, ita sibi fuerant ab aliis relata, quæ multum intererat scire: ne quispiam miraretur, potuisse solo addito in quarta die delirio perire. Vult igitur dicere non mirandum esse eam periisse septima die, quoniam semper dum ægrotauit, preter alia praua symptomata habuit aluum fluidam copiosis, tenuibus, & crudis deiectionibus, similiter vrinas paucas, ac tenues: cum à fluxu alui additis aliis symptomatibus ipsemet Hippocrates testetur complures ægros in hac

constitutione fuisse extinctos. Nisi etiam dicere vellemus alia de caussa id addidisse Hippocr. scilicet vt doceret etiam si fluxus alui debuisset aliqua ex parte conferre, attamen nil conduxisse: quoniam febris erat ardens, nec bilis euacuabatur: sed humores tantum tenues, & crudi, quorum exitus ad nil aliud conducebat, quam ad accelerandam mortem: sic dicebat Hippocrates vbi non euacuantur, quæ deberent euacuari, malum esse. Hoc si ita intelligatur iam cessabit occasio dubitandi, qua impulsus Galen. totum pene hoc suum commentarium consumpsit. Sequitur aliquid de curandi ratione dicatur: in qua instituenda semper primam partem obtinet victus ratio, quæ pene in omnibus hisce morbis, qui & acuti & mali moris sunt, eadem esse debet: & inter cetera mala, quæ proposita mulier habebat id vnū fuit, quod semper habuit aluum copiose fusam ex multis tenuibus, & crudis succis, quæ non modo ad vires hebetandas conferebat, verum etiam impediebat, quominus venæ sectio, atque alia præsidia administrarentur: Etenim lex est æterna Galen. primo ad Glauc. 14. vbi aluus fluit, nullam aliam sanguinis euacuationem esse moliendam, quoniam vna euacuatio sufficit: itaque nec de sanguine mittendo erat quicquam cogitādum, nec dē vlla alia euacuatione: sicuti nec ea erat comprimenda, quam habebat: quæque licet symptomatica atque infructuosa esset, nihilominus erat ita permittenda, alioquin si fuisset compressa, mortem plane accelerasset. Sed dubitari posset, an si puerperia suppressa essent, vt suspicari licet, debuisset vena malleoli pertundi, qua in re sane dubia melius consilium putassem ob vires partim à morbo, partim à fluxu euersas omnino abstinere: In causo maxime laudatur frigidæ vsus, atqui in proposito casu haudquaquam conuenisset, tum quia non erat ille legitimus causus, qui fit à bile in vasis prope viscera putrescente, tum maxime, quia ille copiosus alui fluxus id remedium prohibebat. Aduersus anxietatem, atq; sitim contulisset pthisana cum granis granatorum: ipsummet vinum granatorum cum aqua hordei, conserua illa de berberis, seu de ribes, quæ mirifice sitim placat: simulq; sua adstringendi facultate os ventriculi consolatur, & confirmat. Sic enim cardialgicam mulierem polentam cum granatorum succo iuuasse testatur Hippoc. secundo Epid.

HISTORIA VIGESIMAQVINTA.



LTERAM ex aborsu circa quintum mensem febris magna cepit: inchoans vero comatosa erat: & vigil rursum: lumborum dolor: capitis grauitas. SECVNDA *aluus super turbata est paucis, tenuibus, sinceris primum.* TERTIA *plura deteriora: noctē minime dormiuit.* QVARTA *delirauit: timores, mæstitia: dextero peruersa est: sudauit circa caput exiguo frigido, extrema frigida.* QVINTA *omnia exacerbata sunt: multa obloquebatur, & rursus cito ad mentem redibat: siticulosa: vigil: aluus multis, intempestiuis, vsq; in finem: vrina pauca, tenues, subnigra: extrema frigida, sublimida.* SEXTA *per eadem.* SEPTIMA *interiit phrenetica.*

ALIAM ex quinquemestri aborsu. Anticedenti historiæ mulieris aborsæ subiungit & alteram, quæ similiter ex abortu capta est magna febre, quæque grandiorem fœtum, nempe quinquemestrem eiecit; cum altera bimestrem, vel ad summum trimestrem, vt ait Galen. eiecerit, quó tempore solent mulieres difficilius abortiri, ac tutius medicina vti. Vnde cum statim ab initio grauissimis symptomatibus fuerit tentata, par est existimare ingentem fuisse caussam; ob quam statim ex abortu adeo pernitione ægrotauit. Etenim cum esset serui coniux, atque serui eo tempore essent pura mancipia: neque victitarent nisi cibis mali succi, factum est, vt paulatim & præsertim conceptus tempore cumulata sit ingens crudorum, & prauorum humorum colluuies, qui accepta aborsus grauis, & intempestiui occasione fœdam putredinem, & ex putredine febrem pestiferam concitarunt:

tarunt: neque ab simile est hunc fuisse seruum Hippocr. postquam tanta sedulitate videtur vsus: nisi tamen dicere placeat (οἰκέτεω) esse nomen proprium viri forsan admodum noti, vt pleriq; interpretes videntur arbitrari, atque huius vxorem abortinisse: quamquam de hac re sæpe dubitaui, quod non facile reperiatur simile alind nomen viri. Vtrum babuerit bæc mnlier debita purgamenta, baudquaquam dicit Hippocr. imo vero (quod forsan mirum videri alicui posset) nunquam in aliis similibus historiis eorum mentionem vllam facit, quoniam, sicuti puto, existimauit accuratus senex neminem futurum adeo stupidum, quin ex ipsius accidentibus morbnm ab exortu consequentibus coniecturam certam facere possit de purgamentis, in quibus vniuersa vis, & mortis, & salutis buiuscemodi mulierum posita est: Et certe nisi purgamenta debita penitus desiissent haud dubie tot grauibus symptomatibus, ac tam magno morbo non fuisset tentata. Enumerat Galenus complures externas caussas, à quibus fieri possunt abortus: sed non potuit tam diligens esse quin aliquas omiserit, vt de odore extinctæ lucernæ testatur Aristot. octauo de hist. animal. cap. 23. Tot sunt quæ hunc bominem etiam intra vterum latentem, perdere possunt, vt iure possimus lamentari, quod bruta multo difficilius, & rarius abortiantur, quam homines, vt copiose differit Aristot. quarto de Gen. anim. c. 6. vbi propter menstruorum copiam freqnētius bruta abortiri quam mulieres luculenter monstrat: nisi natura eadem mulieribus rationis vim dedisset, qua possunt sese ab omnibus iniuriis tueri: Quod autem mulier præsens à nulla externa caussa fecerit abortum, iure suspicatur Gal. cum Hippoc. non dixerit: quod etiam corporis praua, & morbosa intrinsecus facta dispositio totnm malum effecerit, etiam facile concedo: Ceterum quod non abortus febri, sed febris abortui, & in hac, & in præcedenti muliere occasionem præstiterint, vt videtur Galen. existimasse boc est, in qno valde hæreo: siquidem si verba ipsius Hippoc. perpendamus (ἐξ ἀπὸ φθορῆς πῦρ ἔλαβεν, id est, ex abortn febris cœpit) videtur manifeste innuere factam fuisse febrem ab ipso abortu, vel propter abortum, & non econtra. Fateor febrem acutam, vt ait Hippocrates quinto Aphor. 30. prægnanti esse letbalem vel ipsi vel fœtui, vel vtriq;, non nego tamen quin copia prauorum bnmorum in corpore prægnantis collecta possit fœtum interimere; atque binc occasione capta febrem deinde prauam accendere; nam si antea febricitasset, quam abortiretur, cur non significasset Hippoc. quemadmodum alias fecit, vt libro primo Epidem. sect. tertia, in historia Epicratei vxoris, quæ cum capta fuisset morbo ante partum, illud esse significandum putauit: sed vtcumque fuerit, sat est banc mulierem aborsam quinto mense febre magna statim correptam fuisse, atq; prima die grauia habuisse symptomata. Quæ autem fuerit idea febris, puto si non verum hemitritæum, saltem fuisse ex earum genere, quæ ipsam æmulantur: in hac enim apparēt euidensia signa, tum pituitæ seu crudi humoris, tum biliosi putrescentium; idq; vt perspectum habeatur, singula symptomata sunt examinanda. Itaq; in prima die comatosa, & insomnis fuit, cum dolore lumbornm, & capitis grauitate, quod si actionum propriarum læsio indicat locum affectum, atque vigilia, & somnus sunt secundum medicos cerebri actiones propriæ, sine dubio cerebrum ipsum fuisse læsum indicarunt. Quoniam vero læditur, aut per essentiam, aut per consensum dubio procul necesse est fateamur læsum esse tum essentialiter, seu per idiopathiam, tum per sympatbiā, nam quæ euenerunt tertia, quarta, atq; aliis dieb. patientis essentialiter cerebri indicia fuerunt non tam ob magnitudinem, quam ob continuitatē; membra etiam inferiora cōmunicasse malum ipsi capiti, atq; eius statum magis perturbasse non est dubitandum, cum certum sit id, q dicebat Hippoc. quarto de Morb. cerebrum tanquam cucurbitam ab infernis partib. ad sese malum trabere: Coma ergo fiebat tum putredo pituitæ, & crudi succi superabāt: tunc enim fusus humor per cerebrum obstruebat, sicq; transcursum spirituum, & facultatis impediens somnum efficiebat, donec consumpto illo & dominante biliosi humoris putredine

vigiliæ inducebantur, adeò vt fere exoriretur affectus ille, quem vocant medici coma vigil,& de quo loquentem habemus Hippocr.initio libri Prorrhet. Haud secus etiam fiebat capitis grauitas,materia pituitosa cerebri membranas, veluti onerante,& quod hac in re maxime mirum fuit,illud est,quod ab initio facta est comatosa,statim scilicet atq; febrire incepit,quod quidem signum fuit manifestum, vniuersum corpus,& præsertim caput iam ante aborsum ad febrem fuisse paratissima. Lumborum autem dolor duas caussas, aut saltem vnam ex his habere potuit, vel quod magnus feruor,ac tumultus fieret in vena magna, quæ totũ dorsum perreptat: vel quod aliquis etiam focus putredinis in vtero ex abortu latitaret: vnde communicata intemperies mala ipsis lumbis faciebat tristem illam sensationem, quæ dolor est. Sic enim solebat dicere Hippocr. secundo,& sexto Epidem. rigores mulieribus inchoare à lumbis.

Secvnda autem die, quæ contigerunt noua, pauca fuerunt,atq; ea singula ad excrementa mutata pertinentia: nam aluus turbata est,atq; primum excreuit pauca,tenuia,meraca. Quod pertinet ad alui turbationem satis proprie videtur Hippocrates locutus: siquidem nulla fere maior videtur turbatio & molestia in ventre,quam dum citatur,nec tamen quicquam effatu dignum excernit: solet dũ copiosa materia exit,nonnihil saltem leuaminis percipi, præsertim quando exeũt praua excrementa, quemadmodum vbi pauca exeunt,non modo perdurat molestia, atque turbatio, verum etiam augetur. Itaq; huic mulieri, quia pauca exibãt tenuia,ac praua nimirum meraca, id est,biliosa, eap ropter ipsius aluus turbata dicta est ab Hippocrate. Multus est Galen. in eo vt doceat vocem ἀκρῆτν, id est, sincerum significare veterib. bilem flauam aut ruffam,& quando bilis vel nigra, vel æruginea significatur, tunc apponi colorem, idq; ita fieri, quoniam frequenter illę tam sanis, quam ægris, rarius istæ atq; in morbosis tantum educũtur: quicquid autem sit,parum refert: ego enim obseruaui etiam ab Hippocrate dici ἄκρητα, quæcunque excrementa nil seri admixtum habent: vnde fieri potest vt propositæ mulieri modo tenuia, id est,serosa, modo omni sero priuata excrementa exirent.

Tertia die quæ est impar, multo deteriora prodierunt, atque etiam plura, scilicet variorum colorum,& forsan fœtentia grauiter, ita namque sunt peiora prioribus: igitur iure factum est, vt ea nocte nihil dormiret, tum propter frequentes exsurrectiones, tum maxime ob materiæ exeuntis prauitatem, atq; fœtorem.

Atqve qvarta vsqueadeo cuncta sunt exacerbata, vt facile fecerit vnicuique formidare, ne septima die periret: si verum est Hippocr. oraculum ex huiusmodi comparatum obseruationibus: nempe quartam semper esse septimæ indicatoriam: atq; vt est illa bona, vel mala, ita hanc aut meliorem, aut deteriorē esse. Fuit quarta, vt patebit deterrima, sicq; septima debebat superare prauitate, dubio procul nil aliud quam mors expectari poterat: quod vero deterrima fuerint, quæ die quarta apparuerunt videatur pedetentim.

Deliravit. Inter signa lethalia ab Hippocrate commemorata positum est delirium, sicuti inter salutaria, est mente constare non semel animaduerti: Fuit autem delirium cum timore, & molestia: dicit vero Hippocrates sexto Aphotism. 53. desipientias, quæ fiunt cum risu esse tutiores, quæ vero cum mæstitia periculosiores: fiebant autem hæ actiones deprauatæ, quod succi & vapores melancholici in cerebrum impetuose ferebantur: nam scribit circa finem lib. de sacro Morb. fieri δείματα, ϗ φόβους, id est, terrores & timores, vbi cerebrum immutatur à bile in ipsum per venas sanguinarias cum impetu irruente: & quamquam Galen. Auicen. & alii dixerint timere melancholicos eam ob caussam, propter quam in tenebris timent pueri, contra quos acriter, vt solet, disputauit Auerro. tertio Coll. penultimo capite, nihilominus si recte Galenus intelligatur, non videtur à veritate longe aberrasse, siquidem vbi spiritus ab hoc humore obscurantur, haud possunt animæ famulari, vt doceret: vnde mala imaginatur, atque ex imaginatione fit perturbatio, quæ est timor, sicuti pueri in tenebris propterea timent, quia luce priuati mala sibi

sa sibi imaginantur. Vtrum autem hoc genus delirii quo laborauit proposita mulier fuerit phrenitis, vt existimauit Galen. dubium est. Et certe non videtur fuisse, quia non habuit symptomata illa horrenda, quæ in phrenitide fieri solent: puto igitur inchoatam quidem esse, sed non consummatã phrenitidem: timores enim & mœrores solent antecedere semper veram phrenitidem.

OCVLVS DEXTER erat distortus. Distorsio oculi dicitur, quando propriam figuram amittit, necnon in hanc, aut in illam partem trahitur, vnde dicitur conuulsio quædam, & cum oculus sit quasi germen cerebri, laborantibus oculis, necesse quoque est, vt cerebrum coafficiatur, quare in oculi distorsione omnino existimandum est nerui illi; per quos facultas motrix ad oculos transfertur, sint violati, vel à nimia siccitate, vel à nimia humiditate, cuiusmodi existimo ego factum esse huic mulieri. Esse autem hoc signum exitialissimum testatissimum fecit nobis Hippoc. quarto Aphorism. 49. vbi scribit in febre non intermittente, si labrum, aut supercilium, aut nasus, aut oculus peruertatur in propinquo esse mortem, idque eo deterius erat, quod dexter pateretur: nam Hippoc. secundo Epid. sectio. 6. scribit circa naturam oculum dexterum, & mammam dexteram habere magnam vim, & Aristot. 31. Problem. vigesimaquinta scribit oculum sinistrum esse humidiorem dextero, propterea que expeditius contrahi. Vnde si oculus dexter, qui est siccior conuellatur & contrahatur, signum est grauiorem esse morbum.

SVDAVIT sudore frigido, & pauco circa faciem, habuitque extrema frigida; quæ omnia signa exitialissima esse, & Hippoc. in Prognost. & Aphoris. docuit, & quotidiana experimenta, atque etiam rei natura aperte docent: ob duas enim caussas damnatur sudor frigidus & paucus circa frontem, tum quia caput est nobilissima pars, & vbi sudor, ibi morbus, ait Hippocrates, tum quia indicatur quidem vrgeri naturam ad expulsionem, sed præ imbecillitate non posse, ita vt quarta die vsque adeo graui, & lethalibus notis insigni non difficile fuerit cuiquam præcognoscere, & prædicere ægram fuisse perituram in septima sicut contigit. Quomodo autem facta sit frigiditas sudoris capite tantum, atque extremorum non est difficile inuenire caussam, si statuatur, vt facit Galen. secundo de Diff. respir. 11. hanc & antecedentem mulierem laborasse vteri inflammatione ex abortu, etenim viscera vbi inflammantur, præterquam quod febres malignas faciunt, vt alias sæpe diximus ex Hippocr. id quoque habent, vt ad sese calorem natiuum trahentia extrema illo priuata relinquant, sicq; frigida ipsa fiant. Fuisse eiusmodi in proposita muliere frigiditatem, atque eo maxime circa caput ob communionem cum vtero, haud dubie credendum, cum si ob caloris extinctionem fuisset, haud quaquam tribus diebus superuixisset.

QVINTA DIE cuncta sunt exacerbata, habent hoc morbi exitiales, quod nõ modo dieb. decretoriis, verum etiam singula quaq; die fiant exacerbationes: id q; videre possumus in hac muliere, quæ quinta die omnia acerbiora habuit, & iure dixi inchoatam habuisse phreuitidem, quandoquidem dicit Hippoc. πολλὰ παρέλεγε, id est, multa deliramenta loquebatur; quia in cerebro succi praui putrescẽtes circa eius mẽbranas inflammabant eas: etenim insaniæ cõsummatæ indicium esse deliramenta loqui sæpius etiam apud Plautum legitur. Hoc namq; significatur per verbũ παρέλεγεν, quod non modo male ratiocinaretur, verum etiã verba inepta, & inhonesta effutiret, neq; valet quod dicat rursum celeriter mente constitisse, quoniam momentaneum erat, prout scilicet vapores, qui malum faciebant, & augebãt parumper desistebant, quo tempore etiam sitim percipiebat, quod potest esse indicium hanc mulierem non laborasse phrenitide perfecta, quia quomodo potuisset sitim habere? quæ est perceptio indigentiæ humidi, & frigidi: nam in primo Prorrh. dicitur phreneticos esse paucibibos, non quia non habeant perennem in sese bibendi caussam; sed quia non percipiunt defectum, & indigentiam ob errorem mentis, quã operationib. legitimis sensuum adesse semper est necessariã: alioquin nec videmus, quæ sunt ante oculos, nec cõtrectata animaduertimus, siquidẽ dicebant

dicebant Archilochus, & Euripides νοῦς ὁρᾷ νοῦς ἀκούει, id eſt, mens videt, mens audit. Eadem etiam ratione nunquam dormiebat, cum à bilis putreſcentis feruore, & acrimonia iugiter membranæ cerebri perculſæ haud permitterent quieſcere. Verum dubitari poſſet, quomodo aluus fundens multa haudquicquam contulerit ad diminuendum capitis affectum, atque delirium: niſi dicamus motum illum, vt ait Hippo. fuiſſe importunum, tum quia fiebat quinta die, tum maxime quoniã erat morbus adhuc crudiſſimus, vt oſtendebant vrinæ paucæ, tenues ſubnigræ, necnon extrema frigida, atq; ſubliuida; dicebat autem Hipp. ſecundo Progn. deterius eſſe partes aliquas corporis liueſcere, quam ex toto nigras eſſe. Atque hæc omnia die quinta apparuerunt, quæ cum eſſent in ſummo prauitatis gradu minime augumẽtum ſumere poterant: vnde ait Hippoc. SEXTA die eadem fuiſſe, atq; SEPTIMA eſſe extinctam. Verum dicet aliquis, ſi hæc mulier quinto menſe aborſa eſt, atque tunc periculoſius ægrotant, cur non citius Præcedente periit? Cui reſponderi poteſt minime periculum maius quinto menſe impendere, alioquin Hippocr. non conceſſit tunc purgari, vel dicere licet hanc fuiſſe curatam iuxta regulas ab Hipp. ſcriptas quarto Aphoriſ. primo, illam autem non: vnde potuit prorogari ſibi vita pluſquam alteri, quamquam poteſt etiã alia fuiſſe cauſſa, nempe quod minus præparata ad morbum validioribuſque viribus hæc eſſet. Mortis genus quod fuerit haudquaqnam inſinuat Hippocrates, niſi exiſtimemus vbi ſcribit in fine (phrenitica) ſeu φρενιτικαῖα, voluiſſe intelligere ipſam periiſſe phrenitide, quam ſapientiæ morbum vocat Plinius libro ſeptimo, capite 50. & 51. & in qua phrenetici ſæpe in medio furoris mortui cõcidunt, ſcilicet, calore ſtatim extincto, vel ob immenſum feruorem, vel ob conſumptionem inopia humidi alimentalis contingentem: neque vero mihi videtur neceſſarium Galen. aſſentiri, qui dicit vocem illam φρενιτικαῖα, ſeu φρενίτις eſſe adiectitiam, ſicut eſt vox καῦσος πυρετὸς in hiſtoria antecedente. Dubitant nonnulli interpretes, quomodo Hippoc. potuerit dicere in fine antecedentis hiſtoriæ καῦσος πυρετὸς, hic vero φρενίτης, ſeu φρενιτικαῖα, cum vterq; affectus fuerit, & febris ardens, & phrenitis, imo Galen. vt antea dicebam ſecundo de diff. reſp. 11. putauit vtramque laboraſſe vteri inflammatione. Sed falluntur, quia mulier antecedens delirauit quarta die tantũ, nec veriſimile eſt potuiſſe fieri phreniticam, quod ab initio habuerit aluum turbatam, atq; multis crudis, ac tenuibus humoribus fluentem: vnde veriſimile eſt, magnam atq; aſſiduam eſſe factam à capite diuerſionẽ, propterea q; haud potuiſſe fieri phrenitidem. Contra in hac præſenti ægra eſt phrenitis, quę non potuit compeſci ab alui fluxu, etſi perpetuo, quod malum maius eſſet in capite, citiusq; phrenitis inchoaſſet. Vbi febris, & inflammatio aliqua vel cerebri vt phrenitis, vel lateris, vt pleuritis: vel iecinoris, vel hepatitis ſimul coniunguntur, veteres haud febrem ſolebant curare, atque nominare: ſed ipſam inflammationem tantum: quemadmodum Galenus pleriſque in locis teſtatus eſt, & forſan ratio fuit cur Hippoc. initio tantum huius hiſtoriæ, & ſemel tantum febris fecerit mentionem. Quæ debuerit adhiberi curatio breuiter dicendum: in qua videtur in primis duo tempora fuiſſe ſpectanda, alterum ante quartam, quando ſcilicet febre tantum laborabat acuta. Alterum poſt quartam, quando iam facta erat phrenetica; In vtroque neceſſaria fuit rectæ vitæ inſtitutio, nimirum vini abſtinentia, cibi parcitas, eiuſque facilis coctionis mediocris alimenti refrigeratorii atque humectatorii. Quoniam vero conſtitutum eſt purgamenta ſibi haud fluxiſſe, ante cetera ſanguinis miſſio fuit præmittenda, in magna plenitudine primum ab interna dexteri cubiti, deinde à poplite, vel talo; ſine plenitudine autem immediate à vena tali: nec in admodum exigua quantitate; quod quinque menſes ob fœtum ceſſaſſent menſtruæ purgationes fœtu minore, & imbecilliore exiſtente, quam vt potuerit tot ſuperuacanea recrementa conſumere. Itaque aut ſtatim prima die remittente ſe febre, atque prius immiſſo clyſtere ex vena inciſa ſanguinem mittendum ipſe curaſſe, aut ſaltem ſecunda die, quando aluus ſponte pauca effudit. Si non licuiſſet venam incidere, loco eius ſcarificationes crurum accommo-

accommodatæ fuissent: quemadmodum quoq; frictiones leues, & assiduæ, ligaturæ magnum præstitissent iuuamentum ad auertendos vapores à capite, vnde grauitas ad somnum, atque vigiliæ interdum nascebantur. Negotio Chirurgico expedito intus erant exhibenda moderate aperientia, & menstrua prouocantia. Dico enim moderate, quoniam quæ multum aperiunt, mensesq; prouocant cum impense calida, atque sicca sint haud dubie febrem, phrenitidemque multo magis auxissent. Demum erat studium omne dirigendum ad symptomata præsentia, atque imminentia; vtpote aduersus vigilias, quæ ante quartam diem maxima ex parte ægram exercuerunt, quæque cum phrenitidem futuram esse præmonstrarunt, remediis refrigerantibus, atque humectantibus corrigi debebant, vt lauactis capitis, quemadmodum Lemoni factum est, ex aquis lactucæ, solatri, endiuiæ, capitibus papaueris similiter, & vnctionibus. Extremitates frigidæ in tegumentis, fotibus calefacientibus erant fouendæ: est enim Hippoc. præceptum secundo de victu acut. semper esse curandum, vt pedes quam maxime calidi sint: de aluo nulla alia solicitudo fuit habenda; quandoquidem vt ait Hippoc. toto morbo deiectiones fuerunt multæ, & meræ.

HISTORIA VIGESIMASEXTA.



Mulierem quæ decumbebat in mendacium foro, cum enixam primum laboriose masculum febris magna prehendit: statim incipiens siticulosa, anxiosa: cor subdolebat: lingua præarida, aluus turbata est tenuibus paucis: non dormiuit. SECVNDA *parum superriguit: febris acuta: parum circa caput sudauit frigido.* TERTIA *laboriose, ab aluo cruda, tenuia, multa prodibant:* QVARTA *superriguit: omnia exacerbata sunt: vigil.* QVINTA *laboriose.* SEXTA *per eadem: ab aluo autem secesserunt humida multa.* SEPTIMA *superriguit, febris acuta, sitis multa, iactatio: circa vesperam sudauit per totum frigido: refrigeratio extremorum: non amplius recalescebat, & rursum ad noctem superriguit, extrema non recalescebant, non dormiuit, parum delirauit, & rursum celeriter ad mentem rediit.* OCTAVA *circa meridiem recaluit, siticulosa, comatosa, anxiosa: vomuit biliosa, exigua subflaua: noctem moleste: non dormiuit: minxit multum confertim ignorans.* NONA *remiserunt omnia comatosa: ad vesperam parum superriguit, vomuit exigua biliosa.* DECIMA *rigor. Febris exacerbata est, non dormiuit quicquam: mane minxit multum sedimentũ habens: extrema recaluerunt.* VNDECIMA *vomuit virulenta, biliosa: superriguit non multo post: & rursum extrema frigida: ad vesperam sudor, rigor, vomuit multa, noctem laboriose.* DVODECIMA *vomuit multa, nigra, graueolentia, singultus multus, sitis, laboriose.* DECIMATERTIA *nigra, fœtentia, multa vomuit: rigor: circa vero meridiem, sine voce.* DECIMAQVARTA *sanguis è naribus: mortua est, hinc vsq, in finem aluus humida: horrida, ætas circa annum decimumseptimum.*



MVLIEREM quæ decumbebat in mendacium foro. Quod esset mendacium forum, cuius etiam mẽtio facta est retro in historia octaua, & in quo præsens mulier habitabat, scilicet, an Athenis an alibi, haud voluit Galen. indagare, neq; ipse puto necesse esse diligenter exquirere: etenim etiam nunc in plerisq; vrbib. reperiuntur huiusmodi loci sic appellati à mendaciis, q. ibi homines nugaces, nouorumq; amatores, & enarratores conueniant: vnde plerumq; huiusmodi siue fora, siue loca, & vici infames sunt, quamquã haud necesse est, vt existimemus pessimę famę illos oẽs fuisse, qui ibi habitabant: illud certũ, aut saltem pbabile ibi cõsueuisse fieri veluti certamina mendaciũ: quib. apud reliquas gentes, præsertim apud Græcas contendebatur, quis magis mẽtiretur: vt iure & M. Cicero, & alii nationib. Græcis hanc veluti mentiendi, prærogatiuã detulerint: & quicquid Græcia mẽdax audet in historiis dicebat ille. Notatu aũt dignum videtur in hist. 8. vbi similiter fit mentio fori mendaciorum apposuisse Hippoc. in fine ætatem, atq; eum

eum ægrum iuuenem pariter fuisse, quasi ibi iuniores versarentur. Sed ad rem Hippo.ætatem, scilicet 17.annorum proponit nobis in fine historiæ non (sicut putanr Galen.& aliqui alii) vt cur in tot malis diutius vixerit, quam superiores, quæ vix ad septimam peruenerunt, cum hæc decimumquartum attigerit, caussam ex robore facultatis indicaret, siquidem vbi in tam tenera ætate concipiunt, atq; pariunt, potius imbecillæ sunt, imbecillosq; fœtus edunt, vt ob id conuenerint Plato & Arist.virgines haud ante decimamoctauam annum nuptui dandas esse: Spartani vero non ante vigesimum, s. quo tempore corpora fœminarum vigere incipiūt. Nec valet quod decimusseptimus annus parum distet à decimooctauo, quia etiam si pepererit hæc adolescentula decimoseptimo anno, tamen vel decimoquarto vel decimoquinto anno forsan nupsisse existimandum est. Potius ergo id fecit Hippoc.vt doceret hanc fœminam viro intempestiuius esse vsam, siue fuerit coniux siue pellex: proptereaq; ob immaturitatem & difficilem partum habuisse,& inde reliqua ipsius mala originem duxisse. Hæc mulier decumbebar in foro mendacium,& primogenitum marem difficiliter pepererat. Circa quæ verba considero quatuor. Hāc iuuenculam haud fuisse coniugatam, sed ab aliquo circa ętatis annum 16.compressam & grauidam redditam. Secundo hunc fuisse ipsius primum partnm, in quo solent teneriores adolescentulæ maxime periclitari. Tertium est partum fuisse marem,& non fœminam. Quartum quod tametsi pepererit masculum, qui solet, suo robore facilius,& citius, quam fœmina, exire, vt scribit Arist. 7. de hist.ani. 4.nihilominus cum labore & difficultate: idq; potius imbecillitati patientis, quā partus tribuendum est. Adolescētula itaq; sic constituta cum difficilem partum habuisset, neq; vt credibile est, puerperia secundum rationem fluxissent, statim prima die partus,& febre,& aliis prauis symptomatib. capta est; enumerat enim hoc in loco dies à partu, tum quia coincidit initium partus cum febris principio, tum quia à partu,& à præparatione corporis est ceteris malis data occasio, vt pedetentim videbitur. Et quia Hippo.1.de Morb.mul. ait semper primiparas grauius ægrotare, id multo deterius est, vbi puerperia haudquaquam secundum naturæ debitum fluunt, quemadmodum suspicor, vt nuper dixi, huic accidisse, alioquin quando recte fluunt puerperia, solet Hipp.manifestare, vt 1. Epid. in Philini vxore,& vxore Dromeadis. Quis autem sit debitus naturæ puerperiorum modus Hipp.ibidem satis diserte docuit, vbi scribit puerperii purgamēta sanæ mulieri sufficienter primum sesquiheminæ Atticæ mēsura, aut paulo plus prodire, postea autem adhuc pauciora secundum rationem donec cessent: prodire vero veluti sanguinem à victima,& congelari celeriter ac expurgari. Subdit, post partum fœmellæ contingere, vt 40.dieb.diuturnissima puerperiorum purgatio fiat, extraq; periculum esse si etiam solis 25.dieb.fluant: post masculi vero partum purgatione diuturniorem fieri 30.dieb. extra periculum quoq; esse illam, quæ fit 20.tantum dieb. Porro cum huic mulieri puerperia non fluxerint vt debebant, ea retenta, atq; humores ipsis commixti putrescentes primum febrem magnā pepeterunr, deinde alia mala secuta sunt. quę etiam abortientes tentant: quod, vt ait Hipp. purgamenta retenta eaidem affectiones tam in parientib. quam in abortientib. inducūt: nam λοχεία, siue puerperia cum sint mēstrua, vel vt loquitur Seneca, tributa, quæ natura singulis tradere tenetur mensib. ea dum vterus plenus est, paulatim in eum delabētia sine incommodo retinentur, donec fœtus exeat; quo tempore nisi natura restituat, quæ retinuit male agitur cum corpore, sicut bonum est vbi facit illam ἀἰζαπόδωσιν ab Hippoc.lib.de nat.pu.vocatam: vult autem Hippo. hæc retributio sit sanguis veluti victimæ mactatæ eo modo, & mēsura quibus retro dixi. Retentis igitur hisce naturæ tributis in hac misella primū febris facta est, quæ sane fuit continua,& putrida, vtpote quæ ex humoribus pituitosis,& biliosis in vtero forsan inflammato putrescentib. atq; etiam in stomacho, vt symptomata subsecuta demonstrant, fieret. Fuit etiam febris magna, cum dicat Gal. febris magnitudinem, magnitudine symptomatum mensurari. Fuit celeris motus, quia 14.dieb.terminata est. Fuit tandem

dem mali moris vt significarunt praua, & maligna symptomata, quę prima die fuerunt pertinentia ad læsas actiones, vigiliæ, anxietas, καρδιαλγία, sitis, linguæ siccitas: At excrementa mutata fuerunt, aluus turbata, tenuia, & pauca fundens. Etenim expurgamentis retentis, atq; circa stomachum accumulatis oris ventriculi morsum, indeq; anxietatem, atq; inquietudinem oriri, sæpenumero indicatum est à me, sicuti quod à febre, & siccitas, & consequenter sitis facta sit haudquaquam dubitare oportet: Notandum tamen quod Hippoc. non contentus dixisse hanc sitire, voluit etiam addere linguæ siccitatem, quod quidem fecit, vt summam siccitatem indicaret, pręterquam quod non est necesse, vt semper cum siti fiat linguæ siccitas, & præsertim prima die: cum enim lingua sit spongiosa, & hincinde glādulas aliqua humiditate semper imbutas habeat, non videtur adeo cito posse exsiccari: vnde & sitim, & linguæ siccitatem commemorauit; sicuti etiam, & cardialgiam & anxietatem: est enim differentia inter hos duos effectus, quod tametsi vterq; fiat circa os ventriculi, tamen cardialgia hoc plus habet, quod fit cum dolore: vnde appellatur cordis, id est, oris ventriculi dolor. Quod aluus deiiceret cum turbatione, & molestia humores tenues, & paucos forsan factum est, quia quę in puerperio debebant exire naturaliter, ad intestina sunt conuersa: nam Hippoc. in lib. de Morb. mul. & lib. de Morb. virg. etsi dicat virginib. maxime verti menstrua ad os, atq; intestina, haud tamen negat, quin etiā aliis mulierib. id contingere queat. Cum itaq; tot malis afficeretur, quomodo poterat dormire? quod tamen erat aliqua ratione mirū, tum quia erat mulier, tum quia ex labore, qui solet esse in partu, defessa erat: tum etiam quia statim prima die non videbatur fieri posse insomnis. Hæc autem signa licet haud essent ita exitialia, attamen quia prima die apparuerunt in primipara tenellæ ætatis, proculdubio exitium minabantur. At, vt recte monuit Galen. multo deteriora fuerunt, quæ secunda die obseruata sunt.

Secunda die rigor exiguus, acuta febris, & sudor prauus circa caput, frigidus. Etenim quod riguerit, fuit quasi symptoma commune cunctarum, quæ vel pepererunt, vel sunt abortæ, vt Hippoc. primo de Morb. mul. ſ. ab vtero male affecto, atq; à puerperiis suppressis rigore eueniente, & tametsi rigor in febre continua prodesse soleat: id tamen efficit, quando magnus est: tunc enim facultatis expultricis robur indicat, id quod non fuit in hac ægra: & (sicut alias notaui) familiarissimū fuit tempore Hippoc. maxime post rigorē, vt acuta febris sequeretur. Porrò sudor quatuor habuit prauas cōditiones. Vnam, quod fuit circa caput, indicium certum ibi morbum esse, cum Hippoc. quarto Aphor. 39. scribat, vbi sudor, ibi morbū esse. Alteram q; fuit paucus: nam quælibet paucæ euacuationes semper damnantur ab Hippoc. Tertiam, quod fuit die secunda. Hippocr. enim quarto Aph. 36. sudores esse bonos ait, si inceperint die tertio, quinto, septimo, & quæ sequentur; alios vero laborem significare, longitudinem morbi, atq; recidiuam. Quartam, quod fuit frigidus, s. materia cerebrum infestante frigida existente, nec à febrili calore magno incalescente. Hippoc. primo Progn. 25. postquam docuisset, qui optimi & boni sint sudores: subdit, pessimi autem sunt frigidi, & qui tantum circa caput circa faciem, & circa ceruicē, adeo vt ex hoc vno sudoris signo potuerint medici sagaces facile hanc mulierem morituram prædicere.

Tertia die. Quæ autem tertia die euenerunt, haudquaquā fuerunt meliora, quamquam alui excrementa sola fuerint: quæ & ipsa habuerunt malas conditiones, quando fuerunt cum labore multa, cruda, atq; tenuia: labor erat inter exeundum dolor, & lassitudo, cuiusmodi euenire solet, vbi natura importune sollicitatur à praua materia. Copia prauorum humorum ingentem aceruum significabat: sicut cruditas, atq; tenuitas erant indicia materię stimulantis ob prauitatem naturam ad excernendum, nec coctionem expectandam.

Qvarta die. Iterum sicut secunda riguit, omnia alia sunt exacerbata, nec dormiuit. Non otiose quemadmodum fortasse aliquis suspicari potuisset, addit ceteris ipsam non dormiuisse: quoniam in superiori die cum somni mentionem

P non

non fecerit, poterat aliquis suspicari, Hippocratem dicentem cuncta esse exacerbata, somnum non esse complexum. Notat Gal. tantam fuisse malitiam eorũ quæ secunda, quarta, & septima contigerunt, vt iure debuerit perire, vndecima die, nisi robur naturæ eam sustinuisset vsq; ad decimamquartam. Et certe cum prædicta mala perseuerauerint quinta, atq; etiam sexta die, sat pene erant ad perdendam eã. Verum grauiora in SEPTIMA accesserũt, quæ partim die, partim vespere, partim nocte visa sunt. Die enim adhuc SVPERRIGVIT, febris acuta secuta est, multa sitis, ingens inquietudo: Sub vesperum siue circa occasum sudauit totum corpus frigido sudore, extrema quoq; friguerunt, nec recalescebant. Arist. 25. Probl. quærens cur Vespera sit minus frigida, quam Aurora, inquit esse caussam, quoniam illa est proximior meridiei, quæ est calidissima omnium diei partium; hæc vero dimidio noctis, quod est frigidissimum; vnde tempus vesperæ, & noctis ad faciendum frigus vna cum aliis confert. Nocte rursum superriguit, neq; recalescebat, non dormiuit, aliquantulum delirauit, & rursum celeriter resipuit, & certe in hac muliere magna vsus est Hippoc. diligentia, nec facile aliquam aliam inuenietis historiam ab ipso tanta sedulitate, atq; studio tractatam; id quod ab ipso factum esse suspicatus sum, tum ob casus raritatem: tum quia forsan ob aliquam honestam tamen rationem, sibi erat curæ: nisi dicere potius placeat, ab astante medico tantam esse diligentiam adhibitam, ac deinde Hippocr. ab ipso cuncta fuisse narrata, & forsan scriptis rradita. Vsqueadeo frequenter riguit hęc iuuencula, vt Hippoc. dicat hanc febrem fuisse horrificam: & Galenus secundo de Diff. feb. c. 8. tertio in tertium Epidem. & primo in primum Epidem. 23. declarans, quæ sint febres horrificæ apud Hippo. dicit duplicem esse, aliam, in qua horror & rigor reduplicatur, vel in qua tota accessio consumitur pene in rigore: aliam, in qua ægrotantes non rigent in toto cursu, sed prima accessione declinante statim nouus rigor superuenit: huiusmodi febres dicit Galen. esse veteos illos hæmitritæos; quorum fit crebra mentio apud scriptores Græcos & Latinos. Rigor autem in hac muliere ita frequenter dubio procul fiebat ex perseuerantia suppressionis puerperiorum: & Hipp. primo de Morb. mul. iis quibus supprimuntur puerperia, rigores aliaq; plura mala fieri dicit, quod restagnet sanguis ille retentus in corpus, illudq; sua praua vi feriat: quemadmodum etiam ingẽs illa sitis febrem acutam sequebatur, & suppressionem, ac febrem illam inquietudo, quæ eo maior fieri solet, atque diuturnior, quò maior est, ac deterior humorum morbosorum copia, à qua potius puto factam fuisse hanc inquietudinem, quam à virium debilitate: etsi etiam ab hac fieri inquietudinem scribat Galen. primo de Mot. musc. Circa occasum, quod sudor frigidus factus sit in corpote vniuerso, pessimum signum fuit, scilicet calorem paulatim extingui ab immenso, & pestifero febrili calore: vnde Hippoc. quarto Aphor. 37. dicere solebat, sudores frigidos, si cum acuta febre mortem, si cum mitiore morbi longitudinem significare. Verum in præsenti muliere sudor frigidus tanto erat deterior, quanto post ipsum adhuc extrema remanebant frigida, neque recalescebant: quod erat indicium caloris natiui admodum languentis; nec resurgere potentis. Sed cum id esset, qui ergo fieri potuit, vt nocte eadem iterum à rigore sit tentata nec recalescere potuerit? Dicendum est naturam adhuc aliquantisper robustam omni conatu esse vsam ad depellendam à venis terram illam, & veneficam materiam: at calotem languentem non valuisse aduersus ipsam certare, sed quasi victum dimisisse dominium, proptereaque non recaluisse, & consequenter haud dormiuisse, atq; parumper delirasse, quod delirium propterea cito cessauit, quoniam exigui erant acres, & feruidi, qui cerebrum petentes delirium efficiebant, & vero solent minus delirare, quorum frigida sunt extrema, quoniam tunc cum natiuus calor haud pugnet cum morbifica materia pauciores fiunt euaporationes in cerebrum, atque inde minores illius perturbationes: Vtcumque autem sit, illud verissimum comprobatur tam ex hac, quam ex aliis historiis, quod imparibus diebus, & dolores, & alia symptomata exasperentur: idq; demonstrabat Hippocrates quarto

quarto de Morb. tum quia tertia quaq; die natura monet humores ad ventrem: tum quia si diebus imparibus præbeātur purgantia medicamenta fiunt super purgationes: quæ interdum interimunt; imo vis imparium aliquando etiam extenditur ad partes, vt contigit huic quæ octaua die tandem circa meridiem recaluit, vtpote non modo à calore illius temporis adiuta, quod dicit Arist. 25. Prob. 15. esse calidissimum, verum etiam proprio conatu natura veluti emergente, aut potius febrili calore post rigorem nocturnum acuto, & eo magis quia erat meridies, quo tempore æstati correspondente, vt dicebant veteres, mouetur bilis. Hoc enim potius fuisse, quam aliud docuerunt, quæ sunt secuta, s. sitis, inclinatio ad somnum (fusa s. cerebri à vaporibus calidis pituita) anxietas, nausea, vomitus exiguus & flauus. Id quod pariter indicium esse potest hanc febrem, vt nuper dicebam fuisse (vt ait Hippoc. in fine hist.) φρενώδη, qualis solet esse hemitritæus, quem Galen. facit Romę familiarem primo Epid. com. secundo, tex. 25. & lib. de temp. morb. octauo; & de quo similiter videtur locutus Asclepiades, vbi apud Cœl. Aurel. secũdo acut. 10. narrat febres lethargicas cum oppressione mentis, & corporis frequenter Romę contingere consueuisse. Cuncta autem illa solent accidere initiis accessionum; atque post ipsum rigorem, s. natura sese à rigore expediente: materiamq; ipsius effectricem in stomachum eructante. Protractam esse sæuam huiuscemodi accessionem per totam noctem ostendit dysphoria illa, necnon vigilię. Sed hoc in loco dignum est consideratione, cur hactenus Hippoc. fere præter suam consuetudinem de vrinis meminerit nihil, nisi dicatur haudquaquam prius obseruatione dignum habuisse, quoniam & sudor, & deiectiones alui iuges vrinam paucam, & non admodum mutatam præstabant: idque solet in febrib. pestiferis contingere: vt interdum vrinæ sint veluti sanorum corporum: Verum quia hac nocte diei octauæ aliqua memoria, & consideratione digna contigerunt, minime putauit illud esse prætermittendum. Fuerunt autem tria, quod multam vrinam reddidit, quod affatim, & quod ignoranter: Multa fuit ob copiam materiæ serosæ quæ alias per aluum & sudorem consueuerat excerni: exiuit affatim ob ingentem facultatis expulsiuæ, quam sentiebat molestiam. Fit ab ipsa insciente emissa forsan ob mentis errorem: nam Galen. primo Prorrhet. sect. secunda, tex. 46. ait, excrementa absque voluntate exeuntia prodire vel ob mentis læsionem, vel ob sensus partium, per quas trãseunt, carentiam, propterea q; semper in morbis acutis lethiferum huiusmodi symptoma compertum est: dico enim in acutis morbis, quoniam interdum vsuuenit, vt absq; simili morbo aliquibus contingat, sine vlla alia pernicie: sicuti videmus in pueris sæpenumero accidere, vt docet Paulus Ægineta lib. tertio, cap. 45. Vnde apud Arist. tertia Problem. 33. dum quærit cur οἱ νέοι frequentius, quam seniores ebrii sibiipsis immingant, vox illa νέοι haud interpretanda est (iuuenes) quemadmodum fecit Gaza. sed (pueri) idq; ipsemet Aristot. monstrat, dum caussam afferens quæsiti, duas proponit, alteram quod sint humidi, & calidi multum, alteram quod sint ad somnum propensiores; adeo vt somno consopitos vrinæ exitus lateat, quæ sane conditiones pueris non iuuenibus accommodantur.

NONA DIE, omnia fuerunt remissa, sed non fuit vera malorum remissio, at potius fraudulenta quædam occultatio facta, quod natura haud posset contendere, nisi paulisper quiete recreata aliquantulum virium resumeret: Hoc vero ita fuisse ex eo facile intelligitur, quod eadem die, s. circa Solis occasum rigore modico capta in soporem lapsa est, nempe contracto toto illo qui supererat calore ad interiora: vnde etiam factum, vt humores moti, atque rigoris authores biliosi, & amari in ventriculum lati vomitum excitauerint: dico enim amari, quia mihi magis placet hæc lectio, quam habet Galeni contextus, scilicet πικρὰ quam μικρὰ vt alii.

DECIMA DIE iterum factus est rigor. Et certe vt optime animaduertit Gal. frequens iste rigor in virtute prostrata solus pene sufficiebat ad extinguendã propositam mulierem, dicente Hippoc. quarto Aphor. 46. si rigor incedat febre non

deficiente, ægro imbecillo esse lethale. Verum post rigorem febris adhuc est aucta vnde recaluit, neq; tamen dormiuit. Mane vero multam vrinam absque vlla subsidentia reddidit, & verisimile est, aut ob immensum porum, quo ob sitim vtebatur copiosam fuisse vrinam, aut talem fuisse qualis solet esse in febribus magnis & pestiferis, quando ex colliquatione plurimum seri crudi, & non admodum colorati mingitur, hoc enim voluit significare Hippoc. dum dixit fuisse multam vrinam, & absq; sedimento: etenim lib. 4. de Morb. scribit, vbi non curantur morbi, aquosos humores euacuari, qui sunt febri contrarii: retineri autē biliosos, qui quonia sunt ob pinguedinem, & viscididatem ipsius febris alimentum eā augent, quod quidem huic adolescentulæ contigit, quæ post copiosæ vrinæ euacuationem deterius habuit: etsi vndecimæ symptomata expendamus, vix credi potest eam diem potuisse euadere hanc adolescentulam, & hoc in loco cogerer & ipse cum Gal. dicere, eam præter ætatis rationem necessario exitisse robustiorem: nisi fuisset potius auxiliis adiuuata, vt valuerit aduersus tantam morbi sæuitiam quatnordecim diebus perdurare: neque dubitari debet, quin possit industria, & remediis aliquamdiu mors retardari: siquidem Democritus instante vxore & filiis propter festa Thesmophoria panis recentis odore, vt ait Laertius, vel mellis euaporatione, vt scribit Athenæus mortem totum triduum, vel plus protraxit. Videatur autem quid dicat Hippocrates de vndecima, & quanta eum diligentia res huius mulieris adnotauerit.

VNDECIMA (ait) VOMVIT æruginosa, biliosa, riguit paulo post vomitum, ac denno refrigerata sunt extrema; vespere autem circa occasum denuo accessit rigor, sudor, vomuit multa, ac noctem habuit laboriosam. Cæterum priusquam vlterius progrediamur duo hoc in loco expendenda occurrunt, vnum est, quomodo hæc mulier nunquam delirauit præterquam septima die, in qua etiam statim ad mentem rediit: nam Hippocrates semper delirium tanquam præcipuum symptoma solet adnotasse vbi adest; & quod maiorem facit dubitationem, est, quia in hac die vndecima vomuit æruginosa: dicebat autem Hippocr. in Coac. & primo Prorrhet. 10. vbi fit vomitus æruginosus cum vigiliis, sequi cito insaniam quod eiusmodi vomitus, vt ibi exponit Galenus, ingentem ardorem intestinorum significet: idque videbitur in historia Philistæ, cui secnnda die ab æruginoso vomitu insania subsecuta est. Aliud est quomodo Hippocrates dicat post rigorem, & extremorum refrigerationem iterum eadem die hanc mulierem riguisse: quomodo inquam potuerit fieri rigor, nisi prius post antecedentem recaluerit, vt in aliis dicit? Ad primum dicendum est, rationabiliter debuisse hanc ægram delirare, verum accidisse sibi complura, quæ potuerunt auertere delirium, qualis creber ille rigor, & concussus, alui fluor, vomitus frequentes bilis, & copiosi, quibus omnibus factum est, vt maxima ex parte, vapores calidi, & mordaces à capite sint abducti, & si aliqui eo peruenerunt, vigilias quidem sed non delirium inducere potuerunt: vnde sententia Hippocratis vera est, vomitum æruginosum prædicere ex se fore insaniam, nisi quidpiam aliud sit, quod contra operetur. Ad secundum vero potest responderi, si Hippocrat. non commemorarit recalescentiam, id fecisse quoniam exigua erit, atque exiguo tempore durabat donec statim alius rigor superueniret, qui à facultate omni conatu expellere tentante efficiebatur.

DVODECIMA. Duodecima dies non minus ceteris habuit admirationis, quandoquidem in ea contigerunt tria, quorum vnumquodque per se exitialissimum est: vomitus, singultus, sitis. Vomitus tres habuit deterrimas cōditiones, fuit enim multus, niger, atque fœtidus. Multus vomitus in eo, qui sæpius vomuit, quique grauissimo morbo pluribus diebus conflictatus, ac pene cōfectus sit, quis non videt, quam facile perdere queat? Et certe mirum, ac pene incredibile fuisset tot diebus tantum euomere, nisi constaret in corporib. pessime affectis, & graui febre laborantibus, quidquid cibi sumitur in pessimos humores conuerti, adeo vt suppetant copiosis vomitionibus. De nigro autem, ac fœtido vomitu scimus Hippocr. secundo

secundo Progn. 39. 41. & 42. dicere eos esse semper malos, atq; celerrimam mortem indicare: est namque nigredo combustionis effectus, & fœtor semper sequax ingentis putredinis, vt dicit Galen. quinto de Simpl. medic. putredinem vero esse & fieri in loco coctioni alimenti dicato, quis non intelligit rem pessimam esse? singultus qui est veluti conuulsio ventriculi in febribus malignis fit, vel à siccitate, vel à succo tetro tunicis ventriculi affixo, quorum vtrumq; exitiale est, maxime vero si sit multus, vt in præsenti muliere: ac testari possum neminem me vidisse cum hoc symptomate seruatum. Idem dicendum est de siti, quæ licet semper molesta sit, tamen erat molestissima, vt significauit Hippocrates voce ἐπιπόνως, id est, laboriose tum ob febrem, & intestinorum ardorem, tum ob vomitus prauos, & deiectiones frequentes.

DECIMATERTIA. Iam vero decimatertia cum pergeret teterrimus ille vomitus, qui antea; necnon rigor, signum erat non minus insignis corruptelæ, quã deficientium virium; & propterea circa meridiem priuata est loquela, & voce, facultate scilicet id munus præstare nequeunte. Sed si tanta erat virium imbecillitas, quo pacto igitur sanguis è naribus decimaquarta fluxit? An potius factum est id vitio retentricis imbecillimæ, quam expultricis? & ideo subiunxit statim ipsam interiisse: non quod tanta fuerit sanguinis effusio, vt ipsam peremerit: sed quia natura iam ex toto consternata haud potuit sanguinis illum quantumuis minimum exitum sustinere. Et credo horam mortis fuisse circa meridiem, quia octaua die tunc incaluit; quemadmodum decimatertia circa eandem horam facta est sine voce: illud autem sæpe inculcat Hippocr. fieri mortes ea hora, qua fiunt exacerbationes. Modum vero illius mortis fuisse suspicor πλῶ μαρασμὸν, seu marcorem, extincto scilicet calore, & humido consumpto vi febris, & euacuationibus illis, per vomitum, aluum, & vrinam. Et certe cum in fine historiæ subiungat huic semper fuisse aluũ humidam, credibile est fuisse fluxum illum copiosum, & colliquatiuum, aut saltem vero colliquatiuo valde proximum. Vnde etiam oriebatur ille frequens horror, quo iugiter molestabatur, vt possimus hinc dicere ex earum febrium genere fuisse quas φρικώδεις, id est, horrificas vocauit Hippocrates secundo Epide. sect. tertia, necnon primo Epid. sect. prima, tex. 23. & secundo de feb. octauo, & quas tertio Epid. sect. tertia dicit factas eas esse cum alui turbatione, atque horrore & sudore; Et certe illud verissimum est hanc mulierem multas, & varias habuisse euacuationes, à quibus debebat saltem aliquando leuari morbus, si non prorsus tolli: verum non euacuabantur, quæ debebant, scilicet puerperia ea propter nihil confertebat. De ætate autem, quod in fine ponit iam dixi quid senserit Galen. nempe illud adiecisse Hippocratem vt doceret ætatis robori esse tribuendum, quod tamdiu, in tam graui, & lethali morbo superuixerit. Ego vero repeto eiusmodi ætatem nimium teneram esse, vt potuerit cum robore concipere, atq; parere, ac propterea inde admirationem augeri & indicari quod adolescentula potuerit à partu vsq; adeo magno morbo infestari, & ad decimamquartam diem produci, quæ est iudicatoria morborum vere acutorum: nisi dicamus præcedentes duas mulieres fuisse abortas, hã cautem naturaliter peperisse; magnopere autem discrepare abortum à partu, quia cum hic sit naturalis actio, plane minus turbat, atq; lædit quam ille, qui est præternaturalis, præterquam quod (vt alias dixi) cum insigni sedulitate sit Hippo. vsus circa ipsam verisimile fit multa remedia adhibuisse, quæ potuerint vitam paulo longius producere illis, quæ non fuerunt ita curatæ, Galen. secundo de Diff. respir. huius casus memoriam faciens putauit ob dolores & frigiditatem præsentem mulierem fuisse breuispiram, vnde nonnulli collegerunt in eius contextu abfuisse vocem ἀσώδης, quod vbi est anxietas nequeat inueniri breuis spiratio. Atqui secus interdũ obseruatur vt qui anguntur stomacho parum spirent, facultate scilicet cõsternata. Nunc ad curationem conuertor, quam diligentissime factam esse, non dubito, postquam, vt retro dicebam, paucæ inueniuntur historiæ; in quibus adeo accurate quicquid dignum obseruatu singulis diebus occurrebat, sit adnotatum.

Victus is debuit esse, qui cunctis acutis debetur, eo maxime quod statim prima die cœpit esse acutus, & prauus. De sanguine mittendo certe poterat dubitari, quoniam ex vna videtur similis euacuatio necessaria fuisse, nō modo, quia partū haud fecit, qualis conueniebat, verumetiā quia puerperia haudquaquam fluxisse par est, quemadmodum conueniebat; sed ex alia parte non videtur conuenisse, primum, quia laborabat, & anxietudine, quo in casu periclitantes vires haud sustinent similem euacuationem: vnde Galenus primo, ad Glauc. decimoquarto, præcipiebat prius corroborari os ventriculi, & simili symptomati prospici, quam ad sanguinis euacuationem deueniatur. Secundo quia eadem prima die aluus turbata est; imo vt ait Hippocrat. in fine historiæ toto ægritudinis tempore aluus sibi fuit humida. Quare in hac rerum angustia tutiorem partem elegissem: nempe reiecta venę omnis sectione ad cucurbitulatum vsum etiam scarificatarum confugissem, cruribus scilicet adhibitarum, nimirum quæ & euacuandæ plenitudini vicem phlebotomiæ supplent, vt perhibent Gal. quarto de tu. val. quarto, & Auic. quarta primi cap. de cucurbitulis, tum quia ad auertendum à stomacho, & capite magnum auxilium præstant, sic etiam vesicantia aliaq; diuertentium præsidiorum genera conuenissent. Porro ad aperiendum, & attemperandum, putredini q; resistendum è rar omnis cura conferenda; simulq; symptomatibus aliis occurrēdum, semper habita ratione materiæ pestiferæ. De purgantibus autē medicamentis nulla vnquam fuit habenda sollicitudo, cum sponte sua aluus semper fluxerit, atq; in postremis diebus à vomitu non exiguo, ac fœtido male sit tractata, etenim per partem affectam euacuare vniuersum corpus nunquam licet.

HISTORIA VIGESIMASEPTIMA.

IN Thaso filium Parionis, qui decumbebat super Dianæ phanum febris corripuit acuta: à principio autem continua, ardens: siticulosus: incipiens comatosus: & statim vigil: aluus turbata, initio vrinæ albæ. SEXTA *minxit oleosum: delirauit.* SEPTIMA *exacerbata sunt omnia: nihil dormiuit vt vrinæ similes, & mens turbulenta: ab aluo autem biliosa, pinguia secesserunt, deinde* OCTAVA *parum à naribus stillauit: vomuit virulenta, pauca: modicum dormiuit.* NONA *per eadem.* DECIMA *omnia remiserunt:* VNDECIMA *sudauit non per totum circumfrigiuit quidem, cito autem rursus recaluit.* DVODECIMA *febris acuta, deiectiones biliosæ, tenues, multæ: vrinis enæorema, delirauit.* DECIMASEPTIMA *laboriose, neque enim somni, neque febris producebatur: sudauit per totum: vigil, deiectiones biliosæ: cibum auersabatur: comatosus.* VIGESIMAQVARTA *rediit.* TRIGESIMAQVARTA *sine febre: aluus non substitit, & rursum recaluit.* QVADRAGESIMA *sine febre: aluus substitit non tempore multo: cibum auersabatur, modice denuo febricitauit, & per totum erratico modo: sine febre: partim quidē, partim non: si enim interdum intermitteret: iterum reuertebatur: cibariis multis, & prauis vtebatur: somni mali: circa recidiuas: delirauit: vrinas crassitiem quidem habentes mingebat tunc: sed turbatas, & prauas, & secundum aluum compacta, & rursum dissoluta: febriculæ continuæ: deiectiones multæ, tenues. At* CENTESIMAVIGESIMA *mortuus est: huic aluus assidue à prima die humida biliosis, liquidis, multis erat: vel consistens, feruidis, & inconcoctis: vrina vsque in finem mala: comatosa plurima cum laboribus: vigil, cibum auersans, assidue: causus:*

IN THASO Parionis filium. Quæ sequuntur historiæ decem & sex sunt quas prius quam Hippocrates proponat, constitutiones præteritæ, ac morborum, qui in ipsa vagati sunt diligenter vniuersam naturam, atque ideam constituit. Verum antequam ad explanandas illas deueniam, tria breuiter sunt præmittenda. Quæ fuerit constitutio: qui morbi in ipsa vagati sint, & vtrum

comme-

commemorati ægri in ipsa constitutione ægrotauerint; vt nonnullis Interpretib. antiquis placuit: an potius non fuerint illius constitutionis ægri, quod magis Galen. approbasse videtur. Etenim constitutio vt ait Galen. initio huiusce tertiæ sect. tertii libri non modo significat Hippocrati præternaturalem in aere temperiem; verumetiam totam cuiuslibet rei ideam, atq; naturam, quæ temperies & idea vbi à statu naturali ad præternaturalem commutantur, faciunt morbos modo mitiores, modo sæuiores: vt propter hoc dixerit Hippocr. tertio Aphor. ex omnibus constitutionibus semper humidiores esse minus salutares siccioribus: siquidem putredo omnis, quæ est matrix prauorum morborum fit ab humido accedente extrinsecus ambientis calore, atque immobilitate. Fuit autem in vniuersum constitutio ab Hippocrate modo enarrata Austrina, pluuiosa, ac sine ventis; dixi autem in vniuersum, quoniam etsi Hippocrates narrans singulas anni illius partes videatur multas alias conditiones vnicuique separatim tribuisse: nihilominus in cunctis semper dominatus videtur esse Auster, & pluuia, adeo vt iure dicat Galenus huiuscemodi constitutionem vere fuisse pestilentem, in qua humiditas cum calore, absque motu semper visa est: sic etiam primo de Temp. quarto, dicebat constitutiones Austrinas calidas & humidas adducere pestem. Vtrum autem hæc constitutio fuerit peculiaris alicuius regionis, vt quæ in Thaso, & quæ in Cranone, vel Perintho in antecedentibus libris commemoratæ haud multum interest disputare; quam, quam potius suspicor fuisse pluribus regionibus communem, haud tamen eam, quæ à Thucydide libro secundo, & Lucretio libro sexto, descripta est: quamq; originem duxisse narrat ex Æthiopia, vnde ob cadauera in sepulta exhalationes corruptæ, & inquinamenta totam Græciam peruolarunt. Verum tria occurrũt dubia primũ est, ad quid Hipp. dixerit hanc constitutionem fuisse Austrinam, & pluuiosam, cum Auster videatur esse suapte natura pluuiosus; vnde à nonnullis Nothus imbrifer, & à Plauto Auster imbricus appellatur. Alterum est quo pacto fuerit huiusmodi annus adeo pestifer, cum scribat Arist. prima Probl. 23. & 26. Problem. 52. necnon Theophr. libro de ventis Austrum, vbi pluuiis coniungitur, minime febres creare, quod calor Austro proprius, atque morbidus frigore pluuiæ contemperetur. Tertium est, quomodo si toto anno proflauit Auster, dicit Hippocrates fuisse absque vento. Ad primum respondendum est, non modo apud Galenum in comm. verumetiam apud Orib. libro nono, Coll. septimo, duplices fuisse habitos apud veteres austros, pluuiosum & siccum, quem dicit Galenus in comm. ab Homero album Austrum appellatũ fuisse: vnde vt distingueret alterum ab altero addidit pluuiosum, quo pacto solet non raro loqui his, in lib. atq; in eo qui inscribitur de aer. aq. & loc, quo pacto etiam inuenitur Theophrastus locutus in lib. de ventis. Ad secundum dicere oportet aliud esse loqui de tota anni constitutione, aliud de aliqua ipsius parte: si primo modo loquamur, certe continuata illa pluuiarum humiditas, qualis fuit narrata ab Hippocrat. potius corrumpit calorem, quam intemperiem Austri emendet: sin autem loquamur secundo modo, quemadmodum videtur intelligendus Arist. sic pluuia corrigit calorem inimicum ipsius Austri. Potest etiam alio modo responderi: nempe Austrum posse flare, vel placide, vel vehementer: si placide perflet cum multis pluuiis pestifer est: sin vero vehementer à pluuiis mitigatur praua eius vis; idque intelligere voluit Arist. hoc enim idem de Cauro scribit Oribas. Loco citato: Austrum calidum, & vehementer spirantem esse, alterum vero calidum quidem, sed ita leuiter spirantem, vt non percipiatur. Ad tertium respondet Galen. & bene apud Hippocratem: ἀπνοιαν haudquaquam significare integram ventorum cessationem: sed exiguam spirationem: ita vt Austri quidem spirarent: sed adeo latenter, & exiguo cum motu: vt prorsus nulli esse venti viderentur: atq; hunc Austrum ait à vulgaribus nominari λευκόνοτον: Sic Aristot. appellabat quasdam aues ἄποδας non q prorsus careant pedib. sed q eos admodũ exiguos habeant: Haud secus Heraclides, vt est apud Galenum sexto de loc. affec. præfocationem vteri vocabat ἄπνουν, non quod respirationem penitus auferat.

 Alioquin

Alioquin simul tolleret vitam: sed eam ita exiguam faciat, vt vix appateat. Igitur annus in vniuersum Austrinus, pluuiosus, & absque vehementi perflatione fuit. Ab Austro calefacta terra, & à pluuiis humectata cum non perspiraretur à ventis, putredinem tetram concepit, à qua aer contaminatus pestem peperit, & sicut dicit Gal. hæc constitutio in eo fuit similis illi, quæ in Cranone, quod in vtraq; ingens facta est putredo. Ab hac putredine inde (quod erat secundum à me propositum) geniti sunt varii ac diuersi morbi, qui omues pestiferi erant, ob sordidã, grauemq; putredinem. Etiam vt scribit Galenus tertio in tertium Epid. tex. 20. & primo de acut. nono, haud pestis est vnum morbi genus, sed cuncta morborum genera possunt pestis naturam sumere, atq; ita vocari pestes. Et certe in hac cõstitutione possumus dicere omnes morbos fuisse vagatos, scilicet in intemperie, in mala compositione, atq; solutione continui. In mala intemperie fuerunt febres, & primo de Ephemeris dubitari posset, quod in pestilenti constitutione fieri non solent. Verum vbi aer infectus est, credi potest etiam eas fieri, sed ita cito in putridas commutari, vt non animaduertantur, etiam si plerumque fiant à caussis procatarcticis, & euidentibus: neque etiam putandum est, vbi fiunt diariæ, in pestifero aere protinus esse ex spiritibus: tum quia ipsi spiritus quantum ego puto, naturam à concipienda putredine alienam habent, tum etiam quia si putrescerent, ea febris putrida potius appellanda esset, qualis Anglica erat, quæ vna die homines interimebat, de quo genere febris extat etiam memoria apud Lucilium vetustissimum Poetam, vbi dicit vnum vini haustum, & vnam febrem necare hominem. Hecticas factas esse non dubito, cum Hippocrates scribat, multos tabe longa fuisse consumptos, atque eos præsertim, qui erant ad tabem proni alias ab Hippocrate φθινώδεις nuncupati. Et in variis lectionibus monstraui nomen hecticæ febris non extitisse ætate Hippocratis, sed sub pthisis appellatione comprehendi forsan; vnde apud Aristo. 19. Proble. in fine 37. dictionem hanc διὸ οἱ ἑκτικοὶ ὀξύφωνοι semper iudicaui esse purũ glossema intersertum: cum nec antiquus interpres illa verba habeat aut legendum esse εἰ φθισικοὶ. Complures autem fuerunt febres putridæ omnis generis, præsertim malignæ cum prauis symptomatibus, vt sopore in initio, sine siti, ac delirio, sed cum anxietate, rigore, & horrore, paroxysmi erant in paribus cum extremorum frigore, non bene recalescentes, cum obliuione, exolutione, cum alui turbationibus multis, colliquatiuis, tenuibus, crudis, vrinæ tenues, multæ, nil indicatorium, aut vtile habentes. Dicit Hippocrates phreneticum nullum insaniuisse, vt in aliis, hoc est, non ita immani furore eos fuisse exagitatos, quemadmodum solent alii phrenetici: sed leni, & interdum ad somnum inclinante. Dicit autem alias etiam febres populariter esse vagatas, tertianas, quartanas, continentes, nocturnas longas, erraticas fastidiosas, inconstantes. Verum cum dicit quartanarios multos interiisse, non intelligendum est, quod perierint simpliciter propter quartanas, cum dicit Hippoc. in 3. tertium Epid. quartanas esse omnium securissimas, facillimas & longas, ac non modo per se tales, sed etiam à morbis magnis liberare. Celsus quoq; scribit quartanam, quantum sit ex sese, neminem iugulare: sed quod perirent ob constitutionem, atq; hoc erat maxime prauitatis indicium, quando morbi qui sunt salutares, & ab aliis liberare solent, fiunt exitiosi. Porro, de morbis ex continui solutione erant aphtæ, seu vlcera oris, similiter circa pudenda, crura, atq; alias partes; herpetes maligni, ex quibus abscedebant carnes consumptæ: & interdum totæ illæ partes vt narrat Thucyd. lib. secundo, & ex nostris Lucretius lib. 6. euenisse in illa celebri Atheniensium peste: dysenteriæ quoq; vagabantur, ex quibus & aliis alui solutionibus complures, & præsertim morbo longo confecti peribant: Tormina, voluuli maligni, oculorum corruptiones, atque alia similia. In mala tandem conformatione grassabantur erysipelata, bubones, inflammationes, apostemata, quæ non suppurabantur, etsi ad suppurationem veniebant, ægri seruabantur carbunculi in pudendis, putredines, multá alia symptomatum, & morborum genera sunt ab Hippocrate relata, quæ tunc vagabantur. Sed prædicta erant

potiora,

potiora, nec alia necesse est particulariter recensere, cum apud Hippocratē ipsum liceat, quamquā paulo confusius legere. Erat tertium atq; postremum vtrum ægri, qui in hoc libro ab Hippoctare recensentur fuerint prædictæ constitutionis an alterius. Galenus circa finem antecedentis comm. videtur dubius, cum ex vna parte dicat nullum genus morborum ante desctiprorum ab Hippocrate tentasse, quemquam ex subscriptis ægris, altera vero ex parte dicat omnia symptomata ab ipso commemorata fuisse visa in 16. ægris, de quibus infra dicendum est. Ego tamen puto idem Hippocratem præstitisse in postrema hac constitutione, quod in antedictis fecit, nempe vt prius in vniuersam narrauerit totius constitutionis naturam, deinde eam in particularibus ægris docuerit; quod si videntur diuturnis morbis potius, quam acutis & pestiferis capti, etiam in prædicta constitutione similes fuisse dixit, præter quam quod potuit hoc Hippo. voluisse adnotare tanquā rarum, & docere, quod & in pestilenti constirutione etiam morbi longi videantur scilicet potissimum facti sint ex acutis. Modo veniam ad historiæ prioris enarrationem, quæ satis longa est. Cum æger vsque ad centesimam vigesimam diem prorogauerit vitam, qui tamen primis diebus acuta atque ardente febre tentatus fuit. In præsenti autem historia nominat Hippocrates patriam ægrotantis dum dicit.

IN THASO, nominat proprium patris nomen scilicet Parionis filius nominat habitationem nempe supra domum Artemesi, siue Artemisiæ, id est, Dianæ vt est apud Galenum libro de Com. cap. secundo atq; aliqua diligentia videtur vsus, quod sibi videretur casus cognitione cunctorum dignus. Quod pertinet ad nomē textus Græcus habet τὸν τȣ̃ παρίωνος, quæ verba aliqui interpretantur, Parium quēdam, quasi hic fuerit ex insula Paro: vnde Parius lapis apud scriprores celebris aduehebatur, atq; hos ait Galenus iccirco putasse patriam fuisse adiectam, quod qui Parium habitant ex phlebotomia, secundum, Asclepiadem iuuamentum insigne præcipiant, quod tamen haud probat Galenus. Aliqui & melius, vt ego puto Parionis filium interpretantur; etenim haud dixisset Hippocrates παρίωνος, sed παρίης si regionem nominare voluisset: addidisse enim habitationem existimo, quod forsan hic esset parum notus, esset autem notissimus Artemisius, prope cuius domum decumbebat, seu Artemisiæ, vel Dianæ templum. Neque dubito quin hæc persona ipsi Hippocrati foret aliquo pacto commendata, postquam à sexta die vsq; ad duodecimam morbi, eum quotidie visitauit, eiusq; symptómata recēsuit, & à duodecima visitauit vsq; ad quadragesimam per interualla diebus scilicet tantum iudicatoriis, atque decretoriis, quemadmodum sæpenumero facere consueuit, pariter haud puto dubitandum, quin fuerit potius iuuenis, cum esset filius, atque etiam laborauerit febre ardente ipsis iuuenibus paulo vltra 35. annum familiari; vt est ab Hippocrate proditum tertio Aphorism. 30. nam vt dicit Galenus in commen. qui sunt in ætate à 35. vsque ad 49. omnia facere aggrediuntur, quæ in iuuenili, & florida ætate constituti. Cur autem à prima die vsque ad sextam haud mentionem faciat sigillatim dierum, cum tamen complura symptomata commemoraret, puto fuisse caussam, quia non fuerit accitus, nisi sexta die, & aliorum dierum symptomata sibi cōfuse relata sint, ita vt nequiuerit tuto discernere, quæ in vna, & quæ in alia die acciderint. Vt autem ordine aliquo relata, & examinata huiuscemodi symptomata intellectu possint comprehendi, ea sub sua capita complectar. Neq; enim dubitandum est quin morbus præcipuus, quo laborauit propositus æger fuerit febris putrida; non quidem sola, & simplex, sed symptomatibus iuncta: postquam ipsemet Hippoc. ait in principio historiæ statim fuisse acutam continuam, ardentem, & in fine vt videbimus, fuisse continue febrem ardentem. Et aduertendum est Hippoc. dixisse acutam continuam ardentem nō sine ratione quia febris tertiana, etsi sit interpolata, numeratur tamen inter febres ardentes à Galeno secundo de Cris. tertio, & lib. de trem. & rig. c. septimo, imo dicebat secundo de Sympt. caussis: quinto & 4. Aph. 48. calorem tertianarum esse omnium febrium maximum,

maximum, & Hippoc. tertio Progn. 32. Galeous tertio Aph. 49. & Auicen. prima, quarti text. primo, cap. tertio ponunt tertianam inter acutos morbos. Quæ autem symptomata simili febri erant coniuncta, partim erant actiones læsæ, partim excremeota mutata. Inter læsas actiones fuerunt sitis, inclinatio ad somnum, vigilia. Iutet mutata excrementa erant aluus turbatæ, vrinæ in principio albæ. Quod præsens febris facta esset ab humoribus intra vasa mediocria putrescentibus, omnibus, pene, præsertim biliosis, & pituitosis, ac propterea, non fuerit verus causus, qui fit à bile, sed καυσώδης πυρετὸς vt solet loqui Hippocrates, satis ostendunt hæc symptomata, quæ primis diebus apparuerunt, nimirum sitis fiebat à bile, & pituita putrescentibus circa iecur & veotriculum: & prout vapores plures, vel à pituita, vel à bile in cerebrum tollebãtur, sic modo comatosus, hoc est, in somnum procliuis modo vigil fiebat. Ad quæ omnia, atq; alia mala inducenda non modo conferebat interna præparatio, atq; diu contracta prauorum humorum plenitudo, verum etiam ætas iuuenilis, atq; ipsius aeris morbidi conditio: vnde etiam puto turbationi alui datam esse statim occasionem. Hæc etenim fuisse constitutioni enarratæ peculiaria iam Hippoc. significauit: Sic vrinæ albæ in initio non tantum erat cruditatis argumenta, quantum exuperantis pituitæ, calidorum humorum ad aluum transitus: Atq; tota prima vsque ad sextam diem, in qua quod pauca alia noua contigeriot, solum duo commemorat tanquam consideratione, & animaduersione digna, scilicet vrinam oleosam, & delirium. De sexta die illud vulgatissimum est, & à nobis sæpius inculcatum mala complura in ipsa contingere & si, quæ interdum bona spectantur, iis minime fidendum esse, vtpote in die illegitima, & tyrannica factis. Cæterum de oleoso, quod ait Hippocrates, tum minxisse, Galenus iure merito longe, & docte discurrit, cum videatur mirum vt fere statim vrinæ ex albis fiot oleosæ factæ, quæ sicut ab ardore colliquante efficiuntur, sic albæ potius à frigore, & cruditate oriuntur. Cum autem oleosæ vrinæ dicaotur tripliciter, vel quod referant colore, & crassitie oleum, vel quod ipsis supernatet aliquid instar olei cunctis aliis liquorib. supernataotis, vel quod vniuersa ipsius substantia sit veluti pinguedo quædam, aut adeps eliquatus; certe Galeous optime censuit huiusmodi vrinam haud esse potuisse secundam, seu tertiam, quoniam hæ oriuntur ex pioguedioe, vel carne assatis, & nimio feruore colliquatis: vt quãdo carnes ad ignem torrentur, quod quidem esse non potuit in præsenti ægro. qui tametsi principio morbi laborauerit febre acuta & ardente, haud tamen erat facta, vt potuerit statim huiuscemodi colliquationes parere: alioquin quomodo potuisset protrahere vitam, vsque ad centesimam vigesimam diem, si sola pinguedo & non carnes, quæ maiore calore egêt, vt colliquentur, essent torrefacta? Itaque satius existimauit Galenus propterea esse oleosam, seu oleosum quid habentem vocatam nunc vrinam ab Hippocrate quod colore & crassitie, quodammodo oleom ipsum referret scilicet ob conturbationem factam in venis à calore vehementi febrili, & ab aeris prauitate: Quoniam vero huiusmodi vrinæ conturbatæ solent, vt dicebat Hippoc. quarto Aphoris. 70. significare aut præsentem, aut mox futurum capitis laborem: hinc iure factum est, vt eadem die deliraverit: quamquam non nego, vt inferius dicam, potuisse etiam aliquid colliquationis in vrina fuisse, quæ saltem supernatatione oleum repræsentaret.

Septima die omnia ait Hippocrates exacerbata sunt, nil dormiuit, meos turbulenta fuit vrinæ similes, id est, aliquid oleosum habẽtes, ab aluo biliosa, & pinguia exierunt. Quæ die septima contigerunt, poterat ot sane cuilibet medico persuadere ægrum hunc fore cito periturum: quia nil dormit, delirat, iutet sigoa exitialia sunt: pariter vrina oleosa, & fœces biliosæ, ac pingues, & forsan etiam valde fœtidæ ab Hippocr. & in Progo. & in Coac. inrer signa exitialia pooūtur, vt ob hoc valde mirum fuerit etiam in viribus robustissimis potuisse huic mortem vsque adeo protrahi: nisi alicui dicere placeat cum Galeoo prauis succis & eduliis hunc esse vsum, propterea que huiusmodi vrinas atque fœces reddidisse, quam-

quam

quam certe non video, quomodo, quis vteus quantumuis oleo, aut rebus pinguib. faciat vrinas, & alui excrementa similia: nam hunc ex vstione potius eas habuisse fœces inde colligi potest, quod essent simul biliosæ, quæ combustionem ingentem consequantur: ita vt non modo pinguedines, verum etiam carnes torreantur, atq; colliquentur. Sed dubitatur cur Hippocrates dixerit de vrinis ἐλαιώδης, id est, oleosæ de fœcibus autem, seu alui excrementis dixerit λιπαρά, id est, pinguia non ἐλαιώδη. Sabinus vt narrat Galenus dixit calorem nostrum nutriri substantia oleosa, quemadmodum videmus extrinsecus flammas oleo nutriri, & lucernas, propertereaque vbi excernuntur similes vrinæ esse signum deterrimum, quod scilicet calor non appetat, neq; attrahat proprium alimentum, ac propterea sit defecturus, verum vt optime Galen. innuit, haud potuit hoc esse in proposito ægro, alioquin multo citius interiisset. Nam vt habemus ex Arist. 4. Meteor. nono, substantia oleosa cũ sit tenuis & aerea multo citius consumitur: contra vero quæ λιπαρά, id est, pinguis tardius, ex quo fit, vt plantæ resinosæ, & pingues quemadmodum, pinus palma, & cedrus Libani sint viuacissimæ. Quod si Hippoc. secundo Aph. 44. & Arist. secundo de part. an. c. quinto dixerint corpora pinguia citius interire, id est, alia ratione ſnon gratia pinguedinis, sed quia ab ipsis veluti strāgulatur natiuus calor, vt ignis à copia lignorum, vbi est immoderata, seu vt dicit Aristo. vbi totus sanguis, in quo est vita, conuertitur in pinguedinem. Quare cum in corporibus nostris duplex huiusmodi substantia comperiatur, nimirum oleosa, & pinguis per vrinas facilius exit materia quæ oleum æmulatur, pet aluum autē facilius altera substantia fertur, & præsertim cum bile, quæ suo feruore ad eliquandas carnes nō parum confert, vt ob hoc Hippocrates ita sit locutus: possumus etiam dicere Hippo. pro pinguibus excrementis intellexisse ipsam bilem crassiorem quam in quarto de Morb. vocat pinguem. Quod vero tamdiu perdurarit ratio fuit, quia non continuatim hæc effluebant: sed vt ait Hippoc. interdum consistebat aluus, & quæ pinguia ab aluo prodibant erant pauca: cum dicat Hipp. in fine, quæ exibant frequenter fuisse biliosa, multa, & humida, costitisse vero aluum ab deurentib. & crudis.

Octava die sanguinis parum è natibus stillauit, virulenta, sed pauca vomuit, parum dormiuit. Miror quidem cur Galenus hoc in loco nihil de sanguinis stilla dixerit: verum cum alibi de ea sit multa locutus handquaquam hoc in loco criminandus est, illud certum est, & hoc signum fuisse mortale, vt in febrib. acutis, & ardentibus plerumq; consueuit, quasi natura praui sanguinis copia grauata eum per ambas nares extrudere conaretur, neque tamen posset, vel ob eius imbecillitatem, vel potius ob ipsius sanguinis crassitiem ab immodico feruore inductam, qui etiam humores æruginosos producebat. Verum cum alias dixerim ex Hippoc. in Prorrh. & Coac. vomitus erugineos solere manias aut saltem deliria prædicere, cur id huic non contigerit, paucitas humoris effecit, quæ vigilias quidem peperit, delirium inducere haud potuit: nam vomitus æruginosi multi esse debent, quando animi perturbationes ingentes producendæ sunt.

Nona eadem perseuerarunt, quod autem in decima fuerint cuncta remissa effecit humoris pessimi, licet exigui euacuatio, quamquam parum omnino durauit, donec scilicet iterum natura ab humorib. tetris stimulata, eorumq; expulsionē aggressa in xj. die facta est refrigeratio, post refrigerationem statim febrilis calor auctus, atq; sudor subsecutus, licet non vniuersalis, & propterea nō optimus. Quæ omnia indicare potuerunt remissionem decimæ diei infidam fuisse tum quia non erat decretoria, tum quia vrinæ erant oleosæ, & crudæ. Dixi alias hunc solere esse motum naturæ, vt primo fiat rigor deinde calor, postremo sudor: nunc aūt Hipp. contrarium ordinem seruat: primum enim sudorem, deinde rigorem, tertio calorem commemorat. Nisi dicamus sudasse quidem primo, sed sudorem illum fuisse tenuem quandam humiditatem serosam ad motum facilem à natura ad curem extrusam in illa agitatione. Fuit hic motus quodammodo criticus cum in die decretoria sit factus, sed admodum imperfectus, & sine coctionis signo. Et id in præsenti

præsenti ægro iure obseruauit Galenus in dieb. decretoriis semper factas esse mutationes, atque motiones. Cum igitur admodum imperfectus fuisset ille criticus motus, atque materia esset agitata, nec euacuata, non absque ratione factum est, vt duodecimo febris acutior facta sit, aluus effuderit biliosa, tenuia, ac multa; necnon vrina habuerit enæorema, atq; delituit, nimirum durante adhuc illa diei criticæ motione. A duodecima transit Hippocr. ad DECIMAMSEPTIMAM, omissa decimaquarta: in qua debuit aliquid notatu dignũ contigisse cũ in vndecima, quę est ipsius indicatoria sese obtulerint signa futuræ alteris in ea commotionis. Verũ, vt ait Galenus forsan Hippoc. tacuit, quod non ea die vt solebat ipsum ægrum visitauerit: verum quia saltem debuisset id ab astantibus percunctari, & cognoscere forte siluit, quia nil noui diuersum ab ipsa duodecima, & decimatertia contigerit. Habuit autem DECIMAMSEPTIMAM, Non parum laboriosam, quoniam.

NON DORMIVIT, neque febris producebatur. Sed quomodo potuit esse caussa laboriosæ diei, quod febris non produceretur? Aliqui interpretes cum hãc difficultatem gustassent particulã negatiuam, ἐπί, detraserunt: quasi dicat propterea fuisse laboriosam diem illam, quoniam non dormiuisset, & febris, quę aucta fuerat duodecima esset eo vsque cum acutie protracta: sic enim verum erit, quod diximus non meminisse decimæquartæ diei quod eadem fuissent cum antecedentibus; huic etiam interpretationi videntur adstipulari, quæ habentur à Galeno libro de Comate, cap. secundo, vbi scribitur non (ἐπί) sed ὅτι πυρετὸς ἐπείνετο, id est, febris protracta est. Atque ita multo mihi magis placet, interpretari, quam vt Valesius, qui non videns contextum correctionem mereri, dixit intelligendum esse Hippocratem quasi voluerit non fuisse exttema calida, sed frigida: quæ res non admodum quadrat, nec rationem vllam habet. Quod scribit Galenus libro de Comate, cap. secundo, hunc varie ægrotasse, & inæqualiter, necnon multas multoties ad contraria mutationes habuisse certe verissimum est, & forsan etiam ob hanc caussam Hippocrates voluit nobis exemplum hoc proponere, scilicet non esse fidendum morbis, qui crebras. Ad bonum & malum mutationes habent: nam die VIGESIMA SVDAVIT iterum per totum, & post sudorem ἄπυρος, id est, sine febre fuit: scio plerosque contextus hoc in loco habere ἀγρυπνος, id est, insomnis fuit; verum placet mihi opinio eorum qui legendum putant ἄπυρος, tum quia verisimile est post sudorem cessasse aliquantisper febrem; tum quia dicit Hippocrates.

VIGESIMA rediisse febrem; quod quidem haud dixisset, nisi prius illa abiisset: quo pacto hunc eundem tex. legendum esse voluerunt apud Galenum lib. de Comate, secundo, quamquam potest esse, vt simul fuerit, & absq; somno, & absq; febre, etiam si Hippoc. nõ dixisset. Eadem habuit deiectiones biliosas, verum fuit, & ἀπόσιτος, id est, cum cibi abhominatione, & ad somnum propensione. Docet Galenus & bene, quod hic æger excerneret excrementa biliosa, & humida fuisse indicium non exiguæ cacochymiæ; quemadmodum quod vigilatet, & in somnum vicissim inclinaret, maiori ex parte morbi: Quod vero cibum auersaretur, & fastidiret morientis facultatis animalis indicium extitisse: circa quæ posttema Galeni verba nonnihil insistendum est, & primo de voce ἀπόσιτος, quam dicit hic simpliciter inappetentem significare, atque ita consueuisse Hippocratem loqui, & alios veteres, idem Galenus primo, in primum Epid. tex. 29. dicit ἀνορέκτας vocasse, qui non admittunt appositum cibum, ἀπόσιτος vero, qui etiam abhominantur sibi apponi: & de quibus loquens hoc eodem libro text. 58. Galenus dicebat ex longa peste, quæ est grassata ipsius tempore, nonnullos maluisse mori, quam cibum sumere: sed vtcunque sit cum Galenus sæpissime in Aphotis. id dicat, quod & hoc in loco, placet mihi vsum apud Hippocr. harum vocum fuisse promiscuum: Verum de quo magis dubito est quomodo si inappetentia, & cibi abhominatio in hoc ægro potuit esse vigesima die signum morientis facultatis, vsq; ad centum dies protraxit vitam: vbi enim aliqua ex tribus facultatibus insigniter læditur, haud

possunt

possunt multum aliæ durare, quin & ipsæ collabantur cito, & præsertim facultas naturalis, nempe quæ alimentum, & sustentamentum cæteris parat, Itaque vt dicet Galenus in historia sequenti potius id factum videtur ob humores deterrimos ventriculum obsidentes, qui cum interdum euacuarentur per aluum, & per vomitum, hinc fiebat, vt vita protraheretur.

Vigesimaqvarta die. Cæterum vigesimaquarta, quæ est & ipsa saltem indicatoria, ait Hipp. rediisse quod sane de alio intelligi non potest, quam de ipsa febre, vt propter hoc iure laudem illos, qui loco ἄφυπνος in die vigesima scribendum indicauerunt ἄπυρος id quod etiam dicit euenisse.

Trigesimaqvarta quasi à vigesimaquarta, vsq; ad trigesimamquartam recidiua quadam febre, & per consequens grauiori laborauerit, quæ fluente iugiter aluo non modo non cessauit, verum etiam incrementum recepit, idque significare voluit tunc, cum dixit recaluisse, quod quidem intelligendum de toto interuallo à vigesimaquarta, vsque ad quadragesimam. Hæc autem varietas, ac pene ad contrarium mutatio, haud aliunde proficiscebatur, quam à varia materia variis in locis, variisque temporibus putrescente.

Qvadragesima. Postquam pauca de trigesimaquarta, vsq; ad quadragesimam dixit: sequitur ad centesimamuigesimam, complura narrare; circa quæ illud primo statuendum est, quod video nonnullis placuisse, & quod alias dixi Hippoc. vbi accidentia singulorum dierum abstinet referre, saltem id obseruasse, vt dierum criticorum, & indicatoriorũ symptomata narraret, quã eo tempore maiorẽ ægrotantium partem visitaret, quãdo maior in morbis efficitur mutatio quadragesimã esse vltimum terminũ morborum per decidentiam acutorũ, atq; ex duabus vigesimis, id est sex septimanis per coniunctionẽ enumeratis componi certum est: neq; dubitare oportet, quin centesimauigesima ex tribus quadragenis cõstet, vt hac ratione minime videatur præter criticorũ vim hunc ægrũm ea die periisse. Vtrũ vero Hip. à quadraginta, vsq; centesimãuigesimã, nõ visitauerit ægrũ, vt aliqui sunt imaginati, non parum dubito, siquidẽ mihi videtur parum ꝓbabile tot potuisse cognoscere ipsius symptomata, nisi interdũ inuisisset illum, atq; ab illo, & ab aliis statum ægritudinis illius cognouisset. Verũ fieri potest vt ipse non curauerit cõmemorare dies, quia sæpius docuit symptomata potissimũ fieri diebus decretoriis, quasi vero enumerans symptomata, vno eodemq; tempore implicite dies etiam decretorios innuat: vel etiã fieri potest, vt ipse oblitus sit apponere dies, vt sexagesimã, octuagesimam, centesimã, quæ est enumeratio criticorũ per vigesimas ipsi Hippocrati cõsueta. Aut à scriptorib. sunt notę elementares numerorũ ob negligentiã, atq; ignorantiam omissæ; q; alias factitatũ obseruauimus, vt tertio in primum. in casu illius, qui calefactus cœnauerat. At quicquid sit, confusa huiusmodi symptomata secundum morbi mutationes examinare conabor, quanto dilucidius, atq; ordinatius fieri poterit. Primum igitur quod dicit de quadragesima ægrum fuisse sine febre, & ventrem constitisse, sed nõ multo tempore, fuisse absq; appetitu, & rursum vicissim modo febrem abiisse, modo rediisse cibisq; multis, & prauis vsum esse. Si seriem horum verborum expendamus, rantę varietatis huiusce morbi caussam in errorẽ vitę referre videtur. Et certe nil est, quod æque proroget ægritudines, ac tandẽ longas in malum exitum perducat, atque errores, qui committuntur in copia, & qualitate ciborum, & si enim inordinata, atq; intempestiua cibatio non parum noceat, attamen multo maius detrimentũ inferunt qualitas, & copia; dicebat enim Hip. quarto de morbis, quod morbi oriuntur hominibus ex humoribus, qui fiunt ex cibis, & multis, & prauis, vnde qui moderate & bibit, & comedit, & exercetur, fere impossibile est vllo morbo humorali capi, vt ob id hæc duo errata tanquã magis præcipua referre voluerit Hipp. vbi enim corpus longa valetudine est male tractatum non modo eos corrigere nequit verum etiam corruptioni, & putredini dimittens ad accendendis nouis febribus, aliisq; symptomatibus inducendis certam occasionem præbet quemadmodum contigit huic ægro, qui non alia ratione vt puto modo fe-

bricitabat, modo non; nisi quia multis, & prauis cibis vescebatur; idque forsan agebat, non tam vitio animi, propter inappetentiam; Namque fieri solet, vt vbi ægrotantes parum appetunt, cibos vetitos, sed expetitos sumant; Ex quo solertes medici semper studere debent, ne ægrotantes & conualescentes errorem vllum præsertim circa cibos, & potus committant, quod facillimum est certe in longis valetudinibus: Dicebat enim Galenus, vt qui longum iter faciunt, vix fieri nequit, quin interdum vspiam impingant, & errent; sic in longis morbis vix côtingere posse, quin committantur errata; atque hoc est quod etiam dicebat idem Galenus secundo, Apho. trigesimonono, scilicet senes ægrotare quidem minus iuuenibus; sed si temperanter viuant, alioquin viuentes intemperanter multo magis iuuenib. eos ægrotare propter viriũ imbecillitatem; quæ pariter facit in fractis à longo morbo, vt ob cibos multos, & paucos complura gignantur excrementa, quæ deinde febres ipsas fouent & augent. Narrat Laertius Heraclitum tædio hominum affectum in montes secessisse, ibiq; herbis, & oleribus vescentem, morbum intercutem contraxisse, quo deinde mortuus est. Sed dicet aliquis; erant ne hæ febres erraticæ? Interest inter febres vere erraticas, & quæ erratico modo inuadunt; quia febres erraticæ fiunt continuatim, sed non seruant ordinem, quia modo mane, modo vespere, modo noctu inuadunt: quæ vero erratico modo, non ita continuæ sunt, sed modo vna die maner sine febre, modo semel, modo bis in die, adeo vt quidam error videatur, cuiusmodi erant febres huius ægri, & de qnibus etiam loquebatur primo Epid. com. primo. quando dixit nonnullas παροξύνεσθαι πεπλανημένως, id est exacerbari erratico modo, alias veros ἀτάκτως, id est ordinare.

Somni mali circa recidivas. Cum autem propositus æger ob multas, atque varias morbi mutationes vitio alimenti comparatas, varia similiter symptomata pateretur, quæ fuerunt grauiora, & sibi nota, enumerat deinde Hipp. Ex quo elucet id verissimum, quod dicebat idem Hippocrates libro de Affec. internis & Auicenna in fine primæ quarti, νόσημα ὑποστραφὲν μᾶλλον τέξει ἢ κατ' ἀρχάς recidiuam esse peiorem sua radice. Primum igitur quod dicit habuisse in recidiua hanc ægram, fuit somnus vel potius somni praui. Nam in libro de iudicationibus sub nomine Hippocratis edito habetur, recidiuas fieri, quibus vigiliæ, aut somni turbulenti, accedunt. Fiebant huiusmodi somni turbati, ob cruditates, & prauos cibos quibus vescebatur, & Plutarchus decimosexto sympo. in fine ex Aristotelis sententia dicebat propterea in autumno fieri insomnia turbulenta, quoniam tunc viuitur vino recenti, fructibus, aliisque praui succi eduliis. Delirium quoque babuit circa recidiuas, quoniam à putredine febrili eleuabantur vapores acres, & feruidi, qui in cerebrum sublati illius temperamentum subuertebant, sicque ipsius actiones deprauabantur; Quod autem spectat ad excrementa mutata, quemadmodum etiam ab eodem febrili, & magno calore succi venarum agitati, atq; conturbati vrinas turbatas, & crassas reddebant, ob idq; prauas; Ex quo loco etiam colligere licet apud Hippocratem, vrinas crassas, & turbatas esse inter sese differentes secus quam nonnulli existimarunt, vt etiam alias demonstrauimus. Aluus similiter modo adstringebatur, modo rursum soluebatur; atq; excrementa erant mulra & tenuia, prout, scilicet natura magis, vel minus valebat, materias illas putres, & fœdas euacuare: febriculæ interim continuæ illum exacerbabant, & iure dicit Hippocrates febriculæ; erant enim vsque adeo factæ illius vires vt non posset valde febrire. In hoc vario statu cum post quadragesimam diem perseuerasset, tandem vigesima supra centesimam extinctus fuit; quo genere mortis obierit haud narrat; nihilominus colligi potest tabidum, atq; consumptum sub illis febriculis continuis obiisse, tum quia Hippocrates, ante in vniuersali tempestatis theoria dixit multos tabidos periisse, tum quia dixit assiduo ipsum ægrum fudisse à aluo multa biliosa atque humida, vrinas habuisse semper prauas, comatosum fuisse cum laboribus, vigilem, sine appetentia. Cæterum dubitatur hoc in loco quare Hipp. dixerit fuisse comatosum cum laboribus, quomodo simul comatosus fuerit, atque vigil. quod significat

significat fuisse aluum à prima die humidam biliosis humidis multis, συνιζημένην, vero fuisse feruentibus, & crudis. Denique quomodo in fine dicat continue ardens, quasi fieri potuerit, vt febris ardens centum, & viginti diebus feruentibus, & crudis perdurauerit. Circa primum Galenus in libro de Comate, cap. primo & secundo. vbi etiam huiusce historiæ mentionem facit, inquit nonnullis visum esse Hippocratem, quandoque pro comate intelligere vigiliam, sed frequentissime, & ferè semper alterum ab altera distinguere; duplexque propterea (quod sæpe repetendum occurrit) esse coma, aliud quidem somnolentum, aliud vero vigil nuncupatum; atque vtrumq; id habuisse commune, vt esset cum inclinatione ad somnum: at somnolentum esse non modo inclinationem, verum etiam lapsum in profundum, atque diuturnum somnum. Vigil vero esse absq; somno formali, scilicet alia atque alia phantasia, mentem mouente, ipsumq; somnum intercidente. Vnde hoc in loco dicere possemus, hunc habuisse vtrumq; coma, scilicet nunc somnolentu, nunc vigil: neq; id inconuenisse, vt quo tempore agebatur à phanthasiis mens eius, oculos quidem clausos, & in somnos proclines haberet, cæteris horis vigilaret, obloqueretur, & audiret. Vbi autem phantasiis nullis exercebatur, in profundum somnum esse lapsum humore nempe pituitoso, tunc vniuersam cerebri substantiam irrigante: Quod vero vocauerit coma cum laboribus aut doloribus, sum & ipse cum aliquibus interpretibus, vt vox cum laboribus, non sit connectenda cum superiore, scilicet, comatosus, sed cum subsequente vigil; quasi sententia sit, fuisse laboriosam illam vigiliam, propterea que inclinabatur in somnum, sed à phantasiis impediebatur, quo minus dormiret; & certe inter acerba tormenta ponitur quando quispiam dormire valde cupiens à somno capiendo diligenter arcetur; atq; hoc vocant criminalistæ dare vigiliam reis, quod faciunt vt delicta confiteantur. Ad aliud, scilicet de quo aluo fusa, & adstricta aliqui sic intelligunt tanquam Hippocrates dicat nunc aluum fluxisse humidis, & biliosis, nunc fuisse adstrictam, atque tunc exusta, atq; cruda excrementa extitisse. Ego vero puto vocem, ξυνιζημένη, oppositam fuisse voci, ὑγρὰ. vt dicere velit fuisse quidem semper aluum solutam, sed interdum excrementa prodiisse humida, & biliosa; interdum compacta, ac exusta, & cruda. Cæterum de voce illa, ξυνεχέως καῦσος, id est continue ardens, putant aliqui interpretandum esse vsq; ad vigesimam diem, sed non conuenit hæc interpretatio voci, ξυνεχέως, & difficile est fieri, vt causus duret viginti diebus licet καυσώδης πύρετος etiam amplius durare queat. Ergo valde suspicor illas duas voces fuisse ab aliquo ignaro additas, sicuti in aliis aliquibus historiis retro factū esse vidimus, nisi emendare placeret vocem illā ξυνεχέως, & legere ἐξ ἀρχῆς, quasi voluerit dicere febrem à principio fuisse ardentem, ac postea vt fit conuersam esse in hecticam, seu tabidā, vt sol et non raro euenire, præsertim quando non recta in initio adhibetur curatio cum frigidæ aquæ adhibitione, vt monet Gale. nono Metho. De curatione modo aliquid est dicendum, & primo quod ad victum pertinet, quemadmodum antea dixi, hoc exemplum esse potest quanti referat in longis morbis in victus ratione, scilicet circa cibum, & potū errare: bene verum, vbi morbus acutus est exquisitiori victu esse opus, attamen etiam vbi ex acuro in diuturnum transiuit, si peccetur multum non modo magis morbus protrahitur verum etiā exitium affert tandem, vt ægro proposito obtigit. Quare oportebat non modo statim vini abstinentiam, & vsum tenuis, ac refrigerantis alimenti instituere, verum etiam si non ita tenui; saltem accommodato pergere; & verissimum, quod alias scripsit Galenus in libello de theriaca ad Pamphilianum nō esse vllum remedium, ita efficax, quod possit beneficium præstare, nisi comparem viuendi rationem habeat coniunctam. De chirurgicis præsidiis dubitari potuit, an expediuisset sanguinem mittere, cum initio aluus turbata fuerit. Veruntamen si ante sextam diem aut non fuisset effatu digna alui solutio, aut aliquibus diebus constitisset, arrepta tunc occasione mitti debebat sanguis vel secta vena, vel cucurbitulis, & infernarum partium scarificationibus ad auertendum à capite morbi impetum, quo in genere etiam omnia blandiora di-

uersionum genera apprime conueniessent, scilicet per leues frictiones, per ligaturas, atq; vesicantia extremis adhibita. Alia remedia purgantia minime conueniebant, quod semper aluus sibi humida, & fusa extiterit, verum vsque ad vigesimam diem purgnandum fuisset cum remediis refrigerātibus, & putredini resistentibus, vt oxalide pimpinella, melissa, scordio, agrimonio, endiuia, cum quibus & iuscula parari poterant ad sorbendum, & fercula coqui; sic bolus armena, & terra sigillata cum conserua acidi citri, aut boraginis, buglossæne contulisset. A vigesima ad quadragesimam paulo magis aperientibus, vt radice petroselini, & betonica, hyssopo, ex quibus decocta parata iuuant, vtendum erat, necnon inappetentiæ, & comatosi affectus ratio habenda. Post quadragesimā cum iam errantes, ac tabidæ febriculæ sese ostendere incepissent, vna cum perenni alui fluxu, simul toti thoraci erat prospiciendum, ne cor, & viscera spiritualia nimium accenderentur, atq; exiccarentur, id quod fieri solet irrigatione ex aqua maluæ, lactucæ, nec non linimento ex oleo amygd. dulc. oliuarum recenti. Tandem cum in tanta varietate, & mutatione morbi semper caput visum sit læsum; modo, scilicet à pituitosa materia; vnde coma tam somnolentum, quam vigil; modo à biliosa; vnde delitium, illi potissimum curando erat studendum; vt scilicet quando in somnum flectebatur, excitaretur, & vna humor pituitosus consumeretur oxyrrhodinis desiccantibus addito, scilicet aceto mulso, hyssopo, nepeta, origano, maiorana; quibus etiam per nares attractis vti licuisset; quemadmodum vigiliis, atq; delirio instantibus conuenisset demere oxyrhodino acria, & exiccantia, plusquam olei, & aceti minus adhibere. Et quoniā par est existimare assiduas illas alui excretiones non parum contulisse ad prosternendas magis vires; propterea optimum fuisset illinire hypochondriis & vmbilico oleum masticinum, atq; melinum; quod etiam stomacho illitum ad excitandum, & conseruandum appetitum haud parum conduxisset; pro quo sustentando, haud damno, vt aliqua in his casibus expetira, licet aliquantisper noxia indulgeantur, modo vt dicit Hippocrates secundo, aphorismorum trigesimooctauo, cibus ille, vel potus sit parum; non multum deterior.

HISTORIA VIGESIMAOCTAVA.

IN THASO *decumbentem prope frigidam aquam ex partu fæmellam enixam, & purgatione non succedente febris acuta, horrida in* TERTIA *existentem corripuit: ex tempore autē multo ante partum febriculosa erat, decumbens, cibum fastidiens: post vero factum rigorem continuæ, acutæ, horridæ febres.* OCTAVA *multa delirauit, & sequentibus, & cito rursum ad mentem rediit: aluus turbata multis, tenuibus, aqua biliosis: sine siti.* VNDECIMA *mente constabat; sed sopore detinebatur: vrinæ multæ, tenues, & nigræ, vigil.* VIGESIMA *parum circumfriguit, & cito iterum recalefacta est: parum obloquebatur; vigil: quæ pertinet ad ventrem inferiorem in iisdem: vrinæ aquosæ, multæ* VIGESIMASEPTIMA *sine febre: aluus constitit: non multo autem tempore post coxæ dexteræ dolor fortis multum tempus: febres rursum sequebantur: & vrinæ aquosæ.* QVADRAGESIMA *quæ circa coxam alleuiata sunt: tusses vero continuæ, humidæ, multæ; aluus constitit: cibum auersans: vrinæ in iisdem; febres vero non in totum deficientes, erratico autem modo exacerbatæ, partim quidem, partim vero non* SEXAGESIMA *tusses certe sine signo defecerunt: neque in sputorum aliqua coctio facta est: neque alius consuetorum abscessus: maxilla autem ad dextram conuulsa est: comatosa, obloquebatur rursus, & cito ad mentem redibat; ad cibaria autem animo aduerso habebat: maxilla quidem ad locum reuersa est; sed aluus biliosa, pauca reddidit: febricitauit acutius: horrida, & sequentibus sine voce; & rursum intelligebat, & loquebatur &* OCTVAGESIMA *interiit: huic vrinæ vsque in finem erant nigræ, & tenues, & aquosæ: & sopor pergebat, cibum auersans, vigil, iræ, difficilis morbi tolerantiæ, quæ circa mentem melancholica.*

IN THA-

IN THASO DECVMBENTEM. Circa frigidam aquam.) Hipp. in hac historia proponenda tria facit habitationem ponit, partum, & partum consequentia, habitatio fuit aqua frigida, partus fœmella, consequentia partium, puerperiorum cessatio. Nomē mulieris, atq; coniugis tacet, forsan quod non haberet virum proprium, & quod mos (vt alias dixi) sit ipsi Hippocrati nunquam aut rarissime nomina mulierum dicere, quod ita ad medici honestatem, atq; integritatem pertineat. De habitatione autem locutus est forte Hippocrates non tantum vt magis ægram notam faceret, quantum vt occasionem morbi mulieris ingeniis acribus insinuaret, id quod Galeno quoque placuisse videtur, qui scribit interpretes melius in hac historia, quam in aliis potuisse habitationē propterea propositam ab Hippocrate profiteri, quod ægritudinis occasio aquæ frigidæ lotio, & potus mulieri extiterit; cum enim ante partum febriret, facile fuit ad sedandam sitim febris plerumq; eam sumpsisse aquam frigidam, vt pote sibi in promptu existentem, vnde postmodum non solum maior obstructionibus data fuerit occasio, & consequenter febris incremēto, verum etiam factum est vt puerperia sint intempestiue suppressa: siquidem frigidi proprium est adstringere, & sistere sicuti calidi laxare & ad motum concitare. De partu mos est Hippocratis vt etiā adnotauit sæpius Gal. semper dicere fœmella ne an mas fuerit, quod non parum referat tum ad morbum cognoscendum, tum ad iudicium ferēdum huiuscemodi cognitio: diximus enim sæpe numero fœmellam in vtero minus, quam marem cōsumere ob minorem caliditatem; ac propterea in muliere ex fœmella prægnante multo plura excrementa cumulari, quę consequenter egent, & copiosiore, & lōgiore euacuatione, vt si forte fœmellam parienti purgamenta, aut nullo modo veniant, aut partius quam conueniat, iure maius periculum subeant, vehementioriq; morbo afficiantur. Apponit vt dicebam tertio, id quod partum est cōsecutum, nempe purgationis cessationem, vt ostenderet si nō morbo, saltem ipsius incremento inde datam esse occasionem, quod post partum fœmellæ non sint secuta ea, quæ debebant, purgamenta. Sed videamus, quæ contigerint post partum, puerperiaque suppressa. Et hinc notandum est, quod tametsi hæc mulier ante partum etiam multo tempore ægrotauerit; nihilominus dies enumerat non à principio illius morbi, sed à partu, quod occasio ipsius scilicet carentia puerperiorum effecerit, vel nouum morbum, vel saltem, qui erat ante multo maiorem, siquidem ante fuit tantummodo febriculosa κατακλινής. id est in lecto decumbens, & absq; appetitu: post partum vero tertia die capta est febre acuta, cum horrore. Ante partum solent mulieres pleræque melius valere ac appetere, quo tempore fœtus multo plus consumit: atqui hæc secus faciebat, vt ob hoc verisimile sit aliquā caussam externā accessisse, cuiusmodi est nimius frigidæ potus seu lotio, quæ ventriculū læserit, & consequenter inappetentiam, ac febriculā pepererit; quibus etiam illud malum accessit, q; decumbere in lecto coacta est, cum debeant mulieres prægnantes quanto sunt partui proximiores tanto magis ad facilitandū partum sese mouere; & certe mirum fuit, nisi etiā hæc mulier ægre peperit, quamquam Hip. hoc dicere omittat, tanquam forsan rem necessariā & propterea nemini ignotam. Sed hoc in loco oritur dubitatio, quomodo vsu aquę frigidæ appetitus sit læsus, quando Hipp. 6. Epid. sect. 4. text. 20. scribit ὕδωρ βορρον, ἀγρυπνίη βορρον. id est aqua, & vigilia voraces faciunt; vbi Gal. dicebat quæ coguntin paruum locū sanguinem in tunicis ventriculi contentum appetitū gignere, & augere. Ad quod respondetur verum quidē illud esse in corporibus sanis, nō in ægris, qualis erat huiusce mulieris. Itaq; febriculosæ ante existenti mulieri suppressa sunt puerperia; & forsan ob antecedentē vsum aquæ frigidæ, quam adstringere, & Hippocrates & Plutarchus in lib. de primo frigido clare docent, vnde etiam facile est videre superuacaneos, & retentos humores putredinem cœpisse, quæ addita antecedenti auxit malum, atq; febrem acutam, & horridam peperit; Acutam quidem, quoniam periculosa fuit, & satis magna; horridā vero, quod fomes putredinis esset potissimum circa vterum, qui sua neruea natura vbi percellitur horrere facit; imo

Hipp. primo de morb. mulieb. inter ea quæ dicit consequi puerperia retenta ponit huiusmodi horrores, seu febres horridas. Cur autẽ rigorem prius deinde horrores fecerit, caussa fuit, quia initio natura tentauit expellere humores putrescentes è venis, sed quia multi erant, non potuit omnes; vnde relicti fecerunt continuã febrem quam comitabantur horrores, nam hæc mulier quia antea febre laborauerat, ob id quasi assueta minus lædebatur; alioquin cum Hippocrates secundo & sexto Epid. dixerit, mulieribus incipere rigores à lumbis, manifeste innuit etiam ab vtero ipsos magis factos, imo vero cum post rigorem dicit febres continuas fuisse, acutas, & horridas, videtur significare voluisse tertia die à partu primũ hanc mulierem fuisse à rigore tentatam, tum febres perrexisse magnas, & continuas, ita tamen vt humores circa vterum putrescentes ipsum percuterent; sicque horrorem inducerent inordinarum, ita enim appellat febres, vt alias dixi, horridas, in quibus fiunt horrores, sed non statis diebus, & horis, quasi vero à prima die; hoc est post illum primum rigorem vsque ad octauam diem facti sint singulis diebus inordinati rigores, & parui qui proprie vocantur horrores, vt Galenus in libro proprio de horr. & rig. testatur & forsan Hippocrates haud nominauit dies medios inter primam febris diem, quæ erat tertia mali, & octauam, quoniam nullus fuit certus ordo febriũ incipientium, vel acutarum, vel desinentium. Itaq; octaua partus die cœpit delirare, & non solum in multis delirabat verum etiã sequentibus diebus, tametsi statim resipisceret. Cur autem commemoret Hippocrates accidentia octauæ diei præter suam consuetudinem forsan fuit, quia septima die eam visitare haud potuit. Quod enim deliraret, in caussa erat non tantum febris, quantum vterus male affectus ob malum partum nec non quia proximum habebat putredinis focum: certum enim est vt scribit Galenus initio sexti, Epidem. inter priorem cerebri partem, inter vterum & cor magnũ esse consensum, quo fit vt Hippocrates in lib. de Virgin. morb. dixerit patiente vtero facile delirium, aliaque animi mala succedere mulieribus, præsertim cum vel menstrua, vel puerperia deficiunt. Quod vero statim resipisceret, fiebat, quia delirium erat tantum per consensum ab vtero, neque vlla erat in cerebro idiopathia; ad hæc aluus turbata multa tenuia, aquosa, bile permixta fundebat, & præterea erat absque siti. Circa hæc verba duo sunt consideranda, alterum est, cur Hippocrates vsus sit voce ὑδατόχολοις, qua non solet alias in simili casu vti; alterum est, qua ratione voluit addere quod esset sine siti. Etenim si voluisset cuncta nominare, quæ propositæ mulieri haud euenerunt certe magnum laborem sibi sumpsisset. Circa primum Galenus monstrat tres fuisse huiusce vocis sprípturas vnam ὑδατόχλοα, id est aquosa, & graminis colorẽ referenria: alteram ὑδατόχρωα, id est aquæ calorem referentia, quam etsi repertam improbatis codicibus, reprobat tamen Galenus. licet Erot. eam vt vere Hippocraticam celebrat, tertiam ὑδατόχολα, id est aquam bili commixtam referentia; & quamquam non videatur decernere manifeste vtra sit retinenda, insinuat tamen quod maior contextuũ pars habet ὑδατόχολα quæ vox significat fœces tenues bili cõmixtas cuiusmodi fere ea in constitutione semper fuisse antea prædixit. Circa aliud certe mirum erat febricitantem febre continua acuta cum alui subbilioso fluxu non sitire, & ob id Hippocrates adnotauit & si alioquin antea dixisset magnam partem ægrotantium illius constitutionis fuisse absque siti; caussa vero cur hæc siti careret, non tam sententia mea erat delirium, nempe quod haud erat continuum; quam quod ob vsum forsan immoderatum, aquæ adeo irrigatas fauces; & stomachum frigidis, crudisq; succis refertum haberet; vt minime eam sitire permitterent. Cum autem Hiopocrates dicat diebus nonagesimaoctaua, & sequentibus hæc fuisse vsq; ad vndecimam, verosimile est nil aliud noui in iis contigisse; sed quæ iam adfuerant, perseuerasse, vsq; ad vndecimam. In qua dicit resipuisse veruntamen in coma primum incidisse, deinde in vigilias, atque interim vrinas minxisse multas tenues, & nigras. VNDECIMA ergo quæ erat partus, resipuit, quoniã feruor circa vterum remittebatur; & forsan quia vapores calidi in cerebrum elati non modo mitigabantur, verumetiam continuã-

tinuabantur: vnde etiam fiebat, vt iure in coma somnolentum præcipitaretur, si quidem refrigeratum ab aqua cerebrum, simulq; pituita referrum, & perfusum facile somnum excitabat, qui tantisper durabat, donec toto illo humore consumpto vigiliæ subsequebantur; & hoc est, quod ait Hippocrates primo Prorr. phreniticos fieri comatosos, & econtra. De vrinis autẽ ita statuendum puto fuisse multas, atq; tenues, quoniam corpus erat replerum multis succis crudis, atque tennibus iam in antecedente morbo ex prano victu cumulatis, nec nõ ob puerperia suppressa, quæ etiam ad vesicam emandari docet Hippocrates eodem primo de morb. mulierib. Cur vero hoc tempore vrinæ factæ sint nigræ Gal. tribuit, & iure ipsi puerperiorũ retentioni, quæ magna ex parte melancholica esse consueuerunt, quod fœtus in vtero partem puriorem exugat, fœcem autẽ ac partem fœdiorem relinquat. Alia quoq; ratione damnandæ erant huiusmodi vrinæ, quia à muliere mingebantur: dicit enim Hippocrates secundo Prog. 33. in viris, & mulieribus nigras vrinas pessimas esse, in pueris aquosas. Et aduertendum est vndecima tantũ die spectasse vrinas Hippocrates, quoniam in puerperis, nisi aliquod sit magnum in eis, haudquaquam obseruari solent. Ab vndecima, vsque ad vigesimã, quid huic acciderit, alto silentio preteriuit, forsan quia ipsam non visitabat, nisi raro; neq; enim debebat esse ipsi multum commendata; postquam erat sine mariro, aut is sibi ignotus. Itaq; VIGESIMA DIE primum circumriguisse scribit; sed velociter rursum recaluisse, parũ delirasse, vigilasse, ventrem inferiorem vt alias sese habuisse, vrinas autem minxisse aquosas, & multas. Certe hac die, quæ est vltima decretoriorum in acutis, videtur natura tentasse crisim, atqui nõ potuisse eam perficere materia existẽte cruda. Etenim illud ingens frigus, atq; subitanea recalefactio opera fuerunt facultatis naturalis morbificam materiam expellere conatæ & quemadmodum in motu omni critico solent symptomata grauia suboriri; sic factum est, vt in hoc delirium, vigiliaq; ob motum illum comparuerint. Et notandum est dixisse Hippocratem nõ simpliciter riguisse, sed περιέψυξε, id est circumfriguit, quia mulieribus vt dixit secundo, & sexto Epid. rigores incipiunt à lumbis; huic autem simul in toto corporis ambitu cœpit rigor, quoniam non tantum in vtero, verum etiam in vniuerso corporis ambitu erant praui humores eo diffusi ob retenta puerperia. Aluus autem fudit consueta, & vesica multa, & aquosa, quoniam vt antea dicebã corpus eius crudis, aquosis, copiosisq; humoribus abundabat, tum ob errores anteactos, tum ob melancholiam, quam in hac ægritudine potissimas partes habuisse Hippocrates in fine historiæ. Etenim vbi melancholia est, ibi quoque multum seri ob incoctionem facti esse præter Hippocratem, & Arist. dicentes melancholicorum sanguinem esse ichorosum attestatur experientia; qua videmus maiorem melancholicorum partem copiose putam aquã expuere, vt quartanarij copiose semper sudant: illud certissimũ, Hipp. vbi videbat morbum fore longum, interuallis etiam longis ægros visitasse. Etenim banc à vigesima incepit visitare solũ per septimanas, cuiusmodi est vigesimaseptima, cum vigesima. VIGESIMA SEPTIMA quæ est primus septenarius morborum ab acutie decidentium dicit fuisse absque febre & aluum fuisse suppressam, quæ cum euenerint materia adhuc existente cruda minime erant fida signa, sed febris ita visa erat, repente, & importune occultata; sicut alui mala fluxio haudquaquam erat penitus finita; sed porius alio cõuersa, idq; euidenter docuit fortis dolor coxæ dextræ, qui non multo post successit, scilicet materia eo ab intestinis translata; sicut enim ex colico, vt dicit Paulus Ægineta lib. tertio sæpe fiunt arthritici dolores, tum ob translationem materiæ ab aluo ad articulos tum etiã quia partes, quæ mittebant ad intestina interdum sua sponte mittunt ad ipsos artus; Sed non solum monstrauit, quod dixi, dolor verum etiam & febres secutæ, quæ multum temporis durarunt; nimirum nona materiæ, quæ retenta fuerat putrefactio. Vrinæ similiter aquosæ demonstrarunt bilem quæ per aluum, & vrinam fundebatur, iam alio mitti nempe ad ipsam coxam, alioquin ille dolor minime potuisset vsque adeo fortis esse, nisi pituitæ bilis vt vehiculum admixta dilacerasset membranas ipsi

coxæ articulo adiacentes, sicq; continui solutionē faciens dolorem intulisset. Cur porro potius in coxam, atq; in dextram decubuerit materia fuit quoniam coxa articulus maximus est, qui omnium maxime laborat; ob idq; suo motu naturam inuitat ad propellendum in sese: quamobrem etiam potius in dextram factus est decubitus: quia ab ea incipit motus; præterquam quod facile potuit contingere vt ea pars dextra esset magis affecta. Iam vero quod diu dolor perseuerauerit in caussa fuit pituitæ crassities bili commixtæ, siquidem vt ait Paulus Aegin. libr. 3. cap. de coxendicis dolore hic differt ab arthritide, quia fit ab humore crasso viscido. Atq; hæc ad quadragesimam vsque, in qua deinceps ad numerationem facit per vigesimas vsque ad octuagesimam in qua periit, & sane consueuit Hippocrates morbos diuturnos mensurare interuallis adeo magnis, non tantum, quia raro huiuscemodi ægrotos visitabat, quantum quia morbi longi vix vllas faciunt insignes, & obseruatu dignas mutationes, nisi longo tempore, eo quod materia est frigida iam atque tarda; facultas etiam non admodum valida, & concitata.

Quadragesima igitur die. dolor coxæ leuatus est, sed tusses multæ, & humidæ successerunt; atq; id prope contigit, quod alias Hip. 2. Epid. sect. 1. dicere solebat tumentibus restibus solui tusses præexistentes, & è conuerso tumores restium tolli à succedentibus tussibus; atq; id esse argumentū conuenientiæ, seu communicantiæ inter eas partes: sed potest esse conuenientia inter restes, & pectus per vasa, at quomodo sit inter coxas & pectus, non ita patet; nisi dicamus esse non vasorū communicantiam, sed articulorum dorsi. At cur Hip. hic repetiit aluum fuisse suppressam? Etenim iam antea idem dixerat & poterat sufficere. Sed aduertendum est vbi Hipp. facit similes repetitiones, nunquā fine aliqua ratione eas facere, vt hic quod propterea fecit, quoniam docere voluit, ad tusses illas multas, atq; humidas faciendas, valde contulisse, quod aluus adhuc cōsistere pergeret; alioquin si fuisset iterum fusa, rationi consonum fuisset materiam à pectore, vbi faciebat tussim, fuisse abducendam; ob idq; tusses diminutū iri debuisse. Et quemadmodū humor translatus in spirituales partes erat caussa tussium, sic latus in stomachum illam inappetentiam producebat; quę maxime omnium fieri solet, quando nimium os ventriculi, atque adeo totus ipse stomachus humectatur; Hoc tempore fuerunt, & vrinæ eędem, scilicet aquosæ, quæ indicabant nondum naturam coctionem materię bonam moliri vt hoc argumentū esse potuerit maximæ morbi longitudinis, nisi alia symptomata superuenissent, quæ interitum attulissent. Quod autem pertinet ad febres, nunquā à quadragesima, vsq; ad sexagesimam prorsus desiisse dicit Hippocrates, veruntamen erratico modo exacerbantur; quod non minus fiebat opera humoris melancholici in ægra exuberantis, febresq; erraticas facientis, quam à varietate materiæ, atq; locorum, vbi putrescebat; neq; enim assentior illis, qui existimant hanc mulierem habuisse febrem habitualem hoc tempore, quod dicit Hippocrates ipsam nō fuisse absque febre, quandoquidem erraticus ille typus & acuties interdum apparens, interdum non, ostentabant manifeste vitium fuisse non in membris solidis, sed in humoribus putrescentibus.

Sexagesima. Porro à sexagesima vsq; ad octuagesimam tot grauia euenerunt, vt miseram ægram ad interitum perduxerint: Nam quod dixit in antecedente ægro Parionis filio eum in diuturno morbo errores circa quantitatē, & qualitatem ciborum commisisse, qui & longum & exitiosum morbum fecerunt, idem quoq; suspicari licet in præsenti ægra fuisse, vt scilicet peccauerit in morbo circa victum, quemadmodum fecerat ante partum; præterquam quod puerperia, quæ nunquā tedi erunt assiduū morbo, & fomitem, & incrementum attulerunt. Primum autem malum, neq; aspernandum, quod sexagesima comparuit, cessatio fuit tussium, atq; ea sine signo vllo vel salutari, vel coctionis: dicebat Hipp. secundo Epid. cuncta quę disparent ἀσήμως. siue signo infida esse, quin vel recidiuam vel mortem minantur; Quod tusses absq; signo desiissent, ex eo demonstrat Hippocrates, tum quia nunquam in sputis apparuit coctio, quæ sputa statum pectoris, atque partium ad id atti-

nentium

nentium declarare consueuerunt; tum quia non est factus vllus alius abscessus vt restinm, qno dicebamus nnper ex Hipp. tusses finiri, aur aliarum partinm; ex qno loco colligere licet quod Hipp. non semel scripsit, & maxime sexto, Epid. tres esse modos quibus legitime & secure solent finiri morbi crisim, coctionẽ, & abscessum, atq; hosce tres modos appellare solet Hipp. σημεῖα. id est signa; eosq; morbos dicere finiri absq; signo qui desinunt absq; vllo, vel pluribus ex tribus. Verum præter hanc absq; vllo signo tussium defectionem, accesserunt alia mala forsan haud minora, nempe maxilla dextra cõuulsa est; comatosa euasit, rursumq; delirauit, & subito ad mentem rediit. sicut enim consensus est inter genitalia & pectus, sic etiã intercedit inter hoc, atq; ipsum caput, & cerebrum, vt manifeste probat experientia, quando tussimus maxime affici partes complures capitis, scilicet oculos, aures; vt etiam dicit Arist. in prob. sect. 32. 6. & 33. primo exemplo aurinm vsus, ex quo minime mirũ est, si materiæ decurrentis ad partes spirituales factus est transitus ad neruos maxillæ dextræ motricem facultatem deferentes; necnon etiam in ipsum cerebrũ, qno humore ille crassefactæ, nec admitrentes transitũ prædictæ facultatis contractionẽ musculorum versus proprium principium fecerunt: hoc antem perfusnm, & veluti imbutum pituitoso succo somnolento comare oppressnm est. Delirium autẽ proprerea exiguum, & pene momentaneum fuir, quoniam materia quæ tussim faciebat, & qnæ restagnans in caput cõuulsionem maxillæ dextræ & coma soporiferum pepererat, maxima ex parte, imo ex toto erat pituitosa; si quæ vero vapores, feruidi à materia putrescente, & febres inducenre sursum eleuabantnr ij calefacientes, & percutientes cerebrum euigilabant, deliriumq; pariebant; sed quoniam à copia pituitæ statim obruebantur, & refrigebantur hinc contingebat, vt cito delirium desineret. Ad cibos inquit Hipp. ἀπονενοημένως sese habebat, quam vocem quasi admirans Gal. vt pote ipsi Hipp. inusitatã, & vr ipse loquitur κακόζηλον. hoc est male affectarum dicit significare quendam inapperentiæ excessum, atq; ciborũ abhominationem: atq; hoc signum esse prauorũ humorum, scilicet ventriculi os magnopere lædentium: in Linguis vero exponit ἀνεπιστρέπτεος. Si enim vim vocis consideremus, plane vt etiam exponere videtur Hesychius, significat auerso esse animo, & quasi nil curare pro salute cibum; sed vtcumq; sit, vulr sane Hipp. significare singularem quandam inappetenriã, & eam tandem, qua dicit Gal. retro nonnullos in pestifera sui temporis constitutione, ita laborasse, vt potius mori, quam cibos sumere eligerent; id quod, vt alias dixi, non tantum facultatis naturalis extinctionem, quantum vitiosorum succorum prauitatem significabat. Veruntamen non est intelligendũ, quod eadem sexagesima die pręcise cõtigerit, sed post ipsam quemadmodũ etiam, quod consequenter dicit, nempe maxillã rediisse quodq; factum insinuat ab subsecuto alui fluxu bilioso, quamquam exiguo; sicuti enim paruus, & recens erat affectus, sic minime fuit mirum parua illa diuersione fuisse leuarum; cum alias Hipp. dixerit in apho. lib. 4. 28. surditatibus si superuenianr deiectiones biliosæ eas sedari. Veruntamen haud ea fuit conferentia, vt potuerit inhibere; quin secuta sint deteriora, nec vera caussa fuit conuulsionis maxillæ solutæ, quandoquidem aucta est febris, proxime octuagesimã, cum horrore atq; voce in consequentibus dieb. priuata est, idq; non alia factum est ratione, quã quod mareria, quæ prius faciebat conuulsionẽ in neruis ad maxillas mouendas destinatis ob vicinitatẽ est translata ad neruos mouentes musculos thoracis voci faciendæ inseruientes; q; etiam nocumentũ haud semper durauit, sed priusquã octuagesima die moreretur, iterum ad mentem rediit, atq; locuta est; quasi vero nõ solum voce, verumetiã mentis sanitate priuata esset. Quomodo mortua sit hæc mulier haud Hipp. dicit aliud, nisi eam octuagesima periisse, neq; vero tabe fuisse consumptam existimo, cum neq; febris hecticæ, seu tabidæ, quam in antecedenti historia sub nomine πυρετῶν significauit; neq; alterius tabidorũ symptomatis meminerir; imo vero vsq; ad mortis diẽ videtur acuta febre laborasse; vt propter hoc potius vi febris prauæ, & alimenti defectu interierit; siquidem Hipp. in enarratione symptomatum vniuersalium dicit ipsam semper

fuisse

fuisse sine vllo ciborum appetitu. Iam vero more suo Hipp. postquã sigillatim particularia symptomata enarrauit; quæ omni ægritudinis tempore habuerit enarrat; id quod potissimum fecisse videtur, in iis casibus, in quibus ipse cum assiduus haud fuerit, diligenter saltẽ intelligere voluit, quæ vel semper vel frequentissime omniũ aliorum ægros exercebant. Dicit itaq; (quod pertinet ad mutata excrementa) vrinas fuisse nigras, tenues & aquosas; quod ad actiones læsas, incendium esse passam, inappetentiam, timores, vigilias, iras, anxietudines, & tandem circa mentem melancholica; Et certe si cuncta hæc postrema enarrata symptomata expendamus, dubio procul timor, vigilia, iræ, & quiescendi impotentia sunt puri melancholici humoris opera, qui non modo, vt dicebat etiam Arist. in fine septimi Ethicorum, assidue corpora melancholicorum mordet; & consequenter δυσφορίαν illam facit; verum etiam spiritus animales, vt dicebat Auic. ob tenebras, atq; cor occupans timores, & iracundias, simulq; vigilias inducit; etenim melancholici cum agantur perpetuis quibusdam, & variis phantasmaribus, vel nihil dormiunt, vel somnos admodum turbatos habent. Hanc vero mulierẽ succo melancholico abundasse, antea cum Galeno diximus, scilicet ob puerperia retenta, quæ tantam vim habuerũt, vt vniuersos alios humores contaminarint, atq; ad insignem, & fœdã corruptelam deduxerint, ob quam tandem natura profligata occubuit. Cæterũ illud potest esse dubium, quomodo habuerit perpetuo vrinas tenues, aquosas, & nigras; nam aquosas si intelligamus colore, quomodo igitur nigræ; sin autem substantia, ad quid dicit fuisse tenues, cum similes aquosæ sint semper tenues? nisi dicamus has tres qualitates haud esse simul intelligendas & coniunctim, sed potius separatim, quasi toto tempore ægritudinis fuerint modo tenues simpliciter, vel etiã nigræ, modo aquosæ; quamquam si ob retenta partus purgamenta fiebant vrinæ nigræ, vt videtur placuisse Galeno, haud videre seu intelligere possum, quo pacto simul aut tenues, aut aquosæ extiterint; quando purgamenta vt sint melancholica, etiam crassa sint, proptereaq; crassas vrinas reddant, videtur necesse. Modo ad curationem, quæ hoc in casu initio debuit incipere à victus tenuis institutione, qui licet post institui potuerit paulo largior, tamen debuit semper esse regulatus, quoniam vt dicebam in antecedente historia, nil est quod magis morbos protrahat, atq; deteriores reddat, ac mala vitæ ratio. Etenim vt ait Auer. tertio Col. cap. 30. ventriculus & intestina frequenter dolent, quoniã in iis frequenter committuntur errores; non fluebant puerperia, & verisimiliter vsu aquæ frigidioris oblęsa habebat viscera maxime ventriculum, vnde operepretium facit, vt cibos sumeret non ita frigidos vt postulabat forsan febris natura; sic & aperientibus vtendum erat ob pugamentorum prouocationẽ, nempe hyssopus in eduliis, & radix petroselini incoqui assiduo poterant. Nam de stomacho sapienter Auerr. septimo col. 26. mandabat, vt eius semper ratio habeatur, ne nimiũ refrigeretur, tum quia suapte natura frigidus satis est, & vt plurimum vnaquaq; res facile suscipit eam alterationem, ad quam ipsius complexio naturaliter inclinat. Vnde stomachus frequenter frigidis passionibus tentatur, tũ quia habet operationem ceteris membris cõmunicantem, obidq; princeps communicans vocatur & membra quæ tale officium habent, minime multum debent infrigidari, ne virtutes eorum cæteris membris famulantes lædantur, sic Hippoc. sexto Epid. ἡ κοιλίης νάρκωσις, ἡ τῶν ὅλων σύγχυσις, id est ventriculi stupefactio omnium confusio, & in lib. de aff. stomachum assimilabat mari, quod ab omnibus recipit aquam, & cunctis tradit; propter quod Serenus medicus dicere solebat.

Qui stomachum regem totius corporis esse
Contendunt, vera niti ratione videntur;
Huius enim validus firmat tenor omnia membra,
At contra eiusdem franguntur cuncta dolore.

Post victum institutum statim cogitandum fuit de venæ sectione. Verum potuit illud facere nonnihil dubitationis, quod mirabilis ille Auenzoar laudatus tantopere ab Auerr. sæpe, & maxime in hoc commendatus lib. septimo Col. cap. 1. voluit prius mundi-

mundificandum esse corpus, deinde phlebotomandum, ne scilicet venæ exinanitę attrahant ad sese humores malos redundantes, atq; sic iis repletæ malum augeant. Verum hac in re prudentia agendum vt si primæ viæ, & vasa ampla sint plena, exinaniantur prius diæta; vel si nō ferat tempus aliquo blando medicamento, aut nec id ferente morbo, statim clystere acriore fiat similis ab Auenzoare optata mundificatio, atq; statim ad sanguinis missionem audacter descendatur, idq; aut præstitum esse in casu proposito ab adstantibus medicis, aut saltem præstari debuisse non dubito. De loco alias dixi in summa plenitudine incohandum esse à dextero cubiti vena, deinde ad tali vel poplitis venam esse descendendum. Atq; si occasio pręceps sit, statim ad venas pertundendas inferiorum partium deuenire oportebit, cumq; in totali compressione puerperiorum expediat multum sanguinis mittere, nisi semel fieri adeo largam missionem vires patiantur, erit partienda vt scilicet bis, atq; etiam ter fiat, vel si non semper vena secta euacuare placeat, fieri semel quoque cucurbitulis scarificatis poterit; quo in genere valebunt quoq; non parum ad prouocandas optatas purgationes assiduæ frictiones atq; ligaturæ earundem partium inferiorum. Veteres etiam spongiis aceto imbutis, & expressis pedibus alligatis solebant similes menstruorum, & puerperiorum prouocationes tentare, quocirca licebit quoque nobis experiri similia vsu, & ratione probata. Quod vero spectat ad pharmacorum vsum fuit hæc mulier toto morbi tempore melancholica, & forsan etiam ante partum; quare oportebat omnia medicamenta alterantia huc spectare, vt hic humor debellaretur tum confectionibus lætificantibus vocatis, tum vsu frequentissimo boraginis, buglossæ, melissæ; passa est etiam semper vigilias, vt faciunt melancholici, quæ omnia vires magnopere attetunt, atq; omnes coctiones impediunt, & retardant; iccirco, ipsis quoq; superandis erat studendum cum lotionibus, aut perfusionibus crurum, & brachiorum, cum odoramentis ex anetho, papauere, solatro; cum vnctionibus temporum ex oleo violato, nenupharino, & philonij romani modico. Solemus pariter vti expressione seminis papaueris albi ad vnciæ mensuram: quo non conferente vncia vel sesquiuncia syrupi de papauere exhibetur, quemadmodum hoc non conferente, vigiliisque vrgentibus etiam ad maiora optata ascendimus, vt sunt pilulæ de cynoglossa, requies Nicolai, atque ipsummet Philonium. De inappetentia, quæ etiam continue exercuit ægrotantem, iam diximus, & nunc illud addimus, vbi nihil proficitur, quoniam alio remedio moliendum esse nutritionem corporis quomodocumq; fieri potest clystetibus multum alentibus, vt alica, lacte, pane trito, ouis, carnibus eliquatis, iuribus, aliisq; similibus. Etenim clysteribus in extrema necessitate ali corpora posse præter Arabes omnes prodiderunt quoq; Celsus lib. 3. cap. 19. Cœlius Aurelianus secundo Ac. in fine capitis decimiseptimi, Oribasius ex Ruffo li. octauo col. cap. 24. & ex Lyco cap. 34. eiusdem lib. sed duo hac in re sunt animaduertenda. Vnum est haud prius clysterem nutritorium esse iniiciendum, quam fuerint ab intestinis eductæ fœces. Aliud est à Cœlio prudenter propositum, ne clysteres sint nimium liquidi, sed corpulentiores atque crassiores; quo scilicet diu retentę magis exsugi queant à venis, ne ita facile elabantur. Purgantia medicamenta vtrum conuenissent non ita certum, quandoquidem Hippocrates in enarrandis singulorum dierum criticorum symptomatibus, sæpenumero fecit mentionem fluxionis alui; verum cum in commemoratione eorum, quæ semper adfuerunt, haud meminerit, vt solet, alui solutionis, fit vt credam potuisse aliquam, sed leuem fieri enacuationem; cruditas enim quæ in vrinis perpetua extitit haud permittebat fieri insignem vllam expurgationem; præsertim vero tunc licuisset purgare quando quadragesima die aluus suppressa fuit, atq; tusses continuæ humidæ & multæ factæ sunt. Ita namque materia quæ transferebatur ad pectus in aluum perducta minus periculi, minusque detrimenti attulisset.

HISTO-

HISTORIA VIGESIMANONA.

IN Thaso Pythionem, qui decumbebat supra Herculis ædes, ex laboribus, & lassitudinibus, & vitæ ratione facta negligenter rigor magnus, & febris acuta corripuit: lingua præarida, siticulosus, bile abundans; non dormiuit; vrina subnigra; enæorema eleuatum, non subsidebant. SECVNDA *circa meridiem, refrigeratio extremorum circa manus, & caput magis; sine loquela; sine voce. breuispirus: ad multum tempus recaluit; sitis: noctem quiete; sudauit circa caput parum.* TERTIA *die quiete: vespere circa Solis occasum subrefrigeratus est parum, turbatio nocte; laboriose: nihil dormiuit, ab aluo autem pauca, compacta stercora exierunt.* QVARTA *mane quiete: circa vero meridiem omnia exacerbata sunt: refrigeratio. sine loquela, sine voce: in deterius: recaluit post tempus: minxit nigra, enæorema habentia: nocte quiete dormiuit.* QVINTA *visus est alleuiari; secundum autem aluum grauitas cum dolore, siticulosus, noctem laboriose.* SEXTA *mane quidem quiete, vespere autem dolores maiores, exacerbatus est, ab aluo autem vespere clysterulo honeste secessit. nocte dormiuit.* SEPTIMA *die anxiosus; subfastidiebat, minxit oleosum, nocte turbatio multa, obloquebatur, nihil dormiuit.* OCTAVA *mane quidem dormiuit parum, cito autem refrigeratio. vocis priuatio; spiritus exilis, & imminutus, sero autem rursus recaluit, delirauit, iam vero ad diem parum alleuiatus est, deiectiones sinceræ, pauca, biliosæ.* NONA *comatosus, anxiosus; aliquando excitabatur, non valde sitibundus. circa vero Solis occasum morbum difficiliter tolerabat, obloquebatur noctem malam.* DECIMA *mane absque voce, multa refrigeratio, febris acuta, multus sudor, interiit, in paribus labores huic.*

IN THASO Pythionem qui decumbebat super Herculis fanum. In corporibus præparatis, atque etiam nō ita præparatis ad morbos fieri statim à caussis externis vehementissimos morbos hoc Pythionis exemplum ab Hipp. nobis relictum satis docere potest, quod ex laboribus, lassitudinibus, & vitæ ratione negligenter adhibita primā febre acuta cum prauis symptomatibus fuit captus, ita vt iure dixerit Galenus huic à principio cuncta signa exitialia contigisse. Sed ad examen historiæ veniamus. IN Thaso Pythionem. Qui initio huiusce tertij libri cōmemoratur Pythion ab hoc diuersus fuit, quoniam is nō erat forsan in Thaso, & apud Terræ templum habitabat; hic vero in Thaso supra Herculis templū decumbebat; sed cum vterque idem nomē haberet, atque iuxta templa habitaret, valde suspicor, ne potuerit commune aliquod ministeriū circa ipsa templa Deorum habuisse; qua de re plura dixi cum illam alteram explicarem historiam. Fuit Hipp. in hac historia referenda admodū diligens, & accuratus, vnde non modo credibile est eum diligenter visitasse, verum etiā ipsius amicum atque beneuolū extitisse, vel forsan ob pietatem erga viros sacros tanta sedulitate est vsus. Ergo nos quoque Hippocratis sedulitatem sequentes cum ipso singulorum dierum symptomata cōtemplabimur. Fuerunt aūt prima die complura, vt pedetentim videbimus, quæ antequam Hipp. enarret caussas ægritudinis procatarcticas, & euidentes vocatas proponit, nimirum labores lassitudines, & prauum victum. Circa quas illud scire operæpretium est in constitutionibus pestiferis, quicumque vagantibus morbis nō capiuntur, necessario pene ægrotare ob caussas alias externas, quam aeris; siquidem qui habent internas corporis dispositiones, à vitioso aere facile afficiuntur, vt Hippoc. libr. de flatibus, omnium prius docuit, si quae non habent aptitudinem, & nihilominus ægrotant, ob aliam causam externam morbo tentantur; illud vero accidit huic Pythioni, vt cum laborasset, delassatus fuisset, atque prauo esset victu vsus, inciderit in febrem acutam cum rigore magno antecedēte: & certe illud compertissimū est eos, qui plurimum laborant; & incalescunt, necessario plurimum aeris attrahere, qui si sit morbidus, & pestifer plane tanto magis afficit; præterea vt scribit Aristot. quinto Probl. septimo, lassitudo & labor faciunt, vt multi humores antea congelati colliquentur, qui si vomitu reiiciuntur, conferunt; sin retineantur sunt fomenta pesti. Dicit primum ex labo-

ex laboribus, quoniam labores antecedunt lassitudines; imo hæ ex illis fiunt, cum enim vox πόνος tria significet Hippocrati vt Erotianus in Onomastico docet; & Galenus sexto Epid. sect. quinta, aphor. nono, scilicet dolorem, exercitationem, & vehementem corporis motum, ab hoc postremo atque eô vehementissimo laborasse Pythionem æquum est existimare, vnde iure lassitudines quoq; est passus; & certe absq; insigni corporis præparatione possunt quoque à nimiis erroribus fieri morbi; qui quamquam vt plurimum sint minus exitiosi factis ab internis caussis, attamen possunt euadere & ipsi quoque perniciosi. Victus prauus, sub quo intelligit hic Hippocrates haud dubie cibum atque potum, possunt qualitate, quantitate, atque tempore peccare, quibus omnibus forsan cum Pythion peccasset, æquum est multos partim crudos, & partim biliosos, prauos q; succos accumulasse, qui non modo ipsum aptum ad coli morbum suscipiendum effecerunt, sed ad quempiam alium etiam prauum.

Rigor. Fieri semper consueuisse post rigorem febrem crebertime testatus est Galenus, & nos quoq; non raro indicauimus: vnde prout quoq; rigor est, sic febris subsequens sit oportet; rigor fuit magnus in Pythione, & febris acuta est consecuta; sed dicet aliquis cur rigore statim tentatus est? cum enim laborasset, videbatur potius labor ratione caloris curare debuisse rigorem, quam facere, nisi dicamus id quod scribit Aristoteles loco citato, vbi quærens rationem, propter quam aliquibus quanto magis defatigantur, eo magis oboriuntur vlcera ac tumores circa cutẽ, respondetur & optime, id esse quod propter copiam necnon crassitiem, & visciditatem humor peccans non possit expelli à natura; vnde remanet in cute, vlceraque illa auget; pari pacto hic labor haud potuit præcedere rigorem, quia humores illi tetri & acres non poterant expelli, vnde retenti & cumulati, necnon lati per partes sensibiles, rigorem illum pepererunt: Quæ autem hunc morbum secuta etiam sint symptomata, videamus modo; quod enim spectat ad actiones animales læsas, non dormiuit; quod ad naturales habuit linguã siticulosam, aridam, & biliosam. Quod ad excrementa mutata, non sudauit, eius vrinæ erant subnigræ, appendiculum sublime habentes. Quod non dormiuerit factum est, tum quia prima die fuit febris cum calore magno, & bile vtraq; putrescente in vasis maiorib. atq; circa ipsa viscera; tum quia linguam habebat exustam ob incẽdium, biliosam, & siticulosam; nam quia fieri potest vt quispiam dormiat qui perpetua siti, & tanta linguæ molestia afficiatur? & certe mirum est prima die febrem huiusmodi factam esse vsque adeo ardentem, vt tot sæua symptomata attulerit, quales præ ceteris vrinæ fuerunt subnigræ, quas dicebat Hipp. secundo Prog. 33. semper esse deterrimas in viris præsertim, quando fiunt ex febribus ardentibus sanguinis serum perurentibus cuiusmodi fuerunt Pythionis, quæ etiam habuit suspensionẽ eleuatam, & vt putandum est, ipsam quoq; subnigram: sed ad quid addit ipsum non sudasse, quid enim mirum est febricitantem prima die non sudare, aut quid potest docuisse Hippocratẽ hac obseruatione, quod non sudauerit? Mirum sane erat lab orantẽ febre à rigore inchoata non sudasse, siquidem alias docuimus, vbi magnũ rigorem magnus calor sequitur, semper fieri initio sudorem, præsertim quando robusta natura materiã in lucta rigoris attenuatã longe lateq; propellere potest; Vnde necessariũ videtur, vt quando non fit sudor, vel ea materia immenso ardore prius consumatur quã in sudorem conuertatur; vel retenta in venis febrem continuã faciat cuiusmodi Pythioni euenisse putandum est. Secvnda post meridiem, Vere dicit Galenus duo fuisse visa hoc in casu singularia, vnum quod parib. diebus factæ sint exacerbationes atq; ipsa mors, alterum quod statim initio morbi visa sint signa admodum exitialia, quod facile cognoscetur, si quæ secunda die ipsi euenerunt, diligẽter aduertamus. Etenim primo circa meridiem refrigerata sunt extrema, & Hipp. vbiq; clamat, & præsertim scil. 7. aph. primo, in acutis morbis frigiditatem extremorũ esse malam, sicuti & alibi dicebat interiora vri, & exteriora frigere esse mortale; & notauit eiusmodi frigiditatem potissimum fuisse circa manus, & caput, eo quod solent hæ partes in

tes in febribus acutis maxime calere, & præsertim si quando febris vllas videtur habere remissiones, vt ob hoc multo maius fuisse malum ex se videretur. Ad hæc factus est eodem tempore sine loquela, sine voce, & breuispirus multo tēpore; quod pertinet ad loquelam; & vocem iure eam præposuit Hippocrates; quia sicuti vox est quæ primo formatur, deinde sequitur locutio, sic vice versa prior deficit sermo, deinde vox; & Galenus in comm. multa dicit grammaticæ hac de re; sed illud est verissimum multo deterius esse, quando ægrotantes nequeunt plorare, gemere, & clamare; quam quando sermonis tantum, & loquelæ facultas aufertur, quoniam vbi hæc tollitur, solius linguæ resolutionis opus est; vbi autem vox fieri non potest, illud extremę facultatis motricis imbecillitatis atque extinctionis argumentū est. Sed illud dubium est, quomodo secunda die potuerit tanta adesse facultatis mortificatio, vt nec gemere, nec clamare potuerit, id quod solet fieri in citissime perituris. Sabinus interpres antiquus, qui vidit forsan hanc difficultatem, dixit Hippocr. sub nomine ἀναύδος intellexisse carentem omni voce, sub nomine vero ἄφωνος, intellexisse, perinde ac si dixisset apoplecticum esse factū; atqui inquit Gal. haud hoc fieri potuisse, quoniam cetera quæ contigerunt Pythioni, haudquaquam conueniebant cum apoplexia; quare satius est dicere Hippocratem, haud pro aphonia intellexisse totalem, & consummatam vocis priuationē, sed exilem eam, & paucissimam; sic enim Hipp. vt & Heraclides solent vocare ἄπνοιαν, non quidem integram priuationem respirationis, quia hæc est pura mors, sed breuem & vix perceptibilē, quemadmodum etiā Arist. initio lib. de hist. anim. appellat nonnullas aues ἄποδας, quæ habent pedes paruissimos; neq; enim ipsi nota fuit Manucodiata vocata auis peregrina noui orbis, quæ penitus orbata est pedibus. Quod fuerit breuispirus, inquit Galenus, fuisse ob caloris natiui paucitatem, nec à febre auctam ob quam rara, & parua fiebat respiratio; nam sic inquit Gal. vocari breuipotum, qui raro, & parum potat; quamquam aliter dixisse videatur primo de Diff. resp. cap. 12. Quod vero spiritus paruus, & rarus fiat à frigido, luculenter declarat secundo de Diff. resp. cap. 8. sed si ita est, cur ergo addit sitim? vt indicaret ex iis fuisse ardentibus, quorum interiora vruntur, & exteriora frigent: erat enim ardor in partibus naturalibus, frigus vero circa cor, vnde breuis spiratio fiebat; quemadmodum similiter fieri in febrib. prauis pulsum tarum dicit Galenus 3. de Præs. ex pul. 5. Verum, dicit aliquis, quomodo fieri potuit, vt præ febre ardente sitiret, & nihilominus cor ipsius ita refrigeratum esset, vt breuiter spiraret? Hunc modum explicuit Gal. loco citato, vbi dicit fieri aliquando febres magnas cum intemperie cordis frigida, quæ vel est secundū corpus, vel secundum humores; vnde potest fieri vt humores calefiant, corpus tamen nequaquam, & est quando à violentia veneni iugulatur cordis calor, adeo q. omnino febris haud appareat; atq; hę sunt illæ febres, in quibus sæpe ignari medici falluntur existimantes ægros bene valere, cum tamen pereant; & hoc est etiā quod dicebat Auicen. pulsus aliquando, & vrinas videri sanas, tamen mortem proximā esse; neq; valet, quod character febris sit caloris auctio circa cor, & propterea non posse stare febrem cum cordis refrigeratione, quia ista refrigeratio non est vera refrigeratio, quasi vero cor sit frigidius quam pro statu suo naturali conueniat, sed quia illa auctio caloris vsque adeo exigua est, vt nullam vel paruam mutationem in pulsu & vrina faciat. Recalvit. Quod non fuerit tanta facultatis motricis mortificatio hæc, quæ eadem die facta sunt satis declarant; siquidem non modo recaluit, quoniam calor natiuus, & si obtutus paulisper fuisset, attamen post aliquot horas sese exeruit, & factus maior sitim auxit, & quietem attulit nocturnam, simulque caput, quod prius valde erat occupatum, exiguo illo sudore, ita leuauit, vt potuerit dormire; quamquam verisimilius est, præcessisse somnum, atq; adeo somno, vt sit caput; vbi erat morbus, sudasse, haud multum tamē, quoniam haud erat adeo recreata facultas, vt posset insignem vllam facere expulsionem. Tertia die, Mirabilis diligentia Hip. hoc in casu describēdo, die tertia inquit, diuersū fuisse Pythionis sta-

nis ſtatum, ſcilicet alium die, alium poſt Solis occaſum, alium nocte. Interdiu quietem habuit, idque factum eſt, quia diebus paribus exacerbabatur hic morbus; eſt autem tertia inter impares. Circa Solis occaſum, quia incipiebat quarta, tunc cœpit exacerbatio, vnde facta eſt parua refrigeratio, nempe quod noua alicubi incipiens humorum peccantium putrefacto atq; caloris natiui retractio ſenſum frigoris, vt par eſt, induceret. Porro nocte facta eſt turbatio ἐπιπόνως, id eſt laborioſe, ſ. aucta febre; vnde merito nihil dormiuit, atq; aluus fœces reddidit paucas, & compactas: quo enim ad fœces aliqui contextus Græci & interpretes loco dictionis μικρὰ, id eſt paucas habent ψυχρὰ, id eſt frigidas; verum huiuſmodi lectio falſa eſt, ſiquidem in frigidiſſimis conſtitutionibus fiunt quidem alui duræ, & conſtipatæ, vt Hippocrates ſexto Epidem. docet, ſcribens ἡ κατάψυξις τὰ κατὰ κοιλίην σύπτη, at quod fiant actu fœces frigidæ, nuſpiam dixit; quamquam fieri poſſit, vt ſint tepidiores: nec valet quod Galenus dixerit primo de temperamentis quoq; pituitam actu frigidam per vomitum excerni, quoniam haud eſt in ipſo corpore actu frigida, ſed inter exeundum cum eſſet intus tepidior ſtatim refrigeratur, veluti etiam interdum vſq; adeo ſtatim dureſcit, vix vt poſſit cultello incidi. Cur vero potius nocte aluus ſit mota, effecit acceſſio, & moleſtia illa nocturna; ſæpe enim videmus iis qui aliqua ſollicitudine tenentur, ſicut & qui timent, aluum vt dicit Ariſtoteles ſect. Probl. 2. 26. & ſect. 4. 8. & ſectio. 27. 2. 3. 8. incitari, atq; tanto magis, quando repleta eſt fœcibus, cuiuſmodi fuiſſe in Pythione par eſt exiſtimare, in quo nec ſponte, nec arte motam eſſe aluum vſq; ad tertiam diem narrat Hippocrat. QVARTA die ſummo mane quieuit, forſan ob præcedentem nocturnum laborem. Nam ſolemus omnes etiam ſani vbi noctu corpus conflictatum eſt, accedente mane dormire, tum ob aeris frigiditatem. tum maxime quia laſſis ſolet aliqua quies, & ſomnus tunc accidere, vt docet Ariſtoteles 5. ſectio. Probl. & quod ita fuerit inde colligi poteſt, quod circa meridiem eiuſdem diei cuncta ſunt exacerbata, cum eſſet dies par & correſponderet ſecundæ, in qua ſimiliter circa meridiem refrigeratus eſt: nempe iterum refrigeratus eſt tum ob caloris natiui imbecillitatem, qui minima qualibet noua acceſſione pene extinguebatur: tum ob nouam aliquam putrefactionem; & quia ob caloris imbecillitatem, haud erat neceſſe ipſi naturæ vllam ingentem reflationem efficere; hinc non fiebat vox, nec conſequenter loquela, ſed (vt antea dicebam) haud quaquam intelligendum eſt, quod penitus voce, & ſermone deſtitueretur, ſed qui vtramque admodum exiguam haberet. Veruntamen omnia in deterius labebantur, quoniam etiamſi eſſet recalefactus, id tamen fuerit tardo & poſt aliquod tempus, ſcilicet quia debilis calor natiuus à febrili, aut nullum, aut exiguum & tardum augmentum ſuſcipiebat, vrinas nigras reddebat, cum ſuſpenſione, ſimiliter vt probabile eſt, nigra, cuiuſmodi vrinas peſſimas eſſe docuit Hippocrates, & in ſecundo Progn. & in Coacis Prænot. quia ſiue fiant ob nimiam vſtionem, ſiue ob natiui caloris mortificationem ſemper malæ ſunt; Nocte tamen ſequenti, qua incipiebat quinta dies correſpondens tertiæ, ſimiliter quiete ſeſe geſſit, nimitum calore natiuo haud contendente aduerſus morbum, ſed veluti ſeſe paulíſper recreante; & certe in hac hiſtoria illud obſeruatione dignum eſt, quod forſitan impulit ipſum Hippocrat. ad eam ſcribendam, mirifice ſibiipſis correſpondiſſe tam pares, quam impares dies. Vnde quinta quoque die viſus eſt leuatus æger, licet ob fœces forſan duras atque retentas perciperet circa ventrem quandam grauitatem cum labore, atque etiam ſitiret. Nox autem, quia incipiebat ſexta, pariter atque aliæ pares, moleſta & laborioſa fuit: facit enim natura id quod ſolent efficere verueces, vbi pugnant: aliquando enim ſeſe retrahunt, vt fortius pugnent; ſic natura aliquando quieſcit à pugna cum morbo, & paulíſper recreata maiori impetu reſurgit; vnde non mirum ſi veſpere labores quos ab humoribus acribus, & bilioſis potius, quam à fœcibus retentis, vt nonnulli æſtimarunt, factos eſſe ſuſpicor, aucti ſunt, atque cuncta exacerbata, ob idq; iniectus eſt clyſter, quo aluus recte deiecit, propterea; nox ſecuta eſt clementior; ſed circa hoc nonnulla ſunt breuiter examinanda, cur Hip. clyſterulũ

& non clysterem iniecit; cur post exacerbationem, nam hæc semper fugienda videtur. Postremo cur huius meminit, non autem ullius alterius remedii, cum tamen probabile sit alia quoq; fuisse administrata. Circa primam dicendum senem sua solita sapientia atq; prudentia vsum, quia cum vires essent debiles haudquaquam acrem, & validũ clysterem sustinebant, cumq; aluus admodum fœcibus esse repleta, vt ostenderant externa alui grauitas, & labores, haudquaquam sola glande poterat educi, vnde quandam viam elegit, vt scilicet clysterem exiguũ administraret; resq; optime successit, quando quidem, & aluus recte deiecit, & nox quietior est subsecuta; debet vero fuisse clysterulus ex decocto mercurialis, vel iure, & oleo ac melle, vel ex ptisana, & melle, ac similibus. Ad secundum dicẽdum est fuisse post exacerbationem non quidem immediate, sed multo post, vnde ait ὀψὲ; nam vespere facta est exacerbatio, & noctem circiter mediam, s. paulo ante fuerit iniectus clyster, quo tempore exacerbationem fuisse mitigatam, æquum est existimare; præterquã quod fuit clysterus, & non clyster. Vnde, & vos etiam in actu practico, si quando opus erit, poteritis aliquo tempore post exacerbationem curare iniici clysterẽ atq; eũ blandum, non autem acrem quippe qui administratus vigente febre, & exacerbatione solet dolores, labores, syncopas, aliaq; plurima afferre mala. Ad tertium & postremum respondent aliqui, & bene haud tacuisse Hipp. alia remedia, quasi non administrarit, cum in Anaxione fecerit mentionem sanguinis missionis in octaua, & in narratione vniuersali status pestilentialis huiusmet anni dicat oblata, atq; purgationes pluribus nocuisse, sed propterea siluisse, quia non sibi proposuit his in historiis docere, quas alibi commodius tractauerat curationes; commemorasse autem glandes, & clysteres non tanquam auxilia curantia, sed veluti tentatiua quædam, & nihilominus iuuantia. Et ego addo glandes, & clysteres potuisse forsan ab aliquib. medicis, & astantibus contemni, vt auxilia parui momenti, & ob id inefficacia putari. Vnde vt monstraret nõn esse ab iis abstinendum, sed postulante vsu opportune esse adhibenda meminit eorum, simulq; vtilitatis, & vsus, quos afferunt, vt non sine ratione dixerit Anic. in medendo sibi semper clysteres placuisse, atq; Herod. in secundo narrat Ægyptios fuisse aliis saniores, quoniam singulo mense ad excernendas fœces clystere vtebantur, & vt puto frequentissime ex aqua maris, cum narret Laertius in Empedocle, eum ad Ægyptum appulsum, ac torminibus laborantem ex aqua salsa fuisse illico sanatum, ac versiculum hunc edidisse, ἡ θάλασσα κλύζει πάντα τῶν ἀνθρώπων κακά, Pythion ergo sexta die tardo clystere immisso leuatus est, & noctem traduxit satis tranquillam, non modo ob clysterem, qui recte deiecerat, verum etiam quia erat initium septimæ, quæ dies impar existens correspondere debebat tum quintæ, tum tertiæ præteritis. Sed quid ergo factũ est, vt septima videatur facta exacerbatio, cum fuerit anxiosus, subinquietus, oleosum minxerit, nocte turbationem habuerit multam, delirauerit, & nihil dormiuerit? Respondendum est, quod pertinet ad noctem, eam optime correspondisse antecedentibus, quæ pares dies inchoantes semper fuerunt molestæ, quasi semper inceperit dies par à præcedente nocte, & tunc consequenter inchoatæ sint exacerbationes. Verum quod spectat ad diem ipsam septimæ dicerem, quod etiamsi morbi diebus paribus exacerbentur, haud tamen inconuenit, quin possit etiam in diebus vere, & naturaliter decernentibus aliquas fieri mutationes, quæ tamen haudquaquam interrumpunt patium mutationes illi ægritudini peculiares. Ex quo quia septima dies est in acutis prima, & principalis iudicatoria, minime mirari decet, si in ipsa quoq; sit facta aliqua mutatio, scilicet anxietas ob vitiosos humores ventriculum lædentes, inquietudo tum ob vires imbecillas idoneum situm minime inuenientes, ob idq; iugiter illum mutare satagentes tum ob membrorum à succis biliosis, & acribus factã morsionem assiduam. Vrina oleosa ob intestinorum æstum pinguedines colliquantem, & carnes, vt propter hæc iure merito nocte sequenti delirauerit, magnã turbationẽ perceperit, nihilq; dormierit, scilicet ab interno incendio sursum in cerebrũ vaporib. calidis, & acrib. sese efferentib. Sequitur OCTAVA DIES, in qua varius plane fuit

Pythionis

Pythionis status, mane enim correspondebat sextæ, quod sicuti fuerat cum quiete, sic in hoc aliquantulum dorminit, verum malus satis fuit somnus; qui illico nocumentum potius attulit, siquidem secuta est statim refrigeratio, & vocis priuatio, scilicet ob facultatis, atque adeo caloris ipsius naturalis defectum, simulq; respirationem tenuem, & μικρῶδες habuit, id est paruam & diminutam, seu raram, de qua respiratione, ac de voce μικρῶδες complura dicit Galenus secundo de Diff. resp. c. 5. vbi, atque etiam libro tertio, capite octauo, monstrat illas duas voces significare anhelitum paruum, atq; rarum; & propterea, licet deliraret, non esse factum magnū, & rarum, cuiusmodi deliria sequi consueuit; quoniam vincebat vim delirii, organorum spiritualium, & vitalium frigiditas; quæ facit, vt respiratio sit parua, & rara, quemadmodum è contra fit densa, atq; magna, vbi valde eadem instrumenta calent, frigiditatem autem, seu caloris natiui inopiam non exiguam habuisse octaua die Pythionem illud præ ceteris demonstrare potest, quoniam quod refrigeratio à tempore matutino durauit vsque ad vespertinum, quo scribit Hippocrates recaluisse, atq; simul delirasse; delirium non fieri calore totius corporis fracto existente, & debili tam intus quam extra perspectissimum est; sed potius illo vigente, atque aucto satis perspectum est omnibus intelligentibus actiones omnes à calido deprauari, à frigido autem minui, atque deperdi. Ceterum profunda nocte, seu (vt loquitur ipsemet Hippocrates) proxime futuram, id est nonam diem modicum leuatus est, simulque aluus deiectiones habuit sinceras, exiguas, & biliosas; factæ autem sunt huiusmodi deiectiones, quod natura omnes faceret conatus pro liberando Pythione; & quamquam suapte natura natura huiusmodi excrementa essent prauis tribus conditionibus donata, scilicet pauca, sincera, & biliosa, tamen quia factum est nonnihil euacuationis, atq; diuersionis prauorum humorum; simul quoq; facta est aliqua leuatio, quæ forsan, & spem aliquam attulit, tum astantibus, tum ipsimet ægro, verum non ipsi Hippocrati, nec vlli alteri medico perito, & solerti, qui videns tantam caloris natiui ruinam, ac symptomatum prauitatem pergere atque etiam augeri, & leuamentum modicum, & sine ratione, haud poterat vllam spem bonam concipere, idq; statim monstrauit NONA DIES, in qua comatosus factus est, & cum excitabatur anxiosus erat, nec multum sitiebat, quæ omnia erant signa facultatum omnium collabentium; sopor quidem erat potius impotentia vigilandi, quam legitimus sopor, & illa anxietas haud ob aliud contingebat, quam quod vires nequibant propter imbecillitatem onus corporis sustinere, & gubernare; vnde modo hunc, modo illum permutare situm nitebatur; quamquam erat pariter rationi consentaneum aliquos biliosos, & sinceros humores exigua illa euacuatione fuisse retentos, qui in ventriculum retusi, eiusque os mordentes anxietatem producebant: vnde factum est, vt circa Solis occasum dysphoria, id est, difficili tolerantia morbi cœperit laborare, simulque delirare, ita vt totam illam noctem, quæ antecedebat funestam iudicationem habuerit malum, & consequenter diem decimam, quæ licet par esset, nec vere iudicatoria, quia tamen (vt inquit Hippocrates) hic æger habuit labores paribus diebus, necesse fuit quoq; vt paribus lethaliter tractaretur, & consequenter vitæ suæ finem imponeret, sicut DECIMA contigit, in qua summo mane vocem, & loquelam amisit, valde refrigeratus, post vehementer calefactus est, copiose sudauit, & denique interiit. Circa quæ nonnulla sunt consideranda, vnum est, quomodo in tanta omnium virium, & ipsius caloris natiui ruina post multam refrigerationem ita valuerit calefieri, vt potuerit, & febrem acutam habere, & sudorem copiosum; & ratio dubitationis est, quoniam octaua die, quando nondum vires erant adeo consternatæ à mane vsque ad vesperam durauit refrigeratio, neque potuit recalescere. Aliud consideratione dignum est, cur Hippocrates extremo historiæ addiderit hæc verba, in paribus labores huic. Ad primum est dicendum, quod alias etiam memini dixisse naturam sæpe studiosam seruandorum ægrotantium extremos quosdam conatus facere aduersus morbos, in quibus ostendit quidem aliquod robur, sed quod citissime penitus deficiat; vt pote

quod totas ægrotantium vires consumat, & perdat; ita enim contigit Pythioni, cuius natura vtpote ex se satis robusta in extremo rentauit expulsionem per sudorem; & propterea facta est acuta, seu vehemens febris, sudorq; is fuit, qui Syncopticus nuncupatur, in quo scilicet vniuersæ corporis vires protinus extinctæ corruunt, atq; hoc frequenter obseruatur in corporibus robustioribus, cuiusmodi erat Pythion, qui cum initio (vt ait Galenus) habuerit symptomata, atq; signa læthalia debuisset citius interire, ni facultatum ipsius vigor protraxisset illius vitam vsq; ad diem decimam. Ad aliud dicendum est ea verba emphasi quadam Hippocratem addidisse, non quod quicquam noui edocere se putaret; siquidem vnicuique historiam ipsam lectitati, poterat satis apparere exacerbationes, & labores diebus paribus contigisse; sed vt monstraret, si in vllo morbo apparuerunt vnquam manifestę parium dierum exacerbationes, haud dubie in hoc valde conspicuas fuisse, vt forsan propter hoc voluerit huiusmodi exemplum afferre, quo scilicet verificaret illud, quod in vniuersali tempestatis enarratione prædixerat; nempe in compluribus contigisse paribus diebus exacerbationes. Modò ad curationem accedamus, cumq; Pythion laboraueñt statim febre acuta cum multis, atq; prauis symptomatibus; haud est dubitandum, quin ea febris maligna, & pestifera fuerit, postquam ipsi febri iam factæ accidentia superuenerunt deterrima. Itaque ratione febris erat refrigerandum, & humectandum, ratione vero prauitatis, quæ semper sequitur ingentem putredinem, & venenatã qualitatem, erat agendum cum iis remediis, quæ & putredini, & perniciosæ materiæ resistunt. Sed ante cetera de instituendo victu accommodaro erat deliberandum; vt quidem esset tenuis, sed non ita quin haberetur magna virium sub putredine collabentium ratio. Etenim & si quo morbus est maior, eo minus cibi videatur esse præbendum secundum ipsius Hippocratis regulas, nihilominus vires etiam imbecillæ, & ruentes videntur sustentamentum à cibo exigere, & maxime ab illo, qui simul habeat vim remedii, vt iure dixerit Hippocrates in libro de Alimentis, optimum esse in alimento medicamentum. Ergo pro potu succus granatorum, limonum, & auranciorum cum aqua hordei profuisset, & ad placandam sitim, & ad obsistendum putredini: sic ptisana cum iisdem succis, vitelli ouorum, panis in iure paruæ pullæ, cum oxalide, boragine, omphac. aqua rosacea alterato conuenissent, veluti etiam circa extremos illos dies conuenisset succus carnis expressus, & succo granatorum, vel limonum medicatus; neq; enim is sum, qui in his modicam adstringendi vim pertimescam, nempe quæ ad corroboranda viscera, & prauos humores ab iis depellendos non parum adiumenti afferant cito. Similiter aer erat irrigationibus, ventilationibus, & perspirationibus parandus. Constituto victu deinceps fuisset de aliis auxiliis cogitandum, maxime vero de mittendo sanguine; itaque prima vel secunda die nisi fluxisset aluus erat lenienda, vel clystere, vel blando aliquo medicamento, dico autem nisi fluxisset, quoniam in tertia dicit quidem aluum profudisse compacta, & pauca & an etiam à principio, an vna vel pluribus diebus, haudquaquam diffinite dixit. Sanguis porro mitti debuit à cubiti dextri communi, quod an dexterum hypochondrium esset tensum, & repletũ sanguine, imo vero an ibi forsan esset totius morbi fomes, haud constaret vt etiam hac ratione deberet exigua copia mitti, atque in principio, quando scilicet vires ob assiduam, ac saltem frequentem refrigerationem nondum erant prostratæ. Post quia ingens erat in corpore humorum prauorum maligna putredo, debuit statim medicus aduersus eam contendere decocto ex scordio, acetosa, myrrhide, pimpinella, adiecto aliquo zulapio ex citri succo, vel limonis, ex acetosa: scio tempore Hippocratis non fuisse in vsu zulapia nostra, imo nec citri, limonumue succum, quandoquidem (vt colligitur ex Theophrasto) eiusmodi poma vsurpabantur tantummodo in capsis ad conseruandos à corruptione pannos; at hæc propono pro nostris temporibus, vt quando similes casus occurrunt, sciatis, quibus remediis & medicamentis vti debeatis. Ad symptomata similiter tollenda incumbendum fuisset, præsertim aduersus præsentia, atq; imminentia capitis

mala, oxyrrhodinis, & vnctionibus, frictionibus, aliis diuersionum generibus; id tamen semper animadvertendo, ne à capite nimia fieret repercussio ad collum, & pectus, ob illam breuem respirationem, atque insignem vocis læsionem. De medicamentorum purgantium administratione puto Hippocratem ob virium, & caloris natiui imbecillitatem nil cogitasse; quandoquidem in sexta die vix ausus est clysterulum adhibere, & certe in simili virium ruina abstinendum est à quouis etiam blandissimo medicamento, quoniam aut actuari (quod dicitur à medicis) medicamenta nequeunt, aut euacuatione exigui qui sunt vitales spiritus, facile consumuntur.

HISTORIA TRIGESIMA.

PHRENITICVS, qui PRIMA *decubuit, vomuit æruginosa: multa, tenuia: febris horrida: multus sudor continuus per totum: capitis & colli grauitas cum dolore: vrina tenues enæoremata pauca: dispersa; non subsederunt. ab aluo autem stercora emisit confertim: multa delirauit: nihil dormiuit.* SECVNDA *mane absque voce. febris acuta; sudauit: non intermisit: palpitationes per totum corpus. nocte conuulsiones.* TERTIA *exacerbata sunt omnia.* QVARTA *mortuus est.*

PHRENETICVS. Rarissimi sunt ægrotantes, quorum nomen proprium, aut saltem parentum Hippocrates non adnotauerit, dico rarissimos, quoniam præter hunc, atque illum qui decumbebat in horto Dealcis, paucissimos illos reperiemus, & forsan huius nomen ignorauit, quia ob temporis breuitatem (obiit enim quarta die, vel tertia, vt videtur Gal. legisse) necnon symptomatum prauorum magnitudinem, & copiam, simulque vitæ ipsius desperationem haud recordatus sit nomen ipsius discere. Et quamquam statim appellet eum phreneticum, haud tamé videtur necesse illico prima die, & primo insultu correptum fuisse phrenesi, sed sic vocasse potuit à genere morbi, quo interemptus est, quamquam Gal. (vt videbimus) haud voluit phrenitide, sed pestifera & venenata febre obiisse. Nisi quoque placeat existimare ipsum prius laborasse febre, sed Hipp. tunc solummodo fuisse vocatum, quando magis ingrauescebat morbus, ac subinde phrenesis erat inchoata, à quo tempore fecit etiam dierum enumeratione: Gal. opinatus est hunc prima statim die fuisse phrenitide tentatum, & quia videbat difficile esse, vt quis alioquin sanus repente in phrenesim incidat; dicit id quod etiam scribit Hippocrates quarto de Morb. nempe morbum posse subito quidem apparere, at eius caussam diu in corpore latere, ac insensibiliter agere, donec consummata sua operatione acutum morbum producat, & interitum, haud secus atq; contingit in venenis sumptis, aut inflictis; cuiusmodi est canis rabidi venenum, hæc enim in corpore diu permanentia, paulatimq; corrumpentia tandem subitos morbos, & cum iis necem afferunt, quemadmodũ & succus prauus paulatim in corpore collectus, & putrefactus, potest statim phrenitidem facere. Verum & si quæ dicit Galenus de venenis, vsu, atq; ratione sint compertissima, minime tamen aptantur exactæ phrenitidi, quoniam si vera phrenitis est inflammatio membranarum, & partium ipsis inhærentium cerebri, vt vbique profitetur Galenus, vix intelligi potest, quo pacto huiusmodi inflammatio statim oriri possit à sola succorum prauitate, absq; alio præcedente conspicuo affectu. Fateor in morsu canis rabidi mentem nonnumquam lædi subito, atqui in huiusmodi ægrotantib. non fit statim phreneticus affectus; vt ob hoc mihi placeat magis credere phreniticum præsente aliquo tempore antea ægrotasse, sed neglexisse, ac propterea distulisse Hipp. vel alium quempiã medicum vocare, donec grauis morb⁹ apparuerit; illud certe verissimũ est, q; scribit quoq; Gal.

hunc fuisse casum rarissimum, propterea que ab Hipp. adnotatum, quod ita statim apparuerint atrocissima symptomata, quæ extinxerint ægrotantem citissime. Sed videamus quomodo res sese habuerit, satis diligenter ab Hipp. enarrata; sed quæ prima die, & secunda affuerunt satis copiose, & non admodum ordinate recitat; quod forsan sibi mirum videretur statim in prima die tot, atq; tam grauia symptomata contigisse, propter quod habens etiam persuasum esse cito periturum, destitit statim à suscepta diligentia, & certe nisi dicamus cum Galeno multo ante tempore fuisse in hoc collectos, & grauiter corruptos humores, qui deleteriam, ac venenatam qualitatem contraxerint, haud certam rationem afferre possumus, cur tã cito tam sæua facta sint accidentia. Sed more nostro singula expendamus. Postquã igitur hic decubuit, prima decubitus die, imo vero vt putandum est, principio primæ habuit insignem vomitum, quem secuta est febris horrifica. Circa quæ nonnulla sunt contemplatione digna, priusquam vlterius progrediamur. Primum est cur ex accidentibus multis ægri præsentis, primus apparuerit vomitus. Secundum, quæ fuerint caussæ ipsius. Demum cur ipsum consecuta sit febris horrifica. Et circa primum est sciendum, illud pene omnibus venenis esse commune, vt grauissimos vomitus cieant. De iis quæ ore sumuntur haud est difficile veram caussam afferre, propterea quod venena acria vt plurimum sunt, & calori natiuo inimica, vnde statim atq; ventriculum alioquin valde sensibilem ingrediuntur, eum dilacerant, & consequenter calorem ipsius acriter vrgentes ad expellendum lædens concitant, quamquam fiant quoque tam exitiosa, vt statim absque aliquo vomitu perimant, quale memorat fuisse Suetonius, quod Neronis impulsu à Locusta venefica Britannico paratum est. & quod scribit Arist. prima Probl. 48. etiam medicamenta hac ratione purgare, & in magna copia sumpta interimere, sicuti venena in pauca, maxime ad hoc facit, quod sicuti medicamenta non superantur, sed superant stomachum, sic & praui, atq; venenati succi. Verum de venenis externis, non est ita promptum rationem afferre, nisi placeat dicere, quaslibet partes corporis à veneno, vapore, vel aura perculsas à sese noxia obiecta depellere ad maiores cauitates, cuiusmodi sunt stomachus, atque intestina, ob idque stomachum statim atque ab illis percellitur, ad expulsionem concitari sibi faciliorem, cuiusmodi est vomitus, quemadmodum etiam intestina similiter percussa ad sese per anum exoneranda mouentur, ita vt quicquid continetur in ipsis simul cum venenata materia extrudatur; siue quod aliis rebus misceatur venenum, siue quod corpus, & stomachi, & intestini iugiter sauciatum semper expulsionem moliatur, prout semper quoque mordetur. Ad aliud de caussis vomitus dicendum est, cõplures fuisse partim communes, partim peculiares huic ægroto; communis est, quia, vt dicit Hippocrates, ventriculus dum plenus est humoribus corpori fons est, dum vacuus à toto corpore fruitur, & in primo libro de diæta dicebat ventriculum esse instar maris, quod cunctis communicat, & à cunctis recipit aquam, itaque vbi in corpore sunt humores commoti facile suapte natura in stomachum feruntur. Alia causa communis fuit, quia homini, & cani, vt ait Plin. lib. vndecimo, cap. trigesimoseptimo, ventriculus parte infima, qua nectitur intestinis, est augustior, quam superiore. Vnde fit, vt vbi repletur stomachus, humores promptius per superiora, quam per inferiora trudantur, ex quo dicebat solum homines, & canes vomere, quod tamen non simpliciter verum est, cum etiam domestici catti, & alia quædam vomant, licet non ita frequenter. Porro causa particularis fuit, quoniam magna ex parte facti sunt humores in ventriculo huic ægrotanti, & corrupti. Etenim Auerr. tertio Coll. cap. 3. de generatione bilis prassinæ & æruginæ, dicit eas gigni in ventriculos; licet Gal. videatur aliter sentire circa modum generationis, nam (vt is ait) fit cholera æruginosa ex bile, & melancholia simul in ventriculo mixtis, & putrefactis, ob quod ait ab iis generari deterrimas, & irremediabiles febres, sicut obtigit præsenti ægro, qui sæuissimis cum accidentibus cito periit. Quod autem in hoc phrenitico multi biliosi, & varii humores fuerint cumulati, ita vt ex iis corruptis atq; putrescentibus

poterit

potuerit generari æruginea bilis, quo pacto dicebat Anerr. ipsemet testatur Hipp. dicens statim ipsum vomuisse multa biliosa tenuia, virulenta, sine æruginea. Ad tertium φρικώδης febris, seu horrifica est, quæ fit cum horrore: est autem horror, siue φρίκη, vt scribit Galenus secundo de Differ. feb. 8. medius quidam affectus inter frigus & rigorem tanto maiore frigore, quanto est minor rigore; verum, quia horror fieri potest, & in initio accessionum, & in tota accessione, proprie vocantur febres horrificæ, quæ in toto accessionis tempore habent hunc horrorem, non quidem continuum, sed per interuallum, cuiusmodi sunt hemitritæi, vt idem Galenus testatur tum secundo de diff. feb. octauo, tum etiam primo in primum Epid. text. 23. vbi etiam dicit hac in re discrimen aliquod reperiri, quoniam vbi interuallum longum est vocatur horroris reduplicatio, quasi sæpius fiat initium nouæ accessionis: sin autem fiant breuia interualla proprie appellantur horridæ febres. Itaque cum adeo praui essent in hoc ægro humores, atque ii concitati iugiter, vel saltem frequenter à natura expulsione tentata, dum per sensibiles partes ferebantur, horrores illos inducebant. MVLTVS SVDOR, &c. Hoc quoq; exitiale erat, quia erat multus & per totum: etenim in prima die sudor multus factus arguit ingentem copiam humorum in toto ambitu existentium; vnde saltem morbi longitudo ostenditur, nisi adsint copulata alia praua accidentia, quo tempore mortem potius futuram significat, & eo maxime si continuus sit, quo in casu necesse est, vt natura cito succumbat tot variis malis consternata. GRAVITAS CVM DOLORE. Sin in toto corpore, & ventriculo ingens omnium prauorum humorum colluuies reperiebatur, certe necesse erat fieri dolorem, & grauitatem non modo in capite, verum etiam in vniuerso corpore. VRINÆ TENVES. Multa sane huic misero prima die contigerunt mala; atq; ea praua; sed magna quoq; fuit cum patientia coniuncta diligentia Hipp. in singulis notandis, & obseruandis: tenuitas vrinarum cum suspensionibus dispersis summam cruditatem, & flatulentiam indicabat, & cum dixerit, vrinæ, in numero plurali, certum est pluries in die debuisse mingere, vt copia mictionum coniuncta ceteris conditionibus multo deterius signum redderet. NON SVDAVIT. Dubitant aliqui & merito, quomodo si Hippoc. dixit ante ipsum prima die habuisse copiosum atq; continuum sudorem, modo dicat non sudasse; & respondent hæc verba postquam (non sudauit) intelligenda esse, quod non sudauerit æqualiter, vt fit in iudicationibus, licet sudaret scilicet caput, & collum, per totam primam diem continuam. Sed non mihi placet hæc responsio, quia Hippocratis verba clarissima sunt ξυνεχὴς δι' ὅλε, hoc est, continuus per totum, s. corpus, non diem; præterea id habent læthalissimæ febres, vt sudores syncopticos ita faciant, s. per totum corpus; & puerile esset si Hipp. voluisset significare sudorem vllum, prima die non fuisse indicialem. Itaque dicerem potius, vel abundare hanc postremam partem (non sudauit) vel potius vocem illam ἐχ ἵδρωσεν mutandam esse in hanc ἐχ ἵδρυτο, i. non subsidentiam habebant; cum enim antea immediate loqueretur de vrinis; accommodate subiunxit eas non habuisse sedimentum, & hæc forma loquēdi est familiarissima ipsi Hippoc. nam primo Epid. de primo ægro loquens de vrinis inquit, ἐχ ἵδρυτο, & lib. tertio, ægro tertio, ἔρα μέλανα ἐχ ἵδρυτο, & fere eodē pacto, quo hic, & ægro vndecimo atq; duodecimo, post ἐναιώρημα, i. suspensionem, statim ponit ἐχ ἵδρυτο, atque idem multis aliis in locis; vnde moriar, nisi ita scripserit Hipp. etiam hoc in loco. AB ALVO. Curad notauerit stercus eiectum confertim Hip. vis est in voce ἀθρόα, nam dicitur ἀθρόον, vt notat Galenus secūdo aphorism. decimooctano, quod breui temporis spacio, atq; statim fit, sic enim in Coac. prænotionibus dicit κόπρανα ἀθρόα, vt etiam in hoc tertio Epidem. ægro quarto, ἀθρόον κατὰ μικρὸν διαχώρημα; nam quod aluus egesserit stercus, haud quicquam habet considerationem dignum; sed quod statim, & breui tempore multum; etenim magnam naturæ factam esse irritationem indicat.

MVLTA DELIRAVIT, &c. Vigilia ac multitudo delirii sunt symptomata comitātia, seu assidentia ipsi phrenitidi, quia semper assistunt illi, imo vero sunt etiā pathogno-

pathognomica cum constituere videantur phrenitidem, vt est actio læsa; licet non constituant ipsum morbum; hoc est inflammationem membranarum cerebri; cũ enim incepisset, vel facta esset prima die phrenitis, consequenter à calida intemperie vniuersum cerebri temperamentum erat corruptum; eapropter nec dormire, nec sapere poterat; sed continuo dolore molestatus magnopere agitabatur, mulque præter rationem loquebatur, & faciebat. Atq; hæc omnia prima die tantum contigerunt. SECVNDA vero die hisce complura haud mitiora sunt adiecta, quæ etiam non modo tertia tota die perdurarunt, verum etiam exacerbata sunt, atq; ea fuerunt, quod mane voce priuatus est, febris aucta, sudauit indeficienter, palpitationes per vniuersum corpus habuit, atque nocte conuulsiones; adeo ut quarta die interierit. Quod pertinet ad vocem non tantum ob delirium est priuatus voce, quantum ob principii neruorum, & musculorum voci faciendæ famulantium ingentem læsionem à siccitate inflammationis sequace inductam, quæ aucta conuulsionem eximiam, quam consecuta est mors, peperit. Febrem etiam fuisse acutam, dum dicit haud est intelligendum, quod secunda die tantum facta sit febris acuta; quoniam si prima die erat vera phrenitis, cur dubitandum est, quin eã sit protinus febris acuta secuta. Sed intelligendum fuisse auctam, ptout etiam angebatur inflammatio. Porro intermissus ille sudor, qui vere syncoptitus erat, efficiebatur ab ingenti illa violentia, quam patiebatur natura, tot tantisq; malis turbata; quemadmodum etiam palpitationes, seu iectigationes totius corporis non ob aliud fiebant, quam quod omnes arteriæ, & partes neruosæ perculsæ veluti tremerent, cuiusmodi symptomata præcedere consueuerunt veras conuulsiones, & propterea motus conuulsiui appellantur: haud enim existimandum est fuisse veras palpitationes, tũ quia sunt affectus priuatorũ aliquot membrorũ, interdũ etiã vnius tantũ; tum quia fiunt, vt dicit Gal, à flatu, & semper aliqua parte refrigerata id, q̃ minime esse poterat in morbo calidissimo, & vsq; adeo sæuiente. Circa mortem duo sunt quærenda, vnum quando præcise mortuus sit, nam Hip. dicit, quarto die ipsum interiisse, Gal: autem dicit tertio, quasi apud Hippocratem non legerit quarto, vt habent omnes nostri codices, sed potius tertio. Alterum considerandum est, an perierit vi phrenitidis, an potius vi pestilentissimæ febris; Ad primum suspicor in fine noctis periisse, qui solet esse principium diei sequentis, & propterea Hip. dixisse ipsum obiisse die quarta, qui scilicet mane summo extinctus est, sicuti mane secundæ diei, quæ respõdebat quartæ, factus est sine voce, morbusque perniciosior, & grauior esse cœpit. Quod Gal. dicit putandum esse ipsum interiisse tertia die, atq; sese neminem vidisse ex phrenitide mortẽ oppetiisse tertia die, sed quarta vel quinta, ac neminẽ transiisse vigesimã, non potuit sane collegisse ex Hipp. cum is dicat, nocte tertiæ diei factas esse conuulsiones. Itaque nisi dicamus contextum Galeni diuersum fuisse, quo pacto ipsum tueri licet, haudquaquam certum aliquid in medium proponere audeo. Ad secundum autem Galen. certe videtur cẽsuisse haudquaquã periisse phrenitide, sed potius ob teterrimam & pestiferã febrem, quã faciunt vt dicebat Auer. tertio coll. trigesimo, humores illi quos vomit æruginosi, & quam deinde secuta est, vt solet phrenitis, vt propterea cum phrenitis statim apparuerit sit necesse, quẽadmodum antea dicebam, ante primam diem non decubuisse, sed tamen febricitasse: probat autem id, quia celeritas mortis eiusmodi haud fieri solet à phrenitide, sed ab humoribus veneno similibus, nec quantitate, sed sola qualitate peccantibus: ex quo loco colligere soleo, non semper Gal. tribuisse malignitatem humoris putredini, cuius hic nunquam meminit, verum etiam interdum pessimæ atq; secretæ qualitati. Opitulantur quoq; Gale. ea quæ scribit Hip. in fin. 1. de Morb. vbi declarans modum, quo phrenitis ægrotantes perimit, inquit eos in hoc morbo semper desipere multum ob sanguinem corruptum, & motum, ac propterea parum, aut nil memoratu dignum cibi capere, & consequenter temporis progressu marcore cõsumi; tum ob febrem, tum quia non aluntur, extremis s. partibus deinde proximis refrigeratis; vnde vere videtur Galenus dixisse haud posse ita cito phrenitide etiam

acuta

acuta obsessos ab ea extingui, quanquam Demetrius Herophilus apud Cal. lib. 1. acut. c. 1. dicat phrenitidem in interfectionem celerem desinere: quod vero dicit Plinius lib. 7. cap. 51. 52. fieri interdum ægritudinem, & mortem ob sapientiam, loquitur vt sæpe solet, appellans phrenitidem ἀπὸ τῶν φρενῶν, i. a mente, & prudentia ægritudinem. De curatione pauca dicere superest, quod mors fuerit velocior, quã vt curatio diligens adhiberi potuerit; tenuissimum enim victum statim fuisse institutum rationi consentaneum est, quemadmodum etiam par fuisset illico sanguinẽ mittere, primũ à vena cephalica, tum à vena frontis, simulq; adhibere oxyrrhodina, & opiata ad inflammationis incrementum impediendum; necnon ad somnum prouocandum, quo in genere essent quoque auxiliatæ frictiones extremarum partium, atq; ligaturæ. Medicamentum purgans bilem conuenisset, sed cum secunda die factus fuerit sine voce cum sudore syncoptico assiduo, haudquaquam fuit locus cogitationi illius: vnde prima vel saltem secunda die poterat medicus de celerrima morte prædicere, potiusque ipsum deserere, quam medendo remedia aliis salutifera infamare. Prudenter enim dixit Galenus hoc exemplum celerrimæ mortis ex pestifera febre Hippoc. proposuisse, non quod etiam interdum aliqui celerius non pereant, vt ille qui retro secunda die obiit; sed quoniam celeritatis mortis causa etiam celeriter, scilicet prima die ex prauitate, & multitudine symptomatum apparuit.

HISTORIA TRIGESIMAPRIMA.

IN Larissa Caluus femur dexterum doluit repente: eorum autem quæ adhibeantur, nihil iuuabat: PRIMA *febris acuta, ardens sensim corripuit: dolores autem pergebant.* SECVNDA *feruoris quidem remiserunt dolores. febris vero intensa est: subdifficiliter morbum ferebat, non dormiuit: extrema frigida, vrinarum multitudo exibat non bonarum.* TERTIA *femoris quidem dolor cessauit: alienatio vero mentis, & turbatio: & multa iactatio.* QVARTA *circa meridiem extinctus est acutissime.*

IN Larissa Caluus &c. Hoc quoque non leuius antecedente exemplum est propositum ab Hippocrate febris pestiferæ, atq; mortis celeritatis, cũ æque atque prior in quarta die obierit, licet in prima die, neq; tot, neq; adeo praua symptomata habuerit. Non absimile autem est hoc exemplum relato in 1. Epid. ægro nono, Critoni s. in Thaso: cui digitus dextri pedis doluit, atq; secunda die periit. Non nominat hunc ægrum Hipp. nomine proprio, quod nomen ipsi ob accidens, nempe ob caluitium à vulgo impositum pro nomine proprio seruiret. Sed cum caluitium sit multorum commune vitium, postquam hic ab eo sic vocabatur, par est existimare id esse factum, quod vel præter tẽpus id ipsi contigisset, vel quod maius esset, quam in cęteris, vel ob aliquam aliam caussam non ita promiscuam; quamquam apud Gal. in linguis, necnon apud Erotianum in Onomastico Hippocratico habetur, vox φαλακρὰ, quo nomine vtitur hic Hipp. significare rotunda, in qua tamen significatione haud puto nunc esse accipiendam vocem φαλακρὸς, cum id dicatur de ferramentis læuitatem cum rotunditate habentibus. Vtrum autem Hippocrates aliqua ratione nominauerit caluum, nec Galenus, nec alii veteres disputarunt; attamen cum ipse videam Hipp. 6. aphor. trigesimoquarto, dicentem caluis non fieri magnas varices, & si successerint renasci capillos, atq; idem fere iisdem verbis confirmari ab Arist. 3. de hist. anim. cap. 11. quanquam loco vocis (κιρσὸς) vtatur Arist. voce (κήλα) quam tamen Hippocraticam esse testatur in ling. Gal. venio in hanc coniecturam, potuisse Hipp. nominare caluitium, quasi id contulerit ad faciendum, vt materia morbifica, quæ erat in crure dextero, vbi fiunt varices, in caput tolleretur; & certe calui habent caput infirmius, propterea que suscipiendis iniuriis, tam internis, quam externis maxime obnoxium. Sed hoc dimittamus, sicut etiam quod ægrotauerit in Larissa quo nomine fuerunt appellatę

nouem ciuitates, vt testatur Stephanus lib. de vrbibus siue enim fuerit in Thessalia, siue Ephesi, siue in Attica, siue in Creta, nil refert; modo credamus haud multum remotam fuisse hanc vrbem ab Hippoc. & forsan hic fuit ex iis casibus, quos Hipp. in sua longa, & vniuersali peregrinatione obseruauit. Videamus modo quid ipsi contigerit. Hic enim ex improuiso, & alioquin sanus cruris dextri dolore captus est, aduersus quem nullum ex adhibitis remediis contulit. Gal. multa sane præclara de caussarum dolorum cognitione, modoq; adhibendorū præsidiorum edisserit. Vt scilicet prius animaduertatur diligenter an potuerint ab externis vllis caussis, an ab internis esse facti, atque an cum repletione corporis, an sine, & pro ratione caussarum sic etiam instituendam curationem. Arqui hac de re loquar cum de curatione verba faciam; nunc autem videamus à qua caussa potuerit fieri hic dolor; & certe sum huius sententiæ nulla caussa externa esse factum, sed tantummodo interna, alioquin Hipp. vt solet aliquid dixisset; verum huic contigit quod & antecedenti phrenitico, cui forsan etiam ob hoc historiam præsentem subnexuit; vt scilicet longo tempore in ipso sit deleterius humor in corpore, & præsertim circa iecur genitus, qui postmodum cumulatus, & corruptus sit repente in dextrum fœmur vtpote iocinori κατ' ἴξιν id est secundum rectitudinem oppositum à natura, vt noxius, & molestus depulsus; ibiq; non tam ob copiam, quam ob prauam qualitatem effecerit dolorem; qui vtrum antecesserit febrē aliquo tempore, an simul, aut paullo post ipsam factus sit, tum ex Hippo. admodum certum est. Attamen cum dicat dolori adhibita fuisse inutiliter remedia, & prima die febrem fuisse acutam, & alia symptomata contigisse, fit vt putem aliquo tempore prius dolore vexatum, atque tunc fuisse, vt vulgo fieri solet, adhibita ad compescendum dolorem cōplura præsidia. Quæ vtrum fuerint ex iis, quæ extrinsecus adhibentur, an quæ intrinsecus sumuntur, disputat Gal. sed ego dubito an hæc remedia fuerint adhibita ab Hipp. vel alio medico, an ab astantibus ignaris: etenim scimus vbi quispiam dolore tentatur, statim ægrotantes petere auxilia vndecumqae, etiam ab imperitis, atq; tunc temere adhiberi, & consequenter sepenumero potius officere, quam prodesse. Vnde si Hippocrates adhibuit, non dubito, quin omnia ex arte fecerit, quemadmodum proponit agendum esse Galenus; sed si præsidia fuerunt administrata ab imperitis, fieri potest vt statim absq; vlla præcedenti euacuatione sint applicata repercussoria, quæ intro materiam prauam repulerint, tum in hypochondria, tum in caput, atque ea in hypochondriis firmata, ac putrescens febris generationi occasionem præbuerit magnæ & acutæ, à qua febre deinceps cœperit Hippocrates connumerare dies; Dicit antē febrem fuisse acutam, & ἀτρεμέως, id est tacite, seu lente ardentem. Etenim humor ille biliosus, & prauus in venas maiores tractus, ibique putrescens peperit iure ardentem febrem. Sed quomodo dicit lente fuisse ardentem? Quia scilicet pestifer euaserat ille humor, vnde facultas violata tabo haud multum contendere poterat aduersus morbum. De doloribus autem varii contextus sunt tam Græci, quam Latini; aliqui enim habent οἱ δὲ οἱ πόνοι παρέμενον, id est dolores non sequebantur; alij vero habent οἱ δὲ πόνοι παρέμενον, id est dolores sequebantur; & certe hæc posterior lectio à compluribus fuit amplexa, quod in secunda die dicat remisisse dolorem cruris; verum non inconueniret etiam dicere prima die non perexisse dolorem in ea magnitudine, sed fuisse remissum in secunda adhuc magis, in tertia vero esse sublatum; & certe si facta est febris ob regressum materiæ à crure prima die, æquum est existimare; tunc etiam imminuta valde caussa doloris fuisse quoque ipsum imminutum.

Secunda die, inquit, femoris remissi sunt dolores, & febris acuta est &c. Si recte vis præsentis casus expendatur, sane tota posita fuit in dolore femoris, vt propterea Hippocrates ingeniosissimus cuiuslibet diei symptomata narrans, semper dolorem cæteris anteposuerit, si quidē incipiens historiam à dolore inchoat, prima die inquiens dolorem perrexisse, sed non auctum esse. Secunda die statim dicit dolores fuisse remissos; Tertia quoq; in primis verbis dicit dolores fuisse remissos, adeo

adeo vt voluerit præ cæteris scopum pro iudicio ferendo eum debuisse medici esse, vt status illius doloris animaduerteretur: qui cum à materia fœdissima oriretur, si perseuerasset in ea parte, poterat quidem eam corrumpere, at seruatus fuisset æger ea vel amputata, vel sponte decisa, cuiusmodi compluribus contigisse in ea pestifera constitutione narrant Thucydides libro secundo, & Lucretius libro sexto. Verum quia inde partim pulsa est propter sui prauitatem in partes superiores, atq; nobiliores, partim fuit attracta vi febrilis incendii hypochõdriorum flagrantium consecuta fuit omnium facultatum ruina, quæ ex symptomatibus cognita est: siquidem hæc materia iam pernitiosa magna ex parte à crure separata, atq; in hypochondriis firmata circa ventriculum, & iecur disphoriam illam peperit, nẽpe morbi intolerantiam, quam vigiliæ necessario consequebantur; quis enim dormire queat vbi corpus ita angitur, vt nusquam possit conquiescere? Similer facta sunt extrema frigida, tum quia vi illa venenatæ materiæ admodum infesta, non modo calor natiuus lædebatur, verum etiam quicquid ipsius in extremis reperiebatur intrò cogebatur recedere ad succurrendum visceribus à teterrimo humore lacessitis. Vnde vero fieret illa vrinarum haud vtilium copia non est difficile coniicere, si illud statuamus quod sæpe his in libris adnotauit Gal. nimirũ febres pestilentes esse quoque vt plurimum colliquatiuas, quod in calore illo putredinali, & inimico nõ tantum succi liquidi, verũ etiam concreti liquefiant, & per aluum atq; vrinam fundantur: vt propterea Hippoc. dixerit fuisse inutiles ad differentiam aliorum, quæ copiosæ cum mingantur, iuuant tamen, ac instar criticarum sunt, dicente interdum ipsomet Hippocrate multos vrinarum copia fuisse seruatos.

Tertia porro die, ait penitus dolorem cruris desiisse, atq; tum plurimã mentis commotionem, plurimum tumultum, & inquietudinem successisse. Etenim impura materia cum iam ex toto infernam illam partem deserens, ad nobiliores detrusa esset in hypochondria, atq; inde quoq; in superiores transmitteretur; haud mirum fuit, si & mens mirum in modum læsa fuerat: & consequenter vniuersa quies, & status corporis atq; animi apprime violatus, ita vt vi lethalissimæ materiæ quarta die circa meridiem sit extinctus acutissime. Etenim ad mentis perturbationem efficiendam contulisse quoq; caluitiem ex eo coniici potest, quod Hippocr. secundo Epid. sect. quinta, scripserit caluos morbis atrabilariis tentari. Ceterum circa hæc postrema illud est in primis quætendum an alia sæuiora symptomata apparuerint à tertia die vsq; ad meridiem quartæ, quæ non sint ab Hippoc. relata. Secundo, cur potissimum circa meridiem occubuerit. Tertio, quomodo Gal. dicat hunc tribus diebus periisse, cum Hippoc. dicat quarto. Quarto, quo genere mortis interierit. Postremo cur Hippoc. addiderit in extremis verbis vocem ὀξυτάτως, id est, acutissime, vel vt alii contextus habent ὀξυτάτην, id est, acutissimum. Circa primum respondeo fieri posse, vt contigerint, nec sint ab Hippocr. commemorata: nam ea est conditio aliquorum venenorum, vt paucis: aliquorum, vt multis: quorundam, vt nullis pene symptomatibus occidant: quemadmodum referunt de illo exitialissimo veneno Africano, qui res illius Regni descripserunt, necnon de illo quo dixi retro fuisse à Nerone peremptum Britannicum. Caussa autem huius diuersitatis, quoniam aliqua corpora prius cõtendunt acriter aduersus venenum, quam illud in cor ferri permittant; aliqua vero nil pene certant, sed illud statim permittunt, vel quia laxissimos habent meatus, vel quia infirmiores habent vires, quam vt possint aduersus venenum vel tantillum contendere. Haud secus quoq; accidit humoribus venenum referentibus, quorum aliquibus concertans natura facit grauia symptomata, aliquibus vero minus contendens pauciora inducit: sicut aliqui sunt, qui vbi vires prostrauerunt hoc amplius illæ aduersus eos pugnant, sed relinquunt libere in cor labi, atq; tunc symptomata non cötingunt: sed quamprimum cor contrectatur, vincitur, quippe quod dicebat Aristot. tertio de part. anim. 4. haud posse vicinia humorum prauorum sustinere: Habuisse autem hunc ægrum vires etiam suapte natura satis imbecillas ex velocitate mortis facile colligi

poteſt, ſicut robuſtos videmus diutius contra pernitioſiſſimos morbos durare: ſic enim dicebat Galenus harum hiſtoriarum initio Philiſcum citius ob vires infirmiores, cõtra Silenum tardius ob robuſtiores periiſſe. Potuit etiam fieri vt quemadmodum ſolet multis ante mortem euenire alia ſequiora ſymptomata contigerint Caluo, quæ prætereiit Hippocrates, vel quia non putauit vtile eſſe ea referre, vel forſan quia tertia die tanquam cito moriturum deſeruerit, propterea q; nil aliud de ipſo niſi mortem audierit. Vel quoniam dixerit in tertia die contigiſſe tumultum, atque multam inquietudinem, & iactationem, ſub quibus vocibus comprehenderit, quicquid mali accidere potuit. Ad ſecundum dicere oportet, quod alias dixi ex Ariſt. meridiem eſſe calidiſſimam totius diei partem, ac propterea tunc magis fundi humores, qui vbi peſtiferi ſunt, tunc magis cor occupant, atq; occidunt: quamquam etiam fieri poteſt, & ſi non dicat Hippocrates, vt ea hora incœperit febris, exacerbationes fierent: ſolent enim ægrotantes ea perire hora, qua etiam ipſorum magis exacerbantur morbi. Ad tertium dicendum eſt, potuiſſe hunc virum cœpiſſe ægrotare circa meridiem vt dicebam, vnde cum obierit quoq; circa meridiem, poteſt dici tribus diebus vixiſſe & periiſſe in principio quarti. Vel dicere poſſimus tertia die fuiſſe deploratum, atq; tunc pro mortuo habitum à Galeno. Ad quartũ dicunt aliqui inducti à characteribus periiſſe caluum magna alui profuſione, ſed fabulæ ſunt, cum de hac nihil ſit dictum ab Hippocrate, quoniam nil notatu dignũ circa aluum accidit: vnde ſatius eſt dicere humorum venenatorum ad cor transfuſione obiiſſe. Ad poſtremum Galenus ſuſpicatur vocem illam ὀξυβάτως fuiſſe adiectitiam, nec Hippocraticam: verumtamen haud inconueniens exiſtimare, quoq; additam eſſe vocem ab Hippocrate, vt doceret ipſum quarta die obiiſſe celerrime, atque repente, vt pauci animaduerterint ipſum adeo cito fuiſſe moriturum. Circa curationem vt dicebam multa præclara dicit Galenus & primo illud, vt in doloribus curandis primum exploretur: an vlla cauſſa ex externis ipſum fecerit, ſi quidem ſæpe vſuuenit, vt ægrotantes, atque etiam ſani in mouendo ſeſe, vertendo, onus eleuando in ſedendo aliiſque innumeris ſimilib. latenter colorem acquirant, qui omni aliæ cauſſæ potius, quam huiuſmodi vlli tribuatur: quod ſi nulla ex hiſce cauſſis appareat, tum ſpectare diligenter oportere quo victu ante ſit vſus æger, num, ſcilicet pluribus, atque plurimum nutrientibus cibis, num illa conſueta excretio ſit retenta, ex quibus conijcere liceat plenitudinem aut humorum prauorum copiam in corpore fuiſſe collectam, quarum aliqua exiſtente prius ad euacuationem vel per pharmaca, vel per ſanguinis miſſionem deueniendum eſt, quam repercutiẽtia medicamẽta dolenti loco adhibeantur, alioquin periculũ imminet: ne materia intro repulſa nobiles aliquas partes occupet, ſicut etiam vſuuenit interdum, vtante euacuationem medicamentis calidis materia multo magis ad locum dolentem attracta non poſſit à parte corrigi, neque ſuſtineri, ſed inflammationem faciat, vel factam augeat, atque ita eam corrumpat. Quod ſi ex antecedente vitæ ratione appareat handquaquam colligiſſe, vel copiam, vel cacochymiam, tunc vti licet medicamentis tam calidis, quam etiam repercutientibus, quę ſi nil prout ad euacuationem omnino eſt deueniendum, ſiquidem fieri poteſt, vt latenter etiam ex non improbo victu, vel impedita aliqua euacuatione ſit collecta aliqua copia in corpore, quæ niſi prius tollatur, haud poſſunt cum fructu localia medicamenta adminiſtrari. Vtrum autem ita factum ſit in hoc Calui Lariſſæi caſu dubitat merito Galenus, & præſertim vtrum ſit euacuatum corpus, & enim voce τῶν προσφερομένων ſeu adhibitorum haud videntur veteres comprehendiſſe ea quæ extrinſecus adminiſtrantur, ſed tantummodo quæ ore ſumuntur. Verumtamen, quandoque etiam Hippocrates ea voce vſus reperitur in cunctis, quæ adhibentur auxiliis, vt in libro de offic. Medici, de locis in homine atque alibi. Sed quicquid factum ſit circa hunc, ego plane nunquam adhibuiſſem repercutientia remedia parti dolenti. Sed inſtituta prius diligenti, atque tenui victus ratione anodyna temperatiſſima adhibuiſſem tam fotu, quam linimento, vt oleum roſatum completum,

completum, oleum lumbricorum anethinum, lac tepidum, quibus non conferentibus statim ad sanguinis missionem magnam nulla re prohibente me contulissem, siquidem aduersus dolores magnos sanguinis missio etiam vsq; ad animi defectum est maxime omnium presentanea medicina, vt Galenus docet primo Aph. in fine vigesimitertii & potius iuxta regulas Hippocratis, & Galeni à pede dextero, quam ab vlla alia parte detrahendum curassem: nec scilicet brachii secta vena à cruribus ad superiores partes impura materia attraheretur, sed potius ad crura vel magis conduceretur, vel saltem ibi retineretur, & hac etiam conferente, cum materia esset deterrima, atq; turgeret secunda die, vel initio tertiæ ad purgationē per pharmacum deuenissem, eo maxime, quod nulla fluentis alui mentio facta ab Hippoc. inuenitur interim prospiciens capiti cum oxyrrhodinis, atq; cordi cum epithematibus cordialibus, quæ duo viscera potissimū à venis, omnibusq; venenosis humoribus petuntur. Vt vberrime docui in Prælectionib. Patauinis de venenis.

HISTORIA TRIGESIMASECVNDA.



N Abderis Periclem morbus cepit acutus continuus cum labore: sitis multa: anxietudo: potum continere non poterat: erat autem subsplenenicus: & capitis grauitati obnoxius. PRIMA *sanguis profluxit ex sinistro, multa quidem febris intensa est, minxit multum, turbidum, album: sepositum non subsidebat.* SECVNDA *omnia sunt exasperata: vrinæ tamen crassæ quidem erant: subsidebant autem magis: & quod spectat ad anxietatem leuatus est: dormiuit.* TERTIA *febris emollita est: vrinarum multitudo: cocta, multam subsidentiam habentes, noctem quiete: circa meridiem sudauit multo calido.* QVARTA *per totum sine febre iudicatus est: non rediit: acutum.*

IN ABDERA PERICLEM, &c. Abdera hæc plane in Thracia erat, non longe à Thaso dissita: ex qua fuit oriundus Democritus Hippocratis præceptor in multis, & Protagoras. Duas autem fuisse huius nominis scribit Stephanus libro de Vrb. alteram in Thracia, alteram Clazomenem à Plinio dictam. De gente Thraciæ dicit Aristot. 15. sect. Problem. in fine tertii Problem. eam ad quatuor tantum numerare nouisse ob memoriæ hebetudinem, exiguique rerum vsum: & de Abderitanis peculiariter relatū est eos fuisse omnium Thracum ineptissimos, vt fere in prouerbium abierit illorum stupiditas, Abderitanę pectora mentis habet, dicebat ille Poeta. Et certe magnam dementiam ostenderunt, cum Hippocratē vocarunt eum curandum tanquam insanum Democritum, qui & doctissimus, & sapientissimus quod esset, eorum fatuitates deridebat. Erat enim aer illius regionis admodum crassus, vt iure dixerit quidam alter Poeta magnam rem fuisse, quod vir insignis vt Democritus potuerit, Veruecum in patria, crassoque sub aere nasci. Periclis nomine vocati complures fuerunt, vt magnus ille Atheniensis Anaxagoræ amicus, sed cum hic ab Hippocrate commemoratus fuerit Abderitanus haud puto ipsum fuisse alicuius famę: eius tamen casus memoria, & cognitione fuit dignus indicatus ob celerem, & tutam iudicationem solo sudore in quarta die factam, atque in morbo, vt dicit Galenus acutissimo, qui medicos imperitos perterrere quidem potuisset, sed non ita peritos, qui poterant conijcere morbum fuisse cito iudicandum, quandoquidem vt videbitis à prima die facta sæua symptomata indies mitiora euadebant; & certe hoc rarum est exemplum quando Galenus quarto Aphorism. 36. narrat sese tāto vidisse morbos peracutos quarta die iudicatos, sed plurimum in quinta per sudorem solutos: imo tertio de Cris. 4. narrat Archigenem medicum à se omnium maxime in plerisq; locis laudatum bis tantū in quarta die factam iudicationē vidisse, atq; ipsummet semel vsque ad tempus, quo eos libros scribebat iam annis confectus, conspexisse. Qui antē ea die vel iudicentur vel pereant docens primo de diebus decr.

cap. decimotertio, inquit, si quis primo die febre acuta infestetur, nullum autem periculosum signum habeat, sed vrinis aliqua coctionis nota insit, non extra quartam diem morbum solutum iri, quemadmodum si multa exitialia primo die statim appareant, haud extra quartam esse periturum. Sed veniamus ad enarrationem, circa quam primum contingit dubitare, quomodo Hippocr. primum recenseat multa symptomata: nempe febrem acutam continuam cum dolore, sitim multam anxietatem, impotentiam continendi potum, capitis grauitatem, lienis tumorem; tamen posthæc, incipit numerare primæ diei symptomata, quasi præcedentia non contigerint prima die, sed ante, & ob id ab ipsis haudquaquam facere oporteat initium numerationis dierum. Ad quam dubitationem dicendum est hæc omnia procul dubio accidisse prima die, verum tunc tantum fecisse eius mentionem Hippocrates, cum voluit commemorare fluxum sanguinis è sinistra nare, quasi id non sit vsitatum, vt prima die febris sanguis è naribus profundatur, quamquam quod pertinet ad lienis affectum, & ad capitis dolores propensionem puto ipsi familiarem extitisse, vnde dicit erat sublienosus, & καρυβαρικός. Itaque prima die febris continua, & acuta cum labore Periclem cœpit, quæ etiam augebatur. Vtrum autem hæc fuerit symptoma consequens lienis tumorem, an vero fuerit formata, atque essentialis, dubitare aliquis posset, verum cum Hippocrates dicat fuisse ὑποσπλήνων, nec sinistri hypochondrii fecerit mentionē, in magnam suspicionem venio haudquaquam lienem fuisse multum affectum, ita vt deberet febrem facere, sed tantummodo aliquantisper tumefactum, atque circa ipsum fuisse putredinis focum, nempe in venis ipsius, & in partibus ipsi circumiacentibus, vt ob hoc facta sit febris magna continua cum siti multa, atque cum capitis aucta grauitate; vbi enim lien laborat, capitis quoque statum euerti certum est, cum Hippocrates scribat secundo de Morb. & alibi lienosis quibusdam fœtere aures, necnon gingiuas abscedere corruptas, & fœtidas, quanquã sexto Epid. sect. secunda, videatur secus sentire, vbi scribit lienosis non fieri destillationes, qua de re alias plura nec inutilia dicam. Cæterum illud quærere oportet, vnde fieret vt statim prima die potum continere non posset, & cur de potu hoc dixit Hippocrates, non autem similiter de cibo? Aliqui putarunt caussam huius symptomatis fuisse, vel intemperiem calidam ventriculi, vel potius tenuem, & multam humiditatem, quæ in lienosis & melancholicis reperitur, vt idem Hippocrates docet quarto de Morb. & sexto Epidem. necnon Aristotel. in Problem. Sed hæ rationes, ac præsertim hæc posterior, quæ ipsis magis probatur haudquaquam mihi possunt placere; non prima, quia in omni febre laborat ventriculus intemperie calida, itaque in omni febre deberet hoc vitium fieri, quod tamen in grauissimis febribus non fit; non etiam secunda primum, quia hic non laborabat multum liene, & forsan non adeo vetusta erat ea affectio: deinde & quia si fuisset lienosus, & humiditate scatens, haud illa erat in ventriculo, vt potuerit vomitum educere, sed in liene, atque in toto. Ergo multo accommodatius mihi videtur dicere, propter ventriculi anxietatem factam ab acribus, & biliosis seu vaporibus, seu humoribus id certe quotidie experimur, vbi ventriculus huiusmodi angore solicitatur, illum frequenter vomere, & iure dixerit quandoque Seneca, vitam cardiaci esse vomere, & sudare. Cur vero solins potus meminit: caussa vera fuit, quoniam Hippocrates febriennibus acute, & præsertim inirio nunquam cibum dabat, sed solum potum, & sorbitiones, vt constat in lib. de vict. acut. atq; alibi, & hoc est, quod ipse dicebat secunda Aphor. vndecimo, facilius esse potu, quam cibis repleri.

PRIMA DIE. Dicebam mentionem facere hoc in loco primæ diei, ne quispiam hæsitaret, quia tunc fluxerit sanguis. Circa quem sciendum est omnes fere textus Græcos habere, quod fluxerit sanguis è nare sinistra, & multa febris sit acuta. At Galenus videtur loco dictionis πολὺς legisse πολὺ, & cõnexuisse cum sanguine, quasi dixerit Hippocrat. multum sanguinis è nare sinistra profluxisse, & ipse certe

amplector magis Galeni sententiam, quia cum contulerit, intempestiua licet, illa sanguinis eruptio, æquum est existimare fuisse copiosam, preterquam quod dictio πολὺς minime videtur bene coniungi dictioni πυρετός, tum quia haud est vsitatus Hippocrati modus ille dicendi: tum quia superuacanea est illa dictio, cum Hippocr. initio dixerit febrem acutam fuisse, & continuam, atq; nunc dicat πυρετὸς ἐξετείνετο, id est, intendebatur, seu augebatur febris. Fluxit itaq; prima die multus sanguis è nare sinistra (quemadmodum vxoris Aristæi fratri, secūdo Epid. sect. secunda,) qui proculdubio à liene prodibat: & tamen non esset in die legitima, & indicatoria, habuit tamen duo bona, & quod fuit copiosus, & quod fluebat κατ' ἴξιν, id est, secundum rectitudinem semper ab Hippocrate probatam, sicut econtra in Prog. & Coac. dicebat malum esse si laborantem liene è dextera nare fluat sanguis, aut econtra. De aluo quomodo sese habuerit haudquicquam dicit Hippocrates. Et certe non solet statim ipsius meminisse, nisi quid obseruatu dignum eueniat, quoniam licet prima die aluus nihil fundat haud vlla est habēda sollicitudo; commemorat autem vrinarum statum: nempe quæ habebant aliquid mali, a quo poterant medici facile perterrefieri: siquidem erant multæ, turbidæ albæ, nec seposito clarescebant, aut quicquā deponebant; cuiusmodi vrinæ omnium turbidarum maxime damnantur à Galeno primo de Cris. cap. duodecimo. Erant autem turbidæ, quoniam fiebat magna in vasis agitatio ob ingentem æstum febrilem: erant albæ, nec subsidebant ob crassitiem, & ob cruditatem; fiebant vero multæ; quoniam lienosi, vt plurimum fiunt ex immodico potu præsertim aquæ, vt ait Hippocrates libro de Affect. vbi etiam scribit optimum esse si vetus aqua ad vesicam conuertatur: preterquam quod, vt sæpe dixi, Hippoc. quarto de morbis non semel dixit lienem esse aquæ locum, & aliqui lienosi qualis Bion, secūdo Epid. sunt copia vrinarum liberati.

Secunda die. Notat Galenus hunc ægrum & si celeriter iudicatum habuisse exacerbationes parib. diebus; siquidem dixit Hipp. secunda die fuisse cūcta exacerbata: quarta vero fuisse iudicatum: nam eadem die homines seruantur quia pereunt: seruantur autem, vel moriuntur diebus accessionum, & exacerbationum, vt sæpe docuit Hippocrates, & præcipue quarto de Morb. sed diceret aliquis, quomodo cuncta sunt exacerbata, cum habuerit vrinas meliores, quam prima die: anxietas sit mitigata, atque dormiuerit. Res ita sese habuit, quod initio secundæ diei facta est febris maior, quo tempore illius erat vigor, vel saltem augmentum, quo transacto circa meridiem, quia natura coquebat strenue, mutatæ sunt vrinæ, ex turbidis enim & absque vllo contento factæ sunt crassæ tantum, atque cum sedimento maiore; quod autem circa meridiem facta sit mutatio ad melius potest inde coniici: quia quarta die circa meridiem morbus est iudicatus: iam vero eadem hora solent fieri iudicationes, qua antea factæ sunt mutationes: nec quicquam obstat quod Hippocrates dixerit prima die nullum habuisse sedimentum, qui nequeat dici secunda habuisse maius, quoniam est modus loquendi Hippocratis, atque etiam aliorum, vt interdum cōparatiuo pro positiuo vtantur, præsertim quando positiuum aliquid excellentis habet, vt in proposito casu, quo secunda die vrinæ satis euidens habuerunt sedimentum, alioquin minime quarta die fuisset integre liberatus. Quia ergo coctio satis erat progressa, non est mirum si symptomata mitigabantur, vt anxietas, quam dicit fuisse leuiorem factam: haud namque poterat ex toto auferri, cum adhuc fieret coctio, quæ dum, fit semper dolores, & febres fieri maiores quam ea iam consummata scribit Hippocrates secundo Aphor. quadragesimo septimo, qua etiā ratione dormiuit nocte. At si fiebat coctio, & hæc dum fit dolores, aliaque mala fiunt semper maiora, quam iam ea perfecta, quomodo igitur dicit Hippocrates hunc ægrum alleuiarum esse, nec non dormiuisse; Respondendum est dupliciter vno modo dum fit coctio, posse fieri comparationem, vel ad antecedentia eam, vel ad consequentia; si ad consequentia fiat, semper accidentia illius sunt grauiora, atque sic loquitur Hippocrates dicens dum fit pus esse

maiores dolores, quam eo iam facto, sin fiat comparatio ad antecedentia potest es-se vt ea sint maiora, sicut initio augmenti cnm vix inchoata est coctio, quam dum ea & incboata, & longe progressa est, vt accidit Pericli nostro. Possumus alio modo respondere alia esse symptomata coctionem sequentia, alia vero naturam morbi, seu salutis, vel mortis, vt dicunt medici; priora sunt semper maiora dum fit, at non inconuenit, quin ea quæ morbi naturam consequuntur sint minora, nempe cum quo magis coquitur morbificus humor, eo quoq; morbi natura mitior euadat.

TERTIA DIE. Quod secunda die incboata non modo esset coctio, verum etiam progrederetur, maiorq; semper fieret docuerunt, quæ tertia die contigerunt, quandoquidem febris mitigata est: vrinæ multæ, necnon coctæ fuerunt, & cum multo sedimento; nox quieta fuit: & certe vt dicit Galenus poterat quiuis mediocriter peritus medicus prædicere cito futuram crisin, postquam iam certissima consummatæ coctionis argumenta apparebant, atq; vt dicere solet Hippocr. coctio semper securitatem, & iudicii celeritatem inducat: rem vero ita sese habuisse euidentissime demõstrauit quarta dies, in qua scribit Hippocrates Periclem sudasse sine febre fuisse iudicatum, neque reuertisse morbum: atq; eum fuisse secundum cõstitutionem sui acutum. Circa quæ omnia paulisper nec sine aliquo fructu immorandum, & quod attinet ad sudorem, is habuit quatuor conditiones optimo sudori ab Hippocrate primo libro Prognost. tributas, fuit multus, calidus, per totum, & febrem abstulit. Et hoc potest esse exemplum rarum ob crisis modum, cum Galenus tertio de Crisib. dicat, rarius fieri perfectas crises solo sudore. Atqui huius caussa fuit, quoniam febris biliosa erat ex genere ardentium, quæ ob materiæ putrescentis tenuitatem consueuerunt per sudorem finiri, sed multum quoniam materia crassa vbi est conuertenda in vaporem, & ex vapore in aquam, operæpretium est semper in decuplum augeatur, iuxta proportionem transmutationis mutuæ elementorum, quæ dum inter sese transmutantur, semper ex vna terræ parte fiunt decem aquæ, & ex vna aquæ decem aeris. Facta est crisis potissimum circa meridiem, quia ea pars diei cunctarum est calidissima, & maxime sudoris generationi accommodata, quippe, cum tunc corpora sint maxime laxa, & aperta, ob quam rationem Aristo. secunda Problem. penultimo, dicebat nos magis æstate quam hyeme sudare, & Hippocr. secundo Epidem. dicebat meridiem correspondere æstati, & vespetam autumno. Cæterum cur Hippoc. non contentus dixisse sine febre iudicatum esse, addidit (non rediit,) & cur in fine adiecit patticulam ὀξύ. Ad primum dicendum est dictionem illam ἄπυρος ἐκρίθη ita esse intelligendam, perinde ac si Hippocrates dixerit ipsum fuisse iudicatum à medicis, quod esset sine febre: Etenim qui perfecte iudicantur, semper fiunt sine febre, vnde non videtur Hippocrate dignum dicere fuisse quempiam perfecte iudicatum, & factum sine febre, quasi possit cum perfecta iudicatione esse febris: eapropter, quia potuisset timeri, ne huiusmodi celeritas iudicii fuisset intempestiua, at propterea rediturus fuisset morb. addere voluit febrem haudquaquã rediisse, docẽs scilicet semper coctionem perfectam esse securissimam, quantumuis celerrer fiat: Facit quoq; ad simile propositum, quod Hippocrat. dicebat sexto Epid. sect. tertia Aph. 11. scilicet omne suppurans esse absq; recidiua, quoniam simul coctio est crisis, & abscessus. Quodq; ab Anic. videtur confirmatum secunda quarti tr. primo, cap. decimoseptimo in fine, vbi exituras ait esse longinquiores in recidiua, quæ reperiuntur. Ad aliud Galenus, vt alias dixi huiusmodi particulas in fine historiarum appositas habet suspectas, tamquam ab aliis fuerint additæ, vt multa alia: Sed si concedatur eam vocem vere esse Hippocraticam: dicerẽ addidisse eam Hippocrates ne quispiam, quia cito fuisset seruatus Pericles, propterea existimasset ipsum nõ laborasse acuto morbo: etenim charácteres acuti morbi duo sunt velocitas motus, & salutis periculum, quod fuit quoq; in Pericle saltem prima die, quando tot grauia symptomata sibi conrigerunt. Nunc de curatione aliquid dicatur: in quainstituenda primũ victus ratio renuissima in morbo acutissimo erat præscribenda, s. solus prisanæ cremor, vel succus

feminum

seminum melonum cum aqua: deinde facta sectione venæ statim secunda exhibuissem multum aquæ gelidæ ad extinguendum ilico æstum febrilem, nisi tamen affectus ille lienosus prohibuisset, si enim Hippocrates in exhibēdo sero lactis, vult semper, vt excipiantur, qui natura sunt lienosi, multo magis quoq; excipi debent in tradenda aqua, & certe postquam adeo cito Pericles fuit iudicatus rationi consentaneum à medicis aliquod graue remedium fuisse administratū, quod potuerit subito furentem morbum compescere, quamquā vt alias dixi, non soleat Hipp. curationem, & remedia narrare, nempe cuius scopus sit vnam historiam, videlicet, prout res contigerunt posteris scriptas relinquere: & certe vbi febris ardens est cū vomitu billioso, qui simul etiam faciet anxietatem efficacissimum esse, & præsentaneum præsidium aquæ frigidæ (etiam non expectatā coctione,) exhibitionem haud semel vsu com peri. Vtrum autem medici medicamentum vllum purgatorium administrauerint, minime audeo asseuerare, seu negare, quia cum tertia die fuerint vrinæ perfectæ coctæ, potuerunt medici purgationem aliquam exhibere, ope cuius leuata natura reliquum materię morbificæ, quod in vniuerso corporis ambitu tenebatur, depulerit per sudorem, atq; ita liberatus sit cito: potest similiter fieri, vt absque vlla alia purgatione natura initio sanguinis è nare sinistra fluxu, & vrinis turbidis leuata, deinde sequente materiæ coctione integram iudicationem fecerit, ita vt non amplius reuerteret morbus.

HISTORIA TRIGESIMATERTIA.

IN Abderis Virginem, quæ decumbebat in via sacra febris ardens corripuit: erat autem sitibunda: & vigil: descenderunt vero muliebria primum ipsi. SEXTA *anxietas multa, rubedo, horrida, inquieta.* SEPTIMA *per eadem vrinæ tenues quidem, sed boni coloris: quæ ad aluum pertinent, non turbabant.* OCTAVA *surditas febris acuta: vigil, anxiosa, horrida mente constabat, vrinæ similes.* NONA *per eadem & sequentibus: sic surditas perseuerabat.* DECIMAQVARTA *mens turbata, febris remisit.* DECIMASEPTIMA *è naribus fluxit multum, surditas parum remisit, & sequentibus, anxietas: surditas inerat, & delirium.* VIGESIMA *pedum dolor, surditas, delirium: fluxit sanguinis parum è naribus, sudauit, sine febre.* VIGESIMAQVARTA *febris reuertit, surditas iterum, pedum dolor, perseuerauit: mentis alienatio.* VIGESIMASEPTIMA *sudauit multum sine febre: surditas defecit, pedum submanebat dolor, in aliis autem perfecte iudicata est.*

IN ABDERIS VIRGINEM. Multorum Abderitanorum cum Hippocrates historias narret, fit vt suspicor tunc illos vidisse, cū fuit vocatus tanta medicinæ opinione ab Abderitanis ad curandum Democritum: id enim vsuuenit, vt cum aliquis celebratus medicus ad aliquam vrbem accersitur, omnes fere illius ægri ad eum accedant. Vtrum autem hæc fuerit virgo, quia deuouerit virginitatem Diis Deabusq;, vt facere etiam veteres solebant: an vero ita vocetur, quia nondum esset viro copulata, haud multum interest scire: sicut neque nomen proprium ipsius, cum scriberet habitationem, atq; vt alias dixi, haud vellet nomina mulierum præsertim virginum dicere; neque forsan ob molestiam scire. Satis est simpliciter dixisse fuisse virginem, quia ad cognoscendam affectionem, & ipsius caussas maxime virginitas pertinebat, quippe cum, vt ipsemet Hippocrates testatur libro de Morb. virg. & de Morb. mul. diuersis morbis soleant, quæ nunquam virum cognouerunt à defloratis tentari. Quæ autem fuerit via sacra, in qua dicit habitasse hanc virginem, scilicet an similis, atq; illa Romæ, an vero aliqua regio vrbis Abderitanæ ita vocata parum refert, nisi forsan dicamus eum locum nominasse, quod esset ob frequentia tem pla virginibus sacris destinatus, vel quemadmodum scribit Festus, ex caussis propter quas fuit Romæ via sacra vocata

eam fuisse, quia per eam sacrificia in templum Capitolinum gestabantur sic fuerit Abderis. Hanc ægram tantum sexta die ab Hippocrate fuisse visitatam, ex eo conijcere licet, quod pauca admodum commemoret ante eam diem: & certe cum tunc fluerent menses, atq; plerisq; soleant durare tribus diebus nolnerunt mulieres asciscere medicum, priusquam muliebria desiissent: quamquam potest etiam fieri, vt hæc purgata sit quinque vel sex diebus, quod vbi contingit morbum denuntiari scribunt Hippoc. primo de morb. mul. & Arist. septimo, de hist. anim. cap. primo. Ætas quæ fuerit, ipsius videtur statim docere voluisse Hippocr. cum dicit ipsi primum fluxisse menses, id, quod fieri consueuit fere omnibus circiter decimumquartum, vel decimumquintum ætatis annum, quam quam non diffiteor vltra etiam nonnullis, produci: & miror quosdam non intellexisse, quid hic significet vox illa πρώτον interpretantes Hippoc. quasi dixerit in prima inuasione morbi muliebria profluxisse. Cum enim dixerit fuisse virginem, valde verisimile est dixisse primum tunc sibi fluxisse muliebria, id quod non sine ratione adnotasse puto, q; compluribus virginibus quando primum fluere incipiunt menses, morbi grauissimi contingere soleant, vt quæ ad libidinem incipiant vehementer concitari, ob q; Aristot. septimo, de Hist. anim. cap. primo, dicebat eo tempore esse magna diligētia custodiēdas: nam infra ægro antepenultimo, quæ est virgo Larissæa vtitur simili phrasi dicens, tunc primum fluxerunt menses, cum esset virgo, & certe cum Hippocrates dicat tunc primum sibi fluxisse menses videtur indicare serius, quam par fuisset, cœpisse fluere. Redeo autem ad historiæ examen: Hanc virginem dum sibi primum menstrua fluerent, cœpit febris acuta, & ardens, ob quam sitiebat vehementer, nec dormiebat Galenus paucissima de hoc casu scribit, nisi quod ægra ex plenitudine laboranit, & quantum ex iis quæ contigerunt, initio coniici poterat, aliquem forsan suspicaturum fuisse, illam interituram. Mihi quoq; placet hāc virginem sanguinis plenitudine laborasse, atque id ipsi accidisse, quod forsan paulo plus dilata esset menstruorum eruptio, scilicet circa decimumseptimum, vel decimumoctauum, aut vigesimum ætatis annum, vt, veluti nuper dicebā, quasi rem inusitatam significaturus Hippocrates dixierit, tunc primum descendisse sibi mēstrua. Quomodo vero genita sit sibi febris acuta, atque ardens, non est arduum comprehendere: siquidem copiosus sanguis cumulatus, ac violentia quadam a natura extra propulsus, incalescere vltra modum cœpit: incalescentiam facile sequuta est putredo tum ob copiam, tum ob diutinam, & præter naturalem retentionem; à putredine in toto, & præsertim circa vterum & viscera facta est febris acuta, & ardens, cuiusmodi solent esse, quæ copiosi, & biliosi sanguinis putredinem sequuntur: Febrem autem magnam & ardentem, vigilias, atq; sitim inducere nemo ignorat Medicus.

SEXTA. Visitauit hanc virginem Hippocra. tantum sexta die, ab hac ad nonam singulis diebus: à nona vsq; ad vigesimamseptimam singula quaq; quarta. An vero præter sitim, & vigiliam totis quinque prioribus diebus alia symptomata affuerint, haud dicit Hippocr. & non est à ratione alienum, quamdiu profluxerint menses sola memorata effatu digna euenisse: quandoquidem huiusmodi fluxus solet abducere vapores, & succos a toto ad vterum: at iis finitis sanguinem, & succos alio conuersos per corpus praua alia symptomata attulisse, nimirum anxietatē multam rubedinem, horrorem, & inquietudinem, seu membrorum iactationē, etenim verbum ἀλύουσα sic potius interpretandum est, vt Galen. in ling. quām mœsta, quemadmodum faciunt alii nonnulli: est enim differentia inter ἄσσην & ἀλυσμὸν, quod illa faciat ægrotantes angi, & vix respirare posse ἀλυσμὸς vero huc atque illuc corpus moueri, nec quietem vllam reperire. Hæc ergo virgo febre acuta, & ardente laborans cum non amplius menstrua haberet, quorum exitu declinarentur alio succi, & vapores putridi, sicq; tranquilliorem statum redderent: hi cōuersi ad stomachum pepererunt ἄσσην seu anxietatem, & angustiam: sublati in faciem illum ruborem induxerunt, quemadmodum percellentes cunctas corporis sensibi-

les par-

les partes illum horrorem, illamq; inquietudinem faciebant. Sed dicet aliquis, cur potissimum in hac muliere commemorauit rubedinem faciei, quod non solet facere; & si verisimile sit, & vsu probatum hoc symptoma complurib. febricitantibus contingere? An forsan in hac muliere maxime erat illa rubedo, vt propterea fuerit digna memoratu? nam in virgine repleta sanguine, & cui primum tunc fluxerunt menses, atq; fluere desierant, facile fuit in caput, & præsertim ora sanguinem restagnare ac ruborem inducere: est enim vt ait Arist. nona Prob. tertio rubedo sanguinis concursus, quam rubedinem solent, eo magis virgines cōtrahere, quod suapte natura sint pudibundæ: propterea; sanguis in ipsis faciem impetere sit suetus. Etenim pudentes erubescere & Arist. vndecima, Probl. 53. & quotidiana experientia docent: cuius rei caussam indagans Alex. 1. Probl. 15. duo dixit, vnum est naturam suopte naturali, non voluntario instinctu, quod verendum, & honorandum est refugere, vt faciunt puellæ, quo tempore sanguis intro impetuose tractus nec ibi cōsistere potens, remeat ad vultum. Alterum est aliquos existimasse naturam sese pudentem copia sanguinis tegere velle; sicut pleræq; etiam pudentes ob id manum vultui apponunt, & exemplum affert pudicarum nobiliumq; puellarum, quæ iccirco facilius cæteris pudore, & rubore afficiuntur, quod quæ reuerenda conspiciūt, ab illis natura sese trahere cupiens sanguinem concitet, & in vultu rapiat, vbi oculi sunt qui potissimum pudori occasionem præbent. Erubuit mulier seu lacte purpura mixta, dicebat Ennius.

SEPTIMA. Habuit vt notat Galen. hæc ægritudo vt criticæ periodi manifestæ fuerint, cum natura in ea præostenderit signa, & symptomata critica: etenim & si dicat in hac die fuisse eadem, quæ antea, cum tamen etiam dicat vrinas fuisse tenues, atq; boni coloris, ratione tenuitatis, vt ait Galenus, indicabatur morbi longitudo, bonus vero color monstrabat iam cœpisse naturam coquere materiam morbificam. Sed quid voluit significare cum dixit, quæ circa ventrem non turbabant? Puto voluisse significare aluum quidem fuisse aliquantisper solutam, sed non ita vt incommodaret.

OCTAVA. Octaua dies, vt paritate correspondebat sextæ, sic etiam cum ipsa proportionem habuit, quod symptomata, quæ nec pauciora, nec meliora fuerunt, nisi quoq; fuerint deteriora: nam rubor faciei, qui signum erat sanguinis caput petentis fuit, simul signum prognosticum surditatis futuræ extitit, aut alterius similis capitis ægritudinis; siquidem facere solet illius copia vbi sursum fertur, vt male audiamus, quod pori auditorii crassis vaporibus repleantur: Neq; etedo integram fuisse surditatem, sed auditum potius imminutum. Et Aristot. 32. Probl. primo, dicit aures esse calidissimas (quæ sententia valde suspecta medicis est,) vnde sæpe vsu venit, vt rubor faciei ad aures confugiat, tum quia tanquam ad partes propinquas, tum maxime, quia aures sunt temporibus valde propinquæ, per quas feruntur humores à partibus infernis ad supernas. Febris quoque aucta est, & vigiliæ permanserunt, cum horrore, & anxietate: quasi vero prius horror factus sit, motis humoribus acribus per partes sensibiles: mox iidem humores seu ipsorum vapores os ventriculi petentes anxietatem genuerint, simulque febris acuta sit. Veramtamen bene intelligebat, & vrinæ erant similes præcedentibus nempe tenues, atque boni coloris: Et adnotandum est Hippocratem voluisse obseruate, quod non delirasset octaua, quia certe mirum erat, surditatem cum rubore vultus, non secutum esse delirium aliquod, at id forsan contigit, quoniam sanguis benignior erat, quam vt posset cerebri temperamentum ita peruertere, vt præcipuam ipsius actionem læderet, præter quam quod facilius fuerat, sanguinem à vultu ad aures, quam ad cerebrum diuertere, quas scimus etiam faciliter tam in pudore, quam aliis affectibus rubere, vt testatur Aristot. 31. Probl. tertio & trigesima-secunda, primo.

NONA. Nona atq; etiam sequentibus diebus vsq; ad vigesimam quartam scribit eodem sese habuisse modo: peculiariter autem surditatem perseuerasse, quasi vero

vero obseruatu res digna sit in febre acuta, aliisq; symptomaticis diebus perdurare surditatem, neque mentem labefactasse.

DECIMA QVARTA. Inter signa decretoria commemorantur quoq; deliria, & certe in omnibus pene magnis euacuationibus, aliisue eruptionibus, quæ solent aliquo modo critico fieri, videmus quotidie delitia subsequi, scilicet commotione illa humores agitati in cerebrum vapores mittunt, qui illum statum peruertentes mentem offendunt. Sed quo pacto fieri potuit, vt in Crisi licet obscura & imperfecta decimo quarto die facta potuerit simul remitti febris, & delirium, quod non ante apparuerat fieri: nam dum febres sunt in vigore, tunc maxime accedentia, atq; deliria augentur: contra inclinante febre cuncta solent mitigari. Dicendum est decimaquarta die fuisse sane factam aliqualem motionē criticam, verum satis rudem, atq; imperfectam, quod nec ante ipsam visum sit quicquam noui factū à nona vsq; ad decimamquartam: vnde non inconuenit, quin ratione illius surditatis perseuerantis à cerebro noxa aliqua communicata sit, quæ non formatum delirium, sed τὰ τῆς γνώμης ταραχώδεα, id est, mentis perturbationem pepererit, & nihilominus putredo in hypochondriis sit nonnihil placata, simulq; febris remissa: vt enim diuturna illa surditas haud amplius ab infernis fomentum suscipiebat, sed à materia circa aures potissimum existente conseruabatur, pariter illa malum poterat cerebro communicare absq; quo ab inferiorib. partibus noua per febrem materia suppeditaretur, quæ delirium efficeret.

DECIMA SEPTIMA. Quod sæpenumero diximus id quoque nunc placet repetere Hippocrati, vbi protrahebantur morbi nō conuenisse adnotare nisi quæ diebus iudicatoriis, & decretoriis contingebant: vt in hoc ægro apparet, in quo post nonam & consequenter vndecimam decimæquartæ symptomata proposuit, & nunc decimæseptimæ, in qua dicit multum sanguinis fluxisse, & nonnihil remisisse surditatem; sed dubium est, quemadmodum parum surditas remiserit, siquidē Hippoc. quarto Aphorismo sexagesimo, & in Coac. scribir in surditate sanguinis è naribus fluxum, & alui fluorem eam soluere. Dico propterea Hippocratem voluisse hoc adnotare, quoniam sibi quoque mirum videbatur non esse solutam surditatem ex multo fluxu sanguinis: caussa autem fuit, quia non fluxit intempestiue, scilicet non apparente coctione in vrinis, vnde non fuit vere criticus: verumtamen diebus sequentibus vsque ad vigesimam habuit anxietatem, surditatem, & delirium. Quod enim surditas fieret à sanguine, vt retro diximus ex hoc quoque monstratur, quoniam exeunte è naribus copioso sanguine illa imminuta est: quod pariter huiusmodi fluxus sit præmonstratus tum ab ipsa surditate, tum à rubore faciei, tum postremo à delirio, id quoque perspicuum est, cum hæc ab Hippocrate, & Galeno inter alia signa futuri sanguinis è naribus fluxus etiam recenseantur. Et quamquam decimaquarta, factum delirium sit, attamen perdurauit vna cum surditate, merito cuius illud esse potissimum factum ducebamus; cumque redierit anxietas, verisimile est quoque in hoc critico motu, aliquam materiam saltem vaporosam esse ad ventriculum declinatam: vbi illius os lædens anxietatem induxerit.

VIGESIMA. Vigesima quæ vltimus acutorum terminus est, quæque similiter decretorii vim habet, nō exigua habuit obseruatu digna, in primis fuit pedum dolor: circa quem videtur dubitandum num vere vocandus fuerit podagricus; siquidem ex vna parte cum durauerit, etiam post iudicationem, & in reliquis acquisitam sanitatem, non alius videtur esse potuisse, quam podagra facta abscessus ratione. Sed ex alia parte non videtur talis fuisse, quoniam Hippocrates sexto Aphoris. vigesimonono, scribit mulierem podagra non laborare, nisi menstrua ipsi defecerint, idque verum fuisse ipsius Hippocratis tempore non autem in posteriori ob singularem omnium luxum, non modo scripsit Galenus: verum alii plerique scriptores, & præ cæteris Seneca, qui Epist. nonagesimasexta damnans mulierum vitia, inter alia dicit mulieres tempore Hippoctatis, non laborasse podagra: ve-

gra: verum sua tempestate ob mutatos mores, ac vitam; non autem naturam passim tentari consueuisse. Respondendum est dupliciter, vno modo dolorem quidem podagricum fuisse, & licet tunc habuerit ęgra menstruas purgationes, attamē fuisse tardas, vt dicebam; ac propterea facta in corpore repletione podagrico dolori esse datam occasionem. Sic enim concedit Hippocrates, mulieres tentari podagra, vbi purgationes haud fluunt: vt deberent, perinde namq; est eas vel nō profluere, vel diminutas esse, atq; in incipiendo tardare. Possumus alio pacto respōdere non fuisse vere dolorem podagricum, ꝙ dolor haudquaquam articulos, sed totū ipsum pedis corpus occuparet, atq; factus esset natura ipsa morbificus suo ꝓprio robore ad partes extremas propellente, vnde iure merito & surditas, & delirrū intermiserunt, scilicet abducta materia morbifica, & præsertim sanguine illo impuro à supremis ad infimas partes: qui tamen quoniam haud totus potuit deorsum ferri, factum est vt illius pars è naribus proruperit, ac sudauerit: ex quibus omnibus soluta est ad tempus febris, atq; imperfecta crisis secuta est.

VIGESIMAQVARTA. Medicus etiam mediocris facile putasset ex toto morbum fuisse vigesima die finitum, quandoquidem factus est abscessus ad infimas partes sudauit, desiit febris, surditas, delirium, atq; hęc omnia vigesima die decretoria contigerant. Verum deerat vnum maximi omnium momenti, nempe, coctio in vrina, quam hactenus perseuerasse boni coloris, sed tenuem, quod signū plenitudinem, & cruditatem significat, facile possumus conicere ex eo, ꝙ Hippocrates illius mutationis ab octaua die haud meminit; non insolens tamē meminisse, quando in ipsa mutatio vel ad bonum, vel ad malum fit: eapropter deficiente coctione haud mirum est, si crisis non fuit secura, imo vigesimaquarta die febris rediit, necnon surditas, atq; mentis alienatio, non tamen insignis, sed tantum παρέργως etenim relicta illa materia cruda, vbi cœpit putrere, & ad coctionem aliquā properare, factum est rationabiliter, vt symptomata ea sint secuta, quæ suppurationem, atq; coctionem comitari dicebat Hippocra. quæq; simul futuram meliorem crisim prædicunt. Atq; ob hoc factum est vt vigesimaseptima, quæ est primus septenarius à vigesima non modo sudauerit, ac reliquiæ surditatis, & delirii sint finitæ, verumetiam omnia alia perfecte sint iudicata, excepto dolore pedum, qui adhuc post iudicationem relictus est: atq; idem factum fuit, vt morbus sit solutus: nam petiit Caluus Larissęus, quia dolor geni non permansit, sed recessit statim, sicuti alii omnes, quibus recessus fit ab inferiorib. partibus ad superiores. Verū quęret aliquis non immerito cur cum adeo perfecta sit facta iudicatio, dolor tamē ille pedum remansit? Cui respondendum est propter tres caussas dolorem pedum non fuisse cum aliis symptomatibus finitum: vnam, quia copiosa fuit materia, & crassa, quæ vt discutiatur longo eget tēpore. Alteram, quia pedes sunt remotissimi à fonte caloris, & propterea frigidi, ob quod facultas eorum haud ita cito potest materiam morbificam superare: vnde Aristot. secunda, Problem. 26. dicebat pedes minime omnium sudare, quod quoq; facit ad impotentiam consumend. humores. Tertiam, quoniam vt scribit Hippocrates, & obtutus ipse docet pedes compositi sunt multis ossibus, multisq; neruis, atque aliis partibus duris quæ faciunt, vt materia semel iis infixa haudquaquam cito, & faciliter queat inde elidi: quæ pariter caussa est, cur pedibus etiam nudis incedentibus nihil deteratur, & tamē soleæ ferratæ consumantur: quibus illud quoq; accedit pedibus ægris ob situm decliuem assiduo nouam materiam suggeri, proptereaq; ægre, & non nisi longo tempore eorū mala finiri. Sequitur curatio, quam, certum est debuisse adhiberi, sicut cæteris acutis, atque ardentibus febribus: & in primis victus totus debet esse insigniter calefaciens, atque refrigerans cum vini abstinentia, atque vsu ptisanæ, & aliorum ciborum humectantium, & refrigerantium: pro potu aqua, vel hordei, vel anguriæ potius quam simplex refrigerata fuisset eligenda & Auet. libro septimo, cap. duodecimo, curationem febris ardentis instituens, inquit meliorem esse aquam anguriæ, quam refrigeratam aquam niue cum citius calefiat hæc, nec quicquam nutrimen-

nutrimenti, vel sanguinis correctioni conferat. A prima vsque ad sextam si profluxerint menstrua, secundum rationem par est existimare de sanguine mittendo nil fuisse cogitatum; sin vero tardius, atque minus quam debeant, menses redierint sane statim de sanguine mittendo deliberari oportebat, prius, scilicet lenita aluo, postquam non erat sponte citata: deinde secta vena tali, aut poplitis, ab eaque misso sanguine ad vnam, vel alteram heminam vna aut pluribus vicibus, imo si, vt Galenus existimauit, plenitudine abundabat sanguinis in imminuto menstruorum fluxu plus etiam sanguinis fuisset detrahendum, tum coctioni erat incumbendum, atque viarum apertioni per decocta ex oxalide rad. petroselini cap. veneris, & similibus aliis accommodatis. Interim quia ex rubedine, & surditate apparebat, sanguinem in caput non absque impetu aliquo ferri, frictionibus, & cucurbitulis tam scarificatis, quam siccis, nec non blandis ligaturis fuisset ille impetus comprimendus: cumque aluus haudquaquam flueret, & vrina licet tenuis, attamen esset boni coloris, aliquam leuem coctionem significantis, plane transacta saltem decimaquarta die purgassem ichores biliosos medicamento aliquo cholagogo, atque denuo grauioribus incubuissem in humorum efficaciorem præparationem, atque apertionem. Interim ventriculo linimentum ex oleo masticino cum puluere corallorum administrassem propter illas anxietates sicut ad surditatem oleum amygd. ad summum amaratum; etenim in delirio, vt in febre acuta calidiora fuisse vitanda omnes intelligunt: sic ad delirium lenia, & simplicia oxyrrhodina conuenissent; quamquam leuem insaniam, & à sanguine, & febre enatam sperandum fuisset absque multo labore, vt contigit, esse finiendam. Cæterum dolori pedis dum febris & morbus adhuc durabant sola mitigatoria potius relaxantia quam vllo modo repercutientia congruebant, vt prius simplex lac, vel pane trito mixtum, aut aqua tassi barbassi tepida, vel oleum lumbricatum: nam Galenus libro Meth. vndecimo, cap. vigesimo, dicit Medicos sæpe prouocare podagram, vt febri fomentum eripiant. Post iudicationem vero paulo audentius aduersus dolorem contendi debebat lauacris ex decocto maluæ, lapathii, rosarum, & vnctione ex oleo anethino, vel camomelino, vel oleo luteorum oui, & in declinatione doloris posca, aut vinum, aut marina, vel salsa aqua magnam vtilitatem præstitissent, tum in finiendo dolore, tum in desiccandis, atque confirmandis pedibus: Illud certe verissimum est. quod de seipso tradit Auer. ex febre, scilicet ardente factum fuisse arthriticum, & forsan etiam præsenti mulieri diu permansit pedum dolor.

HISTORIA TRIGESIMAQVARTA.

IN ABDERIS *Anaxionem, qui decumbebat ad Threicias portas febris acuta prehendit: lateris dolor dexteri continuus, extussiuit sicca. Neque expuebat* PRIMIS *diebus; sitibundus Vigil, vrinæ boni coloris, multa, tenues.* SEXTA *delirus: ad fomenta vero nihil remittebat.* SEPTIMA *laboriosi: nam febris intendebatur: & dolores non remittebantur: tussesque infestabant: difficulter respirabat.* OCTAVA *cubitum secui, effluxit multum, quale oportebat: remiserunt quidem dolores: attamen tusses siccæ pergebant.* VNDECIMA *remiserunt febres, parum circa caput sudauit: adhuc tusses, & quæ à pulmone humidiora.* DECIMASEPTIMA *cœpit pauca, & cocta expuere, alleuiatus est: sitibundus autem erat, & à pulmone haud bonæ purgationes.* VICESIMA *sudauit, absque febre post crisim vero leuatus est.* VIGESIMASEPTIMA *febris rediit, tussiuit, reiecit cocta, multa, vrinis subsidentia multa, alba sine siti factus est: somni.* TRIGESIMAQVARTA *sudauit per totum. Sine febre iudicatus est omnino.*

IN AB-

IN. ABDERIS Anaxionem. Complures in hoc libro commemorat Abderitanos Hippocrates fortasse (vt retro etiam dixi) quia, cum is ad curandum Democritum ab Abderitanis fuit accitus multos etiam alios ibi curare fuit coactus, quemadmodum sæpe numero contingit, vt cum aliquis magni nominis Medicus in celebrem Ciuitatem vocatur, quicunque in illa sunt ægrotantes à simili medico curari cupiunt, & certe hoc videtur admodnm verisimile, vt potius tunc omnes Hippocrati curare contigerit, quam vt diuersis temporibus ad vnumquemque curandum iuerit, quam Medicus tantæ grauitatis adeoq; occupatus haud abundanerit, ita ocio, vt potuerit huc, atque illuc ad medendum ventitare sicuti faciunt mercenarij. Sed vtrum hoc, vel illud fuerit, parum interest. id certe non est ignorandnm, si vllus est ex ægrotantibus ab Hippocrate relatis, qui à Galeno sit frequenter commemoratus. atque quotidie in ore omnium versetur, certe est hic Anaxion, cui, vt audietis secta fuit vena die morbi octaua, secus quam ipsemet Hippocrates iubet secundo aphorism. vbi scribit, si quid mouendum in principio moue: & quamquam de eo nil aliud Hippocrates dicere potuisset quam proprium ipsius nomen, quod, quia rarum est satis esse poterat ad demonstrãdum virum, cum forsan nullus esset alius in his regionibus, qui ita vocaretur, sicut simile nomen apud alium scriptorem non ita facile reperire conceditur, nihilominus voluit quoque apponere habitationem, forsan ad significandam aliquam morbi occasionem, quod sæpe facere, vel saltem interdum solet, vt Galenus insinuat libro de linguis in voce Stymargi. Habitabat, itaque Anaxion ad portas Thracias, hoc est, illas, quæ ducebant in Thraciam: prope portas autem solet gens vilior atque inops habitare. De tempore nil dixit, quia facile intelligi poterat fuisse hyemem, quoniam vt ipsemet docet tertio aphorism. vigesimotertio hyemalis morbus est pleuritis, imo Galenus in cõmẽtario inquit Hippocratem in eo aphorismo non facere mẽtionem aliorum temporum, quia pleuritis, & peripneumonia, sunt proprij morbi hyemales, nec communes aliis temporibus, & fiunt, ait Galenus quia à frigore spiritualia læduntur. Consimiliter non meminit ætatis, quia pleuritis vera raro fit in alia ætate quam virili, vt liquet ex Hippocrate, & Galeno tertio aphoris. trigesimo. Ad hunc vel non vocatus fuit nisi sexta die, vel si vocatus est, non accessit ad eum, nisi semel quinque illis diebus, qui sextam diem antecessetant. Habuit hoc tempore febrem acutam, lateris dexteri continuum dolorem, atque tussim siccam cum siti, & vigiliis, atq; anhelitus difficultate, quæ omnia symptomata poterant vnumquemque docere, Anaxionẽ vera pleuritide laborasse: nec quicquam obstat, quod Hippocrates haud meminerit anhelandi difficultatis, quæ alias ab ipso in libro de acutis, in quibus de hac sola, & peripneumonia fere semper loquitur, inter signa illius morbi pathognomonica recẽset, quoniam, vt scribit Galenus secundo de Difficul. respira. cap. octauo. cum necessario difficultas respirandi sequatur pleuritidem nec ea in Anaxione quicquã peregrini, vel rari haberet, haud voluit statim commemorare: quamquam nominarit sitim, quæ necessaria non est, nec non vigilias, & vrinarum statum: sic etiam quarto, de caussis pulsuum, inter signa pleuritidis recensuit delirium, & quoniam pleuritis est morbus frequẽtissime à Medicis tractatus; & satis frequenter contingens ipsum paulo accuratius, & diligentius examinare oportunum erit, tum quoad partem Theoricam, tum etiam quoad Practicam. Et primum quoad nomẽ scribit sæpe Galenus vt septimo aphorism. quadragesimosecundo. & quarto aphorism. sexagesimosexto. & secundo, de diff. febr. ac tertio, in primum Epid. Veteres non appellasse febres huiusmodi morbos, sed pleuritidas: quoniam illæ sunt pura accidentia essentiam tamen morbi constituentia: nec valet, nominasse Hippocratem hic febrem, atque etiam ante dolorem, quoniam fieri potest vt prius febre laborarit, quam dolorem sense it. Latini modo vocant nomine Græco, modo lateris dolorem dicunt. Serenus telum appellari dicit forsan imitatus Hippocratem. Qui secundo de acutis scribit pleuriticos vocari βλητοὺς, id est percussos, quia vbi fit morbus, ibi apparet stygma, & ve-

luti vibex quidam, ac si ibi percussionem accepisset. Barbari pleurisin potius dicunt. Est autem pleuritis citra omnium controuersiam inflammatio illius membranæ, quæ costas subcingit, qua in re differt à spuria pleuritide, quæ quidem non est inflammatio, sed tãtum dolor lateris factus, vel ab humore aliquo, vel à flatu distendente, & à suo loco prædictam membranam diuellente: & quamquam huiusmodi inflammatio fiat circa partes internas costarum, fit etiam interdum & circa externas, quæ tamen haudquaquam legitima est appellanda, vt altera: adeo vt pateat locum affectum nullum aliud esse, quam membranam, & costas. Modus generationis idem est, qui & aliarum inflammationum transmissio, scilicet sanguinis à venis extra venas, eiusq; accensio & putrefactio. Certum enim est in venis esse sanguinis locum, ac propterea in ipsis proprietate loci cõseruari, extra vero ipsas corrumpi: Cæterum quia sanguis, qui facit malum, interdum purus est, interdum biliosus, vel pituitosus, vel melancholicus, inde fit, vt inflammatio, seu pleuritis a medicis interdum dicatur esse sanguinea, interdum biliosa, vel pituitosa, vel melancholica. Sed oritur dubitatio hoc in loco, vtra pleuritis sit periculosior, an sanguinea, an biliosa: nam Hippocrates tertio de morbis inquit, biliosam pleuritidem esse mitiorem nec lethalem; sanguineam vero esse fortem dolorosam & lethalem. Contra sexto Epidem. commen. tertio, Aphorism. vltimo, & tertio commen. in libro de hum. text. 33. dicit sanguinem pleuritidem prohibere missionem sanguinis, quam sententiam exponens Galenus dixit, sanguinem haud mitti in pleuritide sanguinea, quia mitissima est, ita vt magno remedio non egeat. Dicendum est, sanguinem facientem pleuritidem, vel esse paucum, vel mixtum aliis humoribus, sed superabundantem, atque de priori loqui sexto Epidem. de posteriori autem tertio de morbis, sicuti etiam loquitur Celsus, vbi dicit quarto libro, cap. sexto, ex sanguine pleuritidem esse grauem. Sic itaque patet, quæ sit affecta sedes, & quæ caussa continens, nimirum sanguis transmissus & incensus. Caussæ vero transmittentes, vel sunt internæ, siue προηγουμέναι, vel externæ, internæ sunt plenitudo sanguinis, aptitudo thoracis, sexus, & ætas siquidem scribit Cœl. Aurel. libro secundo acut. cap. 13. mares magis, quam fœminas, & senes magis iuuenibus, & pueris pleuritide tentari. Externæ vero sunt complures, quæ omnium diligentissime & copiosissime proponuntur à Cœlio Aureliano & Aretæo, & forsan quia multæ caussæ possunt hanc inflammationem facere, atque locus maxime aptus est ad patiendum ob situm, vocem, atq; respirationem: atque hinc fit, vt frequenter pleuritis à Medicis conspiciatur, vt iure merito dixerit Galenus duodecimo Meth. pleuritidem & dysenteriam habere signa maxime omnium scientifica, sunt autem signa illa quatuor. Quibus constituitur hic morbus, febris, acuta, dolor lateris, tussis, & difficultas anhelandi: cætera vero addita à Galeno, & ab aliis, nempe pulsus serrinus, delirium, sitis, vigiliæ sunt, vel comitantia, vel superuenientia. Iam vero vt de Anaxione loquar, quæ fuerint caussæ antecedẽtes & externæ sui mali haud cõstat; potuit esse tamen labor nimius, vociferatio, nec vero aer frigidus lædens spiritalia, vt ait Galenus vini potus; & notandum est apud Aristot. tertia sect. Problem. primo licet verum sit pleuritidem, fieri à potu vini ibi tamen non quadrare, cum non sit affectus frigidus, sed loco eius legi debere περιψύξεως, vt à Galeno colligitur secundo de temperamen. sed quæcunq; fuerint, primum facta est febris acuta, quoniam, cum inflammatio esset in dextera laterum parte, & iocinori, & cordi, ac septo transuerso communicata est faciliter accensio per putridos & accẽsos vapores, qui assiduo suppeditati cordi assiduam quoq; febrem faciebant, quemadmodum quoq; continuus erat dolor, eo quod attracta vi caloris semper noua materia, nouam nec intermissam continui solutionem inducebat. Cæterum id quærere oportet, vtrum primo contigerit febris, an dolor: nam si seriem Hippocratis perpẽdamus, plane videtur febris eum in prima corripuisse. Ex altera parte, vt etiam retro dixi, est Galenus septimo Aphorism. quadragesimosecundo, & quarto Aphor. quadragesimoquarto, & secundo de differen. morb. qui dicit veteres febres pleuritidis,

ritidis, & phrenitidis non appellare febres, eo quod sint potius symptomata: iam vero symptomata sequuntur morbum, sicut vmbra corpus. Pro resolutione dicere oportet, aliud esse recitare symptomata aliqua morbi, aliud quærere naturam eius: quando veteres quærebãt naturam pleuritidis, & similium morborum, nunquam appellabant febres, iam vero Hippocr. qui sibi proposuit recensere symptomata ægrotantium, prout sibi accidebant: narrabat prout accidebant; quare cum Anax. primo apparuerit febris, quam dolor, hinc est, quod primum eam commemorauit. Cur vero potius factus sit dolor in dextera, quã in sinistra parte fuit caussa aliqua particularis, alioquin pars dextera ob viciniam iocinoris magis calefit, magis exercetur, proptereaq; promptius materia in parte dissipatur, ita vt nõ facile in ea generetur pleuritis, sed frequentius in sinistra, quemadmodum testati sunt Ruffus Ephesius, & Razes. Et quando generatur salubrior est, vt ait Auicennas, attamen longior, qualis hæc, quamquam, vt dicebat Hippocrates tertio de Morbis, quando robustiores sunt dexteræ partes sinistris, tanto etiã fortiores morbi in his fiant. A quo vero sanguine facta sit in Anaxione pleuritis, non multo negotio coniici potest, tum quia, vt scribit Galenus primo, Aphorism. duodecimo, & quinto de locis affect. quarto, necnon Auicen. decima, tertii cap. de pleuritide, plerumq; fit à sanguine bilioso: tum quia sitis, & vigiliæ, ac delirium, quæ superuenerunt Anaxionis satis docere poterant materiam peccantem fuisse sanguinem biliosum: Tussis pariter facta est, quoniam, cum affectus sit in parte septo, ac pulmonib. proxima ii læsi, atque læsionem à sese depellere conantes mistum illum excitant, interdum tam grandem & interiora diuelli iudicantur, qui motus ab Hippocrate in Coacis prædictionibus (quicquid alii dicant) nuncupatur σπάσμα, vbi dicit pleuritidem spasmate tutiorem esse, eo quod huiusmodi diuulsio, & vehementer tussis haudquaquam fieri potest absque robore facultatis in quo certum est sitam esse omnium pleuriticorum salutem; præterquam quod multo melius huiusmodi pleuritis suppurata expurgatur. Hæc vero tussis, quæ pathognomonicum est signum pleuritidis, interdum sicca est, interdum vero humida: sicca est, quando aut nihil aut exiguum, quid & crudum cum ipsa reiicitur: humida vero quando vel sanguis purus, vt in mitissima quemadmodum Galenus sexto Epidem. sectio. tertia, vltimo, nec non commen. in libro de hum. eiicitur, vel bilis, vel pituita, vel melancholia: & si, vt dicit Galenus frequentius fit tussis cum excrementis liquidis & primo spumosis, deinceps sanguineis, postea fellosis, vt ait Cœlius, ac saniosis, seu purulentis: caussa vero ob quam sicca fit tussis à Galeno secundo, de crisi duplex proponitur, vel materiei crassities, & visciditas, vel nimia ipsius tenuitas ob quam irritat quidem naturam, sed eius expulsionem refugit. Erat autem tussis Anaxionis sicca, nec primis diebus quicquam expuebat: sed dicet aliquis, cur Hippocrates non contentus fuit dicere, tussim fuisse siccam, sed voluit addere, nihil primis diebus expuisse? cui responderi potest, particulam vltimam esse prioris explicatiuam, perinde ac si dixisset, fuisse siccam tussim; hoc est nihil prioribus diebus expuisse: vel possumus dicere, quod quoque superius dicebamus, scilicet quandoque etiam dici tussim siccam quando exiguum quid expuitur, vnde volens eam excludere penitus, addidit non solum exiguum non expuisse, immo nihil omnino.

Siticvlosvs. Galenus secundo de Diff. resp. cap. octauo scribit sitim pleuriticis, neque necessario, neq; vt plurimum cõtingere, ac propterea Hippocratem tanquam rem haud vsitatam voluisse hic commemorare: sed hoc apud me non est ita tutum asseuerare, primum, quia idem Hippocrates in libro tertio, de Morbis, loquẽs de sicca pleuritide inquit, eas habere opus multa per potũ humectatione, & cum sicca sit lingua in omni pleuritide, febris acuta, & in spiritalibus incendium ingens, quomodo fieri potest vt non sitiat? nisi dicamus, vt Cœlius Aurelianus, initio pleuritidis minime fieri sitim, at peiorante (vt loquitur ipse) passione fieri linguam asperam, & siccam, ac propterea sequi sitim (vt ipsa experientia do-

 cet) &

cet) & vna cum siti vigilias, quemadmodum verisimile est, contigisse Anaxioni saltem paulo ante sextam diem.

VRINÆ. Certe si ipsius pleuritidis ideam spectemus, haudquaquam vrinarũ inspectio vtilis est; siquidem vrinæ statum venarum indicant, & pleuritis est morbus extra venas positus, nil autem cum venis communicat membrana cingens costas, sed quamquam non conferat vrinæ cognitio ad ipsius pleuritidis essentiam indagandam, conducit tamen ad febrem, & ad statum corporis cognoscendum, qui vtrum bonus vel malus sit, maxime refert ad salutem, vel necem prædicendas; quã prædicendi & præcognoscendi disciplinam hic docere sibi Hippocratem proposuisse testatur Galenus. Habuit itaq; Anaxion ante sextam diem vrinas multas, atque tenues, sed boni coloris: erant multæ forsan, quia multa potatio pleuritidi occasionem præbuerat, quam ipsemet Hippocrates lib. de Affectionib. docet interdum esse caussam huiusce morbi: vel quia pars materiæ euacuabatur per vrinam, vt quandoq; solet hisce in casibus contingere. Erant tenues ob cruditatem, erant tamen boni coloris, quoniam febris nil habebat peregrinum, sed erat purum symptoma ipsius inflammationis.

SEXTA. Galenus 4. de causis pulsuum, cap. 8. scribit nunquam fieri, quin in pleuriticis, & peripneumonicis caput lædatur, quod humorũ fuligines in inflammationibus putrescentium suscipiat, quæ si biliosæ, atq; acres sint mordicant, erodunt, atq; cerebrum irritant, ita vt ad delirium perducant: quod etiam confirmat quinto de locis Aff. quarto & secundo de diff. resp. octauo, vbi loquẽs de hoc Anaxionis casu dicebat delirium non fuisse proprium aliquem morbum, sed affectum solummodo accessorium ad pleuritidem fortem, siquidem in fortibus pleuritidibus fiunt deliria.

AD FOMENTA. Hippocrates lib. de acutis, vbi instituit curationem pleuritidis, vult statim fomentis siccis, aut humidis tentandam esse doloris placationẽ, quæ si non succedat ad alia remedia esse deueniendum vel purgatina dolore ad hypochondria inclinante, vel ad sanguinis missionem. Cur igitur in Anaxione facta sint sexta die fomenta non potest vlla maior afferri ratio, quam quod vel hoc non ab Hippocrate, sed ab adstantibus factum sit: vel quia Hippocrates tardo vocatus haud omnino voluerit suas leges omittere, vt scilicet primo tentaret doloris per fotus sedationem simulque experiretur, an esset à flatu morbus, vel ab aliquo alio vitio; vnde postquam exploratum est dolorem non remitti à calefacientibus fotibus, simulq; septimam fuisse laboriosam, quod febris acuta fuisset, dolores acerbiores facti tussis vehementior vna cum anhelandi difficultate; iam tatus morbum nõ à flatu, sed ab humorib. calidis fieri sese octaua die ad missionem sanguinis contulit; quod existimandum est non fecisse septima, neque sexta, quia eo tempore tantummodo vocatus, maluit suis legibus in libro de victu acutorum traditis vti, scilicet tentari discussionem, & morbi naturam explorare, præsertim cum septima dies sit decretoria, & in ea fecerit symptomata omnia exacerbata, quæ potius vacationem à magnis remediis postulabant, quam illorum administrationẽ: & sane magis mihi placet existimare, quemadmodum, (vt puto) existimauit Galen. Hippocratem vocatum esse sexta die, quam octaua, cum diligenter narret, quæ in ea, & septima contigerint, quod haud solet facere, nisi quando ipsemet ægros visitabat, vt sæpenumero dixi. Sed dubitabit aliquis, quomodo idem Hippocrates libro de Affectio. velit calorificis extrinsecis vtendum esse solum, quando pus excerni incipit. Cui respondeo, id esse intelligendum de valde calorificis, & iis, quæ non ob sedandum dolorem, sed ob euacuandam materiam iam coctam adhibentur: hinc licet cognoscere male agere Medicos illos, qui statim atque pleuriticos vident, venam secant, Hippocrates enim & si vocatus sexta die, nihilominus voluit fomentis vti, licet sibi cognita esset pleuritis, & duos dies tardare, prinsquam ad secandam venam accederet. Dicit itaque Hippocrates, postquam cognouit vllis fotibus non mitigari dolores sexta die, & septima viditq;

viditq; cuncta symptomata pleuritidis naturam constituentia esse mirum in modum aucta, scilicet dolorem, febrem, tussim, anhelandi difficultatem & præterea vigilias, atq; delirium, sese curasse, vt cubiti vena pertunderetur, ex qua multum effluxit, quemadmodum opus erat; dixit secui, non tantum, quod & ipse manu operaretur, quemadmodum faciunt Chirurgi, sed vt sui, ipsius audaciam, vel potius in exercenda arte cōfidentiam ostenderet: siquidē pauci Medici in morbo graui, & qui iam octo dies durauerat, sanguinem mittere vena secta ausi essent. Non dicit à qua parte, quoniā cum dolor esset in dextero latere, poterat vnicuiq; manifestū esse, venam debuisse ab eodem latere pertundi, cum ipse in libro de acut. morb. vic. rat. statuerit magis præsentaneum, & magis vtile esse, ita facere, quam ex aduerso latere sanguinem mittere, præsertim cum morbis iam esset progressus. Neque dubitandum, quin hoc fluente aluo prius clysterem infundendum mandarit, aut abstinuerit propter inediam antegressam. De quantitate sanguinis haud aliud dicit, quam fuisse tantam, quantam oportebat, vsque, scilicet ad mutationem coloris ipsius sanguinis donec rubicundior exiret, aut pro puro, & rubro linidus vt ipsemet præcepit secundo de acut. text. decimo, & Hippocrates voluit potius ita loqui, quam sanguinis mensuram determinatam dicere, vt moneat nos; haud posse mensuram, certam præfiniri, sed tutiorem aliis modum esse, vt mittatur quantum oportere iudicabit præsens Medicus, vt docet quarto acut. text. 19. 24. & 25. Galenus circa hanc rem vnum dicit non absque animaduersione prætereundum, nempe Hippocratem, neque in primo libro Epidem. neque in hoc tertio haud vnquam alias, quam in hoc loco sanguinis missionem meminisse, & si certum sit si hoc in casu octaua die misit, magis id facere debuisse secunda vel tertia, vel quarta quando opportunius est; sed tantum eum distulisse iam diximus, quia tarde adscitus est, nempe sexta solum: & placere mihi non potest eorum sententia, qui dicunt distulisse sanguinis missionem vsque ad octauam, quod præuidisset morbum futurum longum: nam licet id concedamus, non debebat tamen differre, quod ipse alias statim faciendum iudicauit, vbi magnus est morbus. Et vires validæ, vt quarto acut tex. vigesimoquarto, & vigesimoquinto. Fuisse autem id prudenter ab Hippocrate factum demonstrauit ipsa curatio, siquidem remissi sunt dolores, eo quod detracto sanguine, & loco affecto nonnibil euacuato, illa tensio quæ dolorem faciebat, est imminuta: Nam Galenus primo Aphorism. in fine dicit in maximis doloribus nihil esse efficacius missione sanguinis vsque ad animi deliquium, & quinto Epidem. hist. sexto scribit dolorem, quem pharmaca tollere non potuerant, sustulisse sanguinis missionem copiosam, & in ventriculo imbecillo. Extussire, & nihil spuere pergebat, cum materia cruda nondum ad maturationem peruenire cœpisset: vnde iudicaudum erat, morbum hunc protractum iri debere, postquam nec dum octaua coctio erat inchoata, & Galenus primo, Aphorism. duodecimo, producens totam hanc historiam docet vbi tertia, vel quarta die incipiunt apparere sputa ad summum finiri morbum decimaquarta vel vigesima, sin minus tardius necessario solui. Et non solum remissi fuerunt dolores ob sectam venam, verumetiam ipsa febris non parum mitigata est vndecima die, quo tempore ipsum visitauit: quod enim alias diximus Hippocratem, in plerisque ægris fecisse, vt solummodo eos ob ingentes occupationes diebus iudicatoriis, atque decretoriis visitaret, id quoq; in Anaxione fecisse clatum est: ex quo conijcio, ipsum non fuisse sibi intimum amicum, nec forsan vlla claritate insignem: Nonnulli putant, teste Galeno, Hippocratem etiam ante octauam secuisse venam, sed illius tantum octaua meminisse vt indicaret id factum præter consuetudinem, atque etiam esse faciendum postulante vsu; sed quod id dicat Galenus in hoc Commentario baud videre possum, imo solo eo die dicit secuisse venam: sed errant etiam ii putantes Galeno posteriorem fuisse Celsum, qui vixit circiter Neronis tempora, vt exquisite ab ipsomet Galeno libro decimo med. local. colligitur. Vndecima ergo die remissa fuit febris, & parum circa caput sudauit: tusses adhuc perseuerabant, & quæ à pul-

mone exibant humidiota erant. Quod Hippocrates dicebat numero plurali febres esse remissas, pnto rationem fuisse, quia voluerit intelligere non modo illius diei, verumetiam subsequentium fuisse remissas; siquidem tunc etiam expuere incœpit, quod antea non contigerat: sudor vero in capite fuit, quoniam vt dicebam, ex Galeno in pleuritide semper caput afficitur ratione inflammationis, à qua fugitet vapores in ipsum attolluntur; & licet Hippocrates in Prognost. damnet capitis sudores, haud tamen hi soli sunt ita lethales, vt coniuncti cum aliis signis saltē medioctibus nequeant promittere salutem. Tusses porro perseuerabant perseuerante inflammatione, necnon pulmonum læsione; qui tandem cœperunt humidiora transmittere antea erant tusses siccæ, quæ vel nihil vel exiguum, atq; id siccū, neq; ex vomica educebant, vndecima autem euacuari cœpit ipsa vomica, & primū tenuiorem emittere materiam, quæ attracta in pulmones, & ab his in asperam arteriam transmissa tussi excreabatur: ob id namq; Hippocrates dixit pulmonib. reiecta fuisse humidiota, quoniam via educendi à latetum vomica purulentas, aliasve materias, est quam dixi per pulmones; raro autem per vrinas, aut per alunm fit huiusmodi excretio: & si quando fit est per venam illam magnam aiugon, quam perreptare dorsum ex ipsa anatome cognoscitur: verum in pleuritide semper sunt attendenda, quæ à pulmone educuntur.

Decimaseptima. Ab vndecima transit Hippocrates ad decimamseptimam, prætetiens decimamquartam, quæ tamen solet in pleuritide esse contemplabilis, imo vero & critica: caussa huius forsan fuit, quod perrexerint in ea, quæ apparuerant vndecima. Nam tunc cœperunt rudimenta conspici coctionis & vomicæ curationis, quas lente processisse ex eo colligere possumus, quod febres non essent, vt antea vehementes & remissiores; neq; tusses admodum graues: itaque iure omissa decimaquarta, ait Hippocr. in decimaseptima cœpisse, quæ prius humidiora per tussim expuebātur, aliquantisper cocta reiici, & propterea ægrum leuari: est enim salutis & alleuiationis omnis vis pleuritidis posita in expuitione: & certe medicus solers potuisset hac die conicere trigesimaquarta Anaxionem liberatū iri debere, quoniam semper ab ea die in qua incipiunt pleuritici concocta expuere, totidem dies insumuntur in expurganda integre vomica totoq; morbo finiendo, vt si quarta die incipiunt, septima finitur malum, si septima est initium expuitionis, decimaquarta est finis, atq; sic de singulis; quod ita esse potius obseruatione, quam ratione fuit ab Hippocate compertum. Et notandum est non dixisse Hippocratem ægrum hunc simpliciter expuisse cocta, sed cœpisse parum cocta expuere, quia licet nonihil fuisset leuatus, attamen sitiebat, nec adhuc illa sputa erant ita conferentia, quemadmodum expetebatur: Fiebat vero sitis ob expuitionem, ob quam exeuntibus humidiorib. succis, & pulmones, & fauces exsiccabantnt, vt verum esse appareat, quod tetro dicebam ex Cœlio Aureliano in pleuritide non fieri necessario, nec vt semper sitim in pleuritide, sed in progressu morbi asperam, & siccam fieri linguam, sicq; consequenter excitari sitim. Non erant autem admodum vtiles à pulmonibus factæ expurgationes, quoniam erant pauca, quæ excernebantur, & parum cocta, sed illud tamen habebant boni, quod significabant naturam robustam esse, atq; materiam morbificam coquere, & superare.

Vigesima. In pleuritide hac duo erant mala, febris scilicet & inflammatio, seu, vt loquitur Auicennas, calidum apostema; & febris, quæ in die vndecima erat remissa, in vigesima; quæ est ipsius dupla per sudorem fuit dissoluta, & æger leuatus est post hanc crisim, quam sic appellat respectu ipsius febris, non autem respectu pleuritidis, nempe quæ haud sudore, sed sputo tantum iudicari potest.

Vigesimaseptima, à vigesima est septima vigesimaseptima, in qua voluit Anaxionem visitare Hippocrates ratus aliquid noui fuisse necessario appariturum, tum ob pleuritidis naturam quæ solet per septenarios circuitus insignes facere mutationes, tum etiam propter ipsiusmet diei vim; & sane spes eum non fefellit,

fellit, quandoquidem cum solo sudore desisset febris, non potuit illa crisis non esse imperfecta, vnde iure illa non redijt nō tam ob tusses, & iugem expurgationem, quàm quia relicta erat materia, & in venis, & præsertim in vomica, quæ nouam putredinem concipiens febri occasionem amplam præbebat: est enim verissimus Aphorism. duodecimus libri secundi, & secundi Epidem. quæ relinquuntur in morbis, recidiuas facere consueuere. Nec solum febris reuerterat, verum etiam (ait Hippocrates) tussiebat: sed ad quid (diceret aliquis) Hippocrates hoc dixit, quod sæpenumero etiam dixerat, & quod vnusquisque etiam vel mediocris medicus poterat intelligere necessario affuisse? Respondendum est, id Hippocratem dixisse, vt significaret magnam & frequētem tussim habuisse, quod inde colligitur verum fuisse, quoniam cocta, & multa expuebat, quæ sane haudquaquam possibile erat excerni è pulmonibus, nisi assidua & magna tussis affuisset, atque hoc est, quod voluit dicere Hippoc. in Coacis prænotionibus scribens pleuritidem cum spasmate esse tutiorem quam sine spasmate, appellans scilicet spasma (vt retro dicebam) eam vehementem in tussiendo concussionem & musculorum thoracem mouentium, veluti lancinationem qua ægri dicunt sibi pectus rumpi, & ob quam, cum fiat insignis à pulmonib. expulsio materiæ purulentæ, dubio procul tutior est quam tussis mediocris, qua non ita egregia fit expurgatio: quam quam possimus dicere etiam pro spasmate intelligere fracturam ipsius membranæ succingentis costas, qua multo melius materia crassa, & purulenta euacuatur, quam per resudationem, qua tantummodo ichorosa, tenuis, non autem crassa excerni potest.

3 VRINIS. Dixi spectari in pleuritide vrinas non ipsius ratione, sed pro totius corporis statu cognoscendo, qui si bonus est non necessario salutem pollicetur, licet bonum significet, sicuti si malus est, necessario semper malum significat. Itaq; ad securitatem finis morbi totius erat non tantum expurganda vomica, verum etiam extinguenda penitus febris: neque huius poterat sperari secura dissolutio, nisi vrinarum coctio visa esset, vt in lib. de Crisib. luculenter docuit Galen. Igitur iure Hippocrates eas diligenter obseruare voluit, vt posset de perfectione crisis, quæ trigesimaquarta expectabat, certitudinem habere: & ob id dixit vrinas habuisse subsidentiam multam & albam, quæ condiciones coctionis argumenta sunt, ad quam postea sequuntur alia bona, vt carere siti, atque dormire: & notandum est prudenter Hippocratem dixisse vrinis, & non vrina, quoniam ad testandam coctionis perfectionem, atq; securitatem haud sufficit vt vna vel altera tantum vrina habeat huiusmodi signa, sed necessarium est ea in multis perseuerare: quod debet medicis esse documentum, vt prius quam iudicium verum salutis, vel mortis faciant, signa mala atq; plura, vel bona obseruent, eaq; animaduertant, num in multis perdurent. Cum ergo Anaxioni à vigesimaseptima vsq; ad trigesimamquartam apparuissent signa coctionis in vrina atq; sputis, eaq; non semel, at sæpius fuissent obseruata, non sine caussa in ea ipsa trigesimaquarta, quæ est dupla decimæseptimæ cuncta sunt indicata, hoc est, fuit facta perfecta crisis etiam ipsius febris, quæ sudore vniuersali præcedente soluta est. Sed dicet aliquis, cur Hippocrates de crisi febris per sudorem est locutus, de crisi pleuritidis non, quæ tamen erat præcipuus morbus? Respondetur per sputum non fieri veras crises, quia non affatim exit, sed paulatim: cognoscitur autem solutio symptomatum cessatione, & præsertim difficultatis anhelitus, & sitis, vnde dixit factum esse sine siti, & bene spirantē. Atq; hic fuit finis optatus, sed forsan non speratus ægritudinis Anaxionis, qui cū pleuritide laboraret, nec à principio, vt decebat, curatus ab Hippo. fuisset, nihilominus incolumis euasit. & quod mirādum est, trigesimaquarta die, cum Hippoc. quinto Aph. octauo, scriptū reliquerit pleuriticos factos si quatuordecim dieb. per superiora, id est, per tussim nō expurgentur, fieri empyricos, quod etiam de peripneumonia dictum est in Coacis prænotionibus: & quamquam dies illi quatuordecim essent numerandi à sputorum apparitione, haud tamen solent sputa in vera pleuritide adeo tardo apparere: præterquam quod, cum in Anaxione apparuerint decimaquarta,

cruda, & decimaseptima cocta, debebat ea ratione morbus finiri ante trigesimam. Cæterum quærere aliquis posset, cur toties Hippoc. commemorauerit sitim, quia Cœl. Aurel. lib. 2. acut. cap. de pleurit. scribit sitim non esse proprium signum pleuritidis: Dicendum Hippoc. hoc fecisse vt morbi magnitudinem indicaret: nam vbi pleuritis magna est, non modo sitiunt ægri: verum etiam vinum appetunt, eo q; rebus dulcib. vtantur. Focusq; sit prope pulmones, ob quos animalia sitire prodiderunt Homerus, Aristot. & Plutarchus. Modo de curatione loquẽdum, quæ initium semper debet sumere à victus ratione tenui; haud tamen ita tenui, quin vires possint conseruari, quandoquidem, cum opus sit expurgatione per tussim, atq; hęc non fiat sine robore, iure dicebat Gal. salutem pleuriticorum totam esse in virium robore collocatam. Vnde Hippoc. semper vtitur ptisana, vel integra, vel colata, in lib. de vict. acut. in quibus sibi & pleuritidem, & peripneumoniam proponebat. De potu videtur interdum Hippoc. indulsisse vinum, at id intelligendum est iã morbo sese remittente, & expurgationis necessitate postulante, ob quam dulce vinum prębet. Iam vero instituto victu, si initio medicus fuisset accersitus, nec aluus fœces contentas reddidisset cum clystere, aut glandib. mouere oportuisset; tum statim ad fomenta primum blandiora, deinde grauiora deuenisset, iuxta Hippo. formam primo de acutis; his non conferentib. ad sanguinis missionem fuisset deueniendũ: quo in casu litigatum est an semper sit mittendus sanguis, & à quo latere: in qua re Arabes & eorum sectatores olim putarunt à latere opposito esse mittendum: Alii sequentes Hippoc. & Galenum potius à lateris affecti brachio: Alii in principio sequuntur Arabas, post principium Græcos, sed puto rem ita esse decernendam: vt secundum Hippoc. præceptum animaduertatur, vtrum dolor pertendat ad iugulum, an potius ad hypochondria: si enim ad hypochondria dimissa sanguinis missione, accedendum est ad purgationem, eo quod huiusmodi dolor non fit ab inflãmatione, neq; vera pleuritis est, sed fit ab humore pituitoso in illis costatum extremitatibus contento atq; dolorem faciente: qua de re fusius disputatum est à nobis in lect. Bononiensib. librorum de victu acutorum. Si vero dolor tendat ad claviculam, quia tunc vera est pleuritis, hoc est, inflammatio, cui semper coniuncta est faltem particularis repletio sanguinis, ad sanguis missionem deueniendum est, eaque facienda à parte lateris affecti, vt s. simul euacuetur, & deriuetur à loco inflammato: quantitas autem esse debet vsq; ad sanguinis mutationem, hoc est, quantum citra detrimentũ ab ægrotante substineri potest: idq; ab Hipp. factum esse non dubito, cum dicat effluxisse quantum oportebat. Porro facta sanguinis missione, cum dolores essent remissi, atq; tusses siccæ: hoc est, frequens tussis sicca affligere pergeret, erat studendũ materiæ maturationi linimento. Ex oleo seminis lini, amygdalarum dulcium, butyro, succo brassicæ, altheæ: intus tum lambitiuis, tum liquorib. paulatim & guttatim deuoratis: & quo tempore cœpit sputum humidum. Tunc lambitiua expectorantia erant præscribenda ex amygdalis, saccharo violato, loch farfare, pini, addẽdo semper aliquid oxymelitis, vt s. magis tussis irritetur, sine qua à pectore nulla fieri potest expurgatio: sic enim dicebat Auicennas omne studium medici eo esse conferendũ, vt sputi reiectio facilis reddatur, quod fit (quemadmodum dicebam) & lambitiuis, & liquoribus, veluti sunt syrupi de hyssopo, de liquiritia, de iuiubis, de cap. Veneris, & huiusmodi aliis, theriacam, diatessaron, puluerẽ dentis apri, & papaueris puluerem rubri laudant pleriq;, quod arcana proprietate quadã conferant. De purgatione per aluum haudquaquã tractandum erat: q; Anaxion sola pleuritide nec vlla praua febre principali laborarer. Imo cum Hippo. hac in historia nunquam excrementum alui meminerit, quod rarissime facit, in eam suspicionem venio, ipsum haud multum curasse in pleuritide alui subductionem: quippe quod sexto Aph. 16. scripserit, si peripneumonia, aut pleuritide laboranti diarrhœa superuenerit, malum esse: veruntamen neq; hoc penitus negligendum duco: sed vbi aluus non respondet clysteribus, aut glandib. agendum est; quemadmodum Hippo. fecisse in lib. acutorum comperimus. Aduersus sitim etiam quan-

doque strenue cōtendere oportet, quoniam præ illa, & otis siccitate fit necessario, vt maiori difficultate expuatur, quod esse omni solicitudine cauendum exploratissimum est, vt propter hoc expediat sæpe sitim demulcere, & fauces irrigare aqua hordeacea cum passulis aut iniubis, vel cum modico iulapio violato acetoso, aqua pectorali vocata, aut simili alio potus genere. Plerique pleuritici consueuerunt vinū maximopere appetere, & non rari sunt reperti, qui illud expetentes, & potantes nō multo post interierint: cur autem ita pleuritici cupiant vinum, etsi alias disputauerim, nunc tamen illud sufficiet dixisse, vti pleuriticos rebus dulcib. & emplasticis, quæ ipsis faucib. adhærentes nec sitim extinguentes, faciunt, vt quopiā desideretur, quod possit altius penetrare, abstergere, & humectare cuiusmodi est vinū: præterquam quod id etiam dicere possumus, quod ait Plutarchus in quæstionib. naturalib. ex sententia Mnesithei medici, nempe, quod appetentias temperamenta, & hæc morbi comitentur, proptereaque eos seruari, qui in peripneumonia cœpas, interire qui ficus appetant.

HISTORIA TRIGESIMAQVINTA.


N Abderis Heropythus caput, dum erectus degeret, laboriose habuit: non multo autem tempore post decubuit: habitabat proxime superiorem plateam: febris prehendit ardens, acuta: vomitus: secundum initia biliosorū, multorum: siticulosus: multa ferendi morbi difficultas: vrinæ tenues, nigræ: enæorema sublime, quandoque quidem: quandoque autem non: noctem laboriose: febris alias aliter exacerbata: vt plurimum inordinate: circa vero DECIMAMQVARTAM *surditas, febres, extendebantur: vrinæ per eadem.* VIGESIMA *multa delirauit, & sequentibus.* QVADRAGESIMA *è naribus sanguis fluxit multum, & sapiebat magis: surditas inerat quidem, minus autem: febres remiserunt, sanguis fluxit sequentibus, sæpe, & paulatim: circa vero* SEXAGESIMAM *sanguinis quidem fluxiones cessarunt, coxæ autem dexteræ dolor fortis: & febres intendebantur: non multo autē tempore post dolores inferiorum omnium: contigit autem vel febres esse maiores, & surditatem multam, vel hac quidem remittere, & alleuiare: inferiorum autem circa coxas maiores esse dolores. Iam vero circa* OCTVAGESIMAM *remiserunt quidem omnia: sed defecit nihil: vrinæ enim & boni coloris, & plures subsidentias habentes prodierunt: deliriaque minora fuerunt: Circa vero* CENTESIMAM, *aluus multis, biliosis superturbata est, & procedebant tempore non exiguo multa talia: & rursum dysenterica cum dolore: aliorum autem commodus status: in totum vero, & febres defecerunt, & surditas sessauit: in.* CENTESIMA *perfecte iudicatus est. Causus, &c.*


N Abdetis Heropythus. Vt dicebam, in hac postrema historiarum parte tot Abderitanos recenset Hippocrates, vt existimem tunc fuisse in ea ciuitate, cum hæc scriberet, & forsan eo tempore, quo ad curandum Democritum fuit vocatus. Est enim satis longa, sed breuissime tractata à Galeno, qui scribit hunc casum illud habuisse mirum, quod vsque ad centesimum diem potuerit æger grauissimo morbo sufficere. Præsentis ægri Hippocrates non solum nomen apponit, verumetiam ciuitatis, & ciuitatis locum vbi habitabat. Nomen erat Heropythus, quod eum non reperiatur vspiam alias scriptum, quid aliud de ipso dicam non habeo; & certe si rarum nomen fuisset hoc in ea regione, haud oportebat, vt Hippocrates illius habitationem ad ipsum magis significandum commemorasset: quæ habitatio erat πλησίον τῆς εἴνω ἀγεγῆς, siue, vt ipse, lego τῆς ἀγεῆς, id est, supra plateam superiorem: verisimile namque est Abderam plures habuisse plateas, seu fora, quorum alterum superius, alterum inferius diceretur; partes autem superiores, & montanæ ciuitatum solent semper salubriores esse, ob quod dicebat Plutarchus in Rom. probl. Æsculapii templum in montibus extra vrbem fuisse ædificatum; imo & ob hoc, & ob euitandas aquarum inundationes semper existimaui veteres delectatos esse vrbes in montibus extruere. Ætas ægri non ponitur,

ponitur, verum coniicere licet, eum fuisse in ætate vigente postquam (vt ait Galenus) non potuit euadere nisi ob ingens virium robur, & quia semper bene appeteret, atque faciliter respiraret: quæ duo ad salutem vim maximam habent. Sed hæc nil, aut parum ad historiæ enarrationem referunt. Heropythus autem dum erectus ambularet, suaq; munia consueta obiret dolore capitis tentatus est; siue vt loquitur Hippoc. κεφαλὴν ἐπιπόνως εἶχεν, id est, secundum caput laboriose seu dolorose habui; qui labor tandem eum decumbere coegit, non multo tempore post à decubitu vsque ad decimamquartam diem multa sibi euenerunt, quæ confuse satis ab Hippocrate narrantur; & certe vix aliud exemplum reperiemus, cuius res ita sint tractatæ à prudentissimo sene; & ipse non possum existimare Hippoc. aut accitum esse tantum die decima quarta, aut ægrum ipsum post primam diem non amplius nisi decimaquarta ipsum inuenisse; vnde in clinat animus, vt suspicer fuisse scriptorib. ò missas aliquot dierum notas, quod quidem facile est, cum eas sæpe Hippocrates vno tantum elemento notaret, quod facile est obliterari vel præteriri: Sed vtcunque sit vulgatos omnes contextus consentientes haudquaquam audeo mutare, propterea q; sequar ordinem consuetum singula pedetentim expendendi, quo pacto laborare capite cœperit Heropythus, & vtrum à caussa vlla externa, nullam certam habere possumus coniecturam: verisimile tamen est, cum erectus maneret, atque statim sit coactus decumbere, aliquam saltem aëris occasionem vna cum interna præparatione ad lædendum caput conuenisse primum, mox secutam esse febrem ardentem acutam. Sed statim dubitabit aliquis, cur Hippocrates ardenti febri addiderit acutam: etenim fieri non posse videtur, vt vlla sit febris ardens, quin sit simul acuta, tum motus velocitate, tum vitæ periculo. Cui respondere potest aliam esse febrem ardentem, seu καυσώδη πυρετὸν, aliud καῦσωνα, seu causonem. Etenim hic semper est morbus vere acutus, febris vero ardens haudquaquam, quoniam febris tertiana exquisita ex numero ardentium est, non tamē vere acutus morbus, quod penitus careat periculo, qui est præcipuus vere acutorum character: Itaq; volens Hippocrates demonstrare non fuisse solum ardentem, sed etiam causum seu causonem dixit καῦσος perinde ac si dixisset καυσώδης ὀξύς, talem enim fuisse dicet in extremo historiæ, vbi quasi rem mirā narrans, dicit centesima fuisse iudicatam, & fuisse causum: & certe, vt ait Galenus, maxime dignus memoria est hic casus in quo potuit tanto tempore æger maximo morbo sufficere. Causus autem cum fiat à bile, seu sanguine bilioso in vasis cordi proximis feruente, atque putrescente haud mirum est, si initio, id est, circiter tertiam diem vomuit multa biliosa cum siti, atq; multa inquietudine. Quæ symptomata solent causone laborantes semper exercere æstu nimirum, inquietudinem & siccitate sitim efficientibus.

VRINÆ. Et si veri characteres causonis sint æstus, & ex æstu inquietudo, necnon clamosa sitis, ad eum tamen magis adhuc discernēdum, qui est passio venarū, haud parum conducunt vrinæ inspectæ, & consideratæ: quocirca iure Hippocrates post inquitudinem, atq; sitim commemorat statum vrinarum, quas dicit fuisse tenues, nigras, cum enæoremate eleuato interdum, interdum non. Quota die tales fuerint, non habetur scriptum, quia tamen dicet, eas interdum babuisse sublimamentum eleuatum, interdum non, colligendum videtur hoc pluribus non vna tantum die contigisse, ac propterea tales cœpisse esse circa quartam, & durasse vsq; ad decimamquartam: quod essent tenues, efficiebat bilis cruda: q; nigræ, efficiebat tum ingens incendium, tum eadē bilis assata; sublimamentū vero in superficie vrinæ eleuatum erat effectus eiusdem bilis insigniter attenuatæ; qua sua leuitate supernatabat; neque verisimile videtur in causone fieri posse flatus, qui sublimamentum in altum attollant, quia si, vt dicit Hippocrates secundo Epid. & quinto Aph. vltimo. Icterici non fiunt flatuosi ob humoris naturam, licet ob imbecillitatem viscerum possint fieri, vt exponit Galenus, plane in causone, vbi viscera non laborant, & bilis feruentissima est, multo minus fieri debet flatus.

NOCTEM

Noctem laboriose. Vtrum toto tempore intra primam & decimamquartam diem habuerit noctem semper laboriosam, non satis constat, cum enim singulariter proferatur, videri posset, fuisse noctem alicuius diei peculiaris, cuius nota sit à scriptoribus omissa: verum ex altera parte videtur de pluribus noctibus esse intelligendum propter sequentia, quæ sunt, quod febris alias alio modo exacerbabatur, sed vt plurimum inordinate, vnde colligendum est loqui Hipp. de spatio illo temporis, quod intercessit inter initium morbi, & decimamquartam: & licet febris ardens magna sit, haud tamen inconuenit, quin modo magis, modo minus affligat, prout maior vel minor fit in hoc, vel in illo loco accensio, atq; putrefactio: quæ res in Heropytho faciebat, vt non modo fierent exacerbationes, verum etiam illæ essent inordinatæ; quam inordinationem solet non tantum varietas humorum putrescentium facere, quantum ipsorum locorum vbi fit putredo, diuersitas: Galenus qui solet in longis historiis esse parcus, dicit huic ægrotanti semper fuisse facilem respirationem, atq; appetentiam, quæ duo magnopere valent ad testandam, atq; efficiendam salutem: Ad dicet aliquis, vnde Galenus colligit hunc ægrum facile respirasse, atq; appetiuisse, scilicet ex eo, quod non meminerit, neq; difficilis respirationis, neque inappetentiæ, vt solet etenim secundo de Diff. respir. docet Hippocrates, vbi non nominat difficilem respirationem aut nõ affuisse, aut adfuisse aliqua, ex quibus necessario colligitur difficultas respirationis. Dicit etiam à principio febrem Heropythi fuisse acutam, sed subsequenti tempore fuisse remissam acutiem, ac proptetea dixisse Hippocratem ante decimamquartam febres alias atque alias fuisse; necnõ inordinate esse exacerbatas: verum illud habuisse prauum signum, quod vrinæ essent tenues, atq; nigræ; quæ res effecit, vt morbus diutissime fuerit protractus, cum ad coquendum difficilem morbum fuerit opus longo tempore & viribus; quæ fuerunt in hoc robustissimæ, alioquin hoc valuisset tamdiu perdurare & tandem seruari.

Qvarta D. à prima die vsque ad decimamquartam confuse omnia narrat, nulla mediarum dierum facta mentione; imo, vt videbitis in sequentibus, solummodo vigesimarum mentionem fecit, quasi in longissimis morbis sint tres septimanæ, seu vigesimæ, atq; in acutis, & minus longis quartæ, vel septimæ: Dicit itaque decimaquarta surditatem accessisse: febres factas intensiores; atque vrinas fuisse easdem, hoc est, tenues, & nigras: Quod spectat ad surditatem, fere semper obseruatur illud in hisce historiis, vt qui ante morbum dolore capitis laborauerit, in ipso morbo facta sit surditas, vt contigit Philistæ, atque aliis quibusdam: & certe in diuturnis doloribus capitis solent instrumenta sensuum vehementer offendi, presertim auditus, & visus ob ingentem quam habent cum cerebro communionẽ; & licet non semper surditas delirium præcedat, solet tamen plerumq; antecedere, & proptetea, & in Prorrhet. & in Coacis prænotationibus inter signa phrenesim portendenria adnumeratur quoque surditas: Quod porro febres incẽderentur, erat, quia adhuc morbus erat in augumenti principio demonstrato ab vrinis nullam, vel rudem, & inchoatam vix coctionem ostendentibus: Fuisse autem surditatem in Heropytho signum phreniticum demonstrant, quæ sibi euenerint vigesima die, in qua & in sequentibus vsque ad quadragesimam multoties delirasse scribit nõn modo, s. biliosa materia in aures, verum etiam in intimiores ipsius cerebri partes sublata.

Qvadragesima. Vtrum Hippocrates visitaret tantũ vigesima qualibet die hunc ægrum, haud affirmare audeo: certe si id fuisset, vel non sine aliqua aut ignauiæ, aut neglectus labe fuisset: vel diuinum nimis ingenium ostendisset in cognoscendo, & præcognoscendo morbi longitudinem, & exacerbationum protractionem: sed vtcumq; fuerit, illud re ipsa constat post vigesimam non alia symptomata narrari, nisi quæ singula qualibet vigesima die apparuerunt. Dicit igitur quadragesima sanguinẽ è naribus multum profluxisse, atq; ad mentem rediisse magis, sed surditatem perseuerasse minusq; infestasse, necnon simul febres esse remissas.

Quod

Quod pertinet ad sanguinis fluxionem è naribus, cum illa sit ex præcipuis signis iudicatoriis, atque contigerit quadragesima die, quæ est decretoria, vtpote, constans ex sex septimanis, poterit videri consummata iudicatio, & vltimus acutorum ex decidentia terminns; at licet multum sanguinis fuerit, haud tamen sufficiens fuit euacuatio, eo quia sequentibus diebus perrexit fluere adhuc paullatim, & frequenter, quod signum erat superesse sanguinem vitiosum, qnem natura expellere conabatur: Ad hæc non aderat coctio, imo potius perseuerabant signa contraria coctioni: verumtamen iuuit non parum huiusmodi excretio, siquidem refrigerato cerebro, & euacuata cum sanguine succi biliosi haud exigua portione, magis sapere incepit: & licet adhuc surditas permaneret, erat minor tamen, quemadmodum & febris, vt liceat coniecturam pene certam facere, caussam indicatam totius mali fuisse biliosum sanguiné accensum, & putrescentem circa viscera; qno nempe ad superiora naturæ beneficio moto, per naresq; extra propulso, sicuti febri fomentum subtractum est statim, ita quoque vaporibus illis à quibus dilirium, & surditas fiebant, & fouebantur, cósumptis, iure merito omnia sunt imminuta; haud tamen penitus sublata ob reliquias, tam in inferioribus quam superioribus relictas.

Circa Sexagesimam. Non fuisse perfectam iudicationem qnadragesima die factam, ac propterea materiæ morbificæ non parum adhuc fuisse relictum, indicare possunt, quæ diebus sequentibus euenerunt, quando cessante penitus illo sanguinis fluore, non modo redierût fere cuncta priora symptomata, verum etiam aliqua alia noua accesserunt, inter quæ fuit primum dolor coxæ dextræ fortis, & non multo post dolores omnium partium inferiornm: qnod enim successerit dolor, fuit ob solutionem continui factam à materia calida & acri; quod potissimum coxæ, fecit ipsius natura, cuius articulus cum amplius sit, atque valde laboret tam in motu, quam in sustinendo corporis onere, consequentet aptissimns est ad recipiendos prauos humores à superioribus partibus, qui prout pauci vel multi, calidiores vel minus calidi sunt, sic modo minorem dolorem faciunt, modo vehementem, vt in hoc ptoposito ægro: Quod porro dextera potissimum coxa dolore sit tentata, fuit quia circa iecur potissimum erat focus, & sedes sanguinis biliosi feruentis, & putrescentis: & quia (vt dicit Aristoteles) dexteræ partes sunt calidiores, & mobiliores sinistris, qua ratione etiam factum fuit, vt qui erat tenuior sanguis, supra sit missus, qui vero crassior ad inferna sit propulsus, qui cum in articulo totus contineri minime posset, in alias quoque infernas distributus fuit, vnde crurum dolor, & febrium incrementum est consecutum, tum ob humoris ad eas partes motum, tum quia noua facta est materiæ putrescentis accensio. Contigit Autem. Hæc quidem prædicta euenerunt circa sexagesimam diem: cæterum in diebus subsequentibus vsque ad octuagesimam contigit modo febrem, & surditatem augeri, modo hæc quidem minui & leuari, at dolores circa coxas maiores fieri, quorum varietatis caussa erat, quod natura valida residuum humorum peccantium pellere à sede putredinis conabatur, sicque partem in cerebrum mittens surditatem augebat, partem vero ad inferiora declinans leuabatur quidem superiora, sed coxæ antea affectæ magis afficiebantur: atque hæc cuncta signa erant robustæ facultatis, tandemque morbum superaturæ: necnon copiæ & caliditatis materiæ, inter quas assidua fiebat lucta.

Iam vero circa octvagesimam. Cum varias mutationes habuerit morbus, à sexagesima vsque ad octagesimam, propter eaque factæ fuerint diuersæ peccantis materiæ euacuationes, iure merito factum est, vt quoque remissa fuerint symptomata in octuagesima, ac post ipsam quæ affligebant: quamquam haud penitus nihil sit deletum, eo quod minime tota materia, sed non exigua eius portio consumpta fuit: Vnde prudenter dicit Hippocr. circa octuagesimã. idest, in ipsa met atque post ipsam, cuncta fuisse remissa, sed nihil prorsus defecisse: At cum Hippocr. dixerit cuncta esse remissa cur ad particularia descendens, quæ remissionem habuerunt, nominat tantummodo duo, delirium scilicet & vrinas, quas ait fuisse

fuisse boni coloris, necnon subsidentias habuisse multas? De delirio puto dicendum illud Hippocratem voluisse peculiariter nominare, primum quia est omniũ maximi momenti inter signa salutis vel mortis iuxta ipsiusmet Hippoc. sententiam, dicentis in quouis morbo constare mente & bene se habere ad oblata esse bonum, tum quia dixit vigesima fuisse delirium multum, atque etiam sequentibus diebus, cumque postea quadragesima die dixisset ad mentem rediisse, nec amplius in sexagesima delirii meminisset, poterat quispiam suspicari haud amplius post sexagesimum delirasse; vnde pro eximenda huiusmodi suspicione voluit adiicere deliria fuisse minora; quasi adhuc sæpius delirauerit, eo tempore, sed multo placidius. De vrinis autem dicendum est, peculiarem mentionem esse faciendam duxisse, vt doceret cum ratione factam symptomatum cunctorum diminutionem, eo quod certissima nec exigua apparebat coctionis signa; quandoquidem vrinæ non modo erant boni coloris, qui solet esse signum saltem inchoatæ coctionis, verum habebant sedimentum, atque illud copiosum, quo simul significabatur materiam esse paratam, atque iam à natura excerni per vrinas, mox etiam per alias vias excernendam, vt postmodum contigit circa centesimam, circa quam, aluum (cuius ante nunquam meminerat) scribit fudisse cum turbatione, multaque biliosa, quæ non solum haud breui tempore durarunt, verum etiam dysenteriam cum dolore pepererunt; vnde summa ratione cuncta alia fuerunt leuata, nimirum ad aluum materia translata; ex toto autem sublata est tam febres quam surditas, quasi vero hactenus aliquid surditatis adfuerit, quæ vna cum ceteris fuit in ipsa die centesima sublata, ita vt facta sit integra & consummata iudicatio. Ex hoc euentu potest intelligi veritas, aphor. vigesimioctaui, lib. quarti, vbi surditati dysenteriam superuenientem liberare, & econtra scriptum est. Duo autem in huius historiæ extremo occurrunt digna consideratione, vnum est, cur Hippocrates dixerit dysenterica fuisse excrementa cum dolore, quasi posset etiam sine dolore fieri dysenterica, quod tamen nec ratione, nec vsu compertum est, cum dysenteria sit cum vlcere intestinorum, quod necessario facit dolorem; & ipsemet Hippocrates lib. de affect. inquit, cum dysenteria occupat, dolor adest toto ventre, & tormina; quod etiam Cels. lib. to quarto, cap. decimoquinto, affirmauit. Ad hæc videndum, an febris, qua laborauit Heropytus fuerit causus; nam in aliquibus contextibus habetur in fine *καῦσος*, ex alia parte haud videtur rationi consentaneum potuisse febrem ardentem vsque ad centesimam diem protrahi. Ad primum dicere oportet, duplicem esse dysenteriam, aliam propriam, quæ semper est cum vlcere, aliam vero communiter acceptam pro omni cruenta per aluum excretione absque vlcere, vt docuisse videtur Gal. quinto aph. 65. & quam etiam explicite memorat Hipp. secundo Epid. sed potissimum quarto do artic. text. 38. vbi Galenus scribit; Hippocratem haud semper pro dysenteria intelligere intestinorum exulcerationem, vt veteres medici faciunt, sed etiam pro qualibet cruenta absque vlcere egestione, vt igitur Hipp. moneret sese loqui de vera dysenteria addidit *μέτα πόνε*. i. cum dolore, eo quod dolor sit signum vlceris, ac propterea firmus character discernendi veram & proprie acceptam à communiter vocata dysenteria. Nam Cels. qui proprietate latini sermonis semper vsus, inuenitur, dum vult veram dysenteriam Græcorum significare appellat tormina, quasi ea semper torqueat, & dolore afficiat. Ad aliud vero dicendũ est dictionem illam *καῦσος*, in aliquibus etiam codicibus desiderari, cumque Gal. nil eius meminerit, videtur plane ipsam habuisse suspectam, quod si etiam sustinere placeret, dicere possumus ab initio fuisse quidem febrem ardentem, sed postmodum desciuisse in aliam, vt contingit sæpenumero. Hippocratem autem addidisse illam vocem ad significandum morbum primarium, & cuius vestigia etiam in extremo apparuerunt; etenim sicut solet verus causus finiri biliosis excretionibus, sic cum hæc febris fuerit soluta, iisdem atque etiam dysentericis, videtur quandam veri causi imaginem repræsentasse. Modo ad curationem venio, pro qua instituenda fuerat in primis de victu decernendum, & quoniam statim summa morbi

acuties apparuit, debuit victus esse tenuissimus initio; postmodum autem vberior, præsertim post 14. à qua cum varius fuerit morbus, modo f. acutus, modo mitior, ita modo parcius, modo largius alere oportebat; Fuit tamen semper à vino abstinēdum, quoniam, vt audistis, in historiæ enarratione, surditas atq; deliria semper fere affuerunt; licet modo mitiora, modo grauiora. Nā quæ morbos producunt, & symptomata in viribus fortibus conseruant, sunt potissimum errata ęgrotantiū, quando ímpatientia, & tædio diuturnioris morbi, haud perguntindebito ciborum atque potuum vsu. Pòst hæc de sanguine mittēdo fuisset mature considerandum; quoniam etsi morbus id remediū postulare videbatur, nihilominus refragabatur vomitus ille biliosus, & copiosus, quo sicuti omni alia euacuatione præsenti, dicebat Galen. 1. ad Glauc. 14. minime sanguinē mitti oportere, quod vna sufficiat euacuatio, itaq; primnm expectandus fuisset ipsius vomitus exitus, quo finito, vt verisimile est ante septimam contigisse postmodum nisi aluus commode & copiose profluxisset, ipsi prospicere erat necesse, non quidem per superiora, sed vel glandibus, vel clysterib. mediocribus saltem, tum ad sanguinem mittendum deuenire oportebat, qui quoniam copiosus erat, & non parū peccans, vt demonstrauit copiosa ipsius de naribus quadragesima die facta naturalis profusio, quæ etiam diebus sequentibus vsq; ad sexagesimam durauit, licet paulatim, atq; in minori copia, iccirco fuisset multū sanguinis demendum non modo ab interna dextri cubiti, verum etiam à cephalica. Hoc autem vtrum factum sit necne, vehementer dubito, quod vero simile sit, minime debuisse illum à naribus fluxum fieri, si tempestiue, quantū opus erat, sanguinis detractum fuisset, nec ob id Hippocratem criminari debemus, quoniā forsan ipse non affuit, nisi decimaquarta, cuius solius meminit; & in qua non erat amplius tuta adhibendi illius præsidii occasio; nisi etiam dicamus potuisse quidem esse administratam venæ sectionem, sed minori copia ob antecedentem vomitum; vnde non fuit satis ad euacuandam materiam quemadmodum expediebat. Absoluto missionis sanguinis negocio, incumbendum erat in humorum peccantium coctionem, & viarum reserationem cum decoctis accommodatis, & aliis apozematibus, qualia etiam sunt nobis vsitatissima serapia; circa quam operationē illud notandum est, quod sæpenumero monui, vbi morbi sunt biliosi, iuxta regulā Hippocratis traditam secundo acut. à dulcibus istis zulapiis esse cauendum, secus quā faciunt practici, pleriq; nulla habita morborum discretione; Post præparationem fuissent humores biliosi purgandi, vt tempestate nostra rhabarbaro, myrobalanis chebulis, syrupo rosaceo solutiuo; etenim humores tenues, & biliosi, vt docet Galenus lib. q. eq. p. o. haudquaquam egent multa præparatione, & coctione. Fuissent autem tam præparatio, quam purgatio repetendæ in morbo vsq; adeo longo; in quo vix sperari potest vlla crisis; & quamquam in præsenti ægro obseruetur, fuisse crisim perfectam factam centesima die; illud tamen, per quam rarissimum est; atq; ob id forsan propositum est huiusmodi exemplum ab Hippocrate, vt nos doceret, quandoque crises fieri etiam in longis morbis, quos dicebat Hippocrates potius terminari abscessibus, quam crisi. Itaque repetenda fuit præparatio magis aperientibus decoctis, & etiam humores biliosi, cum pituitosis purgandi, præsertim quando cœperunt aliqua signa coctionis apparere; & forsan si facta fuisset aliqua tempestiua purgatio, haudquaquam illi dolores inferiorum partium successissent; nec illa dysenteria cum dolore; postquam tandem facta est integra iudicatio. Mitto remedia pro delirio & surditate, quę toties à nobis proposita sunt, quæq; semper blanda esse decet, ea spe, vt cum morbum sequantur, eo finito, hæc pariter debeant desinere; id, quod similiter de artuum inferiorum doloribus est intelligendum; quibus semper demulcendis in febribus studendum est, cum tutis ac lenibus auxiliis, id cauendo, ne vnquam repercutientia adhibeantur, alioquin immineret periculum ne rursus materia ab ignobilioribus ad nobiliores partes repulsa, longe maius detrimentum afferret.

HISTORIA TRIGESIMASEXTA.

IN ABDERIS Nicodemum ex venereis, & potibus febris corripuit: incipiens autem erat anxiosus, & cordis dolore laborans: siticulosus: lingua superusta est: vrinæ tenues, nigræ. SECVNDA *febris exacerbata est: horridus, anxiosus, nihil dormiuit: vomuit biliosa, flaua: vrinæ similes: noctem quietè: dormiuit:* TERTIA *imminuta sunt cuncta: facilis vero status erat circa solis occasum rursus subdifficiliter morbum ferebat: noctem laboriosè:* QVARTA *rigor febris multa: dolores omnium: vrinæ tenues: enaorema: delirauit multa.* SEPTIMA *commodus status.* OCTAVA *alia remiserunt omnia.* DECIMA, *& sequentibus inerant quidem dolores: minus autem omnes: at accessiones, & labores huic vsque in finem in paribus erant magis.* VIGESIMA *minxit album: crassitiem habebat: sepositum non subsidebat: sudauit multum, visus est sine febre esse: vespere autem rursum calefactus est: & iidem dolores: horror, sitis, multam subsidentiam habens: sudauit multo calido, per totum sine febre iudicatus est.*

IN ABDERIS Nicodemum ex Venereis, &c. Quod ab Ecclesiaste dictum est in sacris libris complures perire gula, & luxu, quam armis, id exploratissimum habetur etiam apud scriptores; Et si quadragesimæsecundæ historiæ quas primo & tertio libro Epidemiorum nobis reliquit scriptas Hippocrates diligenter expendantur, haud pauci sunt, qui in ægritudines exitiales, aut saltem graues deuenerunt, vel ob potum, vel ob cibos, vel ob importunos motus, vel Veneris vsum; vel ob alios in viuendo commissos errores. Inter hos est nunc nobis propositus Nicodemus, qui licet tandem enaserit; fuit tamen eius morbus admodum periculosus, atq; ob potus, & Veneris importunum vsum contractus; quæ duo errata, vt solent sæpenumero coniungi iuxta illud commune dictum, Sine Cerere & Baccho friget Venus; sic raro contingit, quin mala eximia producant. Et quamquam Hippocrates sexto Epidemiorum, comment. quinto, textu vigesimotertio, necnon quinto Epidemiorum, in historia Timocharis; nec non Arist. prima Probl. quinquagesimoprimo, & quarta Problem. decimoseptimo, dicant morbos à pituita finiri Venere, quod exitu seminis pituita quoque exuberans excernatur; haud tamen id intelligendum est de Venere immoderata, quemadmodum male Gaza interpretatus est apud Aristotelem, vocem λαγνεία, sed potius (vt rectius interpretatur Galenus apud Hippocratem) pro temperata, ac tempestiua; in qua re etiam iure damnatus est Epicurus à Galeno in Art. Medic. qui dicebat Veneris nullum esse vsum; Atqui à Venere immoderata maxime lędi ventriculum scribit Galenus tertio Epidem. comment. primo, textu quarto, & Aristoteles quarto Problem. scribit à Venere immoderata totum ventrem refrigerari, & consequenter omnes coctiones vitiari, excreméta multiplicari, omnesq; facultates corporis corruere, quia exitu seminis simul exit calor, & humor natiuus; quo etiam effluere pilos palpebrarum dicebat tertio de Histor. anima. vndecimo, & quarta Probl. decimo. Vbi notandum sæpe nos adscribere defluuium pilorum morbo Gallico; quod potius tribuendum esset nimiæ libidini. A nimio vero potu dicebat Galenus primo de temperam. & Aristoteles loco citato multos succos frigidos gigni: neque valet, quod vinum sit calidum, & propterea succos frigidos gignere nequeat, quia sicuti ignis paruus à magno extinguitur, pari pacto calor noster à vini calore strangulatur, vnde frigidi postmodum, & crudi succi generantur. Sed ad historiam deuenire tempus est; & quod attinet ad nomen non est admodum frequens apud Græcos, & miror, cum sit compositio Græca significans victorem populi, ob quod forsan sic appellabatur præsens æger, quia athleta erat, omnesque vincebat; sicut ab Hebræis vocatus fuit is, qui Christo mortuo officium illud præstitit ab Euangelistis commemoratum. Fuit autem, & hic Abderitanus sicut præcedentes, & forsan eodem tempore, quo alii ab Hippocrate & visitatus, & curatus; Fuisse enim ætate iuuenem ex eo possumus conicere, quod senes in laboribus, & venere, haudqua-

quam errare consueuerunt. Hunc igitur Nicodemum, ait Hippocrates, ex venereis & potu non πῦρ, hoc est febris magna, sed πύρετος cœpit; At antequam vlterius progrediamur, illud quærendum est, quare Hippocrates præter vsum in historiis obseruatum, dicit non πῦρ, sed πυρετὸν cœpisse Nicodemum, deinde quomodo à venereis induci possit febris, cum enim refrigeret Venus, vt certum est, nempe quæ calorem, & humores natiuos consumit, haud videtur rationi consentaneum posse febrem facere. Vnde Aristoteles quarta sect. Problem. sexto, septimo, decimooctauo, & vigesimosecundo, scribit hominem omnium animalium maxime in vsu Veneris languescere, dissolui, & refrigerari. Ad primum dicendum est iure Hippocratem hoc in casu vsum esse ea voce, quoniam vere post errores venereos febres, quæ contingunt, admodum imbecilles sunt plerumque, eo quod calor natiuus magnopere hebetetur, indeque fiat, vt nequeat in igneum valde conuerti, & fieri magna febris; præcipue vero hoc fit, quando simul potus errores ipsis venereis coniungantur, siquidem tunc duo sunt, quæ simul calorem deminuunt, licet dispari ratione, alterum per subtractationem pabuli, vt est immoderata Venus, alterum vero per suffocationem qualis est nimius potus; & verum est, quod dicunt nonnulli fere contingere, vt qui nimio coitu vtuntur, simul etiam nimio potu atque cibo vtantur, quoniam sine Cerere & Baccho (vt nuper dicebam) friget Venus. Ad alterum dicendum est coitum posse dupliciter considerari, vel dum fit, vel postquam factus est, dum fit proculdubio calefit corpus, atque tunc febris induci potest, nam dicebat Aristoteles eadem quarta sectio. Problem. 2. concubitum constare calore propter agitationem, atque propterea maxime in eo actu subsidere clunes, & oculos, quoniam valde laborant; ob quod etiam dicebat equitantes maxime ad libidinem excitari, quia maxime secundum partes Veneri destinatas incalescunt: Sin autem post factum consideretur, tunc corpora refrigerantur, vnde febres, quæ fiunt ex vsu Veneris immoderato occasionem capiunt à motu & calore, qui in ipso actu agentur, quibusque incensi primum spiritus, tum humores paratos simul inflammant, sicque subsequens putredo febres graues tandem facit, quæ initio fuerunt mitiores (INCIPIENS) quæ primis diebus post febrem contigerunt Nicodemo, complura fuerunt, circa quorum speculationem, si vmquam Galenus fuit breuis, & ieiunus, certe hic est, cum nihil aliud dicat, quã ipsum mer Hippocratem significasse hoc exemplum esse eorum, qui nil paribus habuerunt exacerbationes, & particularia alia posse comprehendi, tum ex iis, quæ habuit in antecedentibus, tum maxime quæ scripta sunt in Prognosticis, & Prorrheticis. Cum igitur cœpisset Nicodemus febre tentari, simul etiam cœpit anxietatem, & cardialgiam pati, nec non sitim, atque linguæ exustionem; Quod enim ad anxietatem, & cardialgiam pertinet, hæ sunt passiones oris ventriculi factæ ob vapores, vel succos biliosos, & mordaces, imo etiam ob crudos, & frigidos, illud percutientes; Etenim si sint puri vapores, faciunt quidem illam anxietatem, & inquietudinem, quæ Græce ἄση frequentissime ab Hippocrate vocatur. Sin vero à succo mordaci, atque cum dolore fiat, est καρδιαλγία, ad quos affectus faciendos conducit primum aptitudo ipsius stomachi ad suscipiendos illos succos; quæ aptitudo posita est in laxitare, & intemperie partis; conducit etiam impulsus naturæ ab humore, seu vapore inimico excitatæ. Vtrumque autem erat in Nicodemo, qui ob errores in vsu Veneris stomachum admodum imbecillem & laxum habebat, siquidem (vt retro diximus) scribit Galenus primo huius tertii Epidem. textu quarto, quod vt abstinentia Veneris facit stomachum robustissimum, sic nimius illius vsus facit imbecillimum. Porro ad bilis generationem conferre nimium vini potum alias locupletissime monstrauimus in historiis Philistis, & Chærionis, vt cum adfuerint Nicodemo caussæ omnes anxietatis, & cardialgiæ, merito etiam adfuerint affectus; Iam vero linguæ siccitas cum siti iure fiebant à ventriculo, vbi æstuans bilis vti alias symptomata pariebat, sic ob communem ipsi & linguæ tunicam illam vtebat, & consequenter sitim efficiebat.

VRINÆ TENVES, Quod nigrities possit cum tenuitate esse in vrina, possumus ex eo potissimum iudicare, quod non modo in hisce libris, verum etiam in Prognosticis, & Coacis sæpenumero huiusmodi vrinæ mentionem facit, quasi etiam frequenter videantur. Atque non ita frequenter eas videri apud nos certum est. Vnde dubitani interdum vtrum sit vera nigrities, de qua loquitur Hippocrates, an potius sit rubor quidam intensus ad nigredinem proxime accedens, atq; ab ardore febrili ortum ducens; non autem à succo atro, & melancholico ipsi vrinæ commixto, quamquam in Nicodemo haud videtur initio febris fuisse tanta, vt potuerit statim vrina ob illius magnitudinem fieri nigra, sed bene rubra valde; nisi quoque audemus dicere contigisse Nicodemo id, quod interdum accidere nimia Venere vtentibus obseruamus, vt scilicet laxationes, & vasa seminaria profuderint sanguinem atrum in vesicam, vnde tincta sit vrina; vt si hoc fuisset non poterat esse tenuis.

SECVNDA. Si prima die multa praua Nicodemo contigerunt symptomata, certe nec pauciora, nec minora euenerunt secunda, & primum febris, quæ antea erat πυρετός, non πῦρ, facta est auctio, cum horrore, & eadem anxietate, ita vt dormire nequiuerit, quorum omnium caussa erat puttedo bilis circa viscera, & præcipue circa stomachum, quæ tanta erat, vt non exigua illius portio in ventriculum propulsa vomitum bilis flauæ, ad vrinam vero deriuata, eam flauam efficeret, & biliosam: Addit autem Hippocrates præter suam consuetudinem flauam, quia in hoc ægro ex nimia Venere, & potu cumulata erant diuersa genera bilis, nempe flaua atra, vitellinaque. Veruntamen nocte quieuit, & dormiuit; idque non sine ratione, siquidem vomitu, & vrina fuit magna pars humoris illius biliosi educta, qui simul inquietudinem, anxietatem, & vigilias die antecedente pepererat; ex quo factum est vt natura euacuatione illa leuata quieuerit, sicq; in somnum deciderit. Sed hoc in loco non exigua oritur dubitatio, quomodo loquens de hac secunda die, inquit primum non dormiuisse, post ait quieuisse & dormiuisse nocte; neq; valet dicere primum locutum esse de somno diurno, quoniam ille vitiosus est, & vbi non dormitur interdiu melius est? Respon. verum esse, quod scribit Galenus hunc ægrum ex iis esse, qui paribus passi sunt exacerbationes, & quibus vt in quarta die habetur, exacerbatio fiebat circa Solis occasum; vnde quando dicit nihil dormiuisse, loquitur de nocte antecedente secundam, quando accessio erat in vigore; quando autem dixit dormiuisse nocte, locutus est de subsequente secundam; quæ erat initium tertiæ: Vnde dicere possumus Hippocratem in Prognost. laudare quando non dormitur nocte, vt dormiatur die, scilicet vsq; ad quartam horam; hic autem nihil nocte, neq; mane dormiuit.

TERTIA. Cum vomitu (vt dicebam) natura esset leuata, & somno recreata, iure sequenti die omnia fuerunt remissa, quæ remissio durauit vsque ad Solis occasum; Verum quoniam neque fuerat integra euacuatio, neque poterat esse vix dum morbo principium egresso, propterea incipiente nocte cœperunt iterum molestiæ adeo, vt nox ea laboriosa fuerit; Etenim futura erat die quarta accessio noua correspondens secundæ, in qua dicit exacerbatam fuisse febrem vna cum aliis symptomatibus, idcirco fuit nox antecedens grauis, iuxta Hippocratis aphorismum, scilicet quibus futura est accessio nox antecedens grauis esse solet. Itaque DIE QVARTA factus est primum rigor, deinde multa febris; & omnium labores; rigor factus est, quia succus biliosus in venis existens, nec vomitu euacuatus à natura extra pulsus per non sensibiles partes latus est, ad cuius propulsionem calor natiuus colluctans febrem, simulq; omnium membrorum molestiam intulit; præsertim vero materia vapotosa versus caput sublata delirium pepetit, quod demonstrabatur futurum ab vrina tenui, & à suspensione à flatu genita.

SEXTA. De quinta nil dicit, quod nihil in ipsa contigerit obseruatu dignum: sed quia sexta est par, & suapte natura tyrannica, & fatalis, non est mirum,

si in ipsa exitiale apparuit signum, nempe delirium, quod solum cōmemorat, tamquam cetera prædicta affuerint, & amplius hoc.

SEPTIMA. Post sextam meminit Hippocrates septimæ & octauæ parum. Solumque septima (ait) ῥαστώνη, qua voce vsus est etiam tertia die, à qua cum intercedant quatuor dies ad septimam, videtur fuisse proportio, & correspondentia, vt scilicet quemadmodum tertia status satis mitis fuit, similiter etiam contigerit in septima. At percunctabitur aliquis nec sine ratione, quomodo Hippocrates dicat septimam fuisse quietam, & octaua fuisse cuncta remissa; nam videtur idem esse, fuisse quietam, & cuncta esse remissa; puto ita intelligendum esse, nempe quod à delirio fuerit quies, quod multum antea fuerat. Octaua postmodum etiam alia accidentia sint mitigata, scilicet febris, & dolores omnium partium; Habuisse namque hunc morbum eam conditionem, vt pares, & impares sibi correspondeant.

DECIMA. Si octaua omnia erant remissa, quomodo igitur dicit, decima & sequentibus adfuisse quidem dolores, sed omnes minores; puto rem hunc in modum sese habuisse, quod tota octaua, atque etiam nona status ægri satis placatus fuerit, quemadmodum etiam tertia, verum decima, iterum & sequentibus labores iidem redierint, sed minores, eo quod (vt subiungit Hippocrates) huic ægroto contigerint toto morbi tempore exacerbationes; & labores magis diebus paribus, & addit non sine ratione particulam (μᾶλλον), quoniam etiam octaua fuit quieta, quæ tamen est dies par.

VIGESIMA. Cum ante vigesimam iam cœpisset coctio progredi, iure in vigesima ipsa, multa maiora quam ante apparuerunt, coctionis licet non consummatæ indicia, siquidem vrina erat alba, crassa, haud tamen posita subsidentiam faciebat, ac propterea multum sudauit, haud ita tamen, vt bona fieret crisis, sed adeo ex sudore leuatus est, vt videretur esse sine febre, nondum tamen erat prorsus ab ea absolutus, cum non esset integra in vrinis coctio, quinimo sequenti quæ fuit vigesima prima, rursum febre captus est, seu potius ea paulisper aucta fuit summo mane; atque cum ea iidem dolores, qui ante, horror, sitis, atque modicum delirium; cum enim materia nouam putredinem suscepisset, vaporesque putres per vniuersum corporis ambitum funderentur, maxime vero in cerebrum, hinc horror, atque dolores omnium fiebant, & cum iis nonnihil delirii: Vt enim quarta die multum delirauit, quod tunc materia, quæ putrescebat, & copiosior, & deterior esset, ita hac die, quando iam, & paucior, & benignior erat, summa cum ratione factum est delirium minus. hic nonnulli dicunt vrinam vigesima die fuisse albam, & crassam, quasique lacteam, quod ob Veneris errores multitudo humorum in renibus, & circa genitalia veluti supputaretur; Atqui hoc mihi non placet, quoniam ex Venere immodica refrigerantur partes, & potius euacuantur humores praui, quam secus, vt ob hoc; & Hippocrates & Aristoteles dixerint τῇ λαγνείῃ curari morbos à pituita, atque interdum homines fieri leuiores, præterea quomodo potuit post vigesimam diem superesse vestigium erroris venerei?

VIGESIMA QVARTA. Vigesima in vrina visa sunt coctionis progredientis indicia certa, ideo vigesima quarta multo certiora debebant esse, & propterea non solum alba erat & copiosa, verum etiam subsidentiæ multum habebat; quare subsecutus est sudor, scilicet per totum calidus, & copiosus, ac iure merito perfecte iudicatus est, cum vespere antecedente vigesimam quartam facta esset febris, aliaque in nocte symptomata, quæ crisim præcedere solent; vnde non modo dixit liber factus est, sed addidit iudicatus est, vt scilicet significaret, & à febre, & à symptomatibus liberatum esse. Sed cur Hippocrates non addidit particulam (perfecte) sicut supra in Heropyto? præterea cur qui ægrotauit ob Veneris nimium & intempestiuum vsum, potius sudore quam vlla alia excretione iudicatus est? Ad primum dicimus, quod caussa fuit, quoniam ex suis regulis vnusquisq; cognoscere

scere poterat, eam fuisse integram & perfectam coctionem, & crisim, quandoquidem sudor fuerat omnium optimus, vt ipsemet docuit primo Prog. 26. quippe qui fuerat in die critica, calidus, copiosus per totum, atq; febrem abstulerat. Ad secundum respondent nonnulli propterea sudasse, & iudicatum esse, quoniam iis qui nimia vtuntur Venere, ac ob id ægrotant, putrescit semé, quo deinde computrescunt rores partium. Addit quoq; Valesius interdum vsuenire, vt ob nimium Veneris vsum absq; vllo contagio aliqui lue Gallica capiantur; Sed pace manium Valesii, & sequacium tres errores committunt: primus est, quoniam falsum est ex nimia Venere putrescere semen, imo ita euacuatur in ipso actu, vt nihil ipsius in vasis præparantibus, & deferentibus vocatis relinquatur, ac sæpe loco seminis attractus vi, & non elaboratus sanguis, qui est loco roris, emittatur, Aristoteles enim quarta sectio. Prob. sæpe dixit Venerem siccare & refrigerare, ac multo magis, quando immoderata est, vt falsissimum sit post ipsam relinqui semen quod putrescat. At hoc potius contingit iis, qui ob abstinentiam coitus in gonorrhœam incidunt, vt semen putrefactum, atque fœtidum emittant. Secundus error est, quod tametsi putresceret semen, & ros, haud videtur per sudorem excerni debuisse, sed potius per ipsammet vrinam; qua ratione, qui laborant febre hectica solent crebris seminis profluuiis sollicitari, quod sanguis in renes & vasa seminaria attractus, putrescens euacuatur, (verum enim & copiosum semen esse in febre consumptis quis credat?) atq; tunc etiam fiunt vrinæ lacteæ, velutique supernatantem pinguedinem habentes; Tertius error est, quod citra contagium ex solo immoderato coitu possit morbus Gallicus contrahi, si quidem huiusmodi morbus noster, qui nouus est orbi nostro, & initio vt perhibent omnes solo scortorum infectorum contactu comparatus fuit, handquaquam sine eodem contactu communicari cuiquam potest; illud certe fateor similia symptomata Gallicis posse euenire illis, qui nimia vtuntur Venere, sicut & qui rem habent cum muliere menstruata, cum qua & Hebræi, & Arabes putant, si quis concumbat, præ ceteris enm euadere leprosum: Nam pilorum quoque defluuium, & præsertim superciliorum, quod euenire Gallica lue laborantibus quotidie experimur, Aristoteles etiam fieri nimia Venere vtentibus scripsit tertio de Histor. animalium vndecima, & quarta sectio. Probl. 19. Itaque multo satius est dicere propterea factam esse iudicationem per sudorē, vel propter nimium potum, quo vsus fuerat Nicodemus, & quo scimus sanguinem valde serosum fieri, vel quia putredo febris potius posita erat in succis tenuibus, & biliosis, vt ostenderunt symptomata, quæ prioribus diebus sibi contigerunt, cardialgia, rigor, horror, vomitus biliosus, vel quia forsan consueuerat æger ante morbum sudare multum. Nam id verissimum est in morbis fieri sæpenumero crises per eas euacuationes, quæ solent esse dum sani sunt familiares: & sum eius opinionis, hoc exemplum nobis fuisse ab Hippocrate propositum tamquam rarum quiddam, quod scilicet quis ex erroribus grauissimis, & presertim vsu Veneris immoderato cōmissis inciderit in grauissimū morbū, & tamen seruatus sit sudore copioso, ob ingens viriū robur; & quis scit, an forsan fuerit hic, ppterea Nicodemus appellatus, q, lucta, aliisq; gymnicis certaminib. populū, hoc est cunctos vicerit? Modo ad curationē, & primo de victu dubitandū videtur, an conuenisset victus tenuis. Similiter quoq; an sanguinis missio, quandoquidē ex vna parte non videtur victus adeo parcus cōuenisse, neq; euacuatio sanguinis, quoniā præcesserat immodica Venus, que sanguinē, & vires exhaurit, vt potius additio omni ex parte, quā vlla diminutio visa sit necessaria. Ex alia vero parte vsus est multo potu, & calor natiuus haud aptus fuit multū alimentū sustinere, quodq; plus est, febris acuta, & magna cū accidentib. prauis postulare videbatur tā victū tenuē, quam sanguinis detractionē. Hac in re non ita leui si mihi occurreret in victu media quadā via incederem, neq; enim multum tenuem, neq; plenum adhiberem, & præter ptisanam, etiam vitellum oui concederem & paruæ pullæ iusculum; à vino certe abstinerem, quod sicut in his casibus ad vires ruendas haud saltem est necessarium, ita capiti, & febri est noxium. In cardialgia certe vinum

commendatur,& in anxietate ab Hippocrate,at non in ea, quæ fit à bile, & calidis succis; sed quę fit à frigidis tantum, vt innuit Galenus septimo aphotismor.56. Quod porro spectat ad sanguinis missionem Galenus in libro de cur. per sang. miss. capite septimo, vinosis,& gulæ deditis haud vtilem esse ait missionem sanguinis, & capite nono dicebat excretiones, atque motiones antea factas, haudquaquam ex toto prohibere sanguinis missionem; sed eius quantitatem perscribere; preterea laborabat anxietate, & cardialgia, & forsan etiam ob errores in victu antea commissos copia humorum crudorum, ob quæ omnino abstinendum erat à sanguinis missione, saltem per venam sectam; nihilominus cucurbitulæ scarificatæ, præsertim natibus, lumbis,& cruribus adhibitæ, haud parum profuissent saltem ad auertendos à stomacho, aliisque superioribus partibus succos prauos, & vapores, qui deliria, vomitus, anxietates, aliaque mala producebant; quo in genere contulissent quoque ligaturæ, frictiones, & vesicantia extremis artubus adhibita. In reliquis danda opera fuisset tum aperiendis viis, tum præparandis, & coquendis humoribus, maxime vero iis symptomatibus superandis, veluti delirio, cardialgiæ, & anxietati iis remediis, quę millies monstrauimus conuenire in huiusmodi casibus. De alui excrementis, cum nulla mentio habeatur, credendum est ea recte, & naturaliter sese habuisse,& forsan contulisset aliqua purgatio biliosorum,& pituitosorum succorum, saltem post vigesimam diem.

HISTORIA TRIGESIMASEPTIMA.



N THASO mulier morosa ex mœrore cum occasione erecta degens euasit vigil. & cibum auersans, & sitibunda erat, & anxiosa; habitabat autem prope Pyladem in Plano. PRIMA *inchoante nocte timores, sermones multi, ægritudo animi, febricula tenuis, mane conuulsiones multæ; quando autem deficiebant conuulsiones multæ, obloquebatur; obscœna dicebat; multi dolores, magni, continui.* SECVNDA *per eadem, nihil dormiuit; febris acutior.* TERTIA *conuulsiones quidem defecerunt; sopor autem, & delatio in somnum, & rursum expergefactio; exiliit, continere se non poterat; obloquebatur multa, febris acuta; ad noctem vero hanc sudauit multo calido per totum; sine febre; dormiuit; omnia intelligebat; iudicata est. Circa vero* TERTIAM *diem; vrina nigra, tenues; enæorema autem ad multum rotundum non subsidebat; circa iudicationem vero muliebria multa descenderunt.*



N THASO mulier morosa. Certe negari non potest, quin Hippocrates hanc historiam nobis tanquam rarum quoddam exemplum proposuerit; est enim rarum insaniæ genus quo laborauit; est rara occasio, scilicet menstruorum suppressio; est deniq; rarissimum, quod tertia die morbi sit per menses melancholica liberata. Ad hæc satis diligenter eam, & quæ necessaria erant pro ipsius cognitione enarrauit; etenim primum describit mores, cum dicat eam fuisse δυσάνιον, id est, morosam; describit patriam Thasum, habitationem dicens habitasse prope Pyladem in Leio; describit occasionem morbi, s. mœrorem propter externam occasionem acquisitum. Nomen mulieris haudquaquam dicit, quoniam (vt alias monui) Hippoc. nunquam fere solet nomina propria mulierum proferre, quod forsan ea scire propter modestiam & reuerentiam haud curaret: sat est hanc fuisse melancholicā, & ob retentos menses ex mœrore in grauissimam insaniam incidisse, adeo vt potuerint mulieres, & adstantes suspicari, vt sæpenumero fit, de aliquo Dæmonio, vel effascinatione; verum fuisse caussam omninm retentionem mensium, satis docere potuit curatio, quæ successit statim, atque menstrua copiose cœperunt fluere. Dignum autem est, si vnquam alias, vt sigillatim cuncta examinemus. IN THASO mulier. Alias dixi, quis locus fuerit Thasus, & hanc vocem (γυνὴ) vsurpatam esse à græcis, pro deflorata, & virginitate priuata, sic namq; Democritus eam, quam paulo ante salutauerat pro virgine, cum habuisset

habuisset obuiam, atq; eam non esse amplius virginem signo nescio quo cognouisset, sic appellauit χαῖρε γύνη, i. salue mulier: δυσάνιος, seu vt alii legunt, δυσήνιος, id est morosus, quis sit explicat Gal. in com. & in linguarum explic. dicens ex sententia Critiæ eum esse, qui in quibuslibet paruis tristatur, atq; magis in magnis, ac pluri tempore, quam alii tristis est, & mœstus, quo pacto vtitur nunc Hippoc. sicut & rursum paulo post in ea, quæ in Cyzico gemellos peperit. Miratur autem Gal. cur non apposuerit huic esse menses vel suppressos ex toto, vel saltem imminutos, siquidem & acute, & plethorice videtur ægrotasse, ac propterea tertia die sudasse, atque menstruorum copioso fluxu esse iudicatam; imo vero, & ipse miror de Gal. qui, cum millies dixerit, & præsertim in lib. de diff. resp. Hippoc. haud perspicua, & cunctis manifesta proponere, non videtur id nunc potissimum fecisse, quando nullus, vel mediocris medicus esse poterat, qui intellecto liberationis modo non statim existimaret fuisse suppressa, ac forsan ob id saltem maxima ex parte ægrotasse, dicente eodem Hippocrate, atque etiam Galeno primo de loc. aff. nullum esse certius caussarum ægritudinis indicium ipsamet curatione.

Ex moerore. πρόφασιν, id est occasionem vocare caussam externã Hipp. sæpe dixit Gal. quæ autem fuerit caussa externa; propter quam dum sana esset, & erecta hæc mulier tristis, ac mœsta euaserit non dixit. Solent autem plerumq; mulieres in mœstitiam incidere ob indignationem, ob mortem alicuius claræ personę ob malum nuncium, maxime vero ob zelotypiam, & ob amorem, quemadmodũ docet Gal. in lib. de præc. ad Posth. c. 6. exemplo cuiusdam mulieris, quam ipse ex simili tristitia ac taciturnitate amare nescio quem Pyladem cognouit. Insomnis. Inter alia mala, quæ ante veram ægritudinem habuit præsens mulier, fuerunt vigiliæ, inappetentia, atq; sitis. De vigiliis illud certum est eas, atq; inappetentiam, ac ciborum abhominationem nihil æque facere atq; amorem, & zelotypiam; nam animus dum curis atq; sollicitudinibus angitur, haud permittit calorem naturalem quiescere, seque ita à corpore abducit, vt id interdum omni sensu carere videatur; id quod voluit significare Hipp. sexto Epidem. sectione quinta, tex. vndecimo, vbi dicit, περίπατος ψυχῆς φροντὶς ἀνθρώποις. Quid vota furentem, quid delubra iuuãt; est mollis flamma medullas, dicebat de Didone amore flagrante Virgilius. De zelotypia vero Plinius & Seneca scribunt Mœcenatem duos totos annos nil dormiuisse, quod cognouisset suam vxorem ab Augusto valde amari.

Sitibunda. Qua ratione sitis in mœrore gignatur, & anxietas nõ est difficile iis percipere, qui sciunt hisce affectib. bilem in stomacho euocari, vbi membranam ei, & faucib. communem calefaciens, exsiccans, atq; mordens, simul sitim, atq; anxietatem producit; & mirum est quantopere sitiant illi, qui ad supplicia ducuntur ob similem causam. Habitabat. Hipp. de ægrotis loquẽs consueuit dicere modo eos habitasse hic vel illic; modo decubuisse apud hunc vel illum, & causa est, vt puto, quoniam vel nobiles erant, ita vt propria domicilia haberent, atq; suarũ rerũ domini essent; vel sine domo propria, ac forsan in alterius potestate erant; hæc autem mulier ex prioribus fuit, quam dicit habitasse prope ædes Pyladis in Licio: Duo Pylades memorantur. vnus cytharœdus, qui Augusti ætate floruit, alter saltator; quem à muliere amatum sese deprehendisse Gal. testatur lib. de præc. ad Posth. c. 6. quis autem fuerit nominatus ab Hippocrate diuinari nequeo; nisi dicamus eũ quoq; fuisse saltatorem, vel luctatorem aliquem, qui habitaret in via læui, & polita, sic in Thaso vocata ad differentiam viarum inæqualium, & lutulentarum. Vtcumque autem sit, nil refert diligentius inquirere. Ceterum illud scire interest propositam mulierem iam melancholico affectui suscipiendo valde obnoxiam, prima die sub morbi nocte incipiente à grauissimis symptomatibus fuisse oppressam; quæ certe valde similia erant illis, quæ solent accidere Dæmoniacis, & effascinatis; nam tota prima die habuit dolores multos; id est multarum partium magnos, & assiduos; initio autem noctis timores fuerunt ipsi, sermones multi, tristitia, febricula, id est, πυρέτιον. Mane conuulsiones multæ, quibus intermittentibus

delira-

delirabat, ac turpia loquebatur. Sed priusquam vlterius progrediamur, circa hæc consideratione digna quatuor occurrunt; vnum est cur non incœperit numerationem dierum à mœstitia, vigiliis, & aliis, quæ antea passa erat. Secundum cur primam diem adnumerans voluit addere horã præcisè, scilicet inchoante nocte. Tertium est an sola mẽstruorum retentio ob mœrorem potuerit efficere tot mala, scilicet timores, sermones multos, tristitiam, conuulsiones. Quartum est qua ratione conuulsionibus illis multis intermittentibus delirabat, turpia loquebatur; simulq; dolores multi, magni, & continui fiebant. Circa primum arbitror id ab Hippocrate esse factum, quia antea non decubuit, & (vt alias docui) plerumque solet Hippocrates numerare dies non à læsis actionibus, sed ab hora decubitus, aut etiam ab initio febris: vnde cum febris tunc solummodo incboarit iure enumeratione dierum ab eo tempore incipiendam esse existimauit; & notandum est Hippocratis vsum esse non admodum sibi vsitata dictione, πυρέτιον λεπτὸν, id est febriculam tenuem, quoniam proprium est melancholiæ, aut non habere febrem (diffinitur enim à Galeno esse delirium sine febre) aut eam admodum exiguam, atq; debilem. Ad secundum dixi alias ex Hippocrate secundo Epidem. partes diei habere proportionem cum partibus anni, atq; vesperam correspondere autumno, quem vocat ferinum Hippocrates, eo quod melancholici morbi eo tempore potissimum grassantur; vnde cum vespere quoque eadem ratione melancholia maxime sæuiat, voluit sapientissime senex id in praxi adnotare, cuius theoricam iam antea nos docuerat. Ad tertium dicendum est menstruorum retentionem, vsque adeo prauam semper esse, vt nullum fere, quantumuis fœdi morbi genus reperiatur, quod ab ipsa fieri nequeat; præcipue autem fiunt mœrores, tristitiæ, melancholiæ, delitia, conuulsiones, aliaq; similia; & non dubito id esse verũ, quod Theologi nostri profitentur à Dæmonibus quoq; eadem mala in mulieribus fieri, sed ii vt plurimum ad infestandas eas vtuntur similibus humoribus. Et si enim menstrua sint ille sanguis superfluus, qui sitã natura ob sustentandum fœtum intra. & extra vterum, quique, vbi fœtus non adest, singulo mense extra pellitur, vt hac ratione haudquaquã debeat ita perniciosus esse; attamen vbi diutius in corpore retinetur, præsertim circa vterum, qui est veluti cloaca quædam impura, ita fœdatur ac corrumpitur interdum, vt veneni naturam referat, idq; præcipue cognoscitur ex effectibus, quos producit, qui potissimum circa animum apparent, tum quia sexus muliebris pusillanimis suapte natura est, & promptus ad ipsius animi læsiones suscipiendas, tum quia retentus is, in cor atque cerebrum vt plurimum restagnat, vbi cum animi sedes posita sit, iure ipsum insigniter violari contingit, vt perspicue satis docuit Hippocrates libro de morbis virgin. & de natura ac morbis muliebri. Caussa autem, quamobrem potissimum sym ptomata melancholica incurrant, quibus cessant, aut imminuuntur menses, est, quoniam vbi diutius quàm par sit menses retinentur semper diuaporatis tenuioribus sanguinis partibus crassiores remanent, à quibus vapores crassi, & obscuri in cor, & cerebrum prolati contaminant, atque obscurant tum vitales, tum animales spiritus; quam contaminationem, sequitur deinde læsio operationum, & cordis, & cerebri, fitq; pauor maxime, & mœror, quoniam vt claritas sanguinis gaudium facit, quemadmodum scribit Auicennas in Cantica, sic obscuritas mœstitiam, & metum parit; non quia terreatur anima, quemadmodum pueri in tenebris, vt dicebat Galenus in hoc ab Auerroe forsan haud male confutatus, sed quia obscuritas, & crassities melancholicorum vaporum tardos, & hebetes facit spiritus omnes prædictos, eamque puritatem adimit, cum qua solet consistere integritas functionum principum cerebri. Ad quartum, & vltimum dicendũ est, quod scribit de epilepsia, & melancholia Hipp. septimo Epid. & Galenus tertio de loc. aff. septimo, scilicet vbi humor in ventrem cerebri labitur fieri Epilepsiam, vbi vero in corpus fieri melancholicum, sicq; melancholicos fieri epilepticos, & è contra; haud secus vbi humor ad principium neruorum tendebat conuulsionem inducebat, vbi vero per totam cerebri substantiam fundebatur, delirium quod

appare-

apparebat, in multa atque turpi locutione vbi in corporis ambitum, dolores fiebant multi, magni, & continui, nam & Aristoteles in fine septimi Ethicorum dicebat, corpora melancholicorum semper morderi; quod vero potius mane fierent conuulsiones in proposita muliere, caussa fortasse erat, quia tunc humor nocte coactus magis fundebatur, sicque fusus, neruorum principia lædebat. Galenus secundo de diff. resp. cap. vltimo, de hac muliere loquens putat etiamsi deliraret, non habuisse respirationem magnam, & raram, sed potius qualis solet esse in conuulsionibus, quod hæ illud superarêt. Cur antem Hippocrates inter alia mala huiusce prioris diei posnerit, quod turpia loquebatur, puto fecisse ad testandam, melancholici delirii magnitudinem; siquidem cum mulieres soleant esse pudibundæ, vbi turpia loquuntur signum est à consuetis moribus multum recessisse, ac propterea malum esse magnum, dicente Hippocrate, & Galeno primo prorr. & in Coac. pessimas esse modestorum turpes, & insolitas responsiones, atq; locutiones, quod αἰσχρομυθεῖν dicit Hippocrat.

Secvnda die. Dicit Hippocrat. eadem accidentia perseuerasse, at alia quoque fuisse adiecta, scilicet quod nil penitus dormierit, & febriculam in acutam, hoc est magnam, euaserit. Nil dormiuit, quia id pene proprium est omnium melancholia graui laborantium, vt perpetuis cogitationibus prauis, atque solicitudinibus agitati, haudquaquam somnum capere queant, maxime cum amore, vel zelotypia tentantur, & notandum est, licet Hippoctates dixisset ante morbum eam fuisse vigilem, ac post subiungat prædicta omnia accidentia perdurasse etiam secunda die, haud tamen committere nugationem, cum addit (nihil dormiebat) quoniam aliud est vigilem esse, aliud est nihil penitus dormire, quippe quod etiam qui parum aliquid die dormiunt ἀγρύπνοι vocantur ab Hippocrate, modo nocte nõ dormiant, vt significat Cels. cap. primo, libri secundi ex sententia Hipp. tertio aph: 24. 31. nil vero dormire dicuntur, qui neq; die, neq; nocte somnum vllum capiunt: vnde præsens mulier ante morbum poterat dormire die, & tamen vigil vocari ab Hippocrate, in morbo autem neque die, neque nocte dormiebat; Facta est autem febris acutior, quoniam cum paratum esset corpus ob retentum sanguinem hoc motu animi, & corporis incenso, & agitato acuta fuit febris.

Tertia. Versipellis plane, & dolosus fuit hic morbus, qui in tanta temporis breuitate magnas, variasq; mutationes habebat; etenim inquit tertia die, eiusque nocte primum conuulsiones defecerunt, quoniam concussu anteacto translatio facta est sanguinis melancholici à principio neruorum, vel à ventre ipsius cerebri ad corpus vbi nõ modo fecit in somnum inclinationem, verũ etiam paulo post vigilias, & delirium iuxta sententiam Hipp. nupertime citatam de melancholicis, & Epilepticis; & iuxta id, quod scribit Galenus primo Prorr. vigesimoseptimo, vbi fit mutatio materię in cerebro ab vna in aliam partem fieri quoq; varietatem symptomatum, scilicet actionum læsarum; Neque delirium erat simplex, sed validum, ita vt exiliret, neque sese continere posset, nimirum commorso; atque vehementer agitato cerebro ab humore illo inimico, & molesto; quam diram commotionem membrorum omnium haud mirum fuit, si acuta febris est secuta; hoc est ea, quæ prius placidior fuerat, ingens incrementum suscepit.

Ad hanc noctem. Inter alia admiratione digna, quæ habuit præsens casus fuit subita, quam nunc subiungit Hippocrates exitiosissimi; & dirissimi morbi ad salutem commutatio; & certe illud habent insignes euacuationes, vt mirabilia faciant, quemadmodum accidit propositę mulieri cum noctu copiosissimus sudor calidus, & per totum effluxisset, simulque retenta menstrua prorupissent iudicata, atque à præsentaneo periculo erepta est, ita vt à febre libera remanserit, ad mentem redierit, & consequenter dormierit. Cæterum illud non exiguam præbet dubitandi occasionem, quo pacto in die non critica, & cũ vrinis potius malis, quam bonis potuerit adeo bona fieri iudicatio. Respondendũ est nos ignorare, an morbus redierit, quandoquidem Hipp. postquã reliquit eã vt sanã, nec amplius visitauit,

visitauit, nec forte quicquam de ea quæsiuit, propterea q; siluit, neq; enim à ratione alienum est potuisse post aliquot dies morbum reuerti. Vel dicere possumus, quod spectat ad decretoriam diem non inconuenire, quin ea nox, quæ sequuta est diem tertiam, & in qua fuit facta iudicatio, fuerit initium quartę, atque iudicatoriæ diei, quemadmodum grauia illa symptomata, quæ tertia die euenerunt, ex illis fuere. Quæ solent crisim antecedere, ob idq; decretoria vocari, atq; eo magis in hanc sententiam inclinor, quod morbus visus sit noctę antecedente primam diem principium sumsisse, nam solent eadem pene hora morbi bene, vel male finiri, qua etiam inchoant. Quod porro vrinæ essent nigræ tenues, absq; sedimento cũ æneoremate rotundo, quæ non modo cruditatem materiæ ostendunt, verum etiam ipsius coctionis contrarium, dicunt aliqui tales fuisse, quoniam menses cum essent prorupturi, eas ita colorarunt; verum cum alia sit via vrinæ, alia menstruorum, haud facile est intelligere, quo pacto possit ab iis nondum in vterum fluentibus vrina colorari; praeterea non tantum color ipsarum æstimari debet, pro vrinæ coctionis significatione, quantum tenuitas, carentia sedimenti, & enæorema rotundum, quæ quidem haudquaquam potuerunt præstari à menstruis fluentibus, imo potius hac ratione debuisset esse vrina crassa, quam tenuis, & cum sedimento quam sine; Itaque satius est dicere hunc casum forsan Hipp. ob id nobis tanquam admirationę dignũ fuisse propositum, vt intelligeremus, quãdoq; etiam iudicia fieri sine vrinæ coctione; imo vero cum vrina mala, quando præsertim præcipuus morbus haud est in vasis, & humor melancholicus expurgatur per ipsam vesicam; sicut huic mulieri contigisse verisimile est, in qua non tantum per sudorem, & menstrua, verum per vrinã quoq; facta fuit excretio succi melancholici, quæ tamen haud tanta fuit, vt potuerit eam, quę erat antea tenuis crassam reddere; atq; huic interpretationi videtur attestari Galenus dicens vrinæ nigredinem haudquicquam difficile effecisse, propterea quod melancholicorum menstruorum suppressio erat; propter quæ verisimile est delirium, timorem, atq; alia animi mala sibi cõtigisse. De curatione autem id summatim dicendum est, cum caussa omnium pene malorum fuerit menstruorum suppressio; omne studium eo fuisse conferendum, vt illa reuocarentur, sublatis caussis omnibus, tam externis, quam internis; & quod spectat ad viuendi rationem ipsa erat mediocriter alenda cibis potissimum iis, qui melancholicum humorē demulcere putantur, & certe quia statim conuulsiones, & graues animi læsiones cœperunt apparere à vino abstinentiam valde commendassem. Ad hæc aliis animi perturbationibus sedandis studendum fuisset, siquidem ex mœrore, ac tristitia, siue ob amorem, siue ob aliud quippiam contractis cœpit primum ęgrotare, nam tantã vim habet mœror, vt dixerit Gal. 3. de Præsag. ex puls. c. 4. non modo ab eo diarias, verum etiam hecticas, & pestilentes fieri febres; instituta victus ratione, tum de sanguine mittendo erat decernendum, locus autem plane eligendus statim fuit, venarum infernarum; & quia alui excrementorum nulla fit ab Hip. mentio primum vel clystere acriori, vel aliquo leniente medicamento sollicitari debebat, post mitti sanguis a poplite, vel saphena, atq; in ea maiori copia, quæ à viribus ægrotantis innoxie sustineri poterat, iuxta id, quod scribit Galenus sese fecisse in ea muliere macilenta, & inappetente, cui ob suppressas purgationes menstruas ægrotanti sese vltra sanguinis duas libras maximo cum fructu misisse testatur lib. sexto Epidem. ca. tertio, text. 29. Misso autem sanguine, & per sectam venam, & per cucurbitulas scarificatas, & per ipsas scarificationes, si opus fuisset, erat tum accedendum ad cor tuendum, atq; etiam ipsum cerebrum per frictiones inferiorum partium, & ligaturas, per oxyrrhodina, & cordis linimenta, & similia, intus vero fuissent ea administranda, quæ menses prouocant, & simul melancholicum humorem demulcent, quæ etiam ipsis mensibus fluentibus solent adhiberi, nisi illi copiosiores fluant.

HISTO-

HISTORIA TRIGESIMAOCTAVA.

IN LARISSA Virginem febris cœpit, ardens, acuta, vigil, sitibunda: lingua fuliginosa, sicca: vrina boni coloris quidem, sed tenues. SECVNDA *laboriose, non dormiuit.* TERTIA *multa prodierunt ab aluo, aquei coloris: & sequentibus exibant talia cum bona tolerantia.* QVARTA *minxit tenue, paucum: habuit enæorema sublime: non subsedit: delirauit in noctem.* SEXTA *è naribus large effluxit multum: horruit; sudauit multo calido per totum: absq; febre iudicata est: in febribus autem, & iam facta iudicatione, muliebria prodierunt tunc primum: virgo enim erat: erat autem semper anxiosa, horrida; & rubor faciei: oculorum dolor: grauitate capitis laborans; huic non rediit: sed iudicata est: labores in paribus.*

IN LARISSA VIRGINEM. Plures fuisse vrbes Larissæ nomine vocatas, ex Strabonis libro nono alias significauimus, & inter alias erat quædam in Attica regione, vbi forsan hæc virgo ægrotabat, & quã forte ibi visitauit Hippocrates; Habitationem non nominauit, nec quicquam aliud, quia cum esset virgo, voluit iuxta sua præcepta nimis esse curiosus; Cuius autem esset ætatis licet neq; ita constet, attamen adolescentulam fuisse circa vigesimumquintum annum, atq; etiam vltra coniicio, ex eo quod copiosus sanguis ex naribus sibi effluxit in ægritudine, & quod Hippocrates inquit, tunc primum sibi menstrua cœpisse fluere, quodq; esset virgo, repetit; scimus enim plerisq; hoc tempore menstruas purgationes inchoare, & magnas in corpore agitationes fieri, vt propterea etiam tum grauissimis ægritudinibus soleant tentari; quamquam suspicari etiam licet forsan, tardius, quam par erat, cœpisse naturales illas purgationes, ac idcirco, & grauiter laborasse, & in ægritudine largam sanguinis copiam profluxisse. Ceterum videtur admiratione dignum, quo pacto statim correpta sit febre ardente, & acuta, cum siti, vigiliis, lingua fuliginosa, & sicca, vrina tamen fuerit boni coloris: sed tenuis, Nisi dicamus, quod supra, scilicet eam habuisse in corpore præparationem insignem, quia eo tempore incipiebant menstrua, & forsan tardius, quam conuenisset; quamquam dubitandum est quoq;, non ita cito ipsam decubuisse, & quando Hippocrates fuit accitus, illam iam pridem leuiuscule ægrotasse; sed vtcunque sit, sanguis nimius, & nimium retentus, proptereaq; maxima ex parte biliosus redditus, cœpit circa viscera, & vterum feruere, ac putrere, vnde facta est febris ardens, sed cur addit Hippocrates, etiam fuisse acutam? dicendũ est voce ὀξὺς, voluisse Hippocratem significare, eam febrem non fuisse ex iis ardentibus, quæ sunt mitiores, sed potius fuisse magnam, & grauem, vt etiam ostendebãt symptomata sibi coniuncta, nempe vigiliæ, sitis, nec non fuliginosa, atq; arida lingua, quæ omnia aliunde non nascebantur, quam ex ingenti æstu, & calidi humoris, ac pro[...]ni visceribus magnis combustione. Sic enim Aristoteles trigesimaquarta, sect. Probl. quarto, dicebat linguam esse indicem febris ardentioris, quia bibula est humoris, & pulmonibus superposita ob quod humoribus, & fulginibus inde manantibus primum coloratur. Porro de vrinis, quod dicit eas fuisse boni coloris, sed tenues, nõ est mirum, quia iam cœperat natura propendere ad caput, eo quod materiam sanguineam, & incensam dirigere, vt euentus postmodũ satis docuit, quando præter alia capitis symptomata, die sexta sanguis multus large profusus est ex naribus.

SECVNDA LABOR. Notat Galenus, & bene, hoc esse ex miris exemplis, quibus obseruauit Hippoc. diebus paribus fieri interdum iudicationes, ita securas, vt nulla fiat recidiuatio, sed habuit & aliud rarum, quod indicata est, omnibus fere euacuationibus, alui, sanguinis è naribus, ex vtero, nec sudoribus; vnde iure dicit Hippocrates omnia die secunda fuisse laboriosa; & præsertim nil dormiuisse; & notare voluit maxime, quod non dormierit, quamquam dixisset etiam in prima die fuisse vigilem, quasi tunc parum aliquid dormierit; secunda vero die nihil penitus

 somni

somni habuerit; potuit etiam hoc fecisse, vt indicaret hunc morbum ante alia petiisse cerebrum, idq; fuisse confirmatum quarta die quando delirauit; & aduertendum est in antecedente historia similiter voluisse, Hipp. adnotare, quod in prima die fuisset vigil, secunda nil dormiuisset, quasi mirum & notabile sit statim secunda die in morbis amitti somnum.

TERTIA. Disputant aliqui vtrum legendum sit ὑδατεχρόα an ὑδατεχλώρα, & postremam hanc lectionem alteri receptiori conantur præferre quod sit familiaris magis Hipp. & quod aquæ nullus sit color, sed quamquam non diffiteor apud Hipp. non raro haberi similem vocem, quæ significat bilem aquositati commixtã, atq; hanc etiam videtur magis probare Galenus tertio, in tertium Epid. contex. 72. attamen, & Hippocrates, sæpe mentionem facit vrinarum colore, & substantia aquam referentium, quas Celsus vocat perliquidas, & Erotianus ὑδατόχροα ἄρα, id est, aquæ colorem referentia videtur interpretari; neq; valet quod aquæ nullus dicatur color, quia sicut dicitur aqua ἄποιον sine vllo sapore, cum tamen habeat proprium, qui passim vulgo dicitur aqueus. Sic dicitur sine colore, cum tamen habeat proprium quendam. Verum siue hoc, siue illo modo legatur, haud multum interest; possunt enim alui excrementa exiisse aquosa, hoc est quodammodo, & substantia, & colore aquam referentia; possunt similiter profluxisse aquabiliosa, hoc est aquositate, & bile commixta, vel biliosa, sed instar aquæ tenuia; atq; fusa, quæ illud præcipuum habebant, quod facilitet inter exeundum ab ægrotante ferebantur; erat autem iuxta Hipp. 3. aph. hoc signum ea quæ debebant, scilicet tenues & biliosos, ac putridos humores euacuari, quibus febris ardens, & acuta producebatur.

QVARTA. Cum, vt dicebam, proposita ægritudo a cerbationes haberet paribus diebus, merito quarta dies fuit satis grauis, nempe qua vrina non laudabilis apparuit; nullus sudor factus est; & nocte delirauit, vrina fuit tenuis, pauca, & cum sublimamento eleuato; fuit enim tenuis, & pauca, quia præter morbi cruditatem aluus quoq; fusa erat, nempe quam dixit tertia die, & sequentibus biliaquosa fudisse, ad hæc enæorema illud eleuatum, vt dicit Galenus flatum indicabat ex sua natura non delirium, siquidem vbi nebulæ priuantur flatu, qui ipsas sursum sustineat, in fundum labuntur, neque Hippoc. in Prog. vbi loquitur de vrinis, haudquaquam futuri delirii signum esse docuit huiusmodi sublimamentum, sed cur Hippocrates adnotauit non habuisse subsidentiam, quod sæpe etiam in aliis ægris facit: cum tamen haud operæ precium sit, ea quæ non contigerunt enarrare, alioquin immensum nimis opus fuisset. Respondendum est hoc fere tantum de sudore, & de sedimento adnotare consueuisse Hipp. quando veresimile, & potuisse alterum contingere, nam interdum vsu venit, vt vrinæ habeat præter nubeculam, etiam aliquid in fundo, vel quod est in summo paulo post in fundum tentat, quorum neutrum adfuisse huic ægræ placuit sibi adnotare, vt indicaret vere eam fuisse tenuem, atque crudam. Verum quod delirauerit, non fuit ita mirum, quia antecedentes illæ, & continuatæ vigiliæ, linguæ prauitas, & vrinæ tenuitas prædicere poterant, futurum esse eiusmodi motum ob calorem, & siccitatem cerebri à vigilia indicatam, & ob materiæ ad superiora motum.

SEXTA. Non nominat quintã, vel quia nõ visitauit ea die ægrã, vel quia nil obseruatu dignũ contigit. Sed vere dicit Gal. hoc mirũ fuisse, q; sexta die facta sit iudicatio, atq; ea satis felix per sanguinis è narib. fluxũ, & per vniuersalẽ sudorem, quandoquidẽ hac die tyrannica nil gtarum & securum fieri consueuit. Fuit ergo sanguinis fluxus largus, & multus: hoc est copiosus, & multitudine, & duratione; quod enim ab hac parte fluxerit sanguis. (quod Plinius soli homini contingere scribit libro vndecimo, capite trigesimooctauo.) est quia in ardentibus feruet sanguis biliosus, qui facile sursum latus per vias naturæ ipsi magis dilectas euacuatur; fuit vero copiosus, quoniam, vt statui, menses tardauerant virgini & forsan per se fluebant, cum Hippocrates dicat mulieri si menses deficiãt bonum esse sanguinis è naribus fluxum 5. aphor. trigesimotertio, & hoc forte significare voluit Hippocrates

hisce

hisce verbis (tunc primum menses fluxerant) ac propterea cumulatus fuit copiosus sanguis, qui vt primum carcere rupto, excludi cœpit, & supra & infra copiosus erupit, quo factum est, vt secuta sit egregia atque felix in die sexta indicatio, ita vt sit etiam à febre ex toto liberata, quomodo vero simul factus sit sudor calidus, & vniuersalis in tanta sanguinis profusione, haud ita facile est definire, nisi dicamus hoc quoque febribus ardentibus esse familiare, vt indicentur sudore, quod tanto minus admirabile fuit in hac virgine, in qua multum seri exuberasse, docuerunt illa aquosa excrementa, quæ tertia die apparuerunt; esse vero sudorem bonum, qui è toto corpore calidus fertur, iam in Prognost. abunde monstrauit Hipp. sed dicet aliquis quæ fuit caussa, quamobrem futurum adeo copiosum sudorem, haudquaquam rigor, vt cõsueuit, sed horror, anteceßit. Aliqui contextus & interpretes vocē πολὺ coniungunt cum subsequente φρίξασα, quasi dicat Hippocrates, cum multũ horruisset; sed si vox coniungatur antecedenti, vt in pluribus est, puto fuisse, quia maior portio humoris illius biliosi, & acris, à quo fit rigor vna cum sanguine ferebatur, tum ad nares, tum ad vterum, tum etiam ad aluum, per quas vias etiam euacuata fuit.

In Febribus. Quod alias facere consueuit Hippoc. id nunc quoq; facit, vt post narrationem symptomatum dierum singulorum aliqua communia ponat. Atque illud primum est, quod in febribus ipsis; atq; etiam iis iudicatis, & finitis menstrua fluebant; quodque tunc primum inchoarat, quoniam virgo erat. Casus huiusmodi, (ni fallor) erat, non quod continuo, dum febre laborauerit, menstruas purgationes haberet, alioquin quomodo potuisset in sexta iudicari per largam sanguinis profusionem; sed quod vbi febris exacerbatur, tunc potissimum effluebat sanguis, & iure dixit, in febribus, quoniam vis ipsa febrium erat, qua sanguis ardentior factus magis ad sitis expulsionem naturam incitabat; præterquam quod puto hanc fuisse potissimam causam, cur menses qui alioquin tardauerant, tunc primũ cœperint effluere impetu febris ipsius prouocati, & propterea paulatim nec copiosi prodeuntes. Sed dicet aliquis cur Hip. addidit (Virgo enim erat?) Puto addidisse, quia non inconuenit, vt aliqua simul deflorata sit, & nihilominus careat menstruis, quandoquidem, vt testatur Arist. repertæ sunt etiam aliquæ, quæ licet visæ sint viro, haud tamen vnquam menstrua habuerunt; imo vero etiam absq; iis conceperunt, & pepererunt. Cur porro hæc virgo post iudicationem quoq; habuerit ea, & post largam è naribus sanguinis effluxionem, existimo triplicem fuisse caussam, copiam sanguinis diu collecti, & retenti; exitum non confertim, sed paulatim factum; ac postremo lubricitatem aliquam in ipsis vasis relictam; fit enim interdum, vt post violentam, & assiduam aliquam excretionem vasa per aliquod tempus lubrica, & hiantia remaneant, sicq; sanguis diu sponte profluat, quod pariter intestinis post longam, & largam aliquam euacuationem contingere quotidie obseruamus.

Erat avtem. Quod præterea huic virgini perpetuo affuit in morbo, erat anxietudo, atque horror, nec non faciei, & oculorum dolor, simulq; capitis grauitas, quæ symptomata non tam sequebãtur ipsius febris, & humorum peccantium naturam, quam menstruorum non iuges, sed exiguas, & interpollatas excretiones: scimus enim maiorem mulierum partem dum purgantur nec multum, affici capitis grauitate, præsertimque iis, & vultum & oculos alterari, vt docent maculæ, quæ subtus oculos tunc conspiciuntur; imo hac etiam ratione menstruatæ mulieres solent specula commaculare; vt Arist. monstrat lib. de sens. & sens. & in Probl. quod potissimum ab ipsarum oculis exeant inquinamenta, quæ speculis adhærentia, turpitudinem, & obscuritatem iis inducunt; quæ omnia etiam ab Hipp. secundo Epid. sect. tertia, commemorantur, tanquam fiant fluentibus mensibus maxime in virginibus, & cum primum fluere inchoant. Cur autem maxime hæc contingant circa caput, & faciem est, tum consensus vteri per neruos cum parte capitis antica commemoratus ab Hipp. & à Gal. sexto Epid. sect. prima. text. secundo tum præsertim, quia vbi fit in toto corpore agitatio, facilius ceteris membris, vt

dicit Hipp. quarto de morb. caput ipsum recipit, vt videmus fumos ad tectum sua-pte sponte ascendere, vbi ignis fit. Hæc autem omnia, quæ contingebant circa capnt oculos, & vultum erāt satis clara indicia futuri sanguinis è naribus fluxus; quem dicit Hipp. 5. aphor. 33. optimum esse vbi menses deficinnt, vel, vt ego addo, imminuti sunt.

Hvic non redi1t. Quamquam solutio huius morbi facta esset per insignes, atq; probatas euacuationes; nihilominns aberat præcipuum signum, nempe coctio; dicit autem Hipp. 2. Epid. quę disparent sine signo esse infida, & φιλυπόστροφα, id est, solere recidiuare; vnde debebat hic morbus reuerti, cumque hoc non contigerit, tanquam rarum quid Hipp. voluit adnotare; sicut etiam quod absoluta atq; secura iudicatio facta sit in diebus paribus etiam fiebant exacerbationes: etenim si videatur Galenus 1. de dieb. decret. c. 4. & 5. vix dici potest quā periculosam, & exitiosam, & incertam, & nullo modo securam faciat sextæ diei iudicationem. Modo aliquid proponatur de curatione, quam verisimile est sibi fuisse adhibitam; cumq; constet hanc virginem statim laborasse febre ardente operæ precium est, credere statim quoq; fuisse propositum tenuissimum victnm, ptisanam aquam, vel succum granatorum, aut quippiam aliud simile, quod moderatealere, neq; onerare posset; De operatione chirnrgica non puto quicquam medicum cogitasse, cum Hipp. in fine historiæ dicat ægre ab initio morbi fluxisse menstruas purgationes, quæ in virgine debebant forsan esse parciores iusto, & maxime si tardiusculæ, vt reor fuerint; quo in casu handab re fuisset pertundere venam poplitis, vel tali, vti frictionibus ligaturis cucurbitulis scarificatis cruribus, aut prope pectinem non scarificatis. De parte vero pharmaceutica, in qua decebat Corn. Cels. initio libri septimi fortnnam sibi multum vendicare, ita incedendum fuisse arbitror, vt primadie nisi aluus sponte fluxisset ea moueri debuerit, aut clystere, aut aliqno subductorio medicamento, & forsan factnm est, vsu clysteris inuitata natura profuderit die tertia multa aquosa, atq; biliosa. De reliquis habuimus in alia historia statim in febre ardente aquam frigidam exhibitam maxime contulisse, qua de re tunc multa diximus, & aliqua repetenrur, vbi opus fuerit. Atqui dubium est, an fuerit vsurpatum hoc in casu remedium; siquidem ex vna parte Hipp. nil meminit, vt tunc fecit; ex alia parte & alui fluor tertia die, & salus sexta secuta testari possunr initio simile subsidium fuisse suppeditatum, postquam tam febris ipsius natura, quam sitis, linguæ ariditas, adolescentia, aliaq; plurima partim exigere, partim permittere videbantur, id saltem debuit fieri, vt statim coctioni humorum studeretur, simulq; putredini, & pranitati obsisteretur, rum decoctis accommodatis, atq; sæpius commemoratis; tum confectionibus vnctionibus, profusionibus, aliisq; externis atq; internis auxiliis, præsertim circa os ventriculi, quod fuisse non parum violatum ostenderunt illæ frequentes anxietates. Ceterum quæri posset, cum dicat Hipp. etiam post iudicationem perrexisse mensium fluxiones, vtrum circa illas fuisset quicquam curandum? qua de re ita censeo fuisse deliberādum, vt si fluentibus ipsis corpus alioquin in sanitate proficeret; nil plane innouaretur; sed id totum ipsi naturæ permitteretnr: sin autem parcius prodiisset, iuribus aliquibus ex cicere rubro, radice petroselini, erythrodani, foliis cap. ven. ad hæc frictionibus assiduis erat auxiliandum, quemadmodum ipsis large exeuntibus; simulque corpore elanguescente fuisset cucurbitulis mammis adhibitis, partium superiorum frictionibus, & ligaturis cibis, atque potibus nonnihil adstringentibus, & incrassantibus agendum, cuiusmodi est pro potu subastringens vinum, & aqna chalybeata, cibi similiter in aqua chalybeata cocti cum portulaca; oxalide, plantagine, polygono, fercula ex farre, oryza, pane trito, aliaq; similia.

HISTO-

HISTORIA TRIGESIMANONA.



POLLONIVS in Abderis erectus degens morbum ferebat tempore multo: erat autem magni lienis: & circa iecur assiduus dolor tempore multo perseuerabat; atque tunc ictericus euaserat: flatulentus, coloris subalbi: edens autem, & bibens intempestiuius bubulam, calefactus est aliquantum primo: decubuit; lactibus vero cum esset vsus coctis, & crudis multis, caprillis, & ouillis, & victus ratione praua: omnium læsiones magnæ: etenim febres exacerbatæ sunt: venter assumptorum nihil reddidit dignum effatu: vrinæ, & tenues, & paucæ prodibant; somni non aderant: inflatio mala: multa sitis, comatosus: hypochondrii dexteri eleuatio cum dolore: extrema vbique subfrigida: parum obloquebatur obliuio omnium, quæ diceret: mente errabat: circa vero DECIMAMQVARTAM *à qua cum riguisset, recalefactus est; decubuit, & furore tentatus est. Clamor, tumultus: sermones multi, & rursum quies; & sopor tunc inuasit: posthac autem aluus turbata multis, biliosis, sinceris, crudis: vrinæ nigræ, paucæ tenues multa ferendi morbi, difficultas deiectiones vario modo: vel enim nigræ, & paucæ, & virulentæ: vel pingues, & crudæ, & mordaces: secundum autem tempora visus est & lactea reddere; circa vero* VIGESIMAMQVARTAM *placatio: alia quidem in iisdem; parum autem ad mentem rediit: ex quo vero decubuit, nullius recordatus est: rursus autem cito mente errauit: mouebantur cuncta ad deterius; circa vero* TRIGESIMAM *febris acuta: deiectiones multæ, tenues: delirium: entrema frigida: sine voce:* TRIGESIMAQVARTA *extinctus est: huic vsque in fine. Ex quo, & ego vidi, aluus turbata: vrinæ tenues, nigræ; comatosus; vigil; extrema frigida; delirium vsque in finem Phreniticus,*

APOLLONIVS IN ABDERIS. Id videtur quasi fatale in hisce commentariis Galeno, vt quo magis Hippocrates longus est in enartanda historia, eo sit ipse breuior in exponenda, quemadmodum in præsenti clarissime conspicitur, vbi cum Hippocrates fusissime Apollonii Abderitani casum enarret, ipse tamen Galenus nil aliud dicit, quam Hippocratem more solito in fine historiç summatim quædam symptomata continua proponere, ex quibus facile potuerit vnusquisq; sagax medicus præcognoscere futuram mortem, quasi vero cetera sint satis perspicua; & quamquam verissimum id sit, nihilominus multas & magnas habet speculationes, quas minime prætermittere oportet. Hippocrat. visitasse hunc ægrotantem ipsemet in fine historiç significat. Atqui non est ita certum, quot diebus, & quando primum visitauerit; etenim licet non ita commemoret, quæ contigerunt ante decimamquartam attamen meminit duntaxat decimæquartæ, vigesimæquartæ atque trigesimæquartæ; ex quo posset quispiam suspicari hisce potissimum diebus illum visitasse; verum illud, quod ipsemet narrat est scilicet ex quo accessit ad videndum ægrotantem varia, & grauia symptomata habuisse, quæ in morbi initio haudquaquam apparuerunt; neq; fieri potest vt semper affuerint; præterea dicit ex quo vidit eum semper fuisse phreneticũ; est autem vera phrenitis morbus acutissimus ita vt celerrime, & ad summum septima die interimat; vt hac ratione potius existimandum sit Hippocratem fuisse vocarum circa ægritudinis finem, & propterea quicquid de aliis antecedentibus diebus adnotauit audiuisse ab adstantibus, nisi potius dicere placeat Hippocratem hic pro phrenitide more suo intelligere graue delirium, non tamen veram phrenitidem; ac ipsum fuisse vocatum primum decimaquarta die, quando cœpit immanius insanire, cum antea leuiter tantum delirasset. Sed de his suo loco iterum dicam; nunc tempus est ad historiæ examen succedere, & primum de nomine, & patria nil dicere necesse est; tum quia alias contigit nobis de Abdera sermonem facere; tum quia haud licet faciliter diuinari, quis hic fuerit Apollonius, cum fuerint eius nominis plurimi apud omnes, & in omni ętate; Apollonius itaq;, vt ego puto, vir ætatis mediæ à natura non admodum recte constitutus, priusquam in febrem incideret diu caussarius fuit, atq; adeo, vt vix

vt vix sese sustentare, atq; erectus ambulare posset; id enim significat apud Hippocratem verbum ὑποφέρειν. Huiusce autem incedendi, & operandi imbecillitas caussa erat, quod magna viscera habebat, assiduo circa iecur dolebat, tum ictericus, flatuosus, atque coloris albi erat. Hic ergo fuit status Apollonii Abderitani multo tẽpore antequam ægrotauerit; & appellaui ipsum caussarium, quod veteres, vt docui, in variis lectionibus sic vocarent eos, qui caussas morbi intus gestabant, potiusque male, quam bene valentes erant. Porro qui essent vocati μεγαλοσπλάγχνοι apud Hippocratem (appellatio Hippocrati satis vsitata) docent Erotianus, & Galenus plerisque in locis, potissimum autem septima die vict. acut. nono, vbi colligitur veteres vocasse μεγαλοσπλάγχνους eos, qui à natura habent magna viscera, scilicet pulmones, iecur, splenem, vt Euripides dixit μεγαλοφρένας. Medicos vero sic nuncupasse eos, qui habent morbo quopiam, nempe inflammatione, vel œdemate, vel scyrrho viscera tumentia, quemadmodum Paul. Ægin. libr. 1. cap. 96. sic videtur appellasse eos, qui magna viscera, ac tumoribus suscipiendis obnoxia habent; ceterum hoc in loco vtro modo locutus sit Hippocrates dubitari posset; nisi sequentia verba satis clare ostenderent Apollonium potuisse quidem, & à natura habuisse iecur, atque splenem magnum; verum tunc fuisse etiã prẹter naturam secundum illa affectum scilicet obstructionibus, ac tumore laborasse, nondum tamen inflammatione, quando nec adhuc febricitabat. Cur autem Apollonius haberet ampla, & tumentia viscera, nihilominus assidue dolebat tantum circa iecur, caussa fuit, tum quia suapte natura splen, ac pulmones minus subiiciuntur doloribus, quã iecur ob propriam ipsorum constitutionem; tum maxime quia erat maior iocinoris tumor ob retentam in ipso bilem; vnde tam humoris acrimonia, quam distensione ligamentorum, inducebatur dolor; caussa vero propter quam in visceribus magnitudinem præternaturalem & morbosam inciderit, existimo fuisse, quod praua viuendi ratione vteretur, & præsertim multo ac prauo potu aquæ Abderitanæ, nec non cibis crassioribus, qualis caro bubula; si enim, vt videbitur Hipp. dicit hunc incidisse in febrem ob similem deterrimum victum, verisimile quoque est ab eadem caussa ante febrem male valuisse. Scribit in quadam Epistola Brutus sese vbi in Insulam Lemnum contulisset, ibi reperisse cunctos male coloratos, quod non ob aliud, quam ob pessimæ aquæ vitium contingebat; describit & Hippoc. lib. de intern. aff. quendam hepatis affectum ex carnis bubulæ esu natum, & vini potu.

Et tvnc ictericvs. Præter assiduum iocinoris dolorem, habebat Apollonius alia tria mala priusquam febriret; icteritiam, flatuositatem, & leucophlegmatiam appellatam. Icteritia est color totius corporis deprauatus ob effusionem bilis in vniuersum eius ambitum; effunditur autem vel quia copiosa generatur, vel quia non attrahitur à cysti fellis, vel quia attracta impeditur, quo minus, vt à natura constitutum est, in intestina transeat in Apollonio fiebat icteritia, quantum conii cete licet, non tam quod copiosa bilis gigneretur, quam quod ob iocinoris obstructionem, atq; etiam ipsius vesiculæ haudquaquam attrahebatur; Fiebant vero obstructiones à crassis, & viscidis humoribus cumulatis ob prauam victus rationem, præsertim ob aquæ crudioris potum, atq; bubulæ carnis esum. Verum illud nõ exigua dubitatione dignum, quomodo hic æger simul ictericus, & flatuosus esset, quoniam vt scribit Hipp. 5. aph. vlt. Icterici non fiunt admodum ventosi, præterquam quod icteritia fit ab humorib. calidis, flatus vero à frigidis. Ad quod responderi potest dupliciter vno modo, quemadmodum Gal. in aphorismi illius commentario docet, scilicet Hipp. duabus dictionibus vsum esse, fere, & non admodum, vt interrumperet perpetuitatem aphorismi, quasi fiat quidem, vt simul quispiam sit auriginosus, & ventosus, sed raro, sicuti raro contingit in auriginosis partes ad ventrẽ attinentes esse imbecillas. Vel responderi potest ictericos factos ob copiam bilis non fieri ventosos; sed illos tantummodo qui tales euadunt ob humores crassos, & crudos obstruentes iecur, & vesiculam, ex quibus pariter ratione imbecillitatis caloris eleuantur flatus, qui retenti in hypochondriis inducunt tensionem illam, quã vocant

cant medici ἐμπνευμάτωσιν, seu inflationem. De leucophlegmatia, quæ est & ipsa symptoma in genere affectuum mutatorum idem prope dicendum est; factam eam fuisse ob aquosum languorem, vt dicebat Horatius; seu ob pituitosum sanguinem in vniuersum corpus distributum, tam in venas, quam in spacia carnium, qui similiter in Apollonio generabatur, eo quod natiuus calor, qui est succorum verus author valde esset hebetatus, tum à calore præternaturali, tum ob vetitam perspirationem ex obstructionibus enatam; quamquam haud simpliciter dicit Hipp. Apollonium fuisse album, sed subalbum; & Hipp. 2. Epid. in fine prima sect. inquit ictericorum ex iocinore colorem ad subalbidum vergere, quemadmodum & ii, qui pituita alba laborant.

EDENS AVTEM ET BIBENS. In sanis corporibus comedere atque bibere ἀκαιροτέρως, id est, intempestiue semper damnosum est, multo magis in corporibus caussariis. Atqui Apollonius non tantum in hoc peccabat, vt præter tempus, & copiosius, quam par esset, ederet, verùm etiam carnem bubulam edebat: Hipp. enim libro secundo de diæta dicebat carnes bubulas esse robustas, aluum sistere, & ægrè in ventre coqui, propterea quod crassi & multi sanguinis huiusmodi animal est, & Gal. tertio de fac. alim. dicebat carnem bubulam præter multas alias noxas lienis rumores, & hydropas facere, vt iure dixerim huiusmodi victu à principio Apollonium contraxisse malum illum in visceribus habitum: nam vt retro dicebam, Hipp. in lib. quoq; de intern. pass. sermonem habens de quodam morbo hepatico, in quo dolor hepatis vrget, & color fit veluti malicorii eum scribit in æstate fieri, ex carnis bubulæ esu, & nimio potu vini. Itaq; factum est, vt cum esset Apollonius iam male affectus & prauo victu vteretur tandem inciderit in febrem, atq; ita decumbere sit coactus. Est autem facta febris, atq; ea leuis primum & exigua, quoniam à crassitie, & duritie carnis bubulæ sunt auctæ obstructiones, & consequenter calor præternaturalis, qui tandem cordi communicatus febrē peperit, & sic decumbere coactus est, nequeuntibus amplius inualidis viribus corporis onus erectū sustinere.

LACTIBVS AVTEM. Certe æger hic intemperatissimus esse debebat, vt sint complures, postquam non solum sanus, verum etiam æger maxime in victu delinquebat; nam non desunt qui abutentes sanitatis beneficio passim errant; sed tēpore ægritudinis sese prudenter regunt; sunt rursus, qui omni tempore viuere volunt libere, atque hos dicebat Galenus libro de cur. rat. per san. miss. non esse medicandos, & certe fuissent medici, qui protinus Apollonium deseruissent; nam in febre vtebatur lacte, quod Hippocrates secundo aphorism. adeo damnat; vtebatur cocto, crudo, & copioso; vtebatur quoque caprillo, & ouillo, perinde ac faciunt bubulci, & pastores; vnde insignes secutæ sunt læsiones; etenim vsus copiosus lactis obstructiones auget, varietas similiter illius scilicet modo crudi, modo cocti, modo huius, modo illius animalis non exiguum nocumentum affert, sicut faciunt cuncta edulia vatia: At simul assis, dicit Horatius; miscueris elixa, simul conchylia turdis &c. neque valet Pythoclem quendam medicum quinto & septimo Epid. commemoratum lac ægrotantibus concessisse, quia multa aqua miscebat, & forsan nocebat, ob quod fuit id adnoratum, tanquam res preter rationem.

FEBRES SVNT EXACERBATÆ. Cum dixisset Hippocrates magnas læsiones esse ortas vsu lactis, explicatur deinde, quæ fuerint insigniores, ait primum febres fuisse exacerbatas: tria enim habebat, quæ omnino lactis vsum vetabant, vt docet Hippocrates quinto aph. 64. primum erat febriculosus, deinde habebat rumida, & eleuata viscera; postremo habebat murmurantia hypochondria cum esset flatuosus; si igitur Hippocrates præcipit Medico, vt nullo pacto in his casib. lac concedat, etiam si parce, & cum omni obseruatione edat, quanto grauius erratur, quando sponte ægrotantes illud sumunt, nulla habita mensuræ, atque temporis ratione. Præter febris augmentum accessit & aliud damnum, quod aluus nil effatu dignum reddebat eorum, quæ prius fuerant assumpta, nam Galenus lib. de cib. b. & m. suc. scribit si quispiam erret in victu minus malum esse, vbi aluus soluitur,

quod corrupti cibi exeant, priusquam in venas penetrent, ergo pessimum est, vbi illi in corpore retenti, perq; venas distributi corrumpuntur, aliisq; succis corrumpendis occasionem prebent.

VRINAE TENVES. Solent aliqui vbi alnus adstricta est, multum mingere, quo in casu minus quoque læduntur, natura scilicet ea excrementa extenuante, & per vrinas expurgante, vt scribit Aristoteles quarto de gen. an. in fine capituli quarti contigisse illi perinthi vaccæ, quæ vrinam habebat occlusam. Atqui Apollonius non solum ab aluo, verum etiam à vesica reddebat pauca, eaque tenuia, & admodum cruda. Adeo enim vsu pessimi victus creuerant obstructiones, & crassi humores, ac lenti, vt obuoluti fœcibus earum exitum impedirent; similiter neque-ntes illi succi ad vesicam transire, vrinam tenuem, & exiguam faciebant, ac propterea neque dormire poterat, flatusq; retentus pessimam inflammationem, multamque sitim inducebat, scilicet ab obstructionibus acuta febris, augebat sitim; præterquam quod impedita distributio potus, illi quoq; incrementum præstabat, vt solet hydropicis contingere.

COMATOSVS. Si nulli erant somni, quomodo igitur nunc dicit ipsum fuisse comatosum; & certe qui crudis succis, & obstructionibus abundant, solent ad somnum esse valde propensi, vt glires, & vrsi in hyeme; verumtamen haud dormire poterat hic æger ob febres, & sitim aliaque mala: non tamen erat coma vigil, vt putarunt aliqui, nisi quoque dicamus, quæ hic narrantur ab Hippocrate contigisse quatuordecim prioribus diebus; ac ob id potuisse facile fieri, vt aliquibus diebus nil dormiret, aliquibus vero nimis in somnum laberetur.

DEXTERI HYPOCHONDRII. Habuit Apollonius semper & iecur & lienem magnum, tumidum, sed non semper cum inflammatorio dolore: vbi autem à febre correptus est, cœperunt crudi humores vna cum sanguine in iocinore feruere; quo factum est, vt secuta sit illius visceris inflammatio, cuius vera signa erant tumor, dolor, atque febris; & quia inflammata viscera semper ad sese calorem natiuum ab extremis abducunt, hinc iure sequebatur, vt vbique extrema subfrigerent. Dixi namque alias sæpe illud esse proprium febrium, quæ sequuntur alicuius visceris inflammationem, tum vt in iis vrantur interiora, frigeant vero exteriora, tum vt incendium cerebro communicatum faciat delirium, quod contingebat Apollonio, sed si obliuio, & memoriæ læsio sequitur frigiditatem, vt sæpe docuit Galenus & maxime tertio de loc. aff. cap. septimo, quomodo potuit in hoc fieri obliuio omnium, qui mente alienabatur ob æstum cerebro a iecore inflammato communicatum? Ad quod respondendum est obliuionem interdum solam fieri, interdum coniungi aliis animi læsis actionibus, sola memoriæ offensio semper fit ab vna immensa frigiditate, vel humiditate, quę vero coniuncta est aliis læsionibus potest etiam fieri à calore, à quo peruersum cerebri temperamentum plane cunctis illius actionibus incommodat.

CIRCA DECIMAMQVARTAM. A principio morbi non alterius, vt visum est, diei facit mentionem Hippoc. vsq; ad decimamquartam, eo quod non visitauerit ipsum, nisi in decimaquarta, reliqua vero antecedentia adnotauerit, vt sibimet ab ægro ipso, atq; ab adstantibus referebantur; rem autem ita esse videntur persuadere verba, vt retro dicebam, quæ in fine historiæ habentur, vbi dicit, ex quo ipsam vidi, quasi non viderit ab initio. Itaq; circa decimamquartam riguit, febris acuta est, decubuit, & delirium in ingentem insaniam conuersum est, siquidem clamabat, tumultuabatur, multū loquebatur, rursumq; sedabatur, & inter sudandū in soporem labebatur, quæ omnia ideo fiebant, tum quia iocinoris inflammatio progrediebatur, tum quia caput vehementer, & ab inflammatione, & ab ingenti febre violatum inflammari ipsum; ac propterea phrenitidem proxime futuram minari incipiebat. Sed illud non exiguum iniicit scrupulum, quomodo dicat Hippocrat. circa decimamquartam post rigorem, & febrē decubuisse, quasi vero non ante decubuerit, cum tamen dixerit ipsum antea initio tandem decubuisse, nec postea vnquam

quam eo instim fuerit, vt sit verisimile ipsum surrexisse, atque erectum mansisse; Aliqui existimant legendum esse. Circa decimam quartam, ex quo decubuit, quasi voluerit numerare decimamquartam à die decubitus, vt sæpe facere solet, quā responsione haudquaquam damno; sed multo accommodatius, mihi videtur, si particulam copulatiuam ç anteponamus verbo κατεκλίθη, ita vt tota oratio ita legatur. Circa decimamquartam, ex quo post rigorem incaluit, & decubuit, insaniuit, & quamquam antea non meminerit rigoris, par tamen est, existimare prima die ante inuasionem febris riguisse, & forsan ab Hippocrate fuit id notatum, sed ab exscriptoribus omissum, vt sæpe contigit.

Post hæc alvvs. A decimaquarta die vsq; ad vigesimamquattam nullus diei amplius explicate meminit, quia non visitabat nisi raro, & suspicor fuisse hunc ignobilem, postquam prauis cibis vescebatur. Varius itaque fuit in interuallo horum dierum Apollonii status; semper tamen pessimus, quando non modo principes facultates, valde offensas habebat, verum etiam & naturales, vt excremēta pessima ostendebant, quę tametsi profluerent, atque post graues cerebri læsiones apparerent, haudquicquam tamen conferebant. Primum autem aluus turbata est, multasq; excretiones biliosas sinceras, & crudas reddidit, quas sic esse factas ob iocinoris inflammationem satis docere possunt, quæ scripta reliquit Galenus octauo de compos. med. secundum loc. cap. sexto, vbi de ea loquens, inter cetera similium alui excrementorum claram mentionem facit; Sed dicet aliquis flagrante iocinore potest quidem bilis copiosa, & sincera gigni, atq; eiici. Sed quomodo possunt etiam excrementa esse cruda? Galenus loco citato id apposite satis monstrat, vbi scribit iecur æstuans attrahere quidem cibum à ventriculo; sed cum facultas ipsius coctrix labefacta sit, haudquaquam posse cōcoquere, ac propterea illud crudum, & corruptum ad intestina trudere, adeo vt minime inconueniat iecore inflammato, excrementa simul biliosa, pura, atque cruda aluo reiici, quemadmodum etiam interdum reiiciuntur instar colliquationum biliosa, crassa, atque fœtida.

Vrinæ nigræ. Non modo præsens æger habebat alui excrementa praua, verum etiam vrinas, quippe quæ erant nigræ, paucæ, tenues; fiebant enim nigræ ob adustionem, & incendium iocinoris, vbi fabricabantur; erant paucæ, quia maxima pars humorum, & ichorum ad intestina declinabatur; nam haud possunt, nisi raro duæ copiosæ euacuationes fieri, & pręsertim excrementorum alimenti, vt iure dixerit Hippocrates quatto aphor. vltimo, mictum noctu plurimum paruum deiectionem significare, quandoquidem, & ibidem notat Gal. distributo potu per vnam partem haudquaquam suppetit, & distributioni per alteram. Vnde vbi placet aluum siccam mollire, multum potus exhibemus, vt ea mole potius ad intestina, quam ad vesicam prorumpat; sic quando nimis mollem siccare cupimus parum potus præbemus, quo non ad intestina, sed ad vesicam deflectat.

Mvlta difficvltas in tolerando morbo. Cur hanc particulam hoc in loco inter excrementa posuerit Hipp. haud satis video, & certe iurarem fuisse à scriptoribus transpositam, locarique debere retro post vocem ταραχῇ, perinde ac si diceret, magnam turbationem, & magnam inquietudinem habuisse; verum haud multum hoc refert; illud sane certum est multam illam in ferendo morbo molestiam ab ingenti febrili incendio originem habuisse, simulque à viribus, quæ iam incipiebant vehementer laborare, vt declararunt, quæ post sunt secuta.

Excretiones variæ. Quod male interposita sit ante dicta particula, & hæc attestantur, quæ videtur continuare excrementorum mutatorum enarrationem. Quod autem dicit est, excretiones alui varias fuisse, nempe quæ interdū erant nigræ, & paucæ, aut æruginææ, interdum pingues & crudæ, & mordaces; Aliquibus etiam temporibus videbantur lacteæ: quod enim essent nigræ, & paucæ, vel æruginecę fiebat tum ob vehementiam febris, tum ob mixtionem atri humoris

cum

cum ſucco crudo ſimul ambobus putreſcentibus; quod pariter fierent pingues, crudæ,& mordaces naſcebatur ab iocinoris inflammatione, in qua ſimiles fieri excretiones dicit Gal. octauo Med. loc. ſexto imo veriſimile eſt fuiſſe quoq; fœtidas, & ſi non dicat Hippocrates, quoniam vbi hæ tres conditiones contingunt ſimul cruditas, pinguedo & mordacitas ſignificant ingẽtem putredinem, & conſequenter ingentem fœtorem, quem eſſe perpetuum putredinis comitem, dixit quoque Galenus quinto de ſimpl. med. ca. 15. Ceterum quomodo fierent lacteę non ita perſpectum eſt, cum non ſit alibi apud Hippocratem reperire hanc vocem, niſi dicamus eas ita appellatas, quæ non calidæ erant, ſed inſtar lactis egelidæ ac tepentes, ſic Cæl. Aurel. libro quarto dicit cap. tertio, ſic Aetius lib. 3. cap. 170. vocant aquam tepidam γαλακτῶδη, & certe in peſtiferis febribus ſolent, quæ aluo exeunt tepere plerumque. Vel dicere poſſumus vocaſſe Hippocratem lacteas, excretiones, quæ ob excoctam pituitam colorem lactis referebant; aut quod eſſent admodum albæ, nã ἐκλευκάς, & λευκὰς διαχωρήσιας Hippocrat. in Coacis ſępenumero damnauit; quamquam quod dicunt aliqui non eſt abſonum, nempe fuiſſe lacteas; eo quod æger fuerit vſus etiam in ægritudine multo atque vario lacte: ſic enim videmus quotidie vtentes multo lacte facere albas fœces, vt pueri ſolent, quod quoque ictericis aliquibus contingere exploratum habetur.

Circa autem. Dixi ſæpe, & veriſſime dixi, quos ægros Hippocrates non viſitabat quotidie eos ſaltem viſitare conſueuiſſe diebus vel decretoriis, vel indicatoriis vnde cum viſitaſſet hunc decimaquarta voluit etiam vigeſimaquarta id agere; & æquum eſt exiſtimare cognouiſſe Apollonium, non ita cito fuiſſe periturum propter ætatem, quæ erat circa iuuentutem, nec propter virium robur; dicit ergo circa vigeſimamquartam διὰ παρηγορίης, quæ dictio, & qui loquendi modus haudquaquam ſolet eſſe Hipp. vſitatus, & propterea valde hæreo an ſit Hipp. nihilominus, quia omnes contextus habent, poſſumus dicere Hippoc. voluiſſe dicere, quod circa ipſam vigeſimamquartam nonnihil leuaminis apparuerit, quia & ſi cæteta ipſius eodem pacto ſeſe haberent, nihilominus haud ita immaniter inſaniebat; ſed aliquantiſper intelligebat, & ſapiebat. At illud notatu dignum eſt, quod ſcribit ex quo decubuit, ſemper illum fuiſſe immemorem, ita vt nullius rei recordaretur, quod certe non eſt ita ſicco pede pertranſeundum, quoniam ſi erat memoria deperdita, atq; hęc, vt retto diximus, fit à frigida cerebri intemperie, quo pacto potuit tanta in febre ardente eſſe cerebri frigiditas, vt potuerit permanentem adeo obliuionem producere? Alias reſpondi ſimilibus obiectionibus memoriam, vbi ſola læditur ſemper à frigido immenſo, & interdum ab humido lædi, at vbi cum aliis cerebri functionibus violatur poſſe etiam à calidis cauſſis offendi, atque hoc veriſſimum eſt: attamen in præſenti caſu poſſumus etiam reſpondere Appolloniũ haud meminiſſe, quod etiam ante morbum imbecillam memoriam haberet ob graues in victu errores, & præſertim immodicum lactis vſum, quo nimis humectatum cerebrum haud ſolet phantaſmata retinere; quod etiam facit non minus immoderatus potus, vt propterea ebrioſi omnes, & qui vino dediti ſunt obliuioſi fiant: quemadmodum & Ariſtot. & Plutarchus perhibent; nec valet quod Hippocrates dicat, fuiſſe obliuioſum, tantummodo ex quo decubuit, non tantem ante decubitum, quoniam id intelligendum eſt de ablata memoria, non autem de imminuta, ſolet enim memoria primum diminui, deinde auferri tam ſanitatis quam ægritudinis tempore; Licet etiam dicere id Apollonio contigiſſe, quod ſolet euenire pleriſque lethaliter ægrotantibus, vt omnium rerum ſibi antea optatarum, & chariſſimarum obliuiſcantur, quod quidem exitialiſſimum ſignum eſt, quoniam, vt ex Hippocrate & Platone probat Galenus lib. de Plac. Hippocrat. & Platon. nil efficacius eſt ad probandum præſentem ægrotantis ſtatum, quam ſimilitudo, vel diſſimilitudo ſui ipſius. Vbi enim inquit οὐδενὸς ἐμνήσθη, ſi intelligamus nullius perſonæ, vel ſuorum, certe res clara, & accommodata vſui erit.

Rvrsvm

RVRSVM CELERITER DESIPIEBAT. Hæc pars videtur coniungenda cum ea, vbi dicitur σμικρὰ δὲ κατενόησεν, id eſt, parum autem reſipuit, quam dicat Hipp. ægrum parum interdum reſipuiſſe, ſed rurſum celeriter deſipuiſſe; vnde antecedens particula memoriæ deperditæ, vel eſt huic ſubiungenda; vel tanquam parenthesis legenda, illud ſane ferri non poteſt, neque accommodari, quod nonnulli interpretes habent, qui loco παρενόει, i. deſipiebat, legendum putarunt κατενόει, ſeu reſipiſcebat: eſt enim vera prior, & germana lectio, & vulgata, at parum refert ſiue ταχὺ, i. celeriter, ſiue βραχὺ, i. breuiter, vt aliqui habent, legamus, cum perinde ſit. Eſt autem ſententia Hipp. varium fuiſſe ægrotantis ſtatum circa mentis operationes, quia ſemper immemor erat, ſed interdum reſipiſcebat; interdum vero paulo poſt inſaniebat: adeo vt breuia, nec admodum lucida eſſent mentis interualla, ac propterea in deterius cunctæ ruerent, profligatis, ſcilicet, iam ab atrocitate, & diuturnitate morbi omnibus pene facultatibus, atque viribus. CIRCA AVTEM VICESIMAM. Cornarius, & alii contextus hic habent ſymptomata trigeſimæ, quibus caret contextus Gal. & aliquorum aliorum, apud quos ſtatim poſt antedicta legitur Apollonium trigeſimaquarta mortuum eſſe, tanquam Hippocrates, vt dixi non aſſuerit, niſi hac die poſt vigeſimamquartam, & ob id nil adnotauerit; quoniam vero quæ referuntur de tertia rationi admodum ſunt conſentanea, nos quoque illa proponemus: ſunt autem hæc nempe circa trigeſimam febrem fuiſſe acutam, hoc eſt maxime creuiſſe, ſeceſſus fuiſſe copioſos, ac tenues, deliraſſe, extrema friguiſſe, & miſerum Apollonium voce fuiſſe deſtitutum. Quod ſpectat ad febrem, acuta eſt, quoniam natura extremum conatum aduerſus vim morbi factura, nouæ humorum turbationi, nouæque putredini occaſionem præbuit; vnde etiam prauos humores, atque tenues, & bilioſos ad aluum depulit; hincque delirium auctum eſt, & extrema frigida ſunt facta, ſcilicet partim calore natiuo imminuto, partim ad interna contracto, vt non immerito vis quoque animalis penitus profligata, haudquaquam ſufficere potuerit voci faciendæ; & mirum ſit à trigeſima vſque ad trigeſimã quartã, in qua fato functus, eſt potuiſſe cum tot deterrimis ſymptomatibus ſupereſſe. At quia iuuenis erat forſan, atque robuſtiſſimis viribus vſque ad trigeſimã quartam indicatoriam, & à vigeſima octaua per coniunctionem ſeptimam, protogauit vitam; & credibile eſt genus mortis fuiſſe per ſuffocationem, cum obierit phreniticus, vt ipſemet Hippocrates reſtatur, ac phrenitici omnes ſic pereant facultate animali thoracem attollere nequeunte.

HVIC SEMPER. Quod ſcribit Hippocrates eſt ſemper huic ex quo tempore ipſius res ſciuit fuiſſe aluum turbatam, vrinas tenues, & nigras, ipſumque comatoſum, vigilemque extitiſſe, frigida extrema habuiſſe, ſemper deliraſſe, atque phreniticum fuiſſe. Circa hæc vero illud primo diſquirendũ eſt, an viderit Hip. Apollonium an vero res ipſius tantum, relationib. aliorum intellexerit. Etenim ſi verbi vim (οἶδα) expendamus haudquaquam videre, ſed cognoſcere ſignificat; attamen puto ego poſſe etiam eiuſmodi particulam ſignificare illam cogitationẽ, quæ eõparatur ſenſuum ope; illud bene verum eſt, vt dixi, raro eum viſitaſſe, atque tunc ſingula enarrata abſque dierum diſcretione ab adſiſtentib. intellexiſſe, & adnotaſſe; quod vero ſemper aluum turbatam habuerit factum. puto ob lactis importunum vſum, quod in febrib. putridis putrefactam acrimoniam acquirit, & conſequenter inteſtina ſtimulans ipſorũ expulſiuã facultatẽ ad excernendũ ſeipſum incitat: Indeficiës vrinarũ tenuitas perpetuã cruditatẽ ſignificat, vt minime mirum ſit, haudquaquam ſibi profuiſſe largã illã alui excretionẽ, quæ circa trigeſimã ipſi cõtigit. Ceterũ dubitari poſſet, quomodo dixerit Hip. hunc ægrũ fuiſſe comatoſum & vigilẽ, nã quod ſemper vigili illo comate toties ab Hipp. & Gal. commemorata tanta tẽpore laborauerit, vix credi poteſt. Aliud eſt dubiũ, quomodo nigræ vrinæ potuerint tandiu perſeuerare. Ad primũ puto partẽ hanc ſic eſſe interpretandã tanquã Apollo. toto tẽpore ex quo ipſum vidit, Hipp. id habuerit, vt modo in ſomnũ valde ppẽſus eſſet, modo vigilaret, pur ſ vapores craſſi, & humidi in cerebrũ lati vel perſeuerabant, vel diſſipabantur: ceterum ab Hip. non eſſe viſum initio ægrotantem, præter cetera ex hoc poteſt colligi, quod

quod initio dicit alunm nihil effatu dignnm reddidiſſe: in fine autem dicit ex quo ipſum cognouit, & vidit habuiſſe aluum turbatam. Ad ſecundum de nigredine vrinæ dicendum eſt, appellari ſæpenumero ab Hipp. nigram vrinam, quæ claris contraria, & obſcura eſt, cuiuſmodi in febribus ſolent non raro conſpici, & perdurare, ſicut rariſſime vera nigredo in iis ſpectatur: De delirio, quod ſcribit ei perpetuum fuiſſe, ſane etiam ante decimam cœpit mente moueri, atq; obliuioſus eſſe. Verum circa decimam quartam, ἐξεμάνη, ſeu vehementer inſaniuit, ſique ab eo tempore ſumendum eſt phrenitidis veræ initium plane eſſet neceſſe ipſum viginti diebus in vera phrenitide perduraſſe, quod ſi verum fuit admirabile certe eſt, ac ob id forſan ab Hipp. propoſitus eſt caſus, & in fine adpoſita vocula illa φρενιτικός: alioquin vera phrenitis, quæ eſt membranarum cerebri inflammatio, quomodo poſſet tam longe protrahi? nam ſi ex pura bile fiat phrenitis, ſiue à ſanguine, & bile, ſemper cito interimit. Curatio qualis fuerit, aut qualis eſſe debuerit, ex perſpecta ipſius morbi, & ægrotantis natura conijci poteſt; erat æger iuuenis intemperatiſſimus, fuitque morbus febris praua cum iocinoris inflammatione, quibus acceſſit phrenitis: itaq; fuiſſet initio ſtatim inſtituendus victus, qnod certe factum putandum eſt, licet ab ægrotante minime fuerit ſeruatus, quis vero victus eſſe debuerit, ex viribus, & morbi conſtitntione erat ſumendum, habita tamen aliqua couſuetudinis ægrotantis ratione. An lactis vſus pro cibo ſibi fuerit à medicis permiſſus, quæri poſſet, quando veteres, atq; Hippocrati contemporanei, vt ipſe docet initio lib. de vic. acu. lac etiam in febribus, aliaque plurima vetita indulgebant, qualis fuit Petronas, qui, vt ſcribit Galenus in primum Epid. text. 13. ægris concedebat intempeſtiue carnes, & vinum in febribus; vnde huic abſtinendum erat ab hiſce duobus, ſcilicet vino, & carnibus vtendum aqua cocta cum ptiſana, & aliquo iure leui: veruntamen adeo tenui victu haudquaquam fuiſſet vtendum in toto morbi tempore, qui perdurauit vſq; ad trigeſimamquartam, ſed tranſacta ſeptima fuit paulíſper augendus. A victu inſtituto erat ſtatim deliberandum, de aliqua ſanguinis miſſione, at quia vſus fuerat multa carne bubula, multumq; potauerat, nec aluus quicquam effatu dignum reddebat, prius cogitandum fuit de externo cibo foras ducendo, vel per clyſteres, vel per aliquod lene pharmacum; ſiquidem dicebat Gal. li. de cib. bon. & ma. ſuc. vbi factæ ſunt ex inordinato victu cruditates, niſi natura ſponte eas expellat, debere medicum id tentare. Euacuatis inteſtinis deueniendum fuiſſet ad ſanguinis miſſionem primum ex vena communi, poſt vero ad venæ iecorariæ inciſionem, quo tempore, ſ. iocinotis inflammatio cœpta fuit. De pharmacorum vſu internorum, ita ſtatutum eſſe veriſimile eſt, vt purgantia medicamenta omitterentur, quandoquidem aluus turbata erat, ex quo ab Hipp. viſus eſt; alterantia vero vſurpanda fuiſſent aperientia ob viſcerum obſtructiones, refrigerantia ob febrem, & iocinoris inflammationem: at hac in re illud obſeruatione dignum eſt, vbi viſcera tumida ſunt & flagrantia à dulcibus omnibus eſſe abſtinendum, vt præcepit Hipp. ſecundo lib. de vi. acut. vnde male faciunt Medici, vt alias dixi, qui indiſcriminatim pro humoribus præparandis vtuntur dulciſſimis illis ſerapiis, & confectionibus. Extrema porro remedia tum capiti fuiſſent adhibenda refrigerantia, & humectantia aduerſus phrenitidem, tum etiam regioni iocinoris inflammati, primo repercutientia, vt oleum roſac. cum ſucco cichorii, mox & repercutientia, & digetentia, vt oleum amygdal. dulc. vel camomelinum cum roſaceo, & aceti ac ceræ modico addito ſemper abſynthini modico, eo quod vt præcipit Galenus ſemper viſcerum linimentis aliquod corroborans ſit immiſcendum.

HISTO-

HISTORIA QVADRAGESIMA.



N Cyzico *mulieri filias enixæ gemellas, & quæ difficiliter pepererat, & non admodum purgata fuerat, primum quidem contigit febris horrida, acuta: capitis & colli grauitas cum dolore: vigil ab initio: taciturna autem, & tristis, & non obsequens: vrinæ tenues, & decolores. Sitibunda: anxiosa multum: aluus erratico modo turbata: & rursum consistens.* Sexta *ad noctem multa obloquebatur, nihil dormiuit.* Circa *vero* Vndecimam *existens furore correpta est: & rursum ad mentem redit: vrinæ nigræ, tenues: & rursum deficientes, oleosæ, & aluus multis: tenuibus, turbulentis.* Decima quarta *conuulsiones multæ, extrema frigida: nihil amplius intelligebat, vrinæ substiterunt.* Decimasexta *sine voce.* Decimaseptima *mortua Phrenitis.*



N Cyzico mulieri, &c. Præsens casus est mulieris, cuius nec virum nominat Hippocra. nec de habitatione quicquam aliud dicit, quam fuisse in Cyzico, quæ erat vrbs Græciæ nobilis, vbi optimum vnguentum irinum parabatur, quemadmodum scribit Apollonius Herophilius lib. de vnguẽtis apud Athen. libro decimoquinto. Stepha. Athen. facit eam ciuitatem Propontidi in Cheronneso. Est autem verisimile Hippoc. hanc vidisse dum Græciam peragraret, ac propterea non curasse neque viri, aut parentum, nomina: nec habitationis meminisse.

Filias Gemellas. Solet Hippocrates semper adnotare sexum partus, eo quod maxime faciat ad præcognoscendum morborum euentus: itaque de hac muliere priusquam febre tentaretur tria dicit, peperisse gemellas, difficilem partum habuisse, & in partu non admodum fuisse purgatam: Quod autem spectat ad primum Arist. decimo, Probl. 30. quærens cur in cæteris animalibus partus gemelli, licet diuersorum sexuum seruari possunt; in hominum autem genere minime seruaretur. Respondet gemellos in homine imbecillos esse, propterea quod à natura homo vnum tantum parit: vnde parere fœminam, & marem, seu fœmellas simul est contra naturam, quod vero contra naturã fit imbecille est. Cæterum idem Arist. septimo, de hist. anim. cap. 4. & quarto, de gen. an. quarto, scribit animalium alia esse, quæ vnum duntaxat pariunt, alia quæ plures, hominem autem in ancipiti esse, ita vt interdum duos, vel plures, vt in Ægypto: sæpissime autem vniparum; ac propterea quando fiunt gemelli velnti monstrum esse, quippe cum id fiat ob materiæ exuperantiam. Itaque si verum est quod scribit Arist. iure suspicari possumus etiam fœtus huius mulieris minime superuixisse, neque mirum esse quod ipsa quoque obierit; siquidem imbecillis existens ante partum ob gemellos, quos gestabat: imbecillior adhuc facta in partu, haudquaquam magno morbo resistere valuit. De difficultate partus nil aliud dicit Hippocrates, quam hanc mulierem difficiliter peperisse. Consistit autem pariendi difficultas in pluribus, in dolore, in tempore longiori, atque in modo exitus fœtus, vt si pedibus, cuiusmodi Agrippæ dicuntur, vel manibus exeat. Iam vero præsentem ægram dolores maiores, atque diutius in pariendo tardasse rationi consentaneum est, postquam duas peperit; quod quidem esse contra naturam dicebat Aristot. quoniam vt præclare scribit Hippoc. in fine libri de nat. pueri, fiunt gemelli, vbi partita genitura in diuersis vteri finibus recipitur, & proprie pellicula statim contegitur. Fiunt gemelli mares si eius genituræ partes vtræque sint validæ, quemadmodum fiunt fœmello, si sint ambæ partes debiles: fœmella vero & masculus, si vna pars fortior altera debilior sit; & si enim etiam in homine fiet superfœtatio, plerunque tamen oriuntur duo aut plures ex vno coitu, in quo haud vna vice & confertim eiaculatur semen, sed duabus vel tribus, quo tempore partita genitura potest esse, vt quælibet pars sit fortis, & tunc generantur mares, vel debilis, ac tunc fœmellæ, vel altera fortis, altera debilis, atque tunc mas, & fœmina simul gignuntur. Exhibit autem alter post

alterum, non simul nisi quodam miraculo, vt de Iacob & Esau scriptum est in sacris libris: ac propterea fit, vt quæ debilior ægrius, ac tardius, qui vero fortior citius, & facilius prodeat. Quod autem fiant similes gemelli inter sese adeo vt nonnunquam minime queant discerni, tres caussas affert Hippocrates primo, de diæta: vna est similitudo, & æqualitas sinuum in quib. côduntur, altera est, quod simul seminis vtriusque fit excretio cum non diuersis, sed vno coitu gignantur. Tertia est, quod eodem alimento vescantur, vitalesque in lucem prodeant. Cæterum de purgatione suppressa, qua laborauit proposita mulier illud quoq; noscendum est, quod tametsi videantur, quæ pariunt gemellos, debere minus purgari, quasi plus consumant, atque recrementorum minus relinquant, nihilominus res secus habet quia si sani esse debent intus gemelli, debent quoq; nutriri æqualiter, & proinde æqualiter excrementa facere; à duobus igitur plus excremêti semper cumulabitur, quam ab vno, atq; illud deterius, cum plus boni à duobus sit côsumptum: propterea æquum est, vt quæ gemellos parit copiosius semper expurgetur, quam quæ vnum duntaxat. Quod si nonnunquam minus purgatur, vt huic ægre contigit, manifestum est eam necesse esse grauiter ægrotare: siquidem etiam quæ vnum pariût, nisi in partu bene purgentur, male afficiuntur, vt abunde docuit Hippocrates primo de Morb. mul. Quod autem dubitatur in Coac. vtrum tumores tenuium intestinorum qui fiunt in prægnantibus, præsignificent gemellorum partum, est forsan, quoniam vbi duo conceptus sunt in vtero, is magis flagrat, ac ob id intestina ab ipso contrectata incalescant, sicque incalescentia ad sese trahant sanguinem, & humores, vnde postea datur occasio tumorum generationi. Mulier itaque hæc, quæ gemellos cum difficultate pepererat, nec admodum purgata fuerat primum febre correpta est horrida & acuta: Circa quæ prius quam vlterius progrediamur, quærendum est, quomodo intelligendum sit τὸ πρῶτον, id est, primum; & cur statim horror & febris acuta facti sint. De primo die quomodo intelligendum sit; aliquod dubium esse potest, an scilicet intelligendum sit prima dies à partu, an vero de prima die morbi, an simpliciter de principio, quasi prima die cum cœperit ægrotare notata symptomata contigerint: Veruntamen videtur mihi accipiendum esse pro prima post partum die, siquidem difficultas, qualitas partus, & purgamentorum carentia toti morbo occasionem vberem præbuerunt. Quod autem febris fuerit horrida & acuta, qualitas praua excrementorum putrescêtium effecit; cum enim habuerit nouem mensibus duos in vtero conceptus, æquum est existimare illos magnam partem boni sanguinis, quo aluntur fœtus in vtero consumpsisse, ac propterea quæ superfuerunt reliquiæ, eas fuisse deterrimas, crassas, & melancholicas, vt ob hoc vapores ab iis emanantes corporisque habitum mordentes horrorem parerent, & qui in caput ferebantur, dolorem eius, & colli inducerent non simpliciter, sed cum grauitate: imo dicit Hippocrates significanter percepisse grauitatem, quoniam magis lædebant vapores sui copia, & crassitie vt est materia melancholica, quam acrimonia; vnde etiam fiebat, vt læderetur imaginatio cæteræque rationalis materiæ functiones, & ob id esset statim insomnis, quales fiunt melancholici, ab assiduis, & tetris imaginationibus perculsi: Erat etiam taciturna, & mœsta, nec medico, nec adstantibus obsequebatur; sitiebat præ febris magnitudine, anxietateque multum laborabat, neque dubium est, quin hisce malis, coadiuuerit malum vteri, quem affectum caput afficere, & Hippocrates & Galen. primo in sextum Epidem. contex. secundo docuerunt. Quod vero ad mutata excrementa attinebat, vrinæ illius erant tenues, scilicet crassiori materia, aut sursum elata, aut in venis atque hypochondriis retenta. aluus autem inordinate, atque erratico quodam pacto sese habebat: modo enim turbabatur, & sponte fluebat: modo consistebat, atque adstringebatur, cuius euentus caussa potissima erat, quod putridus & teter ille humor interdum à natura pellebatur ad aluum interdum vero retinebatur, aut alio transferebatur.

Sexta. Quæ narrat Hippocrates ante sextam diem haud intelligendum est prima die apparuisse, cuius solius meminit. sed toto illo spatio, quod intercessit inter primam, & inter sextam, & probabile est diebus decretoriis factas fuisse exacerbationes, atq; tunc aluum esse turbatã, quod videatur totus morbus ex iis fuisse, vt ait Galen. in quibus obseruantur dies indicatorii: & Hippoc. sextæ tantummodo post primam meminit, quoniam tunc duntaxat primum ipsam visitauit, neque bene ab adstantibus, quæ quibus diebus apparuissent, intelligere potuit. Quæ vero sexta die visa sunt satis praua fuerunt, siquidem tota die vsq; ad noctem multa obloquebatur, nec quicquam dormiebat: nam taciturna erat & mœsta; quo tempore solus humor melancholicus caput petebat, atq; lædebat: vbi vero bilis quoque diuturnitate incendii febrilis cumulata sursum petere cœpit, insanientis animi indicia, ex multo & importuno sermone sese ostenderunt; somnusque penitus ablatus est, & certe ex vrinis, atque illa taciturnitate cum febre acuta, iure vnusquisque medicus in arte facienda versatus potuisset metuere, ne (quod factum est) delirium esset propinquum.

Circa Vndecimam. Quod solet sæpenumero vsurpare Hippoc. vt quando non est de die certus dicat circa ipsum hoc, vel illud apparuisse id quoque nunc facit, siquidem ait circa vndecimã ipsam insaniuisse, quasi duodecima, aut decima illud contigerit, & cõsequenter appareat paribus dieb. factas fuisse exacerbationes; primum enim taciturna, & mœsta fuit, deinde verbis delirauit, tandem & verbis, & actionibus vndecima insanire magis cœpit, idq; eueniebat, quoniam non modo humores indies magis torrebantur, verumetiam cerebrum ipsum inflammabatur: non ita tamen, vt vera phrenitis tum efficeretur, quoniam non continue. Et semper delirabat, sed interdum ad mentem reuertebatur. Verum excrementa pessima erant, & qualia solent esse in malignis, atq; pestiferis febribus. Vrinæ enim erant nigræ, tenues, rursumq; aliquo tempore intercedente fiebant oleosæ. Fiebant nigræ ob adustionem, ac tenues, quia materia crassior in cerebrum ferebatur: Fiebant vero paulo post oleosæ, ob colliquatas pinguedines: id namq; fieri solet in febribus, quas vocant περιφρυγῆς; seu vstorias, & colliquatiuas, vt excrementa oleosa, & pinguia fiant, quando carnes, non quando nerui liquantur, vt male legitur apud C. Celsum lib. quinto, cap. de fistulis, & melius apud Aetium lib. decimoquarto, cap. quinto, dicentem vbi nerui à calore putredinali tractantur emitti succum saniosum tenuem & glutinosum, qualis ab ossibus, nõ autem pinguem, & oleosum. Cæterum aluus multa tenuia cum turbatione fundebat. Hoc habuerunt pleræq; febres huiusce constitutionis, vt excrementa alui pessima facerent, qualia in malignis, & pestiferis fieri consueuerunt.

Qvartadecima: Disputant hoc in loco aliqui Interpretes, quæ dies decimaquarta sit intelligenda, vtrum à partu, an à prima die febris. Ego vero cum animaduerterim alias Hippocr. hac in re vatium fuisse, vt qui modo à partu, modo à morbi febrilis initio sumat dierum computationem, hic non à partu; sed potius à febre mihi videtur numerare: quamquam non damno, vt etiam fiat à partu, quia est verisimile eo tempore, quo peperit, statim febrire cœpisse, cum duas, & cũ difficultate pepererit: nec in ipso partu eque purgata sit, vt decebat: sed siue hoc, siue illo modo interpretemur, non admodum refert, modo statuamus febrem si non die partus inchoasse, saltim die immediate sequente. Die igitur decimaquarta, vel à partu, vel à febris initio conuulsiones plurimæ superuenerunt, quæ fiebant nõ modo à prauis vaporibus ab vtero, quem ait Galen. inflammatum fuisse ascendentibus, & succis neruorum principium percutientibus, verumetiam ob ipsius cerebri insignem siccitatem, quemadmodum vsuuenire solet in phreneticis dum prope mortẽ sunt, qualis erat hæc mulier, quæ amplius nil intelligebat, sed phrenitim hecticam, vt vocat Galen. & in habitu habebat, quam phrenitidem incœpisse non circa vndecimam: quando resipiscebat, sed post verisimile est, cum vere phrenetici nullum habeant sanæ mentis interuallum: vt etiam hac ratione post securæ sint

conuulsiones, quas maxime phreneticos sequi scribit Aretæus primo de cur. ac cap. primo. Erant præterea extrema frigida, nec vrinam reddebat, quoniam calor natiuus pene à febrili extinctus, aut saltem intro tractus erat: vnde facultatis expultricis vis quoq; deficiebat, vt paulo post iure merito obierit. Sed dicet aliquis, cur si vis expultrix deficiebat Hippoc. hoc tantum dixit de vrina? Præterea si vterus, vt ait Galenus, inflammatione laborabat, cur Hippocrat. non meminit illius, & præsertim doloris, qui solet esse acerbus in neruosarum partium inflammationibus? Ad primum respondeo vrinæ functionem esse magis animalem, quam naturalem, & iccirco corrupta, & amissa penitus imaginatione par est existimare illas functiones primum, & maxime fuisse sublatas, quæ ab ipsa anima penderent. Ad aliud vero dicendũ est pro inflammatione intellexisse Gal. φλόγωσιν, vel si vera fuit inflammatio non nominatum esse dolorem, quod ægra forsan ob mentis errorem non conquereretur. Ad curationem accedo, quam difficillimam fuisse non est dubitandum, tum quia morbus ab initio malignus fuit, tum quia pepererat gemellas fœminas, quem partum pręternaturalem esse iam diximus ex Arist. Qualis victus puerperis conueniat iam diximus, scilicet tenuem, aut paulo infra mediocrem; multo autem magis talis conuenit, quando partui coniungitur morbus, atq; is auctus, & valde grauis, qualis erat propositæ mulieris. Igitur & abstinentia vini, & carnium conueniebat, quæ semper in acutis ab Hippocrate, & aliis probatis medicis commendatur: vt propterea Petronas ille fuerit damnatus, qui febricitantes, & acute laborantes indulgentia vini, & carniũ perdebat, ptisana, panis lotus, ius pullæ paruę ad summum, & ob vires vitellus oui præsertim postremis diebus conuenissent. Et quoniam parum in ipso partu fuerat purgata, statim aluo nõ fluente sponte debuisset blande irritari, tum de sanguine mittẽdo deliberare: nec dubium est, quin à partibus infernis mitti debuerit, scilicet à talo, vel poplite, postquam febris, aliorumq; symptomatum præcipua occasio videtur fuisse puerperiorum retentio subita; neque sola venæ sectio contulisset, verumetiam administratio cucurbitularum tam siccarum, quam scarificatarum: ligationum, frictionum, atq; etiam vesicantium. Post sanguinis missionis deliberationem eò omne studium erat conferendum, vt viæ aperirentur, calor febrilis, & putredinalis compesceretur, prauitati materiæ morbificæ remediis accommodatis occurreretur; simulque symptomata vel lenirentur, vel tollerentur. Ergo conuenissent decocta ex seminibus frigidis; oxalide, myrrhide, radicis apii; capilli veneris, endiuiæ scariolæ, aliorumq; similium. De pimpinella, quam omnes in malignis laudant dubitari posset, an in hoc casu cõueniret, cum apud oẽs pro adstringẽte habeatur, & adstringentia in putridis dãnentur: sed dici potest exiguã habere adstringendi vim, quæ potius adiuuat penetrationem, quã secus, sicut in rosa, & croco: vnde ipsa quoq; simili in casu conueniret. Aluus quotidie non fluens blandioribus clysteribus fuisset solicitanda, cum enim materia raperetur in caput, vt euentus docuit, in proposita fœmina debuit semper medicus esse sollicitus, vt ad inferiora traheretur; quo in genere clysteres esse, & vsus quotidianus monstrat, & Galen. docet secundo de Med. loc. vbi in dolore capitis maxime huiusmodi remedium commendat. De medicamento purgante nullum fuisset opus cogitare, cum sæpe sponte, & copiose flueret: verum quia facta est phrenetica, quo tempore cœpit magnopere insanire, s. post vndecimam diem omnis cura eo fuisset dirigenda, vt inflammatio cerebri, quæ facit veram phrenitidem prohiberetur, primum missione sanguinis à vena frontis, deinde cum oxyrrhodinis, & fotibus primum refrigerantibus, atq; repercutientibus puris deinde mixtis cum discutientibus blãdis, postremo cum solis discutientibus absq; acrimonia; cuiusmodi hodie vtimur viscerib. castratorum immediate extractis, & adhuc calentibus, necnon pullis columbinis per medium scissis, atque ita calentibus capite deraso adhibitis.

HISTORIA QVADRAGESIMAPRIMA.



N Thaso Dealcis vxorem, quæ decumbebat in Plano febris horrida acuta ex tristitia corripuit. A principio autem contegebatur: & vsq; in finem semper taciturna: manibus palpabat: euellebat, scalpebat, floccos legebat: lachrymæ, & denuo risus: nõ dormiebat ab aluo irritationes: nihil exibat: parum submonentibus aliis, potauit: vrinæ tenues paucæ febres admodũ tenues: extremorũ frigefactio. NONA *multa obloquebatur & rursus quieuit silẽs.* DECIMAQVARTA *spiritus rarus, magnus per tempus: & rursum breuispira.* DECIMASEPTIMA *ab aluo irritatio turbulenta: deinde ipsæ potiones exibant: nihil consistebant. Insensibiliter habuit omnium: cutis circumtensio aridæ.* VIGESIMA *sermones multi, & rursum sedata est: sine voce, breuispira.* VIGESIMAPRIMA *interiit: erat huic vsque in finem spiritus rarus, magnus: insensibiliter omnium habebat: semper contegebatur: vel sermones multi, vel taciturna vsque in finem Phrenitis;*



N Thaso Dealcis vxorem. In primo commentario huius tertii libri facta est mentio Dealcis Hortorum ab Hippocrate, qui cum fuerit coniunx, seu maritus præsentis mulieris haud multum interest perquirere, illud certe adnotani, vbi meminit Hippocrates Thasi, semper eum fuisse diligentem in describenda persona, & habitatione ægrotantis, vt scilicet sibi maior fides adhiberetur in historiis peregrinis. Historia itaque & mulieris, quæ erat vxor Dealcis, & decumbebat in Leio (est enim contextus Græcus λεπὶ ῷ λείου, quam particulam interpretantur omnes in Leio; sed cum non inuenerim; quid fuerit Leium, existimo significare planitiem, quasi in Thaso fuerint montanæ regiones, atque planæ, vt fere in omnibus insulis obseruatur; præsens vero mulier habitaret in planitie ibique decumberet; & forsan voluit Hippocrates hoc connotare, vt simul doceret, habitationis insalubritatem aliquid contulisse ad huius mulieris ægritudinem faciendam: vel saltem fouendam, vel augendam, etenim Plutarchus (vt alias dixi) in Probl. Romanis scribit in montibus extructum fuisse Æsculapii templum ad demonstrandam montium salubritatem. Quamobrem etiam delectati sunt veteres, semper montes potius, quam planitiem habitare, atq; ita iis ædificare oppida & villas. Examinauit Galenus etiam secundo de Diff. resp. capite octauo, hanc historiam, nec sane infeliciter, vt ob hoc videatur contemplatione digna ac diligenter expendenda quoque à nobis. Quæ autem dicit in præsenti commentatio ad duo tantum pertinent, scilicet ad genus læsionis, de quo loco dicetur, necnon ad phrenitidem qua scribit laborasse mulierem, ab initio: & mirum fuisse, quod superuixerit, vsque ad vigesimamprimam diem, cum illi qui statim in phrenitide capiuntur, cito etiam perire soleant, sed inquit hoc forsan contigisse, quia ægra non magnis sed leuibus febribus quales solent esse pestilentes, laborabat. Sed cum semper magnæ febres comitentur veram phrenitidem satius est dicere, hanc non fuisse veram, aut quod verisimilius est initio non fuisse puram phrenitidem: post autem euasisse phrenitidem. At melius est more nostro singula pedetentim examinemus, quæ huic mulieri accidisse à principio vsque ad nonam confuse nulla habita dierum distincta mentione commemorat; vnde verisimile est ant eam tunc tantum à se fuisse visam; aut ob loci distantiam non potuisse frequenter habere ægrotantis relationem, sed pro longa temporis interualla; est enim rationi consentaneum sæpe, vt fit etiam hodie à remotis regionibus ad Hippocratem accessisse, qui de rebus ægrotantium ipsum consulerent, quique referrent confuse symptomata, eaque sic narrata ab ipsomet Hippocrate, in commentaria esse relata: vtcumque autem sit, idea morbi primi, & primarii fuit febris horrida ex mœrore, à qua statim capta est, vnde priusquam vlterius progrediamur, duo sunt breuiter examinanda, qualis sit febris φρικώδης, seu horrida, & quomodo ex mœrore possit febris generari: φρίκη, seu

horror, vt ſcribit Galenus libro proprio de horr. & rig. necnon ſecundo de differ. febr. cap. octauo, eſt quædam paſſio media inter rigorem, & frigus, ſeu ex his temperata ſemper maior quidem frigore, minor autem rigore, imo Hippocrates libro primo de morbis videtur horrorem appellaſſe debiliſſimum rigorem. Vnde φρικώδεις, ſeu horrificæ febres nuncupantur ab Hippocrate, non quæ cum horrore tantum innadunt, vt complures ſunt tertianarum, & quotidianarum; ſed quæ per totam acceſſionem horroris manifeſtum ſenſum faciunt, vt præclare docuit Galenus cap. 9. ſecundi de differ. febrium, necnon primo in prima Epidem. tex. 22. vbi Hippocrates mentionem facit hemitritæi, quem inter febres horrificas recenſet. Generatur autem hic horror à vaporibus peſſimis quidem, ſed non admodum acribus, qui à praua putredine elati, ſenſibileſq; partes percellentes, nō modo hebetant calorem natiuum, vnde frigiditatis ſenſus exoritur, verumetiam percutientes muſculos, & neruoſas partes, expulſiuamq; facultatem ſtimulantes ad motum eam incitant, ſicque rigorem quendam producunt, ita vt ſimul & rigor debilis, & frigus horrorem vocatum producant. Illud autem locis citatis notat Galenus, & optime dicit perdurare tota acceſſione huiuſmodi horrorem, altero duorum modorum, vel quia nec per longiora interualla reduplicatur, tamquam morbi incrementum ſæpius fiat, vt in ſemitertianis ſpectatur, vel quia per breuiſſima inſurgit, quaſiq; continuatur Auctor diffinitionum ſub nomine Galeni promulgatus videtur paulo diuerſius febrem horrificam deſcripſiſſe, ſed veritas eſt, quā dixi ex ipſomet Hippocr. & Galeno. Quomodo autem huiuſmodi, atque aliæ febres ex mœrore fiant, non eſt arduum intelligere. Galenus enim tertio lib. de Præſag. ex pul. in fine capitis quarti non modo febres hecticas ſimplices ex mœrore oriri prodidit, verumetiam peſtilentiales, ſiquidem mœtor omnis conſumit, & exſiccat, cumque calorem natiuum ob ſpirituum conſumptionem, & intro contractionem, non parum hebetet: fit vt inde in corporibus paratis putredini faciendæ non exiguam occaſionem præbeant.

A Principio. Principii nomen in morbis, vt ſæpenumero, & præſertim primo de Criſibus 6. & 7. & primo Aphoriſm. duodecimo, Galenus docuit, ttia ſignificare ſolet totum cruditatis tempus primum inſultum morbi, & primos tres morbi dies. hoc autem in loco arbitror accipiendum eſſe principium pro primis illis tribus vel quatuor diebus, in quibus eum ab horrore frequenter, vt monſtraui, tentaretur, ſenſumq; frigiditatis haberet, iure integumenta corpori requirebat; ſed dicet aliquis nimium forſan curioſus, cur Hippocrates non dixit potius hanc mulierem friguiſſe, vt ſæpe alias loqui conſueuit, ſed dicere voluit quod tegeretur. Reſpondeo, id forte feciſſe, vt ſignificaret hūc horrorem fuiſſe ſatis inſignem, propterea quod licet in aliquibus horroris generibus, aliqua refrigeratio euidens percipiatur, haud tamen ſemper eſt tanta, vt adigat ægrotantes ad quærenda corpori indumenta maiora, ſicuti præſens mulier διὰ παντὸς, id eſt, omni tempore faciebat.

Semper silens. Dubium fuit apud nonnullos, vtrum ſicut phrenitis ſit à flaua bile feruenre circa cerebri membranas: ita quoq; fiat ab atra, & certe huiuſmodi exemplum poteſt nobis perſuadere fieri etiam ab atra non quidem ſolum ab ea, quæ fit ex bile flaua deuſta, verumetiam à naturali putreſcente, & incenſa. Etenim quod hæc mulier taceret, habebat à melancholico ſucco, vt quoq; Galen. docet in Commen. Quod vero palparet, velleret, ſcalperet, & pilos legeret (quod genus ſymptomatis vocant Græci, & Cœl. Aurel. carphologiam) erat opus imaginationis corruptæ, vapores ob oculos volitantes ex aduſtione in cerebro facta putantis eſſe pilos, & feſtucas extra oculum in pannis, & parietibus poſitas; ac propterea vellere, & legere eas conantis. Sed hic oritur ſcrupulus de collectione feſtucarum, & ſimilium: quod Hippoc. primo Progn. vigeſimotertio, facit huiuſmodi ſymptoma lethale, & phreneticum, & nihilominus Galen. de ſeipſo narrat quarto de Loc. aff. cap. ſecundo, cum laboraret febre ardente, ſeſe cognouiſſe feſtucas colligere, &

floccos euellere, amicisq; præcepisse, vt curarent ne in phrenetidē laberetur, quasi haberet huiusmodi signum, & nondum tamen phrenetide laboraret. Dicendum est, quod Galen. in comm. loci progn. 5. huiusmodi symptoma, aut fieri in phrenetide, & essentialiter affecto cerebro, aut per consensum, si primo modo lethale est, & vere phreneticum: si secundo minime, licet sit indicium futuri maioris mali, scilicet phrenitidis, atq; hoc postremum ipsi contigit Galeno.

Lachrymæ et rvrsvm. Sicut fletus, & risus sunt passiones pene contrariæ: ita quoq; fiunt in morbis, à contrariis pene, vel saltem à diuersis caussis: etenim fletus humoris melancholici, risus vero sanguinei effectus sunt: sed dicet aliquis, quomodo potest in tāta morbi magnitudine esse is sanguis lucidus & purus, à quo dicebant Anicen. & Auerr. in Cantica fieri risum? Cui respondendum esse puto aliud genus risus esse, quod fit in sanitate, & purum ..., siue affectus est: aliud quod fit in ægritudine & symptoma est illud, n. fit opera sanguinis lucidi, vt dicebāt Arabum Principes; hoc vero fit vi humoris inimici percutientis musculos, & neruos buccasq; instar ridentium aperire, & clamare cogentis: quodque etiam fieri vulnerato septo transuerso prodiderunt, & Hippocrates & Aristoteles; præsens ergo mulier cum humore melancholico incenso, & putrescente vna cum flaua bile solicitaretur: non est mirum, si modo in lachrymas, modo in risum excitabatur, nec interim vllum capere somnum quibat.

Ab Alvo. Vbi caput vehementer afficitur, nullum præsidii genus æque blande, & efficaciter iuuat, atque alui irritatio, vel per clysteres, vel per suppositoria: sic enim dicebat Galenus secundo de med. loc. ad leniendum capitis dolorem clysteres maxime valere. Atq; huiusmodi lenia auxilia minime proderant in tanto morbo, cum iam cerebrum non modo vaporibus sursum ascendentibus læderetur: verumetiam intemperiem feruidam, & prauam contraxisset: cui mitigādæ nedum tollendæ, haud vllam opem conferre poterant irritationes alui per suppositoria, aut clysteres factæ, eo maxime, quia nihil aluus per huiusmodi auxilia solicitabatur, forsan quod nimis lenia auxilia essent: siquidem vbi animus alio abductus est, aluus non obedit, nisi vehementer excitata, quo etiam fiebat, vt licet haberet vehementis sitis caussam, attamen illa aberrante mente non percipiebatur, & iccirco non bibebat, vel si irritaretur ad bibendum, parum omnino sorbebat, quæ est etiam ratio, propter quam Hippo. primo Prorrh. vocauit phreneticos βραχυπότας, id est, paucibibos.

Vrinæ tenves. De menstruis purgationibus huius mulieris cum nihil dicat Hippoc. par est existimare nullum in iis fuisse vitium, alioquin dixisset aliquid vt solet: dicit autem de vrinis eas fuisse tenues, & exiguas. Paucitas fiebat, quia nihil aut parum bibebat, est enim vrina, vt docui in proprio de vrinis tractatu, materia ipsa potulenta: quo fit vt semper copia vrinæ copiæ potus respōdeat, nisi vel colliquatio, vt in febribus vstoriis & colliquatiuis, vel nimia renum attractio, vt in diabete vrinas copiosiores quam sit potus, faciat. Tenuitas autē pendebat, tum à materię cruditate, tum quia maior pars succorum peccantium, vel in caput ferebatur, vel intra hypochondria retinebatur.

Febres. Duo ante nonam hanc ægram præ aliis habuisse dicit Hippoc. nimirum febrem ad manum tenuem, atque extremorum refrigerationem. Circa quæ est dubitandum, quæ sit differentia inter hæc duo: si quidem videtur idem esse, quod in febricitantibus non appareat ad tactum febrilis calor, & quod extrema refrigerentur. At secus est, nam febres tenues ad tactum appellantur ab Hippoc. quando tepor quidam blandus, nec mordax percipitur: cuiusmodi fit in pestiferis febribus, quemadmodum scribit Galenus nono de simpl. med. in extremo cap. de terræ generibus. Sic Hippocrates sexto Epidem. comm. primo, text. 29. enumerans febrium genera, & differentias dicit statim alias esse placidas ad manum, alias vero mordaces. Iam vero vbi in febribus extrema refrigerātur aliud est, quoniam tunc si ea contrectentur, immanis quædam, & molesta frigiditas percipitur,

pitur. Pari pacto differentes caussæ sunt vtriusq; generis, quoniam frigiditas extremorum (vt sæpe dixi) in febribus fit, vel quando calor natiuus in iis extinguitur, vt plerumq; contingit in moribundis, vel quando inde ad viscera ab intestino vehementi feruore febrili, aut viscerum inflammatorum abducitur; fit autem blandus calor ad tactum, vt ibi dicit Galenus, scilicet primo Epid. non simpliciter talis, quia nulla febris vere potest calore tactui placere, sed comparatiue nempe ad alias febres calorem manibus multo acriorem atq; molestiorem habētes: atq; tunc sic fit, quoniam vapores qui emanant ab insigni illa, & graui putredine pinguiusculi sunt, ita vt acredinem febrilis caloris obtundant: sicq; ea molestia careat is, quæ solet in cæteris febribus sese ostentare. Hæc itaq; mulier, quoniam pestifera febre laborabat, interdum calorem ad tactum leuem habebat: interdum autem flagrantib. interioribus calor pene totus extremorum intro abducebatur, vnde partes extimæ ab eo desertæ frigebant.

NONA. Hactenus (vt visum est) Hippocr. recensuit confuse, quæ præsenti ęgræ ante nonam contigerunt, quod ab aliis ita intellexerit; nunc enarrans quæ nona apparuerunt vsq; ad decimam quartā dicit tantum eam multa delirasse loquendo, & rursum quieuisse atq; siluisse. Sed diceret aliquis, nonne hæc eadem etiam ante nonam retulit Hippoc. cur itaque modo repetit, quasi quicquam noui dicturus? neque responderi potest fieri potuisse, vt hęc symptomata non essent continua, sed intermittentia: propter eaq; nona ab Hippoc. fuisse commemorata, quasi tunc redierint, cum antea cessassent, quoniam in fine historiæ enarrans, vt solet, quæ semper affuerunt inter alia (vt videbitur) scribit semper vel multos sermones habuisse, vel tacuisse. Itaq; dicerem Hippoc. hęc repetiuisse tanquam in nona incrementum acceperint, & vt doceret morbum grauissimum fuisse, quod etiam in diebus non iudicatoriis pessima signa habebat.

DECIMA QVARTA. Cum Hippocrates visitasset ęgram nona die, quæ nec iudicatoria, nec indicatoria est, animaduertissetq; deterrima, & illius, & antecedentium dierum symptomata, voluit quoq; iudicatoria die, quæ est decima quarta ipsam visitare, & ab illa vsq; ad decimamseptimam accidentia proponere; vt ostenderet in pessimis morbis multo magis vim dierum decretoriorum apparere. Porro quæ narrat huius temporis symptomata, pertinent duntaxat, ad facultatis vitalis, atq; adeo ipsius respirationis vitia, cuius rarius quam aliarum meminit: quoniā vel (vt ait Galen. secundo de Diff. resp.) non leditur, vel si lædatur facile ex aliis narratis comprehenditur: & in præsenti puto meminisse, quoniam respiratio in hac muliere magnam necita perceptibilem varietatem habuit: quod enim videtur dicere Plin. lib. septimo, cap. 51. ab Hippocrate obseruatum quoq; ex venarum pulsu, id est, arteriarum, non ita à Galeno atque ceteris confirmatur: cum vix reperiatur meminisse, aut si meminit, alia ratione atque mente id facit, quam à posteris factum fuit. Dicit itaque fuisse spiritum rarum, magnum, per tempus, & rursum ipsam fuisse breuispitam: miratur autem Galen. in comm. interpretes Hippoc. non considerasse inutilem, quam videtur is committere repetitionem, dum dicit spiritus rarus, & deinde διὰ χρόνου, id est, per tempus: quasi idem sit habere spiritum rarum, & per tempus, seu per temporis interualla. Perpendet autem Hippo. sic esse locutum (per tempus) ad indicandum insignem raritatem, cum soleat vti voce διὰ χρόνου, αὐτὶ διὰ πολλοῦ χρόνου, habuit autem hæc mulier, vt etiam secundo de Diff. resp. narrat Galenus capite octauo, duas diuerso tempore respirationis differentias, vna erat raritas & magnitudo, quæ consequebatur delirium, ob quod oblita respirare, & tamen habens ingentem necessitatem ob febrem, id supplebat raritate, & magnitudine: alia erat breuis spiratio, hoc est, rara, & parua, quā edebat quotiescunq; ita refrigerabatur, vt delirii vis à refrigeratione superaretur: etenim à delirio fiebat raritas, à refrigeratione vero paruitas, & iure Gal. tertio de Diff. resp. ait hunc ab Hippocrate vocari spiritum frigidum, sicut vere dicit in hoc comm. hunc affectum non fuisse admodum illi dissimilem, quē solent in vteri præfocatione pati

mulieres,

mulieres, nempe ἄπνοιαν vocatum, seu priuationem respirationis, de qua plura dixi in variis lectionibus.

DECIMASEPTIMA. Id habent pleræq; febres pestiferæ, vt cum sint exiguę paulatim calorem natiuum, & vires perdant, quod certe huic mulieri eueniebat: nam decimaquarta cœpit fieri breuispira, quod diximus factum à refrigeratione, seu diminutione caloris natiui, decimaseptima vero, quæ est index vigesimæ, aut vigesimæprimę alia adeo praua apparuerunt, vt cuiuis cordato medico potuerint persuadere ipsam fuisse morituram altera dierum iudicatarum: nam cum aluus glande, vel clystere excitata esset, eo quod præ debilitate nihil aut parum, ac turpe reddebat, turbationem tantum peperit: sed peius etiam contigit, quia dum potaret haud pro more solito potus paulatim in ventriculum descendebat, sed nihil à virtute œsophagi attractiua, vtpote fere emortua adiutus suo pondere tãtum ruebat, instarque quassati aqua pleni, vêtris strepitum insuauem edebat, qualem solet certo & breui morituri edere: etenim ex iis, qui hoc symptoma habuisse referuntur ab Hippocrate neminem superuixisse obseruaui, cum consequatur facultatis naturalis extinctionem: id quod etiam confirmabat priuatio sensuum non quidem consummata, alioquin fuisset mors ipsa, sed insignis diminutio, atque hoc est, quod primo Prognost. dicebat Hippocrates, vbi æger non videt, nec audit propinquam esse mortem. Ariditatem cutis, aliamve ipsius qualitatem præter frigiditatem solet Hippocrates adnotare quam rarissime: vnde id voluit nunc proponere: vt doceret febrem, qua laborauit hæc mulier, etsi ad manum videretur exigua, fuisse tamen vi & potentia insignem: postquam exsiccauit nõ admodum longo interuallo corpus fœminæ, quod suapte natura humidius, & mollius est, quam corpus viri, ac propterea difficilius arescit, & certe phreniticorum corpora solent mirum in modum exsiccari, vt propterea dixerit Galenus quinto de loc. affect. eos adeo vehementer ferocire, & robustos videri, quoniam exsiccorum corpora sunt exsiccata.

VIGESIMA. Vigesimam & vigesimamprimam iudicatorias esse, scilicet Hippocratis sententiam, atq; acutorum finem vltimum esse alias dixi, sed & propositum exemplum satis monstrat, quando in altera exacerbationem symptomatum, in altera interitum contigisse narrat: etenim raro solet vbi memorat vigesimam mentionem facere vigesimæprimę nisi quando in vtraque vis aliqua iudicationis apparuit, vt in proposita historia. Iam vero quæ acciderunt vigesima die tria fuerunt, atque ea omnia maxima. Delirii augmentum, aut saltem continuatio, quæ ex eo manifestabatur, quod multa præter rationem omnem loqueretur, id quod apud Hippoc. significat dictiuncula λόγοι πολλοὶ. Alterum fuit, quod à delirio quieuit, & sine loquela, & sine voce facta est, quoniam ob frigiditatem, atq; vitalis & animalis facultatis defectum minime exsufflationem, quæ est ipsius vocis materia facere poterat: vnde quoq; tertium malum accessit, nempe breuispiratio, quæ non modo sequax est ad frigiditatem, verumetiã ad ipsius facultatis motricis imbecillitatem. Quare cum vigesima die res mulieris ad eum primum statum fuissent redactæ minime potuit amplius sufficere: sed sequente die, s. vigesimaprima penitus defecit, non quidem suffocata, alioquin non fuisset in extremo breuispira, aut potius consumpta, & marasmata, vt cutis ipsius ariditas indicauit. Etenim id facere consueuerunt febres pestilentes, & πειφερυγεῖς vocatæ: vnde Hippoc. quinto Aph. 71. quibus dura & exsiccata cutis est sine sudore moriuntur.

ERANT HVIC. Quod facere in plerisq; historiis consueuit Hippoc. id quoque in præsenti facit, scilicet non contentus dixisse, quæ contigerant singulis circuitibus iudicatoriis, voluit pariter addere, quæ perpetua fuerunt sub hisce verbis spiritus rarus, & magnus, nihil sentiebat, semper tegebatur, vel per totum, & multum loquebatur, vel tacebat. Circa quæ tria quæsita digna sunt. Vnum est, quomodo potuerit semper habere spirationem magnam, & raram cum dixerit bis fuisse breuispiram, scilicet decimaquarta die, & vigesima, etenim fieri non potest, vt quispiam

quispiam eodem tempore simul habeat respirationem magnam, & paruam. Alterum quærendum est quomodo semper fuerit sensibus priuata, cum tamen in particulari relatione id tantum in decimaseptima die obseruauerit tertium & postremum est, cur addere voluerit in fine historiæ particulam hanc (φρενίτις) Circa primum Galenus notat vocem hanc (διὰ τέλεος) significare ipsi Hippocrate per totum morbum vsque ad finem, non tamen qualibet hora, & quolibet temporis momento, vnde fieri potest, vt & in principio, & in augmento atque in statu morbi habuerit respirationem magnam, & raram, quæ fit in delirio, & tamen aliquatiam hora, aut aliquo temporis breui momento fuerit breuispira: prout scilicet necessitas respirationis à superueniente frigiditate remittebatur. Ad secundum idem quoque dici potest, in omni morbi tempore habuisse illam insensibilitatem, non tamen ita continuam, & indesinentem, quin quandoq; sentiret, & forsan decimaseptima die huiusmodi symptoma grauius multo, atq; euidetius apparuit, vt propterea potissimum inter accidentia illius diei commemorādum duxerit. Ad tertium & vltimum respondere opotret, voluisse Hippocr. addere illam particulam, quoniam, cum sæpe taciturna esset, poterat quispiam dubitare haudquaquam fuisse phreneticam, cum tamen fuerit: vt enim dicit Galenus multa loqui est phreneticum symptoma, tacere melancholicum, tegi commune melancholiæ, & phrenitidi, nisi aliquando ob refrigerationem quis contegatur. Quomodo porro phrenetici possint tacere, non est arduum intelligere, si consideretur phrenitidem esse in cerebro inflammationem, in qua combusti humores, & melancholici redditi interdum ita crescunt, vt per aliquod tempus suos effectus prodant, atq; phrenetica symptomata obscurent. Curatio adhibita huic mulieri qualis fuerit, & si certum esse nequeat, potest tamen coniici primum institutam fuisse victus rationem acutis morbis accommodatam, & præsertim vini abstinentiam, quando statim caput læsum apparuit. De sanguinis missione haudquaquam dubitatū puto quin morbus magnus esset: vires quoq; valuisse ex eiusmodi morbi protractione colligitur, imo vero æquum erat, vt non semel vena incideretur, sed etiam bis, atq; tandem ad venæ frōtis incisionem descenderetur, quod solet vnicum esse præsidium, vbi iam morbus in capite firmatus sit, quemadmodum in proposita muliere fuisse rationi valde consentaneum est. Si quis est casus in quo possint conuenire vesicantia, atque omne aliud genus præsidiorum à capite, & à corde diuertentium plane fuit præsens: cum dicat Hippocr. in fine historiæ semper modo cum loquacitate, modo cum taciturnitate delirasse. Præter remedia chirurgica, medicamenta aliaq; externa præsidia conueniebant; & de internis remediis primum fuisset lenienda aluus, saltem clysteribus, quorum cum interdum meminerit Hippocrat. neq; dixerit aluum sibi vnquam profluxisse, par est aut saltem altera quaq; die fuisse adhibitum clysterem, vel glandem, aut debuisse adhiberi; quinimo indies sæuiente morbo singula die curassem aluum, modo vno, modo altero auxilio solicitare, & transacta decimaquarta etiam si signa coctionis non apparuissent, aliquam euacuationem molitus essem blandiorem ex veratro, saltem nigro, aliisq; similibus bilem vtramque leniter euacuantibus. Veteres enim qui carebant nostris placidis purgantibus, si quando leniter purgare cogebantur, valida quidem, sed optime castigata, & in minori mensura vsurpabant: imo narrant Gal. & Oribas. Hippoc. cōsueuisse elleborum ita egregie præparare, vt placidissime, atq; citra noxam purgaret: quem tamen modum suo quoq; tempore fuisse desideratum queritur: & puto id voluisse Hippocrat. intelligere, quando 3. de Fract. contex. 48. restitutis ossib. elleborum molle dandum esse iubet. Auxilia externa, & capiti, & cordi quoq; conuenissent, eo maxime quod fuit Auic. sententia in curanda melancholia, qualis fuit quoq; pars saltem huius morbi, maximam semper esse habendā cordis rationem: & quia etiam aridam fuisse dicit, forsan illius mentionem facere voluit, quod satis esset in signis, proptereaq; auxiliū aliquod humectans & emolliens indicaret, quale apud nos esse consueuit oleum amygd. dulc. tum solum, tum permixtum

mixtum aquæ violarum, aut malue capitis similiter conueniebant oxyrrhodina, quæq; alia dixi in phrenitide vsurpari.

HISTORIA QVADRAGESIMASECVNDA.

IN MELIBOEA adolescens ex potibus, & venereis multis, multo tempore calefactus decubuit: horridus autem, & anxiosus erat: vigil, & absque siti: ab aluo autem PRIMA *multa stercora prodierunt cum circumfluo humore multo: & sequentibus aqua biliosa multa manarunt: urinæ tenues, paucæ, decolores: spiritus rarus, magnus per tempus: hypochondrii intensio submollis. Oblonga ex vtriq; cordis palpitatio vsque in finem continua: minxit oleosum.* DECIMA *delirauit modice: modestus & quietus: cutis arida, & circumtensa: deiectiones multæ & tenues, vel biliosæ pingues.* DECIMAQVARTA *omnia exacerbata sunt, delirauit: multa obloquebatur.* VIGESIMA *furore tentata est corporis iactatio: nihil minxit, paucas potiones continebat.* VIGESIMAQVARTA *interiit. Phrenitis. Videtur autem mihi iuuisse secundum rationem antecacta æstas: æstiuos enim morbos hyems succedens transmutat: quamquam ipsa in seipsa secuta æstas non bene constituta fuerit: sed calida & austrina, & sine ventis: at simul ad aliã constitutionẽ transmutata profuit. Magnam vero partem existimo artis esse posse considerare de scriptis recte: cognoscens enim & vtens hisce, non mihi videtur valde errare in arte: oportet autem addiscere exacte constitutionem temporum vnamquamq; & morborum bonum quod commune est in constitutione, vel morbo: & quod commune est in constitutione, vel morbo longum: quis morbus lethalis, longus quis salutaris: acutus qui lethalis, acutus qui salutaris: ordinem criticorum ex his considerare & prædicere ex his abunde suppeditatur. Scienti de his, licet scire quos, & quando, & quomodo oportet in viuendi ratione gubernare.*

IN MELIBOEA adolescens. Vt in pluribus, atq; diuersis ætatibus ingenia nostra exerceret Hippocr. voluit adolescentis exemplo hunc librum claudere, cuius ætas, quæ esset non explicat: attamen probabile est excessisse annum decimumsextũ, cum scribat multa venere diu esse vsum. Etenim haud solent homines prius vti venere, & præsertim multa; quinimo apud aliquas nationes erat vetitum lege ne ante vigesimum ætatis annum cum muliere consuetudinem haberent, vt de Spartianis Plutarchus, & de Sueuis narrat Cæsar libro sexto de bello Gallico. Meliboea quæ regio esse habetur apud Strabonem lib. 9. & apud Herodotum lib. 7. qui faciunt eam Thessaliæ vrbem. In Meliboea celebrem fuisse purpuram scribunt Lucretius, Virgilius, & Festus: & Plin. lib. 4. cap. 9. ponit Meliboeam in Magnesia, & hanc Thessaliæ regionem facit. Sed vtcumq; sit hic adolescens cum multum bibisset, multa venere vsus esset, diuq; febricula laborasset tandem decubuit. Nimius potus, atq; nimia venus semper, & cunctis nocent, cũ Hippocr. sexto Epid. scripserit: labor, cibus, potus, somnus, venus, omnia moderata: at in ætate tenera omniũ maxime lædunt, quod vires animales in adolescentia nondum firmæ sint; naturales vero robustiores quidem sint, at defatigatæ in multa nutritione, atq; in augmento corporis faciendo, vt ob hoc à vino illæ offendantur, hæ autem à Venere. Nam vt optime dicit Gal. multæ potationes labefactant neruos, ipsorumq; principium cerebrum. Venus autem non modo, & hæc ipsa admodum molestat, verumetiam facultatem dissoluit: imbecillamq; reddit, exinanitis spiritibus, caloreq; natiuo, in quo omnis vis posita est, violato: & Arist. quarto Probl. 11. scribit adolescentulos odio habere eam, qua cum primo concubuerunt, quod fiat tunc mutatio maxima cum tristitia, cuius memores illã odio prosequuntur. Quomodo autem potus, & venus primũ febriculæ occasionem dederint insinuat Gal. quasi ab his læsæ coctiones effecerint, vt prauorum humorum copia sit accumulata, sicq; putredini occasione oblata post modũ febris sit suborta, atq; hoc est, quod Hippoc. dicebat 2. Aph. 17. vbi cibus præter naturam ingestus est, morbum facere, hocq; ostendi à curatione.

HORRIDVS.

Horridvs. In symptomatum singulorum huius ægri narratione consentiunt omnes contextus: at in dierum distinctione aliquantisper discordant, contex. Græcus post primam diem nominat decimamquartam tantum: alii vero decimam. At puto in Græco contex. desiderari diem decimam, ob idque esse apponendam, maxime quia eam apponit Galen. secundo de Diff. c. octauo, vbi multa egregia circa præsentem historiam discurrit, vt suo loco videbitur. Sat est pro nunc ab Hippoc. confuse narrari, quæ ante decimam adolescentulo contigerunt, quasi tunc primum post primam diem eum visitauerit. Horrorem & anxietatem, qui primo loco narrantur ab Hippo. verisimile est etiam ante alia accidentia apparuisse. Vtrum autem fuerit febris huius horrida, quemadmodum & antecedentis ægri, cui in multis fuit similis præsens adolescens, non constat: imo cum de superiore loquens dixerit, πυρετὸς φρικώδης, nunc autem non de ipsa febre, sed de ægrotante dicat similiter φρικώδης in eam facile sententiam venio, cœpisse quidem huic adolescenti febrem cum horrore; sed non fuisse febrem vere horridam: quemadmodum fuit antecedens: quod porro statim contigerit anxietas summo iure factũ est: quoniam nil est, quod æque labefactet ventriculum, vt Arist. & Galen. docent, atq; immoderata & importuna Venus; sicut potus nimius prauorum humorum corruptioni occasionem præbet, vt hinc praui humores in stomachum pulsi, ab eoq; alioqnin imbecillo suscepti, eius statum peruertant, sicq; anxietatem pariant. quæ vbi adest, minime potest somnus fieri, quod continua vexatione angãtur ægrotantes, atque huc & illuc agitati requiem, nedum somnum haud inueniant. De siti dicendum est non sitiuisse adolescentem, donec calefactus tantum, hoc est, parum febricitans fuit, præter quam quod multi potus qui antecesserant potuerunt ita guttur, et fauces, atq; stomachum irrigasse, vt per multos dies sitiendi potestas omnis ablata sit.

Prima die. Primam diem à decubitu esse intelligendam non dubito, quasi quæ nuper sunt narrata, contigerint antequam decumberet: iam vero, quæ ab hac prima die vsque ad decimam habuit adolescens symptomata, fuerunt multa, & diuersa: & iccirco variis quoq; diebus euenerunt: nec ab re est existimare eodẽ ordine, quo narrat Hippocr. accidisse, aut saltem manifestius esse visa. Prima itaq; die exiuerunt ab aluo multæ fœces cum multa circumflua humiditate viscida, & sequentib. adhuc diebus multa similiter erãt, sed aquosa bile tincta: sic enim interpretandum esse vocem ὑδατόχλοα, quasi (aquiviridia) innuit Gale. in ling. Iam vero multæ fœces erant accumulatæ ob antecedentem atq; prauam viuendi rationem; quæ pariter effecerat, vt crudi, & multi viscidi succi essent tam in intestinis, quam in stomacho cumulati, qui postmodum inter exeundum ipsis fœcib. obuoluti fecerunt id quod appellare solet Hippoc. περίῤῥοον. Eductis fœcibus multis prima die, merito sequentib. non amplius fœces, sed aquosa & biliosa excrementa prodibant in corpore, diu ob complures errores commissos collecta.

Vrinæ. Post fœces solet Hippocr. frequenter subiungere vrinarum statum, quarum omnium (vt alias dixi) cognitionem, atq; obseruationem semper magni fecit Hippoc. præsertim in febrilibus morbis. Habuerunt autem vrinæ tres conditiones, tenuitatem, paucitatem, decolorationem. Erant tennes, paucæq;, quia magna pars humoris crassioris, & serosi ad aluum ferebatur: id enim compertum est, & ab Hippo. scriptum multam mictionem significare paucam egestionem, & econtra. Erant vero decoloratæ, quoniam summa erat cunctorum succorum cruditas, & bilis ad aluum ferebatur, vbi excrementa reddebat colorata.

Spiritvs. Galen. secundo de diff. resp. c. octauo, diligenter hanc historiam examinans duo considerat hunc adolescentem habuisse distensionem quandam submollem circa hypochondrium: ac perpetuam desipientiam, eamq; satis insignem: talem autem hanc fuisse probat, tum quia moderatis lenib. moribus erat, in quibus hominib. quodlibet vel leue delirium solet esse graue, vt in Pręd. lib. primo, & in Coac. habetur, tum quia inquit decimaquarta die παρέλεγεν, & παρέκρουσεν, vigesima

gesima vero ἐξεμάνη, id est, furiose insanit. Iam vero tensio hypochondriorum debebat facere respirationem paruam, & celerem: sed quia hic affectus à delirio superabatur: ideo erat respiratio magna, & rara, cuiusmodi esse delirantium respirationes iis in libris sæpe monstrauit Galenus cum delirantes obliuiscantur respirare, vnde raritas, ac postea omissam respirationem magnitudine compensare satagant, quæ vero esset tensio hypochodriorum submollis, ex figura illius conici poterit, siquidem vbi viscus ipsum tenditur, aut viscera quæ sunt figuræ potius teretis, tensio similiter rotunda videtur: vbi veto musculi superpositi, qui longi sunt, similiter, & figura oblonga conspicitur; vt hinc colligatur à succis crudis, & copiosis non tantum viscera, imo potius musculos superpositos vtriusq; lateribus fuisse repletos ac propterea tensos, quæ tamen tensio haud erat ingens, sed submollis, neq; erat dolorosa, alioquin id dixisset Hippocrates, neq; septum transuersum premebat, vt ob hoc valde superaretur à delirio magno, & consequeter secundum huius naturam respiratio mutaretur: & certe verissimum illud est, quod præ aliis adnotauit Galen. loco citato, adeo Hippocrat. fuisse diligentem in describenda hypochondriorum specie tensionis, necnon delirio, quoniam iure potuisset dubitari, quæ species difficultatis respirationis fuisset, an sequens delirium, aut hypochondriorum affectionem.

Cordis palpitatio. Valesius certe in hac historia interpretanda valde dormitauit, etsi Galenum vidisset tum in hoc ipso comm. tum cap. octauo secūda de Diff. resp. haud forsan inter tot errores incidisset. Etenim quomodo potuit, vt ipse profitetur iste adolescens laborare inflammatione vlla viscerum cum careret dolore, & figura tensionis esset oblonga? Præterea falsum est, quod quando Hippoc. ait ipsum fuisse moderatum, & taciturnum intelligatīt delirio, imo vt ait Galen. addidit illud ad indicādam delirii magnitudinem: quia ii qui à natura lenes & mites sunt, nequeunt nisi à potenti caussa delirare: neque valet si fuisset modestus, & moribus mitis non debuisse ipsum adeo in venere & potu errare, quoniam, vt dicebat Comicus, conuersationes, & colloquia praua corrumpunt bonos mores. Illud certe dubitatione dignum est, quomodo potuerit esse, vt perpetuo palpitatione cordis afficeretur, & tamen haberet magnam atq; raram respirationem siquidem palpitatio, quæ cordis celerem, & inordinatum efficit pulsum, respirationem quoque similem faciat necesse est: neque dici potest fuisse etiam hunc affectum cordis, vt tensionem hypochondriorum à magnitudine delirii superatam, quandoquidem cordis palpitatio est affectus vehementissimus, ita vt nonnunquam statim strangulet; auget quoque difficultatem, quoniam non contentus Hippoc. dixisse παλμὸς διὰ τέλεος addit συνεχὴς, i. fuisse palpitationem continuam, & per totum morbi tempus. Et certe miror Galen. præteriisse silentio huiusmodi non exiguam dubitationem, præsertim cum ipsemet quinto de loc. Aff. in fine cap. secundi post longum de palpitatione cordis discursum, dicat in eo affectu spirationem fieri magnam, densam atq; celerem. Ad hanc grauem dubitationem à nemine visam dissoluendam diu cogitaui, & nihil inuenire potui, quod mihi plane satisfaceret: vnde in suspicionem magnam veni, contextum esse deprauatum, fortegi particulam διὰ τέλεος συνεχὴς transpositam esse, aut additam, aut debere addi tensioni hypochondriorum non palpitationi, siquidem palpitationes, & præsertim cordis cum fiant à vaporibus crassis haud possunt diu durare, sed cito finiuntur, vel finiunt, vt ibidē Gal. docuit, neq; inconuenit, q; fuerit toto morbi tempore spiratio magna, & rara ac aliquando correptus sit palpitatione cordis, quę breui durauerit: Nisi dicamus admodum exiguam fuisse cordis palpitationem ita vt spirationi quidem magnæ faciendæ conferret, haud tamen faceret eam celerem, atq; densam: vel potius non fuisse veram cordis palpitationem, at ita vocatam esse ab adstantib. (cordis) in reddenda magna respirationi veluti tremorem; quod enim dicebat in Timæo Plato pulmones iuxta cor fuisse collocatos, nec in palpitationibus rei duræ appellens læderetur, iure ab Aristot. videtur non probatum tertio de part. anim.

cap. sexto, vbi scribit soli homini cor palpitare, qui solus spe rei futuræ tenetur, quamquam in libro de Spiratione, circa finem de palpitatione visus sit sentire idem, quod medici nempe eam fieri ab habitibus, & magis in iuuenibus quam in senibus.

MINXIT OLEOSVM. Supra dixit vrinas fuisse tenues, paucas, atque decoloratas; vnde cum nunc dicat fuisse oleosas, credibile est tunc locutum esse de vrinis priorum dierum; modo autem loqui de illis, quæ fiebant circa octauam & nonam diem; quando iam magnitudine atque diuturnitate febris carnes & pinguedines aliquæ colliquatæ, & ad vesicam transmissæ vrinam oleum referentem præstabant.

DECIMA. Vt antea dicebam, aliqui contextus non habent hanc diem decimam notatam, aliqui tamen habent, & præsertim (quod maximi facio) habet Galen. secundo de diff. resp. octauo: dicit igitur Hippoc. hunc adolescentulum decima die leniter delirasse, alioquin moderatum ac taciturnum existentem; sic enim intelligit Galen. non autem quod in delirio esset compositus, ac taciturnus, vt putauit Valesius: nam vt Hippocr. primo Progn. & initio de off. med. docuit, & Gale. ex Platone confirmauit, valde interest considerare similitudinem, & rerum dissimilitudinem pro cognitione assequenda: sic enim dicebat contemplandam esse ægrotantium faciem, an similis vel dissimilis sui sit, & primo Prorrh. & in Coac. dicebat deliria eorum, qui alioquin sunt natura moderati, esse pessima.

CVTIS ARIDA. Habuit nona dies vrinas oleosas, quæ ex colliquatione à magna febre tales reddebantur: vnde iure fiebat cutis arida, scarnibus, & pinguedine consumptis: solaq; cute sicca remanente, & circumtensa, quod signum inter pessima recensebat Hippocrates primo Progn.

EXCRETIONES MVLTÆ. Inter ea quæ occurrerunt non ita continua inter decimam & decimamquartam fuerunt excrementa mutata: nimirum excretiones alui, quæ partim fuerunt multæ ac tenues: aliquando autem biliosæ & pingues: Fuerunt copiosæ ac tenues, deinde biliosæ & pingues, quia sicuti vbi vi ignis aliqua destillantur prius aquosa, & muccosa multa exeunt, deinde oleum, aut oleo similis substantia; haud secus vbi in corporibus ab igne febrili humores, carnes, & pinguedines torrētur prius aquosa, & serosa humiditas educitur: deinde pinguior & crassior, cuiusmodi est bilis, & pinguedo: vnde cum adolescens hic febre maligna, & colliquante laboraret; non est mirum si post decimam diem huiusmodi secessus apparuerunt, quales dixit Hippocrates & Galenus hoc in libro apparuisse plerisque, & quales etiam dicit octauo med. local. sexto, fieri in pestilentibus febribus.

DECIMAQVARTA. In malignis febribus haud minus, quam in aliis dies decretorii suam potestatem ostendunt, vt nunc decimaquarta, in qua dicit Hipp. cuncta fuisse exacerbata, & præsertim delirasse, multaq; fuisse oblocutum.

VIGESIMA. Vigesima, quæ est septima per coniunctionem à decimaquarta, vt millies dixi, est non modo iudicatoria, verumetiam vltimus terminus decretoriorum in acutis: itaq; vix vnquam reperietur Hippocra. eam omittere: cum in ea semper insignes appareant mutationes; vt in præsenti casu, in quo cum phrenitis decima die paulatim inchoasset post decimamquartam suscepisset incrementum vigesima tandem consummata apparuit, quādoquidem iam furebat, manus iactabat, atq; vt dicit Horatius de illo suo phrenetico pugilem agebat: cum. n. phreneticis, vt dicebat recte Cœl. Aurel. cerebri membranæ vehementer percellantur, & quasi diuellantur, animus errans: seq; à præsentib. lædi praue existimās, haud secus ad eos vlciscendos, atq; aduersus inimicos, & sese percutientes insurgunt, sicque & eos, & pugnis ferire, & quocumq; modo possunt lacessere, atq; cædere nituntur, & hic est ille βλησελισμὸς, quem sæpe in insanientibus & phreneticis commemorat. Sed præter maniacos furores habuit miser adolescens alia non minora mala, quoniam vrina penitus suppressa est, & modicos potus cōtinebat. Quod vrina supprimeretur,

meretur, potuit fecisse tum ipsius mentis alienatio, & à functionib. abscessio, cuiusmodi sæpe vsuuenit etiam in sanis, vt alicui rei nimium intenti mingere, & egerere obliuiscantur: tum quod partes etiam functioni mictionis famulantes essent nimium vitiatæ, atque exsiccatæ. De potu vero arbitror nomine illius complecti sorbitiones omnes alendis ægris idoneas, quarum exiguum aliquid continebat: non q; vomitu reiiceret, quandoquidem in moribundis similibus minime fit vomitus; sed quia ob siccitatem attrahere, atq; in stomachum demittere non poterat; vnde licet eas caperet, & aliquantisper ore contineret, eas tamen paulo post reiiciebat; & exiguum quid earum ad stomachum demittebat, quemadmodum quotidie in morte proximis obseruamus. Eapropter existentibus hisce signis exitialissimis rationabiliter vigesimaquarta, quæ est vigesimæ quartæ, interiit. Sed quærendum est, quo genere mortis obierit, an marasmo, an suffocatione: præterea cur cū pessima, & colliquatiua febre laborauerit, nihilominus in fine addit, phrenitis; quasi præcipuus ipsius morbis phrenitis non febris fuerit. Ad primum dicendum est procul dubio consumptione hunc esse mortuum, siquidem præterquam quod colliquatio ingens, quæ præcessit, id videtur satis clare indicasse: affuit etiam illa continendi sorbitiones impotentia, quæ omnia eximiā siccitatem, necnon degluriendi impotentiam sequuntur, & significant. Phrenitis etiam quæ non à principio fit, sed morbum iam ante diu factum consequitur id habere solet, vt non minus propria morbi natura, quam immanibus illis agitationib. corpora absumat, & ad summam siccitatem perducat. Vnde sæpenumero inter illos furores mortui, citra vllam anhelitus difficultatem, quæ suffocationem necessario antecedit, concidunt. Ad secundum vero dicere oportet id quod alias adnotauit Gal. pletisq; in locis; & præsertim septimo Aphor. 42. & quarto Aphor. 66. 73. & tertio in primum Epid. veteres non appellasse inflammationes nomine febrium, licet sibi perpetuæ comites sint, sed proprio nomine, vt ὑπεπτπὶς, πλευριτὶς, quandoquidem etsi febres maximæ sint, semper tamen maior morbus est præstantis partis inflammatio: vt propterea Hippoc. voluerit nos monere potissimum morbum, qui in mortem hunc præcipitauit non tantum fuisse ipsam febrem; quantum phrenitidem, quæ decima die inchoata, & deinceps semper aucta tandem ad necem perduxit. Curatio, quæ debuerit esse præsentis adolescentis non est arduum comprehendere: prīmum enim victus institui debuit, qualem in morbis acutis conuenīri dixi millies, cum vini abstinentia quidem: sed cum cibis vberius alentibus, non autem onerantibus: nam qui multa venere vsus fuerat, ac propterea viribus haud parum detraxerat, quomodo posset morbi violentia sustinendæ sufficere absq; vberiore alimento minime apparet. Itaq; statim & oui vitellis, & iuribus, & pene loto vtendum fuisset; ita tamen, vt modus & mensura debita seruarentur, quod vires & stomachus à venere nimia debilitati largiores cibos, & potus conficere nequeant. Cum autem prima die aluus copiosa stercora fudisset, ac diebus etiam subsequentibus satis soluta fuisset, haudquaquam medicus de ipsa emolliēdā sollicitus esse debuisset; sed statim de sanguinis missione vel facienda, vel omittenda fuisset deliberandum: etenim ex vna parte ætas adolescentiæ, s. vltra decimum sextum annum permittebat, morbi magnitudo requirebat. Ex altera parte vsus fuerat recenter multa venere, quæ mirum in modum vires exhaurire consueuit. Itaq; in hac dubietate elegissem mittere quidem sanguinem, sed non per sectam venam, verum per cucurbitulas scarificatas partibus inferioribus administratas; quantum enim conferat in pestiferis febrib. huiusmodi sanguinis missio perspicue docuit ex Herodoto Oribasius; quo in genere vesicantia pariter contulissent, tum ad alia symptomata lenienda, tū maxime ad illam cordis palpitationem compescēdam; & quia phreneticus factus est firmata in capite ipso inflammatione, optimum fuisset remedium etiam frontis venam incidere, omniaq; genera diuersionum ligaturis, & lotionibus extremorum molliri, & ipsi capiti oxyrrhodina accommodata fuissent adhibenda. Ad hæc intus cōuenissent ea, quę refrigerare queunt, necnon putredini, atque humorum prauitati

resistere. Tandem fuisset deueniendum ad gallum vel pullum columbinum depilatum capiti deraso adhibendum; in qua re etsi alii malint viscera castratorum adhibere, alii autem neutrum probent, laudo tamen in casibus desperatis interdum omnia tententur, quæ inflammationes cerebri discutere blande valeant. Atque hic finis esto explicationis earum historiarum, quæ ab Hippocrate in primo & tertio Epidemiorum tanquam in libris vere germanis recitantur, & numero sunt quadragintaduæ.

LIBER IIII. EPIDEM.



OST Æquinoctium, & post Virgilias: qualia exedentia & muccosa, quæ caput perruperunt, secesserunt supra aurem. Et apud Leocydem in pede. Phanodico digiti in pede in pectore: Qui tibiam sectus est, hæc quidem & denigrata fuit: erat magnum alius in externo tibiæ, & posterius persuadebat: postquam purum factum est, lateris dolor, & pectoris secundum rectitudinem ministri, & febres: obiit à febre. Biliosum Restiario saturatum, & ustoria adhibenti circa æquinoctium infra sanguis multus secessit. Seni valde vehementer secessit, non vltra quatuordecim dies: Signato ab Antiphilo caustico iudicatio septima bilioso, & typhoso. Tertia post iudicationem, vel sic sanguinem expuit: seruatus est: & recidiua post facta est. Iudicatus fuit (vt par erat) circa Virgiliarum occasum primo. Post Virgiliarum autem occasum biliosus in furorem, iudicatio. Euasit nona sine sudore. Circa æquinoctium Chalcidonius à portis translatus in forum ruptione circa mamam dexteram dolēs expuit aliud & aliud subuiride: venter. Sudor qui inceperat septima, habuit multa vsque ad octauam, iudicatus est decimaquarta: Circa vero quadragesimam intumuit circa aures sibi vtrasq; non præter verisimile visus est suppuratus fore, non factum est. Pectus Aristodemo vstum est. Filio Philidis abscessit ex casu & huic. Præexistebat autem dolor quidam supra. Post æquinoctia autumnalia recidiuæ, & alias vsque ad solstitia hyemalia cum sole æstiuo Acheloi vxor sexta abortum fecit. sanguinea existens, & horrida, & sudores, iudicatio decimaquarta: quot mensium esset haud noui: Masculum autem & alium ad viginti dies dixit, si vera, non noui. Circa Solis conuersiones hyemales borealia erant. Icterici fiebant saturate, & hi quidē horridi, hi vero non: linguæ combustæ tertia: & turbationes circa sextam & septimam, & hi longe extendentes. Decimaquarta alui renitentes, & in pharmacorum administrationibus non obedientes. Secundum rationem febrium, & sine sudore: Lienes sunt quibus parui ad hypochōdria dextera extensi, & ad manū submurmurantes: sanguifluí, & vrinis purgatio, & iudicatio: multo autem magis deorsum tendebant: Etenim hoc contigit sub hoc tempus: quibus non sic erat: Lienes autem eleuati: sanguinis fluxus ex sinistra: Sol conuersus est hyemalia hyemaliter in borealibus: paulo post autem austrina erant ad dies quindecim: post hæc autem nix quatuordecim diebus. Circa hæc anni Leterici saturati non iudicati integre, facile recidiuantes Post vero niues austrina subsecuta sunt, & pluuiosa: Coryzæ eruperunt, & cum febribus, & sine febribus. Vni autem cuidam & in dentes, qui & à medio doluerat ad dextera, & supercilium, & oculum. Erant vero & raucedines, & fauces inflammatione laborantes. & spongiæ vocatæ attollebantur: & ob aures, & genam tumores molles, & cum febre subsidebant: Incipientibus febrire facta sunt sursum, & ad altera multa horum: & spongiæ sunt quibus sub autumnum, & hyemem, quinetiam & furfuracea: sexta Virgini iudicata. Sexto recidiuauit: iudicia aūt facta sunt per sextam. Omnia in his temporib. sextenaria octonaria iudicabantur. Circa Vergiliarum occasum Meandri cæci vxor statim viride, & statim purulentum expuit circa sextam: & iecinoris fermentatio, & deorsum deiectio pauca. Caro purulenta supra, pauca, alba, lata excreauit, cibos auersans: obiit prope vigesimam.

EIVSDEM PRÆLECTIONES ALIQVOT IN INITIO QVARTI EPIDEMIORVM VTILES, ET ERVDITÆ.



OST ÆQVINOCTIVM. Post tertium librum enarratum sequitur quartus, quem interpretandum duxi; tum vt hi dies, qui nobis supersunt absoluendi non absque solito fructu prætereantur, tum quia licet hic liber non habeat historias ita diligenter enarratas, quemadmodum præcedentes; habet tamen & ipse quasdam non inutiles. Sed prius quam vlterius progrediamur, duo occurrunt determinatione digna: vnum est, an hic liber sit inter Hippocratis germanos connumerandus? Alterum, an prima pars huius quarti sit ita connectenda superioribus, vt veluti pars & truncus quidam superioris sit habendus, quemadmodum video placuisse grauissimis viris? Et quantum spectat ad primum in Censura nostra operum Hippocratis, quæ vna cum ipso Hippoc. est edita, iam diffiniuimus cum Galeno hunc librum esse quidem anteferendum in germanitate quinto & septimo, verum postponendum primo, & tertio: imo vero etiam secundo & sexto, quos Gal. haudquaquam vere germanos facit: veruntamē sæpennumero tanquam Hippocr. à Galen. citatur, & primo ac secundo Epid. facit locutione hunc similem prioribus, licet contemplatione inferiorem: imo nōnulli putatunt hunc vna cum secundo & sexto iunctum esse in membranis, ac pellibus Hippoc. à Thessalo filio, atque ita editum: sed quicquid sit, libri omnes veterum sunt æstimandi, quoniam seminibus illius vetustæ doctrinæ scatent. Ad secundum porro dico minime mihi videri necessarium, vt statuamus hunc librum esse partem antecedentis, quoniam hinc omnes codices auspicantur quartum; haud tamē à re alienum est putare, quæ hic referuntur symptomata contigisse in constitutionib. retro commemoratis, atque etiam pestiferis, siquidem sæpe in peste vlcera fiunt sæuissima, & quæ ipsos artus & membra exedant, vt Thucydides & Lucretius de ea peste narrat, quæ Athenis, ac in vniuersa Græcia grassata est immaniter. Sed iam ad Hippocratem explicandum est transeundum.

POST ÆQVINOCTIVM. Duo esse æquinoctia, vernale s. & autumnale omnes sciunt, sic etiam Hippoc. solet non modo spectare ortum, verumetiam occasum Pleiadum, seu Virgiliarum, tanquam in his temporib. fiant magnæ morborum mutationes. Solent vero Vitgiliæ otiri, & occidere circa vtrumq; æquinoctium, q̄ dicebat Arist. vigesimasexta Probl. 28. esse veluti confiniū hyemis, & æstatis, vel accedentium, vel recedentium. De quo autem Hippoc. æquinoctio loquatur, & an de ortu, vel de occasu Pleiadum nō est manifestū: suspicor tamen & de æquinoctio autumnali, & occasu Virgiliarum esse eum intelligendum, quandoquidem inquit post Pleiadas, hoc est, post recessum eatum, adeo vt hæc sit Hippocr. germana sententia, quæ eo tempore post autes prodierunt fuisse exedentia, atq; muccosa, necnon caput aperuisse. Videndum autem est, cur parotides tunc potissimum fuerint ita sæuæ, vt exederent, & ossa capitis denudarent, & cur ei qui prope Laocydem habitabat; necnō Phanodico potius hæc mala in pedum digitis, atq; in pectore apparuerint. Ad primū posset responderi quod dixit idem secundo Epid. Autumnū propterea esse vocatum θηριώδη non modo, quia tunc θηρία, id est, lumbrici abundant, verumetiam quia morbi ferini, vt sunt cancri, atq; vlcera alia pessima, & ferina euadunt; sed fuit alia ratio, s. praua natura pestilentiæ: etenim id comparatū est natura, vt vnaquęq; pars à sese depellat noxium, quod quanto deterius est, tanto remotius, & vehementius depellitur, donec in aliqua parte consistat; vnde amplius detrudi nequeat: sunt autem huiusmodi partes tum glandes, tum postrema & laxa cuncta in quibus materia praua adhuc ebulliens, & subinde perniciosiorem naturā assequens eas exedit, & consumit, vt his cōtigit, quibus & partes capitis post aures,

 & digiti

& digiti pedum, & pectoris extimæ partes ab humore pestilenti contactæ, & contaminatæ non absq; ratione fuerunt consumptæ; & non ita pridem nobilis quidā de Caponibus Florentiæ ex febre pestilenti incidit in vlcera magna pectoris, & coxarum exedentia, quæ ipsum pluribus mensibus atrocissime vexarunt, ita vt non semel de vita pene desperatus fuerit, qui tamen seruatus est.

QVI, SECTVS. Vtrum hæc verba pertineant ad Phanodicum antea commemoratum: an vero fuerit alter, dubium esse potest? ego vero puto omnia hæc sequentia pertinere ad nonū, & diuersum à præcedentib. duob. casum: cuius viri nomen, cum aut ignoraret Hippocr. aut oblitus esset illum designare, voluit per accidentia, quæ sibi occurrerunt. Fuit autem (ni fallor) casus hic, quod in febre pestilēte factus est cuidam viro tumor in extima, & carnosa cruris sinistri parte, qui tumor corruptus, non suppuratus partem illam denigrauit: vnde quemadmodum fit in in gangrænis medici partem illam emortuam & denigratam secare, & abscindere coacti fuerunt, adeo vt magnum vlcus remanserit, quod curatum diligenter, atque depuratum, & ab omni mortua parte emundatum est, verum post emundationem dolor lateris, ac potius sinistræ thoracis partis, quę secundū rectitudinem correspōdebat cruri sinistro, consecutus est; similiter, & febres perrexerunt: quæ tandem miserum ægrotatem ad interitum perduxerunt: atq; hæc est germana, & vera series præsentis historiolæ ab Hippoc. nobis breuiter, nec admodū clare proposita: circa quam nonnullæ vtiles contemplationes occurrunt: quarum prima est, vnde facta fuerit denigratio illa, quæ solet esse communis partib. cunctis gangrænatis. Secunda est, quæ fuerit caussa qnamobrē depurato vlcere, eoq; magno, nihilominus secutus sit lateris, atq; sinistrę thoracis partis dolor: nā videbatur potius secus cōtingere debuisse, si huius abscessus conditiones expendātur, qui fuit magnus, in parte infra morbum, in parte inferna, & externa, atq; depuratum est, quas omnes conditiones Hippocr. secundo Epid. tāquam optimas atq; salutares celebrabat, ita vt dixerit naturam sæuissimos morbos hac via curare. Tertia est, cur Hippoc. in fine addiderit hæc verba (à febre mortuus est) ἀπέθανεν ἀπὸ πυρετοῦ. Circa primam scire oportet id quod frequenter dictum est nō tantum à medicis, verumetiam ab Arist. lib. de color. & vlt. probl. sect. vbi duo genera nigredinis corporum nostrorum fieri videtur, alterum à putredine, & siccitate, alterum à calore vrente: illud enim fit, quando sanguis, & humor putrescentes, & consequenter siccescentes omnem amittunt splendorem, atq; luciditatem, cuiusmodi contingere videmus non tantum in corporibus humanis, verumetiam in plantis dum senescunt: Hoc vero fit, cum à caloris, seu ignis, seu Solis immodica vi cōsumitur humidum illud aereum, & aqueum, quod rebus affert splendorem, vt carbones ab igne, & corpora hominū à Sole: quamquam non me latet, aliquos esse plagarum temperatarum incolas, vt Americanos, qui nihilominus nigri sunt, potius ob seminis vim, aut vitium, quam ob aliam caussam; quibus sic constitutis certum est, nigredinem, quæ consequitur gangrænas, non ab alia caussa pendere, quam à putredine eximia facta, vel ab ingēti aliqua inflammatione antecedēte, & natiuum partis calorem extinguēte, quo priuatus humor cum non custodiatur ab igneo, & præternaturali calore superetur, tandemq; siccescit, atq; est caussa propter quam ab ægritudinib. prauis & pestiferis homines statim deflorātur, & nigrescunt: sicut cōtigit in casu ꝓposito. Ad secūdū dicendum est propter tres caussas abscessus etiam alioquin optimos non posse interdum penitus morbum finire: vna est, quando materia est vsqueadeo copiosa, vt nequeat tota in abscessu contineri, sed relicta in partibus vnde mittebatur, ibi sua prauitate summopere lædit: altera est quando materia est adeo tetra, & inquinata, vt nequeat ad veram suppurationem deuenire; vt enim vera suppuratio nō reuertitur, quemadmodum dicit Hippocr. sexto Epid. quia in ipsa est coctio crisis, & abscessus, sic econtra fit in suppuratione spuria & mala. Tertia caussa est, quando partes mittētes sunt ob morbum nimium imbecillæ, quam vt possint vniuersam materiam à sese depellere, verum aliquam ipsius, & magnam partē apud sese retinent:

porro

porro quænam caussa fuerit, cur in proposito casu optime curati vlceris, & abscessus tamen dolores lateris sinistri, ac tandem mors secuti sint, puto fuisse maximam copiam praui & melancholici humoris, qui non modo erat iampridem cumulatus circa lienem, & loca ipsi proxima, verumetiam in dies magis, atq; magis cumulabatur, tam ob partis illius labem acquisitam à pestifero morbo, quam ob propriam illius partis atque visceris infirmitatem, & certe illud verum est, quod etiam ab Hippocrate proditum inuenitur lienosis fieri in cruribus vlcera praua, necnon oris, & gingiuarum fœtorem. Ad tertium dicendum non absque optimo consilio Hippocratem addidisse hunc à febre fuisse peremptum, quoniam cum post vlceris cruris sinistri depurationem factus sit dolor lateris sinistri, atque thoracis, simulq; febres factæ & auctæ sint, poterat iure à cunctis dubitari, an illo nobilis partis dolore, an potius vi ipsius febris æger fuisset peremptus: vt autem huiusmodi dubium tolleret, voluit in fine adiicere eum à febre fuisse sublatum: At quæ fuerit ratio cur potius febris, quam dolores mortem attulerit, non est ita difficile conijcere, quandoquidem verisimile est maiorem teterrimæ illius materiæ partem fuisse consumptam in abscessum, quodque reliquum erat, nec ita perniciosum extitisse, nec tam copiosum, vt potuerit suapte vi interimere; verū quia corporis vires ab antecedente pestifero morbo erant fractæ, non arduum fuit, vt superueniente vel noua, vel saltem multo maiore febre penitus euerterentur dicente Hippocrate, quod vbi nouus morbus ægro iam ab altero morbo debilitato superuenit, illum plerumque perdit: & putandum est, Hippocratem voluisse hunc casum licet breuiter adnotare, tum propter suirantatem, tum quia ex ipsa eliciuntur præcepta vtilissima ad artem faciendam: nam illud in primis colligitur, morbos pestiferos sæpenumero desinere in abscessus perniciosissimos & horrendos, qui partes, quas tentant, ex toto perdere solent: vt narrant Thucydides, & Lucretius de Atheniensium peste, in qua complures genitalia amittebant. Alterum est interdum quidem ægrotantes euadere ab huiuscemodi abscessibus; sed interdum etiam si recte purgentur vlcera, atque ad sanitatem perducantur: minime tamen rem esse tutam, nisi quoque febris abscedat, qua durante periculum quoque semper duret necesse est: etsi enim commemoratus ab Hippocrate hoc in loco æger in reliquis vlceribus commodius habere videretur, quia tamen febris non modo durabat, verumetiam auctior facta erat, dicit Hippocrates ipsum à febre interiisse.

Biliosvm restiario. Certum est hanc particulam esse veluti portiunculam alicuius historiæ, cuius hanc tantum partem adnotatione dignam iudicauit Hippoc. s. quod restiario biliosum saturatum prodierit. Itaq; videndum quid sit in hac parte q; meruerit ita adnotari: id vero vt intelligatur operæpretium sciamus, quid significet Restiarius siue restion, & quid καθαρὸς χολώδες. Iam vero σχοινοπλόκος, siue vt vocat Plutarchus in lib. de tranquil: σχοινοστρόφος est ille, qui funes ex sparto nectit: sunt autem huiusmodi artifices paupertimi, atq; artem sedendo, vt plurimum exercent, vnde ob paupertatem cum herbis, aliisq; paupertinis cibis vescantur, corporaq; minime exerceant, fit vt necessario cumulent succos crudos, frigidos, piruitosos; sic enim Martialis appellabat fabrorum prādia, betas: Porro vt Galenus docet in linguis, atque alibi sæpe vocat biliosum saturatum, quicquid mere, & valde biliosum est, siue sit excrementum, siue humor, siue corpus. Itaque iuuenis cibis optimis & calidis victitans, minime mirum est, si & corpus, & excrementa mere biliosa habeat: atqui virum inopem herbis, aliisq; frigidis eduliis vescentem euadere valde biliosum, est certe præter rationem, præter vsum, & ob id non exigua admiratione dignum: vnde Hippoc. voluit hoc quoque adnotare, vt doceret fieri quoque interdum aliquain arte, quæ videntur à ratione aliena: cum tamen penitus ratione haudquaquam careant. Sed quæret aliquis, qua ratione potuerit fieri, vt Restio euaserit adeo biliosus: Cui respondendum est, eadem ratione contingere posse, qua interdum obseruatur hydropicos ingentem bilis vim

proferre, ac pruritu laborare. vt Hippocr. secundo Epid. scilicet quod obstructum iecur, ac propterea febrili calore affectum partim aquam producat ob natiui caloris defectum, partim bilem: imo vero quo pacto dicebat idem Hippoc. tertio acut. ac tertio de fract. aquam biliosis conuerti in bilem: sic dicere possumus interdum hydropicis ob febris vehementiam ipsam aquam in bilem conuerti; non dissimili ergo ratione dicere possumus Restioni illi euenisse, vt produceret bilem sinceram, tum ob cibos valde biliosos: cuiusmodi nasturtium, allium, & cæpæ, tum ob succos crudos, qui iecur obstruentes, eiusque feruorem augentes generandæ bilis occasionem attulerint.

Et caustica afferendi. Vtrum hæc particula superiori copulanda sit: an vero tanquam sententia separata accipienda, certe non parum dubito, & potius inclinat animus, vt sit superiori coniungenda, quasi hæc sit sententia: Restiarium biliosa saturata profudisse, cumq; ad bilem illam euacuandam causticum medicamentum adhibuisset, cuiusmodi est granum Cnidium, quo vtebantur veteres tum ad educendam bilem, tum ad vrendum, vt ex Plinio constat, factum est vt æquinoctio sanguis multus deorsum profluxerit, scilicet medicamento venas hæmorrhoidales aperiente, aut iecore ab ipso excitato sanguinem ad intestina pellete: de quo autem æquinoctio loquatur, & de qua inferna euacuatione, scilicet an de posteriore per anum, an vero de priore per vesicam, quæri posset: & si de posteriore intelligamus, videtur æquius autumnale æquinoctium interpretari, quoniam & si dicat Hippoc. tertio Aph. sanguinis fluxiones fieri vere: scimus tamen autumno fieri potius, humoris omnis melancholici per sedem euacuationes quam vllo alio tempore. Iam vero à medicamentis causticis sumptis fieri sanguinis minctiones, & non rarum est, neq; à ratione alienum, cum Galenus quarto de simpl. med. scriptum reliquerit, asparagum syluestrem vsq; adeo vrentis facultatis esse, sumptũ sanguinis mictionem producat: Quare siue æquinoctium vernale, siue autumnale intelligamus: & siue sanguinis exitum à vesica, siue à sede accipiamus: sententia vera est, caustica medicamenta sanguinis exitum à partib. infernis parare: sed quid si caustica etiam extrinsecus adhibita idem præstare fateamur? Certe cantharides in bursa delatas sanguinis mictum aliquando fecisse non ignobiles authores tradunt: quod licet tribuatur arcanæ cuidam ipsarum facultati, certum est tamen etiam facultatem vstoriam habere: vnde fit, vt quando vescantia ex iis conflata applicamus quibusuis partibus externis, & extremis sanguis sæpe mingatur. Et sinapismi etiam, atque dropacismi intemperatius adhibiti solent sanguinis profusionem, tam ante, quam post excitare: quamquam non id semper faciant statim, sed interdum aliquo post tempore, vt huic Restioni potuit contigisse, qui vel hyeme, vel æstate vsus caustico, aut extra, aut intus, autumno tantum habuit sanguinis ab infernis partibus exitum, atque eum copiosum, quoniam vis medicamenti diu in corpus latenter grassata, potuit ingentem alicuius vasis, aut vasorum producere hiatum, vnde postmodum sanguis satis copiosus emanarit; quamquam si attente Græcus contex. consideretur, particula περὶ ἰσημερίην, id est, circa æquinoctium, coniungenda est cum antecedentibus, non subsequentibus, quasi voluerit dicere Hippocrates, cum Restio ad purgandam bilem adhibuisset circa æquinoctium castica medimenta, tunc sanguinem multum ab infernis partibus profluxisse, qualem euacuationem à medimentis nimium purgantibus, & calfacientibus non raro fieri obseruatum. Et ab Hippocrate libro de natu. humi. diserte traditum est.

Seni valde. Senum corpora ant non tentari peste, vt dicit Plinius libro septimo, cap. 50, aut multominus cæteris verissimum est, siquidem pestis, quæ vim ingenti putredine habet, corpora senum frigida, & sicca ob idque à putredine suscipienda valde remota minus depascitur: vnde tanquam rem miram, atq; raram videtur hac breui dictiuncula nobis proposuisse Hippo. quod senex non modo sit peste captus verumetiam ea sæuissima, ita vt partes ipsius corporis, nec paucæ, nec ignobi-

ignobiles abscesserint, & ipse quoq; sentio cum viro doctissimo, vocem ἀπηνέω. id significare: Quod vero dicit nõ vltra decimamquartam diem putant aliqui significare voluisse prædictũ senem haud potuisse decimamquartam diẽ prætererire, quin obierit; atqui mihi videtur potuisse dicere Hippocrat. quod morbus, quamuis magnus esset, haud prætergressus sit quatuordecim dierum terminum, id quod non parum auget casus admirationem: siquidem quatuor euenẽrũt sibi rara: senex captus est peste: magna, liberatus est, & ante decimamquartam diem. Quod senex captus sit peste rationi consentaneum est, cum ægrotauerit in pestilenti constitutione, quod vero fuerit magna ex eo potest facile coniici, quoniam partes corporis, ita sunt vi pestis corruptæ, vt ab ossibus abscederent, sanatus autem est ante decimamquartam, tum quia tota materia virulenta, & pestifera per eas partes expulsa, & consumpta est; tum quia ea dies est terminus morborum acutorum, quamquam non ita intelligendum est, vt ante eam diem secuta sit integra sanitas: sed quod factus est iudicatorius abscessus per quem apparuit senem iri sanatum debere.

Percusso ab Antiphilo. Historia quam hoc in loco proponit Hippoct. ita est mutila, & obscura, vt certe ingenium Hippocr. minime videatur referre, vel si Hippocratica est, fuit ex iis, quæ post ipsius mortẽ sunt inuenta in chartis, ac tabulis, quæq; soli sibi propetantur sunt adnotata. Si vero mihi licet, qualis fuit casus, coniectari, plane dicerem hunc fuisse, scilicet quendam seruum stygmaticum ab Antiphilo vstum, qui bile, & febre typhoide laborans nihilominus septima die fuit iudicatus: tertia autem die à iudicatione, quæ fuit morbi decima expuit sanguinem, attamen euasit, ac recidiua est consecuta. Prima iudicatio, quæ fuit septima die facta est, vt verisimile erat, circa Virgiliarum occasum, at post occasum vsque adeo bilem creuisse, vt ad insaniam deuenerit: Facta est alia iudicatio nona die post primam ita vt superuixerit. Hæc est Historia, atq; casus præsens, quã potius diuinari oportet, quam habere explicatã: pro cuius examine primo videre oportet, quid significet vox στιγματίη Veteres, apud quos in vsu erat habere mancipia, vbi de ipsis timebãt, ne aufugerent, eis faciem, aut frontem inutere solebant, quo ea nota, cuius vel quorum dominorum serui essent, eo pacto, quo equi aliaue animalia signare solemus discernerentur: imo etiam non in his regionibus, vbi serui emptitii possidentur in more est pariter signare, quo suspectos habent, vt scilicet si apud quempiam fugiant, is sciat ex nota dignoscere dominum; huiusmodi ergo seruos veteres appellabant stygmatias. Cicero secundo off. vocat stigmosos: Plin. quinto Epist. inustos. Plautus in Casina facete vocat literatos, quod literæ signo notarentur: Alii dixerunt inscriptos vultus. Samii Atheniensium captiuis inurebant facies noctuæ signo: & econuerso Athenienses Samiis Samoenam, quod erat naugii genus. Igitur quod hic Hippoc. dicit stygmatiæ, ab Antiphilo inusto, vult significare seruum Antiphili ab eo candente ferro in facie propter aliquod scelus, seu fugam inustum, & signatum: vnde patet error Cornarii, qui transtulit vulneratum ab Antiphilo, &c. nullo sensu, nullo sale: Quod autem hic laborauerit bile, rationi consonum est, quia huiusmodi signati maxime in iram accenduntur, quo fit, vt etiam febre tenentur, vt contigit huic, qui febre typhoide est captus, occasione accepta ab vstione. Quæ porro esset hæc febris docet Hippocr. libr. de Aff. inter. vbi quinq; illius species facit: est autem species febris ardentis cum quodam animi stupore, & eximia animi alienatione: me non latet quoque id quod habetur scriptum ab Erotiano, & Galeno in exposit. ling. nempe τύφον, & τυφώδη dici stuporem, aut stupidum simpliciter absque febre, vt alias vsurpauit Hippocrates hoc in libro, & Galenus docet libro q. a. m. f. & t. Attamen cur hic potius pro ipsa febre interpretandum censeam, facit in primis illa ratio, quod Hippocrates hic loquitur de casu admodum periculoso, & de morbo qui habuit satis celeres iudicationes, ac vehementem insaniam habuit coniunctam: cuiusmodi impuro stupore nunquam fieri certum est: itaque hic seruus, qui alioquin erat biliosus ob

exustio-

exustionem sibi in vultu factam maxime excandefactus in febrem, cui erat obnoxius incidit, scilicet ardentem cum stupore, à qua tamen febre septima die fuit iudicatus, vt solent acuti plerique morbi.

TERTIA. Quis fuerit iudicationis modus, & an perfecta fuerit, haudquaquam adnotauit Hippocr. possumus tamen coniicere fuisse imperfectam atq; forsan per sanguinis è naribus fluxum: non fuisse perfectam illud ostendere potest, q; rediit morbus tertia post iudicationē die: Factam vero esse per sanguinis fluxiones, inde licet coniectari, quod expuebat tertia die sanguinem, quasi haud è naribus profluxerit quantus debebat; sed restagnans magna ex parte in os per sputum exierit: id quod sępenumero obseruamus contingere, vt post sanguinis è naribus profluuium ab ore quoq; exeat: nec mirum est hoc tertia die ab iudicatione contigisse, quandoquidem morbus & sanguis biliosi erant, morbi vero biliosi, quicunque sint, semper significationes aliquas de tertio in tertium habent, vt scriptum est apud Galenum primo, Aphorism. 12.

IVDICATVS EST. Quod hic dicit Hippocrates est, hunc seruum fuisse circa occasum Vrgiliarum iudicatum vt par erat: circa quam sententiam videndum est, quod anni tempus sit Pleiadum occasus, & cur Hippocr. dixerit par fuisse cum illo tempore iudicari. Quod spectat ad primum Hippocr. tria signa potissimum à medicis considerari mandauit Canem, Arcturum, & Pleiadas, eo quod sub his potissimum astris morbi mutentur, atq; iudicentur, vt ipse dixit lib. de aer. aquis, & locis: Oriuntur autem Pleiades circa initium æstatis; occidunt vero circa initium hyemis, adeo vt annus ab ipsis in duas partes diuidatur in quarum altera calor, in altera frigus dominari incipiunt, quæ est διχοτομία illa apud Theophrastum in lib. de ventorum & pluuiatum signis celebrata. Iam vero cur par fuerit hunc esse iudicatum circa Pleiadum occasum, qui est finis Autumni, non solum fuit caussa ipsum tempus, in quo dicebat Hippocrates loco citato de aer. aq. mutari, & iudicari morbos: verumetiam natura ægritudinis, in qua cum vtraq; bilis dominaretur, vt euentus indicauit, atq; autumno bilis atra maxime moueatur, iure factum videtur, vt debuerit eo tempore iudicari; non quod fuerit necesse, at admodum verisimile.

POST OCCASVM. Si circa initium hyemis occidunt Virgiliæ, certum est tempus post illius occasum etiam ipsam hyemem esse iam adultam; in qua nō absque ratione contigit, vt aucta sit bilis, & factum graue delirium, quandoquidem vt scribit Arist. Probl. 29, & decimaquarta tertio, circa autumnum, & hyemem morbi biliosi, vt sunt febres ardentes, acerbius, & periculosius tractant ægrotantes, quoniam tunc vi frigoris externi coactus intro calor fit vehementior, & ardentior, propterea quod humores etiam calidi tunc multo magis offerantur, & immaniores morbos producunt: perinde atq; videmus eos, qui hyeme sese in frigida lauant, aut niuem contrectant, securiores à frigido aere toto die conseruari, eos autem, qui calida lauantur multo magis externum frigus sentire.

IVDICATIO. Quis tandem fuerit exitus præsentis casus, implicite quidem, sed non obscure narrat, nempe nona à prima iudicatione die fuisse iterum iudicatum, sed absque sudore, attamen superuixisse: morbus grauis fuit etiam ab initio, tempus non admodum propitium, & forsan cum seruus esset, haud ita curatus fuit, quemadmodum decebat. Quamobrē casus obseruatione dignus fuit, tum quia nō est facta iudicatio die decretoria, tum quia nō est facta cum ea excretione sudoris, qua solent biliosi morbi iudicari; tum quia nihilominus περιεγένετο, id est, seruatus fuit; quæ omnia tribuenda fuerunt robustissimæ ægrotantis naturæ: solent enim mancipia ob tędiorum, & laborum, quos sustinent assuetudinem, grauissimis morbis perfungi.

CIRCA ÆQVINOCTIVM. Sequitur altera historia paulo clarior superiore: quæ quoniam habet aliqua vtilia documenta, æquum est, & ipsam examinare. Casus itaque fuit, quod circa Æquinoctium Chalcidonius à portis delatus

delatus ad forum ex ruptione circa mammam dexteram dolens, sæpe expuit materiam subflauam & virentem, venter egerebat, sudauit sæpius septima die vsque ad octauam, & decimaquarta die iudicatus est: Ad quod aliquam admirationem parere potest, fuit quod quadragesima morbi die aurib. parotides factæ sunt, quas putabatur ad suppurationem esse venturas: quod tamen haudquaquam factum fuit. Vtrum autem hic seruatus sit minime significauit Hippoc. eapropter in examine illud quoq; onus videtur incumbere, vt videatur si quid conijcere liceat de euentu præsentis casus.

CIRCA ÆQVINOCTIVM. Quod fuerit æquinoctium, an autumnale, an vernale, haud certò habetur ex verbis Hippocratis, attamen si seriem antecedentium spectare placeat, licebit dicere fuisse vernale, quoniam prænarrata historia contigit hyeme, & solet in narrandis historiis temporum series à plerisque seruari.

CHALCIDONIVS) hunc fuisse è Chalcide non est dubitandum, & hunc quoq; seruum fuisse suspicor: an in Chalcide autem hoc contigerit, nihil refert perscrutari: illud est examinandum, quænam fuerit ruptura, propter quam dicit Hippoc. hunc à portis fuisse in forum delatum: Aliqui existimant fuisse corrosionem venæ à sanguine bilioso circa dexteram thoracis partem, ob quam expuebat materiam subsanguineã, subpallidam, seu biliosam: sed cur hic à portis delatus est ad forum? Quare puto potius hunc, vel ex casu, vel ex aliqua percussione dum esset apud ciuitatis portas incidisse in fracturam alicuius vasis in thorace, ob quam percussionem à portis domum, quæ erat in foro deferri coactus est, vbi sæpius expuit materiam cruentam subbiliosam. Venter quoq; similiter egerebat: nam vbi quispiam vel ex alto cadit, vel percutitur scilicet pectus vehementer, solent huiusmodi expuitiones effractis vasis concitari, & pariter aluus moueri, vel præ metu, atq; ingenti animi perturbatione: quandoquidem iratis, & metuentib. ventrem solere citari, docuit etiam Arist. in probl. vel quod materia ex concursu à stomacho & capite imo etiam à thorace in intestina effusa extra pellatur, atq; interdum retineatur; ex quo solent medici post huiusmodi percussiones exhibere mumiã, coagula, atq; alia similia, quæ vim habent prohibendi sanguinis coagulationem, & quicquid eius effusum sit in maiores cauitates, depellendi ad intestina.

SVDOR) Qui fuerit vniuersus Chalcidonii status à die percussionis ad septimam vsque, an febris eum corripuerit, vel quippiam aliud symptoma, haudquaquam explicite dicit Hippocr. arbitror tamen omnino eum febricitasse, tum quia dicit eum cœpisse sudare septima die, & perseuerasse ad octauam; tum quia narrat ipsum decimaquarta die fuisse iudicatum; quæ enim alii quam febris, iudicatio esse potuit cum solius ruptionis, & alui egestionis mentio fiat? Itaq; statim à percussione cœpit febrire, atq; febris putrida erat, non tamen magni momenti: sed ex putredine serosi humoris concepta, quæ absq; aliquo insigni symptomate perseuerans decimaquarta die per sudorem finita fuit.

CIRCA QVADRAGESIMAM. Cum dierum intra decimamquartam & quadragesimam nulla fiat mentio, par est existimare nil noui accidisse, sed tantum quadragesima fuisse subortas parotidas, quæ an fuerint præteriti morbi reliquiæ, & veluti abscessus quidam, an vero nouus morbus, iure posset dubitari, at puto potius hoc vltimum fuisse, quandoquidem spatium illud quod interceptum est inter decimamquartam & quadragesimam nimium est, quam vt potuerit tamdiu morbus durare absque vllo symptomate; nisi tamen dicere placeret occurrisse quidem alia complura, quæ tamẽ haud ab Hippocrate commemorata sunt: quod non fuerint ita digna obseruatu, quemadmodum parotides, quæ præ ceteris illud rarum habuerunt, quod debuissent suppurari, cum tamen minime suppurationem habuerint; neq; valet quod Hippocrates vtatur voce ἐμπύους, quam vertunt aliqui suppuratos, & intelligunt de iis tantum, qui collectum intra thoracem pus habent, quoniam vt scribit Galenus secundo Prognost. contex. 59. & si proprie apud

apud medicos ἐμπύοι vocentur,quibus collectum est pus intra thoracem,attamea vocantur etiam interdum similiter quotquot habent in qualibet corpore parte pus,cuiusmodi puto nūc accipi similem. Etenim etsi habuerit Chalcidonius sputum flauum,& subuiride,ac rupturam sit passus circa mammam dexteram, haud tamen alia habuit,quæ deberent minari thoracis suppurationem, cum iam diximus illam expuitionem habuisse alias caussas:quamquam non negarem posse etiam intelligi de vera thoracis suppuratione, quæ debuerat fieri ipso pectore percusso,& forsan ex percussione facta in pectus sanguinis effusione, ob quam etiam data potuit esse occasio parotidibus ob insignem consensum, qui est pectori cum auribus,vt demonstrat etiam Arist. trigesimasecunda & trigesimatertia Problem. sectione. Cum igitur non facta sit suppuratio, posset aliquis sciscitari, quæ fuerit huius ratio,cui responderi potest Chalcidoninm hunc fuisse robustissimi pectoris, vt ob hoc si quid ex percussione in pectus fuerit effusum id totum esse per sputum expulsum,aut vi caloris, & roboris ipsius fuisse consumptum, præter exiguam portionem illam,quæ ad aures demandata ibi tumores effecit: Ex qua historia colligimus nō semper esse necesse, vt empyema sequatur, vbi ex percussionibus in thoracem effunditur materia aliqua.

Pectus Aristodemo vstum est. Duos casus breuissime cōplectitur Hippocr. quorundam,quibus vstum est pectus;alter fuit Aristodemi,alter Philidis filii. De priore dicit tantum sibi fuisse pectus vstum; de posteriore vero ait,eū cecidisse, & ex casu collectum fuisse pus,ac propterea fuisse vstum; puto autem subiunxisse Hippocratem hunc casum Chalcidonio, vt exempla suppeditaret vtriusque euentus, nempe illius quando ex percussione non sequitur empyema,& quando sequitur,quasi vero ficut in illo haudquaquam est necessaria vstio, ita in hoc fieri potissimum debeat: etenim illud est compertissimum non modo Hippoc.verum etiam alios veteres cōsueuisse ad pectoris vstionem deuenire frequentissime in variis affectibus ipsius; maxime vero cum vel ab interna, vel ab externa aliqua caussa in ipso materia collecta vertebatur in pus;& certe actio ignis & vstio præstat,vt materia illa vi caloris aliqua ex parte consummatur,ac residuum postea per foramen exustione relictum transcoletur, & paulatim euacuetur: nec abnuo hoc etiam fieri posse in formidolosis aliquo medicamento caustico: veruntamen multo celerior est ignis operatio,& quod maximum est effusio sanguinis,quę incisionem sequitur necessario vitatur, vt ob hoc magnopere diligam in quibuslibet abscessibus aperiendis vsum ferri candentis; imò vero in aliis partib. abscindendis etiā id egregie semper præstat,vt sanguinis fluxus prohibeatur, simulq; incisio celerior fiat,absq; partis abscindendæ insigni vlla infirmitate.

Post æqvinoctia avtem. Quod hac breui adnotatione voluit nobis scriptum relinquere Hippocrat.est, vel quo tempore ea scribebat,factas fuisse morborum vagantium recidiuas post æquinoctia autumnalia, vsq; ad solstitia hyemalia,& post Solem æstiuum; vel quod magis ipse arbitror voluit vniuersaliter docere tempus quo potissimum fiunt recidiuæ esse post æquinoctia autumnalia, vsq; ad hyemalia solstitia,& post æstiuū Solem,non quod solum fiant recidiuę tunc,sed quod & frequentius & maiores, seu periculosiores fiant: loquitur autem numero plurali, quoniam qui documenta vniuersalia tradere intendunt, ita loqui debent: sicetiam Virgilius dixit, humida solstitia, atque hyemes orate serenas, Agricolæ: quasi documentum vniuersale traderet, debere semper iis temporibus fieri huiusmodi constitutiones, si fœlices segetes erunt sperandæ. Cæterum dignum est speculatione cur potissimum fiant recidiuæ post Solem æstiuum, & post æquinoctia autumnalia, vsque ad solstitia hyemalia, & quod etiam pertinet ad hanc speculationem est, quoniam Aristoteles prima Problem. vigesimosexto, quærens rationem, cur post vtrumque solstitium per spatium centum dierum maxime mors contingat, inquit esse, quoniam tunc maxima est vehementia caloris, & frigoris, à quibus fiunt morbi, atque pernicies. Pro resolutione autem

illud primo sciendum est ea dictione (post Solem æstiuum) intelligere Hippocrat. finem æstatis, quando oritur Arcturus, qui fere coincidit cum initio autumni; & æquinoctium autumnale, esse hoc tempore circiter finem Septembris, sicut solstitium hyemale circiter finem Decembris omnes sciunt. Iam vero quod vere, & æstate morbi celeriter, & sine recidiuatione iudicentur præter Hippocratis testimonium ipsa etiam ratio satis confirmat, quandoquidem tunc cum aperta sint magis corpora, humores puri, & expultrix facultas valida non multo negocio cōtingit, vt humores morbifici consumantur, & euacuentur, sicque morbi perfecte finiantur; contra hyeme, & autumno corporibus existentibus arctioribus, & ob autumni varietatem variis, & copiosis humoribus cumulatis, fit vt ii retenti, & copiosi existentes handquaquam possint cito & perfecte consumi; atque hoc est quod dicebat Hippocrates secundo aphorism. vigesimoquinto, æstiuas quartanas esse breues, autumnales vero longas, præsertim quæ ad hyemē attingunt; sub nomine quartanarum intelligens, vt exponit Galenus, omnes alios morbos; Quo vero ad locum Aristotelis pertinet, semper existimaui numerum illum esse corruptum, quandoquidem si bis centum dies anni capiamus, erit maior eius pars, sicque morborum pars maior semper erit lethalis, plurimique peribunt, quod nec dixisset Aristoteles, nec vsus comprobat, & iccirco pnto vbi scribitur ἑκατον, id est centum legendum esse εἴκοσι, id est viginti; sic enim & experientiæ, & rationi ab ipsomet Aristotele allatæ congruum erit, cum iis diebus in vtroque solstitio, & magnus calor, & magnum frigus dominentur.

Acheloi vxor. Præsens historiola, & ipsa quoque satis concisa est; veruntamen non pauca habet scitu digna, & inter cetera ex ipsa Hippocratis dignoscitur integritas, qui, & quæ ignorabat, & quæ non credebat, libenter fatebatur, nil antiquius habens, quam ne quemquam falleret, aut ipse falleretur, quemadmodum Celsus dicebat. Hæc itaque mulier Acheloi cuiusdam coniunx cum vtero gereret, capta est febre horrida; in qua s. horrores inordinati, & plures eam tentabant; non autem fuisse febrem admodum magnam ex eo coniicio, quod Hippocrates illius nullam faciat mentionem; & quia dicit fuisse sanguineam; solent vero morbi qui fiunt à sanguine esse mitissimi, vt de pleuritide scripsit Galenus tertio in sextum Epid. context. vltimo, quare forsan fuerit febris & sanguinis ichore mitissima putredine. Sed dicet aliquis, cur ergo si febris non erat adeo vehemens sexta febris die abortum fecit? Etenim mulierem sanguineam non est probabile, vsq; adeo fuisse inualidam, vt debuerit paruæ febris occasione abortiri? Hac in re certe coniecturis solis agi potest, atq; eo maxime quod Hipp. narrat sese ignorasse, quot mensium esset, quasi vero ad abortum facile, vel difficile faciendum magnopere conferat, in quo mense conceptus mulier comperiatur, quoniam in primis & postremis mensibus multo facilius, quam in mediis fit abortus. Iam vero consideranti mihi, quam ob causam voluerit Hippocrates præsentem mulierem sciri fuisse sanguineam, succurrit potuisse illud esse, quia non nouerit vllam aliam in ipsa abortus caussam, quam sanguinis copiam; sunt enim aliquæ magna sanguinis multitudine exuberantes, ac propterea singulo mense ingentem illius copiam effundentes, quæ vbi retinetur in prægnatione, solet fœtus suffocari, atq; ad præcauendum ab abortu solent medici in huiusmodi casibus sanguinem à brachio mittere prioribus, atq; etiam aliis mensibus, pront necessitas postulat, quo auxilio plurimas ab abortu fuisse seruatas scio; adnotauit etiam Hipp. sexta die febris factum esse abortum, quod illa dies soleat semper esse infelicior, & molestior ceteris. Porro de febre horrida, & sudore iam diximus alias, quæ sit febris horrida siue φρικώδης, nempe vt dicit Galenus primo, in primum Epid. & primo de diff. feb. cap. 9. non quæ inuadit cum horrore, sed cuius maior pars accessionis horrorem habet, quod quidem fit dupliciter vel reduplicante incremento, vel ipso solo inequalem ascensum sentiente; discrimen autem potissimum consistit in temporis quantitate, quoniam si motiones illæ horridæ distent inter sese breuibus interuallis, inæqualis horror vocatur; sin autē

longioribus interuallis, dicitur reduplicatio, quæ symptomata obseruantur, sæpenumero in semitertianis, fiuntque à pituita, & bile putrescentibus inæqualiter, ac putredine haud miti. Ceterum quod simpliciter dicit sudores existimo voluisse dicere, fuisse huic mulieri sudores copiosos, atque satis frequentes, ita vt perdurarint vsq; ad decimam quartam diem, in qua febris fuit iudicata.

MASCVLVM AVTEM ALIVM. Quod addit Hipp. pro fine præsentis sententiæ est, mulierem sese dixisse viginti diebus antea abortiuisse masculum, verumtamen an vera dixerit sese ignorasse; Circa quę verba tria sunt quærenda: primum cur de secundo abortu non referat cuius sexus fuerit; de primo vero dicatur fuisse masculum. Secundum cur Hippocrates hæc apposuerit, cum dubitaret de veritate relationis mulieris. Tertium cur voluerit fateri sese nesciuisse, an mulier vera dixerit; Et quod ad primum pertinet certum est, vt habemus apud Hippocratem libro de fœtat. & superfœt. & Arist. quarto de gen. anim. cap. quinto, mulierem quoque superfœtare, sed rarissime, eo quod vt alias docuit Galenus & Aristot. ante ipsum vterus vbi concepit sese comprimit, & vt dicunt medici, vsq; adeo clauditur, vt neque acus eum penetrare queat. Vt igitur Hippocrates doceret huiusmodi exemplo superfœtationem etiam in genere humano fieri, quemadmodũ in leporibus interdum, hęc verba addere voluit: iam vero cur fiat in aliquib. superfœtatio, in aliquib. non, est vt ait Arist. caussa triplex, copia seminis, prauitas corporis, & vteri amplitudo. Scio alios aliter hanc partem interpretari, quasi Hippocrates loquatur de consueta abortiri, verum id mihi placere non potest, quia licet Hippocrates, dicat, & experientia confirmet consuetudinem abortiendi, maxime facere ad fœtus corruptionem, rarissimum tamen est, vt quæpiam spacio viginti dierũ sæpius abortiatur, nisi facta sit superfœtatio, quod post abortum vterus non ita cito reficiatur, vt sit aptus ad nouam conceptionem; & si forte statim fiat conceptus, haud potest cognosci post paucissimos dies, vtrum sit nec ne, nedum vtrum sit fœmella, vel masculus, veluti videtur cognouisse Hip. cũ dixerit mulierẽ hanc dixisse 20. dies ante sese alium masculum peperisse, vox. n. (aliũ) referri ad masculi dictionẽ non est dubitandum; ac propterea intelligendũ est, hunc etiam postremum fuisse masculum; q; quomodo cognosci potuisset, si conceptus fuisset, dũtaxat post antecedentem abortum, haudquaquam intueor. Hæc itaq; (q; erat secundum propositũ) fuit ratio, propter quam explicare non posuit sexum abortus secundi, quoniam ex voce ἄρσεν ἄλλο poterat faciliter intelligi, hunc etiam postremum fuisse masculum. Ad tertium porro dicendum est, ꝑpterea Hip. dixisse, nescire an verum mulier dixerat; tum quia veracissimus senex haudquaquam voluit vnquam affirmare, quæ sibi videbantur ambigua, docens ceteros medicos idẽ facere debere; tum vt nos cõmonefaceret sese huic minime interfuisse, ac propterea non potuisse debita vti diligentia in veritate facti perquirenda, minime quia res indigebat insigni aliqua disquisitione ad pernoscendam superfœtationem, & quia res erat admodum dubia, an viginti dierum spacio potuerint duo abortus fieri masculi absque, vel cum superfœtatione.

POST SOLIS CONVERSIONES. Quæ in hac longa dictione docet Hippocrat. non minus vtilia, quam scitu iucunda sunt, eâ propter paulo accuratius, & longius à me quoq; explicabuntur. Quod autem putant aliqui hinc incipiendum esse quartum librum, quasi antecedẽtia omnia sint veluti segmentã quædam historiarum ad tertium librum pertinentium, haud quaquam mihi placet, siquidẽ neq; stylus, neque modus narrandi, neque res ipsæ enarratę quicquam eum præcedentibus commune videntur habere; sed quicquid sit de hoc, illud certe mihi non displicet pro intelligendis iis, quæ ab authore proponuntur, statuendam esse temporis totam constitutionem, quæ separatim, nec distincte proponitur: Fuit autem hæc, quod post hyemale solstitium, nempe circa finem Decembris venti boreales perflarunt; post quos quindecim diebus spirarunt Austri, tum diebus rotidẽ ninxit; antecedente autem vere iterũ austrini venti fuerunt, & pluuiæ, atq; hęc

summatim fuit constitutio ab Hippocrate enarrata, quæ vbi fuerit haudquaquam dixit, quod nil referret ad cognoscendam vagantium morborum naturam; siquidem, vt ait ille in fine libri Prognost. eadem vera sunt vbique. Modo videndum quæ morborum genera vnaquæque constitutionis pars attulerit. Prima quæ fuit borealis peperit ictéros κατακορεῖς, hoc est, magnopere flauos, quorum alii inchoabant cum horrore, alii sine. Quod pertinet ad ictéros, scimus esse symptoma in genere qualitatum mutatarum ob bilis per vniuersum corpus effusionem quæ vt alias docuimus fieri solet varias ob caussas κατακορὲς vero, vt explicat Galenus in ling. Hippocr. significat quicquid est valde, & sincere biliosum: vult igitur dicere ictéros, qui fiebant plurimi sub hac constitutione à pura bile fuisse per vniuersum corpus fusa, eiusque vniuersum colorem ad flauitiem, atq; pallorem permutante; nam interdum solet flauities duntaxat apparere circa oculos aliquando etiam circa manus, & collum; aliquando in toto; atque tunc vel pallor est ingens, vel paucus, vel mediocris prout scilicet bilis magis vel minus est saturata. Iam vero in ictericis hic commemoratis bilis fusa erat non modo copiosa, & per vniuersum, verum etiam erat vehementer saturata; in quo genere si verum est vnquam icteris cuncta videri flaua proculdubio id fieri existimandum est; at hac de re satis dixi in variis lectionibus. Ceterum illud est contemplatione dignum cur potissimum in boreali, & frigida aeris constitutione facti sint adeo graues icteri; maxime cum Hippocrates tertio aphorism. decimoseptimo. scribat boreales constitutiones facere corpora mobiliora, expeditiora, & coloratiora; & cur alii fierent cum rigore, alii vero sine rigore. Quod spectat ad primum Aristoteles videtur veram caussam attulisse, qui prima Problem. sexto, quærens rationem, ob quam morbi acuti, qui fiunt à bile, vt Hippocrates docet libro de natura humana, & ipsemet Aristoteles quarto de part. anim. secundo potius hyeme, quam æstate vrgeant, quod quoque asserit eadem sectio. Problem. vigesimonono; & decimaquarta, Problem. tertio inquit esse, tum quia, quod contra naturam est magis vrget; contra naturam autem est; vt tempore frigido fiant morbi calidissimi; tum quia frigore aeris externo coactus intro calor euadit potĕtior, & cõsequenter calidiores succos producit. Itaque cum Boreas spiraret hyemis initio, vt cumularetur sincera, & calidissima bilis duo efficiebant hyemis, scilicet natura frigida; nec non boreas similiter & frigidus, & siccus, adeo vt bis duabus causis frigidis conuenientibus minime sit mirum auctum esse calorem intestinum, atque ab eo feruente productos esse feruidos, atque biliosos humores, qui fusi per vniuersum corporis habitum, hanc affectionem genuerunt: nec quicquam obstat Hippocratis sententia opposita, propterea quod hic loquitur de constitutione accidentali, & præternaturali, quæ inueniens corpora parata potuit ea valde alterare; tertio autem aphorismo loquitur de quotidianis, & naturalibus, boreę constitutionibus; quę leniter natiuum calorem intro cohibentes, vt docet Galenus in comment. ex corpore excrementa omnia absumit, atque instrumentis substantiæ densatione à se constrictis, & coactis robur ingenerat, vnde corpora expeditiora, valentiora, & coloratiora iure optimo redduntur. Cur porro icteri fierent aliquibus cum horrore, aliquibus sine, potuit caussa esse varia, & diuersa corporum ægrotantium præparatio; nam qui corpora sensibiliora, & humores suapte natura calidiores intus gerebant, iis facta adbuc bilis acrior, & per partes alioquin natura sensibiliores lata magis vellicabat; sicq; horrores, & cum horrore febres, inducebant: id quod euenire plerisque experientia quotidiana docet, quibus dum bilis eiusmodi præ copia, & qualitate effunditur in corporis ambitum, horrores rigores, febres, atque etiam acerbissimos dolores præsertim ventriculi, & intestinorum producit; qui vero & minus sensibilia corpora habebant; nec iis adeo mordax, & copiosa bilis erat, absque partium sensibili vellicatione in corpus effusa, neq; rigorem, neq; febrem faciebat.

Lingvæ vstæ tertia die. Constitutiones temporum, atque morbi populariter vagantes non modo communem habent naturam, ve-

rum etiam communia symptomata, atque communia exacerbationum tempora, id & in præsenti, & subsequenti dictione Hippocrates docet. In præsenti quidem cùm dicit in constitutione boreali facta, hyeme linguas factas esse combustas tertia die, turbationes autem alui factas circa sextam & septimam, atque has diu perdurasse. Dubitari posset vtrum hæc intelligenda sint de ictericis nuper commemoratis, an de aliis morbis, & quid per turbationes intelligat Hippocrates; sunt enim qui videntur intelligere Hippocratem tanquam loquatur de morbis in vniuersum tunc vagantibus; at magis mihi placet intelligere de ictericis tanquam iis laborantibus febri Epidemica, & maligna, ob bilem exustam, & febris nigritudinem linguæ statim comburerentur, atque eo maxime, quia similibus ægrotantibus solet accidere, vt linguę bile imbibantur; ac propterea cuncta quæ gustant, sibi videantur amara, quemadmodum fieri potest, vt aliquibus videantur cuncta flaua, vt dicit Lucretius, & plerique alii veteres Scriptores. De turbatione quoque video aliquos interpretes putasse Hippocratem eam intelligere, qua vniuersum corpus angitur, ita vt quiescere nequeat, & quæ solet accessiones comitari seu exacerbationes febrium; at vt ipse aliter sentiam, puremque intelligendas esse alui turbationes, quibus fluunt praui humores, duo faciunt: vnum est, quia sic reperitur interdum vsurpasse voce ὄχλοι, qua hoc in loco vtitur, alterum quia in sequenti dictione inquit decimaquarta die aluos consueuisse firmari, quod præsupponere videtur iam eas fuisse solutas: nec valet ictericis aluos semper duras fieri, quoniam id quidem verum est de simplicibus ictericis; non autem de iis, quibus febres malignæ coniunguntur, & in quibus putrescens bilis in intestina effunditur vi quadam, siue per venas mesaraicas, siue etiam per ipsum ductum ad duodenum. Accedit quoque rationibus prædictis illud, quod cum dicat huiusmodi turbationes in longum perdurasse satis longum spacium est à sexta die vsque ad decimamquartam, quo tamen spacio vix contingere potest, vt durent anxietates, atque turbationes illæ ab aliis putatæ.

Decimaqvarta alvi retentæ. Quod pro turbationibus intelligendæ sint alui molestæ motiones, faciunt hæc verba, in quibus dicit aluos retentas esse decimaquarta die, nec potuisse vllis pharmacis incitari; id enim habent potissimum icteri, vt vbi in ipsis aluus sistitur, male clysteribus, peius medicamentis soluatur: præterea nihil sudant, aut illud faciunt parce, nec pro ipsius febris ratione: caussa vero vtriusque euentus est, quoniam vis expultrix priuata stimulo naturali, qui est bilis, ægte ab vllo alio concitatur, retentrix autem robustior facta ob ocium expultricis magnopere contendit aduersus alia irritatoria, cuiusmodi sunt medicamenta, atque clysteres: Cumque cutis ipsa bili crassiuscula sit oppleta, haudquaquam sudoribus viam vllam facere potest, & si facit ea admodum angusta est, quam nec vis febris aperire valet.

Lienis qvibvsdam. Et hęc quoque dubitare licet vtrum de ictericis sint accipienda; ego tamen sic accipio; quod sæpenumero icteticis dextera hypochondria tumeant, atque tunc malum esse dicit Hippocrates sexto aphorism. 24. sed hic video posse duo quæri, vnum est, quomodo Hippocrates dicat lienes ad dextera hypochondria intencos, etenim nemo est, qui ignoret lienem non in dextera, sed in sinistra ventris parte esse positum, sique aliquando pertingit, ad dexterum latus est, quando vsque adeo tumet, vt instar Zonæ, quemadmodum & dicebat ille Plautinus totum abdomen cingat: iam vero sic non potest intelligi Hippocrates, quia dicit lienes fuisse exiguos. Aliud est, si Hippocrates hic loquitur de ictericis, quo pacto dicat ad manus submurmurasse hypochondrium dexterum, vel lienes ibi positos, nam scribit idem Hippocrates quinto aphorism. vltimo, ictericos non admodum ventrosos esse: murmuratio vero fit à flatu retento, & commoto. Circa primum scio, Aristotelem initio penultimi capitis libri primi de historia, animi scripsisse aliquibus animalibus visum esse lienem in dextera parte situm fuisse; quod etiam confirmauit quarto de gen. anim. cap. quarto, at cum

cum id explicate non dicat de homine in ipso haudquaquam posse hanc viscerum permutationem cum vita consistere puto: vnde neque hunc potuit Hippocrates respicere, cum dixit lienes ad dextera hypochondria: verum quod dicere voluit, est in ea constitutione quibusdam lienes intumuisse, non admodum magis tumoribus, atque versus dexterum hypochondrium esse conuersos, quasi tensio vsque eo vergeret. Ad aliud dicendum tumores lienum non tantum ab eo humore melancholico fuisse productos, verum etiam à pituita: vnde vtriusque humoris ratione haud exigua flatus copia colligebatur; quæ à manibus contrectantibus commota strepitũ faciebat; quod autem dicit Hippocrates ictéros non fieri flatuosos id vt alias docui, est intelligendum de simplicibus icteris absque lienis tumore alioue affectu; in quibus non colligitur, ita faciliter flatus, quoniam humor biliosus ita aridus, calidusque est, vt flatus generationi inhibendæ potius auxilietur.

Sangvinis flvoris. Inter symptomata propositæ constitutionis hoc quoque erat, quod & sanguis è naribus fluebat, & per lotii expurgationem iudicabantur; cum enim interiora omnia maxime calerent, sanguis quoque supercalefactus, & biliosus redditus in superiora ferebatur, ad nares, vbi oscula venarum ipsarum aperiens suo calore profundebatur, sicque quoque fiebant vrinę profusiones, quod ichor plurimus & biliosus abundaret, qui vbi primum cœperat ad vesicam ferri, quicquid deinde in ipso sanguine continebatur seri biliosi, totum id ad vesicam latum excernebatur; sicque ictericiæ per lotium expurgatæ iudicabantur; nec obstabat lienum tumor, cũ habeatur in secundo Epid. secundo. Bionem quendam à lienis tumore fuisse literatum vrinarum copia; quasi verisimum sit plerumque lienosorum sanguinem, vt dicebat Aristot. in Probl. esse aquosum, atq; vt ait Hippocrates quarto de morb. ipsummet lienem aquæ fontem, & domicilium esse; Tandem in plurimis ægrotantium videbatur quædam communis esse ad inferna propensio naturæ. Nisi quod vbi ictéritia non fiebat, atque tamen tumidi lienes erant, non infra, sed supra inclinabat natura, quando quidem sanguis e sinistra nare profundebatur. Quod enim à sinistra potius nare sanguis prodirer manifesta caussa erat ipsius lienis tumentis morbosæ; rectitudo etenim ad molliendas euacuationes vel superiorum vel inferiorum partium naturam solere rectitudinem diligere, & Hippocrates non semel docuit; & quotidianus rerum vsus monstrat. Sed cur potius per superiora, quam per inferiora lien expurgetur, alia est ratio, népe vasorum à liene prodeuntium latitudo maior versus superiora, quam versus inferiora; quod etiam interdum facere potest sanguinis aquosioris ac tenuioris conditio, qui ob inconcoctiones à frigida lienis intemperie caussatas cumulatur in eo.

Solstitivm præterierat. Quæ in priori partiali hyemis constitutione contigerint memoratu digna, hactenus recensuit Hippocrates. Hunc sequitur recensere, & quæ fuerint post solstitium, & quæ tunc acciderint. Dicit ergo, quod statim ab hyberno Solstitio licet Boreas spiraret, haudquaquam tamen hybernam constitutionem admodum variabat: sed omnia sese habebant hyberno modo. At quindecim diebus post Austri perflarunt, & aliis quatuordecim boreas, adeo vt modo hic, modo ille ventus spirans consequenter constitutionem variaret scilicet modo borealem, hoc est frigidam & siccam reddens, modo austrinam, nempe calidam atq; humidam. Dicit itaque in hac varia constitutione factas quoque esse ictéritias saturatas, hoc est valde flauas, & pallidas, quæ nunquam sincere & perfecte iudicabantur, sed facile recidiuas faciebant: etenim illud est compertissimum, quod scribit Hippocrates secundo aphor. duodecimo, & secundo Epid. tertio, quæ relinquuntur in morbis post iudicationem facere consueuisse recidiuas. Cur autem non perfecte iudicarentur tunc ictéritice, faciebat illa constitutionis varietas; quoniam & si Austro flante corpora aperirentur, inciperetque humor per ambitum corporis distributus dissipari, mox tamen superueniens Boreas, denuoque cutim constipans, & effluuia prohibens ictéritias renouabat.

Post nives autem. Dixi supra, & verissimum est antedictam constitutionem fuisse variam, siquidem modo Boreas, modo Auster spirabat. Nunc autem post Austrum dicit fuisse niues, quæ non nisi flante boreali aliquo vento decidere solent; post niues iterum, scilicet vere dicit austrinos flatus perspirasse, atque cum iis pluuias fuisse. & quamquam austri plerumque pluuias producant, nihilominus fiunt etiam interdum sine illis, vt quotidie obseruamus accidere, & vt docuerunt Hippocrates atque Aristoteles, & Galenus vt non immerito nunc austrinæ constitutioni addat Hippocrat. fuisse quoque pluuias. Morbi, qui tunc contigerunt, fuerunt ii, qui solent temporibus austrinis esse familiares, nimirum grauedines tam cum febribus, quam sine febribus: quod enim ad grauedines pertinet eas fieri ab austrinis ventis, sicuti tusses, & raucitates, de quibus mox dicturus est Hippocrates clare pronunciauit tertio aphor. decimo tertio, caussa huius explicatur, & ab ipsomet Hippocrate libro de aer. aq. & loc. & ab Arist. prima Probl. sectione, scilicet, quia repleta humido austrino capita, atque mitiore & calidiore accedente aere, veluti colliquata humorem mittunt modo in oculos, vbi lippitudines faciunt; modo in fauces & guttura, vnde tusses, atque raucedines oriuntur; modo in venas atque arterias, in quibus præ calore tum vernali, tum æstiuo incalescens magis humor, ac putredinem concipiens, febrem inducit, idque potissimum fit æstate. Cur autem interdum etiam fiant grauedines absque febre caussa est, vel quia humor præcipitatus à capite alio fertur, quam in venas; vel quia etiam si ad eos feratur, minime tamen est paratus suscipiendæ putredini, aut ob sui naturam, aut ob corporis temperamentum, & statum: imo vero sæpe fit, quemadmodum ait Galenus tertio, in tertium Epid. com. decimo, vt febris superueniens ipsas grauedines curet, & finiat tam que vitio ipsius solius capitis fiunt, quam vitio externi aeris frigidioris.

Uni vero cuidam. Mirati posset aliquis, cur Hippocrates voluerit tradere exemplum cuiusdam, cum in ea constitutione destillatio decubuerit in dentes medios partis dexteræ; nec non in supercilium dexterum, atque in oculos, quasi vero hoc tarum sit, cum tamen frequentissime contingat, vt destillationes, oculos, atque dentes exerceant, præsertim in iis, qui antea dentium dolorem pati consueuerunt, qualis erat hic commemoratus. Sed respondere licet, iccirco Hippocratem voluisse commemorare hoc exemplum, quoniam licet simpliciter non sit rarum, vt destillationes decumbant in dentes, videbatur tamen in ea constitutione rarum, quando, illud non contingebat, nisi quibus antea dentes erant inualidi, & dispositi ad suscipiendas eas, atque tunc iis morbus firmabatur in dentibus, aliaque nulla accidebant: est enim aphorismus Hippocratis satis celeber quarto, libro trigesimo, quod si cui pars quædam doluerit priusquam ægrotet, ibi firmatur morbus. Ad supercilium autem, atque oculos decubuit quoq; destillatio huic, tum quia dolor dentium non modo ad ipsos attrahit, verum etiam ob acerbitatem ad proximas sibi partes, tum quia forte etiam, & supercilium, & oculi debebant ipsi esse infirmi, & obnoxii huiusmodi affectibus capiendis; alioquin enim partes dexteræ semper validiores consueuerunt esse sinistris, & de superciliis dextris Aristot. tertio de partibus anim. cap. nono dexterum propterea magis eleuatum, & magis arcuatum haberi.

Erant autem et rauci. Et si Hippocrates lib. de gland. atque de ætat. scriptum reliquerit septem esse vias, quibus destillatio à capite descendit, multo tamen frequentius per palatum fauces, & asperam arteriam, tanquam per vias latiores fertur, vt raucedines, inflammationes, & tonsillæ & spongiæ vocatæ faciliter sequantur & aurium tumores, & buccarum, cuiusmodi in enarrata constitutione conspiciebantur. Primum enim fiebant rauci, quod destillatio delabens in asperam arteriam madefaciebat illam, plusquam par esset pro ære debito repercutiendo, ac voce effomanda: etenim, vt docet Galenus libro de vsu part. natura fecit laringem, & arteriam moderate siccas quod huiusmodi constitutio maxime

conferat

conferat ad claram vocem efficiendam; vt enim nimia siccitas facit eam stridulam & clangosam, qualis animaduertitur in gruibus, pari pacto nimia humiditas facit eandem obtusam, & raucam. Quod similiter à destillationibus fauces inflammentur ab illo motu agitatæ & calefactæ, præter rationem quotidianus vsus demonstrat. Iam vero spongię Hippocrati & Galeno in ling. ac Erotiano, à quibus hic Hippocratis locus significatur, significant tum simpliciter illas glandulas, quæ in faucibus instar spongiarum vtrinque sint positæ, eo quod adenes vere spongiarũ naturam referant, vt docuit Hippocrates libro de adenibus; tum etiam tumores, siue sint inflammatorii, siue non earundem partium, qui tumores sunt soboles destillationum capitis, quemadmodum etiam tumores post aures, atq; maxillarum, qui modo fiunt cum febribus, modo sine.

Erant qvibvs. Dixerat Hippocrat. qui morbi sint vagati post hyemem, & vere sub proposita constitutione, atque inter eos connumerauerat spongias; & quia potuisset quispiam existimare aliis temporibus, nullum horum esse vagatum, nunc ostẽdit, qui fuerint aliis temporibus, & præsertim autumno, & hyeme grassati, fuerunt autem biduo spongiæ, de quibus dictum est, & porrigines. Quod ad spongias pertinet, haudquaquam mirum fuit, quandoquidem ipsemet Hipp. 3. aph. 22. & 23. inter morbos autumnales, & hyemales recenset anginam, quę est morbus tonsillarum inflammationibus, neq; loco, neq; natura, neq; symptomatibus admodum dissentanea; recenset etiam raucedines, tusses, & grauedines. Porrigines autem gręce dicuntur πιτυρώδες, sunt vero proprie πίτυρα furfures, qui inter cribrãdum à farina secernuntur, ad huius similitudinem dicuntur, quædam vrinarũ contenta farinacea in ardentibus, & prauis febribus apparentia. de quibus Hip. & Gal. loquuntur quarto aph. & secundo prognosc. & in Coac. Ad huius quoq; similitudinem dicitur πιτυρίασις; seu porrigo quędã affectio capitis, ex cuius cute desquammantur veluti furfures, quam affectionem. Q. Serenus furfuream vocarit. Gal. sexto Epid. com. 3. tex. decimotertio caussam furfurem ab interpretib. illius Hip. sententiæ propositam coarguit diligenter, sed quid sit minime diffiniit ibi, nisi q; interdũ ex propria capitis ipsius intemperie illud malum oriri affirmat. Primo etiã de compos. med. secund loc. c. sexto, de pityriasi loquens nil aliud dicit, quam esse symptoma vitiatorum ichorum: vbi igitur vel in iocinore, vel in ipso capite vitiata facultate, aut ob errorem aliquem externum loco optimi nutrimenti gignuntur ichores falsi, qui ad cutẽ transmissi, atq; exsiccati ab ipsa cute separantur, vocatur huiusmodi affectio πιτυρίασις seu furfuratio, atq; dicit Hipp. vagatam esse in ea constitutione, in qua cũ capita hominũ variis modis afficerentur, q; erat paulo calidiora, ichores socciores, & falsos ꝑducebãt, q; deinde in ipsa cute exiccabãt, & exiccati decidebãt.

Sexta virgini. Quod quispiam sexta die sit iudicatus, atque exacerbationes paribus diebus factæ sint, non ita mirum, nec infrequens, cum Hipp. primo & tertio Epid. retulerit multos similes; at quod in vna constitutione fuerit id frequentissimum, & commune hoc est, quod potest admirationem parere, & propter quod forsan hæc sunt notata ab Hipp. qui alias secundo, scilicet Epid. imparib. diebus mensibus, & annis fieri iudicationes siue bonas, siue malas obseruauit. Sed cur potissimum voluit commonere fuisse virginem, cui sexta die facta est imperfecta iudicatio, & post hanc item sexta die morbus rediit, ac sexta recidiuæ adhuc facta est alia perfectior iudicatio? Prætere a cur Hipp. noluit apponere, quo genere morbi laborasset virgo? Ad primum dicerem id fecisse, vt doceret non errores, aut quampiam aliam externam caussam effecisse huiusmodi iudicia. In diebus haud ordinariis, sed puram fuisse illius cõstitutionis proprietatem; Etenim virgines, nequaquam solent in victu admodum excedere, sicuti nec in aliis sex rebus non naturalibus vocatis; adhæc venerem nondum expertę, non patiantur eas mutationes, quas fieri vsu concubitus prodiderunt Hip. & Arist. & ob quas possunt etiã in morbis multa contingere, quæ haud videntur in non defloratis. Ad secundũ vero dicẽdũ puto ex relatis facile apparere laborasse morbo acutissimo tam in principio, quã in

recidiua, cum statim sexta, vel octaua die factæ sint iudicationes: cuius vero generis morbi laborasset virgo, non multum attinebat ad Hippocratem significare, quippe qui id tantum optabat monstrare conditionem constitutionum effecisse, vt morbi quilibet in ea vagantes octaua & sexta die iudicarentur; quasi vero quemadmodum in ordinariis fiunt mutationes imparibus diebus, atque potissimum septima in acutis, sic in hac fieret sexta vel octaua tanquam antecederent, vel postponerent parum, idq; dicit factum circa Pleiadum occasum, qui est autumnus; in quo ob varias cuiuslibet diei mutationes circa frigus, & calorem iure merito fiunt quoque in morbis similes varietates; neque solum hæc, verum etiam insignes difficultates, vt merito autumnales morbi dicantur esse vel longi vel mortales.

Menandri coeci. Exemplum quod modo proponit nobis Hippocrates rarum est, ac propterea, quod in hoc libro non alias ita frequenter facit, aliquam diligentia depingit ægram: dicit enim fuisse mulierem coniugatam, & Menandri cœci vxorem; vt scilicet possit quiuis veritatem ipsam cognoscere, quasi cõiunx ipsius notissimus esset, tum propter alia, tum maxime propter cœcitatẽ, fuisse namq; plures tempore, atq; etiam in Hippocratis regione huiusmodi nomine vocatos rationi consentaneum est, quando etiam Menander ille Comicorum princeps floruit. Hæc itaque mulier, vt alii similiter putant, potest capta esse iocinoris inflammatione, & ardente, atque maligna febre, quandoquidem viscerum inflammationes solent huiusmodi febribus coniungi, vt Hipp. & Gal. prodiderunt. Sed quæri merito potest, quomodo dixerit statim tot grauia symptomata sibi contigisse, siquidem tenuia, & flaua potest quis statim excreare, ac purulenta difficile est intelligere, quomodo statim prodire queant, cum suppurationem alia semper necessario præcedant. Puto rem ita sese habuisse; hęc mulier diu laborauit forsan & febricula absque quod decumberet, & medicum adsciscceret; quamprimum autem vocatus medicus accessit, illico sputa flaua, & purulenta visa sunt. At circa sextam diem visitationis iocinoris inflammatio facta est. Quæ fuerit iocinoris inflatio & veluti fermentatio, non dicit Hippoc. at Valesius interpretatus est vocem ζύμωσις qua vsus est Hippocrates feruorem, & inflammationem, sicut & alii, quasi ea originem ducat ἀπὸ τοῦ ζέειν, quod est feruere; sed fallunrur, quoniam vt optime docuit Galenus in ling. & Erotianus in Onomastico, vox illa significat tumorem œdematosum factum à pituita, & flatu; quasi vt videmus fermentari terram, & attolli, si quando ab aceto irrigetur, sic iecur à pituita acida cõtrectatum, veluti fermentetur, atque tumeat. Sed contra hoc est dubitatio, quoniam Galenus quarto de Presag. ex puls. cap. 4. scribit iecur non affici œdemate, quoniam à calore illius natiuo consumitur humor, & flatus, priusquam œdema faciant. Respondendum est aliud esse œdema, aliud œdematosam affectionem; vero œdemate non tentatur iecur, sed œdematosa affectione, vt idem Galenus in eodem libro paulo infra clarissime scribit, cum qua iure merito fiunt paucæ alui excretiones, quod refrigerato ac tumente iecore, non multum bilis gignatur, aut si sit exigua fertur ad intestina, ac propterea vis eorum expultrix iners atq; tarda euadit.

Carnopvrvlenta. Græce est σαρκοπυώδεα vox, non alibi ab Hippocrate vsurpata, significat autem pus cõcretum carnis frustula imitans, cuiusmodi excernuntur ab iis, qui pulmones habent vlceratos, & certe cum hæc mulier statim atque visa est à medico cœperit pus expuere, verisimile est ante pulmonis vlcere laborasse, quod fieri potuit rupta vena, ac sanguinis excretione præcedente; vel etiam sine vlla venæ apertione; sed sola destillatione paulatim ipsos pulmones consumente, quemadmodum interdum contingere testatus est Auicenna. Habuit igitur hæc mulier sputa, qualia phthisicis, nempe purulenta carniformia, pauca, alba, & lata; neq; enim huiusmodi sputa poterant esse copiosa, quia condensabãtur in pectore. Cibvm. Hac dictione Hipp. duo dicit, q. cibum fastidiens mortua est, & quod obiit circa viginti. Quantum pertinet ad primum si examinetur diligẽter vis eorum signorum, quæ apparuerunt, non adeo lethalia erant, vt mors necessario

ſario ſequi deberet; ea ptopter vt Hippocrates veram necis cauſſam doceret, dixit faſtidientem cibos interiiſſe, ſcilicet, quia cibum nullum ſumebat; nam ſunt aliqui, qui licet non appetunt cibum, aliquid tamen ipſius ſumunt; verum qui non modo non appetunt, ſed & illum abhorrent, haudquaquam ſumere poſſunt, ac proptetea ob alimenti egeſtatem extinguuntur, cuiuſmodi ſcribit Galenus tertio in tertium Epid. ſua tempeſtate in peſtilentia quadam contigiſſe, in qua adeo ægri cibum faſtidiebant, vt mallent mori, quam illum ſumere, & ſi qui ſeruabantut, id ptopterea contingebat, quoniam ſibiipſis vim infetentes alimenta tandem capiebant. Cur vero hæc muliet adeo cibum abhorretet, poterat facere humorum ptauitas, aut ventriculi ipſius pene petdita facultas ob vitiatam inſigniter illius temperiem; & cette niſi huius mulieris malis coniuncta fuiſſet aliqua alia petniciofior qualitas, minime potuiſſet ſaltem adeo cito perite. Vnde (quod erat ſecundo propoſitum loco conſiderandum) exiſtimo Hippoctatem addete voluiſſe hanc Menandri vxotem obiiſſe prope vigeſimam diem, qui eſt poſtremus acutotum terminus, quod videret ratione mali apparentis non debuiſſe petite, vel ſaltem ita cito, niſi & conſumata à cibo abſtinentia, & vis peſſima couſtitutionis illius interitum acceletaſſent.

F I N I S.



PISA-



PISANÆ PRÆLECTIONES HIERONYMI MERCVRIALIS FOROLIVIENSIS DE HOMINIS GENERATIONE, NON MINVS VTILES PHILOSOphis, & Medicis quam iucundæ

ADIECTVS EST DE BALNEIS PISANIS luculentissimus Tractatus.

CAPVT I.

De Auctoris consilio, & consilii caussis.



VOD olim scriptum fuit à Trismegisto hominem esse magnum miraculum, id tam de corpore, quam de animo verissimum esse compluribus, iisq; euidentissimis argumentis deprehenditur; nam si animum spectemus, is quidem diuina res est, & vt Moyses, ac Plato prodiderunt manibus ipsiusmet Dei fabricata:

Igneus est illi & vigor, cælestis origo.

Sin autem corporis ipsius integra fabrica diligenter spectetur, haud satis vniuscuiusque partis substantia, figura, connexus, vsus, & actio laudari, atque suspici potest, vt Alchmeus ille Crotoniensis, ac Herophilus scholæ Herophiliæ Tarsis apud Strabonē institutor ingentē commendationē apud posteros meruerint, q alter ipsorum Anatomen corporis humani, vt est apud Chalcidium in li. de anim. inuenerit; alter vero (q dixit Tertull. in com. ad Timoth. Plat.) septingenta cadauera secuerit, vt ipsius humani corporis mysteria, diuinamq; compaginē pernosceret. Quomodo .n. tāta structuræ humanæ elegātia, tot præclaræ hominis actiones, tot æterna vincula, tot secreti recessus, & consensus perspecti esse possent, nisi anatomicam disciplinam haberemus, qua vna duce nihil, quod ipsa natura sciuerit, ignorare conceditur? Quod si corporis humani resolutio tot egregias, atque admirabiles speculationes habet, haud minores quoque eiusdem generationem, & fabricam habete censendum est. Etenim ex ouo Crocodili paruo tam vastum animal generari mirabatur Plinius: & D. Basilius, ac ante ipsum Aristoteles, quot præconia fecerunt illius æternæ Bombycum generationis? At multo illustrius, multoque admirabilius putandum est, quod ex pusillo humore in vtero mulieris, hoc est in lacuna; seu potius latrina quadam generetur corpus humanum tot nexibus, columnis, canalibus, spiritibus, liquoribus, articulis, fenestris, ac demum manibus instrumentorum instrumentis, vt dicebat Galenus, tandemque diuina quadam vi, & modo imperscrutabili in hanc æthercam lucem mittatur, id animal, quod cœlum contemplari, illasq; beatissimas sedes æuo sempiterno possidere debebat. Et si Galenus in vnius cerebri, imo vero vnius oculi fabricæ examine tantopere mirabatur, totque encomiis

authorem ipsorum extollebat, quid facere debebunt illi, qui huiusce parui mundi vocati, sed qui omne miraculum, omnemque humani intellectus captum longe, lateque transcendit vniuersam generationem tractare, diligenterque expendere cogitabit? Vos itaque studiosissimi Iuuenes lætari debetis, magnopere, quibus concessum est sub eximio sectore, ita anatomen huius admirabilis corporis videre, vt quantum rei ipsius magnitudo patitur, & ad ipsius cognitionem spectat, nihil cumulatius, nihil doctius, nil denique exactius desiderare possitis, modo tamen, quod spero, nec studium nec industriam vestram à magistro expeti patiamini. Ego vero cur hoc eodem tempore de eiusdem humani corporis generatione tractare deliberauerim, tres potissimum caussæ effecerunt: vna quarum atque præcipua fuit incredibilis amor, atque pietas, quibus vos, vestraque ingenia, & studia prosequor: cum enim hanc tractationem æque Philosophiæ ac Medicinæ studiosis, valde necessariam, nedum vtilem, ac iucundam fore semper existimauerim, nihil nunc conducibilius, nihil hac speculatione amabilius futurum sperarui, quasi sic vestra exordia, imo vosmet ipsos (quod oracula præcipiunt) cognoscere debeatis. Altera fuit, quod sicuti Anatomicus excellentissimus humani corporis factam membratim sectionem, quasique fructuosam dilaniationem, & docturus, & ostensurus est, ita accommodatum, & opportunum opus videtur, si ipse ex aduerso eiusdem structuram, compagem, atque integram conformationem, quantum infirmæ ingenioli mei vires patientur explanabo. Tertia atque postrema caussa fuit, quod cum meo Genuam recessu vos aliquot lectionibus defraudauerim, easque me non absque fœnore aliquo repositurum spoponderim, pollicitis me abunde satisfacturum esse opinatus fui, si rem maximam, rem iucundissimam, rem huic tempori, ac præsentibus curis vigiliisq; valde accommodatam forsanque à paucis antea tractatam à compluribus certe expetitam diligenter edocerem.

Capvt II.

De diuisione, & ordine totius tractationis.

Vt autem rem hanc nobilissimam ordine, & faciliter edoceam non alia via incedendum est, quam ea quæ à natura obseruatur; sic enim dicebat Galenus sexto de Placitis. Hippocrat. & Platonis in fine cap. quinto, neminem posse in aliqua re tractanda meliorem ordinem sequi eo, quem natura in ipsius generatione seruat. Hominis itaque generatio quatuor summis temporibus, seu operationibus à natura completur, conceptu, formatione, motu, & perfectione; ea propter & ipse eundem ordinem seruabo, vt primo de conceptu, deinde de formatione, post de motu, denique de perfectione agam. Voco conceptum, eum, qui ex vtriusque seminis, & sanguinis menstrui commixtione prioribus illis sex, septemue diebus conflatur: formationem, quando conceptus iam adeptus est eam formam, figuram, atque cunctorum membrorum constitutionem, vt dignosci possit, quod triginta in masculis, in fœminis quadraginta à conceptu diebus efficitur. Motum vbi iam conformatus, & confirmatus fœtus seipsum mouere & agitare ita incipit, vt à matre percipiatur, atque id masculum tribus, fœminam quatuor mensibus agere, ab Hippocrate primo de nat. pu. traditum habemus. Perfectio vero illa conceptus dicitur, cum is iam eo in statu positus est, vt queat non tantum in lucē prodire, verū etiam vita frui, q. vtrum septimo tantū, an quoq; sexto contingat mense, loco suo decernemus. De his omnib. tractarunt certe Veteres complures, Anaxagoras, Emped. Democrit. Aristot. & alii, at cunctos alios diuinus Hip. longe excelluit, qui si vlla de re præclare vnquam scripsit, de tota plane hominis generationē, atq; omnibus rebus muliebribus egregia admodū diuersis in locis tractauit, quib. si quid addi potest, id totū absoluit Gal. lib. de pot. nat. de fœt. form. de sem. de sept. vnde neque satis mirari nõnullos medicos eruditos, & in Hip. doctrina non oscitanter forsan versatos, q in hac re Hip. li. de gen. de na. pu. de fœt. superfœ. de sept. & oct. part. de morb. mul. singulari medicinæ authori Aristot. præferre non dubitarunt.

runt, quia licet is multa, vt erat necesse ab obstetricibus didicerit, pleraque etiam & visa, & longo vsu, atq; obseruatione explorata nobis reliquit, secus quam Aristoteles, qui quicquid de cunctis animalibus memoriæ mandauit, id totum, vel à rudibus anatomicis, quales tunc erant accepit, vel à venatoribus, quos iussu Alexandri ad componenda ea commentaria alloquebatur. Infantem autem fuisse interdum Aristotelem in rebus muliebribus tractandis, & cognoscendis præter alia multa, quæ suis locis pedetentim videbimus, illud potest pene ridiculum ipsius dictum docere, quo affirmauit mulieres vt plurimum, altero tantum mense purgari, cum nullus sit vsque adeo à mulierum consuetudine alienus, quin perspectum habeat omnes mulieres bene valentes singulo mense purgationes habere, imo si quid boni Aristoteles dixit ab ipso Hippocrate accepit, & si numquam ipsum nominauerit, preterquam semel in Politicis: sed de hoc alias etiam loquemur.

Capvt III.

De Nominibus conceptus, eiusq; definitione, & Veterum sententiæ circa materiam conceptus.

Nvnc tempus est ad conceptum primo loco tractandum veniamus, de cuius nomine pauca quædam sunt dicenda, si illud prius monuero maximā partem eorum, quæ à scriptoribus traduntur de hominis generatione potius experientiis & coniecturis quibusdam rationabil. tamen, quam scientificis demonstrationibus constare, quod hæc omnia sint abditiora, quam vt certitudine vlla comprehēdi queant, licet eiusmodi cognitio alioquin iucundissima existat: Nomen itaq; conceptus multiplex apud Grecos inuenitur, scilicet, κύημα κύησις, ἐμβρύων, νήπιον: Latini vocum satis inopes præ Græcis vnum fere conceptus nomen habent, atq; fœtus; quamquam etiam apud Græcos ἐμβρύων, παιδίον, νήπιον non conceptum, sed iam conformatum fœtum significare videatur, vt in plerisq; locis nos docuit Galenus. Est autem κύημα, seu conceptus nil aliud, nisi id totum informe, quod in vtero ex menstruo, & vtroq; semine retentis commixtum continetur, quodque Veteres non modo fieri impune prohibebant, vt testatur Aristot. 7. de hist. ani. ca. 3. dum scribit ante coitum ad prohibendam conceptionem sceleftas mulieres consueuisse loculos præungere iuniperino oleo, verum etiam conglobatum, sed nondum animatum perdere, vt sese quandoq; fecisse in Psaltria quadam fateri non est veritus Hippocrates lib. de nat. pu. Huius ergo conceptus qui ex vtroq; semine, & sanguine menstruo conflatur, vt vniuersa natura expendatur, ipsius caussas materiales modo dictas, effectorem, finem, atq; tempus, & modum, qua licebit perspicuitate enodabimus. Quo itaq; ad caussas materiales spectat discrepantes inter sese fuerunt veteres, scilicet ex vna parte Empedocles, Anaxagoras, & Hippocr. cum Medicis; ex altera Aristot. 1. de Gen. ani. 18. 19. & Albertus Magnus lib. 15. de anim. cum Peripateticis: illi enim existimauerunt veram, atque necessariam conceptus materiam esse, non modo sanguinem menstruum, verum etiam semen tam viri, quam mulieris. Peripatetici autem putarunt fœminam non semen, sed solum menstruum sanguinem ad faciendum conceptum ferre, marem vero solum esse effectorem, quasi vero statim, atq; factus est conceptus, semen ipsius viri inflatus dissiparum euanescat; imo vero id passim professi sunt fœminam nullum semen habere, sed in coitu humiditatem quandam dumtaxat mere excrementitiam, ac penitus inefficacem emittere, contra quos Galen. firmissimis argumentis longe lateq; disputauit in lib. de sem. & de fœt. format. & 6. de loc. aff. Adducti autem sunt tribus potissimum rationibus, Primo, quia natura nil frustra efficit, vnde cum sat sit semen viri, & menstruum mulieris ad conceptum efficiendum, vanum esset perquirere aliam materiam. Præterea eodem tempore menstrua incipiunt, & desinunt mulieribus, quo semen viris, easdem operationes efficit menstruorum aduentus, quas ipsius seminis; nimirum vocis, & pilorum mutationem, & alia eiusmodi, adeo vt videatur natura, inquiunt ipsi, hoc efficere, quia semen viri pro efficiente, san-

guis

guis vero menstruus pro materia satis sit. Ad hęc sæpe vsu euenit, vt mulieres concipiant sine coitus voluptate, ea propter si necessarium etiam esset semen muliebris, proculdubio fieri haud posset conceptus sine seminis emissione, semen autem non potest sine aliqua voluptate emitti. Sed haud difficile est his rationibus respondere, primum enim verissimum est naturam nil frustra efficere, verumtamen quod volunt semen virile ad generationem faciendam sufficere, id nequaquam verum est, nam etsi sanguis menstruus sit materia conceptus, nihilominus operæ pretium est, vt in mulieribus quoque aliquid seminis sit, quod licet non adeo efficax sit, habeat tamen aliquid efficacitatis, alioquin natura non tantum amoris & curæ erga fœtum in mulieribus ipsis collocasset, si duntaxat locum & materiam illam ignobilem absque vllo alio concursu tribuere debuisset. Quod vero dicunt Peripatetici, eodem tempore à fœminis menstrua, quo semen à maribus emitti, verissimum quidem est, sed quid prohibet eodem tempore, quin etiam cum menstruis semen exire possit? imo vero nullo alio testimonio delector hac in re, quam ipsius Aristotelis, qui locis citatis dixit, quo tempore mulieres menstrua emittunt, vsque adeo efferri libidine, & viri cupiditate teneri, vt magna cura, & diligentia eo tempore sint virgines custodiendæ; Iam vero hanc ingentem libidinem non potest excitare menstrui materia, cum sit purus sanguis expers spiritus; neque valet id quod Peripatetici dicunt, emittere mulieres quandam humiditatem seminalem, quæ libidinē istam efficere potest, siquidem per ipsos hęc humiditas aquea est sine spiritibus: summa autem voluptas fieri haud potest, nisi à summo calore, & à spirituum copia. Ceterum quod dicunt Peripatetici, mulieres sæpe concipere sine coitus voluptate, hoc primum negandum est, quandoquidem etsi vna, vel altera fateatur se concepisse sine coitus voluptate, complures tamen aliæ sunt, quæ non sine coitus voluptate concipiunt. Neque valet, quod ista delectatio in coitu oriatur ex receptione seminis virilis, quia etiam si vir non emittat semen, solent delectari mulieres, imo vero plerumque emittunt illud, antequam vir suum emittat: & habemus exemplum luculentissimum de Messallina, quæ centies in die virum cum voluptate patiebatur, vnde solebat dicere, se quidem delassatam, sed nō satiatam à viris recedere, quare vno vel altero argumento velle probare rem vniuersalem, est contra eorundem regulas. Præterquam quod etiam si demus ipsis, aliquas sine voluptate concipere, non tamen negandum est eas habere semen: nā sicuti videmus interdum effluere semen virile absq; delectatione ꝓpter aliquod impedimentum, pari pacto verisimile est credere, aliquibus fœminis contingere animo scilicet non aduertente, siue curis, siue aliquo alio impedimento; quare possunt mulieres sæpe falli in numeranda die conceptus, existimantes se, vbi voluptare non afficiuntur in coitu, concepisse, cum tamen hoc non sit semper verum.

CAPVT IIII.

Menstrui definitio: & vtrum menstruum sit sanguis pure excrementitius nec ne.

VErum quia vtraque secta in hoc conuenit, vt menstrua tamquam materia cōcurrant ad conceptum faciendum, atque hæc, vt vere dixit Aristoteles septimo de hist. anim. secundo. multo copiosiora sunt in homine, quam in brutis, similiter consentiunt, in semine viri esse vim effectricem, seu facultatem formatricem. Quid sint ipsa menstrua, cur à natura instituta, & cur in homine copiosiora, pariter quid sit vtriusque semen definiendum est. Menstruum itaque nil aliud est, quam purus sanguis superfluus, ab vtero mulieris singulo mense prodiens propter ipsius salutem, nec non humani generis propagationem. Si enim diligenter expendatur hæc essentialis definitio, in ea singula causarum genera comperientur, quasi vero sit optima, & perfecta. Sed iam ad ipsius anatomen deueniamus: dicitur primo Sanguis, ad differentiam alterius fluxionis muliebris ῥοῦς γυναικεῖος à

Græcis Medicis nuncupatur, à qua Gal. in lib. ad Posth. est gloriatus nobilem quandam Romanam sese liberasse; iste n. fluor etiam si per stata interualla exeat aliqui ac menstruū album vocetur, is tamen potius humiditatis cuiusdam pituitosę à toto corpore, & præsertim à capite fluxus est ad vterum, quam verus sanguis menstruus. Ceterum controuersum video apud Veteres quisnam sanguis sit iste. Nonnulli inter quos est Florus apud Plutarchum 3. sympos. 4. existimarunt ipsum esse crudum & imperfectum, eo quod cum sanguis fiat à calore, & mulieres sint frigidiores, idcirco sanguinem etiam crudiorem habeant. Addiderunt nonnulli alii istum sanguinem non modo esse crudum, verum etiam vitiosum; quam sententiam videtur habuisse Magi, & pleriq; Veteres: imo vero Plinius lib. 28. cap. 7. reddens rationem, cur iste sanguis sit vitiosus, dicit esse, quia ab ipso multa mala oriantur: nam specula inficiuntur, segetes corrumpūtur, infantes effascinantur, & multa alia mala ab ipso efficiuntur. Famulatur huic sententiæ Hebræorum lex, in qua vetatur, ne mulieres menstruatę ad templum accedant: imo vero ipsi nunquam solent consuetudinem habere post purgamenta menstruorum cum mulieribus, nisi illæ prius sese abluerint, quasi vero huiusmodi sanguis mulieres ipsas etiam polluat; & Hesiodus quoq; præcepit, ne quispiam ad mulierem menstruatam accedere audeat. Accedit etiam quod quotiescunq; mulieres menstrua habent, male olent, decoloratæ sunt, oculos liuidos, & sugillatos habent; ita vt ex his omnibus colligi posse videatur sanguinem menstruum esse vitiosissimum. Verum Aristoteles, qui hac in re Hippocratem præceptorem suum secutus est, fuit huius sententiæ sanguinem menstruum propoitione respondere ipsi spermati, quia sicuti semen est sanguis purissimus, pari pacto dicit Arist. menstruum esse illud vltimum, quod superest in vltimo alimēto vtile, etsi vlla est differentia inter semen & menstruū, est, quia menstruus sanguis non est adeo coctus, atq; perfectus ac semen. Hanc sententiam secutus etiam est doctissimus Vesalius lib. 5. c. 15. Sed preter horum præclarissima testimonia, adsunt quoq; complures rationes: primo, quia conceptus humanus proculdubio est omnium aliorū perfectissimus, cum etiam homo sit omnium animalium perfectissimum; quod cū ita sit, necessarium quoq; est, vt id, ex quo fit conceptus sit quid perfectissimum, sit ex semine, & menstruo, ea propter operę pretium est, vt menstruum sit sanguis perfectus. Preterea menstrua, vt paulo infra dicetur, à toto corpore deciduut, hoc est, ab omni sanguine, qui in venis existit: sanguis qui est in venis, est consummatus & perfectus, necesse igitur est fateri, menstruum esse sanguinem perfectū. Ad hæc, vbi mulieres menstrua non habent, vt dicit Arist. 1. de gen. ani. c. 19. fluxu narium tentari solent: Sed iste fluxus nariū est sanguis perfectus, ea propter videtur necessario affirmari debere, menstruum esse verum sanguinem. Neq; valet quod ab hoc tot mala oriri videantur, propterea quod non fiunt vitio illius, sed propter insignem agitationem, quæ fit in mulieribus menstrua habentibus: cum enim sanguis à toto fluat, ad vterum necessariū est, vt magna fiat agitatio, ex qua nō modo fœminæ incalescunt, verum etiam earum valetudo perturbari solet; & quamuis Arist. loc. citato videatur asserere, menstruum esse sanguinem pure excrementitium, quod mulieres illud habentes non tenteutur mariscis, varicibus, aliisq; similib. & q̃ leuiores & molliores fiant huiusmodi excremēto euacuato, nō tamē cōuincitur esse sanguinē impurū, & excrementitiū, sed solū superabundantē; q̃ & ea vitia, & curis facere potest asperitatē. Dicitur deinde in Definitione (Superfluus) hoc nomē περίττωμα, duplicē significationē habere potest: vel. n. significat id q̃, inutile superfluit quēadmodū pituita, melancholia, & bilis flaua, vel id q̃ vtile superest coctioni; menstruus itaq; sanguis non dicitur superfluus primo modo, sed altero: & quamquā Arist. mēstruum appellet excrementū, appellat tamen eo modo, quo semen, id est excremētum vtile, quod in muliere post fruitionem omniū membrorū superest. Superabūdat autem sanguis in fœmina, propter duas causas, vna est ex necessitate materiæ, altera vero ex necessitate finis: ex necessitate materiæ, quia cum sit frigidior mare (licet Parmenides, vt referunt Hip. & Arist. 1. de mor. mul. 2. de par. an. 2. contrariū

senserit)

senserit) necessario etiam minus consumit, quam vir ex necessitate finis, quod cum hic deberet seruire tum faciendo semini, tum construendo, atque tam intra, quam extra corpus alendo fœtui, cumque omnia nutriantur ex iis ex quib. genita sunt, ea propter voluit natura in fœminis gigni sanguinem copiosum: verum quia natura vidit fœminam non semper concipere posse, nec per cōsequens nutrire, & idcirco necessarium erat, vt, si in corpore remansisset, superuacaneus corrumperetur, atq; magnum detrimentum afferret, propterea sagax natura, & prudens ad euitandum huiuscemodi nocumentū prospexit, vt vbi nulli est vsui sanguis ille superfluus paulatim à toto corporis ambitu in vterum per aliquot dierum interualla destillans absq; e dolore statim atque in vterum colligi incipit, pellatur, alioquin si vel subito è venis aliquo vitio in vterum ruat, aut ibi collectus diu retineatur, ingentes cruciatus, fastidia aliaque mala parit, & si corrumpatur, & perniciosus & læthalis euadit, vt locupletissime omnium narrauit Hipp. lib. de nat. pu. & 1. de morb. mul. vbi innumera mala recenset, quæ vel à suppressis vel à diminutis purgationibus mēstruis proficiscuntur; vnde patet quam proprie vocet Seneca has purgationes naturæ tributum, & quomodo falsum sit menstrua quælibet esse vitiosa. Illud tamen est compertissimum nonnullas reperiri, quæ huiuscemodi menstruis carent, vel ea à natura habent diminuta, quod cognosci docet Hippocrates lib. de nat. pu. tum quia id habent seriatim, & semper eodem ordine, vnde vitium vterinum vocat, quasi dicas natiuum, tum quia ex matribus similibus sint ortæ: quamquam etiam hoc contingere potest, quod ille si sanitate fruantur, & interdum concipiant, vel. ingentibus laboribus superfluum sanguinis consumant, vel, vt ait Aristotel. in pinguedinem, seu quippiam aliud conuertatur, aut in alias partes abducatur; sat est, quemadmodum ait Hippocrat. & omnes Medici confirmant ratas huiusmodi esse, ac mulieres haudquaquam posse bona, & longa valetudine frui, nisi stato tempore sanguis ille superfluus à natura quasi tributum quoddam iustum è corpore, atq; ipso vtero mittatur; nam & vsu, & Hippocr. & Gal. lib. de morb. mul. & lib. de sect. venæ aduersus Erasistra. authoritate constat aliquibus mulieribus eum sanguinem magno cum detrimento verti modo ad nares, modo ad pectus, modo ad aliquam aliam partem, qui tamen menstruus minime appellari debet.

Capvt V.

De reliquis particulis in definitione menstrui positis.

Habuit Antiquitas inter alias superstitiones hanc, quam narrat Festus & D. Augustinus, quarto de ciuitat. Dei, quod præfecerunt Deam Menam menstruis, quam vocarunt Flnoniam. Sed horrendum memoratu est, quod scribit Epiphanius flagitiosissimos illos Gnosticos factitasse, primo contra Hæreses, quorum vxores non modo menstrua sacrificabant, verum etiam potabant: Sed hæc dimittamus, & ad explicandas reliquas particulas in definitione positas accedamus. Dictum est ex vtero prodiens, & iure quia sunt complures mulieres, quibus, vt antea dixi, non fluit sanguis ex vtero, verum quemadmodum etiam testatur Gal. loco citato, vel à naribus, vel à pectore, vel à mammis, vt narrant quidam alicui mulieri singulo mēse è papilla sinistra sanguinem profluxisse, qui tamen non est dicendus menstruus. Sed hoc in loco duo occurrunt contemplatione digna, vnum est quonam pacto hic sanguis in vtero colligatur, & ab eo exeat. Alterum est, quæ nam sit ratio, propter quam Virgines ante 12. vel 14. annum, & mulieres post 50. careant menstruis, quemadmodum & semine genitali. Quoad primum nonnulli putarunt, paulatim spacio illo mensis effundi per venas in fundum vteri, ibique tamdiu contineri, donec cumulatus adigat naturam ad sese expellendum. Verum hæc opinio confutata est à Vesalio, lib. quinto, cap. decimoquinto, quoniam concresceret & exiret conglobatus, non autem fluidus, & instar, vt ait Hipp. lib. de nat. pu. hostię nuper mactatæ. Addo ego vterum dum non est plenus, esse adeo exiguū, vt nequeat esse capax.

Itaq; satius est dicere, vt Hipp. lib. de nat. pu. & Gal. 5. aph. com. 60. nempe paulatim à toto per venas fundi, & ceruicis vteri sanguinem corriuate, easq; replere, donec ipsarum tumentium oscula reserentur, iisq; apertis profundatur: vtrum autē à fundo an à ceruice potissimum huiusmodi sanguis profundatur, nec ipse Vesalius, etsi singulari peritia ausus est asseuerare, tāquam res admodum abdita sit, nec ratione, aut ipsa anatome vllo modo cognita. Ad alterum Hipp. lib. de gen. scribit non fluere menstrua virginibus ante duodecimum annum, q tunc venæ earum angustissimæ sint, qua etiam ratione dicebat pueris semen non fluere, etiamsi illud habeant. Sed addo ego & aliam rationem, quia scilicet ætate puerili maximum fit incremētum corporis, in quo absumptus sanguis minime potest exuberare vsq; ad annos prædictos, quibus tum fit in corpore sanguinis, & seminis agitatio, quam sequitur prurigo, & œstrum illud, q maxime excitat virgines ipsas ad libidinem; ceterum alia ratio est cur post quinquagesimum non fiat, nisi aliquibus, sed rarissime, nempe quod ob refrigeratum corporis habitum (est enim senectus mulierum semper matutior senectute virorum) minime ea copia sanguinis gignatur, quæ sufficiat menstruis continuandis, vt ob id etiā minime concipiendo idoneæ sint. Dixi (singulo mense) quoniam id cunctis mulieribus bene valentibus commune est, vt singulo mense paulo plus, vel minus menstruas purgationes habeant, quod Gal. 1. de se. c. 4. ex relatione mulierum dignosci posse scribit: quod si aliquibus eæ vel antecedunt, vel postcedunt hunc terminum, id certe contingit propter aliquod corporis vitiū, & hinc (vt retro dixi) patet error puerilis Arist. 7. de hist. ani. 2. qui ausus est scribere mulieres plurimas non nisi altero quoq; mense purgari, paucas singulo, nisi pro eo tuendo dicere placeat eius sententiam esse intelligendam, quemadmodum videtur ipsam accepisse Plinius lib. 7. c. 15. vbi dixit mulieres altero quolibet mense copiosiora menstrua emittere, quod tamen in maiori ipsarum parte falsum exploratur, etsi in nonnullis, sed admodum paucis verum comperiatur. Quamquam Albertus Magnus pro Arist. lib. 9. de ani. c. 2. tuendo peruertere maluit textum, quasi Arist. senserit plurimis mulierib. singulo mense paucis altero quoq; fieri menstrua. Vnde autem potius fiat vt singulo mense, quàm vel quadraginta, vel quinquaginta, quibusq; diebus huiusmodi fiat excretio, non ita cōstat, nam pleriq; Medici Astrologos sectantes ab luna illud fieri credunt, cuius cursus per Zodiacum totidē perficitur dieb. & Arist. [illegible] fieri potissimum decrescente luna, eamq; ob caussam femínino nomine eam vocari ab antiquis. At si hoc verum esset, sequeretur debere menstrua semper, vel saltem plerūq; fieri in pleniluniis, & nouiluniis, quando cuncta corpora viuentia esse humidiora, quam aliis temporibus cernuntur, quod tamē vsu non comprobatur verum, cum omni lunæ ætate has excretiones experiantur mulieres, licet forsan compluribus in pleniluniis, vel nouiluniis illæ accidāt: quare magis mihi placet hanc purgationem esse veluti motū quendam naturæ criticum, vti dicebat Hipp. lib. de sept. part. conceptiones, fœtus, abortus, atq; partus eodem tempore iudicari, quo & morbos, & sanitatem, & mortem. Et quia vere dies critici ab Hipp. certissimo horum obseruatore constituti per quartas, seu potius hebdomadas, vt alias sæpe docui, terminantur, & quatuor hebdomadæ paulo minus integrum mensem conficiunt lunarē, hinc fit, vt potius 27. 28. 29. atq; 30. diebus, quā aliis motus talis criticus absoluatur; quæ enim ratio abstrusa est in assignanda potius hebdomada, quam alium numerum motui humorum, & morborum critico, eadem quoq; non minus occulta est in definiendo, præsertim hoc termino potius per quatuor, quam per tres, vel quinq; hebdomadas, nisi dicamus tanto duntaxat tempore cumulari sanguinem illum exuberantem, ita vt naturam ad sui stimulet, & cōcitet expulsionem. Dictum est tandem in definitione menstrui (propter conceptū seu propagationem speciei humanę, necnon propter ipsius mulieris salutem:) quia vere videntur esse instituta menstrua, in hunc præcipuum scopum, vt saluetur species humana; imo vero tam necessaria est hæc materia, vt nisi mulieres eam habeāt, haudquaquam concipere possint; quod intelligens illa Sara, vbi sibi renunciatum

fuit

fuit sese nonagenariam esse concepturam respondit, quomodo illud fieri posset, non quod esset nonagenaria, sed quod menstruis careret: nec solum necessaria sunt menstrua conceptui, verum etiam vt commode fluant; nam si sint diminuta dicebat Hipp. in lib. de nat. pu. non posse fieri conceptum, & hoc ob duas rationes, tum quia vasa sunt vsq; adeo oppleta, vt fœtum cótinere nequeant, tum quia deest materia conceptus, est. n. menstruum maxima pars conceptus. Quod si quandoq; fiat licet rarissime, vt quæ menstruis carent concipiant, id fit, quia sanguis ille qui circa vterum collectus est, ex illa titillatione effunditur. Verum si nimis quam par sit fluant, non potest etiam fieri conceptus, aut si fit, vitiosissimus est, dicebat enim Hipp. loc. citat. quod sicuti plantę bene, vel male habent pro vario humorum terræ, quib. fiunt, aluntur, & adolescunt statu, sic fœtum bene aut male sese habere, prout mater, eiusq; sanguis menstruus bene vel male habent: & hęc etiam est ratio, propter quam fluentibus menstruis, vel non, fit conceptus, eo quod vis prolifica seminis nó modo hebetatur, verum etiam plane suffocatur; vel si ob seminis virilis validitatem quod menstrui vi resistat, fit, vitiosissimus est; vnde quia nascuntur, aut sunt Epileptici, aut leprosi, aut Elephantiaci: & hinc est, quod veteres Hebræi fuerunt vsque adeo diligentes, & seueri in præcipiendo, ne concumberent homines cum mulieribus menstrua habentibus. Quod si quis quærat, qui fieri possit, vt vbi méstrua fluant, partus vsq; adeo vitientur, postquam constitutum est menstruum esse sanguinẽ purissimum; respondendum est illud fieri, quia cum eo tempore plus sanguinis méstrui, quam par sit, fluat, inde fit, vt vis formatrix non possit fermentum illud coquere, vnde corrumpitur pars menstrui & seminis, à qua corruptione postmodum necessario fit conceptus vitiosus. Opportunum igitur tempus conceptus est, desinentibus menstruis, quia tunc cum vterus sit exsiccatus, & depuratus, facile attrahit semen in sese, etsi quid sanguinis remanet in vtero optime fit conceptus. Huic autem primario in faciendis menstruis naturæ scopo accessit & secundarius quidam, scilicet ipsius salus, necnon ornamentum, quoniam (vt retro dicebã) mulier handquaquam sana esse potest, cui purgationes menstruę debitis temporum interuallis, vel non fluunt, vel diminute fluunt, atq; id firmissimis experimentis, & rationib. demonstrarant Hipp. & Gal. plerisq; in locis, imo vna cum sanitate etiam conceptio, & consequenter humanæ speciei conseruatio, & propagatio impeditur; & quamquam videantur aliquæ esse sanæ, licet non fluant, vel diminute menstrua, longo tamen tempore sanitate non perfruuntur. His duobus præcipuis scopis addidi ego pulchritudinem, & ornamentum ipsius mulieris, cum enim, vt dicebat Anacreon vetustissimus Poeta Græcus, natura largita sit cunctis animalibus aliquod pro sui defensione tutamen, veluti equo cursum, leoni vngues, belluis cornua, cani dentes pulchritudinem dedit mulieri, quæ plus omnibus aliis armis valet: ad pulchritudinem autem si non faciendam, saltem conseruandam, atq; augendam, quantum valeant purgationes menstruæ ordinatæ, prę multis aliis docuit Arist. qui iccirco corpora mulierum teneriora, molliora, & coloratiora esse dixit, quod singulo mense superfluus sanguis, & cum eo alii humores purgantur superuacanei; pręterquam quod etiam experientia quotidiana probatur, eas quæ non ita recte purgantur, decoloratiores, obscuriores, vel saltem venustatis, & leporis magis expertes plerumq; apparere, & memini me legisse apud Plutarchum 3. sympos. 4. mulieres pinguedinem quandam suauem & eximiam habere, propter quam vbi multa cadauera promiscue erant comburenda, semper decem virorum, vnum muliebre immiscebant, quasi illud vnum pinguedinis tantum suppeditaret, vt cetera facilius concremari possent. Vtrum autem ad alendum fœtum sanguis menstruus conferat, minime dubitare oportet: etsi enim aliqui id negent impulsi sententia Plinii, lib. 28. c. 7. qui dixit à sanguine menstruo plurima fieri detrimenta, attamen melius censuerunt Hip. Arist. & Gal. qui puriore illius sanguinis parte fœtum nutriri asseruerunt, neq; verum est sanguinem menstruum intra venas ipsas retentum, esse vllo pacto perniciosum, nisi si quando effusus è venis in vterũ, tetrã aliquam putredinẽ cótra-

hat, quo in casu perniciosus sane euadit. Cur porro bruta minus huiusmodi excrementi mittant eædem sunt caussæ, propter quas solebat dicere Arist. 10. Probl. 53. illa minus aliis etiam destillationibus infestari, scilicet quod excrementa in pilos, cornua, aliaue membra vertantur, vel quod proportione sui corporis minus sanguinis faciant, nempe quæ alimentis sicciorib us, ac à sanguinis natura remotioribus alantur. Atq; hæc de menstruorum natura. Vtrum autem Virgo Maria habuerit, vt ceteræ mulieres hanc excretionem menstruam, est ingenii curiosi, atq; ociosi anxie perquirere, verum tamen, nisi hoc damnetur ab Ecclesia Catholica, à qua ne lato quidem (vt fertur) vngue recedere vero Christiano licet, dicerem, eius quidem corpus fuisse perfectissime constitutum; attamen cum debuerit in eius ventre, & generari corpus vere humanum, atq; nutriri, tam intra, quam extra fœtum ipsum, quo pacto aluntur ceteri fœtus, contra atq; censuernnt hæretici illi, qui Christum negarunt veram carnem humanam assumpsisse, rationi consonum videtur, illius matrem abundasse ea materia, quæ hisce vsibus inseruit: verum hanc materiam in Beatissima Virgine fuisse purissimam, incontaminatam, atq; ab omni labis suspicione maxime remotam.

Caput VI.

De variis seminis nominibus, eiusq; definitione tum ex veterum tum ex propria sententia.

ABsoluta menstrui sanguinis naturę explicatione, sequitur vt de semine tam viri, quam fœminæ agamus, cuius natura postquam erit cognita, postmodum intelligetur, vtrum verum sit, illud quoq; fœminas habere, vt putant Medici, an potius careant, quemadmodum crediderunt Peripatetici: nam si careant, consequés erit, vt fœminæ in generatione vas duntaxat, & generationis, ac nutritionis materiam præbeant, sin vero habeant, sicut Arbitrantur Medici, consequenter probatú erit, etiam mulierem effectiue ad generationem hominis concurrere. Primum autem de nomine seminis sciendum est apud Hip. & alios vocari γονὴν, & σπέρμα, quáquam Aristot. 1. de gen. ani. c. 18. videatur ponere differentiam inter γονὴν, & σπέρμα, vbi scribit γονὴν, id est genituram esse caussam, principiumq; generationis, proueniens à perfectis animalibus, quæ natura coeunt, σπέρμα vero esse tantum plantarum, & imperfectorum animalium. atqui apud Hipp. & Medicos σπέρμα seu semen tam de animalibus perfectis, quam de aliis promiscue dicitur, veluti tam de mare, quam de fœmina: etsi enim Zeno atq; Arist. sentiant, fœminam haud emittere prolificum semen, sed duntaxat materiam, sudoris instar, liquidam, quasiq; ex colluctatione factam, tamen & Medici, vt alias sæpe dicturi sumus, nec non Pythagoras, Democritus, & Epicurus, aliter senserunt. Iam vero semen diuersimode reperitur apud Veteres diffinitum. Pythagoras sanguinis probissimi spumam esse dixit, vt apud Gal. & Plutarch. in hist. Philos. legitur. Alcmeon cerebri portionem; (sed hoc verum si esset, quot iuuenes essent sine cerebro?) & quamquam Arist. 10. Prob. 56. dicat, spadones non caluescere, quia plus cerebri habent ob veneris abstinentiam, quasi vero semen sit pars cerebri, nihilominus aliud est, cerebrum subsidere aliud, auferri partem ipsius: in iis qui Venere vtuntur, & præsertim immodica, subsidet quidem cerebrum, sed nulla ipsius pars aufertur; subsidet autem, quia exsiccatur: vnde si conspiciantur capita eorum, qui vtuntur Venere, & qui non vtuntur, cerebrum eorum non contrectat caluariam, horum vero ipsam tangit. Plato spinalis medullæ effluuium esse putauit, quod enim per spinalem medullam effluat semen, verum quidem est, sed hoc non explicat illius naturam. Epicurus animæ, & corporis fragmentum, Arist. vero 1. de gen. an. 18. & 19. diffiniebat semen esse id, quod ex seipso mouere valeat, ad tale aliquid gignendum, quale id ex quo concretum est; vel esse excrementum vtile alimenti sanguinei vltimi. Ceterum, nos Hipp. doctrinam & Medicorum sequentes, dicimus, quod semen est corpus liquidum, calidú, & spirituosum facultate formatrice præditum in vasis spermaticis, ac testib. elaboratum, propter humani generis propagationé. Hæc namq; definitio, seu potius essentialis

sentialis descriptio, caussas omnes cóplectitur, quemadmodũ ex ipsius, quã sumus mox subiuncturi anatome perspicuum & manifestum reddemus. Dicitur ergo corpus liquidum, quia omne semen est quedã species substantię humidæ, siue humoris fluidi à ceteris separati: vnde deprehenditur error Ctesiæ, quẽ narrat Arist. 2. de ge. an. 2. voluisse elephanti semen durari siccescens instar electri. Illud tamen est animaduertendum, cum dico (liquidum) non me intelligere simpliciter aqueũ, sed modetate crassum, qualia sunt concoctorũ humorũ genera, tale. n. debere esse semen viri iure docuit Arist. 2. de ge. an. 5. & 3. de hist. an. in fi. vbi etiã monstrat probari efficacitatẽ seminis aqua, in quã proiectũ si diffluat sterile, sin fundũ petat fœcundũ iudicatur. Ceterũ oritur hoc in loco dubitatio, quia Gal. 1. de se. c. 4. videtur vocare semen substantiã crassam, & alibi dixit in li. aduers. Lycũ, semen constare ex substantia serosa, & spiritali: imo idẽ etiã dixit Arist. 3. de hist. an. in fi. & 2. de ge. an. 2. Ad q; respondetur semẽ dupliciter considerari posse, vel secundũ sui materiã solũ, vel quatenus est cópositũ ex materia, & forma: si itaq; primo modo accipiatur, plane est totũ aqueũ, vt cóprehenditur ex eo, q; statim atq; funditur extrã caloré exutũ aquescit, præsertim quando est infœcundũ, & in aqua fundũ nó petit, sed eliquatur: sin autẽ secundo modo accipiamus, cũ sit elaboratũ, est crassiusculũ. Nisi etiam dicamus vocare aquã Gal. vt alios liquores ad aquã reducit Arist. 4. Meth. 5. s. vinũ, setum, &c. Fiat autem semen ex eo puro sanguine, q nutritis partib. solidiorib. superest, non secus ac menstruũ; natura. n. non tantũ speciei, quantũ indiuidui cóseruandi studiosissima, quotidie vberrimum alimentũ parate voluit, ita vt potius exuberaret, quam deficeret, illud vero q; superest in vasa seminaria seposuit, vt postea generationi faciendæ posse inseruire, atq; hinc Arist. appellauit semen περίττωμα χρήσιμον, id est q; superest vtile, quod autem semen ex sanguine conficiatur, tum ex eo dignoscere licet, quod qui immodica Venere vtuntur, quandoq; etiã sanguinẽ eiaculari soleant: tum etiam quia Arist. 4. Probl. 6. & 7. appellat semen excrementũ alimenti sanguinei vltimi, quod magnam vim obtinet; quod magis etiam probat, vt scribit 3. de an. post coitum maxime delassari hominem, quia plurimum seminis emittit: & Auicennas dicit, ex quadraginta vnciis sanguinis vix fieri vnam seminis: vnde ab Hippocrate in lib. de gen. & de nat. pu. valentissimum quid semen appellari solet.

CAPVT VII.

Vnde nam semen defluat examinantur veterum sententiæ.

DVbitatum est à Veteribus à quanam corporis parte huiuscemodi corpus humidum, quod est sanguis vltimus, & perfectus, in vasa spermaticã defluat. Hippocrates lib. de genit. secutus est Empedoclem, & Anaxagoram à toto corpore, & præsertim à capite, & ab oculis deriuare censuit, propter quod dicebat homines post coitum imbecilliotes fieri, cum res validissima à toto secernatur, & licet in eodem loco videatur asserere, quod ab omni humido proficiscatur, pro humido tamen intelligit quicquid à duritie seiunctum est, qualis est ossium, ligamentorum & chartilaginum. Aristoteles autem diuersas videtur habuisse sententias, quandoque etiam idem dixit, quod Hippocrates 1. de gen, ani. 18. & 19. defluere, scilicet à toto: quandoque vero aduersus veteres Medicos, non à toto, sed à cetehro. Tribus porto argumentis vsus est Hippocrates ad confirmandam suam sententiam, primo, quia semen continet in se virtute, & potentia omnes corporis partes, atqui id fieri non posset, nisi ab omnibus partibus semen decederet. Præterea non possent assimilari fœtus secundum omnes partes parentibus, nisi semen à cunctis partibus separaretur. Ad hæc magnitudo voluptatis in coitu non aliunde prouenit, quam quod semen, quod exiens facit voluptatem, à toto secedit. Quod autem potissimum à cerebro defluat, probabat Hippocrates in libro de aere aqu. & loc. & in lib. de genit. exemplo Scytharum, quos dicit frequentissime equitare solere sine istis stapedibus, ex quo fiebat, vt in quosdam grauissimos morbos

crurum inciderent, ad quos curandos necesse erat incidere venas post autes, quib. excisis steriles euadebant, quasi vero ex incisione venarum illarum tolleretur via, per quam pertransiret semen ad vasa seminalia. Quod etiā ab oculis semen defluat, probauit Hip. quia in illo actu venereo maxime omnium oculi laborare solent. Aristoteles autem, Albert. Magn. & ceteri Peripatetici non acceperunt has grauissimas Medicorum rationes, primo enim Arist. negat, quod, etiam si semen babeat vim faciendi omnes partes corporis, à toto corpore proficiscatur, cum enim babeat vim formandi indiuiduum, habet etiam vim formandi omnes partes. Neq; pariter putat Arist. illud esse necessarium propter similitudinem, quia eut non decideret etiam ab vnguibus? sunt enim & bæ particulæ corporis. Quod pertinet ad voluptatem illam insignem aiebat Arist. non fieri quod totum corpus concurrat, verum propter titillationem illam, & confricationem corporis. Quam quam autem Arist. hanc Medicorum sentētiam damnauerit, babuit tamen aliam sententiam, & quasi coactus est Hipp. 4. probl. consentire, nam quærens rationem ingentis illius voluptatis, quæ in coitu percipitur, inquit esse, quia semen ab vniuerso corpore secernitur: & dicebat 10. Probl. Spadones habere plus cerebri, quia minus à coitu cōsumitur, quasi vero semen à cerebro defluat: ab oculis etiā, pficisci semen dixit Arist. 2. de gen. anim. 5. & 4. Prob. 2. vbi etiam scribit ex boc explorari fœcunditatem mulierum, s. si linimenta ipsis oculis adbibita ad os intus perueniant. Quare illud verissimum est, quod dicit Hip. & interdum non negauit Arist. nempe semen à toto corpore deriuare, præsertim autem à capite, atq; ab oculis ipsis.

Capvt VIII.

Semen calidum esse, & quot modis.

Sed redeamus ad explicationem eorū, quæ in seminis definitione accepta sunt. Nam dicitur (calidum) quia vere semen est veluti sedes, atq; domicilium natiui, atq; genitalis caloris, qui siue sit ipsa natura, aut anima, quemadmodum vocat Hip. 6. Epid. vbi dicit produci animam vsq; ad mortem, & calidum esse quodpiam immortale, siue primum animæ instrumentum non interest multum boc in loco disputare; sat est intelligere in hoc ipso semine illum calorem, tanquam in proprio domicilio babitare. Tribus autem potissimum modis dicitur semē calidum, vno modo, quia actu, & vere calidum est: siue enim intra corpus, siue in exitu semen accipiatur, actu calidum semper existit. Altero modo, quia vbi fit conceptus impertit, & elargitur calidum innatum omnibus corporis partibus. Pōstremo, quia non modo calorem natiuum, verum etiam robur, efficaciamque caloris effectus proprios largitur. Quod autem, vt à primo exordiar, semen sit actu calidum, & opere, & tactu, percipitur. Verum hoc in loco occurrit dubitare, quoniam Arist. 4. de gen. an. quarto, & 5. Problem. 31. in constituendo seminis temperamento visus est inconstans, nam fatetur aperte genituram esse calidam. Alibi etiam sanguinem, semen, & medullam calida esse statuit, quarto Metbeor. text. 40. secundo de gen. anim. 5. At scribit quoq; quarta Probl. in fin. genituræ naturam esse cetebro similem, quod quidem frigidum est; imo vero dicit manifeste frigidam esse genituram, atq; illius argumentum esse dicit, quod bumida nunquam redditur, nisi calefiat, nec vllam desiderat liquefactionem, quandoquidem per vniuersum corpus expansa est, sicut sanguis. Hanc contradictionem cum vidisset Ioannes Philoponus, dixit in com. ad librum de gen. animal. capite nono, & bene genituram suapte natura frigidam esse, verum calorem acquisitiuum habere ab ipsiusmet corporis, vel partium vnde abscedit calore, & boc est, quod ait Aristoteles quarto Metheor. text. 40. cum scribit genituram densari frigore, dum exit humidum cum calore. Ex qua veritate possumus facile videre insignem Auer. simplicitatem, qui scribit secundo Collig. decimo, sese cognouisse vicinam, quę concepto semine ex balneo grauida facta erat, & quod magis Auerr. simplicitatem auget est, quia dicit se inuenisse in quodam libro rationem huiusce rei, & maxime sibi placuisse. Et miror certe Auerr.

non

non vidisse suum præceptorem, qui scribit animalia, quæ membrum longum habent esse infœcunda, eo quod semen in longo ductu refrigeretur, & inefficax reddatur. Haud secus (si mihi licet) parum fidei adhibendum esse D. Thomæ puto, qui in quolibet art. 18. scripsit quandam puellam dormientem cum patre, ab eo in somno pollutionem passo, absq; genitalis immissione semen recepisse, atq; concepisse: Quo pacto nonnulli quoq; sancti Patres Loth excusare voluerunt, quod à filiab. factus ebrius earum vnam inscius prægnantem fecisset. Fabulæ etiam sunt, id quod legitur apud Plinium de Ocrisia, in fin. lib. 36. quam scribit grauidam factam esse ex genitali, quod apparuit in foro Tarquinii Prisci, vbi ea insederat. Dicitur autem altero modo calidum semen ratione generationis, quia vbi fit conceptus in vtero ex ipso constituuntur partes solidę, cor, iecur, & aliæ: partes solidæ, & præsertim cor, sunt domicilia propria caloris natiui, ea propter hac ratione dicitur semen calidū, quasi vero sit generatiuum caloris natiui. Verum hic oritur altera dubitatio, qui fieri possit, vt partes solidæ ex semine gignantur: si enim verum est id quod Peripatetici dicunt, partes corporis nostri nutriri ex iis, ex quibus genitæ sunt, operæ pretium esset, vt partes ipsæ solidę ex semine nutrirentur, si ex semine constarēt, quod tamen non videtur dicendum. Nisi dicamus, quod vbi semen est in corpore quandam qualitatem corpori communicat; sicuti enim cerebrum facultatem animalē, Cor vitalem, Hepar naturalem, ita semen vim quandam partibus ipsis tribuit, quæ dat vitam sanguini, adeo vt de albetur, & partium solidarum aptum alimētum euadat. Dicitur postremo calidum semē, quia tribuit, quicquid roboris in corpore est, quod autem ita sit vna illa Galeni demonstratio 1. de sem. c. 16. sufficere potest, quod adempta generandi seminis abscissione testium facultate illico homo fit frigidior, debilior, effœminatus, & quod ait Auenzoar li. 2. tra. 3. c. 1. ille admirabilis ab Auerroe vocatus, intellectus, sensus, & mores deprauantur, & diminuuntur. Vnde Ægyptii quando volebant repræsentare Regem fractum, & hebetem pingebāt Typhonem castratum, quasi vero cognoscerent, nihil posse magis reprǽsentare hominem infirmum, quam hominem sine semine. Quod si quis quęrat, quęnam sit ratio, propter quam, cum semen sit res vsq; adeo pusilla, nihilominus tantū valeat, vt sui præsentia, & calorem natiuum, & robur, & animum, & sensum, & alia eiusmodi bona efficiat, videat Galenum 1. de sem. 6. qui scribit, quemadmodum Sol suo fulgore totum orbem illustrat illico, & sicuti cerebrum spiritibus facultatem animalem, cor vitalem, iecur naturalem statim communicat; sic semen iusta fulgores quosdam sui præsentia ea omnia bona parere: & propterea Hipp. appellabat semen, vt retro dixi; quid valentissimum, & alibi dicebat calidum natiuum esse immutabile, & quid Diuinum. & Arist. 2. de gen. ani. 3. proportione respondere calori cœlesti, imo fere ipsummet esse, vt ob id alibi dixerit hominem, & Solem generare hominem, quasi vero semen instar Solis habeat efficaciam etiam gignendi animam, & robur.

Caput XI.

Quanam ratione semen dicatur Spirituosum, & facultate formatrice præditum; & quid sit facultas formatrix veterum sententiæ?

ADditum est in definitione (Spirituosum) quia Gal. 1. de sem. 14. de vsu part. plerisq; in locis non modo appellauit semen spirituosum, verum etiam frequentissime spumosum, nec sine ratione, quandoquidem Pythagorici, vt scribit idem Galenus in lib. de plac. Philos. dicebant illud esse spumam purissimi sanguinis. & Aristoteles narrat à Græcis 2. de gen. ani. 2. Venerem fuisse ἀφροδίτην nuncupatam ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ, hoc est à spuma; quasi vero semen, quod eiicitur ipsius Veneris vsu spiritibus cum sit plenum spumæ naturam quodammodo æmuletur: quinimo qui animam mundum faciunt, animam appellant spiritum.

Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem.

Viden-

Videndum itaque breuiter est, quomodo semen dicatur spirituale, & quomodo spumosum fiat. Spiritus, vt docet Galenus tertio de fac.nat.& septimo de plac.Hip. & Plat.est corpus quoddam aereum,& purum,ac tennissimum,&(vt hoc obiter dicam) locus ille Gal.est mendosus,quia vbi habet spiritum esse frigidum & calidum, debemus legere,humidnm,cum impossibile sit idem dici calidum & frigidum. Apud Medicos tria sunt spirituum genera,animalis, vitalis, & naturalis; animalis gignitur in cerebro,& per neruos toti corpori distribuitur: Vitalis in corde,& per arterias in corpus propagatur, naturalis in iecore, & per venas in singulas corporis partes defertur: semen igitur ita dicitur spirituosum, vt omni spiritu, & animali & vitali,& naturali præditum sit; vnde etiam Hippoc.in lib. de nat. pu.in lib. de flatu, omnia fere conformationis opera tribuit spiritui seminis; ipse enim est, qui agitat, qui mouet,& qui excitat ventrem, qui sobolem conseruat,quiq; omnem voluptatē in actu venereo efficit,vt propterea dixerit Hipp.primo de sem.decimosexto, in vsu venereo à voluptate potissimum corpora hebetari, non alia ratione certe, quam quia ad ingentem illam voluptatem efficiendam multi spiritus concurrunt, vnde eorum maxima fit consumptio. Quonam autem pacto semē spumosum fiat, luculentissime declarat Hipp. lib. de genit. inhibit. vbi ait, neruos & venas ab vniuerso corpore in pudendum produci, quib. attritis, excalfactis, & repletis prurigo quædam excitatur,ac toto corpore voluptas, calorq; prouenit, vnde cōfricato,& moto pudendo fit spuma eo modo,quo reliqua humida mota spumescunt. Scio non facile vobis à peritissimo vestro Anatomico demonstratū iri, venas, arterias, & neruos à toto,atq; adeo ab ipso cerebro in pudenda produci,&id forsan in viuis verum est, nō in cadauerib.in quib. etiā plexus ille retiformis tātopere celebratus à Gal. haud facile inuenitur. Est quoq; alius finis spumę in semine,s. pruriginis excitatio, quam licet dicat Hip.fieri ob agitationē totius corporis,fit tamē maxime in vasis spermaticis,testibusq;,vbi etiā albedinē acquirit,tū quia multo spiritu repletū est,tū etiam ex coctione ipsa,tum maxime ex conditione ipsorū vasorū, quorū interna superficies albescit,& certe summo iure Arist.3.de hist.ani.c.vlt.& 2.de gen.an.2.lib.3. suæ hist. irridet Herodoti simplicitatem, qui non erubuit scribere Aethiopū genitură esse nigrā, quasi necesse sit, quorū cutis est nigra, eorum quoq; interiora esse nigra. Sed potuit forsan esse deceptus, q̄a eorū genitură conspexit extra aliquādiu cōseruatā,siquidem licet omne sperma exiens albū sit,tamē,vt ait Arist.paulo post aquescit, & nonnihil nigroris contrahit: Nisi etiā pro Herod.dicere velimus, non intellexisse de nigredine in actu,sed in potentia, q̄ vim in sese gerat nigrificam: neq; .n. verum est omnes Aethiopas nigros fieri ab exustione ob feruidissimā cœli plagam, vt crediderunt plerię,& præ ceteris Lucret. quando quidem compertum est ab iis qui Indicas regiones perlustrarunt etiam in nonnullis regionib. non calidis nigros populos nasci, q̄ aliunde proficisci nequit,quam vi ipsius seminis: etenim nigerrimi sunt,qui habitant Caput bonæ spei vocatū,cum tamen ea regio ab Aequinoctiali æque distet,ac Hispania, & Italia,& in tota America, quæ est calidissima regio,omnes albi sunt. Dicitur (facultate formatrice præditum) quoniam verum facultatis formatricis domiciliū,atq; instrumentū est ipsum semen,& si in vlla post fœtus formationem conseruatur ipsius corporis parte, sane in ipso corde secundū Arist. conseruatur, q̄ tamen ignorasse Auic. putauit Auerr. 4. Coll. 4. dixi namq; in corde secundum Arist. quoniā Medici crednnt potius eā in partib. seminariis latitare, præsertim in dentib.& venis, quarū aliquas refici docet Gal. 1. de sem. 16. in fi.nec ꝓpterea ociosam debere existimari, quia nō debet operari, nisi quando tēpus est, & certe partes seminales propterea sic nuncupātur, quia ex ipsius seminis substantia cōflatæ sunt, quales existunt partes omnes solidæ, à quibus corporis actiones proficiscūtur: sed quamquam vt dixi boc ab aliquibus sentiatur, mihi tamen semper magis placuit, postquam perfectum est animal facultatem cessare, tam secundum habitū, quam secundum actum. Neq; abducor ab boc sentiendo, qnod quædam partes vere seminariæ etiam post multos ab ortu annos reficiantur, & nascantur, vt de quibusdam

busdam venis testatur Gal. loco citato, necnon compertum est de dentibus illis extremis, quos propterea dicit Ruffus vocari σωφρονιστῆρας, quia eo tēpore nascuntur, quo homines incipiunt esse prudentiores: siquidem id dixit Gal. de quibusdā paruis venis tantum, non de cunctis; & quod pertinet ad dentes peculiaris quædam est ipsorum natura, vt non tantū ex semine, sed etiam ex alia terrestri materia oriātur, secus quam cetera ossa, à quibus in aliis videntur etiam discrepare, cum non habeant medullam, ob idq; à canibus, & lupis non tangantur, nec ab igne (vt ait Plin. lib. 7. c. 16.) domentur, & dolores acerbissimos sustineant, secus quam reliqua ossa, quæ semel conuulsa, aut fracta nō restituuntur, sed loco ipsorum durissimi calli fiunt; quod enim dicit Plinius, nonnullos dentib. esse ortos, quasi & ipsi gignantur intra corpus ex semine, fieri quidem potest, verum quod dico est, posse etiam peculiari quadam natura fieri ex alia materia ab ipso semine diuersa. Quæ autem sit hæc formatrix facultas, an scilicet ipsummet seminis temperamentum, an forma quędam, & vis efficax, vel ex potentia materiæ educta, vel extrinsecus à cœlo immissa, & ab Anic. Calcbodea appellata, non exigua sane lis est inter veteres; nam Zeno, & Leucippus vt est apud Gal. in histor. Philos. putarunt esse corpus quoddam, & veluti frustulum ipsius animæ. Straton & Democr. censuerunt vim quidem esse corporeā, sed spiritalem. Contra autem Plato & Arist. videntur eam fecisse incorporeā, & Hipp. eam vbiq; nomine naturæ appellauit, & quando Arist. dixit 2. Phys. Sol & homo generāt hominem, visum est aliquibus voluisse Solis nomine hanc vim incorporeā formatricem ab ipso cœlo semini inditam intelligere, 2. de gen. anim. 3. quemadmodū etiam semen proportione respondere elemento stellarū. Hinc itaq; patet, q. etsi Hip. lib. de na. pu. dixerit, pueris sexenniis inesse semen licet ob venarum angustiā, crassosq; humores eis existentes pruriginē excitare, atq; emitti nequeat, haudquaquā de vero semine fuisse locutum, sed ea de materia, ex qua suo tēpore semen fabricatur, siquidem in ipso non reperitur formatrix facultas, vt innuit Arist. 7. de hist. an. c. 1. nisi post decimumquartum annum in mare, duodecimū autem in fœmina, aut si est, nondum, & apta, & potens est formare, vnde neq; verum semē dici debet, sicut morbosum semen inualidum est apud Aristotelem primo de gen. an. 18. nec non decrepitorum multorum.

CAPVT X.

Quo tempore operari incipiat, & quousq; duret in semine facultas formatrix: Necnon de reliquis particulis in seminis definitione positis.

CEterum hic duo occurrunt dubia, vnū est, vtrum verum sit ante 14. annum semen virile infœcundum esse, siquidem narrat D. Hier. Epist. ad Vitalē, auctor fide dignus tempore suo Romæ quendā puellū decennem compressisse nutricem, & grauidam reddidisse; & D. Greg. in Dialog. idem narrat de puero nouenni: imo in sacra scriptura habetur Salomonem, & Achaz decimo & vndecimo anno filios genuisse. Albertus quoq; Rosarius scribit in Indice leg. 1. verbo Matrimonium, puellam quandam nouenniam peperisse. Agatharcides etiam & Plin. lib. 7. c. 2. narrāt apud Indos esse populos quosdā Mandros, & Calingas vocatos, quorū fœminæ 5. & 6. ætatis anno concipiunt. Adhæc apud Plutar. & Gal. li. de plac. Phil. in fin. habetur quosdam Æthiopes non præterire 30. ætatis annū, quos primis annis generare verisimile est. Aliud dubiū est de senib. vsq; quo possunt generare, nā ex vna parte est Arist. 5. de hist. ani. 14. & 7. c. 6. qui scribit non posse hominē vltra 70. annum generare, & fœminā vltra 50. Et scribunt à Tiberio factam esse legem Popæam Popiliam, qua vetabatur sexagenarios, tanquā generationi ineptos nubere, q̄ tē intelligebat ille quoq; apud Plaut. quando dixit, si quē sexagenariū scibimus scortarier, contra eū lege agemus. Ex altera parte Auēzoar Arist. im pbat li. 2. tra. 3. c. 1. nec desunt exēpla eorū, q vltra 70. annū cōstituti genuerunt, vt narrat Pli. de Massinissa, q 86. annis nat⁹ filiū genuit, & de Cat. Cens. 88. anno. Vladislaū Lithuanū Regē Poloniæ nonagenariū duos filios habuisse scribūt: atq; de aliis grādęuis similiter, ne in mediū adducam

ducam Patres illos veteres Hebræos, qui potius diuina voluntate sic disponente, vt mundus repleretur, quam naturali vlla ratione post centum, & multo plures etiam annos filios & filias procrearunt. Ad primum respondendum est id, quod scribit Arist. de 14. anno esse verissimum, posse tamen aliquos ita esse robustos, & firmos pueros, vt etiam paulo citius generare queant, sed quod nono anno hoc contingere queat, haud facile credo, nisi tamen dicere velimus, quod sicuti illi Æthiopum populi, qui nunquam transcendunt 30. ætatis annum, incipiunt generare circa decimum, ita potuisse naturam fecisse vnum, vel alterum similem, qui quod senectam cito esset habiturus, habuerit quoq; tempestiue generandi potentiam. Ad aliud vero dicendum est Arist. intelligendum esse, vt in pluribus, siquidem multo plures sunt, qui circa 65. ætatis annum vim generatiuam amittunt, quamquam sint vsqueadeo aliqui seniores vegeti & robusti, vt vltra etiam 80. gignant, quemadmodum ait Celsus, interdum esse aliquos senes adeo robustos, vt facilius iuuenib. sanguinis missionem ferant, & de lege illa nil aliud dicere conuenit, quam eam fuisse iniustam, ac propterea Cl. Imperatorem eam abrogasse. Quod autem scribunt Cæsar & Tacitus lib. 6. de bello Gallico, Germanos legem habuisse, ne quispiam ante 20. ætatis annum vteretur Venere, atq; illud non difficile cognitu fuisse, cum promiscue lauarentur, non tantum respexerunt generandi facultatem, verum etiam robur ipsorum virorum, quos putabant infirmiores effici, si tempestiue nimis venere vterentur. Dixi (in vasis seminariis, & testibus) vt dogma Medicorum assererem sentientium testes ad seminis fabricam magnum præbere emolumentum, imo vim seminis procreatricem habere, secus quam Arist. & Peripatetici crediderunt, & certe nisi sanguis, & spiritus à venis, & arteriis in testes mittatur, ibiq; coquatur, elaboretur, ac dealbetur, vt docet diligentissimus Vesalius, lib. 5. c. 13. haudquaquã verum & perfectum semen vocari potest, etenim vt tradunt Gal. & Auic. secundo de sem. 14. & 15. in tota fabrica seminis tria vasa reperiuntur, præparantia, testes, & deferẽtia. A venis, & arteriis missus sanguis, & spiritus in præparantia, ibi coquitur, hinc deinde in testes missus adhuc magis perficitur & dealbatur, postremo in deferentia translatus ab ipsis in penem tempore coitus mittitur. Vtrum vero testes cõferant ad perficiendum semen quemadmodum sentiũt, an vero duntaxat ad eiaculationem, sintq; veluti duo pondera vasis spermaticis affixa, vt ea tensa, & recta teneant, quemadmodum commentus est Arist. non est necesse longius hoc in loco disputare, sed inferius id faciemus. Interim illud habeatur constitutum ex ipsa anatome, qua nullum certius argumentum haberi potest, apparere etiam in testibus confici semen, cum in iis reperiatur, nec absq; illis, vel saltem vno eorum fieri conceptus queat; atq; hoc quod de anatome dixi, non modo in viris, verum etiam in ipsis mulieribus fit conspicuum, in quibus testes, & cetera seminis fabricæ inseruientia instrumenta comperiuntur. Dixi tandem (propter humani generis propagationem) quoniam finis proprius emissionis seminis haud est voluptas, quemadmodum sibi persuaserunt Gnostici hęretici, vt est apud Epiphanium, & quam cunctaanimalia persequuntur, sed est ipsa generatio, seu speciei humanæ propagatio, propter quam non dubitauit quandoq; Gal. non modo ęquare, verum etiam præferre ipsi cordi testes, vtpote qui vtiles sint pro specie, quæ est nobilior indiuiduo, cuius vnius conseruationi cordis facultas inseruit; & propter hoc Solon legẽ instituit, vt viri impotentes suis agnatis vxores concederent ad prolem propagandam, imo cum Deus fabricasset hominem, mulierem, & animalia hanc vim inseuit, non ob aliud, nisi vt crescerent, atq; multiplicarentur, & Theologorum sentẽtia est, eos qui sese mulierib. alio fine quam generandi vniuntur, peccatum committere. Iam itaq; patet, quæ sint ea, quæ ad conceptum faciendum concurrunt, nempe menstruum, atq; semen.

Capvt XI.

Num semen retentum in venenum conuertatur.

Sequeretur, vt de ipsius conceptus modo, & ratione tractaremus, verum priusquam hoc agamus deliberaui examinare vtrum sit semen retentum in venenum conuerti, atque tot damna producere: deinde antiquam illam, atq; nobilem quæstionem habere, an sint testes ad conceptum faciendum necessarii, vt Medici putant, an vero alium vsum habeant, quemadmodum credidit Arist. & cum ipso Peripatetici omnes. Quantum ad primum ex vna parte est Galen. 6. de loc. aff. qui manifeste profitetur semen retentum conuerti & dirissimum venenum exemplo illius viduæ, quæ grauib. symptomatibus torquebatur, donec semen emitteret. Ex altera parte nõ videtur rem vsque adeo perfectam posse tam ingentem corruptionem suscipere: præterquam quod infiniti sunt, qui à Venere sine detrimento abstinent, & si quandoq; semen superabundat, excernitur à natura per somnum, in gonorrhœa, in qua semen vitiatum est ob illius retentionem, non tamen videmus adeo prana symptomata fieri. Et Epicurus dicere solebat nullum esse veneris vsum. Ad hæc Athletæ, vt essent robustiores prohibebantur ab vsu Veneris: & Aristo. primo artis Gymnast. in fine, 20. problem. 2. secundo, scribit vetitum esse tempore belli, ferere mentham, ne semen eius vsu, & consequenter robur consumeretur, imo Plutarchus (in libro præc. sanit.) illo Aphorismo Hippocra. sexto Epidem. exercitatio sanitatis est, non repleri cibo, impigrum esse ad labores, addit seminis conseruationem. Pro resolutione dicendum est semen virile retentum, haudquaquam venenum euadere, sed muliebre, tum ob vterum, tum quia menstrua etiam retenta simul vitiantur, tum etiam ob semen, & habitum frigidiorem, ex quo semper prauis, & crudis humoribus scatent earum corpora, vnde in vtero, qui est veluti quædam lacuna fit deterior ipsius corruptio vna cum aliis humoribus: nec valet esse quid perfectum, quoniam res bonæ vbi corrumpuntur, semper vt ait Hippoc. deterrimæ euadunt. Quod autem viri semen haud venenum euadat, inde potissimum scire licet, quia infiniti prope sunt, qui vel religionis gratia, vel aliqua alia de caussa à venere abstinent sine vllo detrimento, etsi neq; inficias eam quod scribit Plato in Timæo esse verum, nempe inueniri aliquos, qui præ copia seminis instar arborum nimia fœcunditate luxuriantium, cito deficiant, non quod venenum in iis fiat semẽ, sed quia absumitur nimius sanguis in ipsum, qui alioquin corpori alimentum esse posset. Et hactenus de primo dubio.

Capvt XII.

Vtrum testes sint necessarii ad generationem, necne? Examinantur & Philosophorum, & Medicorum sententiæ.

Nunc de alia quæstione agamus, & quoniam duo sunt Criteria, sensus, scilicet, atq; ratio, & sensus in hoc casu ex ipsa anatome iudicat, ad eam vos remitto, quam estis habituri à peritissimo vestro Anatomico, & quam etiam acutatissime proposuit Galen. primo de sem. c. 15. pluribus in locis, & disertissimus Vesalius lib. 5. cap. 13. Ratione vero, quæ est alterum criterium, agemus, postquam & ipsemet Arist. lib. de anima, necnon Herophylus, qui (vt scribit Tertullianus) septingenta cadauera secuit, vt hominem cognosceret potius rationibus quibusdam, quam ipso sensu hanc Medicorum veritatem impugnare sunt aggressi. Aristot. tertio de hist. anim. primo, & primo de gen. anim. quarto, igitur, quem Alber. Mag. 15. de animal. sectatus est, duo efficit, primum probat contra veteres, scilicet Hippocrat. & alios, testes nullam habere vim generatricem seminis, sed hanc solis vasis spermaticis inesse: Secundo monstrat, quinam sint vsus ipsorum testium: postquam itaque constituit Aristor. quæcumq; facit natura, vel propter necessitatem, vel propter aliquã commoditatem facere, conatus est probare testes nulla necessitate, sed solum ob

vtilitatem esse inuentos. Ratio vero qua vtitur Arist. est duplex, vna, quod si necessarii essent testes pro animalium generatione, vtiq; reperirentur in cunctis animalibus, sed pisces & serpentes eos non habent, itaq; non videntur necessarii: quod vero careant, probat, quia celerrime coeunt, & coeunt ore; necnon iis exectis inuniatur vasa quidem seminalia, sed testes nequaquam. Alia ratio est ab exemplo ducta, scilicet, si necessarii essent, ipsis amputatis non posset amplius animal generari; atqui Taurus quidam extractis testiculis statim iniuit & generauit, ergo nõ videntur esse ad generationem necessarii. Hæ sunt rationes, quibus Arist. & sequaces vtuntur ad tollendam testium necessitatem: quarum rationum postremam tãti æstimauit Auer. in illius loci explanatione, vt dixerit spem victoriæ. Arist. in illius exempli veritate esse collocatam, quemadmodũ si id falsum esset, plane res dubia foret. Porro vsus quos proponit tres sunt, duo locis de animalibus citatis, & vnus in probl. Primus est, vt eiaculationem seminis reddant firmiorem, & pondere suo vasa illa seminalia mirum in modum implicata reddant laxiora, & patentiora, instar eorum ponderum & planarum, quibus textrices vtuntur ad telas cõficiendas: sunt autem in homine ista vasa inuoluta, & implicata. ne, quemadmodum dicit Arist. homo esset ad libidinem adeo pronus: sicuti enim qui habent intestina recta sunt voraciores, pari pacto, quęcunq; animalia habent vasa spermatica recta, sunt libidinosa: cum itaq; homo ad cõtemplationem natus esset, & non ad libidinem, eapropter voluit natura facere vasa tortuosa, & adeo implicata. Secũdus vsus est ad robur cordis maius parandum: voluit enim cor per partem post partem à testiũ pondere contendi, atq; ita firmius reddi: & hoc dicebat Arist. quinto de gen. ani. septimo, vt mõstraret quomodo à testib. tonus, & robur toti corpore accedat, iisq; extractis, timidiora, frigidiora, atq; effœminata reddãtur animalia: nõ secus ac dicebat exectis testib. frigidiora reddi vasa spermatica, & consequenter vniuersum corpus vitiari vitio illorum vasorum, atq; inde sterilitatem suboriri. Tertius vsus est, quẽ proponit Arist. quarta probl. 24. vt erectionem atq; tensionem iuuent instar ponderis vectis: nam dicebat ob id factos esse testes post penem, vt pondere suo eum intendi cogerent: vnde etiam dicebat tam eos, qui longum penem habent, difficile eum erigere cum distet ab ipso pondere: quam eos, qui propendulos testes habent, cum difficile tunc vectis munus obire possint: & propterea etiam existimabat Aristoteles, quarta Problem. 26. homines æstate minus libidine tentari, quia magis propendent testes. Has rationes, atque vsus priusquam refellam, operæpretium est argumenta Medicorum adducam, quibus testes esse necessarios generationi contendunt. Nam Galen. lib. primo de sem. 15. & 16. totidem pene rationibus euidentissimis vsus non modo conatus est demonstrare testium necessitatem in cõficiẽdo semine, verumetiam ipsi cordi eos præstantia atq; vtilitate pene ęquare studuit; & primum vsus est hoc argumento, quod exemptis testib. semen non conficitur, & propterea infœcunda animalia redduntur: neq; valere dicit id, quod aduersus hoc inquit Arist. nempe fieri infœcunditatem, quoniam vasa spermatica sine ipsis relaxentur, nec propterea queunt cõficere, neq; eiaculare semen, quia castratio fieri potest absque vlla vasorum seminalium læsione, & nihilominus sterilitas semper testiculorum abscissioni succedit: imo quod magis est, ita refrigeratur, & permutur totum animal, vt non modo fecundum corpus videatur factũ aliud, verumetium secundum intellectum, sensum, & mores, vt dicebat Auenzoar. Optasset etiã Galen. lib. secundo, tract. tertio, cap. 2. honoris Aristot. quinto de gen. anim. cupidus ea ipsum non dixisse, quæ scribit pro reddenda ratione effœminationis castratorum, quasi ea ipsius diuino ingenio sint indigna, vt vere sunt, & ipse (libere dicam) magnopere miror tantum Philosophum vnius Tauri exemplo id dogma adstruere voluisse, quemadmodum suo loco dicam. Sed præter hanc Galeni demonstrationem, est & alia non minor, quod cum testes in iis præsertim, qui non multa sunt vsi venere semper humore seminali oppleti comperiantur, par est existimare ab eo ipsos nutriri, cum autem vnaquæque pars sibi paret, atque perfi-

ciat

ciat nutrimentum, necesse est fateri eam materiam ab ipsis parari, atq; perfici: neq; enim interna testium tunica vsqueadeo alba esset, nisi seminis alba materia nutrirentur, quod similiter contingit in mammis, vt fatetur quoq; Auerr. loco citato, in quibus sanguis in lactis naturam commutatur propria ipsarum vi. Imo hæc ratio tantum valuit apud ipsum Auer. secundo Coll. cap. decimo, vt deseruerit Arist. atque Medicos secutus sit, attribuens verbis clarissimis vim seminis generatricem ipsis testib. Iam vero sequitur, vt Arist. rationibus respondeatur, simulq; ipsorū vsus, ex Galen. & Medicorum placitis consntemus. Quod autem ad primam rationem pertinet, illud verissimum est, naturam solere ordinem generandorum implere, ita, vt quemadmodum fecit animalia, quæ sine semine, ac testib. generēt, vt insecta, quæ sunt imperfectissima, necnon perfecta, quæ cum semine ac testibus: sic facere debuit quædam, quæ media sint, ac imperfecta, nimirum generantia cum semine absq; testibus, cuiusmodi sunt serpentes, atq; pisces, qui sicuti non habent verū sanguinem, sed humorem loco sanguinis sibi accommodatum, sic non habuerunt verum semē, quod fit ex sanguine, nec propterea eguerunt testib. ad illud fabricādum, secus quam perfecta animalia, quę cuncta, & testibus, atq; semine indiguerūt. De Tauro autem illud primo dicendum est, quod etiam scribit Gal. neq; ab inductione, neq; ab exemplo vllas demonstrationes posse comparari, & propterea etiā, si id verum esset, haudquaquam conficerent quod cupiunt Peripatetici, & præsertim Auerr. in comm. ad tertium de gener. anim. cap. quarto, qui (vt alias dixi) in veritate illius historiæ videtur totam controuersiæ vim collocasse; imo vero non solum videtur titubasse, verumetiam (vt nuper dicebam) manifestissime Aristot. secundo coll. cap. 10. deseruit, atq; cum Medicis putauit vim seminis generatricem vere esse in testibus, quod etiā Petrus Apponens. quarta probl. 24. fecit. Sed demus id ipsi falso à venatoribus relatum potuisse esse verum, cum saltem non in aliquib. aliis id vnquam fuit cōpertum? At potuerunt castrantes falli in eo Tauro, sicut pleriq; faciunt vnum tantum pro duobus testem auferētes; præterquam quod potuit ille Taurus tres testes habuisse, vt interdum contingere ipsemet narrat Arist. quorum duobus extractis tertius sufficerit ad generandum; non enim mihi placet, q, ad hoc exemplum respondent nonnulli, potuisse ante excisionem semen fuisse in parastatibus conseruatum, quod deinde in vuluam eiaculatum, fecerit cōceptum; siquidem quis crederet animal vllum statim ab excisione, quæ est omnium maxime dolorosa operatio, potuisse coire? Quare fabulæ aniles sunt, nec diuino Aristo. ingenio dignæ. Modo videamus vsus ipsorum testium ab eo propositos, vtrum sint rationi consentanei, & primum, quod nequeant instar planarum, & pondetum inseruire; necesse enim fuisset, multo maiores, & grauiores esse factos, sed multi sunt, qui habent minimos, & generant. Adhæc si vt pondera sunt vtiles, quomodo ergo potuit ille Taurus generare? Præterea si vt pondera tantum essent necessaria, haud iis ereptis tanta in corpore, atq; animo fieret mutatio, quemadmodū quotidie cōspicitur. Postremo vasa seminalia, ita sunt inter sese implicata, vt nequeant extendi, & si distenderentur vsq; ad pedes protenderentur, adeo sunt inter se anfractuosa, & implicata: imo quibus refrigerati, atq; attriti sunt testes absque vlla vasorum spermaticorum læsione, haudquaquam generant; vt hodie est vnicuiq; manifestū in verue cib. & nihilominus ipsi testes sunt pēduli. De secundo porro vsu idem plane dicendum videtur, s. haudquaquam posse quicquam conferre ad robur ipsius cordis; siquidem cum ita distent ab eo, opus fuisset multo maiores, & ponderosiores esse, si per partem & post partem debuissent cor firmare; imo quib. propenduli & valde relaxati sunt testes, deberent robustioris cordis, & virium esse, cum tamen ipsæ mulieres fateantur magis eos virum agere, qui contractiores, & minus propēdulos testes habent, & certe si cor habuisset opus tensione pro ipsius robore, æquū erat, vt natura solidis vinculis dorso alligasset, quod tamen non fecit, quia nō oportebat: imo si (vt dicit Arist. in fin. lib. de mot. anim.) cor, & genitale sunt veluti vnū quoddam animal separatum, quomodo potest alterum ab altero adiumentum suscipere?

cipere? Tertius autem vsus ab Arist. introductus, non videtur refutatione dignus, tum quia in lib. probl. habetur, qui securam doctrinam in cunctis non continent, tum quia satis manifestum est, membri genitalis erectionem partim fieri naturaliter à flatu, & spiritu, cauitates neruorum implentib. partim ab imaginatione musculos eos mouente, qui arrectioni famulantur: quod autem vectis munere vtantur, testes ad penem suo pondere arrigendum, ac propterea qui penem magnum habent, minus arrigere ob distantiam ipsius vectis, sicut & habentes propendulos niminm testes, quemadmodum ait quarta probl. 26. contingere æstate partim verum non est: partim alias habet rationes. Superest igitur, vt vna cum Medicis asseramus testes non solum ad generationem esse qnodammodo necessarios, verum etiam paulominus à cordis dignitate, & præstantia deficere in constituendo, & cōmutando vniuersi corporis statu; id quod videtur quoq; sensisse interdum Arist. in fine lib. de mot. anim. qui censuit, vti cor est principium sensus, ita quoq; testes esse principium, vnde proficiscitur vis seminis. Nec valet, qnod respōdent aliqui, vocē (ἐξέρχεται) significare transitum potentiæ seminis, non autem ortum, quia proprie illa vox significat emanarionem: præterquam quod si attendatur comparatio debet dicere Arist. quod vt se habet cor ad sensum, ita se habent testes ad seminis potentiam: iam vero cor est sensuum principium; ita ergo & genitale est principium seminis potentiæ: tandemq; eam esse differentiā in semine conficiendo inter vasa seminalia, ac testes, q; ea semen quidem faciunt, sed rude, imperfectum, inualidum, paucum, ac tarde: testes vero perfectum, validum, multum, atq; cito, pro perfecto animali generando: ita vt ex ipso postmodum semine perfecto qualitas instar fulgoris per vniuersum corpus diffundatur, quâ cuncta membra reddātur calida, valida, & integra; quemadmodum dicit Gal. contingere de venenis, atq; eorum antidotis, quorum qualitates ilico in vniuersum corpus sparguntur, & cunctas partes inquinant, atq; perdunt. Neq; vero probare possum id qnod scribit idemmet Arit. quarto. probl. 27. vbi disputaus, cur aliqui cum voluptate patiantut venerem, inter plnrima quę dicit, viderur velle hoc iis contingere, quia meatus semen ad penē deducentes habent obcœcatos, vt spadones, vel alia de eaussa, quasi semen à pene ad sedem abductum ibi, & pruriginem & voluptatem faciat in adolescenrib. & pueris, quibus tenue est semen absq; illius emissione: in aliis, quibus id est crassius, cum emissione: q; similiter euenire fœmineis scribit, & mollibus vocatis, qnibus cum nequeat semen ad locum debitū pertingere ob aliquod naturæ vitium ad partes posteriores vertitur; hoc inquam mihi non probatur, quoniam nulla est via, qua semē iam confectum in testibus, aut vasis spermaticis retrocedere queat, & pruriginem, voluptatemq; ibi parere, quam potius mala consuetudine, & animi vitio fieri dixerim, vt & illorum qui simul agere, & pati delectantur, quib. non videtur probabile semē partim ad penem partim ad sedem permanere, sed vt ipsemet etiam videtur dicere, mala consuetudine, & recordatione rei iucundæ illud Accidit. Cœl. Aurel. quarto de diutur. morb. in fine, qui de hoc vitio scripsit, vere docuit ex Sorano esse potius animi quam corporis morbum, etiam si Parmenides hæreditate, quoq; & seminis vitio oriri dixerit: neq; vllus propterea huius mali curationem tradidit, quod potius animus, quam corpus curationem poscat.

Capvt XIII.

De artificio naturæ in conceptu faciendo: & quæ ad ipsum conceptum requirantur.

MODO accedamus ad conceptus generationem, ad quam complendam quatuor secundum Medicos requiruntur semen mulieris, semen viri sanguis menstruus, necnon dispositio ipsius vteri; quemadmodum enim ad conficiēdum panem (hoc Arist. in probl. exemplo libenter vtor) requiritur farina, fermentum, aqua & furnus, sic & totidem necessaria sunt ad conflandum conceptum, qui nihil aliud est quam quædam veluti massa ex semine, & sanguine mestruo in vtero conflata

conflata, & veluti concocta: nam operationes omnes naturæ, post quas aliquid factum remanet, fieri ab ipsa per coctionem, quæ est elixatio quædam, vt ait Aristot. quarto Metheor. non est vt dubitemus; habet autem conceptus apud Græcos varias appellationes, & præsertim apud Hippoc. nempe κύημα, κύησις, γονή, ἔμβρυον, apud Latinos vero appellatur modo conceptus, modo fœtus, modo Embrion, & ne à suscepto exemplo recedamus, vbi pistor optimum panem est facturus, parat furnum, selectamque farinam, & fermentum cum aqua miscet, tractansque omnia diligenter, primum massam efformat, ac in panem configurat, tandemq; in furno coquit; haud aliter in concepto faciendo sese gerit natura: postquam enim eiaculata semina tam viri, quam mulieris, necnon sanguis menstruus è venis in spacium vteri eructatus ab eo attracta, atque retenta sunt, simul omnia commiscentur primum: deinde ipsorum seminum calor, necnon vteri ea tractans, atq; agitans, velutique elixans diuaporatis tenuissimis partibus, quod reliquum est crassefactum in massam deducit, & ex pinguedine illa (vt ait Hippoc. lib. de principiis) quæ supereminet elixationi tunicam ipsi massæ obducit instar illarum tunicarum, quas iuribus pinguibus obduci quotidie cernimus: vbi autem tota illa massa est à tunica circundata, atq; in crassiusculam & compactiorem formam redacta, appellatur cōceptus, & spacio sex dierum instar oui cuiusdam efficitur, vt Hippoc. testatur sese vidisse ex abortu sex dierum, quem Psalteria suo consilio fecit: & quoniam dixi, quemadmodum parat pistor furnum, & alia, ita quoque necesse est, vt cuncta sint optime parata, quæ ad conceptum efficiendum exiguntur. Nunc oportet videamus, quæ debeat esse huiusmodi præparatio, siue (vt loquitur Tertullianus) paratura. Igitur primum conuenit, vt vtrumque semen viri, scilicet & mulieris sit moderate crassum, & viscidum, quo possint simul coniungi, adhærere, & misceri, alioquin si sint liquidiora, & fluida facile elabuntur, nec simul hærere & commisceri queunt, quemadmodum si crassiora, atq; solidiora sint, quale mulorum esse nonnulli prodiderunt, & si Alcmeon illud potius nimis tenue & frigidum faciat, vt Aristoteles haudquaquam possunt exacte commisceri. Similiter in qualitatibus primis, rum actiuis, tum passiuis opus est, vel sint vtraq; temperata, vel si vnum est frigidum crassum, sit alterum calidum ac tenue, & sic de singulis, & hoc est quod dicebat Arist. 2. de gen. anim. in fine, scilicet ex equa & asino fieri mulum, quia semē asini est frigidum, & equi calidum ex hac contraria intemperie fit vt oriatur tertia species animalis; id quod non modo scripsit Galenus, & ante ipsum Hippocrates & Aristotel. verum etiam diserte, & apposite cecinit Lucret. lib. quarto de nat. sub hisce carminibus,

Nam steriles nimium crasso sunt semine partim
Et liquido præter iustum, tenuique vicissim,
Tenue locis, quia non potis est adfigere adhæsum,
Liquitur ex templo, & reuocatum cedit ab ortu,
Crassius hoc porro, quoniam concretius æquo
Mittitur, aut non tam prolixo prouolat ictu
Aut penetrare locos, æque nequit, aut penetratum
Ægre admiscetur muliebri semine semen,

Præterea conuenit, vt vterus sit & ipse temperatus, neque nimium durus, neque mollis, nec nimis angustus, vt aliqui de mulabus crediderunt apud Galenum lib. de hist. philosophica: nam Hippocr. & Galen. quinto Aphor. 62. vberrime docuerunt eos vteros conceptioni prorsus ineptos esse, qui aliqua insigni sunt intemperie affecti, aut alia quapiam mala constitutione creati. Quapropter, vt vniuersum hoc artificium, quo ordine fiet breuiter aperiam, primum necesse est vt aliquid ingrediatur vterum: nam vterus ex se est purum spatium, nec sanguinem nec semen habens: feruntur itaque intra ipsum sanguis menstruus, & vtrumque semen simul, vbi postea conclusa retinentur: dicit enim Hippocrat. lib. de genit. quod vt flammæ iniecta aqua, vel vinum eam extinguit, sic contingere, vbi prius iniecto

viri vel fœminæ semini alterum superinfunditur. Sanguis autem menstruus duplici modo vterum ingredi & ad conceptum concurrere potest: vnus est, vt quo tempore faciendus est conceptus à venis quæ sunt in fundo, & ceruice vteri effundatur in ipsum, & hinc est, vt retro dixi, quod inchoantibus mensibus facile fit conceptus, quia scilicet venæ illæ tunc oppletæ sanguine facile hiant & eructant sanguinem: Secundus modus est, quando paulo ante sanguis effusus est, vnde etiam desinentibus mensibus facile fit conceptus, quia aliquid sanguinis adhuc in venis relinquitur. Quo autem spectat ad semen mulieris fabricatum in ipsius testibus, eiaculatur per foramen quoddam in ipso ductu existens secus os vteri, quod ideo à natura factum fuit, quia cum semen mulieris sit minus validum semine viri, non debebat à longe eiaculari, quemadmodum contingit de semine viri, sit autem, vt sua innata qualitate, qua vterus semen desiderat, attrahat illud, id quod etiam contingit in semine viri, cuius tamen eiaculatio debebat à longe fieri, vnde ob id natura fecit vasa ampla: & quoniam de eiaculatione factus est sermo, atque magni refert, vt hæc quemadmodum decet, efficiatur, breuiter quoque aliquid de hac est necesse dicatur: nam hanc esse necessariam, vt quam immediate fiat, quo semen calidius & integrius ad locum perfectionis perferatur, demonstrat præ cæteris illa authoritas Aristot. qui dixit habentes longum penem, esse generationi ineptos, quoniam semen per longum nimis ductum latum refrigeratur, vt hac vna ratione fabula illa Auerro. de vicina quæ ex balneo concepit repudianda, vt retro etiam dixi, videatur, quia autem eiaculatio recta fieri debebat, eapropter natura prudentissima fecit in maris pene foramen, quod vergit infra: os vero ipsius vteri, quod supra, id est, versus dorsum, adeo vt si de inuicẽ conferantur foramina ista, ita è directo sunt, vt non possit fere non fieri eiaculatio recta, si coitus sit naturalis: qui vt Lucretius, & post ipsum inter Medicos Paulus Æginita loco citato inquiunt, est ille, quo vtuntur belluæ scilicet à tergo: ita enim dicit Lucretius, lib. 3. cap. 74.

Et quibus ipsa modis tractetur blanda voluptas
Id quoque permagni refert, nam more ferarum
Quadrupedumq. magis ritu plerumq. putantur
Concipere vxores, quia sic loca sumere possunt
Pectoribus positis, sublatis femina lumbis
Nec molles opus sunt motus vxoribus hilum.

Et Constantius Varolus in libro de resolutione humani corporis, euidenti demõstratione docuit modum illum exercẽdi venerem pro conceptione esse omnium commodissimum, ac vere naturalem; alium autem esse potius lasciuum, atque voluptuosum: & ipse in ea sum opinione ob hanc vnam rationem bruta fere cuncta vno, vel altero initu statim fœminam reddere grauidam, quod fiat recta & ingens in vterum eiaculatio; homines vero plerumque frustrari à generando, quod non fiat recta, sed potius obliqua eiaculatio, ita vt semen non eo quo deberet integrũ, ac tempestiue feratur; & quamquam verissimum sit, vterum vi propria semen attrahere, vt plerique coeuntes experiuntur, cùm genitale sibi veluti exsugi sentiunt; haudquaquam tamen id facere potest, vndecumq;, sed debet proxime ad ipsum mitti: Quo tempore singularis illa, tam viri, quam mulieris fit voluptas: quam vbi percipiunt mulieres sagaces sese generasse intelligunt, atque inde certam quandam de die partus coniecturam acquirunt: tunc enim ait Hippocrates, libro de genit. vterus à seminis calore contrectatus, & commotus singularem voluptatem excitat, licet Hippocrates viri, quam mulieris maiorem faciat, quod ab ipso semen vehementiori concussu eiaculetur. Etenim quatuor potissimum ad faciendam voluptatem concurrere videntur, semen, quod etiam circa anum collectum ibi facere pruriginem, & voluptatem scribit Aristot. motus, calor, & spiritus, quæ omnia in viro, quam in muliere sunt potentiora. Postquam autem & sanguis, & vtraque semina vterum ingressa sunt, necesse est vt retineantur, quod fit,

vbi os

vbi os vteri ita clauditur, vt neque acus eo queat penetrare; vt autem mulier ea in vtero retinere possit, aliud debet in opere ipso præstare: aliud post opus, in opere debet se quam minime agitare, quoniam ex nimia clunium agitatione abducitur semen à debito cursu: id quod intelligentes meretrices, ne concipiant solent sese multum agitare, vt significauit Lucretius eod. lib. his carminibus:

Nam mulier prohibet se concipere atque repugnat
Clunibus ipsa viri Venerem si læta retractet,
Atque exossato ciet omni pectore fluctus:
Eiicit enim sulci recta regione, viaque
Vomerem, atque locis auertit seminis ictum,
Idque sua caussa consuerunt scorta moueri
Ne complerentur crebro, grauidæq; iacerent.

Quare pro conceptu faciendo non modo iuuat, vt mulier quam minimum se agitet, quemadmodum faciunt belluæ, quæ à natura edoctæ in eo opere semper manent quietæ, verumetiam post consummatum opus quieta aliquo tempore, necnon cruribus retractis maneat, nec vsque ad septimam diem corpus vehementer agitet, quoniam vt dicunt Hippocrat. lib. de genit. pu. & Aristot. septimo de histo. an. 7. si semen in vtero retentum septem diebus, signum est iam conceptum esse factum. Atque hactenus de conceptione.

Capvt XIV.

Quare, & quomodo fiant plures conceptus.

Sequitur modo, vt de formatione agamus, quæ in homine, atque ceteris animalibus, nil aliud est, quam ipsius conceptus ad debitas figuras, quantitatem, numerum, situmque omnium ipsius partium, atque instrumentorum deductio: quæ quidem operatio in conceptu Beatissimæ Virginis opera Spiritus Sancti perfecta est simul; & in instanti, licet Bucerus & alii hæretici antiqui & recentiores, ignorantia, & effræni nequitia impulsi, maluerint factam fuisse vt ceterorum hominum, in quibus, & in cunctis aliis animalibus fit paulatim atque tempore; siquidem facultas ipsa formatrix, cum sit agens naturale, ac propterea motu, & quiete vtatur, tempus in eius operibus consummandis intercedat necesse est. Qua de re prius quam exactius tractare aggrediar, postulare videtur hic locus, vt duo circa conceptum speculatione digna examinentur: vnum, quare, & quomodo fiant plures conceptus: alterum, an semen fiat pars ipsius conceptus. Circa primum, varias inuenio veterum auctorum sententias. Empedocles, à quo multa didicit Hippocrates censuit fieri gemellos ex luxuria, & diuisione geniture in plures partes. Asclepiades medicus, qui Democriti placida est sectatus, ex corpusculorum discrimine, vt in hordeo dicocco, & tricocco fieri existimauit. Erasistratus id totum tribuit superfœtationibus, vt in brutis; tunc enim impleri prompte vterum eum repurgatus est. Stoici vero arbitrati sunt fieri gemellos, & plures ob loculorum vteri multitudinem, atque diuersitatem; quod si verum esset, quot loculos habuisset vterus illius, quam & literis, & monumentis consignatum est, tercentum fœtus enixam esse? Ego vero & Hippocrat. & Arist. lib. de nat. pu. placitis puto gemellos, aut plures fieri, quando vel non simul ab vtrisque totum semen eiaculatur: sed primum vna, mox altera pars, vnus tamen, & eiusdem coitus, vel duobus tribusve coitibus pauco interiecto interuallo factis: vel quando eadem semina vno congressu eiaculata, intraque vterum diuisa & locis disiuncta, eodem pacto miscentur, & coagulantur, quo vnum. Etenim si forte fortuna minime locis disiungantur, solent monstra fieri, nempe fœtus simul iuncti vna, vel pluribus partibus: & si minime negandum est intra quoq; vnam, & eandem vesiculam posse plures fœtus connasci, qui coniuncti sint, & quasi in vnũ corpus coaliti; sicuti interdum accidere

compertum est; & quamquam Hippocr. in lib. de nat. pu. dicat, brutorum vteros plures habere sinus, id tamen Anatomici non comprobant in muliere, in cuius vtero, vt plurimum duo tantum sinus conspiciuntur, licet si quando tres aut plures efficiantur fœtus, non inconueniat in ea quoque muliere, scilicet secundum proportionem plures inueniri sinus, quod vt rarissimum est, sic quoq; non minus raro contingit fieri tres, siue plures: illud tamen verum inuenitur, quod scribit Arist. 10. probl. fieri plura monstra in brutis, quam in homine ob conceptuum multitudinē. Vtrum vero superfœtationes fiant, vt scilicet post iam factum conceptum nouus plures post dies superinducatur, nonnulli dubitarunt, quod apud Hippocr. & Gal. legatur, vbi receptum, atq; retentum est intra vterum semen, os ipsius ita occludi, vt nec subtilissimus acus illud penetrare queat. Verum quia Hippoc. Arist. & Gal. & experimenta ostendunt superfœtationes fieri, censere oportet Hippocr. & Galeni sententiam ita esse interpretandam, quasi vt plurimum ita contingat: neq; os vteri aperiatur, nisi quādo is licet plenus, seminis eximia voluptate ductus, paulisper sese dilatat donec illud intro trahat exigua oris facta apertura.

CAPVT XV.

Num semen fiat pars conceptus an in flatum conuertatur, examinantur Philosophorum & Medicorum sententiæ.

ERAT alterum, an semen fiat pars fœtus, an vero in flatum conuertatur: qua in re tres inuenio scriptorum celebrium sententias. Arist. Hippoc. & Gal. necnon Auic. Aristoteles quidem existimauit nullo modo esse. Hippoc. & Gal. penitus fieri partem. Auic. esse partem formæ; sed quia hæc Auic. 21. tr. 1. cap. 2. sententia non reperitur apud ipsum præsertim vbi disertè, & copiose de hac re tractat non quoq; eam præteribimus: & si Auer. secundo de gen. ani. cap. 3. ipsi tribuat. Arist. secundo de gen. ani. 3. itaq; voluit spiritalem partem ipsius seminis virilis, in qua est formatrix facultas in vtero ingredi sanguinem menstruum, illudq; coquere, coagulare, & in conceptu fingere, humoralē vero seminis partem in bullas, atq; flatum conuerti, sicq; consumi insensibiliter. Contra Galen. primo de sem. cap. 4. longa oratione disputans contra Arist. primo probat ex vera seminis ipsius substantia fieri conceptum: deinde Arist. sententiam confutat. Quod autem semen sit pars conceptus tribus rationibus probat. Prima, quod partes seminales vocentur, quoniam ex semine fiunt: ob quod etiam in ætate matura nequeunt reparari, quia deest materia illa seminaria. Secunda est, quod si non fieret pars fœtus semen necessario exiret, quod non videtur; imo si exit, non fit conceptus, & vbi non exit, signum est facti conceptus: vt non modo Hippocr. verumetiam ipsemet Arist. septimo de hist. an. primo, & tertio, testatur: præterquam quod non videtur posse exire cum statim arctissime claudatur os vteri, ac cœpit fieri conceptus. Tertia ratio Galeni capta est ab experientia Hippocrat. qui testatus est sese in abortu illius Psaltriæ vidisse intra pelliculam semen coagulatum. Ad Aristot. autem dicit si in ampullas, & flatum conuerteretur substantia seminis, fore vt tumeret vterus, ac doleret, quod tamen vsu minime probatur. Neque valet pusillum esse semen, & ob id sui mole non posse lædere, quia vterus ante conceptum est paruissimus. Præterea si accipiantur semina vtriusque scilicet & fœminæ, & viri, non sunt adeo pauca vt sint aspernabilia: imo vero est sententia Peripateticorum, vt ex vna parte terræ fiant decem aquæ, & ex vna aquæ fieri decem aeris. Cæterum Auerr. loco citato disputans, & ipse satis copiose aduersus Galen. primo nititur sententiam præceptoris tueri, & confirmare, tum confutare conatur & rationes Galen. & eius in Aristot. argumentationes. Primum itaque semen esse organum siue instrumentum ipsius formatricis potentiæ secundum partem spiritalem, & aeream tantum, eo quod tres habent instrumentanaturalia, & artificialia conditiones, quæ non possunt reperiri nisi in parte aerea seminis. Prima est, quod instrumentum, non fit pars rei factæ: secunda est, quod in-

strumen-

ſtrumentum poſt rem abſolutam ſeparatur ab ea tertia & ſolis rebus naturalibus propria conditio eſt, quod illud omnes partes rei, quæ fit, intus & extra tangit: atqui has conditiones dicit, ſi recte, expendantur non poſſe ineſſe niſi aereæ, & ſpiritali ſeminis parti. Porro ad Gal. rationes reſpondet primum partes ſeminales dici tales non ob ſubſtātiam humoralem & ſpiritalem; alioquin, ait, poſſet vnquam refici, cum tamen oculi aliquatum auium effoſſi, & rupti reparentur. Ad ſecundum reſpondet euacuari humoralem partem ſeminis inſenſibiliter, & de Hippoc. dicit Ariſtotelem probaſſe cōtrarium ſcilicet in illis veſiculis fœtus reperiri ſanguinem menſtruum coagulatum non ſemen; & dolore dicit non fieri dolorem, quia ea materia naturalis? & blanda eſt. Ego vero aduerſus Auer. pro Galen. & Medicis dico, primo ſemen eſſe inſtrumentum formatricis facultatis: ſed duplex eſt inſtrumentum; quo, & in quo: ſemen eſt inſtrumentum non tantum, quo verumetiam in quo reſidet vis formatrix: iam vero quod inſtrumentum, quo non remaneat in parte conſtituta veriſſimum quidem eſt: ſed quod inſtrumentum, in quo, id eſt, ſubiectū vis formatricis, non remaneat, minime verum eſt, imo ab omni philoſophia alienū eſt: daretur enim trāſitus formalis è ſubiecto in ſubiectum: nam relinqueret facultas ſemen, quod eſt proprium ſubiectum, & tranſiret in ſanguinem menſtruum: ad hæc ſpiritus non poteſt dare appellationem ſeminariis partibus, quę ſolidæ ſunt, & propterea conſtitutæ & factæ non ex ſpiritu, ſed ex humoroſa ſubſtantia: & quod ait de aue eſt verū: ſed contingit id, quia natura facit ibi oculos duplices, veluti dētes, vt prioribus conſumptis ſuccedant alteri: & de teſtimonio Ariſt. Deus ſcit. De dolore vero cum fiat à ſolutione continui, æque poteſt fieri à materia naturali, modo excedat in quantitate.

Capvt XVI.

De modo, & ordine quem ſeruat natura in formando fœtu.

Modo ſequitur vt de formatione fœtus agamus: ſicut enim pro conficiendo pane primū fit paſta, deinde formatur in proprios panes, haud ſecus ad perficiendam hanc diuinam hominis fabricam primum fit conceptus, deinde formatio, & quamuis formatio ſit tempore poſterior conceptu, nihilominus præſtantia antecedit conceptum. Itaque concluſa iam, & per coctionem quandam calore, & ſpiritu coagulata intra membranam vtriuſque ſeminis, & ſanguinis maſſa vniuerſa, primum membrana illa circundans glutinoſior, atque durior fit, ne inter diſtendendum rumpatur, atque ita conceptus perdatur: etenim vbi iam modice induruit, qua parte nectitur vtero, in tenuem quidem, ſed fortem deſinit; quæ tota Græcis χωρίον, Latinis ſecundina appellatur; & cui poſt implantantur vaſa ab vtero: vt per ea poſſit ali fœtus, ſcilicet per vmbilicum ex iis factum: præter hanc autem, ſcilicet inter ipſam, & fœtum aliæ duæ gignuntur, ſcilicet Allantoides, & Amnium inter quas vrina, ſeu humidum fœtus excrementum colligitur, quo poſtea vtitur natura ſuo tempore ad facilius edendum partum, quemadmodum inter ipſum amnium, & fœtus cutem ſuo tempore colligitur quoque aliud ipſius pueri excrementum blandum tamen, & acrimoniæ expers, ne tenellus exiſtens eo violetur. Vbi maſſa tota conglobata, atque membranis partim euidentibus, partim ineuidentibus eſt circumamicta, tum vtriuſque ſeminis vis formatrix incipit medio caloris circa eam operari, licet imbecillius fœminæ, robuſtius maris vis operetur; quo tempore ſiue vnus, ſiue plures futuri ſint embriones vno & eodem pacto circa vnumquemque operatur; nec refert ſiue conceptus fiat vno, vel duobus diebus aut tardius, aut celerius. Iam vero poſtquam factus eſt conceptus, atque (vt dicebam) tunicis circumdatus, vis formatrix illum efformare, atque figurare incipit caloris genitalis, atque ſpiritus miniſterio vtens: & Ariſtoteles ſecundo de gen. anim. quarto, hac in re Diuinus ſcribit naturam in formando fœtu nil aliud facere, niſi quod faciunt pictores, qui primū delineant figuras, deinde inducunt pro-

prios colores, & propriam figuram: haud secus natura, seu vis formatrix primo totam illam massam delineat, deinde apponit proprios colores, & proprias carnes; & ita vnamquamque partem ad propriam figuram redigit: & sicuti instrumentum, quo vtuntur pictores duplex est, id quod est in idea pictoris, & penicillus; haud secus vis formatrix vtitur arte, & prudentia, quæ numquid sit res naturalis, nec ne dubitat Galenus, qui cum videret tam mirabile artificium in fabricando corpore humano, dubitauit esse quid diuinum correspondens ideæ pictornm, aliud antem instrumentum quo vtitur natura est calor, vt retro dixi. Neque dubitandum est etiam frigus aliquo pacto concurrere ad hanc hominis fabricam: vtitur enim natura ad coquendum calido: frigido autem moderato ad congelandum, quia sunt multæ partes in nostro corpore, quæ non modo coctione, verumetiam congelatione perficiuntur, cuiusmodi sunt ossa, cartilagines, & huiusmodi; imo vero sunt multæ partes, quæ non perficiuntur nisi post exitum ex vtero, propterea quod egent congelatione, quæ fit ab aere. Quod autem spectet ad ordinem quem seruat natura in generandis partibus corporis nostri, non satis constat apud veteres. Stoici vt testatur Galen. in hist. Philosoph. crediderunt nullum ordinem seruare naturam, sed simul & semel omnes partes conformari. Huic sententiæ videtur famulati Auctor libri de carnibus nomine Hippocratis editus, qui scribit, quod si genitura sex & septem dierum incidatur, statim apparent omnia membra, non modo delineata, verumetiam formata, quasi veto pauco illo tempore vniuersum corpus formetur. Verum vt libere dicam, hæc opinio non videtur veritati consona: quoniam id compertissimum est apud omnes in generatione omnium animalium, partes superiores prius generari inferioribus: & si pulli conspiciantur secunda vel tertia die, in iis apparent partes aliis priores generatæ. Vt autem hæc res diligentius disputari possit sunt nonnulla supponenda, ex quibus tanquam ex fundamento tota hæc fabrica exstruitur: primum itaque est, semen, & menstruum, non esse vnius generis, id est, non partes homogeneas, sed heterogeneas, habere, quia aliæ sunt terrestres, aliæ fluidæ, & vt dicebat Auetro. secundo de gen. anim. quarto, aliæ sunt nobiliores, aliæ ignobiliores. Alterum supponendum est à Veteribus variis modis diuisas fuisse corporis nostri partes: Hippocrates libro de alimen. enim eas diuisit in contenta continentia, & impetum facientia. Alii in partes extimas & intimas: alii vero in organicas, & similares. Tertium est, partes nobiliores, ex nobiliori materia: ignobiliores ex ignobiliori; molles vt cor, lien, cerebrum, & huiusmodi ex materia molli, & fluida: crassas ac terrestres ex parte crassiori, & terrestriori. His constitutis insurgit dubitatio vtræ partes prius gignantur an contentæ, an continentes: seu molles, an siccæ. Sed prius quam in hanc disputationem ingrediamur, eximendus est quidam scrupulus: quia dixi cor numerari inter partes molles: videtur enim hoc auersari Hippocr. quarto de morb. qui scribit cor ex dura & solida materia esse constitutum, vt & motu irrequieto tutius moueri posset: & cum sit principium vitæ, ne facile à quibuslibet caussis offendatur: vnde cor paucissimis tentatur morbis, quemadmodū inquit Arist. hinc etiam est, ꝙ cor postremū omnium moriatur. Ex altera parte, si primum constituuntur partes ex molli, & fluida materia, atque ipsum cor est ex iis, quæ primo constituuntur, vt mox dicemus, non videtur ex terrestriori materia conflari posse: nam quod apud Plin. libro II. cap. 37. dicebant Pythagorici cor primo ortu pendere drachmā vnam, atque tantundem augeri vsque ad quinquagesimū annum, à quo post modum similiter annis singulis decrescat drachma vna: propterea vita hominis non excedat centesimum annnm, certe merum somnium est eorum Philosophorum, qui sæpe talia dixerunt. Respondendum est, cor esse partem mollem, & duram: est molis pars, si ossibus, neruis, & cartilaginibus comparetur: est autem dura, si cæteris partibus mollioribus comparetur. Videamus modo vtræ partes prius generentur, an molles, an siccæ: primum enim videtur debere naturam partes solidas formare: quia locus semper debet esse prior locato. Accedit etiam, quod vt optime dicit

me dicit Aristot. secundo de gener. anim. quarto, partes duræ sunt veluti fundamenta, supra quæ natura partes corporis ædificat. Ex altera parte videntur partes contentæ esse prius genitæ, tum quia fiunt ex materia molli: iam vero natura facit semper prius ea, quæ faciliora sunt factu, cuiusmodi sunt partes molles ob flexibilitatem: tum etiam quia partes molles sunt organicæ, quibus natura vtitur ad fabricandum corpus: iam vero Artifex primum sibi parat instrumenta quibus operari possit. Pro resolutione dicendum est naturam in fabrica corporis non tantum attendere materiæ dispositionem: sed vsum præcipuum, & necessitatem: quia quęcunque partes sunt magis necessariæ: opus etiam est, vt prius à natura fabricentur: vnde primo vestitur conceptus membranis illis, vt retro dixi, deinde necesse est omnino, vt fiant instrumenta, quibus aliæ partes fabricari possint.

CAPVT XVII.

Quænam inter partes organicas prius gignantur, examinentur Veterum sententiæ.

CEterum non minor disputatio oritur quoad partes organicas, quænam prius gignantur. Alcmeon Crotoniades, & Hippon medicus antiquissimus existimarunt fieri caput, forsan ducti ea ratione, quod caput videatur esse præcipuum membrum nostri corporis. Empedocles lib. nat. die. vt narrat Censorinus, quem postea secutus est Hippoc. existimauit iecur primum omnium generari: & Hippocrat. duabus rationibus sententiam suam confirmat: prima est, quia iecur est veluti radix, à qua alimentum toti corpori suppeditatur, & sicuti radix in plantis primo formatur, vt inde ceteris partibus formandis, atq; augendis materia, & nutrimentum suggeratur: sic quoque in faciendo animali natura facere debet. Alia ratio, qua vsus fuit Hippocrates in lib. de nat. pu. est à sensu sumpta: quia narrans historiam illius famulæ saltatricis, quæ eiecerat fœtum septem dierum dixit massam illam apparuisse veluti ouum obductum sua membrana, in qua parte conspiciebatur veluti gutta quædam sanguinis, quæ nil aliud erat nisi Iecur: Imò vero experiētia in pullis, & aliis animalibus id licet obscurum demonstrare videtur. Ex altera parte fuit Aristot. Albert. Magnus, & alii Peripatetici, qui existimauerunt cor esse primum genitum: & Aristot. vsus est maxima ratione; quæ est, quod cum cor sit domicilium caloris (vnde Pithagoras solebat appellare cor focum, siue Διὸς ἑστίαν) & cum calor sit primum instrumentum, quo vtitur natura ad fabricādas omnes partes corporis, eapropter & iecur ad sanguinis generationem eget calore cordis: vnde videtur cor primum generari debere, vt possit contribuere calorem iecori, & cæteris partibus. Galen. libro de fœt. format. lib. de sem. qui vidit hanc rem difficilem duas habuit sententias: nam existimauit iecur primum generari: sed alibi, quasi sese corrigens maluit fieri ipsum simul cum corde, quibus à matre per vmbilicum spiritus, & sanguis ad alendum non affatim, seu paulatim à roto martis corpore suggeritur, vnde fit etiam, vt licet prægnanti menstrua deficiant non lædatur, quoniam iugiter ad alendum cōceptum infunditur, vt diserte docet Hippoc. in libro de nat. pu. Ego autem sicut puro handquaquam cuncta simul absolui, vt crediderunt Stoici: pari pacto existimo viscera illa principalia, vt cor, iecur, & cerebrum fere simul produci; nec vllum temporis estatu dignum interuallum poni, quod sc. hæc sint membra principalia, atque trium facultatum à quibus vniuersum corpus gubernatur domicilia; & quod vnumquodq; ipsorum alterius ministerio tam ad esse, quàm ad operari egeat. Et certe si ex illis tribus principiis vnum prius aliis generari statuendum est, iecur cum Empedocle, & Hippocr. potius, quam vllum aliud rale esse putarem ob rationes prædictas. Sed vt dicebam, tantā est cordis, atq; iocinoris in humano corpore gignendo, ac sustentando potestas, vt existimem si non simul gignanrur, modico saltem, ac vix sensibili interuallo vnum post alterum fieri, quod sicut absq; sanguine cor nequit cōsistere, ita iecur sine calore à corde in cunctas partes corriuante, minime viuere potest: dixi autem simul cū iecore & corde fieri

de fieri cerebrum, quia cum cor sit calidissimum egebat aliquo, quod in gentem illius caliditatem attemperaret, cuiusmodi est cerebrum. Fabricatis itaq; corde, iocinore, & cerebro: altero pro vita communicanda, altero pro alimento, tertio pro attemperando cordis calore, incipiunt deinde paulatim ceteræ partes cõformari, & par est arbitrari, eas quæ plus referunt vt dixi, & faciliores sunt formatu primum effingi, cuiusmodi habetur lien, stomachus intestina, atq; alia interiora vocata. Post hæc aggreditur natura partes solidas, & continentes formare: in quibus generandis, cum materia terrestris, & ignobilis sit, tractatur, tum calore, tum frigore, seu tepore, vt habemus ab Hippoc. primo in lib. de principiis, enim natura materiam hanc terrestrem eliquat, deinde coquit, tandem beneficio teporis, seu frigidi moderati indurat, & congelat. Inter has autem partes prius efformantur continentes viscera iam fabricata, f. Thorax, & Craneum; & cum ossa eo fine sint à natura ex cogitata, vt sint veluti sustentamenta, quasiq; columnæ quædam carnium, neruorum, chartilaginum, aliarumq; partium, quæ molliores cum sint minime se ipsas sustinere queunt ipsa prius illis æquum est conformari, quemadmodum fundamenta, & columnæ prius ponuntur, quam ea, quæ ab illis sustentari debent: inter ossa autem credendum est primum fieri spinam, cum sit quasi quædam carina, cui natura alia ossa addit: quod si quis quærat, quonam pacto natura cauitates, & in ossibus & neruis venis, & arteriis faciat: dicendum est hoc facere flatu, & spiritu, non secus ac vitrarii efficiunt: nam cum duplex sit naturæ instrumentum, calor & spiritus vtitur calore ad eliquandum, coquendum, & congelandum vtretro dixi; spiritu vero ad cauitates faciendas. Post ossa vero instrumenta actionum animalium fiunt, quia sicut homo (vt ait Aristot.) prius viuit plantæ vita, deinde animalis, sic rationi consentaneum est primum naturalia instrumenta, tum animalia fieri, quæ cuncta, vt ex frigido, & calido, nec nõ ex humido pingui, & glutinoso variis modis condensatione, coagulatione, congelatione, & coctione fiant, atque formentur copiose docuit Hippocrates libro de principiis, quem non περὶ ἀρχῶν, sed περὶ σαρκῶν inscriptum habemus, ex quibus omnibus patet falsam esse Hipponis sententiam, qui apud Plutarchum, siue Galenum libro de plac. Philos. dixit fœminas quidem emittere quoque genituram, sed inefficacem, quod extra vterum cadat, & ob id carnes à fœminino, ossa vero à masculino semine proficisci. Cæterum de vnguibus, & capillis, quos interdum fieri in fœtibus tradit Plinius posset ambigi; & primum de pilis certum est cilia, & supercilia nasci intra vterum: sed de aliis nunquid nasci queant dubium est, quoniam & si omnes confirmant pilos fieri ex glutinosis, & continuatis vaporibus exeuntibus, & ab aere induratis, qui si recta exeant, rectos si vero oblique flexuosos, & crispos faciunt pilos: nihilominus placuit aliquibus ob insignem cutis mollitiem in vtero minime posse densari illos vapores, & in cute mollissima firmari; contra quos experientia monstrat densitatem posse cum mollitie stare, vt in mulieribus contingit. Sed de iis, quæ raro contingunt non potest afferri certa ratio. Porro de vnguib. quomodo fiant intra vterum non ita sibi constans videtur Hippocrates, nec eadem est aliorum sententia. Aliqui namque putarunt neruos ac tendines manuum simul in fine coire, tandemque vnitos, & coalitos vngues producere. Inter hos autem fuit Tertullianus in libro de anima, qui vocauit vngues, non exordia, vt ibi legitur, sed exodia neruorum, vt ipse puto legendum : quam tamen sententiam ex eo falsam esse comprehenditur, quod tendines, & nerui sentiant vngues minime: & Hippoc. in lib. de nat. pu. videtur potius sensisse vngues fieri ex excrementis solidarum partium, neruorum, ac tendinum digitorum, propterea quod ossa ipsorum medullis carere, quæ consummantur in generandis vnguibus, & si aliter alibi videatur diffiniuisse. (in lib. de carnibus.) Iam vero vbi totum formationis opus est absolutum, oportet vt aliquo adhuc temporis interuallo permaneat, quo non tantum vniuscuiusque membri forma, & figura absoluatur, verumetiam vt Hippocr. ait illa in tepenti, & calido loco maiorem soliditatem firmitatemque acquirant,

quirant, sicut enim panis in furno coctus, si diu in eo detineatur post cocturam siccior (vt probat Aristot. in problem. sect. 21.) euadit, quam si statim atque coctus est eximatur: pariter & fœtus in vtero post perfectionem aliquo tempore morari debet vt valeat solidior, atque firmior foras peruenire. Atque hæc de natura, & modo formationis.

CAPVT XVIII.

Quo tempore fiat, & absoluatur fœtus efformatio.

CETERVM quando dierum interuallo fiat integra fœtus effotmatio, quantoque tempore ita absoluatur, & confirmetur, vt sibi liceat incolumis, & viuendo idoneus vtero exire mox dicendum est. Quod enim spectat ad rotius confirmationis absolutionem putauit Hippocrates, atque experientia confirmat non vno eodemque tempore, & marem, & fœminam perfecte formari; imo nec vtriusque sexus, ita præfinitum haberi terminum, quin interdum plus, minusve temporis, in hoc opere absoluendo insumatur. Nam tunc dicitur perfecte formatus conceptus, cum partes atque instrumenta debitum numerum, situm figuram, & magnitudinem adepta sunt, alioquin si in aliquo erretur vitiosum ac morbosum esse, fœtum putatur. Hoc autem vario tempore tum in fœmineo tum in masculino sexu fieri non est dubitandum prout. scilicet vterus calidior, frigidiorve est: nec non materia plus, minusve parata; sed haudquaquam vlla est certa ratio, quam sequentes possimus certiores fieri, vt dicit Aristotel. septimo de histo. anim. tertio, quando hæc formatio sit consummata: & Hippocrates libro de nat. qui primus omnium de hoc arcano fuit locutus, videtur varius extitisse, quippe qui dixit fœminam 42. diebus plus, minusve efformari, marem vero 30. ob quod quoque eam, quæ peperit fœminam 40. & quæ marem 30. diebus purgari; licet etiam si minus prædictis diebus purgetur, handquaquam læditur. At aliam rationem est alibi secutus, sicut Galen. & Auicen. libro de alim. nempe formari fœtum 30. aut 35. aut 40. diebus, duplo moueri, & triplo motus perfici: neque valet quod putant aliqui hoc tempus incurrere in sextum mensem, non in septimum: quoniam id intelligitur quidem de perfectione, sed non tanta, vt possit statim in lucem vitalis prodire, nec aliis diebus egeat, quo magis confirmetur: quamquam sum & ipse in sententia cum Horatio Augenio viro eruditissimo mihique dilectissimo, qui nuper de tempore partus præclare admodum scripsit, nempe exactius, & verius Hippo. in lib. de alim. quem sequitur Agellius, nobis tradidisse tempora formationis, motus, atque perfectionis, vbi scripsit quatuor summatim esse tempora, & ordines: quos seruat natura informando, mouendo, & perficiendo fœtu: Sunt autem hi ordines.

Formatio	35.	Motus	70	Perfectio	210
F.	40.	M.	80.	P.	240
F.	45.	M.	90.	P.	270
F.	50.	M.	100.	P.	300

Nec mihi placuit vnquam Aristotelis septimo de hist. anim. tertio, sententia, vbi tria dixit non admodum probanda: vnum est marem primum moueri in dextero latere cir quadragesimam diem, fœminam in sinistram circa nonagesimam: nam est nimis magna differentia, nam etiam si fœmina quæ est mare frigidior, requirat plus temporis in sui generatione, fieri tamen haud potest, vt tantum temporis intersit. Alterum est, quod vult eadem tempore moueri, & formari fœtum in vtero cum antea rudis & informis caruncula esset: hoc etiam falsum est: nam ad motum requiritur robur, id quod in formatione non contingit; robur necessario temporecomparatur: & idcirco Hippocr. hoc intelligens scribit tempus motus esse duplum temporis formationis. Tertium est, quod mas ante quadragesimam diem habeat membra discreta, sed eius magnitudo non excedat formicam maiorem: fœminam vero ante tettium mensem sit penitus indiscreta, sed in quarto distincta, &

cta, & figurata: & miror certe. Hippocrates enim qui vidit fœtum, septem dierum dixit esse ad magnitudinem oui, Aristot. vero nescio quo spiritu, inquit fœtum, in quo singula membra appareant, esse ad magnitudinem formicæ maioris, quod certe etiam in ipsa formicarum generatione vix credibile est. Itaque vt dicebam, certitudo horum ordinum, & dierum minime haberi potest, cum formatio secreta, nec per has regulas, nisi à posteriori cognoscatur, hoc est, ab ipso partu, qui prout in hoc vel illo mense efficitur, sic facta per hos ordines secundum proportionem computatione quoquomodo comprehendi potest ipsius formationis tempus: quod tamen proculdubio variari potest secundum varietatem temperamentorum viri & mulieris: nam Hippocrat. & post ipsum Auicen. libro de nat. pu. dixerunt marem tribus, fœminam quatuor mensibus intra vterum moueri: subiunguntautem haud hanc esse regulam æternam, sed discrepare, atque interdum aliquos ante id tempus, & post moueri, quo etiam tempore dicunt mammas attolli, lac fieri licet densioribus notæ lactæ lactis tardius, rarioribus autem citius appareant.

Capt XIX.

De caussis similitudinis, & dissimilitudinis specificæ.

IN hac autem formatione duo contemplatione digna occurrunt, quorum illud primum est, vnde nam similitudines partuum cum progenitoribus oriantur, etenim certum est hoc fieri in ipsa conformatione, in qua numerus, situs, magnitudo, & figura partibus cunctis traduntur, & hanc perfectam esse non ex alio dignosci potest: quam ex similitudine: nam non nisi extra vterum id cognosci potest: cum multa fieri possint peccata à natura: ob quod dicebat Aristot. vnumquodque animal facit tale, quale ipsum est: imo vero tantum valet hæc similitudo, vt Aristot. quarto, de gener. ani. ausus sit dicere monstrum esse illum, qui non sit similis progenitoribus: vnde dicebat etiam Hesiodus semper parentes generare filios similes, & vt hæc obiter dicam, Arist. secundo Polit. 2. & Pomponius Mela scribunt esse quosdam populos, & inter ceteros Gammatas, qui habent vxores communes, & vnusquisq; ob similitudinem filium suum cognoscit. De Iulia filia Augusti, quæ erat nupta Agrippæ, narrant habuisse multos adulteros: & tamen omnes filii, quos gignebat marito similes fuisse: interrogatam autem, quomodo hoc fieret; respondere cõsueuisse. (Non admitto vectorem, nisi plena naue) quasi vero sciret filios esse semper similes parentibus, & certe quando abest hæc similitudo, semper de aliqua re suspicandum est, licet non sit perpetuum. Alterum consideratu dignum est de situ infantis in vtero. Circa primum, quoniam similitudo triplex est secundum speciem, secundum sexum, & secundum indiuiduum, primum de generis similitudine loquar, quæ est vbi ex homine nascitur homo, & quam certum est non aliunde fieri, quam ex ipsius seminis, tam fœminei, quam masculini similitudine, ac pene identitate. Auerro. quarto de gener. anim. tertio, imaginatus est tres esse formas in semine specificam, qua fit homo ex homine masculinitatis, qua fiunt semper masculi, & indiuidualem, qua fit Petrus, vel Paulus: Inquit igitur Auer. similitudinem specificam proficisci à forma specifica, quæ est in semine: quæ sententia posset quidem admitti, si vellet huiusmodi formam reperiri tam in fœminæ, quam in maris semine. Sed aliquam possunt facere difficultatem in genere humano monstra, & in brutis muli, vtque alia complura animalia, quæ ex diuersis animalibus nascuntur, vt ferunt de Africa, in qua cum propter inopiam aquæ ad eam confluant, vbi reperitur, varia animalium genera, fit vt ex iis sese miscentibus variæ animalium formæ gignantur: vnde prouerbio locus est factus, semper Africam aliquid noui afferri: Ad quæ omnia dicendum est monstra cuncta, & præsertim animalia diuersa, quæ referuntur ex mulieribus nata, non esse opera naturæ, neque seminalis materiæ integræ, sed vitiatæ, ob quam frustrato ipsiusmet naturæ studio, aliud subortum est, quam ab ea intendebatur, id quod

id quod etiam de mola dici debet, de qua locuti sumus alias copiose in lib. de mor. mul. Et si quæ potest assignari ratio huius euentus, certe nulla est, nisi vis ingens imaginationis quemadmodum dicit luculentissime Auic. & Aristot. decima probl. 12. quærens cur in genere brutorum non conspiciantur tot monstra, quot in genere humano, inquit esse, quod homo in coitu est animo admodum vago: bruta autem semper tota sunt in venere. De mulis, ceterisque animalibus ex diuersis speciebus ortis necesse est, vt alterum duorum dicamus, vel quod sint semina secundum sui naturam similia, licet in specie dissimilia appareant: vel si dicere malumus semina esse contraria, dicendum est contrarietatem istam reduci ad sympathiam quandam, propter quam fiant postea media animalia: non secus atq; vbi vir calidissimus coniungatur cum frigida muliere fit conceptus, & hinc patet error Aristotelis & ceterorum Philosophorum qui fœminæ negarunt semen: si enim à mare duntaxat proflueret, deberent semper filii esse similes patribus, quod tamen non contingit, vt de mulis patet, circa quorum sterilitatem variæ extiterūt veterum opiniones, vt est apud Galen. in hist. philos. sed de hac re non est locus disserendi, cum ab Aristot. secundo de gen. c. vlt. satis copiose deliberatum sit.

CAPVT XX.

De caussis similitudinis, & dissimilitudinis secundum sexum.

PORRO de caussis similitudinis, & dissimilitudinis sexus non minor fuit dissensio inter antiquos. Empedocles enim dixit mares à calore fœminas à frigore fieri; & propterea primos ad plagam orientalem, atq; meridionalem fuisse prognatos. Parmenides contra dixit fœminas in partibus meridionalibus ob raritatem magis oriri in septentrionalib. mares ob adstrictionē. Alii (vt est apud Plutarch.) putarūt mares ex semine à dextero testiculo, fœminas sinistri, & hæc opinio tantum valuit apud multos, vt inter præcepta eorum qui rustica docent, hoc tradant, vt quando volumus gigni agnos mares ligemus testiculum sinistrum, quando fœminas, dexterum tempore coitus. Auerr. tribuit caussam huius rei formæ illi masculinitatis, quasi vero fiant mares, quia forma masculinitatis operatur, nullo impediente; fiant autem fœminæ, quia forma illa secundum sui naturam non operatur, & propterea vult Auerro. cum magistro suo Aristot. fœminas esse puros errores. Et certe mirari satis non possum, quomodo Philophi adeo eximii voluerint tribuere id errori naturæ, quod est frequentissimum: præterquam quod si verum est naturam non posse facere marem sine fœmina, necesse est, vt ambos æque intendat. Hipponax aliam sententiam secutus est, quemadmodum est Hippoc. lib. de gen. & de nat. pu. qui disertissime hac de re tractans tria consideratu digna scripsit: vnum est in animalibus brutis vteros habere sinus plurimos, in mulieribus vero duos. Alterum in semine mulieris quemadmodum, & viri esse facultatem tam fœminæ, quam maris genitricem, seu vt ipse loquitur tum ἀρρενήγενην, tum θηλύγενην: verum in muliebri semine præualere vim fœminam, in virili masculorum effectricem; ad hoc autem probandum vtebatur hoc argumento ex euidentibus à quocunq; confirmatis sumpto, nempe mulieres quandoque cum suis maritis fœmellas tantum peperisse, quæ illis mortuis, & aliis coniugatæ mares solum conceperunt; sicut ex altera parte viri cum diuersis mulieribus consuetudinem habentes modo solos masculos modo solas fœminas genuerunt, quæ sane ratio plane conuincit tam in viro, quam in muliere, & masculum, & fœmineum semen contineri, siquidem in iis, quæ solas fœminas gignunt, quod ex semine valentius est imbecillioris copia obruitur, & fit fœmina, quemadmodum fit masculus, vbi imbecillius à fortiori superatur. Tertium quod dicit Hippoc. est non semper à mare secedere semen valentius, neque semper imbecillius à fœmina, sed varie atque aliud alias emitti: vnde minime oportet mirari, si alias iidem mares & fœminas, & masculos, necnon eædem fœminæ modo masculos, modo fœmellas progignunt: & quamquam hæ

caussę potissimum assignentur ab Hippocrate negari tamen non potest, quin quoque aliæ accedant, quoniam vt demonstrat disertissime Galenus aer, somnus & aliæ res non naturales vocatæ cum pro ipsarum varietate non exiguam potentiam habeant permutandi temperamenta, consequenter vim habent producendi interdum mares, interdum fœminas: & præ ceteris id habent cibus, & potus, vt Hippocrat. secundo de diæta. ait, & Aristot. quarto de gener. anim. secundo, inquit, aquæ frigidæ potum, necnon ciborum frigidorum vsum magnam vim habere ad fœminas generandas, quemadmodum vsus ciborum calidorum, ad masculos gignendos: cum enim ex cibo & potu sanguis, & ex sanguine semen gignatur, qualis erit cibus, & potus, talis sanguis, & qualis sanguis, tale erit semen. Quod si quis quęrat an fieri possit, vt fœtus habeat vtrumque sexum. Scio à nonnullis relatum fuisse hoc quandoque visum esse: scio etiam relatum esse fœminam quandam fuisse, quæ euasit vir circa decimum quartum annum: imo Hippocrat. septimo Epidem. narrat quandam mulierem, cuius vir diu absuerat, emisisse barbam, & virum factam esse: neque hoc videtur esse præter rationem: nam cum & mas, & fœmina semen emittant, fieri potest, vt aliquando semina vtraque æqualiter dominentur, vnde fiat conceptus, qui vtrunque sexum habeat. Sed nugæ sunt, & primum quoad Hippocratem, non dicit Hippocrates mulierem illam factam esse virum, sicut putauit Andreas Matthiolus; sed quod emisit barbam, propter menstrua retenta, & viri effigiem habuit. Quod autem dicunt alii difficile adducor, vt credam, quandoquidem non videtur posse pati natura huiusmodi monstrum, cum proprium viri sit habere genitalia extra: fœminæ vero intra. Quod si nulla est ratio, qua possimus tueri hunc euentum est, quod illa membra genitalia, quæ extra debebant esse sint paulisper intro retenta, & postmodum aucta extuberarint, vnde visa fœmina illa euasisse vir.

Caput XXI.

De caussis similitudinis, & dissimilitudinis indiuidualis.

Sequitur similitudo indiuidualis, hoc est, illa, quæ secundum situm, magnitudinem, numerum, figuram, aliasq; accidentales conditiones consideratur, quam priusquam aggrediamur duo operæpretium est scire, vnum est, quod scribit Hippocrat. lib. de gen. & nat. pu. nullum esse filium vsque adeo patri similem, quin aliquam etiam habeat dissimilitudinem, similiter nullum esse filium vsque adeo patri dissimilem, quin aliquam quoq; habeat similitudinem. Alterum est, similitudinem habere quidem aliquas caussas naturales, sed etiam vsu sæpe venire vt fiat casu, & fortuna, & habemus exemplum illud de gemellis, qui venditi fuerunt Marco Antonio, cum tamen non vere gemelli essent: sed de hac re non est locus hic vt agamus, est enim agendum de caussis propter quas filii similes & dissimiles patribus sint, quæ similitudo interdum est secundum vnam tantum partem, interdum secundum aliquot, interdum secundum omnes: de primo habemus exemplum ab Hippocrat. libro de aer. aq. lo. vbi dicit Macrocephalos fieri ex iis, qui habent caput magnum, quales etiam Lentuli Cicerones, & alii apud Romanos extiterunt. De altero habemus exemplum apud Chinenses, qui naso, oculis, fronte, & barba patribus simillimi sunt. De tertio dicuntur esse similes patribus secundum omnes partes illi, qui & secundum figuram & magnitudinem, & alia prædicta patribus assimilantur. Iam vero de huius similitudinis caussis, vt est apud Galen. variæ pariter extiterunt veterum opiniones: nam Empedocles putauit fieri similitudines in filiis ad parentes ob vigorem ipsius geniturę, fieri autem dissimilitudinem seminis calore, & vi exhalantibus. Parmenides existimauit assimilari fœtum patri, cum semẽ à dextero testiculo eiaculatur, matri cum à sinistro. Auer. quarto de gen. an. tertio sequens Aristot. dixit, quod quotiescunq; forma masculinitatis mouet menstruũ: si valde moueat, fiunt non modo mares verumetiam similes patribus: quod si debilites

debiliter moueat fiunt quidem mares ſed patribus diſſimiles. Sed ſi iſta diſſimilitudo fit propter ceſſationē operationes formæ maſculinitatis, ergo haberet cauſſam firmam, quod tamen eſt falſum, quia ea, quæ fiunt per accidens (cuiuſmodi ait Auerr. eſſe fœminas, & eos qui matribus aſſimulantur) nullam habent cauſſam certam. Stoici, qui crediderunt non modo ſemen genitale à toto corpore, ſed etiam ab anima effundi, ſicque formas, & figuras vnicuiuſq; partis conceptibus affingi; ſimiliter dixerunt fœtus aſſimilari matribus, quando vis ſeminis fœminica ſuperat: veluti vbi vincit facultas maſculorum effectrix patris ſimilitudinem gerunt. Non longe à Stoicorum opinione receſſit Hippocrates libro de genit. qui ſcripſit prodire ſemen viro, & mulieri à toto corpore; atque ab imbecillis quidem partibus imbecillum, à validis validum, vnde talem oriri ſobolem conſonat, quales ſunt partes ſingulæ, à quibus ſemen decidit, vt propterea veriſſimum appareat, quod omnes medici fatentur, morbos aliquos hæreditarios fieri ſcilicet Epilepſiam, Melancholiam, Nephritidem, atque alios, de quibus ſermonem facit Hippocrates, ſecundo Prorrher. & ob quos ſcribit Plutarch. libro de ſera numinis vindicta, conſueuiſſe veteres poſt mortem eorum, qui talibus morbis extincti fuiſſent filios ipſorum tradere ſtatim curandos Medicis, quaſi talium morborum hæredes. Addit Hippocr. quod ſi ex viro ſeminis plus, patri ſimilior natus redditur, ſin plus ex fœmina, maiorem natus cum matre ſimilitudinem gerit; neque fieri poſſe vt quiſquam natus nullam prorſus cum altero parentum ſimilitudinem habeat, aut vt quam ſimillimus ſit alteri abſque vlla pœnitus alterius ſimilitudine, quemadmodum vter ipſorum plus ſeminis, & ex pluribus corporis partibus ad conceptionem contulerit, illi fœtus magis, & ſecundum plures partes aſſimilabitur, arq; hinc fit, vt ſæpe fœmina nata maiorem cum matre, & filius cum patre habeat ſimilitudinem, & Ariſtot. 10, Problem. 12. quærens, cur proles ceterorum animalium magis, quam hominis ſuis parentibus ſimilis naſcitur: reſpondet hominem vago & vario eſſe animo in coitu, cetera animalia aut certe plurima tantum ſibi intendere, totaque ſeſe veneri dare.

Caput XXII.

Cur aliquando liberi graciles, & infirmi oriantur à parentibus craſſis, & robuſtis.

VERUM hoc in loco tria occurrunt animaduerſione digna, vnum eſt cur ſi prædicta ſunt vera, accidit tamen non rare, vt liberi tenues, & infirmi à patre, & matre craſſis, robuſtiſque oriantur, & contra. Alterum eſt, ſi ex toto corpore, & omni humore ſecedit ſemen, ſicuti placuit Hippocr. quomodo fit, vt ex mancis, & mutilis naſcantur integri arq; liberi, & contra fit, vt ex parente, vel parentib. morboſis naſcantur morboſi filii: quemadmodum ex ſententia Hippoc. diximus. Tertium eſt, cur ſi mater aliquid vehemeter exoptet dum concipit, filii nati effingantur ea re, quam exoptat mater. Ad quæ reſpondere conuenit, vel illud fieri prius ante ſuſceptis liberis ſennioribus, & infirmioribus, aut contra, vel ſimiliter omnibus, & parentibus, & filiis ſimiliter ortis; ſi primo modo eueniat, ſcilicet, vt naſcantur imbecillis parentibus: alioquin inculpata ſanitate fruentibus fœtum in vtero laboraſſe neceſſe ob alimenti defectum, quod hiante forſan vtero foras deciderit: Sin ſecundo modo neceſſe eſt, vt illud contingat anguſtiæ vteri nimiæ vitio, quoniam ſi ſpatium, in quo nutritur fœtus, debitum deſit, plane oportet fœtum carentem iuſto loco tenuem fieri, imò vero ſunt aliquæ mulieres, quæ nunquam parere poſſunt ob anguſtiam vteri: & ego vnam cognoui, quæ nunquam partum ad perfectionem dncere poterat, ſed quinto vel ſexto menſe abortiebat, & fœtus erat gracilis; veluti ſi fœtus nihil laborans amplum locum nanciſcatur magnus & robuſtus oritur filius ex magnis, & robuſtis parentibus, perinde ac ſi quis ceram mollem dum defloreſcit in aliquod vas immittat pro illius amplitudine, vel anguſtia,

aut maior aut minor euadit: quod si natus aliquam partem contortam, vel mutilam gestet in lucem, id contingit ob aliquam collisionem, seu percussionem, aut compressionem, quam ea in parte mater & fœtus sint perpessi, vt membranis importune disruptis imperfectus exit, fitque abortus. Possunt quoque partus mutili, & deprauati fieri ob angustiam vteri, aut aliquam ipsius asperitatem, vel inæqualitatem, vt enim arbores tortuosi, ac deprauati è terra erumpunt, si inter nascendum, vel non habeant spatium amplum, vel in lapidem, aut quippiam aliud asperum, & inæquale impingant, sic accidit fœtui cum in loco angusto, aut aliqua duritie affecto concipitur.

CAPVT XXIII.

Quomodo ex parentibus mancis, & mutilis gigni possint liberi integri, & cur fiant stigmata illa in corporibus fœtuum, quæ vulgo Voglie, *appellantur.*

CEterum de altero dicere oportet, etsi manci & mutili sint parentes quod ad vsum, & operationes, integri tamen sunt quod ad potentiam, atque internas partes, & humores, à quibus secedit semen: habet enim vnaquæque pars seminis in potentia totum fœtum, & omnem ipsius partem: nam ex ramis arborum humi defixis nascitur arbor. Contra autem vbi est intus aliquis morbus, vel defectus in potentia necesse est à partibus & humoribus morbidis tale quoq; semen secernatur, quod postmodum finguntur fœtus prout ipsum tale est. Aristot. decimo Problem. 40. quærens rationem, propter quam in genere humano fiant plures claudi, quam in brutis, dicebat esse, quod crura brutorum sunt admodum neruacea, & ossea, & per consequens admodum robusta: crura autem hominum non sunt adeo robusta, & ideo faciliter variantur. Ad tertium & postremum Auicen. in lib. de animal. scribit tantam esse vim imaginationis, vt non modo moueat corpus, in quo est imaginatio, verum etiam quod mirum admodum est, corpus aliquod externum. Id quod videmus in fascinatis: si igitur imaginatio corpus externum mouere potest, multo magis credendum est ipsam posse mouere corpus internum, sicuti est fœtus: sic enim verum est ex picturis in congressu à parentibus visis similes illis in corporibus fœtuum figuras formari, sicut fertur olim consuluisse Hippocratem, atq; honestę cuiusdam mulieris famam esse tutatum, quę Æthiopem pepererat, quod in cubili vbi cum viro consuetudinem habebat, eius effigiem haberet, cuiusmodi quoque certum est pauones, aliaq; animalia consimilia sępe produci albo, alioue colore, prout tes eiusdem coloris assidue intuentur. Atq; hæc de formatione secundum figuram, magnitudinem & numerum.

CAPVT XXIV.

De situ vniuersi corporis fœtus in vtero.

SEquitur modo vt de situ agamus, qui cum sit vel partium fœtus inter se, vel totius in vtero, quoniam ille comprehenditur sub iis, de quibus in vniuersum tractauimus, satis erit situm alterum hoc in loco tractate. Nam Hippocrates in lib. de nat. pu. quem Aristot. Plinius, Galen. Auicen. atque alii sunt secuti, docuit puerum tam masculum, quam fœminam sic locari, vt inflexi, & quasi conglobati maneant, non autem protensi, quemadmodum cetera bruta: ea vero est flexuræ figura, vt pedibus nares, & manibus genua tangantur, ipsique insuper oculi manuum pollicibus incumbant: illud tamen discriminis mas, & fœmina habent, quod ille antica sui parte matris abdomen, postica dorsum respicit, contra quam in fœmina, quæ anteriore parte dorsum spectat, posteriore abdomen: nam & cadauera fœminarum prona in aquis, masculorum supina fluitare scripsit Plinius. Verum hoc in loco quærere oportet, cur natura factum sit, vt homines & aues conglo-

conglobati, quadrupedes vero extensi maneant. Præterea dubitare licet circa huiusmodi figuram: quia & Galen. primo de mot. musc. & Aristot. in Mechanicis, & in problem. dicunt mediam figuram esse omnium maxime iucundam, ceteras autem molestas: iam vero figura conglobata non est media, non enim in flexura facit angulos rectos, cuiusmodi debere esse mediam figuram scribit Aristot. loco citato, sed potius acutissimos, quippe qui solent esse molestissimi. Ad primum dicere oportet naturam hoc fecisse maximo consilio, & quoad quadrupes: hoc genus animalium necessario cogebatur statim post exitum ab vtero sibiipsi quærere victum: iam vero si crura quadrupedum in vtero inflexa mansissent, nō potuissent statim ambulare. Aues vero quæ à parentibus nutriuntur donec sint aptæ volatui non hoc egebant, vnde inflexæ in vtero factæ fuerunt: homini autem, qui consilio alieno subditus esse debebat, & cui statim victus quærendus haud erat, natura non curauit hanc tribuere commoditatem: sed loco eius inuenit figuram, quæ & filio & matri iucunda esset, cuiusmodi est figura conglobata, quia nulla alia figura commodior est ad gestandum. Quoad secundum verissimum quidem est, quod & Galenus & Aristoteles scribunt, figuram mediam esse omnium iucundissimam: at hoc verum est in corporibus extra vterum iam consolidatis: quia ista non possunt sine molestia flecti: iam vero infans in vtero est mollis, quasi ceteus, & flexibilis secundum omnem figuram, neque illi vlla molesta est. Et hæc de situ.

CAPVT XXV.

Quo tempore fœtus in vtero moueri incipiat: & quisnam sit iste motus, an naturalis, an animalis.

MODO ad motum accedamus, quem conceptum accipere variis temporibus non est dubitandum. Arist. septimo de hist. anim. tertio, existimauit marem incipere moueri quadragesima die, fœminam vero nonagesima, & certe negari non potest, quin tardius moueatur fœmina quam mas: nihilominus tanta differentia non cognoscitur ab Hippocrate, & eo maxime, quia Aristo. putauit eodem tempore formari, & moueri fœtum, vt retro diximus. Itaque hac in re magis credendum est Hippocr. libro de alim. qui scripsit fœtum semper moueri duplo tempore, quo formatus: statuit autem quinquagesimam diem, postremū tempus formationis, sicuti centesimam, motus. Ceterum circa hoc duo sunt animaduersione digna, vnum est, cur sit quod fœtus non incipit moueri eo tempore, quo absoluta est formatio: Alterum est, cur potissimum duplo tempore formationis, & non alio, est enim existimandum aliqua ratione ductum fuisse Hippoc. ad hoc scribendum. Quoad primum certissimum est aliud esse formationem, aliud motum: & aliud requirere formationē, aliud motum: formatio nil aliud requirit, nisi materiæ obedientiam, & mollitiem ad hoc vt possit fœtum figurare: motus contra, non mollitiem, sed duritiem requirit: propterea q̃ videmus extra vterū corpora quanto sunt molliora, ac tenuiora, tātò difficilius moueri: cum itaq; debeant moueri secundum membra in vtero fœtus, operæpretium est, vt habeant ea solidiora: ad soliditatem requirit tempus. Dicebat enim Arist. panē non statim excipiēdum esse, atq; coctus est, sed tantisper retinendum, vt consolidari possit. Haud secus fœtus in vtero etiam si sit absolutus, non tamen ilico exire debet, verum tantisper retinendus, donec paulo solidior reddatur. Quo ad secundum Hippoc. vt sæpe dixi, in omnibus admirandus fuit, sed præsertim in obseruationib. in quibus non sibiipsi fidebat, sed ab obstetricib. & mulierib. percunctabatur, & ideo existimo ab hoc Hippoc. ex obseruatione potius inuentum fuisse, quā vlla firma ratione: & obseruationibus Hippoc. non minor fides est adhibēda, quam rationibus, imo ipsi naturæ etiam si Hippocr. qui fuit semper in dicendo parcus, scripsit hanc regulam non esse perpetuam, quando quidem mulieres modo citius, modo tardius percipiant motū infantis:

infantis: contingit autem hoc ob variata temperamenta vteri, vel vitæ rationis vteri enim calidissimi citius induraut fœtum, frigidiores vero tardius: ratione vitæ etiam quia (vt scribit Galen. lib. de fœt. forma,) vsu venit, vt quæ mulieres prægnantes vtuntur ficciori victu, eo etiam celerius firmentur corpora infantum, quæ humidiori, & prauo, eo tardius. Illud autem certum est cum incipit fœtus moueri, atque eius motus à prægnante sentiri eum non esse pure naturalem motum, sed animalem quoque, adeo vt contra negantes animal esse, quod in vtero viuit, hæc vna demonstratio efficacissima esse queat, & licet hoc negari non posse videatur. Non tamen defecerunt, qui putarint motum illum haud esse animalem, imo vero neque fœtum dum est in vtero vllo pacto posse animal dici: contra quos libellnm fecit Galen. quod animal sit, quod est in vtero. Qui autem in eam opinionem venerunt, fuerunt in primis Empedocles, & post eum Herophilus, qui non fœtum animatum, nec motu animali motum, sed duntaxat spirantem, atque naturaliter sese mouentem, extra vterum autem statim animal fieri, vbi aerem attrahere incipit. Stoici quoque dixerunt non esse fœtum animal, sed partem ipsius vteri sicuti fructus sunt partes arboris. Ceterum Hippocrates, Plato, Aristot. & Galen. decreuerunt omnino esse animal, quod non modo alatur, verumetiam moueatur, vt animalia, respiretq; ipsius matris respiratione: nam moueri partes spiritales in fœtu intra vterum cognoscitur vbi extrahitur ex matre iam defuncta.

Capvt XXVI.

Vtrum anima rationalis acquiratur ab infante in vtero, an extra quomodo alatur, & respiret fœtus in vtero?

CEterum circa hoc tria occurrunt speculatione digna: vnum est, vtrum anima rationalis in vtero acquiratur ab infante, an extra vterum. Alterum est, quomodo nutriatur. Tertium quomodo, & qua ratione respiret. His etenim constitutis vniuersum motus fœtus negotium absolutum erit, siquidem & rationalis animæ status, vt mox dicetur, atque etiam nutritionis quodam dacto cum motu aliquo fieri videntur. Circa primum igitur ex vna parte non videtur esse anima rationalis in fœtu, quia nullus ibi eius vsus esse potest, imo videtur fœtus tunc temporis pura planta esse. Ex altera parte cum motrix facultas sit veluti germen animę rationalis, videtur consentaneum cum hac quoque reperiri facultatem rationalem. Ad hæc vt dicebat Tertullianus lib. de anima, procurare ne fœtus nascatur non solum habetur pro homicidio, verumetiam pro homicidii properatione. Accedit quod cum anima sit vna, & quemadmodum scribit Aristot. sit actus corporis physici organici, credendum est ipsam ingredi corpus statim ac genita sunt organa. Dicendum est animam rationalem posse accipi pro actu primo, vel pro secundo: si pro primo, proculdubio fœtus, vbi formatus perfecte est, necessario habet animam, quę est actus corporis physici organici potentia vitam habentis: sin autem secundo modo nequaquam animam habet: cum nondum instrumenta sint accommodata, ita vt rationali animæ operanti valeant inseruire. Circa secundum non minus variæ fuerunt antiquorum sententiæ. Democritus enim, & Epicurus crediderunt ali per os, atque in hanc sententiam perducti sunt, quod fœtus statim atque ab vtero exiit sponte, & à nemine edoctus lac è mammillis sugat, etsi mel in os indatur deuoret, vt sit frequenter. Alcmeon Crotoniates primus Anatomiæ inuentor existimauit ali per totum corpus, quod dicebat esse totum spongiosum dum est in vtero, & sicut spogiæ exsugunt, sic & ipsum à venis matris exsugere. Sed hos omnes satis confutauit Galen. qui propterea dicebat statim natum fœtum exsugere mammas, quod sic natura ipsa eum edoceat, quam esse sapientem, & absque vllo doctore doctissimam perhibuit Hippoc. sexto Epidem. Itaque multo rationabilior & ipsi sensui accommodatior sententia est ipsum nutriri per vmbilicum; vt & Stoici & Hippoc. in lib. de nat. pu. monstrarunt, qui dixit obstetrices statim ac exiit

exiit infans ab vtero vmbilicum religare, tanquam haud amplius nutriendo fœtui necessarium, simulq; os ipsius diducere, quo alius alimenti sumendi vsus monstretur: vtrum vero sanguis, quo alitur infans in vtero, mittatur ad ventriculum, seu ad iecur non satis constat. Veruntamen cum intestina fœtus, dum ab vtero exit, reperiantur oppleta quodam atro humore, necesse est vt dicamus etiam per ipsum ventriculum aliquo pacto nutriri fœtum, & idcirco sanguinem partim ad iecur, partim ad ventriculum demitti: & hinc est, quod vltra duas priores membranas, secundinã, & allantoidem natura fecit etiam amnium, ab obstetricibus camisiam appellatam, vt scilicet reciperet excrementa alimenti tum in iecore; tum in ventriculo elaborati; & propterea etiam voluit natura excrementa illa esse blanda, ne ab iis aliqua læsio proficisceretur. Atqui difficultas etiam est & maior quomodo respitet fœtus in vtero: nam & hoc fuit, à veteribus, & à posterioribus diligentissime disceptatum; verum nulla melior est huius problematis resolutio, quam ea, quam tradidit nobis Hippocr. lib. de nat. pu. in initio, quam, vt recte intelligamus, sciendum est, respirationem à natura institutam esse, vt calor cordis refrigeraretur: cũ enim opus esset calorem æterno tempore durare in corde: durare non poterat sine motu: iam vero motus auget calorem, itaque periclitabatur nisi succurrisset natura aliquo refrigeratorio: & cum hoc non posset esse aliquid internum, quia omnia sunt calidissima, curauit aliquid externum, quod est aer, verum quia aer aliquas g'gnit fuligines, prouidit etiam natura, vt excrementa hæc, quæ coacta calorem natiuum strangulassent, continuo expellerentur: fecit itaque hos duos motus inspirationem & exspirationem: inspiratio est, quando aer intro trahitur: exspiratio vero, quando hæ fuligines excluduntur: cum itaque res ita se habeat, non videtur fœtus posse vllum ex his motibus habere, non primum, quia cum sit abditus in latebris vteri, nulla est ratio, quia possit fœtus aerem externum attrahere: non secundũ quia nulla apparet via qua possint exire fuligines. Hippocrat. loco citato, itaq; inquit, quod eodem sanguine quo fœtus nutritur, refrigeratur etiam, & quod calor fœtus, matris calore per respirationem refrigerato attemperatur: monstrat autem Hippocr. exemplo lignorum viridium aerem attractum à fœtu, per insensibilem transpirationem emitti: cum enim corpus fœtus sit laxissimum, facile fit, vt per ipsum transmittantur fuligines illæ.

Capvt XXVII.

De caussis, propter quas infans ex vtero prodit.

Nvnc sequitur, vt pro fine huiusce tractationis de integra fœtus absolutione agamus, quæ quoniam cognoscitur partu (siquidem tunc dicitur perfectus, quando exire, & superuiuere aptus est) eapropter de ipso tractemus operæpretium est. Erunt autem tria, quæ examinabimus circa ipsum, caussam exitus, modum exeundi, atque tempus. Circa primum cum duplex sit caussa, alia efficiens, alia vero finalis, efficiens est ipsa natura ab intelligentia non errante inducta: nam Gal. decimoquinto de vsu part. hac de re differens mirabiliter extollit naturam, quæ cum os vteri semper arctissime clausum teneat, tempore partus sponte aperit, longe lateque prout ipsius infantis magnitudo postulat. Sed hac in re nonnihil est diuersitatis inter ipsum, atque Auicen. vigesimaseptima tertii tract. primo, cap. secundo; is enim loco citato, dicit hoc opus fieri absque vlla ossium dislocatione, aut fractura: hic autem dicit fieri cum dislocatione ossium pubis, sed statim post infantis exitum denuo ita pubis ossa connecti, atq; coalescere, vt nullum dislocationis præteritæ, aut commissuræ vestigium appareat. De caussa finali propter quam extruditur à natura infans, nulla videtur controuersia, quin sit propter euitandam molestiam, quam infert iam maturus fœtus, siquidem quicquid expellit natura, semper vt sibi noxium expellit, quemadmodum vbi attrahit, semper veluti sibi vtile, atque gratum trahit. Haud secus quoque videtur apud Hippocratem & omnes

Medicos illud, quod proprie lædit, atque cogit ipsam naturam ad expellendum fœtum, non esse alium, quam dolorem, & molestiam ab ipsomet fœtu calcitrante illatos: loquor autem de naturali partu, non autem de violentis, atque morbosis, in quibus, cum ab alia caussa stimulatur natura existente intra vterũ, vel proxime vterum, fit vt dum natura stimulata, ac propterea lædentem caussam à sese pellere satagens simul etiam fœtum expellat. Porro circa caussam calcitrationis videtur Hippocrates varius extitisse, quia modo id tribuit alimenti inopiæ, modo vteri angustiæ, modo vtrisque. Ceterum cum mulieribus sanis, & præsertim quæ solent liberaliter singulo mense purgari, etiam in extremis mensibus tantum suppetat sanguis, vt copiosissimus feratur in mammas pro lactis copiosi generatione, haudquaquam debemus tunc putare fœtum ita laborare nutrimenti inopia, vt ab ea cogatur calcitrare, atq; lædere naturam, sed potior, & in omnibus ætetna caussa calcitrationis puerorum videtur esse vteri angustia: sicut enim cum punicorum grana ita augentur, vt nequeant suo cortice contineri, tunc effringunt, sic quoque fœtus, ait Hippocr. vbi ita creuit, vt nequeat amplius ab vtero contineri, tunc molestia affectus calcitrat, effractisq; ligamentis quibus coercebatur naturam eo adigit, vt cogatur ipsum vterum aperire, sicq; fœtum excludere.

CAPVT XVIII.

De modo, & ordine, quem seruat natura in emittendo fœtu.

MODVS autem verus, quo vtitur natura in partu, est vt caput, quod antea sursum erat, pondere suo versus vteri os descendat, sicque manibus, & brachiis extensis prodeat; quinimo sumeius sententiæ naturam voluisse in vtero caput esse magnum, vt pondere non modo primum ad vterum declinet, verum etiam toti corpori viam latam paret; & hic partus est naturalis: ceteri omnes sunt praui, etenim siue pedibus cuiusmodi nati vocantur Agrippæ: siue brachio, siue ventre, siue dorso exire properet, partus exitiosus vel fœtui vel matri, vel vtrisque est, quod si superstites remaneant, plane male sani viuunt, aut mala fortuna vtuntur, quemadmodum narrat Plinius libro septimo, capite octauo de Agrippa sic nato, qui propterea fatalis orbi fuit, quod ex ipso natæ sunt Agrippinæ, quæ monstra, & hominum pernicies pepererunt. Modus itaque, vt iterum repetam, quo exit infans in hanc lucem ab Hippocrate nobis monstratus & deinde experientia quotidiana confirmatus est, quod vbi vterus amplius extendi nequit, & fœtus indies augeri pergit, incipit calcitrare vehementer, tunc primum vincula, quibus alligatur incipiunt frangi, similiterque membra: nam Allantoidem, & amnium, quibus continentur vrina, atque sudor, quibus effractis primum exeunt illi aquosi humores in eum vsum à natura diligenter conseruati, vt partui inseruiant ad irrigandos atque lubricos muliebres loculos reddendos, post exit sanguis, & à sanguine immediate fœtus, quem deinde sequitur crassæ saniei, & cruentæ exitus, qui in primiparis paucior, in aliis copiosior est, atque si mas sit triginta ad summum diebus durat, & sæpe etiam ad viginti, vel vigintiquinque tantum: sin autem fœmina sit durat quadraginta, & sæpe etiam triginta, plus, minusve, est autem initio mensura (vt ait Hippocrates) sesquiheminæ Atticæ: sanguis vero exiens si puer, & puerpera sint valituri, est qualis victimæ recenter mactatæ, & statim concrescens, hoc est, floridus: sin vero minus bene valere debent, & paucioris mensuræ, & deterioris coloris est: imo vero vbi aut parum puerperæ purgantur, aut purgationes prauæ sunt, semper periclitantur: nisi medicamentis, & purgationibus occurratur: quemadmodum valde periclitantur, nisi statim secundina vocata post fœtum eiiciatur, alioquin paulo plus retenta computrescit, atque certissimum exitium puerperæ affert. Hisce duo adiicere placet, quod scribunt Plinius, atque Plutarchus, ille enim tradit statim atque infans ab aere contre-

contrectatur eum gemere, tanquam à fletu atque suppliciis hanc vitam auspicemur, & sicuti capite nascimur, ita pedibus ante efferri. Hic autem scribit eos, qui in naui oriuntur haudquam plorare.

CAPVT XXIX.

De tempore nascendi, in cuius gratiam supponuntur quædam. Et cur cum bruta habeant vnum determinatum nascendi tempus solus homo ea varia habeat.

SEquitur modo, vt de tempore partus loquentes totam hanc tractationem claudamus, de quo tempore quoniam nuper Horatius Augenius Medicus eminentissimus, præclarum tractatum edidit, vt etiam curiosa ingenia vix quicquam amplius desiderare possint, ea tantum dicam, quæ mibi videntur hac in te constituenda. Circa sententiam Hippocratis, atque Aristotelis: cum enim rationibus atque demonstrationibus firmis huiuscemodi tempus definiri nequeat superest, vt eorum scriptorum testimoniis agatur, quos in ipsa veritate indaganda, & ab aliis comparanda maxime versatos fuisse constat. & quia sæpe mentio habetur dierum, mensium, & anni, illud antea constituere oportet, nomine diei apud Hippocratem & Aristotelem non intelligendum diem illum inæqualem, qui mensuratur ab ortu ad occasum Solis, sed qui ab vno ortu, vel occasu ad alium, hoc est, spatium vigintiquatuor horarum. Mensis autem dicitur lunaris, hoc est, qui comprehendens vigintinouem diebus cum dimidio: similiter annus dicitur, qui duodecim similes menses, seu tercentum sexagintaquinque dies cum quarta parte, scilicet sex horis complectitur. Aliud quoque statuendum est, tempus partus appellari, in quo non modo fœtus iam absolutus & confirmatus est secundum totum, & secundum omnes sui partes, verum aptus est, vt extra vterum viuere, & diu, & sanus valeat. Tertium statuendum est illud, quod non solum Hippocrates, verumetiam Aristoteles, Galenus, Plinius, atque multi alii tam vetustiores, quam recentiores affirmarunt, nimirum omnia animalia bruta habere vnum, & determinatum pariendi tempus, solum hominem habere plura tempora, vt ob hoc disceptatum sit, atque etiam nunc disceptetur tum de primo, tum de postremo, tum etiam de medio tempore humani partus: Atque vt hoc ordine tractemus, primum de primo tempore, tum de medio, postremo de vltimo agemus: sed priusquam hoc fiat, illud examinandum est, cur homo vnus inter alia animalia patiendi varia tempora sit consecutus: nam & septimo & octauo, & nono, & decimo & vndecimo, atque etiam apud nonnullos duodecimo & decimoquarto parere mulieres creditum fuit, cetera vero genera, vt canes aliqui secundo, aliqui quarto mense, equi anno, plus minusve, & sic de singulis certo tempore pariunt. Huius euentus semper existimaui plures caussas haberi, quarum prima est viuendi vniformitas, quæ in belluis manifeste animaduertitur, sicuti in homine diuersitas, quantum vero faciat tum ad concipiendi, tum ad pariendi diuersitatem vitæ ratio, non opus est pluribus explicetur, quando ea non modo corpora, verumetiam animos mirum in modum variari, & Hippocrates, & Plato, & Aristoteles, & Galenus perhibuerunt. Altera caussa est animi motuum diuersitas, quæ in belluis vni ventri intentis, vt dicebat Salustius, haudquaquam inuenitur. Si enim verum est quod dixit Plato initio Charmidis, ab animo in corpus deriuare tam mala, quam bona. Si etiam vera dixit Auicennas tantam esse imaginatricis facultatis vim in corpora, vt ea diuersimode effingat, atque afficiat, negare non oportet, quin etiam ad accelerandos, vel tardandos partus multum quoque polleat. Tertia caussa est vsus Veneris: nam bruta (vt recte dicit Arist.) postquam conceperunt, plerumque ventrē habent haud amplius in libidinem solicitantur, nec propterea marem admittunt, quasi œstrum illud, & immanis coeundi cupiditas ipsis tantummodo

modo sit data, vt concipiendo speciem propagent vnaquæque suam; homo vero omni tempore venerem exercet, & mulier non minus plena, quã vacua à libidine tentatur, mirumq; in modum in coitu exercendo delectatur, quod voluit significare mulier illa Romana, quando dixit, melius plena naui, quam vacua nauigari. Iam vero coitum accelerare partum, & consequenter ipsius abstinentiam retardare non oportet vt vllo pacto dubitemus. Quarta caussa est temperamentorum, tum naturalium, tum adscititiorum varietas: nam vt homines inter se sunt figuris adeo dissimiles, vt vix quemquam sit reperire alteri prorsus similem: sic pro certo haberi debet, non minus homines, tam masculos quam fœminas inter sese temperamentis discrepare, & quod dico de temperamentis corporum, idem quoq; statuendum est de aere & regionibus, quibus viuitur, quo fit, vt data sit occasio Aristoteli, atq; aliis existimandi in Ægypto mense octauo mulieres parere, sicut credi potest in calidioribus plagis mulieres ocyus, in frigidioribus tardius parere.

Capvt XXX.

De primo tempore nascendi.

VEniamus modo ad perquirendum quodnam sit primum tempus partus: Constat itaque primum tempus quo partes vitales exeunt esse initium septimi mensis, quod comprehenditur 182. diebus, imo dicit ibidem Hippocrates, ex primo lib. de septim. part. in initio, paucos ex hisce seruari, sicut plures seruantur si nascantur vltimo eiusdem mensis, quod etiam confirmatum est ab Aristot. septimo de hist. anim. quarto, libro de carnib. vbi scribit, natos ante septimum mensem viuere non posse. Hanc autem rem vrabditissimam haud potuit Hippocrat. certis demonstrationibus confirmare, dixit tamen eam esse mulierum & obstetricum obseruationem, vt nunquam ante hoc tempus nati superuiuant: hanc deinde sententiam non solum omnes medici, sed etiam Iurisperiti sunt secuti. Verum non defuerunt, qui etiam sexto & quinto mense natos superuiuere posse & exemplis, & coniecturis probare conati sunt, quorum conatus vt non penitus aspernor, sic mihi nunquam persuadere potuerunt, id quod scripsit adeo asseuerantet diuinissimus senex, & Aristot. confirmauit posse falsum repetiri, cum (vt dicebat Celsus) neque falli, neque fallere sciuerit. Neque moueor vlla historia, aut vera, aut falsa: quoniam etiam secundum Hippocratem atque Aristotelem sæpenumero mulieres in diebus conceptionis numerandis solent decipi, quod interdum etiam grauidis fluant singulo vel altero mense purgationes, imo vero cum quotidie videamus rarissimas septimo mense parere, & qui nascuntur plurimos eorum interire, aut si viuant, ceteris semper esse infirmiores tam animo, quam corpore, rationi consonum videtur eos, qui sexto mense, vel ante propetant exire haud posse viuere, quod imperfectiores & debiliores tunc sint, quam conueniat pro inassuetudine aeris, atq; aliis laboribus perferendis, postquam certum est quod dicebat Plinius hanc vitam inchoari gemitibus, atq; suppliciis; excipiendi tamen sunt populi illi, quos relatum est parum viuere, & cito parere, de quibus alias sumus locuti.

Capvt XXXI.

De medio tempore nascendi.

SEquitur medium tempus, quod octauo atque nono mense præfinitur, & de quo non parua controuersia est, an possit natus eo tempore superuiuire, & si non superuixerit, quæ caussa communis sit huiusce cõmunis effectus. Hippo. lib. de octim. & septimest. partu, loquẽs de octimestri partu manifestissimis verbis dicit illum viuere haud posse, & alibi hæc scripsit, lib. de ali. ἐςιν ἐκ ἐςιν ἡ ὀκτάμηνος γένεσις, quã sententiã cum exponetet Sabin. dicebat octimestrẽ fœtũ esse, & nõ esse, esse quidẽ, quia cõceptus est, nõ esse, quia nõ est perfectus, q̃ verba cõseruata sunt ap. Agel. in var. lect.

vt alias

vt alias adnotauimus, cum in omnibus codicibus desiderarentur. Adeo autem fuit omnibus accepta huiusmodi opinio, vt plerique Iurisprudentes arbitrati sint octauo mense ortos non esse fœtus, sed potius abortus: ac propterea non debere ad parentum hæreditates admitti. Verũ circa hoc tempus fuit etiam non exigua disceptatio, quandoquidem non defuerunt, qui duab. Arist. authoritatibus persuasi, ac nõnullis exemplis adducti existimarunt etiam octimestres partus posse superuiuere. Prima authoritas est, vbi scribit 7. de hist. ani. 4. & 4. de gen. ani. 4. in Ægypto, atque in aliis locis, vbi mulieres fœcundissimæ sunt, posse octauo mense ortos superuiuere: in Græcia vero non posse, & si qui superuiuant existimari mulieres in dictum enumeratione fuisse deceptas. Altera authoritas Arist. est 10. Probl. sect. 40. vbi scribit, solum hominem inter cuncta animalia habere varia nascendi tempora, eum & septimo & octauo & decimo mense parere queant. His authoritatibus addunt etiã rationẽ, quia septimestres part⁹ viuunt, ergo eo magis octimestres, q perfectiores sunt. Verum cum secus senserit Hip. qui sẽmper affirmauit octimestres partus nec viuere nec posse viuere, ei, qui à mulierib. & ex securis, infinitisq; obseruationib. id potuit didicisse, adhærere cogor, & quod ait Arist. de Aegypto primum dicit posse viuere, non autem simpliciter viuere, deinde quod id non credam rationes complures faciunt, primum, quia quod naturale est, vbiq; & semper est, atq; rei naturæ consonat, at monstrabimus suo loco, non posse naturaliter viuere octimestres; deinde quia cũ Hipp. peragrarit Libyam, Delum, & Scythiam, ac vbiq; sua dogmata vera esse compererit, quemadmodum ipsemet dixit in fin. Progn. haud probabile est hanc rem fuisse taciturum, si vel audiuisset, vel auditam putasset veram, quemadmodũ multa alia de varietate locorum, & regionum scriptis mandauit in lib. de aer. aq. & loc. Ad locum autem Probl. cum ibi desit nonus mensis, qui est omnium communissimus ipsi humano partui, sum eius opinionis loco octaui, nonum esse legẽdum, alioquin Arist. posuisset inter tempora partus cõmunia octauum mensem, qui est rarissimus, & omisisset illum, qui est aliis omnib. communior. Itaq; quod plerique probati Scriptores docuerũt octimestres partus nusquam esse vitales, id ipse quoq; affirmo: nec quippiam valet id quod dicunt, debere octimestres viuere, eo q, septimestres quoq; viuant, quia quod septimestres viuant est alia ratio, vt retro diximus. Ceterum quæ huius rei caussa sit apud complures disputatum inuenitur, & præsertim apud Petrũ Aponensem in Concil. & in com. 1. ad Probl. citatum. Nam Astrologi, qui deputarunt singulis mensib. fœtus singulos planetas, octauo deputarunt Saturnum, qui cũ sit frigidus, & siccus, & ideo vitę inimicus, propterea dixerunt fœtus ab eo interfici. Sed hotum sententiam præ ceteris confutauit Ioannes Picus Mirandulanus tertio libro contra Astrol. c. 18. eo quod nullum sydus possit suapte natura ita esse maleficum, vt interimat, & Plato in Timæo etiam dicebat, in cœlesti choro non posse esse vllam inuidiam, neq; mœstitiam. Hippocrates videtur interdum cẽsuisse grauidas octauo mense laborare; nec ita sanas esse, sicuti in aliis mensibus: vnde si hisce laboribus accedant quoq; partus labores eos nequaquam fœtum sustinere posse, ac propterea occumbere. Auic. 21. 3. tract. 1. c. 3. dixit, fœtum septimo mense iam esse consummatum, & vitę potentem extra vterum, ob idq; tentare exitum, quem si habeat prodire vitalem: sin ipsi denegetur, tunc permanere vsq; ad nonum; atq; in octauo sese labore, quem tulit septimo, recreare; quod si tunc cũ nondum refectus est, exire properet, haudquaquam ob debilitatem ex septimi laboribus susceptam viuere posse: verum etsi & Hipp. & Auic. caussæ adductæ, quandoq; locum habere possint, melius tamen mihi videtur esse, si dicamus omnibus eis, qui otiuntur octauo mense, id propterea contingere, quoniam in septimo mense conantur prodire, sed cum præ debilitate nequeant ne q; tunc exire, neq; perdurate vsq; ad nonum, fit vt exeant admodum languidi: ac ob id minime viuant.

CAPVT XXXII. *De postremo tempore nascendi.*

CEterum nonus mensis ille est terminus, qui non modo ab Hippocrate, verum etiam à plerisq; aliis probatioribus authoribus pro communissimo, & vero ha-

Ee betur,

betur; præterquam quod etiam mulieres & viri quilibet passim fatentur humanos partus fieri nono mense, quantum autem apud Medicos, & Philosophos æstimentur huiuscemodi communes hominum notiones, & assensus ad rerum veritatem confirmandam nemo ignorat, & dicere soleo Christum hominem perfectissimum voluisse nono mense completo nasci, vt doceret verum, atq; communem nascendi hominibus terminum esse ipsum mensem nonum. Ceterum de mense quoque decimo non parum dubitatum inuenio, num scilicet & ipse sit numerandus pro vero & communi tempore nascentium, nam Hip. in lib. de nat. pu. statuit etiam decimo mense homines nasci, vltra autem non posse in vtero perdurare, quoniam sibi debitum alimentum deest: Arist. loco Probl. citato vero commemorat, & ipse decimum mensem inter eos, quibus nascitur homo, quinimo scribit 7. de hist. an. 4. hominem nasci septimo, octauo, nono, & vtplurimum decimo, rarissimos vndecimo; quæ authoritas multis persuasit decimum mensem esse communiorem partus terminum ipso nono, atque eo maxime quod inter veteres scriptores non defuerint qui Arist. sint adstipulati, quales fuerunt Lucilius, Plautus, Aulus Gellius, aliiq; non pauci, qui cum medici non essent, verisimile videtur eos similem sententiam, aut à vulgo mulierum, aut ab aliquibus medicis fuisse aucupatos. Quid igitur in hac cõtrouersia dicendum est? Cette puto nonum mensem esse verum & communiorem ceteris partum, verum aliquos etiam ad decimum peruenire. qui scilicet minus robusti sunt, & minus nutrimenti consumunt, & serius perficiuntur: vnde ipsemet Arist. dicere solebat, mares rarius quam fœminas ad decimum mensem peruenire; & ad locum septimi de hist. animal. soleo dicere eo in loco particulam ὡς πλεῖστον, significare ad summum, quasi vltimus terminus sit quidem decimus mensis, sed non communior nono: & rarissimi perueniant ad vndecimum: atq; in hanc sententiam eo magis inclinor, quod Gal. in com. ad lib. de alim. videtur tribuere Arist. quod dixerit, homines vtplurimum nasci mense nono, & vbi eadem verba habet, 4. de gen. an. 4. non apposuit particulam ὡς πλεῖστον. Porro de vndecimo mense, de duodecimo, & decimoquarto, quod refert Auic. 9. de an. & alii antiqui scriptores, aut fabulosum est, aut dicendum est mulieres fuisse deceptas, ex mensium fluxione, quæ solet interdum etiam non grauidis intercipi vsq; ad secundum vel tertium mensem prius quam concipiant; vel extitisse inuentum medicorum famam alicuius mulieris ea ratione tueri conantium; etsi enim Hadrianus Imperator vndecimestres ad hæreditatem admittendos esse sanxerit contra Iurisperitos antiquos à Plutarcho in Alcibiad. commemoratos, atq; deinceps a Iustiniano, & Vlpiano comprobatos: haud tamen ex hoc iudicandum est frequenter posse eos fieri, quos vel non fieri, vel non seruari ipsemet Arist. scripsit.

F I N I S.



EIVSDEM

EIVSDEM AVCTORIS DE BALNEIS PISANIS

luculentissimus Tractatus.

Capvt I.

Aquarum thermalium vsus quando, & vbi primum inuentus sit.



CVM Ferdinandus Hetruriæ Magnus Dux, nihil antiquius, atq; optatius habeat, quam genus humanum, præsertimq; populos sibi diuinitus commissos, quacumq; in re iuuare; inter eius opera prope diuina, illud his proximis diebus fuit, vt saluberrimas aqnas in vrbem Pisanam ex proximis montibus per aquæductus lateritios corriuare, simulque balnenm montis S. Iuliani vocatum olim celeberrimum, proximis vero annis deformatum, ac pene deletum instaurari mandaret; quod nnnquam satis laudatum institutum, vt cunctis gẽtibus, & maxime iis, qui sese ab ægritudinibus liberare optant, manifestum fieret, de eo balneo, licet etiam ab aliis anriquioribus egregie descripto aliqua dicere deliberaui, vt qui admirabiles illius in plerisque ægrotantibus vires expertus, forsan non inutiliter de ipso vera scribere possim. Itaq; rem omnem breuiter tribus summis capitibus complectar. Quorũ primum erit videre, quis vetustissimis seculis fuerit huiusmodi balnei status. Secundum quale illud fuerit auornm, atq; proauorũ nostrorum ætate. Tertium & postremum, quomodo hisce nostris temporibus sese, & secundum sui ipsius naturam, & secundum vsum atq; operationes habeat. Etenim licet veteres, atq; etiam maiores nostri interdum paulo negligentiores in quibusdam rebus cognoscendis, colendis, ac in vsum & humani generis commodnm adhibendis visi sint, quam recentiores, qui ab antiquorum præclaris inuentis excitati, quasique manu deducti, tum ea ornare, atq; augere, tum noua nec forsan minus vtilia, atque iucunda adiicere gloriose laborarunt; attamen eos despicere, ipsorumque res etsi exiguas, & aspectu contemptibiles minus curare, ingenii est aut hebetis, frigidiq;, aut nimium superbi, suique ipsius amantis: Galenus certe, atq; illi, qui vel ante ipsum, vel post in medicina facienda floruerunt, tanti semper visi sunt superiorum cogitationes facere, vt vel prædecessores sequi, vel saltem ab ipsis minimum, nec nisi mature deflectere malnerint, quam præcipitanter ipsorum inuentis refragari. Imo verum est, quod pleriq; authores tradiderunt, Aristotelem non tantum in fabricanda, & stabilienda sua à posteris, deinde adeo commendata & exculta philosophia antiquorum commentationes esse secutum, verum etiam eis summa, qua apud Alexãdrum Magnum Orientalis orbis dominum pollebat authoritate concrematis, Peripateticas omnes disciplinas condidisse, proq; suis eas demum cunctis sequacibus reliquisse. Veteres autem qui in rerum tunc pancarum contemplatione seueriores, & attentiores erant, magnopere valnisse, proptereaq; à nobis nunquam eos cõtemnendos arbitrari nemo debet. Hocq; cum in rerum cognitione, quæ sola contemplatione comparatur verissimum sit, haud minus quoq; illis quæ experientia ab iis fuere comperta fidem habere oportet. In qno genere reponuntur potissimũ aquæ thermales, quæ vti diuina virtute videntur præditæ, sie diuinitus tantum, solaq; experientia ob salutem humani generis innotuisse constat. Quo autem tempore illarum notitia, atq; vsus cœperit, etsi certum non habeatur, putandum est tamen, prima mundi origine cum aliis aquis à Deo conflatas ante diluuium, quando ob corporum sanitatem, hand erant necessariæ intra terræ anfractus ociosas latuisse, postea vero paulatim apparuisse. Plinius certe c. 6. lib. 31. demiratur Homerum,

qui cum induxerit sæpe sese calida lauantes, nunquam tamen calidorum fontium meminerit, tamquam eo tempore medicina hæc non fuerit, quæ nunc aquarum perfusione vtitur; & si Diodoro Siculo fides est habenda, in Sicilia & maxime Syracusis thermalium lauationum pro variis ægritudinibus sanandis, ex copiosis qui ea in insula semper spectati sunt ignibus, cognitio fuit acquisita, quæ deinde in agros Puteolanum ac Neopolitanum ob similes ignes ibidem erumpentes propagata nō minus lauatione, quam potu in vsum trahi cœpit. Et Atchigenes apud Aetium meminit potus aquarum Albularum ad vesicæ vlcera curanda, quasi tempore Traiani quo ipse floruit, aquarum thermalium potus iam in vsu esset. Hippocrates & Aristoteles huiusce medicinæ, aut nullam aut exiguam cognitionem, experientiamue habuerunt, nec penes paulo ipsis posteriores scriptores facile est inuenire clarā huiusce remedii mentionem, Strabo autem qui Augusti ætate floruit, Vitruuius, Celsus, Seneca, Plinius, Cælius Aurelianus, aliiq; subsecuti authores non obscure prodiderunt multas fuisse aquas tam frigidas quam calidas sponte nascentes pro variis morbis depellendis vsurpatas, quarum aliquæ interierunt, aliquę vero adhuc seruantur. Sic enim Seneca lib. quæst. nat. tertio, quasdam narrabat aquas, neruos iuuare, aliquas inueterara, & desperata medicis vitia percurare, nonnullas vlceribus mederi, aliquas interiora fouere potu, & pulmonis, ac viscerum querelas leuare, quasdam supprimere sanguinem, & demum tam varium esse singulis vsum quam gustum, quibus omnibus maiora cum tradat Plinius, Senecæ fere coætaneus, tunc calidas & frigidas sponte nascentes aquas cœpisse frequenter vsurpari, haudquaquam dubitare oportet, quemadmodum idem Plinius non tam potu, & lotione, quam lutatione, quæ fit ceno aquarum partibus ægris illito, eas fuisse administratas affirmat.

CAPVT II.

De antiquo balnearum Pisanarum statu.

ITALIAM ceteris prouinciis posteriorem sese artibus ac disciplinis capessendis, excolendisque dedisse monumenta veterum scriptorum satis testarum faciunt. In Italia vero qui ignorat Hetruriam in hisce omnibus primas laudes tulisse, nihil plane scire videtur; vt ob hoc quoque maxime verisimile sit haudsequius vsum thermarum in hac prouincia saltem post Siciliam originem duxisse, eo maxime quod à Vitruuio relatum sit Hetruriæ regionem semper fœtam extitisse caloribus, minerisque sulphuris, aluminis, calchanti ferri, aliarumque rerum, quibus commixtæ thermales aquæ tam potu, quam lotione salutares euadunt; atque hinc fit, vt apud veteres scriptores insigniter celebratæ reperiantur Thusciæ, Clusinæ, Nepesinæ, Vesicariæ, & apud Cælium Aurelianum Senanæ, siue (vt ego puto intelligendum) Senenses. Iam vero vrbem Pisanam in Hetruria antiquam esse, nec non armis & disciplinis domi forisque floruisse, si quis negaret, alienam gloriam odio prosequi à cunctis plane existimari posset. Verum cum idem cœlum, eademq; semper si non in summo saltem in partibus intimis extiterit tellus, in quibus externus aer corruptionis, atq; mutationis verus author nullum habet imperium; quæ à fœcundissima rerum parente natura in ipsis terræ visceribus producuntur, omni tempore fuisse, atq; etiamnum perdurare rationi consonum videtur. Neq; me latet quod scriptum reperitur apud Plutarchum in lib. de Oraculorum defectu, nempe mineras, habitus, aquas, aliosq; terræ fœtus interdum longissimis annorum cursibus deficere, vt etiam auri, argentique fodinas apud Dalmatas tempore suo defisse narrat Plinius, attamen vt illud est verum potuisse, atque posse hominum industria, & sedulitate quicquid antea factum à natura fuit, penitus exhauriri, sic falsum puto æternam illam telluri insitam vim, qua naturales res iugiter gignuntur, vsque adeo nonnunquam perdi, vt in posterum non amplius efficax, sed sterilis, & impotens euadat, quemadmodum quoque non verosimile videtur, vt quæ modo in ipsa rerum matre terra fiunt, quæque non admodum multis ante nos annis fie-

nis fiebant, pariter vetustissimis illis temporibus non fierent, præsertim quando nondum effœta, nec improbis hominum manibus attrita, ac pene consumpta integras vires, ingentemque illam fertilitatem in sinu retinebat. Quo toto, & ratione & vsu, vt verissimo probato, illud etiam consequenter asseuerare oportet miras illas aquarum subterranearum facultates, quæ nunc ex admirabilibus effectibus à nemine negantur, quæue singulares quotidie humano generi vtilitates tum ad fugandos morbos, tum ad retinendam sanitatem vberrime præstant, etiam maiorum nostrorum, ac superiorum omnium ætate viguisse, licet non omnes forsan ita sint in vsum, atque publicam commoditatem, vel ignorantia hominum, vel negligentia, vel malignitate quadam tractæ: Aristoteles certe, Theophrastus, Vitruuius, Seneca, Plinius, Galenus, Dioscorides, aliique plurimi scriptores antiqui incredibilia pene diuersarum aquarum (vt dicebam ex Seneca) miracula nobis scripta reliquerunt, quę si vera putantur, cur non etiam tunc pro ægritudinibus variis profligandis secretas aquas valuisse fatendum est? Idque multo magis de aquis Pisanis affirmare cogimur, quæ cum sæpius vna cum aliis Italiæ bonis, æui & barbarorum iniuriis ingentem passę fuerint ruinam, nihilominus numquam ita fuerunt deletæ, vel permutatæ, quin iterum accedente hominum studio pristinas conditiones recuperauerint, quod quidem euidentissimum signum est, perennem illarum naturam minime extinctam, aut ociosam fuisse, sed potius arcanos ipsius effectus occultatos, atque veluti oppressos latuisse. Plinium bis meminisse Pisanarum aquarum inuenio, sed maxime libro secundo, cap. 103. vbi miracula quarundam aquarum referens, Patauinis calidis herbas vitentes, Pisanis ranas innasci tradit, quod videri mirum potest, cum nullæ aquæ naturales, præsertim calidę alendis viuentibus idoneæ comperiantur, quemadmodum nec plantis marinæ, vt in naturalibus quæstionibus tam Seneca, quam Plutarchus post Aristotelem & Theophrastum docuerunt: Hoc autem quod scriptum est à Plinio de Pisanis aquis, vtrum de iis intelligatur, quę olim penes Ligurnum Portum erant, nunc vero deturpatæ, & pene deletæ sunt, vt nonnullis placuisse video, qui in Caldanis vocaris aquis ranas & pisces nasci ex Carniæ fluminis cum iis mixtione, non potius de illis, quę sancti Iuliani appellantur, haud multum interest diffinire, cum etiam hodie in aliquibus harum ranas, aliaque impura animalia oriri experiamur, neque tamen propterea inutiliores euadant. Sat est aquas Pisanas vetustissimis temporibus fuisse cognitas, quas pro curandis ægritudinibus diuersis vsurpatas etiam esse, veluti Patauinas non dubito, tametsi apud paucos authores hoc scriptum inueniatur, quod scilicet antiqui illi huiusmodi auxilia haud in vsu ita frequenti habuerint, quemadmodum hodie fit, quinimo si ab ipso Hippocr. exordiamur, atque per omnes ętates subsequentes discurramus, aquas sponte nascentes cuiuscumque generis parum potu, vel lotu vsitatas pro ęgris comperiemus, aut saltem non ita promiscue sicut nostris temporibus obseruamus. Neq; ignoro Strabonem, Celsum, Vitruuium, Plinium aliosque celebres Scriptores vsus medici thermarum diuersarum mentionem fecisse, atque Plinium ipsum commemorasse nonnullos, qui eatenus eiusmodi aquas potabant, donec digitis ea repletis annuli absconderentur, sed illud perrarum est: & de hoc postremo euentu quid certo credam non habeo, cum aquæ thermales, quæ potantur, per aluum, aut vesicam exeant, nec quantumcunque quis illarum bibat, obseruatur vnquam ita digitos repleri, aut tumere vt in iis annuli occultentur, quamobrem si verum est, quod Plinius testatur, potius contendendi gratia inter aliquos potores, quam propter valetudinem factitatum suspicor. Cælius Aurelianus, qui sese Soranum interpretari Latine fatetur, quemque ante Galenum floruisse non dubito, nempe quem inter tot alios à se citatos illustres medicos numquam nominarunt, aquarum complurium thermalium meminit septimo Tard. cap. primo Patauinarum, scilicet Nepesinarum, aliarumque inter quas cur etiam Pisanas haud nominet, cum Senarum, seu Senensium Hetrurię mentionem faciat; forsan caussa fuit, quia celebriores tantum

proponere sibi placuit, non autem omnes recensere, summatim Pisanas aquas sicuti ceteras antiquitus cognitas, & forsan in vsum medicum esse receptas existimare debemus, licet non ita explicata earum mentiõ habeatur.

CAPVT III.

Quod Pisanæ thermæ posterioribus seculis fuerint celebres.

ITaliam, atq; adeo Europam vniuersam multis seculis varias, atq; ingentes fortunæ mutationes sustinuisse, qui in legendis historiis accurate versantur, facile possunt intelligere, & quemadmodum aliæ artes, atq; disciplinæ, tam togatę, quam armatæ huiusmodi mutationibus fuerunt subiectæ, sic non est veredum, quin medica quoq; ars multas, atq; eas insignes mutationes sit passa. Quo enim tẽpore à barbaris septẽtrionalibus res Italorum, Gallorum, Hispanorum vexatæ, ac pene euersę sunt, disciplinæ, ac præsertim medica ars vna cum scriptis authorum tum Græcorum, tum Latinorum translata est ad Arabas, quorum reges non exigua industria, nec paruis sumptib. diu studuerunt, vt bonas literas cadentes sustinerent; atq; erigerent; neq; spes fefellit eos, quandoquidem quicquid librorum ex cunctis sciẽtiis habemus seruatum, id totum pene instructissimis Almansorũ bibliothecis, necnõ Græcorum aliquorum priuatæ diligẽtiæ, atq; fortunæ acceptum referre debemus, quorum pariter studio, atq; sedulitate factũ apparet; vt reuiuiscens medicina multis remediis locupletior facta sit, inter quæ reponere semper mihi placuit aquarum thermalium administrationem, quæ apud antiquos rarior cum esset, & posterioribus temporibus, quando cuncta bona exulabant, fere desueta, atq; extincta videtetur, ab Arabibus, eorumq; sequacibus renouata, & ad aliquam rectam formam est redacta, ita vt cœperit non modo ipsarum natura perueſtigari, & intelligi, verum etiam vires, atq; effectus earum obseruari, & monumentis literarum tradi; atq; hoc (ni fallor) circiter trecentos, vel quadringentos annos factum animaduerto, quo similiter tempore Pisanas aquas celebrari denuo cœpisse, & ad varios morbos felicissime adhiberi non est negandum, siquidem qui vixerunt ducentis plus minusue abhinc annis medici non ignobiles scriptum reliquerunt, regulos Gambacurtos cum vidissent balnea Pisana magnopere & cum maxima ægrorum vtilitate frequentari, singularisque efficaciæ, apud omnes medicos haberi, non tantum illa accommodatiora vsui, atque ornatiora, & elegantiora reddidisse; verum etiam illis ipsosmet incredibiliter esse delectatos, propterea que circa ipsas vndequaque ædes magnificas, atque alia commoda diuersoria exædificasse, presertim ad montem S. Iuliani, vbi etiamnum vestigia insania, atque non pauca rudera visuntur, quæ satis testantur, quam egregię & commodæ domus ibi essent; priusquam ob acerbissima & immania Pisanorum, Florentinorumque bella diruerentur, ex quibus pariter contigit, vt destructis ædibus, inquinatis aquis ac incuria, & temporis longinquitate fœdatis desierint multo tempore ægrotantes ad has Thermas conuenire; quamquam fama est per manus tradita, etiamsi valde deturpatæ essent saltem ab pauperioribus & ignobilioribus aliquibus, tam rusticis, quam vrbanis nunquam penitus fuisse ita desertas, quin complures ad eas ingenti cum fructu conuolarent, id quod de omnibus aquis Pisanis esse intelligendum duco.

CAPVT IIII.

Quot & quæ sint in agro Pisano hoc tempore aquæ.

QVicunque auorum nostrorum ætate vsque ad hæc tempora aliquid commentari de Pisanis aquis sibi proposuerunt, tria earum fecisse genera videntur, primum quod ab Aquis forsan ob ipsarum copiam, vel excellentem charitatem vocarunt, distat ab vrbe Pisarum circiter sexdecim passuum millia id, si scriptores, qui de iis aliquid posteris memoria dignum reliquerunt, spectemus, cuiusmodi

modi fuit Vgolinus Sanonarola, & ante ipsum Gentilis prius omnibus aliis nobilitatum, atque viris & mulieribus, principibus singulari cum fructu vsurpatam fuisse manifeste apparet, quinimo hoc neque eam intermissionem, neque passum est deturpationem, quas alia sustinuisse ex continua quadam celebratione conijci potest, siue illud euenerit felici quadam fortuna, siue quod bellorum dirissima vis ad ipsum, tanquam remotius nunquam peruenerit. Secundum est de Agnano dictũ, quod prope monachorum illius villæ ędes positum sit, quodque à solis fœminis pro auferenda sterilitate olim vsitatum reperio, sed quia huiusmodi vitii curatio; sæpenumero quibusuis efficacissimis auxiliis adhibitis frustrari solet, facile contigit, vt tum ob insuauitatem, tum ob inanes in eo adhibendos labores in desuetudinem iam diu abierit, quemadmodum nec hodie vllus medicus illud sterilibus, aliisue vitiis commendare audet. Tertium atque postremum, quod non plus tribus milliaribus Pisis distat, ita vt facili itinere, & quodcunque tempore ad id pedibus equo, curru, atque nauicula accedere liceat. Est enim situm in via, qua Lucas itur ad radices montis S. Iuliani, à quo nomen ob Ecclesiam Diui Iuliani in eius vertice sitam, sumpsit, quod nunc quoque retinet. Præ ceteris habet hoc balneum à Dante Aldigerio commemoratum, peculiare illud, quod in plures aquas, & aquarum domicilia, tum ante actis temporibus, tum recentioribus sit diuisum. Etenim Vgolinus medicus, qui ætate proauorum in magna existimatione vixit, atque magnam horum balneorum peritiam habuit ea, tradit fuisse exactissime constructa, atque ordinata, adeo vt certo putauerint eximiam efficaciam semper ostendisse, licet quæratur ea suo tempore & stillicidiis duciis vocatis, atque aliis commodis & ornamentis caruisse. Primum itaque & præstantia & vsu mihi videtur exstitisse balneum vocatum de regina, vel quia aliqua regina in eo sese lauerit, vel quia tanquam aliarum aquarum regina ob excellentiam & vim egregiam semper habitum sit, vt ostendunt marmora, & ædificii elegantia, quam an totam Gambacurtus perfecerit, an antea factę ornamenta addiderit, nil admodum referr disquirere. Hoc autem balneum modo Serenissimus Ferdinandus Hetrurię magnus Dux boni publici studiosissimus olim negligentia deformatum in pristinam charitatem restitui cum ceteris mandauit, vt quo in dies maior sit frequentia languentium ad id concurrentium habeat, vbi commode ingenti naturæ beneficio frui valeat, ex alio Reginæ balnei latere est & aliud, vno alia duo sunt, non minus eleganter constructa, quorum vnus proximius illi exiguo ipsi præbere videtur aquam, alterum vero est balneaceum populariter vocatum ad tineam & scrofulas, lepramque curandas efficacissimum. Erant autem vtraque non ita pridem valde corrupta, & fœdata, sed nunc maxima ex parte sunt restaurata, in diesque magis excoluntur. Secundum est balneum quoddam exiguum, quod veluti appendicem aquæ reginæ facit Vgolinus, qui scribit Petrum Gambacurtum illo plurimum fuisse vsum in quodam secreto loco proxime facto, circa quem etiam ędificauerat paruum apodyterium, vt duo possent & simul lauari, atque etiam exui & in lectulo sese collocare: nunc huiusmodi balneum paulo amplius redditum fuit, attamen paucos homines capit, qui ad neruos & artus impeditos curandos vt plurimum eo vtuntur, habet que loco prædicto apodyterii tria cubicula coniuncta frugaliter ad recipiendos languentes accommodata: vtrum hęc aqua sit eiusdem scaruriginis, cuius balneum Reginæ alias dubitani, at modo certior factus sum alterius generis esse, scilicet illius, quę muro tantum ab ipsa separatur: quinimo vtramque vnam, & eandem fuisse, ac deinde, vt dicit Vgolinus, à Gambacurto esse muro diuisam, vt priuato sui vsui inseruiret, lapides super quos stratus fuit murus, manifeste significant: Illud non est silentio de hac aqua committendũ, si quis eam modico temporis interuallo tractet, digitisque annulos argenteos gestet, eos aureum colorem contrahere, quod forsan ob ochræ mixtionem contingere potest. Tertium est balneum vetus, quasi vero ante omnia alia in

vsu habitum sit. In hoc quod nunc in duas cameras partitum conspicitur, olim promiscue mulieres, atque viri indecore lauabantur, vnde sicuti olim vnum, atque continuum erat in ipsoque promiscue versabantur mares, & fœminæ sic nescio quis Imperator balnea, quæ erant mulieribus, & viris communia, diuisit, post quem Petrus Gambacurtus honestatis amans iussit iterum tabulis diuidi, vt in altera parte viri, in altera mulieres separatim lauari possent; quæ propterea tunc dominarum appellationem recipit, tunc loco tabularum paries lateritius simplex ad huiusce modi separationem præstandam supplet, ita vt singuli commode, atque iucundæ aqua illa vtantur; quę etiam vna inter alias tecto amplo cooperitur, ne pluuia, atque venti sese lauantes lędere, possint. Etsi non desunt, quid dicant illud impedite, quo minus exhalationes, tetrique vapore expirare queant, sed falluntur, quandoquidem tanta est subtus tectum hinc, atque inde apertura, vt ad expirationes omnes emittendas vberem aditum faciat. Quartum ponitur balneum sanorum nuncupatum, quod nomen quia minime seruatum est in vllo, adhæc tempora, non admodum constat vbi fuerit. Verumtamen rationi valde consentaneum videtur illud extitisse, quod nunc vocatur balneum scaturiginis; eo quod ibi scaturiat aqua illa, qua potu vtuntur felicitet tum ad refrigerandum iecur, tum ad purgandos renes, atque vterum & qua bocanno tres mulieres ex nobilibus Pisanis ad curandam infœcunditatem vsæ conceperunt; Cur autem sanorum vocata sit huiusmodi aqua, puto caussam fuisse, quoniam ęque sani, atque ægri illa vterentur ob delicias: est enim balneum satis amplum sedilibus & marmoribus exornatum, balneoque veteri proximum, cuius aqua sapore, tepore, & odore, admodum blanda, & grata videtur, vt iure sanorum appellationem meruerit. Atque tot sunt thermales aquæ ad D. Iuliani montem frequenter vsurpatę, quas iamdudum palustres alię circumstabant, sed iam cunctæ pene sunt exsiccatæ, atq; in dies magis exsiccantur, quo ceteræ puriores, & vsui aptiores, securioresq; reddantur.

Caput V.

De natura prædictarum aquarum.

CVm apud omnes philosophantes constitutum habeatur nusquam aquæ purum elementum inueniri, sed cuilibet peregrinam aliquam qualitatem vel substantiam misceri, sit necessario, vt vna ab altera discrepet ob diuersas materias & qualitates ex quibus commixtæ, & veluti conflatæ sunt; De singulatum generibus, vt tractem, neque hic locus, neque instituti mei ratio postulat; at loquar duntaxat de iis, quæ thermales, & sponte nascentes plerunque nuncupantur, quibusque ad varias & diuersas ægritudines vincendas passim vti solemus. Arist. 24. sect. Problem. vltimo & penultimo videtur censuisse huiusmodi aquas permisceri alumine, cinere, & sulphure, quod vero ibi addit à fulmine quoque calefieri aquas thermales, haud satis intelligo, neque fieri potest, vt vmquam calor thermarum perennis à momentaneo fulminis feruore gignatur; & quamquam certum sit alumine & sulphure aquas thermales plerumque commisceri, sunt tamen & alia, quæ ipsis permixta variarum facultatum thermas reddunt, veluti metalla vocata nitrum, gypsus, marmor, quæque alia in terræ visceribus oriuntur. Seneca author grauissimus cap. 20. lib. 3. quæst. naturalium propter quatuor caussas varios sapores, & medicaminum facultates aquis sponte nascentibus induci scribit, prima est ex solo per quod feruntur, secunda est (vt legitur in editione authorum de balneis apud Iunctas) ex quadam similitudine eius ex quo nascitur; Tertia est spiritus siue vapor, qui in aquam transmutatus prout huius, vel illius naturæ est, sic hanc vel illam potentiam in aqua ex sese genita relinquit; Quarta est vitium, seu corruptio, aut alteratio ab aliqua externa caussa, vt aere, vel halitu immissa, quæ varios sapores, variasque qualitates ipsis aquis ingenerat. Itaque oportet vt etiam aquæ, de quibus sermonem instituimus ob vnam vel plures prædictarum caussarum naturas proprias nanciscantur. Vtrum vero à flatibus, & spiritibus an à soli substantia, qualita-

qualitateue, an ab iniuria aliqua externa, id fiat duobus potissimum mediis iudicantur, nimirum ratiocinio, atque sensu ratiocinium circa aquas fit ex ipsis effectibus, siquidem vbi aquas adstringere, laxare, exsiccare, calefacere, frigefacere animaduertimus discursu quodam & ratione colligimus ab huiuscemodi corporibus, vel spiritibus ipsi aquæ commixtis, aut in eam conuersis tales potentias acquirere. A sensu porro idem comprehendimus, quoniam vbi vel diu sepositæ, vel ad ignem excoctæ, vel per alembicum ductæ aut nihil, aut parum omnino sedimenti faciunt, neque in tabulis, aut aliis vasis per quæ transeunt quicquam omnino terreni relinquunt, signum est vapores, & spiritus tantum esse, qui vel in ipsas aquas transfigurantur, vt loquitur Seneca, vel iis commixti, inficiant, & suas qualitates largiantur. Contra si dimittant corpuscula, & sensibilem materiam, dum vel percurrunt vel igne, aut alembico probantur, certo colligitur non ex nudis spiritibus, sed & ex ipsa solida materia conflari, quæ prout varia, atque diuersa est, sic aqua variis facultatibus & saporibus tingitur. Atque hinc est quod summa ratione faciunt, qui ad probandas aquarum compositiones adhibent præter alia sublimationem & excoctionem, imo vt est omnis alia via huic examini insufficiens, ita quæ sensu, ignisque operatione efficitur, multo securior & certior videtur, & ob hoc dicebat Oribasius aquas thermales potius experientia, quam ratione constare, vt merito ii sint sequendi qui & longa experientia, & sublimatione aliaque via aquarum thermalium Pisanarum cognitionem compararunt, cuiusmodi fuerunt inter maiores & recentiores Vgolinus Sauonarola, Fallopius, Baccius & quicunque alii de ipsis aliquid memoria dignum excogitarunt. Aquam igitur reginæ balnei omnes dicunt esse mineræ ferreæ, cum aluminis modico, qualis putatur etiam Lucensis aqua de villa vocata, quinimo qui scribunt Pisanam esse Lucense efficaciorem, & præstantiorem haud falli videntur, quandoquidem sic miras illius vires spectemus lauacro vsurpatæ, quæ quotidie manifestantur in extinguendis tam externis, quam internis ægritudinibus grauissimis, huic anteferendam, vel saltem æquandam nemo negabit; neque nonnullorum subtilitas mihi placet, qui ferrum ob sui duritiem, atque soliditatem commisceri aquæ non posse credunt: quoniam etsi externis in rebus id factu difficile appareat, attamen in visceribus terræ, vbi intestinus & potentissimus ignis viget, metallaque maxime eliquat, id fieri minime inficiari debemus, quemadmodum compertissimum est, plurimas alias intra terram fieri commixtiones, quæ extra ipsam nulla arte fieri posse quotidie veluti alchimistæ suo damno comprobant: quodque de balneo reginæ proprie vocato dicimus, idem quoque de aliis aquis ab ipso emanantibus statui debere non dubito. Ceterum aquam veteris balnei, qua non minus mulieres, quam viri vtuntur esse sulphuream, atque etiam aluminosam præter veterum auctoritates, præter experientias igne factas, effectus, qui in corroborandis membris & in de siccandis vbicunq; corporum superuacaneis humiditatibus probantur, id satis perspicuum reddunt, & ipse semper fui illius sententiæ, quam Aristoteli quoque placuisse video, nempe calore quo pollent omnes aquæ thermales à sulphure, & bitumine proficisci, quippe quæ videntur sola posse æternum fomentum, ac materiam ipsis terræ ignibus suppeditare. Balneum sanorum, quod inter sui temporis pulcherrima cur iure connumerat Vgolinus, esse pariter sulphureæ & aluminosæ naturæ non modo testantur omnes, verum etiam & sublimatio, & odor, & ipsi effectus abunde docent, quod pariter asserendum puto de aqua ibidem scaturiente, quæ ad prædictas ægritudines valde commendetur potu; etsi enim vtraque odore, & sapore à dulci aqua non multum videatur discrepare, cum tamen per aluum, & per vrinas facilime excernatur, potentissimaque sit ad coercenda vlcera, nec non viscera corrigenda, & corroboranda, par est existimare, eas virtutes à sulphure, & alumine simul temperatissime commixtis nancisci, nec non à modico ferri, merito, etiam cuius, non tantum ob euacuationem refrigerat, & corroborat renes, vt tuto asserere liceat, quicquid solet alias aquas variis &

riis, & excellentibus viribus ad delendos morbos afficere id nihilo secius in Pisanis inueniri.

Capvt VI.

Ad quid vnaquæq; aquarum Pisanarum valeat.

Etsi iampridem publico quodam hominum concursu, celeberrimorum medicorum assensu, infinitis prope experimentis & comprobatum & diuulgatū sit aquas vrbi Pisarum proximas mirifica quadam adnersus innumeros pene morbos potentia, valuisse nihilominus, etiamnum easdem facultates in iis conseruari, eosdemque effectus ab iis proficisci ita aperte constat, vt qui id negare vellet, potius maligno quodam liuore, qnam vlla ratione ipsum compelli asseuerandum sit; sed vt qui longe habitant, iisq; cum fructu vti exoptant, quid sibi sperandum sit, certo cognoscere queant, singulatim vniuscuiusq; generis aquæ potentiam, vt veteres fecerunt, eiusq; effectus breuiter, sed vere proponere conabor, primumque à reginæ balneo auspicabor, cuius aqua, si potu, vt decet, capiatur, eam insigni quadam vi feruidas viscerum, atq; iocinoris intemperies corrigere, renes nimium calentes refrigerare, omnes nephriticas passiones mirabiliter curare, ipsaq; vesicæ vlcera non parum iuuare continuis experimentis constat, quemadmodum etiamsi extrinsecus administretur, non modo easdem vtilitates afferre quotidie experimnr, verum etiam & breuissime, & iucundissime cunctos cutaneos affectus finire innumera exempla testanrur; & quod scripsit vir non minus veridicus, quam disertus Gabriel Fallopius sese in curandis leprosis affectibus huiusmodi balneum efficacissimum inuenisse, ita certum & comprobatum est, vt etiam qui tinea immanissima vexantur pauco tempore huius aquæ potu & lotione ab ea liberentur, quod in aliquot pueris æstate præterita à plerisq; ibi commorantibus visum est, & quod scribit Vgolinus iuuare quoq; ictericos, atq; hydropicos, similiter vsu probatur verissimum esse, qua autem vi id faciat, puto, tum quia aluum, & vrinam egregie mouet, tum qnia obstructiones adimit, haud secus atq; aquam Tungrorum in Belgico tractu nascētem de Spa vocatam, quam nephriticos, iocinorosos, nec non hydropicos curare & scriptores, & qui eo gratia similium ægritudinum accedunt, locupletissime asseuerant. Neque enim alienum à ratione est, vt per vrinam aqua hydropicorum exinaniatur sicut tumores lienis eadem via aboleri obseruatum fuit ab Hippocrate secnndo Epid. in Bione, & Auicennas secunda, primi d. 2. c. 19. cum dicit balneum conferre hydropi, & cachexiæ, plane de nullo alio loquitur, quam quod facultate exsiccandi suapte natura pollet, quo facto etiam salsas, atq; nitrosas iisdem ęgritudinibus conferre tradit. Porro aqua balnei veteris haud minora commoda, minoresq; vtilitates in variis morbis profligandis adfert; imprimis autem balneum vetus tempore maiorum non tantę efficaciæ existimabatur, quod à palndibus circumdatnm, sæpe inquinaretur, ac ob id potui ineptum à cunctis haberetur, atqui hoc tempore cū iam proximę paludes ex toto sint exsiccatæ, sit vt eiusmodi aqua multo purior, multoque potentior euaserit, tum ad omnes vteri stomachi, aliorumq; membrorum superfluas humiditates consumendas, tum ad scabiem, aliosq; pruriginosos affectus abolēdos, tum maxime ad articulos, quauis de causa infirmos corroborandos, nec non fluxiones, ab ipsis remonendas quos omnes effectus cnm producat ob singularem quandam aluminis modici, cum copiosiore sulphure mixtionem, iis pariter summopere prodest, qui ob intestinorum, atq; stomachi & hypochondriorum imbecillitatem, frigiditatemq; colicis, aliisq; abdominis cruciatibus vexari consueuerunt. Iam vero balneum, qnod vocant sanorum omnibus infirmius est, & quia solis vaporibus sulphuris calescit, minimumq; aluminis, & ferri participat, vix vllam egregiam facultatem possidet, sed tanquam parum à dulci & potabili aqua distans illius instar à sanis vsurpatur, & si quicquam valet, potius in refrigerando, quam in vlla alia re facienda vires aliquas ostendit, idque non tantnm de lauacro, quantum etiam de potu scaturiginis intelligere oportet, quam refrigerare renes,

tenes,& iecur perspectum est. Atq; hæ sunt in vniuersum vires, ac facultates balnei, seu balneorum ad montem S. Iuliani positorum. Quorum singulos admirabiles effectus, qui quotidianis experimentis non absq; hominum stupore obseruantur si sigillatim recensere vellem, nimis graue, & forsan aliqua suspicione infectum opus aggrederer.

Caput VII.

Vtrum morbo gallico sanando prædictæ aquæ conferant?

INter alios prædictarum aquarum effectus admirabiles putant nonnulli hanc nō esse exiguam, quod gallicam luem extinguant, idque multorum experientia cōprobare nituntur, qui cum eo fœdissimo tabo inquinati essent, post huius balnei vsum conualuerunt. Ceterum quia hactenus ab omnibus fere creditum est eum habentibus, atque etiam illis, qui olim gallico morbo sunt defuncti non modo nil cōferre, verum etiam perniciosissimum esse cuiuslibet aquæ thermalis vsum; ad hunc locum pertinere videtur, vt paulisper discurramus, an vera sit hæc vulgaris sententia, qua diffinitum videtur affectiones gallicas potius fieri immaniores, quam blandiores ab aquis sponte nascentibus; hoc porro determinato consequenter discutietur, an quæ Pisanæ prædictæ sint huiusmodi virtute, vt possint prodesse, vel saltem non obesse illis, quibus vlla insint morbi gallici vestigia. Qui enim existimant damnosissimum esse in curanda hac lue balnearum thermalium vsum non videntur vlla alia ratione duci, quam pura experientia, quasi vero quicunque infecti hoc tabo ad thermas accesserint, vel perierint, vel saltem in grauissima pericula inciderint, præterquam quod siue lauentur, siue potent qui thermalibus aquis vtuntur, multo diuersam viuendi rationem postulare videntur quam qui curationem perfectam luis gallicæ aggrediuntur, nempe quod illi solis exsiccantibus tractentur. Thermæ vero humectent saltem actu, si non potentia. Aliud potest hisce adiici, quod siue ferreæ, & aluminosæ sint, cutim condensant extrinsecus adhibitæ, ob idque gallicis, quibus opus est sudore, non parum obsunt. Siue sint sulphureæ, aut salsæ, & nitrosæ eas scribit Auicenna tract. 4. de remo. noc. capiti nocere, oculis, caussare catarrhum, lippitudinem, & sensuum turbationem, quæ omnia in gallica suspicione maxime sunt formidanda. Ego vero quantum pertinet ad experientiam vsque adeo suapte natura contumax & ferus est morbus gallicus, vt respuat cuncta etiam accommodata, atque efficacia auxilia, & quod tribui deberet prauitati affectus sæpenumero adscribitur præsidiis cum ratione vsurpatis. Nam fieri potest, vt quispiam, aut complures pertæsi tum grauitatis morbi, tum longitudinis curationis sese ad thermas, tanquam ad triarios contulerint, à quibus cum nequiuerint ob affectus magnitudinem vllam vtilitatem acquirere, quasi quærentes immeritas balnearum aquas damnare maluerunt, quam morbum ipsum accusare, atque hinc factum est, vt ob multorum querelas ipsis thermis infamia sit comparata, quamquam si experientiis quoque credere hac in re æquum est, non desunt qui infecti gallico tabo aquarum thermalium vsu sese mirifice leuatos attestentur, & ipsi cum non ita pridem Genuam ad curandum virum illustrissimum Ioannem Baptistam Imperialem accersitus essem Excellentissimum atque Illustrissimum Ioannem Andream Doriam, Principem prudentissimum sæpius alloqui mihi contigit, à quo intellexi eum olim gallico morbo captum, nullis remediis potuisse efficere, vt qui ex ipso nascebantur filii superuiuerent, donec ipse & vxor ad thermas Lucenses egressi ipsarum vsu non modo meliorem sanitatem fuerunt adepti, verum etiam in posterum filii omnes, qui ipsis nati sunt, & superuixerunt, & adhuc incolumes, viuunt, & vigent. Nec valet thermas actu humectare secus quam requirit gallici curatio, quoniam etiam decocta ligni, salsæ, cynę humectant actu, & tam ipsa fere sola gallicum affectum debellare putantur. Quod porro adiicitur de nocumentis aquarum thermalium, sunt quidem vniuersa-

vniuersales illæ noxæ, quas non est difficile euitare, modo in ipsarum vsu recta illa adhibeatur ratio, quam prudentiæ opus & in omnibus operationibus maxime necessariam iure fecit Aristoteles. Verum solida, vera, & irrefragabilis probandi remediorum naturas ratio ea semper medicis peritis visa est, quæ capitur ab exquisita ipsius rerum naturæ contemplatione, hoc est ab ipsius morbi essentia cognita, atq; perspectis præsidiorum adhibendorum facultatibus. Est vero natura, atque essentia morbi gallici eadem prope pesti, quam dicebat Gal. tertio in tertium Epid. haud esse aliquod morbi genus peculiare, sed quemlibet morbum esse pestem posse, modo pnblice grassetur, atque maiorem partem eorum quos corripit, perdat; Sic dicimus morbum gallicum haud esse priuatam aliquam ægritudinis speciem, sed quemcunq; affectum posse gallicum fieri, modo concubitum cum infectis mulieribus apprehendatur, atq; tabum seu succum virulentum & sordidum, cum crassitie & lentore habeat; & vt perspicue magis dicam, cuilibet intemperiei potest copulari morbus gallicus. Veruntamen coniungitur frequentissime omnium calidæ & humidæ iocinoris, atq; renum, vt ostendunt vlcera, tumores, dolores sæuissimi, aliaq; symptomata. Et quamquam res sese hunc in modum habeat, haud tamen forma, & character ipsius morbi gallici est ipsum intemperamentum, quodcunq; sit, sed materia, seu tabus quidam reter, & perniciosus, qui coitu per spiritus naturales ipsis renibus, & potissimum iocinori communicatus, ibi domicilium, & sedem sibi facit, vnde postmodum non tantum ob sui crassitiem, atq; tenacitatem difficillime eliditur, verum etiam contaminans ipsum sanguinem, spiritusq; naturales, efficit vt ii per vniuersum corpus, presertim ad caput, genitalia, ac periostia distributi ea membra insigniter lædant, ac perniciosissime & pertinacissime afficiant, prout scilicet prauum illud sordidæ materiæ virus magis vel minus copiosum, fœdum, atque tenax est. Rem autem sic se habere declarant, vt dixi, periostiorum acerbi, & insuperabiles cruciatus, oris, capitis, & pudendorum vlcera, tumoresq;, necnon inuoluntaria, & frequens seminis impuri, & vitiosi excretio, quæ cuncta aliunde non oriuntnr, quam à pessima materia vniuersum corporis temperamentum euertente, & inquinante. Ergo aduersus huiusmodi impurissimam labem ita est contendẽdum, vt inprimis virulenta materia penitus è membris, ac visceribus elidatur, deinde vt intemperamenta iocinoris, & renum corrigantur. Aduersus materiã opus est remediis detergentibus, & maxime exsiccantibus, quia enim materia effectrix humida & lenta est, oportet eam consumere detergentibus & exsiccantibus, nõ quidem purgatoriis tantum, sed potissimum sudorificis, quippe quæ attenuantia, detergentia & exsiccantia succum illum turpem membris adhærentem vincere & consumere possunt. Contra vero ipsas intemperies contrariis auxiliis certandum est, ita tamen vt cogitationes omnes in materiam consumendam præcipue dirigãtur, secundo autem loco de ipsis intemperamentis finiendis deliberetur, atque rei huic attestatur ipsamet curatio, quandoquidem videmus plerunq; morbum gallicum superari decoctis calidis, & sudorificis, etiamsi iecur & renes magnopere ferueant, quod sane minime eueniret, nisi vera ipsius morbi natura potius in succo tetro, & virulento, quam in vlla intemperie esset collocata. Habita itaq; vera gallicæ luis natura, modo superest videamus, quæ sit vniuscuiusq; thermalis aquæ potẽtia, & demum quæ Pisanarum aquarũ naturalis commixtio. Etenim aquas omnes sponte nascentes vim exsiccantem habere ita vsu, & veterum, atq; recentiorũ scriptorum authoritatibus compertum est, vt neminem vlla ex parte dubitare putem, illud bene verum est in hac exsiccandi potentia non exiguum discrimen obseruari, quoniam in aliquibus maior, in aliquibus minor probatur. Et interdum calori, interdum tepori, nonnunquam etiam frigori copulatur, sed & aliud huic accedit quoddam non exigui momenti, quod præter communem exsiccandi facultatem, quadam etiam arcana potentia præditæ sunt, merito cuius abditis etiam ægritudinibus posse succurrere videntur, Arist. n. 24. Probl. 18. quærens, cur thermæ appellatæ sint diuinæ & sacræ, inquit esse, quia sulphure & fulmine constant, quasi vero

gentes

gentes non alia ratione vocarent eas sacras, quam ob secretos, quos producunt effectus, vt non modo, quia exsiccant, possint conuenire laborantibus gallico, verum etiam quia vim curandi diuersos morbos abditam habeant, cuiusmodi conuenire simili ægritudini satis docet guaiacum, quod non tam facultate exsiccatoria profligare luem gallicam compertum est, quam ob vim secretam, merito cuius longo vsu obseruarum est illam euincere, quę si non esset, haud facile comprehēderetur, cur cum id satis egregie calefaciat, nihilominus tam corpora calida, quam frigida iuuat, modo tabo gallico infecta sint, atque ab eo cetera mala proficiscantur. Accedit his aquas thermales, vt ex Oribasio, & Auicen. & experientia constat omnib. symptomatibus, quæ gallicum morbum comitantur, mirabiliter succurrere. Etenim nitrosæ, & sulphureæ, cuiusmodi sunt complures neruorum, artuumq; dolores finiunt, vlcera omnia, cutaneosq; affectus, tumores, & durities superuacaneasq; vniuscuiusq; membri humiditates curant. Aluminosæ vero, & ferreæ intemperamenta viscerum calida emendāt, stomachum confirmant, laxatasq; partes exsiccant, & corroborant, & licet cutim condensare videantur id, tamen parum præstant, plusq; iuuamentum ex aliis facultatibus, quam ex ea nocumentum acquiritur. Ceterum salsæ similiter exsiccant, aluum citant, cutim ab omni illuuie depurant, & quamquā Hipp. referat nonnullos ex vsu aquæ marinæ in pruritum, & scabiē incidisse, eosq; in lib. de aer. aq. loc. damnet, qui propter imperitiam putant aquas salsas aluum soluere, nihilominus tamen, vt scribit Auic. tract. tertio. lib. de remed. nocumen. id intelligendum est de corporibus haud recte præparatis & prauis humoribus plenis, quæ irritata & veluti condensata à salsa aqua, si pruritu careant, illum incurrunt. Quemadmodum recte intelligendum est Hippocratem vbi negat salsas aquas aluum soluere, siquidem id faciunt in pauca quantitate sumptæ, & inter alimēta potius, quam pro medicamento vsurpatæ, cuiusmodi loquitur sapientissimus senex, vbi dicit esse crudas, nec coqui posse, ob idq; potius adstringere, quam eliquare aluum. Porro aquas Pisanas etiam ipsas exsiccare morbi humidi, quos egregie superant, clarissime testatur, vt ob id gallici curationi potius suffragari, quam obesse posse videantur, atq; eo maxime, quoniam cunctis facultatibus, quas ferreis sulphureis, nitrosis, & aluminosis inesse probauimus pollent. Certe complures vetustissimo gallico tentati ab his balneis recesserunt absq; vllo nocumento. Aliquos etiam relatum est singulare beneficium recepisse, præsertim qui pessimis vlceribus scatebant. At quod (vt prædicant aliqui) peculiarem aduersus similes affectiones virtutē possideant, easq; promiscue, & integre sanent, nec obseruaui, nec cur id credere debeam us, facile intueor. Itaq; sicuti popularem illam opinionem falsam puto, quæ passim aquas thermales gallicis magnopere nocere, illisq; interdici debere asserit, ita posse interdum nocere, vel iuuare non dubito, atq; tunc potissimum cum gallico alii affectus coniunguntur, qui thermarum calidarum administrationem, aut requirunt aut respuunt.

Capvt VIII.

An necessarium sit corpus purgare antequam Pisanæ aquæ adhibeantur.

Svnt qui hasce thermas ob miros effectus, quos in egenis, & miserrimis hominibus intuentur, existimant, haud vlla præparatione in ipsarum vsu opus esse, alioqui cur (dicunt) pauperes, qui absq; vlla corporis purgatione feliciter à sæuissimis, & contumacissimis ægritudinibus harum thermarum vsu vindicantur, possent vllam vtilitatem consequi, si necessaria esset tam exquisita præparatio? Quibus tamē respondendum est, quod apud Celsum scriptum reperitur, interdum etiam temeritatem prodesse, neq; tamen propterea prudentiam & rectam operandi rationem omitti debere, quippe cum multo plures illi sint, qui recte præparati ad thermas accedentes cito & tuto liberantur, quam qui imprudenter & impuris humoribus repleti sese remediis magnis & potentissimis committunt. Etenim sicuti fatui hominis est in vas aliquod puram aquam immittere, nisi prius lutulentam extrahas, pari

pacto vanum, atq; inutile haberur corporibus impuris adhibere aquas thermales, aliud ne graue & generosum auxilium, nisi prius humores praui, aliaq; profectum medicamentorum impedientia auferantur, corporaq; suscipiendis iis idonea, atq; parata reddantur. Nam qui recte, & cum fructu thermalibus aquis, aut aliis præsidiis vti cupiunt, aliqua ante: aliqua post, aliqua in ipso er vsu obseruare, ac peragere debent. Ante etiam, atq; etiam curare oportet, vt corpus diligenter, tum venæ sectione, si exigit affectus, tum purgante medicamento præcedentibus debitis præparationibus euacuetur; nisi enim hæc fiant periculum imminet, ne aqua intro assumenda cum detrimento ingenti retineatur, neue, si extra administranda sit, tetri humores totius corporis in venas & corporis ambitum rapti, aut morbos curandos augeant, aut alios multo deteriores proferant. Id tamen non diffitear interdum aliquos ob egestatem, haud posse purgationum expensas, & moras sustinere, quo in casu sat erit saltem ipsismet aquis Tetutianis aliisue aluum potenter cientibus duobus, tribusue diebus vtantur, priusquam sese lauent, aut aquas Pisanas pro viscerib. temperandis, & corroborandis bibant. In ipsomet thermarum vsu multa quoque sunt, quæ facere necesse est illis, qui cum fructu balnearum aquis vti expetunt, atque hæc cum à plerisque harum scriptoribus egregie satis, atque diserte tradita habeantur, nunc sufficiat nonnulla ad memoriam summatim reuocare. In primis aeris inclementiam omnem vitare præstat, atque in somno, & vigilia, nec non tam animi, quam corporis motibus ita sese gerere, vt nullus error committatur, quandoquidem vbi corpora vehementibus remedii actionibus exagitata, ac pene fracta sunt, nisi in magna custodia teneantur, atque à diutno somno, tristibusque cogitationibus, & nimiis curis arceantur, plane magis consternantur, nec vllam vtilitatem ex medicatione percipere valent. Idem statuendum est de aliis rebus non naturalibus vocatis, præsertim vero de cibo, atque potu, qui siue sint plures, aut pauciores, quam conueniat, siue naturæ deterioris, siue importuno tempore sumantur, vix credi potest quot, & quæ damna sequantur. Dum extrinsecus balnea administrare oportet, illud passim à cunctis obseruari solet, vt ieiuno corpore, priusque sputis fœcibus, atque vrinis emundato adhibeantur, sic enim natura excrementorum mole exonerata multo facilius præsidium recipit, receptumque in vtilitatem corporis, & morbi expulsionem deducit: veluti econtra vbi excrementa in corpore remanent, præterquam quod illud magis aggrauant, efficiunt quoque vel vt impediatur, vel saltem ne leuiter (vt dicer) feratur medicamenti operatio: Dum vero intus aqua thermalis est capienda, consueuerunt plerique medici præcipere, vt incipiatur à modica mensura, deinde singula die augeatur, donec ad eam deueniatur, qua maiorem stomachus nequeat sustinere, & Archigenes apud Aetium libro vndecimo, capite trigesimo, hoc primus percepisse videtur. Non desunt quoque iubentes, vt statim ambuletur, nec cibus capiatur, priusquam tota aqua ab intestinis & vesica exierit, vel saltem stomachum, & priora vasa reliquerit, quod potissimum cognoscitur leuitate & demissione totius abdominis, nec non vrinæ coloris mutatione, quando scilicet ex aquosa in flauum, aut saltem subflauum colorem mutatur. Ego autem haudquaquam perpetuas huiusmodi regulas esse puto, & quod pertinet ad mensuram in debilibus stomachis, & multum bibere non assuetis consilium Archigenis probo; at si quispiam validus, & multum potare assuerus naturales aquas bibere debeat, statim à magna mensura inchoare licebit, in eaque perdurare. Sic enim promptius exit, quo plus eius sumitur, vt de albo Elleboro dicebat Plinius. Quo vero ad motum, si nimius sit, non modo corpus æquo plus incalescit, & perturbatur, verum etiam aqua à cursu per iecur, renes, & alia viscera in corporis ambitum abducitur, vt copiosi qui inde sequuntur sudores manifeste ostendunt. Quare magis laudo, vt post sumptam aquam bene, ab domine roto, & calente sedeatur, vel si incedendum est, id molliter, & blande fiat. Nam corpore quieto, & calido sic conseruato vasa patentiora redduntur, naturaq; tota ipsi remedio associata, neq; alio inclinata illius efficaciam

ciam & operationem mirum in modum adiuuat. Quod vero spectat ad alendi tempus, plerique consueuerunt largius mane nutriri, vespere parcius, quo (mane sequēti venter magis inanis ab aqua assumenda reperiatur. Ipse experientiis complurib. obseruaui vtilius atque securius fore, si mane parum edatur, vespere paulo liberalius, atque tempestiuius; quis enim non videt, stomachum sumpta aqua longe lateque distēsum insigniter hebetari? propterea que; onus alimenti copiosi neque ferre posse, neque si ferat concoquere, vt conuenit? Vnde si sedato ventriculi tumultu modicus cibus sumatur, præterquam quod leniter à stomacho sustinetur, futuro etiam copiosiori recipiendo, & conficiendo aptior valde reddirur, neque metuendum est, ne hæc cibandi ratio incommodet matutinæ sumptioni aquæ, quoniam si maturius solito sumatur, consequenter multum temporis inter ipsum, & sequentem aquam ponitur; sicque & noctis, & longioris temporis beneficio cibus etiam copiosior belle elaboratus, atque distributus nullum incommodum parit. Atque sic alendos, qui potant aquam thermalem sentio; Eorum vero qui immersione aut lotione ipsarum vsuri sunt, aliquantisper diuersa ratio est, siquidem hi mane quidem tēperate prandere debent, nec nisi quatuor post horas sese lauare, vt possit stomacho cocto omne detrimentum euitari. At vespere magis edendum est, quod ventriculus robustior sit ad coquendum, & si mane cruditatis suspicio est, tantisper differendum donec omnis cruditas desinat, nec lauandum prinsquam aliqua fiat ambulatio. Hæc sunt cunctis thermis vsurpandis communia præcepta, quæ in Pisanarum quoque aquarū, administratione tecta cur non debeant obseruari nequeo intelligere.

CAPVT IX.

De Balneo ad Aquas.

ETsi institutum meum fuerit, de iis tantum agri Pisani balneis tractare, quæ prope montem S. Iuliani sponte nascuntur, quæque olim fere abolita, aut saltem parū vsitata, nunc pristinam existimationem recuperare incipiunt; attamē quædam etiam de alio celeberrimo Aquarum cognomentum adepto postulat quædam ratio, vt dicamus, Balneum ergo istud (vt dicunt omnes) quod pertinet ad claritatem, & leuitatem non modo vix differt quicquam ab aquæ tepidæ lauacro, verum etiam si effectus considerentur, qui varii, & admirabiles sunt, præsertim in exsiccandis vlceribus omnibus cutaneis, nec non in refrigerandis renibus, & iocinore, negari nō potest, quin aut vapores, aut etiam succum aliquem admixtum habeat, qui vi exsiccandi citra calefactionem polleat. Vtrum autem ii sint ferrei, & aluminosi, non videtur ita compertum; certe sulphure non carere illud persuadet, quod aquæ istæ calentes prodeant, calescere vero aquas intra telluris penetralia sine sulphure, aut bitumine, quæ sunt corpora inflammabilia, sicut & linteamina colore flauo tingere, vt faciunt, sine sulphuris, ochræ similisue in materiæ mixtione, haud quaquam Aristoteli, & rationi consonat; quemadmodum videtur, nō ita verosimile, vt à ferrea materia, & aluminosa alioquin dura, & difficiliter solubili, vapores educantur, qui aquæ permixti facultatem solam absque vlla alia coloris, saporis, tactus qualitate ipsi impartiant. At de hoc nihil amplius disputandū est, quandoquidē aquæ thermales potius vsu, & experientia, quam ratione intelliguntur, indicanturque. Experientia vero quotidiana monstrat vix vllum aliud aquarum genus inueniri, quod æque calida viscera attemperet cutaneas humiditates consumat, partesque exsiccatas corroboret; pręterquam quod corpora nimium gracilia, & insigniter emaciata reficit, ac (vt verbo Tertulliani loquar) recorporat. Quod autē huiusmodi aquæ inutiles iudicentur, aut saltē non adeo vtiles, quando ob frequentes pluuias mensis Martii, & Aprilis turbantur, id plane cum reliquis commune puto, quæ in non admodū profundis partib. sed prope superficiē scaturiunt, labunturque. Author. n. grauissimus Senec. 3. quæst. nat. c. 7. testatur aquas pluuias non vltra decem pedes penetrare terram, quæ res vera si est, illud quoque fit verisimile, nō posse aquas thermales vllis pluuiis contaminari, nisi quæ prope superficiem, aut saltem non vltra decem pedes, &

 fontem,

fontem,& cursum habent, quo pariter contingit, vt Balneũ ad aquas minime possit ferro,& alumine multum permisceri,nempe quæ obseruantur in profundis mõtium partib.produci;quinimo si spectemus facultates, & nocumenta aquæ ferreæ, & aluminosę scriptis tradita ab Auic.confert asthmati,& tamẽ scribunt omnes balneum ad aquas mirum in modum cunctis pectoris, & anhelitus ægritudinibus nocere.Sed vtcumq; sit,experimẽta quotidiana docent, hoc quoq; balneum singulares conditiones habere,quib.merito à complurib.cuiusq; ordinis, & dignitatis hominib.frequentatur,ægrotantib.insigne solatium,& beneficium præstat.

Capvt X.

De Arni fluminis lauacro.

INter alias vetustiss. Hetruscæ gentis, maxime vero Florentiæ consuetudines, ea est,vt magnorũ æstuum tempore omnis pene sexus,ætas,atq; ordo Arni fluuium lauandi studio subeãt nudi,ibiq; alii plus,alii minus,alii pacate,alii tumultuose, aut natantes,aut quieti manentes sese oblectent. Et quanquã verosimile videatur primis illis tẽporib.(q in gymnastica 1.li.diximus deTyberi fa&itasse Romanos)hosce populos aliqua necessitate Arni lauacro vti cœpisse,f.vel eluendarũ sordiũ ex quotidianis exercitationib.contractarũ gratia, vel ob alterã similem necessitatẽ; nihilominus æquũ est existimare,q ita facerent fere coacti,post paulatim cœpissent agere deliciarũ,& nitoris,atq; voluptatis caussa,quemadmodũ non est pariter alienum à ratione,q vt Græci,& Romani primũ vsi sunt Balneis ob quotidianas necessitates, ob vitæ blandimẽta,vnde postmodũ & Medici ea ad sanitatis vsum traxerint,sic & Florentini,postquã ipsos balnea defecerunt,q in eorũ vrbe cõplura fuisse constans, quasi per manus tradita fama est,ad fluuialis aquę immersiones frequentandas sese conferrent,nõ tantũ ob placiditatẽ,atq; mundiciẽ,quantũ ob valetudinem conseruandã,variasq; corporis indispositiones vel tollendas,vel saltẽ demulcendas: ceterum qa vt fere in omnib.contingit,q possunt esse alicui vtilia,in malũ vsum cõuersa officere non parũ queunt,ad hunc locũ pertinere existimaui,postquã balnei s Pisanis finẽ imposui,nonnulla quoq; adiicere de aquæ Arni balneo,& eo magis,quia etsi vrbs Pisarũ,vt in suo Itinerario narrat Rutil.Numant.& ante ipsum Strabo li.5.& Plin.li.3.c.3. ita olim esset collocata,vt veluti quandã insulæ imaginẽ referret inter ipsum Arnũ,atq; Auserem,hodie populari vocabulo Serchium nuncupatum (quem Auserẽ(vt obiter hoc adiiciã) alii Aesarem,& conuenietiori forsan vocabulo vocãt quando certum est Aesar lingua antiqua illa Hetrusca Deũ significasse,& propterea q narrat Suet.in Octa.prima litera inscriptionis Cęs.August.fulmine adempta eius mortem intra 100.dies,eiusq; in Deos relationem mox futurã,fuit ab auguribus responsum) tamen Io. Boccatii tempestate, atq; etiã multo ante ab ipso Arno,q fluit medius ipsa vrbs Pisarũ secabatur,quemadmodũ hisce temporib.& ipsa florentia: ex quo ambab.istis ciuitatib.videtur cõmunis esse posse, & vsus, & beneficiũ huius aquæ;cuius equidem administrandæ rationem rectã,& idonea cõmoda, quantum spectat ad Medicum,priusq aggrediar indicare,opportunũ erit nonnulla breuiter de Arni ortu,atq; natura in mediũ afferre. Arnum itaq; à dextro Apennini montis latere,& ab eo præsertim loco,qui hodie Falterona vocatur, oriri, perq; cõfragrosa vallium versus occidentem præterfluere cõpertum vnicuiq; est. Vtrum vero initio sit πολὺς,i.multus, vt reperitur apud Strabonem loco citato; in hoc à Petro Victorio, sæculi nostri splendidissimo iubare damnatum; an vero paucus, vt rei ipsius natura, auctoritas Boccatii, nec non & ipsa experientia docent, res digna esset discussione. Prorsus ego ipse eum persuasum habeam omnia flumina initio suo exigua esse, idque de Arno compertissimum haberi intelligant omnes, non possum existimare, aut rerum naturam à tempore Strabonis esse mutatam, vel eum ita cœcutiuisse, vt adeo insigne mendacium contra omnem rationem, omneq; experientiam prompserit;quapropter locũ illum ita intelligendũ esse arbitror,tanquam vox illa ἐξ Ἀρρητίω non significet mõtes,locũue,vnde primũ inchoat Arni fluxus,sed ipsam campestrẽ Arretinam planitiem, per quam etiamnum copiosus fertur;

tur, & ex qua multus fluens in tres postea alueos discinditur: quamquã scio eruditissimis viris magis placuisse loco πολὺς, πόλεος, vel πόλεως legere; perinde ac si dixerit Strab. ex vrbe Arretina Arnum efferri non totũ, sed in tres diuisum partes, quod tamen solum eo tempore verum esse potuit; nunc vero aliter, cum vno tantum decurrat alueo. Cum igitur Arnus antequã à proprio fonte Arretiũ perueniat, multas regiones præterlabatur, diuersasq; variorum fluminum aquas suscipiat, quemadmodum præ ceteris egregie monstrat in sua historia Io. Villan. & qui Italiæ fecit descriptionẽ Leand. Alber. qui fieri potest, vt Strabo vbi dicit ἐξ Ἀῤῥητίυ ipsius fluminis initium, q̃ illi Victor. imputat, comprehendere voluerit, nec potius senserit ex Arretio, quando aliis fluuiis, s. Archiano, Pistilioneq; nunc ita vocatis, aliis itẽ riuis intumescit, fluere. Effertur itaq; Arnus, quem Virg. Poeta Sarnum appellat à complurib. aquis auctus, & non longe ab Arretio, & Sancita Franc. Petrarc. patria, agrum florentinum ingrediens, per quæ saxa satis amplo, nec tamen profundo alueo Florentiæ medium pariter, & Pisarum præterlabens in mare Tyrrhenum sese effundit. Mirari autem subit, quid sit, quod aliqui Arnum rapaciss. fluuium (q̃ etiam recitat latinus Lexicographus) vocarint, nisi intellexerint, dum ex pluuiatũ magnitudine, vel alia ratione exũdat, alioquin eius aqua tenuis, & placida semper labitur. Ab hoc igitur ipsius fluminis ortu, atq; cursu vnicuiq; satis potest esse manifestum, aquã Arni æstiuo tempore, tum quia nullis prauis aquis contaminatur, tum quia aperto alueo per saxa superficietenus prope percurrens egregie excoquitur à Sole, effici ac reddi tactu blandissimo, colore splendidissimo, gustui non insuauem, substantia puram, proptereaq; salubrib. piscib. alendis valde accommodatã, ob q̃ bonitatem spectatam cunctis, atq; probatam, haud mirum est, si incolæ, atq; etiam peregrini eiusmodi aquæ bonitate & placiditate capti, æstiuis, ac feruidiss. diebus ipsi sese immergant, non tantum ad nitorem, & mollitiem cutib. compatandam, verum etiam ad actiuum calorem, & incendium remittendum, sitim placandam, atq; varias affectiones præternaturales, si non penitus curandas, saltem non parum mitigandas.

Capvt XI.

Ad quid aqua Arni conferat?

ETsi ad delectãdum solum in aqua Arni natatum esse introductum videri possit, attamen, vt ego puto, præter voluptatem etiam alios fines esse secutos veteres illos Florentinos haud dubito. Primus fuit communiss. ad vitæ humanæ securitatẽ quandã adipiscendã propositus; cum.n. homines sępenumero per orbẽ vagantes in varia accidentia incurrant, vt ab aquis iter facere impediant, in flumina ue, aut etiã in ipsum mare pręcipitati, nisi natare sciant, magnopere periclitent, ne demersi vitã perdant, ob id primis illis temporib. nihil magis studebãt homines quam literas, & natare scire, ac nullum fere maius opprobrium alicui poterat imputari, quam quod neq; literas, neq; natare didicisset. Et Augustũ narrat Suet. proprios nepotes ipsummet natandi artem docere consueuisse. Alter finis fuit ipsa delectatio, & tranquillitas: Nam ęstate, & præsertim dieb. canicularib. corpora admodũ torrida, æstuantia, ac siticulosa cõperiuntur, quibus humectandis, ac refrigerandis nihil efficacius, nihil iucundius, & ad sitim placandam, & somnum conciliandum aptius aquæ fluuialis Arni lauacro inueniri potest. Bruta vbi subaere feruido, aut alia ratione incenduntur, naturę quodam impetu in flumina ruunt, quasi edocta sint ad vitandam omnem molestiam, natationem in fluuiis esse potentissimam. Tertius finis fuit sordium, sudornm, aliarumq; turpitudinum, quę æstate contrahuntur effugatio. Plutarch.n. primo symp. 11. scribit Homerum ideo fecisse Nauticęam, non in mari, q̃ erat sibi proximum, sed in fluuio vestes lauantem, quoniam vt etiam Arist. in Probl. scribit, aqua marina crassior, grauior, & impenetrabilior est, fluuialis autem facile in vestes sua tenuitate penetrat, rursusq; perfluens magis, quã marina, maculas eluit; vnde cũ Arni aqua sit aliarũ pene cunctarũ tenuiss. ac limpidiss. certe in sordib. à corpore detergẽdis plurimũ valere, nequaquã dubitandũ est: & certe mirũ est, tãtã esse huius aquæ subtilitatẽ, ac penetrandi vim, vt in ipso natatu, & post etiã exitũ

 à flumi-

à flumine, non modo multum vrinæ emittatur, sed etiam quicquid emittitur, videatur esse pura, ac puta aqua; id quod singularis, & egregie istius penetrandi facultatis certum esse argumentum, & indicium potest. Neque hoc vllo pacto inficiari licet, quia ipsamet vrina tum copiosa, tum aquosa, quæ à cunctis quotidie eiicitur satis certam fidem facere potest, eam intimas corporis regiones placide penetrare, & ipse testari possum anno primo, quo Pisis publice legendi munere fungebar morbo nephritico me fuisse grauiter excruciatum, & calculi tandem eiectione omnem morbum expulisse; cumq; magnopere metuerem, ne (quod sæpenumero contingit) morbus reuerteretur, quotannis huiusce fluminis lauacro singulari quadam delectatione vsus, Dei gratia hactenus ab ea ægritudine me præseruaui, quod quoq; innumeris aliis contigisse compertissimum habeo, & quod aliqui putant istius amœnissimi fluminis aquam, famem excitare, graciles pinguefacere, ac biliosis febribus, aliisq; malis obnoxios præseruare, haudquaquam est à ratione alienum; siquidem sublata iocinotis intemperie calida, & sicca, vnde & inappetentia, & macies, & morbi biliosi oriantur, consequens est recuperati famem, tolli extenuationem, simulque segetem omnem biliosis morbis subripi. Quartus finis, & postremus fuit sanitatis vel conseruatio, vel saltem in aliquibus partibus recuperatio: siquidem vbi iecut feruet, vbi renes ardent, mictusq; aliqua molestia infestat, similiter vbi cutis arida, ac pustulis, scabie, prurituque detutpata est, admirabilem opem præstare huiusce amœnis. fluuii lotionem quotidiana experiméta docent; nec absq; ratione, quoniam præterquam quod (vt dixi) sua tenuitate intima corporis facile illabitur, teporeq;, ac blanda humiditate exsiccatas, atque intentas partes humectat ac refrigerat, motnm etiam suauissimum coniunctum habet, quo illas facilius penetrat, humoremq; ad internas partes peruehit, atq; affigit.

CAPVT XII.

Vtrum in vsu lauacri Arni sit vlla ratio adhibenda.

OMnem actionem prudentia, quæ est recta operandi ratio gubernandi adoptatum finem perduci Arist. in Ethicis clarissime perhibuit, ex quo haudquaquá videtur ambigendum, quia & in lotione hac, quæ est proculdubio quædam actio, sit quoque prudentia aliqua incedendum, hoc est, debito tempore, modo, loco, & mensura lauandum. Et quamquam plerique cœco quodam impetu in flumen ferantur, qui tamen in nullum detrimentum, aut admodum exiguum incurrunt, nihilominus quia melius sit aliquam saltem rationem in istius vsu seruare minime negare oportet. Et quod pertinet ad tempus, laudare nequeo eos, qui statim, atq; cibum sumpserunt, aut paucas post horas sese aquis temere immergunt, quoniam præter turbationem quam stomachus in multis percipit, fit etiam vt motu illo, & concussu, quem natantes edunt; cibi agitati haud belle coquantur, sed vapores in caput mittentes, vertiginibus, aliisque malis occasionem euidentem præstent: multo igitur vtilius, atq; iucundius habetur, si aut nisi perfecte cocto alimento, aut nisi prope coctionis ipsius consumationem, quod est quinque saltem horarum à prandio spacium flumen quisque ingrediatur; loquor de his qui si non exacte valetudini operam dare; saltem eam penitus negligere nolunt. Modus quis esse debeat, diffiniri commode non potest, nisi prius sciatur, an ob aliquam renum, vel iocinotis, vel cutis calidam, & siccam affectionem, flumen adhibeatur, an potius ob voluptatem, ac delicias: hoc postremum si sit parum refert, an in purgato corpore, quis in aqua sese lauet, atq; natet, quandoquidem tanta est ipsius blanditiès, vt nullum magnum detrimentum afferat, modo in reliquis nullus ingens error committatur. Verum si Arni aqua propter aliquam affectioné prædictatú partium, aut etiá propter aliquam cutis intemperiem, vlcusue, vsurpanda est plane, quáto magis corpus erit purum, & ab aliis humoribus, qui intemperiem fouent depuratum, eo securior, atq; fructuosior erit illius vsus; in quo pariter est illud aduertendum, quod qui

qui isto remedio, vti cupiunt ob cutem curandam, debent in aqua quiete potius manere, quam sese agitare, atq; modo dorsum, modo anticam partem, modo latera aduersus fluminis cursum vertere: sic enim corpus vniuersum vicissim ab aqua cõtrectatum, & percussum maiorem vtilitatem percipit: contra, vbi vel renes, vel iecur refrigerari optant, semper parte ipsa affecta cursum aquæ excipere debent, quo maior illapsu illo blando penetratio, maiorq; actio addatur ipsi remedio. Locus vmbra contectus sed perspiratus, & apertus cunctis aliis præferendus est, at is si haberi non possit, leui aliquo tegumento caput à radiis solaribus tutari oportet; cum enim diebus vtplurimum canicularibus fluuiorum lauacra in vsum trahantur, quã possint tunc radii solares capita incendere, fluxionibusq; & aliis cerebri ægritudinibus inducendis conferre, nemo est, qui ignoret, pauci, qui non experiantur. Illud similiter cauere oportet, ne quãdo in loco, & tempore vehementibus ventis perflatis huiuscemodi lauationes exerceantur, nam corpora aquis currentibus dirarara, & relaxata à flatibus irruentibus absq; negocio insigniter læduntur. Parum in aqua morari, paruam vtilitatem, aut iucunditatem afferre potest, sic quoq; si diutius in ea quis maneat, nimium relaxari, atq; mollescere corpora contingit; quare mediã quandam rationem inire decet, vt non minus hora, non plus duabus, vel ad summũ tribus horis inibi sistatur, vnde eos valde soleo damnare, qui in flumine multũ tempus conterere, necnon potare, atq; esse delectantur, sicut etiam Seneca & Plinius in eos inuehebantur, qui ob luxum in balneis die, noctuq; morantes simul cibos & potus capiebant.

FINIS.





HIERONYMI MERCVRIALIS FOROLIVIENSIS TRACTATVS DE VINO ET AQVA, EX PRÆLECTIONIBVS BONONIENSIBVS in lib. Hippocrat. de vict. rat. in morb. acut.

PROOEMIVM.

PRÆCIPIEBAT Hippocrates panem calidissimum, & vinum dari in doloribus capitis, ab inedia: quo loco dicebam, vinum commendari, non vt alimentum, sed vt vehiculum. Et quia huiusmodi sententia, non solum minime recepta esse, verum etiam aliquibus παράδοξον videbatur, idcirco eam, ni fallor, magnis demonstrationibus confirmare deliberaui; præsertim cum Galeni doctrinæ omnino non refragari, atque multas præclaras speculationes, & (quod maxime refert) in medicina facienda, non minus vtiles, quam necessarias, ea semper continere mihi visa sit. Sunt autem loci proprii vnde huiusmodi rerum demonstrationes duci consueuerunt, duo potissimum, κριτήρια vocata à Sexto Empirico, Hippocrate, Galeno, atque omnibus fere Græcis, nempe ipsa rei natura, necnon experientia. Quare & his ipse quoque prædictæ sententiæ veritatem demonstrare conabor.

CAPVT I.

De natura & facultatibus vini.

VT AVTEM quod promisi, præstem, vtilitatique studiorum vestrorum (quemadmodum semper in more positum habui) consulam, atque hæc disputatio a vobis recte comprehendatur, primum videre oportet, quid sit vinum, & quæ sint vini facultates; deinde diligentissime examinabo, quid sit illud, quod nutritur, quid sit nutrimentum, & quæ sit fabrica vniuersa huius nutritionis, quibus firmiter constitutis, probabo vinum nullo pacto vere nutrire. Vinum Latinis, οἶνος dicitur Græcis. Vnde vero ita dicatur, Plato, aliique viri grauissimi, vt Athenæus 2. diep. in princip. disputarunt. Sed quia disputatio de nominibus ad Medicum non pertinet, operæpretium me facturum puto, si ad naturam vini contemplandam, mea nunc conuertatur oratio, quæ natura, haudquaquam semper à communibus notionibus petenda est; nec à vulgatissimis rebus; neque à definitionibus, quæ etiam olitoribus perspectæ sunt (nam, vt Galenus ait, initio comm. ad lib. de acut. Hipp. hic non est artificum scopus, nil omittere eorum, quæ idiotis cognita esse possunt, sed vtilia ad curationem proponere, sæpeque apponere, quæ vulgares non cognoscunt, & cognitorum ipsis multa demere;) verum ab iis sententiis, quas breuiter rerum naturam complectentes nobis veteres sapientes reliquerunt. Itaque Aristoteles quarto Metheor. cap. quinto docens, quæ sunt mixta ex genere aquæ, proponit pti-

nit primo loco vinum, & ea quæ aut exiguam, aut nullam omnino ὑπόστασιν seu subsidentiam habent, quasi vinum secundum suum genus, nihil aliud sit, quã ipsa aqua. Et Emped. (vt narrat idem Arist. 4. top. in fi. cap. 5. & Plut. in q. nat. 2. Prob. 32. definiuit vinum aquam esse in ligno putrefactam. Vnde legitur apud Atheneũ 1. deipnos. ἐκ τῶν ὑδάτων οἶνος φύεται, id est, ex aquis vinum fit. Sed notare debetis tempore Hip. atq; etiam Emped. (qui fuit parum ante Hipp.) appellatam fuisse coctionem σῆψιν, id est putrefactionem, Plut. in q. nat. 2. q. & 32. & Hipp. appellare solet ventriculum, vbi fit coctio, σηπτικὸν, hoc est, putrefactorium; quasi (quemadmodum olim fusius docuimus) Emped. in lib. var. lect. 1. c. 1. & Arist. 4. top. c. 5. nihil aliud voluerint dicere, quam vinum esse aquam in ligno vitis concoctam: nam sicuti ros, vbi decidit in eam arborem, quæ appellatur ornus, concoquitur, & mãna fit, atq; mel, nihil aliud est, quam aqua cocta in arundine: haud secus debemus dicere, vinum nihil aliud esse ex sententia Emped. & Arist. loc. citat. quam aquam in ligno vitis coctam, adeo vt liceat etiam nobis pronunciare, esse succum vitis, vel sanguinẽ, vt in Genesi 49. habetur, & in Ecclesiast. c. 39. & apud Clem. Alexand. 2. pædag. c. 8. Sic etiam Gal. 3. de acut. tex. 20. loquens de vino aquoso, quod Græci ὀλιγόφορον vocant, vinum, inquit, aquosum; leuissimã in ligno vitis habuisse transmutationẽ, & leuissimã elemẽti terrei permistionem: ita vt aqua sit, quæ cũ paulum terreę calidæq; substantiæ sumpserit, tũ leuissima in horũ commistione indiguerit confectione; contra quam vinum vinosum. Sed quæ sunt vini qualitates, illiusq; facultates? Hæ sumuntur à genere, à forma, atq; à tota substantia. A genere habet, quod potens sit maxime penetrare, & humidum actu. A forma vero, quod sit calidum. Et propterea vinum apud omnes, dicitur esse potentia calidum, humidum actu, & corpus penetrabile. Hipp. lib. 2. de dięta addit, ἔχει δὲ τι καὶ καθαρτικὸν ἀπὸ τῆς ὕλης, id est, habet & purgatorium quiddam à materia, sed quod nihil aliud est. quam vis ea quæ diuretica appellatur: quia hæc inter alias vini facultates, est vna minime contemnenda; id enim habent vini potores vt vrinam frequenter & copiose reddant. Hę ergo sunt facultates vini, cũ à genere, tum à forma. A tota vero substantia vinum id habet, vt mentẽ offendat, ac inebriet. Siquidem Arist. sect. 30. Prob. 1. demonstrasse videtur, (latenter tamen) vinum lædere caput & animũ, non quidẽ ob caliditatem, quia aromata etsi maxime caput tentent, vt dicebat Hip. 5. aph. li. 28. aph. tamen hoc non agunt: sed ratione propriæ substantiæ. Et apud Plut. li. de Isid. & Osir. legimus vites ortas esse ex sanguine eorum, qui arma intulerunt Diis ipsis, proptereaq; eos qui bibunt vinum, bibere sanguinẽ Deorum, atq; statim mente priuari. Sed fabulæ sunt. Fit hoc à proprietate substantię ipsius vini. Et quod hoc sit verum, videte Plat. lib. 2. de leg. apud quem dicit hospes Athen. ex aliorum sententia certe, non alia de causa, datum esse mortalibus vinum, quam supplicii gratia, vt insaniant. Et primus effectus in Noe inuentore vini, fuit ebrietas, seu insania, quasi hæc propria vini sit facultas. Qua de re etiam Carthaginenses legibus cauerunt, vt narrat Plato lib. 2. de legib. in fine, ne quis seruus, aut aliquis e magistratu, vel miles, vinum gustaret: quia existimarunt proprium vini esse, mentem lædere. Et quamquam id nec omne vinum, nec in omnibus faciat, haud tamen ob hoc negandum, quin ab ipsius substantia huiusmodi effectus fluat: sicuti negandum est, veram ebrietatem esse illam dementationem quam pleraque alia inducunt. Habetis igitur vinũ, quoad facultates, esse facile permeabile, humidum actum, & calefacere, quoad proprietatem substantiæ, mentẽ lædere. Sed priusquam vlterius progrediamur: eximendus quidam scrupulus circa penetrationẽ, quam si vinum nanciscitur à genere, hoc est ab aqua: videretur hæc suapte natura penetrare debere, cum tamen apud Gale. & alios id vbiq; sit testatissimum aquam inertem potius in hypochondriis firmari, ob idq; non penetrare, vt ob hoc sola aqua haud sitim extinguat æque, ac vbi vel acetum (quod faciunt Rustici sub tritura) vel vini modicum immisceatur: Ad quod respondetur aquam proculdubio illabi, vt docet experientia, & penetrare; veruntamen id minus facit simplex, & cruda, quam aliquo modo per coctionem aliamue præparationem at-

nem attenuata, vt vbi coquitur in vite non absq; ratione fiat penetrantior; & aquã huiusmodi facultate pollere luculenter satis docuit Arist. 3. Prob. 3. vbi tradens causas ob quas vinum dilutum aqua magis inebriat quam merum, primã ponit; quod dilutum fiat tenuius ab aqua, sicq; magis penetret, & illabitur, qua pariter ratione tradit fieri, vt maculæ factæ à diluto quam à mero difficilius eluantur, de qua re etiã inferius aliqua dicentur.

CAPVT II.

An vinum calefaciat?

CEterum iam videndum est, an vinum sit calidum. Plutarch. lib. 3. symp. c. 5. & ex eo Macrobius 7. Satur. c. 6. disputant diligentissime, an calefaciat vel refrigeret compluraq; argumenta proposuerunt, vt demonstrarent refrigerate. Sed præter argumenta horum scriptorum sunt etiam nõnulla Medicorum, non parui momẽti, ex quib. licet demonstrare, potius refrigerate; vt videatur male à nobis constitutum, vinum & magis & primo calefacere. Primũ autem argumentum est, quia Gal. 3. de temp. c. 2. inquit, vinũ effectus maxime frigidos producere, vt epilepsiam & apoplexiam, q; quoq; ante ipsum asseruit Arist. 3. Prob. quare debemus potius existimare, vinum esse frigidũ: quia ita natura cõparatum est, vt semper effectus suis causis respondeant. Preterea Medici omnes in curãdis vulnerib. vtuntur solo vino, atque etiam ex præcepto Hip. sed calefacere in vulnerib. ab omni ratione alienũ est. Itaq; credendum est vinum vsu & experientia esse frigidum. Sed est etiam ex genere aquæ, & aqua refrigerat. Neq; dicendum est, vinum esse aquam coctã, quia quotidie experimur, aquam semper refrigerare, etsi quantumlibet coquatur. Vt autem solutionem huius modi habeatis, illud ad memoriam reuocare debetis, quod ab omnib. Philosophis & Medicis scriptum habemus; calidum & frigidum dupliciter intelligi posse; vel secundum actum, vel secundum potentiam. Sic vinũ accipiatur secundum potentiam, calidum est: si secundum actum, frigidum. Sic vinum extrinsecus admotum, refrigerat, quia operatur secundũ actum, interius vero assumptũ, calefacit, quia operatur secundum potentiam: vt. n. intus operetur, opus est calore natiuo. Quanquam vero sit ex genere aquæ, acquisiuit tamen calorem à vite. Neq; etiam valet exemplum ab aqua cocta, imo Hipp. lib. de aet. aq. dicit purum vinum, aquosum, humidum, minus vrere & siccare, q̃ lac biliosum, quasi & ipsum calefaciat, siue vrat. Neq; etiam valet, q; vinũ affectus frigidos producat, quia quælibet causa potest plures, imo etiam contrarios effectus edere, per se, & per accidens. Ita vinum per se calefacit, per accidens vero refrigerat, quia ab immenso vini calore, iugulatur calor natiuus, & fiunt cruditates, à quib. frigidi succi orti, frigidos atq; etiam exitialissimos affectus producunt: nam Arist. 3. sect. Probl. 22. postquam dixisset vinum suapte natura calidum esse, subiungit tamen, illud haud secus atq; cicutã extinguere, sed diuerso modo; quia cicuta sua frigiditate calorem extinguit, vinũ autem sua caliditate calorem naturalem consumit, haud secus atque ignis nimius exiguum.

CAPVT III.

De Nutrimento, Nutrito, & Nutritione.

VIdeamus modo quid sit nutrimẽtum, quid sit quod nutritur, & quomodo fiat nutritio. Illud compertissimum est, nutrimentum non ob aliud esse necessarium plantis & animalibus, quam ob vitam: quia vbi vita, ibi nutrimentum, & quamdiu viuimus, tamdiu nutrimur. Hæc se inuicem mutuo consequuntur. Propter quid autem nutrimentum est necessarium ad vitam? In corporib. omnium animalium tria reperiuntur, spiritus, succus, siue sanguis, & membra solida: membra solida sunt ea quæ viuunt, & magnopere errant, (vt alias probaui) qui existimarunt spiritus & sanguinem viuere. Sed quia membra solida à calore ascititio, hoc est, eo qui quotidie acquiritur à cibis, nec non ab ambiente aere consumuntur, non autẽ à calore natiuo (quemadmodum quidam male arbitrari sunt) qui potius conseruat & perficit; vt hæc vita sustentetur, opus est refectione illius, quod indies deperit, vt partes

partes solidæ continuo reficiantur: reficiuntur antẽ ministerio nutritionis. Ex quo discursu habetis nutrimentum cum debeat reficere partes solidas, debere habere substantiam viscidam & crassam, quam etiam ipsæ partes solidæ habent. Quare illud primũ necessarium est, vt nutrimentũ habeat similitudinem cum humido illo viscido & crasso. Sed quia huiusmodi humidum non est perpetuo in corporib. nostris, necesse est vt extra quæratur. Atqui extra corpus reperiturne quicquã q. sit simile ita partib. solidis, vt possit immediate in illas conuerti? minime: sat est, vt reperiatur aliquid, q. aliqua ex parte sit simile, vt inquam, habeat aliquã soliditatis, viscitatis & crassitiei portionem, quoniã partes, vt dixi, quæ continuo absumuntur, solidæ sunt, viscidæ, & crassæ, similib. ergo reparandę. Quod cum intellexisset Gal. 7. meth. c. 6. dixit, omne q. nutrit, necesse est vt sit viscidum, lẽtum, & crassum. Et magnus Arist. 21. sect. Prob. 12. & 13. dicebat triticũ esse cibum propriũ & familiarem omnib. hominib. nõ alia ratione, quã quia succũ viscidũ, lentũ & crassum, qui anima ipsius est, habet, merito cuius vertitur in partes solidas. Quare nutrimenti proprius character esto, vt sit simile partib. solidis nutriẽdis, vt sit crasũ viscidũ atq; lentum. Hoc cũ doceret nos Hip. li. de ali. dixit tria esse nutrimentorũ genera, aliud q. actu nutrit, vere nutrimentũ: aliud, q. veluti est alimentũ; q. mox est nutrimentũ, nõ nutrit: tertiũ, q. futurũ est nutrimentũ. Atq; hanc nutrimenti diuisionẽ recepit & Gal. 1. de pote. nat. & alibi, & Auic. c. de hum. prima primi. omnesq; fere scriptores. Sed q. d est vere alimentũ? nihil aliud quã pars illa sanguinis, q. iã distributa est per partes nutriẽdas, imo etiam agglutinata & assimilata. Et de hoc vero alimento locuti sunt Hip. li. de ali. & Gal. 1. aph. 14. & alibi. quando dixerunt alimentum calefacere. Illud antẽ q. futurũ est nutrimentũ, nihil aliud est, quã sanguis distributus per partes nutriendas, & iã agglutinandas, vbi distributus est sanguis, appellat ros, q. a roris instar distribuit per cauernas partiũ solidarũ, vbi sanguis est agglutinatus, appellat glutẽ, q. a instar glutinis adhæret, vbi assimilatus est, appellat cambiũ à barbaris. Et huiusmodi humores interdũ consumuntur, & tunc fiunt febres hecticæ, vbi tos & glutẽ; primi & secundi gradus hectica est: vbi cãbiũ cõsumitur, fit tertii gradus febris, quæ μαράσμος dicitur. Alimentũ, q. futurũ alimentũ appellatur, nihil aliud est, quã id totũ q. cõtinetur in ventriculo, q. cunq; cibus sit, & quod in venis continetur, nõ vero ꝑprie alimẽtũ, q. a nondũ distributus, nõ dũ agglutinatus & assimilatus est sanguis: eaꝑpter dũtaxat potentia est, vt nutriat. Quare ex his omnib. facile colligere potestis, vere alimentũ id haberi, quod cõuertitur in partes solidas, quod viscidũ crasũ, atq; lentũ est, simile partib. solidis, eiusdẽq; cum illis substantiæ, à quib. robur totius corporis pendet. Et hæc est ratio ꝑpter quã dicebat Gal. lib. de simpl. med. 1. inter se venenũ & nutrimentũ differre, quia venenũ omnino dissimile est substantiæ nostri corporis, nõ permutatur, sed permutat naturã: nutrimẽtũ vero substantiã corporis nostri auget. Differt etiã nutrimentũ à medicamento, quia medicamentũ illud habet, vt nõ sit simile partib. nutriẽdis, sed alterat naturã, & ab ea non superatur. Circa hanc disputationẽ de nutrimento, duo mihi non sunt silentio prætereunda dubia, (quæ vobis aliquãdo nõ leue negociũ facessere possunt) vnum est, quo pacto dicant Hip. & Gal. verũ nutrimentũ solũ calefacere; nemo est qui ignorat sanguinẽ calefacere, attamẽ verũ nõ est nutrimentũ; cibus in ventriculo, calefacit, & maxime vẽtriculũ. Præterea est sentẽtia Gal. 2. de decr. Plat. & Hip. c. vlt. & Gal. 2. li. aph. 47. & Ari. 10. sect. Pro. 79. li. de spit. in pr. & li. 2. de pa. an. c. 3. (q. erat alterũ dubiũ) solũ sanguinẽ esse vere nutrimẽtũ in corpore nostro; veruntamẽ secus esse videtur, q. a ossa nutriuntur medulla, nerui, venæ, arteriæ, ligamenta, parte crassa, viscida; quomodo ergo dixernnt, solũ sanguinẽ esse nutrimentũ? Ad primũ, te spondẽdũ est, duplicẽ esse calorẽ, aliũ implãtatum, radicalẽ, natiuũ: aliũ vero asciririum: calore ascititio calefaciunt cibi, & sanguis: calore naturali, nullũ aliud calefacit, quã illud, q. iã assimilatum est, q. a est succus, qui quodãmodo trãsmutatur in humidũ radicale, in quo collocatur calor natiuus. Ad secundũ, dicendũ est, verũ & indubitatũ dogma hoc esse, animalia omnia nutriri solo sanguine; sed quia sanguis nõ est vnũ corp9 simplex, sed cõmixtum,

mixtum, ex omnib. humoribus, hinc fit, vt in sanguine sit omne genus nutrimenti, quod ad partes corporis solidas nutriendas requiritur. Ea propter vnaquæq; pars beneficio facultatis attractricis, attrahit ex hoc quod sibi proprium & familiare est ossa, succum crassum, nerui, & cartilagines, glutinosum. Atq; ex his omnib. colligere potestis, nutritionem nil aliud esse, quam conuersionem nutrimenti in corpus nutritum. Sed quia dixi, alimentum esse partim simile, partim dissimile: vt ex tam simile fiat ipsis partibus solidis, natura nihil aliud facit, quam, vt à nutrimento illud quod dissimile est, deponatur; & maneat solum pars similis: ita vt in tota hac fabrica, nihil aliud faciat, quam vt dissimile segreget, & simile partibus solidis remaneat. Quod, quia valde operosum est, & difficile, natura machinata est multa vasa, viasq; & instrumenta, quibus possit nutrimentum hac dissimilitudine spoliari, prima via est os: in ore enim primo cibus acquirit quandam præparationem, merito cuius incipit paulatim exui partibus dissimilibus: ab ore, descendit in stomachum; vbi elixatus cibus (sic enim loquitur Arist. lib. 4. Meth. c. 3.) pars in intestina protruditur: pars, simile aliquid habens, per venas meseraicas, in iecur rapitur; vbi etiam à calore natiuo exactius elaboratus, exuit tandem excrementa, & deponit bilem, atq; melancholiam, & quicquid vtile est, partibus solidis, relinquitur: Vbi iam depuratus est huiusmodi sanguis ab omni parte dissimili, natura eum per canales, & venas magnas, detrudit ad venas paruas; vbi postmodum adhuc quandam perfectionem acceptus, extra venas, roris instar, per vniuersum corpus distribuitur (dico roris instar) quia Heraclitus, & Asclepiades existimarunt fieri per vapores: quæ tamen sententia, non solum ab Arist. lib. Probl. confutata est, sed etiam à Gal. lib. 1. de fac. nat. adeo vt in cauernas partium solidarum eructetur, in quibus maiorem visciditatem acquirens, adhæret, agglutinatur, & tandem assimilatur, atq; conuertitur in partem nutriendam. Ceterum non solum requiritur, vt fiat sanguis, sed qui distributus est succus, suo lentore & crassitie adhæreat, agglutinetur, & assimiletur. Vultisne hoc videre? In Anasarca cur est quod partes solidæ non nutriantur: nō hoc accidit, quia sanguis neq; fiat, neq; distribuatur iam factus, sed quia est aquosus & fluidus, nullãq; habet tenacitatem, atq; visciditatem, merito quarum possit agglutinari, & in solidas partes conuerti.

CAPVT IIII.

An vinum habeat illas conditiones, quæ veræ nutritioni conueniunt.

POstquam constitutum est à nobis, quid sit nutrimētum, quid sit quod nutritur, & quomodo fiat nutritio: superest vt videamus, an in vino reperiantur illæ conditiones, quæ requiruntur ad veram nutritionem. Vera inuestigandi ratio ducitur per duo illa κριτήρια, quæ Sextus Empiricus in Pyrrho dicebat valere in omni re iudicanda (vt antea à me dictum quoq; fuit) scilicet à natura rei, hoc est ratione, & experientia: his enim duob. Philosophi, & Medici debent semper res suas diiudicare. Itaq; nos etiā hac semita incedentes, videbimus primū, an conditiones veri nutrimenti in vino reperiantur, cum secundū rationē, tū etiā secundū vsum. Et vt à primo exordiamur, illud ad memoriam reuocandum est, verū nutrimentū debere esse simile partib. solidis, quæ vere, & solæ nutriuntur, q. in ipsis solis anima sit posita vegetatrix, cuius veluti ramus quidā est nutritiua facultas, hęc similitudo potissimum collocata est in duob. crassitie & lentore, vt possit adhærere, ac in humidū radicale, atq; in partes solidas cōmutari, vt antea vberius demōstraui. Videamus ergo nunq̃d vinū tale sit. Dicit̄ vnūquodq; tale, actu, vel potentia; quapropter videte oportet, an vinum sit tale actu, hoc est, an sit simile partib. nutriēdis, viscidū crassum, atq; lentū; an vero sit tale potentia, quo facto spero totū negotiū rectè confectū iri. Quod vinū non sit actu viscidū, vel crassum, ipso sensu vtar ad probandū, q. est principale κριτήριον. Sensus demonstrat, si tangatur vinū, diffluere, nullo pacto adhærere, sed maxime penetrare, etiāsi crassum sit: quare signū est, actu nullū lentorē habere. Sed Ari. 3. sect. Probl. (obiiciat aliquis vestrum) dixit, vinum dulce esse lentum, viscidum,

& inflam-

& inflammabile. Similiter vinum aqua commixtum penetrare, eiusq; maculas difficulter elui: quare (quemadmodum nulli non licet videre, & oleum & corpora omnia pinguia) vbi maculant linteamina, difficillime maculas elui posse, propter lentorem: ita existimandum est, maculas à vino productas, eadē de causa nō posse leui negotio deleri. Atq; hac ratione non videtur vinum carere lentore. Quod ad vinum dulce pertinet, certum est, hoc esse lentum, & viscidum, imo (vt Arist. dixit) cito inflammabile: sed est hæc deceptio: quia, vt dicit Arist. lib. 4. Meteor. c. 9. & 3. probl. sæpe. est nomine tantum vinum, non re ipsa: non enim inebriat. Ex quo loco potestis etiam elicere, id quod vos antea docui, verā & propriam naturam ipsius vini esse, vt inebriet: & quodcunq; non inebriat, aut saltem non est natum inebriare, non esse vinum. Quare dicimus, vinum dulce non esse vinum, etsi Arist. dixit esse viscidum lentum, & crassum, atq; inflammabile. De maculis porro vini, nulla alia est ratio, quam quod vinum facile omnes partes etiam minimas sua tenuitate penetrat: vnde Arist. 3. sect. probl. 22. tex. Græci, inquit; vinum, si diluatur aqua, ipsius maculas è pannis difficulter elui; quia propter aquam longius penetrat, & difficilius educitur. Si ergo vinum aqua dilutum, propter aquam maxime penetrat, & hac ratione difficulter maculæ eluantur, certissimum est argumentum maculas à vino difficulter elui, non quia viscidum sit, sed quia maxime penetrat: sic enim dicebat Theophrastus lib. de igne, carbones & ignem citius extingui à vino & aceto quàm aqua, quia intimius omnes minimas partes penetrāt. Videamus modo nunquid potentia vinum sit viscidum, crassum, atque lentum. Si potentia vinum esset tale, deberet huiusmodi potentia. vel intra corpus, vel extra ad actum deduci; sed, vt probabo, nullo pacto potest crassescere. Quod non possit extra corpus crassescere, manifestum est, quia quantumcunq; coquatur, tantum abest vt crassescat, vt potius tenuius fiat: & hoc potissimum probatur apud eas gentes, penes quas consuetudo est coquendi vinum, vbi quotidie illud videre licet. Et hinc est quod vbi Medici medicamentis componendis, vel ad mixtionem meliorem faciendam, vel ad penetrationem videndam vinum addendum præcipiunt, simul imperant, vt fiat feruefactio donec vinum totum consumatur. Sed scio dicturum esse aliquem; mustum quanto magis coquatur, tanto magis crassescere. Verum illud quod dixi de vino dulci, idem quoq; de musto dicere oportet, non esse vinum vere appellandū, quia non inebriat, & quia vini perfectionem nullo modo est assecutum: quare exemplum ipsius musti, quod coctione crassescat, nihil valet. Iam vero vinum extra corpus non crassescere, manifestum esse arbitror. Quod etiam intra corpus non crassescat, probatur ex principiis ipsis Philosophiæ, quæ reliquit nobis magnus Arist. lib. 4. Meteor. cap. 9. 10. & lib. de sens. & sens. cap. de sapor. in disputatione de crassefactione & visciditate scribens, ea quæ sunt aquea differre ab iis, quæ sunt mixta ex terra, aqua & aere, quia aquea euaporantur, & minime crassescere queunt: quæ sunt communia aquæ & terræ, beneficio caloris crassescunt; quoniam scilicet aqua euanescente per vapores remanent partes crassiores. Sed vinum est species aquæ, nullam aut leuissimam, vt dicebat Galen. mixtionem cum terra habens: ergo non potest beneficio caloris interni crassescere. Quod autem sit aqua, clarissimis verbis scriptum reliquit Arist. lib. 4. Meteor. cap. 5. cum dixit, vinum esse speciē aquæ, instar vrinæ & seti. Si ergo est terræ expers, qui fieri potest vt crassescat, & in substantiam nutriti, quæ alioquin viscida & crassa est conuertitur. Quod nullo pacto fieri queat viscidum, demonstrari etiam facile potest; quia visciditas acquiritur, quotiescunq; res crassæ vlterius coquuntur, quemadmodum videre vnicuiq; vestrum licet in melle & saccharo, quæ si longius coquantur, fiunt lenta & tenacia: fiunt etiam viscida mixtione terræ, aquæ & aeris, quia opera caloris ita miscentur simul, vt aer contineatur inter corpora humida & terrea. Sed vinum tametsi aere plenum constitui potest, cum sit species aquæ, & terræ expers, fieri non potest, vt acquirat illam visciditatem, vt ob hoc nullus medicus inueniatur, qui vino tribuerit visciditatem, quando potius eo ad ipsam aliis adimendam vti consueuerunt.

Nunc luce meridiana clarius est, quod cum vinum purum & verum non acquirit tantam crassitiem & viscìditatem, vt conuertatur in partes solidas non posse in earum substantiam connerti, nec vere nutrire. Hanc veritatem cum cognouisset Galenus 1. de fac. nat. vbi summa cum diligentia totam nutritionis fabricam tractat, omniumque nutrientium exemplum dat, animalium, plantarum, aliorumque, nutrimenti vini nullam mentionem facit: æquum sane erat illius eo in loco quoque meminisse, si putasset vinum vere & proprie nutrire. Imo videte quæ scribit in fine eius libri, 1. de fac. natur. vbi disputans aduersus Lycum, ait, totum id quod bibitur, excerni per vrinam, excepta exigua quadam portione, quæ per sudorem, vel per insensibilem transpirationem euaporat. Cur non dicit, relinqui exiguum ad nutrimentum si nutrit? Atq; hactenus ex rei natura disseruimus, reliquum est, vt breuiter videamus, quid experientia doceat. Nunquam aliquem solo vino diu vixisse, à nemine auditum, vel lectum est. Cum vero aliqui referantur solis herbis, aliqui solo lacte victitasse; si vinum nutriret, æquum etiam esset, illo solo posse homines viuere. Neq; valet, exiguum nutrimentum vinum afferre, ac propterea nō posse solo vino quenquā viuere; quandoquidem etiā herbæ patum nutrimenti afferunt, & tamen iis solis sæpe homines vitam sustentasse legimus. Sic Alex. Aphrod. vel potius Trallianus, quærens, cur febrientibus in virium languore vinum exhibeamus, inter cetera memoria digna illud habet, Homerum semper præponere solitum panem vino, quia panis sine vino nutrire potest; vinum autem absque pane neqnaquam: hoc namq; explicatissimis verbis in Græco illius loci contextu legitur: tametsi in Latino nescio qua ratione desideretur, cum aliis nonnullis. Vt propterea etiam nomine panis, semper victum & alimentum intelligamus, nunquam vero sub nomine vini: ita enim panem quotidianum precamur à Deo, quasi cibum, non vinum precemur. Et hinc est quod Propheta Psalmorum scriptor dixit, vinum lætificare cor hominis: de pane, corroborare. Quare iam & ratione & experientia probatum esse à me abunde satis arbitror, vinum haudquaquam nutrire posse per se, & ex sui natura.

Caput V.

Confutatio argumentorum aduersariorum.

SED non sufficit stabilire veritatem alicuius dogmatis, nisi quoque ea quæ sunt contraria fundamenta diruamus, quare iure sequitur, vt ea quæ huic veritati repugnant, iam prosternamus, quæ quoniam plurima sunt, aliqua duntaxat proponam, quæ maioris sunt momenti, & cum quibus reliquum contradicentium agmē facile propelli possit. Et quia Critici omnes maximi semper faciunt authoritates virorum in quaque scientia facile principum, primum argumentum hinc sumendum esse duco. Hippocrates libro de alimento, duo scribit, quæ maxime facere videtur ab stabiliendam eorum sententiam, qui vinum nutrire afferere audent, quando scribit, vinum aliquibus nutrimentum, aliquibus non nutrimentum: præterea dicit idem, quod vbi cito reficere oportet corpora, cibo vtendum esse; vbi citius, vino; quando vero quam citissime odore. Plato de legib. etiam memoriæ proditum reliquit, sub persona Socratis, vinum datum esse hominibus, vt animus pudorem contraheret, & malorum obliuisceretur, atque corpus robustum fieret. Cornelius Celsus lib. 2. cap. 8. elegantissimus medicinæ scriptor dicebat, vinum vetustum & vehemens esse valentissimi nutrimenti, vel (vt eius verbis vtar) vehementis materiæ. Galenus mille in locis dicit nutrire. Athenæus ex sententia Homeri restatur vinum Pramnium maxime nutrire. Adeo vt hæc sint virorum probatissimorum testimonia quibus probari videtur, vinum nutrire. Secundum argumentum aduersariorum, ab experientia deriuatum est: quia vbi quispiam in syncopen labitur (quæ est præceps virium lapsus) Medicus nullum magis præsentaneum reperit remedium, quam exhibitionem vini. Itaque si cito reparat vires, æquum est existimare

existimare nutrire. Auerr. 7. coll. cap. 16. etiam scribit Saracenis ex lege vetitum fuisse vini vsum, sed indulsisse legem, quando aliquis in syncopen incideret, posse eo libere vti. Tertium illorum argumentum est, vinum depellit famem, fames est indigentia nutrimenti, ergo non potest vinum sedare indigentiam nutrimenti seu famem, nisi quia affert alimentum. Quod vinum famem sedet Hippocrates lib. 2. Apho. 21 locupletissimus testis est, qui scribit, vini meri potio, famem soluit. Quartum & postremum argumentum est, bibaces omnes multo facilius pinguescere, quam edaces, & reuera ita se res habet, vt qui parum bibant, graciliores sint. Quod vero vinum pinguefaciat, Aristoteles 8. de hist. anim. cap. 7. testatur, cum scribit etiam boues vsu vini pinguescere. Quapropter existimandum omnino est, vinum vere alimentum esse, & nutrire. Multa alia argumenta sunt, sed plura non afferam in medium, quia vbi bis responsum à me fuerit, spero aliis etiam responsum iri. Ad primum argumentum mea igitur, vt redeat oratio, multo validior est ratio & rei natura, quam authoritas, quæ credulos sæpe perdidit. Sed ponamus etiam illos verum dixisse, dico tamen duplicem esse notionem nutrimēti, quod vere & proprie in substantiam solidam vertitur; vel quod non sua natura cōuertitur in corpus nutritum, se famulatur nutritioni, & quod perducit nutrimentum ad partes nutriendas. Ita dico vinum nequaquam conuerti propria substātia in nutrimentum, vt audiuistis, sed maxime famulari ad affigendum nutrimentum ipsis partibus nutriendis. Et hoc est quod Hippocrates in fine lib. de alimento, nos docere voluit illo magno oraculo, cum ait, ὑγρὸν, ὁ χῆμα, τροφῆς, hoc est, humidum alimenti vehiculum: non dicit esse nutrimentum, sed nutrimenti vehiculum. Et quod hoc etiam sit verum, videte Galenum 4. de vs. part. cap. vlt. qui cum verba faceret de vsu potus in omnibus animalibus, scripsit, propterea necessarium esse omnibus animalibus potum, vt esset alimenti vehiculum. Si nutrimentum penetrare posset omnes anfractus & cauernulas nostri corporis, non opus esset potu: at quia illud facere non potest, hinc maxima oritur potus, hoc est, vehiculi alimenti necessitas, atque summus vsus. Sed video statim aliquem esse dicturum, hoc quidem forsan verum esse, de vinis tenuibus, sed de crassis minime: quia hæc non penetrant, & tamē dicit Galenus 2. Aphor. 11. 3. de ali. fac. cap. 40. vina crassa maxime nutrire. Huic etiam facile responderi potest, vina crassa maxime penetrare: videte Galenum in expositione lib. 2. apho. 11. qui cum docere vellet, quid Hippocrates per potum intelligat, quādo scribit, facilius esse repleri potu, quam cibis, dicit duntaxat eas materias potus, intelligere, quæ sunt aptæ ad nutriendum; & addit, vina crassa non nutrire vt solidos cibos, sed celerius penetrare, seu distribui: comparans enim cibos & vina crassa inter sese, inquit, vina crassa esse magis vehicula ciborum, quia cum sua crassitie perducant nutrimentum ad partes nutriendas, illud magis ipsæ partes terinent, & vt melius adhæreat, & affigatur, faciunt. Quamquam dicere possumus, vina crassa non esse pura vina, quia non inebriant, & sunt completa corpusculis crassis: quemadmodum nullus diffitetur, vuas nutrire, propter partes eius crassiores. Quare dicere etiam licet, vina crassa non nutrire, vt vinum, sed propter partes crassas, alienas omnino à natura vini, secundum quas etiam dici potest vinum cōuerti in sanguinem, non autem secundum liquorem illum, qui proprie vinum est: Quod autem scribit Hippocrates in libro de alimento, vinum aliis esse nutrimentum, aliis non esse, non parum facit ad cognoscendum minime illud esse vere nutrimentum, siquidem id quod vere & proprie est tale, semper, & omnibus est tale, vt omnis Philosophantium schola attestatur, ex quo perspectum vnicuiq; esse potest, si vere aliquibus vinum esset nutrimentum debere esse omnibus, quomodo autem id fiat alios nutriat, alios vero minime & facile, & perspicue comprehenditur, si quemadmodum decet statuatur iis esse nutrimentum, quibus intus materia alimentalis parata est, eos vero nō alere, qui eam paratam non habent; quoniam in illis nutrimentum paratum ad partes nutriendas peruehit, in his vero nequaquā. Quod vero dicunt nonnulli eius loci interpretes iuuenibus nocere ob calidita-

tem aliis vero prodesse, quasi sic Hippocrates sit intelligẽdus; merum insomnium est, eo quod de vino aut alimentum, non vt remedium, vel medicamentum est loquatur, præter quam quod cum ibi loquitur de lacte, & carnibus, non eo modo loquitur, quo de vino; nisi quod de lacte, videtur velle pro diuersa ipsius natura, aliquibus esse alimentum; scilicet quando plus casei inest, aliquibus non esse, quando scilicet plus seri. Et de pane haud similem sermonem habuit; quoniam is vere nutrimentum est. Ad secundum illorum argumentum dicendum est, tantum abesse, vt repugnet huic sententiæ, vt magnopere etiam faueat. Si enim quidquam debet vere nutrire, quot alterationes patiatur necesse est? in ore, ventriculo, iecore, venis, deinde in partibus solidis ipsis, vbi debet incrassari, apponi & assimilari, quæ omnia vt fiant, non pauco tempore egent. Quomodo ergo fieri possit vt vinum tam cito reficiat vires, nutriatq; non video sane: hoc equidem non me fugit, spiritus & calorem natiuum in syncope vere extingui: & vinum sustentare calorem natiuum, spiritusq; recreare, in ventre enim vinum statim in vapores conuertitur, quibus recreantur spiritus, non nutriuntur, & fabulæ sunt omnium eorum, qui dicunt spiritus vere nutriri, cum tamen anima vegetante careant. Sed quid de fame dicemus, quam vinum soluere prodidit Hippoc. Pro hac dubitatione nullum alium testem appello, quam Galenum, lib. 2. aph. 21. ipsum, qui inquit in explicatione aphorismi pro fame non intelligi inopiam nutrimenti, quia, inquit, hæc potius augetur à vino, sed βούλιμον, id est, famem caninam, quæ oritur à frigore intenso & aciditate humoris osculo ventriculi impacti, illudque corrugante: hæc fames quæ oritur à frigore curatur reuera vino, vt remedio calefaciente, contrario, non vt nutrimento. Erat postremum argumentum, animalia omnia pinguescere magis vino, pinguescere non possunt, nisi vinum conuertatur in nutrimentũ, ergo vinum nutrire existimari potest. Respondeo vinum quidem multum conferre ad pinguedinem & carnem producendam, non quia conuertatur in substãtiam partium, sed quia maxime affigat alimentum ipsis partib. nutriendis: nam quid est quod magis pinguefaciat animalia, quã sal? tamen scribit Theophrast. lib. de caus. pla. c. 14. salem nullo pacto nutrire. Et Plutarch. in quæst. nat. 3. dicit Apollonium Herophili discipulum consueuisse emacratos pinguefacere salitis: non alia de caussa, quam quod sal perducat alimentum ad partes nutriendas, & tanquam cuneus quidam (vt Plutarchi verbis vtar) apponat & affigat iis nutrimentum: vnde ob hoc haudquaquam dicendum est vinum vere nutrire. Imo, vt illud etiam obiter addam, male fecissent Theologi, & conscientiarum patroni, quando voluerunt à quouis copioso potu vini, haudquaquam ieiunium frangi: si vinum nutriret, quemadmodum pleriq; putarunt. Sed quid respondebimus ad Galenum vbiq; dicentem vina nigra & crassa multum nutrire; hæc enim nulla ratione videntur dici posse, esse vehicula nutrimenti, alioquin tenuia, cum magis atq; citius penetrent, alimentumq; prius paratum & promptum distribuant, iure magis nutrire, quam crassa dicendum esset, secus quam sæpius docet Hipp. Huic vt satisfiat, sciendum est virium essentiam, quæ sola alimentum indicant in spiritib. quidem quadamtenus, sed potissimum, in carnosis & solidis partibus positam esse: vnde sustentari & refici vires dicuntur, cum huiusmodi partes conseruantur & augentur, veluti illæ ruunt & labuntur, quando hæ destruuntur. Iam cum solida foueantur à calore natiuo, fit, vt quæ spiritus recreant, & calorem natiuum, quodammodo augent, solidas conseruare, & quodam pacto nutrire dicantur. Haudquaquam tamen vera est nutritio, nisi id quod nutrit in carnosas & solidas partes conuertatur, hæ enim cum animatæ solæ sint vere nutriuntur, & alimentum inducant. Nunc vero vinum crassum & nigrum spiritus & calorem natiuum magis recreat, quam tenue: propterea dicitur magis nutrire, etsi minime in substantiam solidarum & carnosarum partium conuertatur, quæ vera est nutritio: nam quantumcunq; vinum sit crassum; semper toto genere est aqua, atq; hinc fit vt qui cardiaca laborant, quemadmodum dicebat Seneca, & qui labũtur in animi deliquium sumpto vino cito redeant, quia spiritus in quibus vires collocantur

locantur ab eo vt dixi celerrime reficiuntur. Videtis ergo quot, & quibus fundamentis hæc sententia firmiter innixa maneat, Cœterum quærere aliquis vestrum posset, an igitur vini vllus est vsus: Ege sane valde amplector, ea quæ sanctissimi olim sapientesq; viri posteris memoriæ proditum reliquerunt, inuentum, scilicet fuisse vinum tempore Noe, quia natura aquarum valde corrupta, ad opitulādum humanæ naturæ imbecillitati, non damno, rectum vsum vini, sed abusum; quia plerique cupientes vinum patrocinium deliciarum, vt dicebat Celsus, libro 1. cap. 8. ponunt in accusatione non merentis stomachi. Prodest languido stomacho, caloriq; refocillando, imo etiam nutriendo, præsertim in iis, in quibus non fit facile ciborum distributio, aliisque pluribus: quæ quoniam ab aliis innumeris copiose & eleganter scripta sunt, & nota satis, nunc commemorare supersedeo. Illud tamen adiiciam haud male forsan Plinium authorem grauissimum iudicasse vbi scripsit à vini inuentione illud vnum nos fuisse lucratos, vt etiam non sitientes bibamus. Hæc autem non iccirco disceptaui vt veluti dogmata, aut præcepta studiosis artis proponerem, sed potius, vt nobilia, atque ab affectibus libera ingenia in iis examinandis, veritateque inuenienda certarēt. Quod enim Galenus de Archigene summo illo medico dixit: ἀδύνατον γὰρ ἄνθρωπον ὄντα μὴ διαμαρτάνειν ἐν τοῖς πολλοῖς, scilicet fieri non posse, vt qui homo est, in multis nō erret, cur etiam de Galeno, & aliis plerisq; dici nequeat? nisi forsan vnum Hippocratem excipiamus quem Celsus dixit nesciuisse fallere, neq; falli; & quem aut idem quod probaui, sensisse, aut saltem non dissensisse facile intelligunt, qui in eius doctrina non oscitanter sunt versati.

Capvt. VI.

An Aqua nutriat.

POstquam satis superq; probatum à me iam esse arbitror, vinum nullo modo nutrire, offert sese occasio dubidandi, vtrum aqua, vt alimentum possit nobis aliquam vtilitatem præstare, necne. quia vtrumq; nō exiguis authoritatibus: rationibus & experimentis cōstanter asseritur. Et (vt ab antiquioribus exordium sumam) Homerus non existimauit solum aquam nutrire, sed τροφιμώτατον esse dixit, hoc est, (vt verbum verbo transferam) nutrientissimam. Veteres Hebræi (quemadmodū sæpissime habemus apud Psalmistam) fuerunt quoq; in hac sententia, aquam nutrire: Imo vero hoc tempore, cum à cæteris cibis abstinendum sibi omnino esse putant, aqua nunquam vtuntur. Ægyptii credunt aquam Nili maxime nutrire, quod olim Moyses conuerterit aquam in sanguinem, qua opinione etiam Hebræi mori, abstinent hodie ab ea, quando ieiunare instituerunt. Sed dimissis his testimoniis, videamus quid dicat Hippocrates noster lib. 1. de diæt. Hic enim docens, quemadmodum corpora nostra constituuntur ex igne, & aqua, quid vtrumque præstare possit, subiungit, dicens, ignem omnia mouere, aquam vero nutrire: vt apertissimis verbis videatur testari, aquam nutrire. Idem lib. de affect. alias proponens ea quæ robur corporibus nostris præbent, enumerauit panem, carnem, & aquam etiam: vt non solum videatur sensisse nutrire, sed etiam robur addere Post Hippocratē fuit etiam Aristoteles prima sectio, probl. 3. huius sententiæ: qui quærens causam, propter quam corpora nostra magis alterātur ab aqua, quam ab aere, hanc inter alias commemorat, quod ab aqua nutriamur, non ab aere: quasi nutrimenta nos maxime alterent, non autem ea quæ extrinsecus accedunt, Idem pri. de histo. anim. c. 1. & 8. eiusd. c. 2. & aliis locis testatur, vbi cum docet aquā commutari in vinum mixtione, colligunt interpretes, vinum cum aqua nutrire. Post Aristotelem fuit elegantissimus Celsus, qui commemorans ea quæ sunt minimi alimenti, ponit etiam aquam: nō negat esse alimentum, sed dicit exiguum admodum alere. Plutarchus in q. nat. non longe à prin. quoque disputans, cur aqua dulci nutriantur plantæ, & nō salsa, manifestissime putauit nutrire, quemadmodum etiam vbi quærit, cur aqua puteana minus alat, quam fontana, vel cœlestis, Sed præ cæteris habemus Theophrastum, lib. 2. de plan. qui probauit aquam nutrire, quod pisces, atq;


etiam cicadæ ea alantur. Adeo vt si authores antiquos videamus, non desint qui censeant aquam nutrire. Et inter posteriores Cardan.com.ad lib.de aer.aq. Hipp. manifestissime hoc probare conatus est. Sed præter authoritates, sunt quoq; plurima experimenta: Albertus Mag.lib.de ani.non contemnendus author, narrat sese vidisse melancholicum quendam, qui multis mensibus & annis sola aqua vitam sustentabat: id quod etiam memoriæ mandauit Celius Rhodigen. de quadam puella, quæ diutissime sola aqua vixit. Præter experimenta sunt etiam rationes: quarũ ea est vna, ab omnibus fere sectatoribus huius sententiæ proposita, quod ex iis nutrimur, ex quibus constamus, sed ex aqua cõstamus, ergo ex aqua etiam nutrimur? Præterea si ex aere nutrimur, multo magis ex aqua alimur; quia si expendamus naturam corporis nostri, magis ea similis est aquæ quam aeri. Quod autem aere nutrimur, Theophrast.2.de caus. plant.c.3. manifestissime dixit, quinimo Gal. noster de vsu resp.c.1. etiam apertissime docuit, nos aere nutriri. Igitur satis clarum esse puto, ex sententia Veterum, ex rationib. atq; experimentis aquam nutrire. Ex altera tamen parte non desunt neq; rationes, neq; etiam authoritates. Et primum Plat. lib.5. de leg. demonstrans, quæ sunt illa externa, quibus corpora nostra, ingenia & mores mutantur, inquit, esse alimenta, & aquas. Ex quo discursu perspicue elucet, Platonem aquam ab alimentis separasse. Aristo. 4.met.& lib. de sen. & sen.cap. de sapore, quoq; scribit, aquam nullo modo crassescere, sed si aqua non crassescit, ergo non potest nutrire: quia cum nutriantur partes solidæ, in quibus solis anima est posita, operæpretium est, vt alimentum assimuletur, agglutinetur, & tandem conuertatur in substantiam nutriti, hoc fieri nõ potest, nisi illud quod nutrire debet, crassescat. Galen. 4.aph.13, & 4.de vsu.part.c.7. pluribus in locis videtur attestatus esse, aquam minime nutrire posse. Sed post Galenum, Auicen.2.1.doc.2.c.16. Arabum Medicorum facile princeps, dicit aquam minime nutrire. Et præter hæc testimonia habemus etiam aliquas rationes; quarum illa prima est, quod nullum simplex nutrit, sed aqua est corpus simplex, igitur aqua non nutrit. Præterea si aqua nutriret, operæpretium esset, vt quilibet homines possint sustentari sola aqua, sed hoc falsissimum est, quia vix aliqui reperiuntur, qui possint sola aqua vitam sustentare, ergo vero simile est, non posse nutrire. In hac cõtrouersia fuerunt nonnulli qui dixerunt, rem hanc ita esse definiendam; quod partes solidæ, solidis: spiritus aere; humores aqua nutriantur. Sed miratus sum hanc hominum aliquorum desipientiã, quia fieri nequaquam potest, vt nutriatur illud quod anima caret, nutritio enim opus est animæ vegetantis: humores & spiritus carent anima, quare quis vel mediocris ingenii potest in hanc sententiam venire, vt dicat humores aqua, & spiritus aere nutri? Neq; valet quod ex Galen.& Theophrasto pro se afferunt, quia ea nutritio de qua illi loquuntur, non est vera, sed facta, & simulata nutritio. Alii vt hanc difficultatem soluerent, dixerunt aquam nutrire quidem, sed difficulter, & nutritionem illã esse insensibilem. Sed hæc solutio mihi nunquam probari potuit, quia omnis nutritio, quæcunq; sit, est sensui immanifesta, sola ratione compertum opus, nec cognoscimus quemquam sensu adolescere, nisi post ipsam naturæ actionẽ. Præterea Medici sunt artifices sensati, qui sequuntur res euidentes. Quid igitur dicendum est? Puto ego hanc rem dupliciter determinari posse, vnus modus est, quia à Rondeletio lib.de piscib.cap.13. proponitur, aquam esse simplicem & mixtã; simplicia impossibile est nutrire quidquam mixtum; sed mixta, ita pisces simplici aqua non nutriuntur, sed mixta. Et homines etiam si debent nutriri aqua, mixta fit oportet. Alius modus respondendi est & verior, aliud esse vere nutrire, aliud inseruire nutritioni. Aqua vere nõ nutrit, quia si vinũ minime potest assimilari, vt docui multo minus aqua nutriet, quæ semper attenuatur; quia aqua calida minus grauis est, quam frigida, quod signum est, aquam calidam attenuari. Sed potest quidem aqua inseruire nutritioni, idq; tribus modis: primus est, quia (vt Erasistratus dicebat apud Plutarh. in q.nat. aqua est veluti vehiculum alimenti: perducit ad partes nutriendas alimentum, & dicebat Hippocra. lib. de alimen. ὑγρασίη ὄχημα τροφῆς, hoc est, hu-

est, humiditas, vehiculum alimenti, & Galen. lib. de fac. nat. dixit hac de causa potum esse elargitum animalibus, vt esset vehiculum ciborum atq; alimenti. Alius modus est, quod aqua colliquat & attenuat cibos ipsos solidos: plerunq; enim animalia vescuntur cibis solidioribus; qui, vt nutriant, opus est, eliquescant, & in succũ & sanguinem conuertantur. Tertius modus est, quia præparat, disponit, aptaque reddit corpora nostra ad suscipiendum nutrimentum, vt possit adhærere; non secus ac fabri murarii irrigant muros aqua, vt calx magis hæreat: continuo enim motu & calore exficcantur corpora nostra: irrigat itaq; ea aqua, vt facilius adhæreat alimentum. Hanc rem cum tractaret Plutarch. 6. lib. probl. 3. circa si. tria dicit sempiterna memoria digna: primum est, aquam vtilem esse ad distributionem tum ad dispositionem & aptitudinem corporibus ingenerandam ad suscipiendum alimẽtum. Secundum est: famescentes, si lauentur in aqua famem pelli, quia corpora ipsorum arida sunt, itaq; alimentum quod est paratum conuerti in partes solidas, cum irrigatur, statim apponi. Tertium quod dicit, est, τὰς ἀποκαρτερεῦντας, hoc est, illos qui firmiter sibi proposuerunt seruare inediam, vt diu sustentari possint, solo aquę vsui indulgere, & tamdiu prottahere vitam, donec alimentum illud quod paratum erat ad agglutinandum, totum fuerit consumptum. Hinc colligere facile est, cur aliqui sola aqua diutius protrahant vitam, quia scilicet prout illud alimentum collectum iam antea est corpus viscidum, crassum, & copiosum: diutius viuunt: quod quando finit, vitæ finis statim subsequitur: aquæ autem vsum facere, quo minus celeriter paratum illud nutrimentum absumatur, sicq; nutrire videatur, certum lucernæ experimentum docet, in qua si oleo paululum aquæ imisceatur, proculdubio diutius protrahitur, nec tamen ipsa flammam alit, sed compescit, ne ita cito oleum depascatur.

FINIS.

HIERO-







HIERONYMI MERCVRIALIS FOROLIVIENSIS MEDICI PRÆCLARISSIMI

PRÆLECTIONES BONONIENSES

In libros Hippocratis De ratione Victus in morbis Acutis euidentissimæ

A Petro de VVittendel Philosopho & Medico ex ore ipsius diligenter exceptæ nunc primum in lucem editæ.

LIBER PRIMVS HIPPOCR. DE RAT. VICTVS in morbis acutis: prout Galenus distinxit.

Auctoris Præfatio, & commentationis caussarum enarratio.



VR post librum secundum Epidemiorum Hippocratis deliberauerim interpretari vobis librum de ratione victus in morbis acutis, complures me caussæ compulerunt. *Caussæ susceptæ commentationis.* Prima fuit, quod (vt alias dixi) decreui solum Hippocratem interpretari. Imo vero sum huius sententiæ nullum alium autorem fere dignum esse vt publice legatur. Nam autores, qui opus habẽt interpretatione, illi sunt, qui obscuri sunt, & multa paucis verbis docent. *Quæ auctores explanãtur.* Præter Hippocrat. nullum fere inuenias qui paucis verbis multa, eaq; scitu dignissima complectatur. Galenus & Auicẽnas sunt quidem autores probatissimi; sed ita clare, vt fere interprete non egeant. Iure igitur deliberaui, totam medicinam ex Hippocr. vos docere. Secunda caussa fuit, quod annis elapsis fere theoricam medicinæ partem tractaui; & cum intellexi, aliqua ad praxin spectantia à me maximopere desiderari, existimaui nullum huic libro esse præferendum. Tertia caussa est, quod velut fatum quoddam est meum, quod aueo libros interpretari (siue sit ambitio, siue impudentia) super quos nulli aut paucissimi commentaria scripserunt. Vt igitur vos ad Medicinam hanc cognoscendam præparatos & attentos reddam, tria hodierno die breuissime tractabo. Primum erit, quis sit author huius libri. *Tractandorum series.* Nam quanti faciat authoritas scriptoris ad acquirendam beneuolentiam & attentionem, nemo ignorat. *Quis author lib. explicãdi.* Et Hippoc. tantæ est authoritatis & nominis, vt, qui eum intelligant, vere Medici appellari possint. Alterum erit, quæ sit inscriptio huius libri. Hoc quoque valde confert vt intelligatur: quia cum pollicetur res tractandas, ex cognitione huius, auditores comprehẽdunt ea, quæ toto opere cõtinentur. Tertium, quæ sit anatome, & veluti, σύνοψις huius libri.

Incipia-

Incipiamus itaq; Athen.lib.2.dipnos.in voce coccalo scribit, de his libris duas fuisse opiniones. Alios credidisse, hunc librum ex medio esse spurium, & ex medio esse legitimum.

Variorũ de hoc Hippocr. libr. iudicia.

Alios, qui existimarint totum esse spurium. Galenus quoq; in initio commen. huius libri videtur hanc opinionem nobis significasse, scilicet non esse Hippocraticum. Et vt ego puto, qui hanc sententiam sunt sequuti duab. rationibus videntur esse compulsi. Vna fuit, quod Hippoc. breuitatis amantissimus non solet ita magna proæmia suis libris præficere. Præterea, non solet vsq; adeo clarus esse & apertus, vt hic est. Veruntamen, si Galen. fides est adhibenda, quemadmodum existimo, hac in re certissimum esse illius testimonium; is 3. lib. de diff. resp. cap. 1. (vbi censuram quandam fecit operam Hippocrat.) dixit, hunc librum partim esse Hippocratis Coi Magni, partim esse spurium. Legitimus est vsque ad eam partem tertii libri, in qua tractatur de balneis. Spuria est ea pars, quæ à tractatu de balneis ad finem quarti libri perducitur: Adeo vt veluti decreto habendum sit posteriorẽ partem esse vel Philistionis vel Antistonis vel Euryphontis.

Obiectio.

Sed video dicturum esse aliquem: si ea pars non est vere Hippocr. cur itaque Gal. vsque adeo luculentissimis commentariis eam interpretatus est? Non debebat hoc agere. Audite. Omnes scriptores. Medicinæ veteres, quicunq; etiã sint, digni sunt vt legantur; quia, tametsi habeantur in his aliqua quæ non sunt ita digna: tamen si æstimentur, sunt etiam multa, rara, quia primi scriptores non scribebant omnia, sed pauca & rara, quæ legendi sunt, etiam spurii libri, & sub nomine Hippocratis. Et hæc est ratio, propter quam Galen. 3. de diff. resp. in fine capitis primi dicebat, se citaturum esse omnia Hippocratis etiam spuria opera: scilicet, quia intelligebat, etiam in spuriis commentariis Hippoc. multa rara, multa scitu digna reperiri. Et hoc seruiat vobis, vt vbi videatis meum Hippocratem censutari, non negligatis etiam partes spurias. Marcus Varro, Strabo & Plinius authores celeberrimi imputarunt Hippocrati, quod cremato templo Æsculapii ex tabellis ibi conseruatis, ab eoque subreptis hos libros conscripserit.

Excusatio Hippocr.

Quam rem vt intelligatis, operæpretium est me illa in memoriam vobis reuocare, quæ 5. de med. secundum genera à Galen. scribuntur, necnon 6. epid. scilicet tempore Hippoc. studia duntaxat floruisse apud Ægyptios & Græcos:

Mos veterũ Ægyptiorũ & Græcorũ

Illi ægros omnes in publicum exponebant, quos quicunq; transibant, docebant remedia. Remedia obseruata longo tempore conseruabant in templo Isidis, & etiam columnis. Et notate, quod scribit Heliod. apud Ægyptios tanto in pretio fuisse remedia conseruata in templo Isidis & columnis, vt etiam conseruarentur ii, qui ex legibus his atque præceptis hominem iugulassent, & capite plecterentur qui contra aliquid essent moliti. Apud Græcos erat alius vsus: Omnes ægri qui sanabantur, erant obligati remedia quibus vsi fuerant, deponere in tabellis, & eos templo Æsculapii imponere: adeo vt diuersa remedia in hoc templo haberentur. Dicunt ergo Hippocratem concremato hoc templo, eripuisse tabellas, & ex his hunc librum aliosq; fecisse. Sed ille vir sanctissimus, cui aræ & templa fuerunt dicata furti est accusandus? Absit. Fecit hos sua singulari prudentia, summoque vsu.

Quis titulus libri genuinus.

Secundum erat, de inscriptione. Inuenio pluribus modis inscriptum hunc librum. Plinius citat sub titulo hunc librum, De laudibus ptisanæ, nec sine ratione: quia in eo maxime celebrat ptisanam, vt iure hic titulus sibi aliqua ex parte conueniat; sed quia ea pauca sunt, & titulus debet semper totam tractationem referre: eapropter à plerisq; repudiatus fuit: Atheneus etiam loco citato citat hunc librum sub nomine ptisanæ, Cœl. Antelius, & idem Athen. citant simpliciter sub nomine de diæta. Sed neq; hic titulus est accommodatus huic libro; quia etiamsi tractat de diæta, tamen minus vniuersalis est hæc tractatio, quia nõ tractat de diæta, sed de diæta acutorũ. Alio modo inscribitur aduersus Cnidias sententias, quo pacto & veteres fere omnes inscribebant, & etiam à Cœlio Aureliano sępenumero citatur.

Quæ scholæ Hippo. ætate celebriores.

Sed vt rationem huius tituli consequi possitis, ne sitis medici vulgares, nonnulla sunt enumeranda, quæ ad rem nostram non parum spectant. Tempore Hippoc. (vt ego reperio) tres fuerunt nobilissimæ scholæ: vna Rhodi; altera in Sicilia, & præsertim in

vrbe

vrbe Catanensi: tertia fuit in Cnido, in qua præter alios medicos excelluit Ctesius Medicus, Artaxerxis posterioribus etiã temporibus in Alexãdria, vbi docuit Herophilus, Medicus celeberrimus, vnde secta relicta est Herophilæa. Hæc secta florebat tempore Strabonis, quo tempore viuebat Cæsar. Smyrnæ etiam alia secta fuit, vbi floruit Erasistratus, vnde Erasistratæi originem primam duxerunt. Sed hæc tempore Hippocratis non fuerunt; verum Rhodus, in qua Theophrastus præ cæteris excelluit, adeo, vt Aristoteles nominaret hunc vinum Rhodium, quasi ille præferretur cæteris vt vinum Rhodium. Fuit hæc insula semper deditissima studiis, & illud habuit, quod etiam nunc habet, quod omni die semper sol appareat: propterea Colossum habent, qui est inter septem miracula mundi, tanquam sol semper eam regionem collustret. Floruit pariter Schola in Sicilia: & præsertim Pythagoræ; sed præ cæteris in Cnido, ex qua Hippoc. & multi alii medici emanarunt. Illam (quãtum ego puto) hæc Schola fecit librum, quem appellauit Cnidias sententias. Et si licet mihi vetusta recentibus comparare, iurarem Cnidios fecisse librum, quemodum auitis temporibus Schola Salernitana. Itaq; nisi me fallit ingenium meum, Cnidii fecerunt has sententias. In his erant multa errata, doctrina barbare facta, & dogmata maxime noxia, & præsertim circa victum. Et cum victus non solum ad medicinam faciendam, sed ad eam alendam & propagandam valde cõferat, putauit Hippoc. sua maxime interesse has sententias confutare. Quapropter edidit hunc librum aduersus hos, & forsan ipse quandoq; appellauit librum aduersus sententias Cnidias. Quidam Andreas male conscius medicus apud Soranum in vita Hippoc. ausus est dicere, Hippocratem tanto odio fuisse aduersus hos Cnidios, vt combusserit præclarissimam illorum bibliothecam, & propterea diu exulasse à patria. Sed puto ego, purum & putum esse mendacium, & virum probissimum nunquam eo insaniæ deuenire potuisse, vt illud facinus committeret. Et forsan (si mihi licet dicere quæ sentio) hæc calumnia fuit ei iniusta, quia scriptitarat hunc librum aduersus pernitiosissimas sententias illas Cnidias. Postremus titulus est de victus ratione in morbis acutis, qui omnium maxime respondet materiæ. Et hinc est quod hic titulus semper fuit receptus. Atque hac ratione etiam habemus complures libros nomine Hippoc. sub titulo de diæta. Primo habemus tres libros qui simpliciter de diæta inscribuntur, inter quos primus omnino est spurius & plenus figmentis: posteriores duo sunt tolerabiliores, quia in illis multa præclara, multa scitu digna habentur. Præterea habemus vnum de diæta salubri, quem librum nescio quo spiritu allegauit Galen. lib. de nat. hum. Et forsan tempore Galen. inuenti sunt hi libri, ita annexi copulatiq;, tametsi nulla sit in ipsis connexionis ratio. De hoc autem inuenio varias sententias: imo Galenus in initio commentarii ipsius libri, & in fine lib. de nat. hum. videtur existimasse fuisse Polybii, qui fuit amantissimus discipulus Hippocratis, & qui magni factus est 3. de hist. animal. Sed in commenr. horum librorum de vict. rat. in morb. acut. scribit, à nonnullis existimatum fuisse Euryphontis esse, ab aliis Aristonis, ab aliis alterius. Sed vtcunque sit dignissimus est vt legatur. Verum est præ cæteris dignus hic liber, qui inscribatur de victus ratione in morb. acut. & licet de peripneumonia, de pleuritide tractet est tamen in eo ratio regulaq; gubernandi ægros in morbis acutis. Adeo vt hic titulus huic libro & materiæ sit omnium accommodatissimus. Tractatio autem (quod tertio fuit propositum explicandum) ita se habet: totus liber diuiditur in duas partes: Prima est ab initio vsque ad tractationem de balneis, quæ legitima est: Altera est, spuria ab ea tractatione vsque ad finem. Prior pars diuiditur adhuc in procemium & narrationem. Procemium totum illud est, quod habet Hippocrat. vsque ad hæc verba: De ptisana autem narratio rursus in alias partes diuiditur, &c. In prima parte tractat de ptisana: de laudibus eius; de recta administratione atque vsu: de abusus detrimento. In alia parte tractat principaliter de pleuritide, quam sumpsit præcipue tractandam, vt vnius exemplo reliqua doceret, & pleuritidis potissimum: quia est certissimum omnium morborum acutorum. Dicebat enim

Cnidiæ sententiæ à quibus scriptæ.

Andreæ cuiusdam falsum de Hipp. iudicium.

Quæ partes institutæ tractationis.

Galenus, nullum esse morbum, qui habeat signa æque certa ac scientifica, quam dysenteria & pleuritis. Itaque cum docere vellet rationem diætandi in morbis acutis: & videret magnum morborum agmen, scripsit exemplum pleuritidis, atque in hac parte multa præclara docet, de consuetudine, totaque victus acut. ratione instituenda: de vsu vini, mellis, oxymellis, & mulsi. Atque hæc est rudis & breuis totius legitimæ partis huiusce libri anatomæ. Nunc proœmium aggrediamur.

οἱ ξυγγράψαντες τὰς κνιδίας.

Qui Cnidias vocatas sententias scripserunt, &c.



Medicina ante Hippo. valde amethodica.

Hoc, quod sumus interpretaturi Hippocratis proœmium, si à vobis legatur, plane confusum, & sine ordine reperietur. Erat enim tempore Hippocratis disciplina Medica ita rudis, vt ignata esset ætas illa, ordine & methodo docere. Et quamuis Galenus conatus est, ordine interpretari: tamen cum ipsius verbis inhæret, non potuit hoc æque recte assequi. Propterea, vt possimus ad alia, quæ magis referunt, transire, decreui hoc proœmium per capita quędam complecti, vt ea facillime comprehendatis atque memoria teneatis. Sed priusquam hoc

Obiectio.

aggrediamur, dubitari potest, cur Hippocrates, qui breuitatis semper fuit amantissimus, huic libro præfigere voluerit proœmium longissimum. Nam in aphoris. prognosticisq;, quæ sunt commentaria æterna memoria digna, nihil vel parum est præfatus. Si longa præfatione vtitur hoc in libro, multum à consuetudine sua defecit, quemadmodum aliqui existimarunt librum de officina Medica non esse Hippocratis propter longam præfationem. Alii dixerunt esse quidem Hippocr. sed librum istum esse velut prælaudium totius artis Medicæ. Et (vt hoc obiter dicam) soleo ego hunc librum assimilare libro Metaphys. Aristotelis. Nam fuerunt aliqui qui crediderunt illos libros esse, veluti prælaudium omnium scientiarum: quod ex principio primi libri colligunt. Ita ego puto hunc esse veluti prælaudium omnium librorum. Sed de illo libro non est iam pluribus agendum, sed de hoc, quem nunc præ manibus habemus. Vt autem Hippocratem excusemus, in memoriam reuocare oportet ea, quæ scribit Aristot. 3. rhetor. cap. 14. Quo in loco vult esse hunc veluti characterem, vt in proœmiis semper breuitet res tractanda explicetur. Et idcirco, vbi res sunt claræ, & pauci momenti, non est opus proœmio: sed quotiescunque sit incognita auditoribus, & magni momenti, necesse est semper, vt proœmium habeatur. Hoc itaque constituto, videamus nunquid Hippocrates putarit iure sibi esse præfandū. In primis res tractanda erat magni momenti. Morbi enim, si æstimentur & vehementia symptomatum, & periculo vitæ, magni sunt: ita vt requirant totum medicum. Præterea res tractanda erat tempore Hippocr. maxime ignota: siquidem vsque adeo confusa erat & contaminata prauis dogmatibus doctrina, vt coactus sit præfari. Siquidem magnitudo rei tractandæ, & obscuritas hoc postulabat. Sed dicet aliquis: nonne aphorismi sunt magni momenti? Imo, apud Suidam legimus, intellectum humanum eos superare. Sunt præterea valde inuoluti tenebris obscuritatis. Itaque æquius fuerat præfari in libris aphorismorum, quam his. Tempestate sua doctrina morborum acutorum erat valde violata à Cnidiis (quorum authoritas summa erat.) Quamobrem traditurus verum modum diætandi in morbis acutis, habuit necesse, vt repurgaret ingenia à prauis dogmatibus. Ea de caussa coactus est longius præfari. Itaque valet, quod aphorismi sunt magni momenti, & obscuri, quoniam hi non habent peculiarem tractatum, nec scripti sunt aduersus quenquam. Iam in enarrando huiusmodi proœmio, haudquaquam progrediar secundum contextum Galen. ne longiores sine fructu simus: sed summatim, non tamen absque aliqua contemplatione percurremus.

curremus. Tria itaque summatim continet totum hoc proœmium. Primum est, quæ caussa impulerit illum ad scribendum hos libros. Secundum, quo fine de hac materia tractandi in animum induxerit suum. Tertium erit tractandarum rerum propositio. Nihil enim aliud quam hæc tria conatur explicare. Examinemus itaq; vnumquodque ex his capitibus: Caussa, quæ ipsum impulit ad hos libros conscribendos, fuit desiderium iuuandi humanum genus. Ita enim hoc studio flagrauit, vt aræ ac templa illi hoc nomine sint dicata. Sed quibus modis potest Medicus prodesse humano generi? præcipua via est spoliare & exuere ingenia prauis dogmatibus. Itaque Hippocrates, quia sibi hoc propositum habebat, existimauit nihil sibi satius fore, quam vt elideretur ex animis hominum praua Cnidiorum doctrina. Sed quæ erant hæc praua Cnidiorum dogmata? Vt perspectum est omnibus, tota ars nostra ex tribus partibus est conflata: vna est σημειωτική, quæ circa signa morborum versatur. Altera est θεραπευτική, quæ morborum omnium curationem prosequitur. Tertia est παθολογική, quæ naturam & caussas omnium morborum venatur. Circa quas partes ita errarunt omnes, vt praua dogmata seminauerint. Primum (inquit) errauere in tradendis signis, quia fuerunt quidem diligentiores in tradendis iis signis, quæ vnusquisque potest colligere ex ore ægrotantium: sed signa, quæ debet Medicus suo Marte comparare, neglexerunt, dimiseruntque partem vere Medico dignam, & sequuti sunt partem omnibus notam. Errauerunt quoque (inquit) circa θεραπευτικὴν Medicinæ partem: siquidem cum tota hæc pars versetur circa morbos vel acutos, vel diuturnos, in curatione vtriusque fefellerunt.

Proœmij partes.

Caussa, quæ Hipp. impulerit ad scribendum.

Partes vniuersæ medicinæ.

Quoque versum.

Primo fefellerunt in diuturnorum morborum curatione: hinc videtis quam pauca remedia proposuerunt: nam præter serum, elaterium & lac nullius meminerunt. Sed dicet aliquis ea de caussa illos maximopere esse laudandos, quod paucissimis remediis vsi sint. Respondet Hippocrates, optimum quidem esse paucissimis remediis vti, quando sufficiant ad curationem, sed tradere remedia pauca, neque sufficientia (quod fecere Cnidii) maximo vituperio sunt explodendi. Circa vero morbos acutos etiam fefellerunt, quia etiamsi proposuerunt plurima remedia, attamen circa curationis rationem sunt decepti: quasi dicat: ergo necessarium nos eam tradere. Errauerunt etiam circa παθολογικὴν, quia multo plura genera morborum fecerunt, quam ratio & experientia docent. Plinius libro vigesimosexto scribit constitutum esse apud omnes, trecenta morborum genera esse, quibus humanum genus afficitur. Sed Cnidii multo plura constituerunt, quia quot symptomata videbant vexare humanum genus, tot existimabant esse morbos, adeo (inquit Galenus) quod bilis septem genera faciebat, reddunt duodecim.

Cnidij quot remedia statuerint.

Obiectio.

Atque ita cum multiplicauerunt morborum genera, ingenium hominum confundebant, artemque potius destruebant. Itaque subiungit tractandam esse hanc artem cito, tuto, iucunde, quod minime faciebant Cnidii, qui multitudine morborum irretientes ingenia hominum, ea vacillare faciebant. Et dicit Hippocrates, quanquam illud est necessarium in omnibus morbis: tamen maxime refert in acutis, & maxime iis qui habent continuas febres secum, cuiusmodi est phrenitis, pleuritis, peripneumonia. Nam huiusmodi morbi, vbi sparsim vagantur, non publice, fere semper homines interimunt magis, quam illi qui publice grassantur.

Tuto, cito, iucunde fieri medicinam.

Atque hæc omnia sunt quæ Hippocrates primo cap. complectitur. Circa quæ antequam vlterius progrediamur, duo sunt contemplatione digna & maxime vtilia ad Medicinam faciendam: Primum est vt videamus quo pacto sero, elaterio, & lacte vterentur. Non damnat Hippocrates eos, quod his remediis vterentur, sed quod pauca erant. Aliud etiam contemplatione dignum est, quo pacto Hippocrates diceret, morbos sporadicos esse magis periculosos quam pestiferos: cum tamen nullus non sciat, maximam partem eorum, quos hic morbus corripit, mori.

Dubiorum quorundam enodatio.

mori. Circa primum videndum est, vtrum sero vterentur tanquam medicamento purgatorio, an tanquam alterante. Quod non vterentur tanquam purgatorio, illud videtur testatum reliquere, quod serum sit aqua pura, imo Aristotel. libro 4. Metheor. reponit inter aquas fere primo loco. Non igitur videntur vsi fuisse, vt purgatorio. Sed sum ego huius sententiæ, vsos esse præcipue tanquam purgatorio, quia cum eo tempore carerent illis medicamentis subductoriis, quæ nos habemus, & cogerentur vti grauioribus, nihil erat sero facilius sumptu & operatu. Et miror, cur hæc nostra ætas vsq; adeo cœcutiat, vt prorsus repudiet hoc remedium. Sed cum nō possit purgare, cur vtebantur? Tribus modis eo vtebantur, miscentes mel & sal, vt expurgare posset. Præterea in magna copia quæ illis suppetebat loco facultatis. Et quod hoc sit verum, videre potestis non solum apud Aetium & Paulum, qui vsque ad quinquaginta vncias præbent, sed ex Hippocrate, qui 2. Epid. circa finem (vt audiuistis) dedit ad 8. heminas, hoc est, octoginta circiter vncias: quemadmodum nos facimus. aquam thermalem præbentes. Vtebantur etiam nutrito animali herbis purgantibus, vt tithymallo & etiam elaterio. Sed dubium est, an vterentur, vt alterante sero, quia nondum videtur constitutum de temperamento illius.

Serum, quale apud Cnidios medicina.

Seri quæ præparatio.

Nam dum hanc rem maxime contemplor, video Galenum sibiipsi atque etiam Arabibus hac in re esse contrarium. Sibiipsi, cum Galenus ipse 4. de simplic. lib. cap. 17. dicit frigidum & humidum esse: tertio autem de aliment. facultatib. cap. decimosexto, alicuius caloris particeps facit. Contra Mesues lib. de simplic. cap. nono, dicit, esse calidum & siccum. Auicennas dixit, calidum esset licet taceurit exiccare. Itaque cum non sit constitutum, quæ illius sit temperies, existimo rarissime illos vsos esse pro alterante. Sed quid de hac conttonersia dicendum? Nonnulli, vt hunc nodum dissoluerent, imaginati sunt, serum posse considerari respectu sui, & respectu hominis. Respectu sui, inquiunt, refrigerare & humectare: respectu vero hominis consideratum, calefacere. Sed ridere soleo horum infantiam, quia experientia ipsa docet, homines ipsos hoc medicamēto refrigerari. Præterea, quis ignorat hominē calidissimum omnium animalinm, esse calidiorem ipsa aqua. Puto ego serum considerari posse dupliciter: vel perfecte, separatum à butyro & caseo: vel non perfecte separatum. Si perfecte est separatum, refrigerat, quia est pura aqua: & hoc pacto intelligendus est Galenus, quando scribit refrigerare. Sed si consideretur imperfecte separatum, calefacit, & hoc facit tatione butyri. Et puto ego maxima ex parte consueuisse solum separare olim à caseo, quando volebant vti pro medicamento. Erotianus enim in Onomast. Hippocrat. declarans quid apud Hippocratem significet hæc vox ὀρὸς, & præsertim hoc in loco, inquit, id totum esse seri, quod supereminet caseo: pari pacto Hesych. & Pollux ex sententia Hippocratis idem dixerunt. Adeo vt, si verum est hoc, (quod omnino existimandum est verissimum esse) cogamur fateri, serum esse partem illam, quæ mixta est ex aqua & butyro. Et cum hoc ita sit, illi qui sequuti sunt veteres, Arabesque, in re dixerunt calefacere. Igitur hunc in modum accepto sero, existimo iure potius vsos esse eos, vt medicamēto alterante. Sed quid dicemus de lacte? quomodo eo vtebantur? Quod vtebantur eo veluti alimento, apud omnes compertum est. Quod vterentur vt medicamento alterante, etiam certum est, quia optimum est medicamentum in alimento (vt; dicebat Hippocrates) quale est lac. Sed vtrum lacte vt medicamento purgante vterentur, potest esse cōtronersia. Cæterum certum est, veteres vsos esse eo tam ad purgandum, quam ad alterandum & nutriendum. Et hoc apparet ex omnibus monumentis Hippocratis tum ex Galeno sexto Epidem. comment. quinto, text. trigesimoquinto, & tertio, de alim. facul. decimoquinto, vbi scribit veteres medicos vsos esse lacte ad purgandum ob serum, modo melle mixto, modo copioso, modo ex caprio, quæ pastæ essent medicamentis purgantibus, cucumere asinino, scammonio.

Lactis quis vsus apud Cnidios.

Lac vt medicatū fiat.

Inquit

Inquit enim Hippocr. mulier & capra elaterium vel cucumerem agrestem depastæ, pueris purgatio. Quæ verba cum interpretaretur diligentissimus Galenus, duo dixit memoriæ mandanda. Vnum est ex hac verborum serie haberi magnum dogma pro medicina facienda, scilicet, quod vbi volumus purgare corpora, & blande, nulla via est securior, quam medicamentis purgantibus nutrire animalia. Aliud est quod ait Galenus colligi ex his Hippocratis verbis, falsum esse, medicamenta ita refringi in corpore, vt amittant suam facultatem; quia videtis non alia ratione commendari lac mulieris vel capræ depastæ elaterium, scammonium, quia hoc vim purgandi imbibit. Addit Galenus Thracas non solere sese aliter purgare, quam hac via: & multos se cognouisse scribit in Bœotia, Thessaliaque, qui incidissent in conuulsionem, quia comederant cothurnices quæ veratrum comedissent.

Erat secunda dubitatio, quomodo dixerit Hippocrates morbos sporadios esse magis exitiales morbis pestiferis, quandoquidem definitio pestis est ea, vt maiorem partem interimat. Quod si verum est, non videtur Hippocr. sapienter admodum dixisse, esse lethaliores pestiferis. Vt autem hic nodus ex arte soluatur, breuiter percurrendum est, qui sint morbi sporades, qui pestilentes. Morbi σποράδες, (vt notat Galenus primo Epidem. & lib. de ling. Hippocr. & Erotian.) dicuntur morbi dissimiles inter sese, & dissimili regione vagantes: exempli gratia quod pleuritis, peripneumonia, in hac vel illa regione homines inuadat: de quibus dixit Hippocr. 3. Aphoris. 19. omnes morbos fieri in omnibus temporibus, sed in vno magis: sed contra hos sunt alii communes appellati, qui etsi sunt communes, sunt tamen similes: atque hi sunt communes, alii vni regioni, alii pluribus. Qui sunt communes vni regioni, appellantur inquilini à nostris, (de quibus locupletissime tractauit Hippocrates, lib. de aer. aq. & loc.) vt podagra olim Athenis erat morbus inquilinus. Alii vero sunt communes pluribus regionibus non vni: atque hi sunt salubres vel insalubres, salubres nomine communi ἐπιδήμιοι: insalubres vero pestilentiales vocantur.

Quomodo morbi sporadici, pestiferis lethaliores.

Morbi qui Sporadici.

Morbi qui communes.

Adeo vt hæc sit differentia, quod morbi sporades sunt dissimiles sua natura, pestilentes similes. Quod ad pernitiem attinet, non habemus morbos sporadicos ex sua natura esse lethales. De morbis pestiferis habemus, maximam partem eorum qui ab his corripiuntur interire. Sunt ergo morbi epidemii pestiferi lethales, qua ratione (inquit Galenus 1. huius tex. 9.) factum est vt Hippocrates nunquam ediderit libros de peste, quia sub epidemicis complexus est libro proprio morbor. epidem. His itaque constitutis duobus modis ad dubitationem responderi potest: Vno modo, quod Hippocrates non dicat morbos sporadicos esse magis exitiales, sed quod dicat, nisi sit constitutio pestilens, morbos acutos & sporadicos magis perdere, quam alii morbi omnes.

Alio modo responderi potest, morbos acutos, qui habent febrem coniunctam continuam, vt est pleuritis, phrenitis, peripneumonia, hos inquam morbos magis perimere homines quam pestem. Nam pestis admodum raro fit, & quando contingit, etiamsi perdat maximam partem hominum, nihilominus magna etiam pars euadit. Morbi acuti qui habent febrem continuam coniunctam, cuiusmodi sunt inflammationes, omni tempore (vt ait Hippocrat.) fiunt: & quando fiunt, sunt sua natura exitiosissimi, necessarioque omnes perdunt. Secundum, quod diximus in hoc procemio ab Hippoc. proponi, est scopus & finis huius tractatus, de quo loquens, eum sibi scopum & finem proponit, docere rationem instituendi victus in morbis acutis, non omnibus, sed iis qui habent febrem assiduam coniunctam. Neque valet quod Hippocrates multa etiam dicit hoc in libro de aliis medicamentis, quia hoc agit, vt demonstraret, dirigi omnia ad hunc scopum, id est, ad rationem victus. Sed vt de hoc fine certa cognitio habeatur, duo occurrunt dubitatione digna. Vnum est, quomodo possit habere finis rationem victus, cum fere consumit librum hunc loquendo de pleuritidis & peripneumoniæ

curatione. Alterum est, quomodo, si Hippocrates habuit hunc finem, nihilominus in proœmio morbos diuturnos commemorat. Si de acutis morbis loqui vellet, non opus erat proponere reprehendereque remedia morborum diuturnorum. Pro prima dubitatione, cum aliis dicendum est, finem alium esse principalem, alium minus principalem. Finis principalis Hippocrati est ratio victus. Si autem loquamur de minus principali fine, inquiunt, habuisse etiam hunc finem, tractare reliquam curationem morborum acutorum. Sed hæc solutio mihi non placet, quia Celsus elegantissimus libr. tertio, cap. 7. sequutus Hippocratem lib. de affect. scribit in curatione morborum acutorum operæpretium esse vt celeriter, modo hoc, modo illo remedio vtatur, quia cum periculum sit propinquum & maximum, nisi Medicus properet remedii varietate, facile fit vt extinguatur. De ratione victus nihil dicit, quasi vero multo magis referret curatio reliqua morborum acutorum, quam victus: præterea celerrime iudicantur morbi acuti, ad summum die 14. & illi, de quibus loquitur Hippocr. 7. in hoc tempore victus tenuissimus est necessarius. Itaq; nulla huius est sollicitudo, quia pauca res est victus tenuis cognitio præscriptioq;. Quid igitur dicendum est? puto ego hunc finem sibi proposuisse Hippoc. quia nihil aliud studebat, quam errores Cnidiorum confutare. Errores Cnidiorum erant potissimum circa victus rationem, quasi vero circa reliqua remedia non adeo errarint: Quapropter cum redarguendi hi essent, necessario erant redarguendi, in quo maxime peccabant. Quare victus ratio sibi potissimum finis fuit. Quid ad aliam dubitationem dicendum est? cur in tractandis morbis acutis commemorat morbos diuturnos? Dupliciter responderi potest, commemorasse eum morbos acutos consecutiue, non primario: quia morbi longi & breues videntur esse correlatiua. Cum ergo inquit, morbos acutos aliquam conditionem habere necessarium est morbos longos habere conditionem pene contrariam. In morbis longis dicit errasse circa medicamenta Cnidios, quia in acutis non errarunt. Dicit rursus peccasse circa victum in acutis, quasi dicat non peccasse in diuturnis. Alio pacto responderi potest, Hippocr. propterea commemorasse morbos acutos, vt tueretur sese à suspicione malignitatis. Nam quicunque volunt aliquem accusare, nisi sint aduersissimo erga illum animo, debent quidem accusare quæ merentur reprehensionem, sed pariter afferre in medium, si quid habet boni. Igitur cum Hippocrates studio iuuandi homines scribebat hoc opus, vt amplificaret Cnidiorum errores, suamque sententiam à malignitate liberaret, voluit quasi commendare Cnidior. vbi aliquam laudem merebantur, quasi diceret, quod in acutis circa medicamenta melius sese gesserint, quam in longis, & quod in his melius se gesserint circa victum, quam in acutis, nam sic iustius videtur eos damnare.

Redarguendi quis modus.

Hipp. candor.

Itaque uire de victus ratione, quæ est res maximi momenti, agit. Etsi enim (vt ait Hippocrates lib. de Arte veteri, diæta primo omnium est inuenta, quia ægri ignari olim medicinæ, statim se conuertebant ad contrarium victum. Nihilominus fuit tarde exculta. Imo Ægyptii in columnis & obeliscis, arcana medicamenta scribebant, non victum. Et Aristot. 3. Politicor. vndecimo, damnat eos qui victum & aliorum remediorum vsum primis diebus aspernabantur. Sed quæ est ratio, quod ita sero hæc pars vsque adeo necessaria sit exculta? Duplici de caussa, mea quidem sententia, id factum esse arbitror. Prima fuit, quia homines vix induci possunt ad sumendos illos cibos, qui palato non placent. Experimur omnes homines quotidie ægre assumere medicamenta: victum vero quotidianum consuetum & gratum difficile relinquere, & rarissime, propter maximam congruentiam quam habet cum natura. Alia caussa est tradita nobis libro tertio de Republica à Platone, quia diæta diu homines detinet, medicamenta vero cito morbum finiunt. Atque hoc illi omnes præferunt, cito legibus & regula solui: Tertium & postremum quod facit Hippocrates, in proœmio est, quod proponit aliquas dubitationes sibi tractandas circa victum: scilicet dignas, vtiles,

Diætitica quam necessaria.

Diætitica cur serius exculta.

vtiles, & à nemine tractatas. Sed quæ sunt illæ dubitationes? Quod aliqui in morbis acutis præbent ptisanam integram, non colatam: Aliqui sunt qui præbent ptisanam colatam, non integram: Aliqui neque crassum neq; colatum hordeum dãt, nisi transacto septimo, vel nisi accedente iudicio. Sed cur Hippocrat. potissimum loquitur de ptisana? cur inquit omnes disputationes fuisse in morbis acutis de hordeo, de ptisana.

Reperio tempore Hippocratis, atq; etiam aliis temporibus in frequentissimo vsu fuisse hordeum, adeo vt etiam pelta & maza fieret ex hordeo: Imo narrat Herodotus lib. 2. Ægyptios etiam vinum consueuisse facere ex hordeo cum carerent vineis. Et quemadmodum hodie nullus est morbus acutus, in quo non offeramus pauatellam, quia est cibus familiaris: ita cum hordeum esset cibus omnium familiarissimus, omnes disputationes iure erant de hordeo. Sed cur est hæc disputatio adeo vtilis? Huiusmodi quæstiones (inquit Hippocrat.) neque proponi, neque propositas solui consueuisse: & propterea vulgares videntes hanc dissensionem inter proceres artis, existimabant artem purum figmentum esse, aut diuinatricem & haruspicinam: Quos tamen refellit idem Hippocrates lib. de art. veteri, vbi scribit eos quoque, qui videntur fidem habere Medicis, sese tamen postulante necessitate Medicis vel Medicinæ concredere: quod sane haud facerent, nisi medicinam magni existimarent. Hanc etiam sapiens ille Ecclesiastes prædicabat: Altissimus creauit Medicinam, & sapiens non abhorrebit eam.

Hordei vsus tẽpore Hippoc. frequentissimus. Vinum ex hordeo.

Concludit autem huiusmodi procemium præclaro quodam elogio, scilicet huiusmodi contemplationem, esse præclaram, & continere plurimas & pulcherrimas speculationes, adeo, vt maxime conferat ægris ad sanitatem recuperandam, conseruandã & robur, bonumq; corporis habitum acquirẽdum. Sed video statim aliquem esse dicturum, qui fieri posit, vt tractatio de victu acutorum morborum cõferat iis, qui sani sunt, & qui sese exercent, vt athletis? De sanis inquit Cels. quod, qui sani sunt, & suæ spontis, nullis obligare se debent legibus, & neque Medico, neque ἰατροαλίπτα egent. De iis, qui sese exercent, potestis legere lib. 1. meorum Gymnast. quis victus illis sit necessarius, qui multum sane abest à victu morborum acutorum. Quomodo ergo dicit sanis & exercentibus sese vtilem esse hanc speculationem? siquidem victus acutorum, de quo loquitur Hippocrates, neque his neque illis conuenit? Galenus satagit multis verbis more suo, vt tollat hunc nodum, ostendere Hippocratis hæc verba esse prolata de totius artis Medicæ speculationibus, quasi ad omnia prædicta obtinenda illæ mirum in modum conferant. Alii dixerunt, hæc postrema verba esse intelligenda de ratione victus communi, quasi hæc sit maxime necessaria, non solum ad recuperandam sanitatem, sed conseruandam, & vires acquirendas. Hæc responsio vera quidem est, siquidem nihil confert æque ad conseruandam sanitatem, quam pertinax viuendi ratio, vt dicebat Celsus & Galenus libro quarto de sanit. tuenda. Sed nihil facit ad hæc verba, (ad quod quisque voluerit) vtilem esse hanc speculationem, ad omnem artem & intelligentiam. Quapropter puto Hippocratem nihil aliud velle dicere, quam contemplationem victus rationis morborum acutorum, habendam esse ex qua constituta recte, similiter etiam & aliæ deriuantur & præscribuntur.

obiectio.

Πτισάνη μὲν ὦν δοκέει ὀρθῶς προκεκρίσθαι τῶν.

Ptisana igitur mihi videtur recte prælata omnibus frumentaceis eduliis in morbis acutis.

CVR Hippocrates incœperit præclaram hanc tractationem à particula hac relatiua, & cur ab hac voce PTISANA, ante cætera dignum est inquisitione. Si recte memoria tenetis, proposuerat Hippocrates sese discussurum esse, an conueniat in morbis acutis præbere ptisanam integram, an colatam, an vero neutrum horum. Et quia tota vis resolutionis huius contemplationis posita est in tra-

ſtatione ptiſanæ, iure merito, quaſi continuans dixit; ptiſana igitur: Ita enim facere ſolent, qui dicenda dictis continuant. Iure ergo incipit à particula Igitur, & ab hac voce Ptiſanæ: atque eo maxime, quia præcipua cauſa, quæ ipſum impulit, vt hunc librum ſcriberet, fuit vſus ptiſanæ, qui erat frequentiſſimus apud veteres. Et hæc eſt ratio, propter quam Galenus putauit inſcribendum eſſe hunc librum de ptiſana, & Plinius de laudibus ptiſanæ, quemadmodum ille citat. Iam itaque quia contextum Galen. ſequi decreui, vt poſſitis præuidere de quibus ſim dicturus, oratione ſequenti in duas partes Hippocratis orationem diuidam; quarum prior eſt. ptiſana igitur mihi videtur recte prælata, &c.

Alia particula eſt probatio huius propoſitionis, nempe ab excellentibus facultatibus quas poſſidet, quæque in omnibus acutis morbis curandis ſunt efficaciſſimæ. Non enim contentus erat ptiſanæ laudibus, niſi rationem atque eam præclaram addidiſſet. Examinemus igitur vnamquamq; partem.

Propoſitio di condorum

Et primum circa primam videre oportet, quid ſit ptiſana, quomodo conficeretur, & quo præparante exhiberetur. De ptiſana præclariſſime ſcripſit Galenus libello illi dicato proprio atque in hoc comment. Nos quoque multa diximus quarto libro variarum lect. cap. decimooctauo. Sed ea duntaxat iam in medium afferemus, quæ ad explicandam Hippocratis orationem, non parum conducere exiſtimamus. Ptiſana ἀπὸ τοῦ πτίσσειν, quod eſt pinſere, appellare ſolet omne edulium quod pinſendo fit. Vnde errauit Plinius libro decimooctauo, capite ſeptimo, vbi ſcribit veteres duntaxat feciſſe ex tritico & oryza. Sic appellata eſt ex Athenæi ſententia lib. 10. ἀπὸ τοῦ πτισσάνειν ἢ ἄνειν, à tundendo & humectando. Sed vtcunque ſit, ptiſana proprie vocata dicitur apud veteres, & præſertim medicos, quæ fit ex hordeo deglubato, & exuto corticibus. Et hæc eſt ratio, cui Suidas vocet κριθὴν κεκομμένην hordeum decotticatum. Erat ergo ptiſana proprie vocata, quod ex hordeo piſto conficiebatur. Hordeum autem hoc duplex eſt, aliud vnius grani duntaxat, μονόκοκκον dictum, aliud duorum granorum in ſpica videlicet δίκοκκον appellatum. Meliot omnibus ptiſana, vt ſcribit Plinins, ea erat, quæ fiebat ex bordeo duorum granorum. Apud Hippocratem libro de morbis, & Ariſtophanem, inuenio probari ſolere olim ex hordeo Achilleio. Quid hordeum Achilleium ſit, declarauit Galenus in compoſitione linguar. Hippocrat. atque etiam Theophraſtus, tertio de cauſis plantarum, cap. vigeſimoſeptimo. Et octauo de hiſtor. cap. quarto, qui dicunt fuiſſe bordeum & magnum & optimnm; & ita eſſe appellatum ab Agricola quodam Babronio, cui nomen erat Achilles.

Ptiſan: quid in genere.

Quid proprie.

Hordei genera.

Hordeum Achilleum quid.

Modi parandi ptiſana.

Modus parandi ptiſanam multiplex fuit, ſed qui erat vſitatiſſimus inter medicos, duplex erat. Primus erat, quando bordeum totum coquebatur, vt veluti colliquatum exhiberi poſſet. Alius modus erat, quando hordeum ita coctum tranſmittebatur per colum, & ille ſuccus tranſmiſſus offerebatur. Prior vocatur interdum ptiſana ſimpliciter, iam tota nonnunquam integra: & vocatur ab Hippocr. ſæpiſſime ptiſana craſſa. Altera vero ptiſana colata, interdum cremor ptiſanæ. Offerebant autem huiuſmodi ptiſanam veteres vel ſimplicem, vel permiſtam; anetho, porro. Ergo mirari minime oportet veteres eiuſmodi ptiſanam propinaſſe, quia cum eſſent in vſu frequentiſſimo eiuſmodi res, propter familiaritatem admiſcebant, quemadmodum nos certe melius eam paramus, lacte ſeminum melonum, vel amygdalarum dulcium, & ſaccharo condimus. Hæc igitur ptiſana tam craſſa quam colata, inquit Hippocrates, iure eſt prælata omnibus aliis cibis frumentaceis, non ſimpliciter inquit, ſed in morbis acutis. Verum priuſquam ad ſecundam partem tranſeamus conſiderandum eſt, an verum ſit, iure præpoſitam eſſe hanc ptiſanam hordeaceam omnibus aliis frumentaceis. Nam Ariſtot. primo, problem. 37. quærens, vtrum ptiſana hordeacea melior ſit ægris, quam triticea, ſcribit, fuiſſe nonnullos, qui anteponebant ptiſanam triticeam hordeaceæ, & anteponebant inquit Ariſtoteles, propter duas rationes: quarum vna erat, quia inter piſtores illi qui tractant triticum, ſunt ſemper magis ſani ac robuſtiores, quam qui

Ptiſana vt hodie parari ſoleat.

Ptiſanarum quæ melior, hordeacea an triticea.

hordeum tractant. Alia ratio, qua vtebantur isti, erat, quod hordeum difficilius coquitur, difficilius digeritur, quam triticum, & inquit Aristotel. hoc fieri, quia hordeum est humidius tritico. Hac pene eadem sententia vsus est vigesimaprima sec. problemat. Quare non videtur esse præferenda ptisana hordeacea triticeæ. Respondere oportet comparationem semper fieri vel simpliciter vel secundum quid. Quod si simpliciter loquamur, plane ptisana triticea melior est, sed si respectiue loquamur, hoc est, respectu laborantium morbis acutis, sane hordeacea longe est præferenda. Aristotel. enim vigesimoq; primo, probl. 1. sect. inquit, etiamsi in aliquibus rebus vincatur ptisana hordeacea à triticea, nihilominus melior & accommodatior febricitantibus quia frigidior est. Quæ omnia considerans Hippocrat. dixit præpositam esse omnibus aliis non simpliciter, sed in morbis acutis, quia in his curandis est multo melior. Videamus secundam partem.

Τὸ γὰρ γλοιῶδες ἄσμα αὐτῆς.

Nam visciditas ipsius leuis & continua, & iucunda est,

EX particula γὰρ, nam, facile patet, quicquid dicit esse causam prioris orationis. Et vt penetrare possitis Hippocratis magni artificium, debetis illud ad memoriam reuocare, naturam rerum omnium potissimum cognosci ex facultatibus & operationibus. Gustus & tactus sunt quidem indicia magna naturæ rerum, sed præ cæteris hanc ex facultatibus rimamur. Hoc cum vidisset Hippocrates, nullum aliud argumentum sumit, quam ab operationib. Et quia hæ fluunt à substantia, ea propter primũ a naturæ ipsius substãtia ducit argumentum. Dicit itaq; visciditas ipsius læuis est, & continua, γλισχρασμα græce est, quæ vox non demonstrat solum qualitatem, sed substantiã ipsam viscidam esse, vt dicat Arist. hordeum esse lentum. Et proprerea inquit Hippoc. substantia ipsius viscida ac læuis est. Sunt enim multa corpora viscida, quæ habent partes dissimiles, quæ sunt aspera, & proprerea damnantur. Itaque cum ptisana hæc sit viscida læuis, non aspera, hoc est, vt non habeat partes dissimiles, iure fit vt commendetur maxime opere ab Hippoc. Sed quia possit esse ingrata, atque ptisana grata sit, quia cõtinua est, hoc adiecit. *Naturas rerum seu virtutes, vnde noscamus.*

Nam Plato in Timæo generationes omnium saporum enarrans, inquit, in linguam venas quasdam peruenire, quæ quotidie exasperantur, & veluti diuelluntur, fit sapor acidus, amarus, mordax; vbi vero placantur & deliniuntur fit sapor dulcis. Igitur cum ptisana has venas deliniat προσηνὴς iure est ab Hippocra. appellata. Addit lubrica & moderate humida. *Sapor vt fiat secund. Plat.*

Quia viscida & lenta, licet alioquin iuuent & delectent, solent tamen obesse non raro, quia obstruunt: propterea addit lubricam esse, hoc est, peruiam, penetrare, nec obstruere, cum habeat humorem; merito cuius haudquaquam retinetur, & facile labitur. Sicenim Plinius dicebat, hordeum esse omnium frugum mollissimum. Et Aristoteles vigesimoprimo, sect. problemat. 8. scribit, massam hordeaceam, quo magis tractetur, eo viscidiorem & magis lentam euadere, quia magis humorem imbibit. Præterea inquit Hippocrates, ptisanam esse ἄδιψον, hoc est, sitim extinguere: quia, etsi hæc vox aliquando significat sitim facere, tamen significat etiam nonnunquam, quod sitim tollit, vt hoc loci accipitur; atque etiam sexto Epidem. vbi dicit Hippocrates, silentium esse ἄδιψον, hoc est silentium sitim sedat: atq; hic cum inquit, ptisanam esse ἄδιψον sitim restinguere, sed quæ est huius rei ratio. Tum, quia humida est, tum quia humor eius lentus facileq; adhærens magis irrigat: facile tamen eluitur ob vim abstersotiam coniunctãm, ob quam nõ adhæret firmiter, sed dilabitur. Atq; hinc etiã fit, vt nõ adstringat, nec obstruat. Nam etsi ob visciditatem deberet astringere quod στάτεο vocat Hippoc. attamen eo caret ob abstersionem, atq; facilem abscessionem, siue ablutionem. Neq; etiam, inquit Hippocr. ἀγαθὸν κακὸν habet, hoc est Erotianus eam vocem interpretatur, *Ἄδιψον duo significat.*

nullam turbulentam motionem, nec tumultum facit, velut Galen. interpretatur & hic, & 4. de acut. haudquaquam eam turbationem facit in ventriculo, quam solent diuersi cibi dum coquuntur inducere. Cnm enim fluida sit, si quid in viis remanet, abluit. Et hæc est ratio, propter quam Hippocrates plærunque hanc exhibet post medicamenta, vt reliquias eluat. Postremo dicit, nullum flatum facere in ventriculo: nam quicquid habet flatus, dum coquitur, amittit prius scilicet in tumorem elata dum coquitur ob flatus: deinde disrupta desidet ob flatus exitum. Quod minime fabæ euenire tradit Galenus, nempe, quam quantumuis coctam flatus facere dicit. Et hoc est, quod primo aspectu in præsenti dictione videtur nos velle docere Hippocrat.

Ptisana ab Hippoc. post sumpta medicamenta propinata.

Atque hæ sunt conditiones, propter quas debet iure præferri ptisana hordeacea omnibus aliis frumentaceis, sed in morbis acutis. Circa quæ nonnulla sunt breuiter inquirenda & discutienda, vt possitis maiore cum fructu doctrinam Hippocratis gustare. Primum est, cur Hippocrates, qui solet esse breuitatis amantissimus, tot conditiones ptisanæ nobis proposuerit? Alterum est, cur enumerans facultates plurimas ptisanæ, taceat omnino facultatem alendi: præterea cur tacet facultatem refrigerandi. Nihilominus dicit Aristot. propter hanc facultatem esse omnibus morbis acutis accommodatissimam. Tertium est, quomodo dicat facile coqui, & nullum tumultum in ventriculo facere, cum Aristot. 21. sect. problem. inquit, omnia quæ lenta sunt difficilia esse coctu; quæ enim concoquuntur, minutim inciduntur & eliquantur: Sed cum ptisana sit viscida, difficulter videtur attenuari, incidi & eliquari posse.

Dubiorum quorundam solutio.

Ad primum dicendum est Hippocratem ptopter duas caussas decessisse à consueta breuitate. Prima est, quia scribebat aduersus Cnidios. Ea vero est sententia & præceptum Aristotelis: eos qui volunt reprehendete alios, debere nihil omittere, quod faciat ad causas ipsorum. Alia causa atque etiam grauis eum vrgebat, quia dixerat ptisanam præferri omnibus aliis eduliis frumentaceis in morbis acutis, eapropter necesse erat, vt doceret, qua ratione tantum aletet in morbis acutis ptisana.

Et vt hoc artificium diuini Hippoctatis intelligatis, scire operæpretium est, quomodo fiant morbi acuti. Omnes morbi acuti necessario oriuntur ab humoribus biliosis, acribus, mordacibus calidis & tenuibus: Primum enim Hippocrat. in fine libri de natura humana narrat hanc fuisse vetetum omnium opinionem, morbos omnes oriri à bile. Aristoteles enim prima Problem. sect. problem. 6. inquit, morbos acutos semper fieri à bile. Et hæc est ratio, proptet qnam Anaxagoras dicere solebat, morbos acutos fieri à felle, hoc est, à bile. Appellabat enim ille bilem fel, quia bilis in folliculo fellis, continetur. Hoc si voluisset intelligere Aristoteles non reprehendisset eum quarto de part. animal. cap. secundo. Habent ergo hoc omnes morbi acuti, quod fiant à bile: Et præterea, quod semper sint copulati febribus. Et hoc in proœmio dicit: ratione febris seu caliditatis semper habent coniunctam astrictionem & siccitatem. Iam veto ad euincendos similes humores, egregie admodum conducunt omnes qualitates relatæ, scilicet viscidítas & læuitas, quibus acrimonia placatur & mordacitas: humiditas & lubricitas non parum conducit ad caliditatem, siccitatem, obstructionem & sitim, quæ maxime in morbis acutis vrgent; flatuum & turbationis carentia, quia imbecillus est stomachus in morbis acutis. Vnde prospiciendum vt sit optime cocta atque sorberi apta. Sic enim Plinius lib. 22. cap. 25. dicebat, Hippocratem maxime commendasse ptisanam sorbitionis gratia, quoniam lubrica ex facili hauriretur, quoniam sitim arceret, quoniam in alno non intumescetet, quoniam facile redderetur; & assuetis hic solus cibus bis dari posset: tantnm remotus ab iis qui ægros fame necarent. Nam Thessalicos etiam Diatritarios taxat Plinins, qui etiam tempore suo Romæ medicinam faciebant, cunctosque ægros primis tribus diebus

Morbi acuti vnde fiant.

Anaxag. ab Arist. iniuste reprehensus.

Diatritariorum crudelitas.

diebus in consummata diæta detinebant. Igitur Hippocrates cum proposita in prooemio de vsu ptisanæ definire deberet, an scilicet in morbis acutis conueniret ptisana, an crassa, an colata, iure coactus est, primum facultates omnes illius recensere, vnde pendet resolutio omnium.

Ad secundum dicendum est, cibum vel simpliciter, vel vt medicamentosum accipi. Hoc libro accipitur secundo modo, vt medicamentum: qui in morbis acutis duplex habetur scopus, vnus ad morbum, alter ad vires. In morbis acutis prior scopus est ad morbum, Nam quia morbus acutus cito terminatur, vires sufficiunt. Itaque considerans hunc scopum non commemorat facultatem alendi, sed duntaxat indicationem curatoriam. Sed cur refrigerandi facultatem omittit, quæ maxime febricitantibus omnibus conuenit? Dupliciter responderi potest, hanc rem tanquam vulgatissimam esse omissam. Hippocrat. non consueuit vulgaria persequi. Alia ratio & melior est, quia in morbis acutis potior pars est aduersus mordacitatem & acrimoniam, quam intemperiem: quia intemperies calida oritur ab humoribus. Remoto humore remouetur intemperies: igitur prima indicatio est ab humore, à qualitate, ab acrimonia.

Erat tertia dubitatio, quomodo non faciat ptisana tumultum in ventre, siquidem Aristot. 21 sect. problem. 8. loquens de massa hordeacea, scribit adeo difficilem esse coctu, quia viscida est; ptisana cum fiat ex hordeo, videtur & ipsa tarde coqui. Quapropter verum est, quod male coquitur, flatus facere, & consequenter tumultum, æquum est existimare etiam ptisanam posse facere tumultum in corpore, secus quam dixit Hippocrates. Dupliciter pro tollenda hac dubitatione respondere potest. Vno modo, plurimum inter se differre massam hordeaceam, & ptisanam, quia illa fit ex farina manu subacta; ptisana fit ex hordeo: præterea, ptisanā quidem difficulter aliqua ratione coqui; verum (vt inquit Hippocr.) etsi lenta est, caret tamen flatu, lubrica est, & refrigerat, vt ait Arist. prima sect. problem. 37. Est enim medicamentum in alimento, quod est optimum, vt dicit Hippocr. libro de aliment. Sequitur vt expendamus, quæ Galenus addit in comment. huius dictionis. Dicit enim oua sorbilia facere subuersionem ventriculi. Contra quam sententiam primum est explicatissima Plinii auctoritas lib. 29. cap. 3. quo in loco sermonem habens de ouis author ille præclarus, inquit, nihil esse quod in aduersa valetudine æque alat simulque cibi, & potus rationem habeat, quam ouum sorbile. Præterea quotidiana experientia testatur, nihil hoc esse accōmodatius ventriculo; præterea inquit Galen. ius caulium soluere aluum, cui experientia refragatur. Circa primum interpres antiquus videtur contextum græcum sequutus multo diuersum, vbi enim habetur τὰ ῥοφήματα, ille legit τὰ ῥοφῆματα, & interpretatur condimentum ouorum ex speciebus, sed nec græco contextui accommodatum, nec vsui. Vnde alii existimarunt legendum esse ὤων, id est, sorba. Sed neq; hæc interpretatio placet; quia tantum abest, vt ventriculum subuertant, vt astringant. Quare dicendum est subuertere ventriculum simpliciter, sed iis, qui faciles sunt ad vomitum, & qui magnam ad eum propensionem habent à natura, quia hoc verissimum esse comperimus. Circa secundum nihil aliud est dicendum, quam interpretem latinū fefellisse, quia vbi transfert ius, dicendū est succus, (hoc χυλὸς significat) qui habet vim nitrosam, & soluendi. Videte Galen. lib. de Theriaca ad Pisonem, & lib. 2. de aliment. vbi succum caulium commendat ad soluendam aluum. Atque hoc est, quod Hippoc. 6. Epid. sect. 2. & 37. vult dicere, vbi scribit, ex brassica solutam esse aluum, & consequenter liberatum esse ægrum.

Massa hordeacea à ptisana, qui differat.

Oua sorbilia an ventriculum subuertant.

Succus, non ius caulium aluum soluit.

ὁκόσοι μὲν ἐν πτισάνῃσι χρέωνται ἐν τοῖσι.

Quicunq; autem in huiusmodi morbis, &c.

PVTAT Gal. scopū Hipp. in præsenti dictione non aliū esse, nisi vt dissoluat aliquas sentent. & problemata ꝑposita cōtra Cnid. Et vt faciat Hip. hoc dicentē multa addit,

addit, multa immutat, sed, vt liberè loquar, non placet mihi ea ratio interpretandi: & nos habemus scopum multo digniorem genio, & ingenio Hippocr. Verum est quidem, Hippocratem hūc fere vniuersalem scopum habuisse, vt redargueret Cnidios, sed hoc pendebat ex recta traditione ptisanæ, siue victus in morbis acut. Eapropter hanc rectam administrationem docere toto hoc libro nititur. Est autem recta administratio, vt tempus diligenter, mensura, & quibus conueniat, sciatur. Iam docuit quibus conuenit, scilicet laborantibus morbis acutis. Superest vt doceat quando & qua quantitate ea sit vtendum. Inquit ergo Hippocrates, quod quicunq; semel cœpit vti ptisana in morbis acutis, debet continuare. Imo vero non debet permittere, vt vna die vasa exinaniantur, nisi tamen dimittere cogatur propter medicamentum, vel propter clysterem. Circa quam sententiam, vt eam perspectam, & penitus cognitam habeatis, tria breuiter sunt videnda. Primum est, quæ sit necessitas propter quam debet æget perseuerare in morbis acutis in vsu ptisanæ, vt non dimittat vnam diem. Alterum est, quid velit dicere Hippocrates, quando scribit, non esse permittendum, vt vna die vasa exinaniantur. Tertium, quæ sit ratio propter quam excipit medicamentum, & clysterem. Hæc enim sunt præclara scitu, & admodum vtilia. Circa primum, Aristot. 21. sect. problem. 14. quærit diligentissime, propter quid ex cibis cōsuetis, aliqui sunt suaues, aliqui sunt insuaues? Traditurus rationem huius problem. nonnulla dicit, quæ non facile omnibus ingeniis patent: Ea scilicet, quæ sunt nobis consueta, illud habere refert, quod propter consuetudinem exerceant habitum corporis refectorium. Ex quo fit, vt ille paulatim augeatur: quæ vero nimium in vsu habentur, replent meatus corporis nostri, & satietatem inducunt: adeo vt illi sint suaues, quibus mediocriter assuescimus, alii vero insuaues. Hoc igitur constituto, facile videre possumus, cur velit continuari, vt ex hac assuetudine moderata habitus corporis refectorius confirmetur, atque ita etiam ægris suauis fiat cibus: quia non debet Medicus non solum laborare vt cito & tuto, sed vt etiam iucunde caret. Circa secundum scire oportet κενεαγγεῖν significare euacuare, exinanire, & penitus à cibo abstinere, vt 2. huius text. 47. & 3. de artic. tex. 55. vbi interpretatur ἀσιτεῖν. Vult ergo docere Hippocrates, vt nulla die penitus à cibis abstineatur, quia nihil est quod magis sit naturæ inimicum, quam inæqualitas. Itaque vna die nutrire, & altera abstinere, est inæqualitas quædam. Iure ergo præcipit, vt vasa non exinaniantur vna die. Circa tertium, quod scilicet propter medicamenta & clysterem potest dimitti ptisana, & fieri consummata diæta, res magni momenti, maxime est laborandum, quia est contra rationem vsum atque commoditatem ęgrorum: contra rationem, quia vbi medicamento vel clystere ægri tentantur, debiliores redduntur, debilitati adiicere inediam, est contra omnem rationem. Est quoque contra vsum, quia nullus est qui penitus abstineat à cibo eadem die qua vsus est medicamento vel clysteribus. Est etiam contra commoditatem, quia ægri omnes amant maxime tunc temporis refectionem, quando purgantur medicamento vel clysteribus. Quid igitur dicendum est? Dupliciter responderi potest, vno modo, quod Hippocrates non simpliciter dicat, qua die damus medicamentum vel clysterem, abstinendum esse à cibo omni, sed dicit à ptisana. Quanquam alias nomine ptisanæ intelligit omnem cibum, & iure dicit abstinendum tum esse à ptisana quia aluum à medicamento vel clystere excitatam, magis concitat. Possumus etiam respondere, hanc esse Hippocratis sententiam quod in acutis morbis vbi expedit dare medicamentum vel clysterem, etsi detur non possit dari ptisana, melius esse hanc dimittere, quia καιρὸς ὀξὺς ἐστί. Præterea Hippocr. hoc videtur monuisse, quia vna die omittere cibum non valde vites atterit. Et est maior vtilitas ex adhibitione medicamenti vel clysteris.

Inæqualitas naturæ inimica.

Dubiū graue.

Neque valet quod Hippoc. 2. huius text. 12. exhibeat ptisanam post medicamentum exhibitum, quia non exhibet vt medicamentum, sed vt eluatur, si quid in

viis relictum est. Quod etiam habetis apud Galen. lib. Quos & quando purgare oportet, &c. vbi prohibet omnem cibum existente medicamento in ventre, & post purgationem dat cibum sed minus. Sed dicet aliquis: vera hæc quidem sunt de medicamento, sed de clystere præter omnem rationem videtur esse, & præter omnem vsum. Aliqui contextus loco κλύζω habent καύσῃ: quæ litera si firma esset, plane Hippocr. nihil mirum diceret, quia ex vstione corpus nostrum ita alterari potest, vt non possit vti cibo. Galen. addit venæ sectionem: sed puto ego intelligi de his clysteribus, qui æquipollent medicamentis. Nam veteres cõsueuerunt vti grauissimis interdum clysteribus, vbi dicit considerari oportere vires, quia vt in medicamentorum vsu debet penitus abstinere a cibo, ita etiam in vsu clysterium, eadem vtrobique est ratio. *Veteres clysteribus valentissimis vsi.*

Καὶ τοῖσι μὲν εἰθισμένοισι δὶς σιτέεσθαι.

Iis qui consueti sunt bis de die cibum sumere.

ILLVD apud Medicos est constitutum, tempora, quibus metiuntur morbi duo esse: aliud est vniuersale, aliud particulare. Vniuersale est, totum illud spatium, quo perdurat morbus à principio vsq; ad finem. Particulare est vnaquæq; dies. Ita enim licet Galen. libellis illis duobus de temporibus morborum. In superiori cõtextu locutus est Hippocr. de tempore vniuersali offerendi cibum in morbis acutis: nunc autem loquitur de offerendo cibo in vnaquaq; die: adeo vt scopus Hipp. in præsenti contextu sit docere rectam administrationem victus in morbis acutis, indicatione capta à tempore particulari. Possumus etiam dicere scopum eius esse tractare de quantitate discreta cibi sumendi, quæ est vel bis vel ter, vel semel dare: vtcunq; sit, sententia quam hodie nobis proponit Hipp. hæc est: illis, qui sunt consueti bis cibati in die, esse etiam bis offerendum. Illis autem qui sunt assueti semel edere, semel esse propinandum, quod si, inquit Hippo. aliqua ratione cogatur Medicus hanc consuetudinem mutare, ita vt qui semel consueuit cibari, cogatur bis cibum sumere, dicit hoc agendum esse ἐκ τῆς προσαγωγῆς, hoc est, paulatim addendo. Exempli gratia, si quispiã assuetus sit semel in die sumere duas libras vespere q; vbi permutanda est hæc consuetudo, debent exhiberi 22. vnciæ, & mane duæ, altera die mane 4. & vespere 20. donec tandem voti compotes fiamus, huiusmodi præceptum tanti est momẽti in Medicina facienda, vt liceat videre quotidie innumeros errores in victus ratione præscribẽda. Sed duo hic oriuntur dubitatione digna, primum est, cur Hippoc. dixerit, iis qui assueti sunt bis die cibum sumere. Deinde quomodo Hipp. voluerit mutatione consuetudinẽ induci per additionem ἐκ προσαγωγῆς in morb. acut, qui cito finiunt, aut cito finiuntur? pro primo scite oportet, apud veteres in vsu fuisse semel dũtaxat de die cibũ sumere, vt habemus apud Plutarch. 8. sympos. c. 6. & qui bis in die comedebãt, semper parce mane cibũ capiebãt, & is appellabatur ἀκράτισμα seu ἄριστον eo q; nihil mixtum, sed omnia simplicia sumebantur: Igitur vt Medicos doceret huiusmodi consuetudinem, voluit monere eos, qui rationem haberent eorum, qui semel & qui bis de die ederent. Tempore nostro nemo reperitur, aut pauci admodũ, qui non bis in die edat. Circa secundã, scire oportet, alios morbos acutos septimo, alios 14. alios 20. finiri, vnde si in cunctis non potest fieri, habet tamen locum in aliquibus hæc mutatio. *Veteribus cibãdi mos.*

Πλῆθος δὲ ἀρκέει καὶ ἀρχὰς διδόναι,

In principio neq;

PERGIT Hippocr. docere rectam administrationem victus, capta indicatione à temporibus morborum, & quia initium vniuscuiusq; rei maximũ est, & præsertim in morbis, eapropter docet in principio exhibendi rationem. Inquit enim: in principio morborum acutorum neq; multam, neq; crassam ptisanam esse exhibendã, sed tantum q; sufficit ne consuetudo mutetur, & mali aliquid patiatur æger.

Vt autem

Vt autem hanc sententiam comprehendatis, scire oportet, Hippocratem intelligere nomine ptisanæ omnem cibum, siue hordeum siue polentam. Ptisana dupliciter nutrire potest, vel quia multa est, vel quia est crassa. Cum ergo dicit, non esse dandum neque multam neque crassam, vult dicere non esse nutriendum, vt aphoris.19.& 27. quia in morbis acutis status & principium sunt inter sese proxima. In statu non oportet nutrire, ergo neque etiam in principio. Cur autem in statu nutrire non oporteat, clarissima est ratio, quia vbi symptomata magna sunt, non est auocanda natura à contentione aduersus morbum. Propterea cum reuocant calorem & naturam ad sese cibi, eorum exhibitio in statu morborum mala est: præterea in principio raro fit vt vires sint debiles; vires sunt quæ inducunt cibum: si ergo illæ validæ sunt, nunquam induant cibum. Et idcirco iure dicit in principio nunquam multum esse alendum ægrum.

In statu cibis natura non irrequietanda.

Περὶ δὲ τῆς ἐπιδόσεως.

De additione autem, &c.

CVM dixisset Hippocrates, quantum cibi in principio esset offerendum, atque eum debere esse paucum docuisset, poterat quispiam ab ipso percunctari, an ita in augmento & statu esset incedendum. Ea propter vt tacite huic percunctationi responderet, docet quo pacto, & quando debebit augeri cibus. Quod autem dicit, illud est. In morbis siccis non esse augendam sorbitionem, sed ante eam exhibendam esse, aut aquam mulsam aut vinum, vel quodcunque ex his melius esse videbitur: quæ sententia, quoniam non minus vtilis quam obscura est, operæpretium est, quatuor diligenter hoc loco examinare. Primum est, qui sint morbi sicci. Galenus in commentar. tria genera morborum siccorum esse scribit. Primum est eorum, qui fiunt in pectore & partibus spiritualibus, qui appellantur omnes sicci, quotiescunque nihil expuitur. Aliud genus morborum siccorum est, quando morbi sunt in partibus naturalibus, & hi cognoscuntur ex retentione fæcum. De hac morbi siccitate intelligendus est Hippocrates 4. Epidem. vbi nescio quæ mulier Aristophōtis filia scribitur laborasse morbo sicco, quia nihil fæcum egerebat. Alius morbus siccus est, quotiescunque venæ & arteriæ exiccatæ sunt, & huiusmodi siccitas cognoscitur ex squalore totius corporis. Quod ergo vult docere Hippocrat. est, quod vbi in morbis nihil expuitur, nihil fæcum emittitur, vbi lingua arida est, nullo pacto ingerenda est sorbitio, sed dandum est vinum & melicratum ante sorbitionem. Nonnulli dixerunt fieri non posse, vt loquatur de siccitate arteriarum & venarum, quia in illa non conuenit vinum, quod Hippocr. tamen hic commendat. Ea propter, inquiunt illi, morbos siccos appellari morbos crudos; in quibus nihil coctionis apparet. Ego vero existimo Hippocratem intelligere pro morbis siccis morbos relatos à Galen. & morbos crudos, quia illi habent quoq; suas cruditates & coctiones. Et vt primum loquamur de morbis pectoris, vt peripneumonia & pleuritide, huiusmodi morbi quamquam suapte natura sunt sicci, sunt tamen etiam crudi, quamuis nihil expuitur. Ita etiam morbi in partibus spiritualibus, suas quoq; cruditates habent, & dicuntur crudi, quando nihil egeritur. Idem de morbo sicco in venis & arteriis dicere possumus, qui tunc crudi sunt appellandi, quando lingua est arida. Itaque vult dicere, nunquam augendam esse sorbitionem, donec morbi sicci sunt crudi, & nulla coctio apparet. Sed tria hic sunt examinanda: Vnum est, quo spiritu & fine dicat, non augēdam esse sorbitionem in morbo sicco, sed ante eam exhibendum esse vinum vel melicratum. Alterum est, quomodo iudicandum sit, an magis vinum quam melicratum conueniat. Inquit sese hoc traditurum posterius, postremum est circa quædam, quæ habet Gal. in comm. Sicut enim, vinum & melicratum magis humectant quam aqua ipsa: quod & ratione & ab vsu est alienum, cum illa sua natura sicca sunt, potētia & facultate, licet actu humida sint, quia nos ad detergenda & exiccāda vlcera vtimur vino & aqua mulsa.

Qui sicci morbi. Siccorū morborū genera.

Circa

Circa primum, inuenio vsu, maximi referre vtrum aliquid exhibeatur commixtũ cum aliqua re, vel ante aut post. Exempli gratia, narrat Plin. li. 14. Si vinum exhibeatur post cicutam, esse ipsius remediũ; si cum illa, est irremediabile venenum. Si ante vinum cicuta præbeatur, arcet ebrietatem. Pari pacto Arist. 20. sect. prob. dicit, si aqua misceatur vino, citius inebriare. Hip. in 3. lib. docebat, vbi aliquis laborat capite, & prius offeratur vinum, deinde aqua, fieri vt non offendat caput; ratio huius rei est, quia vbi miscentur sese mutuo atterunt, & vires frangunt. Si non misceantur integri virib. vnum quodq; per se agit secundum facultatem suã, & quia facultas vini est calefactoria & cicuta refrigerandi vim est sortita; eapropter si vinũ exhibeatur, post cicutam antequam hæc feratur ad cor, suo calore extinguit vim ipsius cicutæ & frigus. Si cum vino, est irremediabile venenum. Sic Plat. in Isid. dicebat, plurimi fieri vinum ab eo, qui cicutam bibit. Et forsan Socrat. miscuit cicutæ vinum metũ. Cum ergo tanti referat, vt ante vel post aliquid exhibeatur, voluit ante sorbitionẽ dare melicratum & vinum. Quoniam Hip. voluit in morbis siccis potissimum studendum esse vt humectentur; nam in morbis siccis, & præsertim in initio parũ alimenti requiritur, quia sicci sunt & crudi, multa humiditas; Ergo dat iure cibum, q parum alat, & multum humectet: Huiusmodi est melicratum, vel vinum ante sorbitionem. Sed quomodo vinũ & aqua mulsa exhibita ante sorbitionem, ita bumectant? Propter duas rationes, prima est, vt humiditas ptisanæ magis penetret, vt vasis adhæreat. Ita fabri murarii, quotiescunq; lapides volunt conglutinare, eos prius aqua irrigant, vt arctius hæreant ad inuicem. Haud secus in morbis fieri vult, vt prius irrigentur membra vino vel melicrato. Præterea penetrant quoq; magis vinum & melicratum. Ad secundum, vera ratio, an vinum conueniat, an vero melicratum, à Gal. 1. ad Glau. c. 14. desumitur. Nam Medicus non solum debet spectare in curatione morborum acutorum affectum & naturam affectus, sed etiam accidentia. Sic si caput dolet aut febris magna est, vinum non conuenit: Vbi vero vires sunt debiles vino vtendum est, quia magis penetrat & perueniet alimentum ad partes nutriẽdas. Hoc ergo est, q dicit, præbendum esse quod magis conueniat. Ad postremum, quomodo dixerit Gal. vinum & melicratum magis humectare quam aqua, responderi potest, non dicere eũ, hæc magis humectare simpliciter, sed exhibita ante prisanam, quasi velit dicere, non quia propria natura humectat, sed quia faciunt vt ptisana magis humectet. Præterea humectatio alia est intima, alia vero superficiaria. Superficiaria humectatio magis fit ab aqua, illa à vino & melicrato, quę magis penetrant. Præterea aqua excrementitia humiditate magis humectat: vinum & aqua mulsa alimentali, quia inducunt humiditatem alimentalem maiorem. Eapropter, licet non nutriant, tamen apponunt magis illa alimentum.

Vinum cicutæ antidotũ & huius veneni vicissim vehiculum.

Cur in siccis morbis vinũ ante ptisanã offerendum.

Simile à fabris murariis.

Vinũ & melicratũ quomodo aqua magis humectent.

Humectatio duplex.

Ην δὲ ὑγραίνηται τὸ σῶμα.

Sed si os humectetur.

PRopofuerat Hipp. vt audiuistis, docere, quo modo debeat Medicus augere ptisanam seu cibũ in morbis acutis: & quia nolebat hanc rem exactissime docere, primum docuit, in quibus non conueniat augere. Nunc autem duntaxat docet in quibus conueniat augere. Dicebat enim non augendum esse cibum in morbis siccis, hoc est crudis, cum nihil expuitur, lingua est arida, & nihil fœcunditatis [?] titur. Nunc autem docturus, quando & quib. conueniat augere, æquum est, vt ostẽdat, in iis morbis conuenire, qui contrarii sunt morbis siccis. Et propterea dicit, si os madescat, & quæ exeunt à pulmonib. sunt qualia oportet, tunc augendã esse sorbitionem, hoc est cibum, quia, quæcunq; magis & celerius humescunt, citius futuram esse iudicationẽ significant. Sic qui tardius humescunt, significant tarde iudicationem fore. Hanc sententiam explicaturus Gal. dixit, Hip. transire à morbis siccis ad morbos humidos. Sed quanquam liceat defendere Gal. tamen existimo illũ docere hoc in loco, in quib. temporib. morborũ liceat augere. Sed cur dicit, si humescat os: propterea quod vlt demonstrare, non in principio, sed in augmento esse augendum cibum. Iam vero in augmento humectatur os, quia incipit coctio tunc

Quando & quibus morborum temporib. cibus augẽdus minuendusue.

 tempo-

temporis; pari pacto dicit Hip. si qualia decet, exeant, à pulmonib. quoniã in incremẽto, quę exeunt à pulmonib. nõ sunt vere cocta, sed coquuntur; propterea inquit, si qualia oportet, exeant, non si cocta. Sũma huius sententię Hip. est, vbi morbus ad augmentũ tendit, tunc augendũ esse cibũ, quia vbi augmentũ accedit, proxima est indicatio. Sed quia hæc sententia in medicina facienda est maximi momenti, eapropter paulisper diligentius est expendẽda; & primũ examinare oportet, cur Hip. vtatur potius voce humectationis, quã coctionis, cũ totũ hoc negotiũ positũ sit in coctione, & quæcunq; dicit, gratia coctionis dicat. Præterea quętendũ est quare dicat, propterea augendũ esse cibũ in incremento, quia proxima est iudicatio, cum os humescit; quia Hip. 1. aph. li. ab aph. 8. ad 11. nihil aliud facit, nisi q̃ docet, accedente statu & iudicatione detrahendũ esse cibũ. Præterea Ari. 1. Pr. 52. quærens, vtrũ præstet augere cibũ in initio, aut post initiũ, inquit, circa initiũ dandũ esse sorbitionẽ, post initiũ cibũ esse exhibendũ; quia sorbitio est lenior & colliquabilior, adeo vt ex lege Hip. Ari. & omniũ aliorũ manifestiss. esse videatur, omnino debere augeri cibũ accedente indicatione. Circa primũ, tres sunt causæ propter quas potius vsus est voce humectationis quam coctionis, prior causa est, quoniam Hipp. hoc in loco loquitur de motbis pectoris, de pleurit. de peripn. qui morbi sicci sunt. Cum sint sicci, profectus ipsorũ magis cognoscitur ex humectatione quam coctione. Secunda causa est, quoniã vbi humores incipiunt coqui, primũ q̃ fit est emollitio; vnde cũ loquitur de incremẽto, in quo primo fit emollitio, iure humectationis voce vsus est. Videte etiã fructus, qui vbi crudi sunt, duri sunt, cũ primũ autẽ incipiunt, mature incipiunt pariter emolliri, humectariq;. Hand sec⁹ in humorib. accidit. Tertia & postrema ratio est, quoniã facilime ex humectatione cognoscuntur tẽpora ipsius morbi, & præsertim pleu. & peripn. Nã Ari. 34. se. Pr. 4. scribit, linguã esse indicẽ multarũ rerũ, propterea q̃ superposita est pulmonib. Vnde omnes morbi, qui fiunt circa pulmones, vt est pleur. & peripn. maxime cognoscuntur lingua, & præsertim humectata. Iure ergo vt hanc rẽ doceret, vsus est voce humectationis. Circa secundũ, sciendũ est, verũ & germanũ sensum verborũ Hip. non aliũ esse, quã q̃ vbi augentur morbi sicci, velut pleur. & peripn. semper augendus est cibus, Ratio est, quia tẽpore augmenti horum morborũ opus est maxime abstergere, refrigerate, humectare & nutrire. Abstergere, inquã, quia humores dũ crudi sunt, viscidi sunt; quare abstergẽdi quoq; sunt. Sũt etiã crassi, quare attenuãdi. Et quia sicci vna sunt, humectatione egent. Refrigerãdi vero sunt, quia febrilis calor impedit natutã, ne coquat humores. Op⁹ est nutrire in incremento, quia virib. opus est ad coctionẽ incipiendã & perficiendã. Sed q̃d dicemus ad Hip. qui li. 1. aph. ab aph. 8. vsq; ad 11. docet omni diligẽtia, quanto ad iudicationẽ magis accedunt morbi, tantò plus cibi esse detrahendũ? Hunc nodũ cũ animaduertissent interpretes in varias sententias sunt distracti. Quidã existimarũt hanc veriorẽ esse, s. q̃ semper accedente iudicatione debeat cibus minui, & Gal. explicãs eã aph. sententiã, dicebat, ppter duas causas hoc esse faciendũ; 1. quia tẽpore iudicationis symptomata magna sunt natura & occupata in coctione materię morbificę. Ergo nõ est eo tẽpore cibus præbẽnd. ne symptomata augeantur, & natura ab instituto optimo reuocetur. Alii dixerunt hanc Hip. sentẽtiã minime verã esse simpliciter, sed illũ voluisse dari ptisanã in pleur. vt medicamentũ non vt alimentũ. Verũ (vt libere dicã) omnes isti interpretes lõge falluntur. Primi decepti sunt, quia cũ sẽtentia aph. sit contraria, & liber aph. sit multo maioris autoritatis, potius sententia aph. videtur esse amplectenda. Decepti etiam sunt secũdi interpretes, propterea, q̃ licet Hip. dixerit in aph. nõ augendũ esse cibũ in statu, nihilominus hoc in loco perspicue hoc dicit, vt minime dubitandũ sit maximã contrarietatẽ in verbis Hip. esse. Neq; etiã posteriores assecuti sunt mẽtẽ Hip. q̃ a dicit Gal. iubere augeri ptisanã, vt nutriat. Quid ergo dicendũ est in hac re maximi momẽti: Vbi Medici curãt aliquẽ morbũ, sẽper debet cõsiderare morbũ vel simpliciter, vel secũdũ ea q̃ ipsi cõtingũt. Ex. gr. si occurrat Medico curare febrẽ, non solũ considerare debet febrẽ vt febris est, sed vt ipsi alia mala copulant. Si autem simpliciter morbũ considetat, vt febrem, vera semper est regula aph. ne augeant symptomata, ne abducat natura ab incœpta coctione

Omnis morborum curatio duo spectat.

coctione materiæ morbificæ, ab exhibitione cibi in augmento. Si autem cōsideratur morbus secundum ea quæ ipsi copulantur, secus est. Exemp. gr. coniungatur vlcus cum febre: vlceris ratione initio parum aut nihil cibi est exhibendum, vt Hip. li. de vlcerib. docuit: quia prohibetur inedia fluxio ad partem affectam. Pari pacto, si inflammatio iungatur ipsi morbo, debet Medicus spectare inflammationem. In inflammatione, vt Gal. scriptum reliquit, 6. meth. c. 5. & 11. semper in principio parum aut nihil est exhibendum. Ergo cum Hipp. de pleur. & peripn. in qua est inflammatio, & febris, loquitur, inflammatio illa postulat medicinam iuxta regulam ab Hip. hoc loco traditā, vt minus in principio offeratur, & plus in augmēto & statu. Febris vero postulat, vt minus in statu cibi, & plus in principiis exhibeatur quemadmodū in aph. præcipit. In his contraindicantib. videndū est, vter affectus magis vrgeat. Si febris, vt hęc requirit, remedia & cibus offerri debet. Si inflāmatio pro inflammationis ratione. Iam vero, vt in aph. inquit Gal. 6. li. in pleurit. & peripn. inflammatio magis vrget, quare pleurit. appellarunt veteres inflammationē pleuriticā. Ergo cū Hipp. videret inflammationē magis postulare curari, quam febrem iure voluit, vt habeatur magis ratio ipsius inflammationis quam febris, & plus in statu nutriantur. Sed quomodo fieri potest, vt in pleurit. accedente iudicatione ægri plus nutriātur? siquidē cibus dum in ventriculo est, plane afficit totū corpus. In statu magis afficitur. Ergo hoc tempore magis à cibis est abstinendum. Scire oportet q; Plat. scripsit in Tim. naturam ita disiunxisse ventriculum & iecur à corde, pulmone, & pectore, vt nullam noxam sibi inuicem communicent. Igitur cum affectus sit in partibus pectoris & cibus in ventriculo, non potest affectui incōmodare. Sed multo maius est iuuamentum ex copia alimenti, quia vires magis corroborantur. Ex quo fit vt facilius extussiant ægrotantes. Colligamus ergo duo Hip. docere in præsenti ad praxin maxime vtilia. Primum est, in affectu inflammatorio pectoris, augendum esse cibū circa statum. Alterum est, vbi os humescit & lingua, in his affectib. & sputa exeunt, signum esse inchoatæ coctionis.

Καὶ ταῦτα αὐτὰ μὲν καθ' αὑτά.

Et hæc quidem per se talia sunt. Multa autem etiam alia sunt per oportuna, ex quibus præiudicari oportet, quæ dicentur postea.

HÆc sententia non est magni momenti, quare leuiter eam præteribimus. Quidam interpretantur hoc modo, illud (præiudicari) pertinere ad partē prognosticā, referriq; cætera putāt ad ea, quæ superius dixit. Dixit autē si os humectetur, & talia à pectore exeant, qualia cōuenit, augendā esse sorbitionē. Possunt autē referri cum ad priora, tum ad posteriora. Ad posteriora in quā & priora: quasi voluerit dicere Hip. nonnulla esse, quæ sunt consideranda circa augmentū Ptisanæ, & oris humectationem. Nos transibimus ad ea, q̄ magis refert scire. Fuit ergo hæc parēthesis. Iam Hipp. continuat orationē suam cum præcedentib. Nam dixerat antea; si os humescat, & talia exeunt qualia oportet, augendam esse sorbitionē. Nunc veluti continuans dicit, quo magis augetur expurgatio eorum quæ sunt in pectore, eo magis augendus est cibus: quasi augmentum cibi pendeat ex expurgatione eorum, quæ sunt in pectore. Sed cur hoc loco dicit, quo magis augetur expurgatio; antea vero quo magis os humescit? videbat Hipp. in progressu affectuū, q̄ sunt in pectore augeri duntaxat sputum, humectationem non augeri. Vbi humectatū os, non augetur humectatio, expuitio autem indies augetur. Quare summo cum iudicio & ratione dicit Hip. si expurgatio augeatur augendū esse cibū, quæ sententia maximi est momenti in medicina facienda. Et si quis est liber necessarius Medico, est hic. Est itaq; sententia Hip. quo magis expurgatur pectus, eo magis augendus est cibus, s. in morbis acutis in quib. fit iudicatio, vel 5. vel 7. vel 9. die; & augendus est cibus vsq; ad iudicationem & vsq; ad duos dies post iudicationem. Post duos dies à iudicatione danda est sorbitio mane & vesperi cibus. Vt autem sigillatim colligamus bona, quæ nobis hic reliquit Hip. sciendum est in tota hac dictione quatuor insignia documēta

haberi, quorum primum est cibi augmentū in morbis acutis totum dependere ab expurgatione eorum, quæ sunt in pectore, adeo vt debeat Medicus vbi sibi occurrit, mederi morbis pectoris semper augere cibum, secundum quod exeunt excrementa ex pectore, quia postquam cœpit æger expuere, debet Medicus semper huic incumbere, vt expuat. Propterea dicebat magnus Aui. maxima sit intentio ad educendum sputum: ad educendum sputum necessariæ sunt vires; vires restaurantur cibis. Ergo voluit sapienter augmentum cibi metiendum esse ex expurgatione. Aliud documentum est, in morbis pectoris, cuiusmodi est pleuritis semper attēdendam esse iudicationem, & secundum quod iudicatio accedit vel discedit, ita cibus augendus est & minnendus, & nō solum iudicatio ipsa, sed duo dies post iudicationem. Quare male faciunt Medici, qui statim à iudicatione concedunt cibū. Sed cur vult expectandos esse duos dies post iudicationē? quia habenda est magna ratio numeri imparis & paris. Habetur ratio numeri imparis in iudicationib. quę semper fiunt dieb. imparib. quemadmodum habetur ratio numeri paris in duob. dieb. post iudicationem. Tertium documentum est, vbi mutandus est cibus non affatim, nec ab extremo ad extremū, sed paulatim id fieri debet. Sic Hipp. non statim à sorbitione ad cibum transit, sed mane sorbitionem, vespere cibum præbet. Nam cibus (vt Gal. docet 6. epid. com. 1. tex. 6.) σῖτος appellatur, qui difficulter coquitur, & copiose conuertitur in sanguinem vt panis, caro, pisces. Vult ergo vt paulatim à sorbitione ad cibum fiat mutatio. Quartum est, veteres Medicos in morbis acutis, præsertim pleuritide, & peripneumonia, semper vsos esse solis sorbitionibus, vsq; ad duos dies post iudicationem; non cibo, imo nec pane, vt monet Gal. qui medium tenuisse optimum esse dicit; & propterea male Thessalum fecisse, q̃ nimis repleret, Erasistratum, q̃ nimis inedia curaret ægros. Sed dicet aliquis, cur est q̃ Hipp. vult obseruari duos dies post iudicationem? nam habemus certissima indicia ipsius iudicationis symptomata ipsa, q̃ ante & post indicationē fiunt? Gal. qui vidit hanc difficultatem, dixit, esse iudicationē aliā perfectā, aliam imperfectā; Imperfecta est, quando mutatur q̃dem morbus, sed non insigniter, & non soluitur morbus. Perfecta vero iudicatio est, quando fit insignis mutatio, & soluitur morbus. Quando ergo vult expectari duos dies post iudicationē, loqt̃ de iudicatione imperfecta, q̃ in hac nō euacuatur statim tota materia. Et ꝑpterea vt fiat perfecta iudicatio, opus est dimittere naturā vt perfecte iudicet. Hoc autē nō potest fieri nisi spatio duorū dierū. Verūtamē scite operæ pretiū est, hāc veritatē non reperiri in omnib. morbis, sed duntaxat in illis, q̃ iudicantur 5. 7. vel 9. die: siquidē non est verū, neq; vtile, semper, semper expectare mutationē cibi vsq; ad iudicationē, & duos dies post iudicationē in omnib. morbis acutis, q̃ natura humana non potest vltra 9. dies ferre inediā. Dicebat. n. Plin. in fin. 7. lib: inediam 7. die homini mortalē esse; &, si q̃ ad 9. vel 10. diē protrahuntur, rarissimū esse. Duo hic diligenti consideratione & examine digna videntur. Primū est, cur Hipp. dixerit mutādū esse cibū hunc in modū, vt vesperi detur cibus, mane sorbitio; cur nō dixerit mane dandū esse cibū, vesperi sorbitionem? Aliud est, vtrum liceat nobis etiā hodierna die hoc genere medicamenti in morbis nostris vti, & q̃ facit difficultatē, est auctoritas grauiss. virorū, præ ceteris tēpore auorum nostrorum Manard. in epistolis suis conatus est maxime damnare vsum ptisanæ temporib. nostris. Inquit. n. melius esse vti nos panatella, quam ptisana. Et in hanc sententiā perductus est trib. rationib. quarum vna est, quia nos nō consueuimus victitare hordeo quemadmodū veteres. Altera ratio est, q̃a temporib. nostris non habet̃ hordeū illud probatū, q̃ habebat̃ tempore Hip. præterea non conficit̃ tēpore nostro queādmodū olim. Fuerunt etiā alii, qui damnarunt, q̃ ouis vtimur & aliis quib. non vtebantur tunc temporis, adeo vt liceat dicere, q̃ Gal. scriptū nobis reliquit, alios fame maceraſſe ægros, qualis fuit Erasistratus, alios nimiū replere cōsueuisse, vt Thessalus faciebat; cum tamen etiam cum Gal. dicere possimus, ita autem instituī posse, vt neq; nimiū repleat, neq; nimiū fame excruciet. Circa primum dicendum est Hipp. tribus de causis præcipere augeri cibum incipiendo à vespere non à mane nec ab

Inedia noxa.

vtrisq; prima ratio est, quia vbi mutatio facienda est, debet fieri κατὰ μεταγωγὰς, quia vires ventriculi languidæ sunt, neque sunt obruendæ statim cibo; Eapropter vult vt non nutriatur bis in die, sed iam cibo iam sorbitione. Alia ratio est, quia vt alias dicebam, Plutar. 8. sympos. 6. dicit, veteres omnes multo largius cœnabant, quã prandebant, imo erant complures, qui nihil cibi assumebant, alii parum, quemadmodum narrat Gal. de seipso. Cum ergo Hipp. vellet sese accommodare consuetudini quotidianæ, potius voluit augendum esse cibum vespere quam mane. Tertia ratio fuit, quia in curatione morborum acutorum semper maxima ratio habenda est coctionis, alimentorum, quæ nisi coquantur, fiunt cruditates, ex quibus augetur materia morbifica. Iam vero certissimum est, cibum semper melius confici noctu, quam interdiu, tum quia maius spacium est inter cœnam & prandium, tum maxime, quia noctu calor non distrahitur ad opera sensuum, quo fit vt magis retractus & vnitus magis conficiat alimentum. Quare iure vult vespere magis quam mane augendum esse cibum, adeo vt nihil frustra sit in Hipp. Circa secundum, Medici quantum fieri potest debent regulas veterum obseruare; veruntamen si interdũ contingat, vt non possint sese accommodare regulis illorum, debent sese accommodare ex vsu artis alteri, quod quam proxime accedat, aut easdem vires habeat, & eosdem effectus producat. Eapropter non damno vsum alterius cibi: veruntamen si fieri potest, optimum est semper regulas veterum obseruare, & maxime Hipp. ad vnguem. Veruntamen (libere dicam) sæpe admiratus sum Manardũ quo pacto dixerit regulas illas Hippocratis non esse veras. Nam quod pertinet ad consuetudinem, si equi essemus, verum esset: quia Theophrastus 4. de causis plantar. dicebat, hordeum esse cibum ipsorum equorum. Quis enim dixit veteres semper hordeo vesci solitos siue farre, vt narrat Varro, plurimos annos vesci solitos. Neque etiam valet, quod non habeatur optimum illud hordeum, quia species æternæ sunt imo vero quanto magis creuit cultus & agricultura aliarum rerum, ita magis existimandum est creuisse cultum hordei. Etsi fuerunt aliqui, qui dixerunt, nos non habere fabam veterum. Miror, misere nobiscum actum foret, si communibus careremus. Quod ad modum conficiendi attinet. Gal. in lib. de Ptisana ita aperte & accurate tradit modum conficiendi Ptisanam, vt plane mihi desipere videatur ille, qui non intelligat, quis ignorat hordeum coqui, vt colliquescat, & trans cribum mitti debere? Igitur optimum est, quam maxime id fieri possit veterum vestigiis insistere, & eorum præcepta obseruare.

Cibi felicius noctu quam interdiu coquuntur.

Veteres Regulæ quoad fieri tenendæ sint.

An veteri hordeum nostrum sit.

Συμφέρει δὲ τὰ τοιάδε ὡς ἐπὶ τὸ:

Talia autem plurima prosunt.

GAlenus in expositione huius dictionis scribit, Ptisanam hordeum, totamq; Ptisanam semper idem significare apud Hippocratem, quod hordeum bene coctum; Quod si coctum transmittatur per colum, & expressus & separatus succus exhibetur succus siue cremor dicitur. Ex quo loco scire oportet, Ptisanam à nostris appellatam esse cremorem Ptisanæ, non Ptisanam ab Hippocrate vocatam. Quod autem scribit Hippocrates, & hoc in loco nos docere vult, est, eos qui Ptisana integra vtuntur, complura bona habere vtplurimum. Sed cur addit vtplurimum? quoniam euentus morborum acutorum, vt dicebat 2. aphor. sunt incerti, quia est motus vehemens humorũ, quo agitata natura non permittit, vt Medicus recte iudicium faciat suum de euentu. Bona vero quæ consequuntur vtplurimum vtentes Ptisana, quatuor sunt: Primum est, quod dolores pleuritici vsu Ptisanæ mitiores fiunt. Alterum est, quod laborãtes pleuritide & peripneumonia nõ suppurantur, hoc est, non colligitur pus intra thoracem & pulmonem. Tertium est, quod iudicationes perfectiores fiunt. Quartum, quod non fiunt recidiuæ. Cur autem hæc bona consequantur vtẽtes Ptisana integra, audite vniuscuiusq; rationem. Primum sedat dolores, quia, vt scribit Galenus in com. Ptisana abstergit, humectat, atq; insignem fa-

Vtilitates Ptisanæ præcipua.

cultatem habet ad pectus expurgandum. Cum autem dolor fiat à materia dissoluẽte continuum, certum est, si hæc materia expurgetur, quod ablata caussa dolor desinit. Non fiunt etiam suppurationes: propterea quod suppuratio fit, quotiescunq; materia collecta in thoracem ad suppurationem vertitur, quæ si expurgetur, non potest fieri suppuratio. Fiunt etiam iudicationes perfectiores, quia materia expurgatur vsu Ptisanæ, vnde procul dubio fit, vt crises fiant meliores. Postremũ non fiunt recidiuæ, quia recidiuæ fiunt, vbi materia non expurgatur. Cum autem materia (vt audiuistis) expurgetur, nullo pacto fiunt recidiuæ. Habetis vt manifestissimis rationibus eluceant bona, quæ necessario vtentes Ptisana consequuntur. Sed circa ea quæ habet Gal. in com. dubium non ignobile oritur. Quandoquidẽ scribit Gal. illis, qui non possunt vti aut abhorrent Ptisanam, aut melioratum, expedire, vt vtantur piscibus saxatilibus, cum aqua porro, anetho, sale & oleo. Sed quo quæso ille hęc spiritu dixit? præterea audiuistis Hipp. dicentem, non licere dimittere sorbitionem & vti cibis, nisi duobus diebus post iudicationem, quod si verum est, quomodo possumus concedere pisces qui sunt cibi solidi, non solum ante iudicationẽ, sed duobus diebus post? quare prudenter sunt legendi scriptores veteres, & cum iudicio sedulo eorum scripta pensitanda. Ego vero si liceat defendere Gale. existimo non aliam rationem afferri posse, nisi quia vbi Medicus (vt dicebam) non potest regulis veterum exactissime vti, necessario cogitur eos cibos adhibere, qui sunt consueti, & qui sunt iucundiores. Quapropter Gal. respiciens ad hunc vsum, voluit concedere cibum, qui maxime erat in vsu tunc temporis. Videte Gal. 10. meth. cap. 11. vbi loquens de curatione febris hecticæ, concedit Ptisanam eo pacto conditam, quo hic pisces petreos. Et notate ex eo loco corrigi contextum Galen. hoc in loco, quia inquit concedendos esse pisces saxatiles conditos aqua, oleo, & prassio. Prassium est marrubium. Sed legendum est πράσον, quod significat porrum. Sequitur Hipp. & in contextu sequenti duo docet quæ breuiter explicabimus. Primum est modus Ptisanam faciendi. Deinde subnectit facultates Ptisanę. Neq; existimetis Hipp. male facere, quia repetit laudes & facultates antea explicatas, quia fuit hoc maxime ad demonstrandum victum & curationem pleuritidis. Supra, tanquã peculiare remedium in morbis acutis, in medium attulit. Nunc quomodo aduersus hos morbos conferat, docet. Modus conficiendi Ptisanam est, vt optimum hordeũ eligatur, & diligenter coquatur. Postea cremor vel succus exprimatur. Quod autẽ sit optimum, Gal. optime docuit, inquiens, illud esse optimum, quod sit solidum, ponderosum & minime rugosum. Addit duo animaduersione digna, scilicet signũ bonitatis hordei, non desumi ex alimento quod habet, quia huiusmodi iudicium non est scientificum, vt in pluribus verum. Sed hic dubium est; siquidem quæ optime alunt, videntur semper bona esse; quia copia alimenti ex bonitate substantiæ pendere videtur. Cũ ergo εὔτροφον est, iure existimandum est esse optimum. Quomodo ergo dicit non esse signum bonitatis hordei? Sciendum est, ea omnia, quæ multum alunt, non esse optimi nutrimenti, vt caro bubula. Accedit quod difficilia sint coctu, vt dicebat elegantissimus Celsus, lib. 2. c. 17. & Gal. 10. meth. vbi scribunt, quod quæcunq; res difficilioris materiæ est, difficilius coquitur, vt iure dixerit bonitatem nutrimenti non esse indicium scientificum bonitatis hordei. Probat præterea experientia, quia hordeum dum coquitur non magnopere intumescit. Habent autem illud omnia legumina, scilicet, dum coquuntur, vt maxime intumescant, & propterea ἐκπαφλάζειν dicuntur, quia vsq; adeo intumescunt, vt possit aliquid effundi extra vas. Secus est in hordeo. Quod autem Hipp. hoc in loco docere vult est huiusmodi: Ptisanam ita faciendam esse illis, qui Ptisana integra vti debẽt. Vt autem huius rei rationem doceat, nullo alio quam facultatibus hoc peragit. Et primum dicit Ptisanam hunc in modum factam esse lubricissimam, quod necessarium est in morbis acutis, quia in pleuritide & peripneumonia semper flagrat, ductus inter asperam arteriam, & œsophagum: quo fit vt nisi statim cibus dilabatur in stomachum facile in his partibus incẽdium magnum fiat, concrescat & adhæreat.

Quis Ptisanæ faciendæ modus.

Non omnia, quæ multũ alunt, optimi nutrimẽti sunt.

Sed

Sed quid si dicatur: cur igitur in curanda pleuritide Medici satagunt, vt ęgri sumāt lambitiua vocata, quo in transitu hæreant. Dicendum est, aliud esse loqui de cibis, aliud de medicamentis. Medicamenta quæ debent vim mittere in pectus, nisi illi parieti adhęreant hoc non facere possunt, cibi qui debent alere, satis est, vt in ventriculum ferantur & coquantur; præterea cur Hipp. dicit Ptisanam vim habere sitim extinguendi? Ratio est, quia sitis est appetitus frigidi & humidi; Ptisana ratione hordei refrigerat, ratione coctionis, qua illud eliquat, humectat. Habet etiam id, quod facilis est coctu; ratio est, quia quemadmodum docuit Arist. 4. metheor. coctio fit per elixationem; quæcunque coquuntur, opus est vt dissoluantur, elixentur. Iam vero Ptisana dissoluta & elixata omninoque flatu per coctionem exactam orbata, non opus est vt diu maneat, sed statim coquitur. Et hoc est quod dicit esse εὔπεπτον. Postremo addit esse ἀσθενέστερον. Sed quæ est laus ptisanæ, vt sit imbecillis. Galen. multis verbis satagit reperire nutritionem, cur Hipp. hoc dicat; & affert duas causas, quia parum nutrit, & quia mentem non percellit. Sed concedamus hanc laudem, quod neq; mentem percellat, sane non possum laudem illi tribuere, quod parum nutrit: quia vbi tractat de laudibus ptisanæ, hanc qualitatem tangit. Nunc autem, vbi tractat de pleuritide & peripneumonia, in quibus opus est exiguo nutrimento iure merito recenset hoc inter laudes ptisanæ. Celsus latinus Hipp. lib. 2. c. 17. dixit, ptisanam esse imbecillæ materiæ, quo etiam in loco commemorat interpres ouum sorbile & molle, sed quomodo possumus ouum sorbile & molle recensere inter ea, quæ parum nutriunt, cum nihil eo efficacius reperiamus ad nutriendum? Vt ergo tueamur latinum Hipp. (locus hic à paucis cognitus est, & explicatus.) Iam audiuistis Hippocratem semper sorbitiones opponere ipsis cibis; hoc frequentissime videbitis alendos esse ægros sorbitione, & non cibis, quia cibi solidi conuertuntur in sanguinem copiosum & consequenter plurimum nutriunt. Quo ita constituto, si oua ita coquantur ad ignem, vt sint maxime sorbilia, plane exiguum alimentum afferunt, eo quod est maxime fluxile. Sed si paulo solidius, sunt mediocris materiæ, cū dura & sicca maxime nutriunt, sed difficilius coquuntur. Quapropter non malefaciunt, qui in morbis, ouis sorbilibus vti præcipiunt, quæ habent alimentum fluxile.

Conciliatio.

Hordeū cur ἀσθενέστερον dicatur.

Oua, quam pauci alimenti sint.

Ην ὖν μὴ προτιμωρήσῃ τις ὁκόσων

Nisi modus seruetur.

IN omni arte feliciter obeunda docuit Aristoteles 2. Ethicorum, operæ pretium esse, vt non solum operemur, verum etiam vt recte operemur, hoc est, quam optime, quantum, quando, & quomodo, diligenter obseruantes. Hoc autem cum sapientissimus Hippocrates intelligeret in instituenda victus ratione pro morbis acutis iure diligentissimus fuit in docendo hanc rectam administrationem & in præsenti dictione vult docere modum, quo debemus ptisanam ipsam administrare. Dixi autem Hippocratem semper nomine ptisanæ intelligere victum ægrotantium in morbis acutis: quia semper illi ptisana vtebantur. Dicit ergo, nisi modus seruetur, maxime lædi ęgros. Sed quis est hic modus? Vt si cibus sit adhuc in intestinis, nullo modo exhibeatur ptisana, nisi prius cibus ab intestinis educatur. Quod autem hoc ita sese habeat, subiungit Hippocrates: rationem. Siquidem si exhibeatur ptisana seu victus, antequam sint educta excrementa, ab intestinis, hæc mala fiunt, pręsens dolor (inquit Hippocrates) augetur: si dolor non adsit, fit difficultas anhelitus maior, pulmones resiccat, præcordium & pectinem & septum transuersum dolore affligit. Sed vt recte hæc Hippocratis documenta assequamini operę pretium est, paulisper circa hanc sententiam contemplandam versari. Et primum scire debetis, hanc vocem græcam σῖτος duo significare, vt docet Galenus cum alibi, tum 6. epidem. comment. 1. text. 6. primum enim, cibum, hoc est, nutrimentum, significat. Secundo excrementum siccum & aridum q; stercus

Ptisana vt ægris ministranda.

communiter appellare solemus. Hoc in loco non significat cibum, qui nutrit, sed stercus, quasi dicat, si adsit stercus in intestinis, non esse exhibendam Prisanam, nisi prius stercora educantur. Quod autem hoc præceptum necessarium & vtile sit, expendamus rationes Hippocratis. Inquit primum, augeri dolores præsentes, etsi nõ adsint, fieri, quia vbi intestina repleta sunt fœcibus, venæ mesaraicæ comprimuntur, vt non possint suscipere neq; transmittere chylum: vnde necessario chylus retentus conuertitur in flatum, qui comprimit costas, infert tumorem & inflammationem, vnde fit dolor; præterea distendit intestina, vnde etiamsi non adsit tumor, fit tamen dolor. Sed est præterea aliud multo maius malum, quod augetur, difficultas anhelitus, quia distenta intestina flatu comprimunt septum transuersum, vt non possit fieri motus ille, qui inseruit respirationi. Sed dicet aliquis: Plato in Timæo tradens vsum septi transuersi dicit, factum esse, vt sit veluti quoddam sepimẽtum inter membra naturalia & vitalia, ne membris vitalibus à naturalibus nocumẽtum vllum accedat. Quod si verum est, quomodo potest compressio intestinorum facere difficultatem anhelitus? Respondendum est Platonem loqui de hominibus sanitate fruentibus, sed vbi homo ægrotat, frustratur natura suo fine. Itaq; verissimũ est ex importuno Prisanæ vsu augeri difficultatem anhelitus. Præterea pulmones necessario incenduntur: incensi resiccantur. Exsiccatio pulmonis quantum noceat pleuritidi & peripneumoniæ, compertissimum est. Sed fit etiam aliud malum, quod hypochondria delassantur & pectus: quia vbi musculi hypochondriorum & abdominis laborant in inseruiendo ipsi inspirationi difficili, maxime lassantur. Iam igitur habetis hanc Hippocratis sententiam esse firmissimam & verissimam, non esse prius cibum vel Prisanam exhibendam in pleuritide, nisi sint educta ab intestinis excrementa. Sed circa hæc, tria occurrunt contemplatione digna; primum est, si subducenda est aluus, vt Hippocrates dicit 4. de morb. initio scilicet 4: vel 5. die, an clysteribus an lenientibus medicamentis hoc sit agendum. Fieri enim vtroque potest. Aliud est, quo pacto dicat Prisanam importune administratam inferre dolorem, quia hic citra omnem controuersiam sermonem habet de pleuritide, pleuritidis signum pathognomicum est, dolor continuus. Si est dolor continuus, quo pacto potest esse pleuritis sine dolore. Tertium est, quo pacto dicatur stercora diu retenta inducere flatus & consequenter dolorem. Nam Aristoteles 3. part. Proble. quærens rationem, propter quam stercora diu retenta nõ fœtent, vrina autem fœteat: inquit, quia illa exsiccantur, exsiccataq; non fœtent. Quod si verum est, sequitur quoq; nõ posse flatus producere. Circa primum antiquissimum diffidium fuit, vtrum initio morborum vnquam liceat medicamentis aluum lenire. Aliqui enim negarunt, quia dixit Hippocrates: Concocta medicari oportet. In principio nunquam cocta est materia, Ergo nunquam vtendum est medicamentis lenientibus in principio. Contra non desunt, qui existimant licere vti: in principio medicamentis lenientibus, quia dicit Hippocrates, non esse dandum cibum, nisi prius sint educta stercora, quæ possunt quidem educi clysteribus, sed non adeo feliciter, quia vix dimidiam regionem intestinorum ascendunt clysteres. Sunt multa alia argumenta hinc & inde, sed quia non est æquum, vt vos detineam in hoc negocio, dicam resolute quid sentiam. Vbi ergo quisquam vobis occurrit pleuritide vel peripneumonia laborans, primum cogitare debetis vtrũ is ieiunauerit an non? Si diu ieiunauerit, non est cogitandum de educendis stercoribus, quia per ieiunium sunt consumpta, & si sunt, non sunt magni momenti. Et hæc est ratio, propter quam videbitis sæpissime Hippocratem venire ad vsum grauissimorum medicamentorum sine commemoratione huius remedii, quia sæpe illi vsu veniebat medicari hominibus, qui victitabant temperatissime. Quod si non ieiunauerint, videte an aluus fluit sponte & commode, an non. Si fluit sponte & commode, de nullo medicamẽto cogitare debetis. Sed si non fluat aluus, tunc expedit omnino eluere intestina à stercoribus. Et quia existimandum est, multa adesse, cogitandum est de aliquo auxilio, quod potest egregie educere stercora ab intestinis. Hoc quidem possunt facere

A fœcib. retentis quomodo dolor laterum & lumborum.

Obiectio ex Platone.

Prisana non nisi aluo vacua offerẽda

An in morborum principiis aluum leniri liceat.

Conciliatio.

cere clysteres, sed melius est vti grauiore, vnde in hoc casu, cum æger non ieiunanit, non fluit sponte alnus, & suspicio est copiæ excrementorum vtendum est, vt cassia, manna, melle rosato solutino. Sed si non liceat vti medicamento, vtendum est clystere, & clystere repetito. Et debetis diligenter animaduertere id, quod Hippocrates dicit, ex errore sequi exitium citissimum. Hoc autem verissimum esse, potestis intelligere ex Hippocrate libro tertio de morb. vbi loqnens de pleuritide & peripneumonia dicit, in his statim esse alunm subducendam ęgro biliofo. Erat secundum, cur Hippocrates dicit, si non adsit dolor, quasi vere pleuritis possit esse sine dolore. Aliqui dixerunt, Hippocratem loqui de pleuritide & peripneumonia, Et propterea cum inquit, si adsit dolor, intelligere pleuritidem, cum non adsit dolor, intelligere peripneumoniam. Verum hæc responsio mihi non placet, quoniam cum Hippocrates loquitur de dolore lateris, qui fit ex abusu ptisanæ, hic fieri non potest in peripneumonia, quia flatus eo non pertingunt; etsi pertingant, incendio consumuntur. Fateor ergo pulmonem ratione substantiæ suæ non esse subiectum doloribus, sed membranarum est, vt Galenus 4. de loc. aff. cap. 8. docet, vbi dicit, sustinere dolores grauatiuos, Atque hoc est, quod Celsus libr. 4. cap. 7. volnit, vbi dicebat in peripneumonia plus esse periculi quam doloris; non dicit, quod nihil adsit doloris; imo vero Hippocrates eodem libro de morb. sermonem habens de peripneumonia, tantum abest vt adimat dolorem, vt dicat, aliquando ascendere ad scapulas, ad mammas. Quid igitur dicendum est? iurarem hanc fuisse mentem Hippocratis, scilicet, vt quando dixit, si non adsit dolor, intelligat de dolore magno. Consueuit dolor pleuriticus magnus esse: interdum vero obscurus est. Eapropter vult dicere, quod ptisana intempestiue administrata augeat dolorem, si sit exiguus, facit vt manifestetur. Tertium & postremum discussione dignum erat, quo pacto dicat stercora retenta facere flatus & consequenter dolorem: quandoquidem Aristoteles videtur contrarium sentire. Respondendum est, stercora retenta facere dolorem per se, vel per aliud. Per se non possunt excrementa inducere flatus & dolorem, quia exsiccantur. Per aliud vero possunt, quia retenta stercora non permittunt exitum & distributionem chylo. Vnde retentus cum tractetur à calore febrili, fuit flatus, qui tamen sunt minus corrupti & fœtidi, quam vbi non retinentur fœces. Ratio est ex humore & calore præternaturali, qui magis in intestinis viget quam alibi, vt propterea putrefactę fœces male olent, non adeo sanguis putrefactus, aut quispiam alius humorum.

Τοῦτο δὲ ἢν ἔτι τῆς ὀδύνης τοῦ πλευροῦ.

Præterea si lateris dolor assiduus est.

SI vlla est in tota hac tractatione magni momenti sententia, plane ea est, quæ nunc proponitur, nempe quæ maxime refert ad commode viuendi rationem instituendam. Est autem sententia hæc: quod si dolor lateris continuus sit, nec remittatur vllis fumentis, & sputum aut non exeat, aut sit viscidum & crudum, ægros citissime perire si exhibeatur ptisana integra, priusquã soluatur dolor aut purgatione aut venæ sectione. Continuatur autem hæc sententia cum superiore, quia cum Hippocrates instituisset tradere rectam rationem administrandi victnm in morbis acutis & nomine victus intelligeret ptisanam, in superiori docuit modum quo debemus huiusmodi victum instituere. Nunc autem docet tempus: & quia vt reliquorum morborum, sic pleuritidis sunt quatuor tempora, principium, augmentum, status & declinatio. Galenus existimat totam hanc sententiam intelligendam esse de augmento pleuritidis. Sed puto ego etiam de principio, augmento & ipso vigore esse intelligendam, quasi docere velit, non esse exhibendam ptisanã integram, non esse nutriendum, priusquam hæc tempora transierint. Vnde videre potestis, quam grauissime errent omnes pene hoc tempore Medici, qui neglectis præceptis Hippocratis, nutriunt plus æquo ægros in augmento & in vigore. Duo autem notanda sunt circa literam præsentem. Vnum est quid velit, dicere

Ἀσαπέως vel ἀσαπέως quid significet. *Visciditatis duplex causa.*

dicere Hippocrates quando scribit, si sputum viscidum ἀσαπέως exeat. Galen. dicit significare sine coctione & iure, quia (vt alias vos docui) veteres, & præsertim Hippocrates consueuerunt appellare coctionem σῆψιν, hoc est, putredinem. Scire itaque debetis id quod viscidnm est duplici ratione fieri viscidum vel crudum, hoc est frigore, vel coctum, hoc est, calore. Videmus enim multa & præsertim terrestria, vbi cruda sunt, esse crassa, viscida; vbi cocta tenuia. Pariter quædam coctione fiunt viscida, vt mel, quod etiam vbi est crudum, tenue est. Hippocrates igitur dicit, si sputum exeat viscidum sine coctione, (hoc ἀσαπέως significat) citissime perite. Illud notādum est, quod dixit, nisi dolor soluatur venæ sectione aut purgatione. quæ sano modo sunt intelligenda. Siquidem non semper succedit hisce remediis solui dolorem; imo vero solet perdurate raro vsq; ad statum. Quamobrem vult dicere, nisi solnetis, hoc est, nisi tentaueris soluete venæ sectione vel pnrgatione. Sed illud opetæ pretium est diligenter inquiramus, quomodo fieri potest, vt propter hunc errorem citissima mors inferatur, quia quotidie videmus, Medicos etiam dolote perdurante nutrite, dare Ptisanam integram, nihilominus non videmus vsque adeo celerrima exitia. Galenus aut non vidit aut dissimulauit hunc nodum. Aliqui ex recentioribus dixerunt, celerem mortem sequi hunc errorem, propterea quod vbi committirur error in pleutitide, vt plenius quam par sit alatur æger, affluxio maior fit, vnde inflammatio augetur; aucta inflammatio citissimum exitium affert. Sed non placet mihi hic modus respondendi, quia non est necesse fluxiones augeri; imo non est necesse, aucta fluxione, auctoq; tumore, ita cito incidere mortem. Quapropter aliter respondendum est. Primum illud memoria tepetendum est, Hippocratem confidentissimum fuisse in remediis adhibendis, & iudicio ferendo; quemadmodum cum alias, tum cum dicit omnes homines perire die, mense, anno legitimo. Neq; puto eo audaciæ profectum fuisse sine aliquo iudicio sapientissimum senem, ratioq; hæc eum mouit, quia maxime studebat Medicos & ægros ab erroribus committendis deterrere. Id quod eū præ ceteris hoc loco facete existimo, vbi cum videtet Medicos maxime errate in nutriendis ęgris, vt eos auerteret ab hoc etrore, dixit, non solum esse exitialem, sed etiam citissimam mortem inferre. Neq; hoc fuit absq; insigni ratione. Idem lib. 1. de morb. declarans, quomodo cito pereant, inquit, quod vbi multum pituitæ & bilis affluxum est lateri, & multum etiam accedit ab omni corpore ad latus, replentur venę & arteriæ, quibus repletis, fit vt difficultas anhelitus augeatur, difficultate anhelitus aucta, necessario ægri cito peteunr. Idem etiam tertio libro de morb. loquens de pleuritide, inquit, hanc propter anhelan di difficultatem, propter ingens incendium tertia die interimere. Adeo, vt si confetamus illa cum his, quæ dixit hoc loco, iam patet eos cito perire, qui errent in victu, quasi dicat, pene non ob aliam causam, quam quod strangulantur. Et quod hoc sit vetum, videte ipsum Hippoctatem: Inquit, si sputum sit viscidum sine coctione, si errent in victu, cito pereunt. Loquitur de pleutiride, de insigni inflammatione, in qua adest summa necessitas respirandi, vbi sputum viscidum est & crudum, quia bronchia pulmonis repleta, non admittunt aerem exeuntem & introeuntem. Igitur ranto citius pereunt, si plus comedant, quia cum tota Ptisana in hac ægritudine male coquatur, conuettitur in flatus, flatus adiecti sputo viscido & crudo, mirum in modum augent anhelandi difficultatem, & acceletant mortem, Et hoc est, quod alias docebat Hippocrates, in coac. ptæd. inquiens, illos quibus inflammati sunt pulmones, cito perire ob viciniam cordis, & anhelandi difficultatem.

Hipp. in decernēdis remediis cum progressu iudicio audacissimus.

Cur pleuritici, qui in statu nutriuntur, repētine intereant.

Ptisana, in ventriculo male cocta, flatuatur.

Διὰ ταύτας ἐν προφάσιας, ἑτέρας.

Ob has igitur caussas.

NOn contentus vniuersali iudicio, ad particulare descendit, & subiungit terminum mortis, inquiēs: Propter has caussas est eos, q vtuntur tota Ptisana, pleno victu.

victu, perire septima die vel celerius, atque hos vel delirare, vel strangulari cum stertore. Tria hic diligenter nobis sunt inquirenda. Primum erit, quid significare velit cum dicit, ob has & similes caussas. Secundum erit, quomodo pereunt septima die aut celerius. Tertium, quomodo dixit, perire vel delirantes vel strangulatos: quasi vero non pereant & delirantes & strangulati: imo vero Galenus quarto de caus. puls. inter signa pleuritidis recenset delirium, & presertim magnæ. Si ergo delirium est signnm pleuritidis, non oportebat dicere perire delirantes, quia exhalationes feruidæ nunquam non in pleuritide magna in cerebrum feruntur, & delirium pariunt. Circa primum Galenus inquit, per Alias, intelligere errata, quæ in victu committuntur, vt vino, oxymelite. Ex quo loco annotare debetis, iure prohiberi vinum in pleuritide, quia ex Galeno citissimam mortem infert. Sed non erit locus de vino loqui, quia postea de vino agit. Eapropter satis est intelligere ob alias causas, hoc est, errores in quantum, quando. Cur autem dixerit perire septima die, ratio est, quia terminus proprius morborum acutorum & maximus est septima dies, quam perituri nunquam transeunt, & duntaxat illi attingunt, quorum vires sunt robustiores, quemadmodum citius pereunt, quorum vires sunt infirmiores, prout magis vel minus augetur anhelandi difficultas, à qua strangulantur. Ad tertium puto ego respondere posse, non fuisse mentem Hippocratis, quod interdum neque delirant, interdum delirant & strangulantur, sed vult dicere aut delirantes & strangulatos perire, aut strangulatos tantum. Si vsque ad septimum diem æger viuit, delirat, quia tandem exhalationes feruidæ in cerebrum feruntur; sed plerunque contingit, vt prius ægri difficultate anhelitus strangulentur, propter virium infirmitatem & morbi magnitudinem, Quamobrem summa ratione inquit, vel delirantes perire vel strangulatos, priusquam delirent, scilicet illos, qui magis errent in victu pleniore. Sed dicetis, quomodo dicit perire strangulatos cum stertore? Stertor appellatur ab Hippocrate & Græcis ῥέγχος, vnde runcus vox latina; & apud Plautum habetis runchiso. Est autem runcus, nihil aliud, nisi strepitus, qui editur ante anhelandum, quem Cœl. Aurel. sæpe solet appellare stridorem pectoris. Hic interdum fit ab hominibus dormientibus. Fit quoque in plerisque morbis, vt apoplexia, pleuritide & peripneumonia. Igitur vt Hippocrates doceret huiusmodi strangulationem, esse strangulationem vehementem, difficilem & morbosam, inquit, citissime perire strangulatos & cum stertore. Iam concludentes dicimus, citam mortem pleuriticis contingere ex prohibita respiratione, & hanc ob sputum retentum fieri, vel viscidum & crassum: fieri autem viscidum à malo victu, & ab ipsa difficili respiratione, adeo, vt seipsos foueant, & difficultas respirandi, & sputum viscidum. Fructus huius doctrinæ est, vt nunquam cibus alicuius momenti, neque vinum exhibeatur pleuriticis, donec in vigore est, & donec non minuatur dolor purgatione, venæ sectione, vel fomentis. Sed dicet aliquis, si pergat dolor in summo ad quartum, & vltra, non licebit dare cibum? puto Hippocratem non absolute loqui de quolibet cibo, sed de cocta ptisana, de pleniore victu. Potest tamen exhiberi cremor dilutus amygdalarum panatella.

ῥέγχος quid.

Μάλα δὲ τοὺς τοιούτους οἱ ἀρχαῖοι βλήτους.

Bene autem.

CVm dixisset Hippocrates, vt audiuistis, eos qui errant in vsu ptisanę, perire statim suffocatos, in præsenti commemorat quoddam scitu dignum, scilicet veteres appellasse eos, qui sic pereunt, βλήτους, hoc est, percussos; & inquirit ita appellasse, tum quia pereunt suffocati & cum stertore; tum, quia postquam mortui sunt, ipsis in latere affecto apparet vibex & macula, quasi fuerit percussio facta à telo, aut à sydere. Et forsan vocabant pleuritidem telum, quia appareat quædam percussio, veluti à telo; quamquam ita etiam existimo fuisse appellatam propter puncturas. Circa autem hæc notare debetis nonnulla; Primum est, quod Hippocrates

βλῆτοι cur dicti.

libro

lib.2.de morb. aliquod genus morbi capitis recenſet, quo laborantes, inquit, vocari percuſſos. Præterea illi etiam qui pereunt apoplectici, ſolent appellari βλητοὶ, & populus dicit hos eſſe percuſſos. Hip. etiam in Coac.prædict. loquens de peripneumonia inquit, in hoc morbo inflammatas partes pulmonum concidere in latus, atque illic maculam & roſolutionem induci. Stephanus Athenienſis lib.1.Prognoſt. com.text.5. tradit, etiam eos qui pereunt peſte vocari βλῆτες, quod in his ipſis apparet huiuſmodi macula & percuſſio. Adeo vt βλητοὶ dicantur pleuritici, peripneumonia, peſteq; laborantes. Addo etiam ſtrangulati: Sed pro integra huius orationis Hippocratis explicatione primum inquirendum eſt, cur Hippocrates hanc rem in hac grauiſſima tractatione interſerat ad medicum negocium parum pertinentem. Quid enim refert ad inſtituendam victus rationem in morbis acutis ſcire pereuntes pleuritide cum ſtercore appellari βλῆτες. Præterea inquirendum eſt, an omnes qui moriuntur pleuritici, habeant hanc maculam, quemadmodum ille proponit. Poſtremo ſi verum hoc eſt, videre oportet cur fiat, vt & pleuritici & ſtrangulati omnes ſic maculentur. Circa primum, puto ego non ſine aliqua vtilitate eum hanc rem nobis propoſuiſſe. Et eſt, quia veteres, & præſertim tempore Hippocratis, erāt admodum ſuperſtitioſi in iudicio ferendo de morbis, & iis curandis, quia putabant ſæpe à Diis ipſis immitti morbos, & curari. Eapropter, vt doceret, habere cauſas naturales, dicit, illi qui ſic pereunt appellantur βλητοί. Neq; hoc eſt inſolitum Hippocrati, videte enim lib. de aer.aq.loc. vbi ſcribit, ſterilitatem à ſectione arteriarum pone aures exiſtimatam eſſe opus Deorum. Idem libro de ſacro morbo, vt adimeret opinionem vulgi, exiſtimantis epilepſiam eſſe morbum diuinum. Ibi quædam dixit, maxime conſona his. Quia ergo maxime refert ſcire, an ſit à cauſis naturalibus, an ſit opus diuinum: eapropter voluit nos monere. Vtrum autem hoc verum ſit, puto ego inter res obſeruatas ab Hippocrate frequenter hanc eſſe. Quæ ſi etiam noſtris temporibus diligenter obſeruaretur, fortaſſis vera ſæpiſſime reperiretur. Ego tamen nunquam aut rariſſime inueni. Cum igitur verum hoc ſit, quæ eſt ratio, propter quam illæ maculæ fiant in latere? Hippocrates videtur nullam aliam cauſam attuliſſe, niſi quia pereunt priuſquam dolor ſoluatur. Sed quid eſt illud? Aliqui, vt explicarent hanc Hippocratis obſcuritatem, dixerunt illos qui pereunt antequam dolor ſoluatur, perire propter magnam inflammationem; magna inflammatio adfert gangrænam, quæ ſuapte natura ſemper inducit maculam. Sed quamquam hoc interdum verum ſit, nihilominus videtur adhuc durum, quomodo Hippocrates hoc dicat. quia ſi verum eſſet, ſequeretur omnes pleuriticos pereuntes debere maculari. Loquor de pleuritide inſigni: quia rariſſime ſunt qui pereunt. Poſtquam ſolutus eſt dolor. Alia ergo ratio eſt quærenda. Eſt autem hæc quoniam vbi feruet ſanguis inflammationis lateris, magnopere attenuatur, rarefiunt arteriæ & venæ, vnde fit, vt per muſculos intercoſtales reſidet in cutim vbi firmatus, reſtigeratur, & nigrorem inducit ipſi cuti & maculam. Ariſtoteles 9. part. Problem. 9. & 4. ſcribit eos qui percutiuntur ferula ſuggillari, contrahere vibices & maculas, quia ex percuſſione ferularum franguntur venæ illæ tenues, quibus effractis vel rarefactis, profunditur ſanguis in cutem, qui refrigeratus maculam inducit. Et hæc eſt ratio: ſi æs vel thapſia ſuperligetur, maculæ prohibentur, quia faciunt vt ſanguis refugiat, & non foras repat. Pari pacto etiam dicere poſſumus ſtrangulatos maculari, quia propter difficultatem anhelitus maximam, tumidæ venæ redduntur adeo, vt diſrumpantur, propter ingentem inflammationem: ex quo fit profuſio ſanguinis in cutem, refrigeratio & maculæ. Vnde errant hi, qui ſtatim atque maculatos homines vident, exiſtimant eſſe venenatos. Itaque dicamus cum Hippocrate fieri maculas, quia pereunt ſtrangulari, priuſquam dolor ſoluatur, quia fit diſruptio venarum & ſanguinis in cutim profuſio.

Hippo. tempore iudicia de morbis valde ſuperſtitioſa.

Cur pleuritide occumbentium latera maculoſa.

Subiungit Hippocrates rem hunc in modum ſeſe habere, vt qui non exſpuunt aut viſcidum, in iis fiat difficultas anhelandi, ab hac retinetur ſputum, ſputo

retento

retento augetur difficultas anhelandi: & propterea esse malum, quia hæc mala mutuo sese fouent & augent.

καταλαμβάνει δὲ ταῦτα οὐ μόνον τῶν

Capiunt autem hæc.

Dixi alias, Hippocratem nomine pleuritidis docere nos voluisse omnem morbum. Sic nomine ptisanæ omnem victum. Id manifestissime docet in hoc contextu; cuius hæc est sententia, non solum hęc pati, hoc est, perire cito strangulatos eos, qui intempestiue vtuntur ptisana, verum etiam eos multo magis lædi, qui intempestiue vtuntur deteriori cibo, quam ptisana. Deteriores cibi sunt, vinum, caro, oua, panis: Quasi dicat, non putes me tantum damnare ptisanam, verum etiam, qui vtuntur cibis deterioribus, quia si cibus bonus & conueniens tantum affert detrimenti, quantum damni pariet cibus deterior? Sed dicet aliquis: quomodo ergo Hippocrates dicit, inferius, melius esse persistere in deteriori cibo quam transmutari ad meliorem? præterea cur magis nocent cibi deteriores, quam ptisana. Quod ad apparentem primam contradictionem attinet, suo loco agam pluribus. Ad aliud dicendum, eos qui errant in tradenda intempestiue ptisana, errare duntaxat circa tempus; qui autem errant in vsu aliorum ciborum, errant etiam in quid agendo, quia non aluntur cibo, quo ali deberent, neq; quando. Igitur laudandus est Hipp. cum dicit, vsum intempestiuum aliorum ciborum esse deteriorem, quam ipsiusmet ptisanæ.

Addit postremo Hippocrates eos, qui vtuntur solis ptisanis, & qui vtuntur cremore eius, habere similia auxilia. Eos autem qui vtuntur solo potu, diuersimode ipsis interdum esse auxiliandum. Qui autem sit scopus in his verbis Hippocratis; non admodum conueniunt interpretes, imo neque Galenus, qui intimius penetrat, satis explicuit. Ceterum quid velit vere intelligere, vt cognoscatis, primo illud est statuendum, tres esse ordines morborum acutorum. Alii sunt acuti simpliciter, alii acutiores aut peracuti, alii acutissimi. Acutis conuenit tota ptisana; acutioribus cremor; acutissimis melicratum, vel nihil conuenit. Vult igitur dicere laborantibus morbo acuto & acutiori conuenire eadem auxilia in reliquis, scilicet fomentis, purgatione, venæ sectione. Laborantibus vero morbo acutissimo, aliquando aliter oportere auxiliari. Quid autem sit aliud auxilium non apponit hic. Sed vt bene notat Galenus, dicet infra & secundo huius, & tertio, vt nos quoque suis locis. *Tres acutorum morborum gradus.*

Vt autem ego puto, vult dicere Hippocrates, esse eadem ex arte seruanda in morbis acutis & acutioribus, vt prior locus sit fomentis, deinde purgationi, vel venæ sectioni alter. In acutissimis statim deueniendum est ad vehementiora; cum in his semper turgeat materia, & vt ait Hippocrates lib. de affect. & Celsus initio libri tertii, in morbis acutissimis breue spatium est, in quo si auxilia non prosunt statim æger extinguitur; vnde in iis aliud atq; aliud experiri oportet, ac cito mutare, quod nihil prodest.

χρὴ δὲ τόγε πάμπαν οὕτω ποιέειν.

Oportet autem omnino hoc facere.

PRosequitur Hippocrates rectam ptisanæ, & propterea totius victus administrationem. Et quia superius (vt recte annotauit Galenus) satis confusus fuit vt ferebant ea: propterea nunc eadem repetens, paulo apertior est. Et animaduertite Hippocratem, non eam in his libris seruasse grauitatem, quam consueuit, quia illi erat pugna aduersus veteres medicos, quos vt refutaret, longior fuit. Animaduertite etiam, quod Galenus accusando Hippocratem accusat semetipsum, quia ille etiam melius quædam repetiit, quæ antea dixerat obscurius, & ex hoc loco

ego soleo multas Galeni contradictiones soluere. Scribit itaque Hippocrates, id totum, quod à seipso propositum est in hoc libro, hunc in modum sumatim esse perficiendum, vt si aliquis nuper cibatus febre tentetur cum dolore vel sine dolore, non exhibeatur ei sorbitio, nisi prius cibus in extrema intestina descenderit. Quæ sententia perspicua quidem est, prima fronte, habet tamen aliquas difficultates. Et primum dubitatur, quomodo Hippocrates dicat nunc, statim esse videndum, an cibus descenderit ad intestina, & non esse prius dandam ptisanam, quam descendat: quia ante dixit, statim tentandum esse discutere dolorem, nulla facta mentione descensus cibi. Præterea certum est, vt sæpe dixi, Hippocratem hic sermonem habere de pleuritide. Quomodo ergo dicit, si febris aliquem corripit cum dolore, vel sine, quasi pleuritis possit fieri sine dolore. Postremo, quæ fuerit ratio, cur Hippocrates dicat, non esse dandam sorbitionem, & non dicat, non esse dandum cibum. Circa primum responderi potest, Hippocratem in superioribus de graui duntaxat pleuritide egisse: & idcirco voluit statim aduersus ingentem pleuritidem tentari dissolutionem doloris. Hoc autem loco de qualibet pleuritide loquitur, tam leui quam graui. Alio modo responderi potest, Hippocratem locutum esse de curatione illo loco: Nunc autem loquitur de institutione victus. Quare iure vult, vt prius descenderet cibus, quam nouus ingeratur. Ex quo potestis etiam secundum dubium dissoluere, cur Hippocrates dicat, si febris sit sine dolore. Vult enim dicere, sine dolore, hoc est, sine perspicuo, manifesto & ingenti dolore. Neque enim probare possum illos, qui existimant, Hippocratem loqui de qualibet febre, quia scopus illius est duntaxat tractare ipsam pleuritidem cum febre. Quod autem dixerit sorbitionem, non cibum, manifesta videtur esse ratio, quia febricitantibus conuenit sorbitio, non cibus: quia (vt scribit Hippocrates lib. de veter. Med.) sorbitio est imbecillis, coctu facilis, humectans. Victus imbecillis autem conuenit his propter facultatis concoctricis imbecillitatem, tum propter eius circa materiam morbificam occupationem. Facilis coctu, quia (vt dicit idem 7. aphor. 62.) cibus, vt sano robur, ita laborantibus morbus. Humectans denique quam maxime requiritur, quia (vt idem Hippocrates in aphor. scribit) victus humidus febricitantibus omnibus conuenit. Ceterum video, dicturum esse aliquem, quomodo Hippocrates vult, expectandum esse descensum cibi antequã exhibeatur sorbitio? siquidem 4. de morb. (& notate, quia hoc est rarum, & à me forsan primum animaduersum) inquit, cibum descendere ad intestina postera die; imo vero dicit, si aliquibus eadem die descendat, illi gracilescunt, & fiunt imbecilli. Quare erit semper expectanda, tertia dies antequam cibemus ægros: atq; ita veniemus in opinionem Thessalicorum, seu Diatritariam à Galeno tantopere confutatam: quia non nutriebant ante tertium diem. Præterea quomodo cognoscere poterimus, an cibi descenderint? postremo, quæ est ratio, cur sit expectandus descensus cibi, antequam nouus exhibeatur. Ad primum respondendum est, aliã esse sententiam Hippocratis, aliam Thessalicorum. Hi enim in omnibus morbis volebant indifferenter expectandam esse tertiam diem, priusquam alerentur ægri. Hippocrates, nequaquam, & loquitur tantum de morbis acutis, in quibus vult, vt expectetur descensus cibi ad intestina. Sed quomodo hoc cognoscemus? Si sequamur sententiam, quam mox attuli ex Hippocrate transacta secunda vel tertia die? Sed hoc argumentum incertum est; idcirco alia ratione cognoscendum, id est, ex ructibus: si enim flatus repentes ab ore, nihil redoleant, signum est exisse. Similiter si mollia sint hypochondria; si sese leuem æger sentiat. Cur autem non sit cibus exhibendus antequam prior ad intestina descenderit, ratio est; quoniam si cibus nouus exhibeatur, antequam alius descenderit ab intestinis, aut vterq; exit, aut vterq; retinetur. Si vterq; exit, necessario nouo eget statim. Si vterq; retineatur, necessario vetus quasi aduritur. Quare omnino noxium est cibum nouum capere, priusquam descenderit antecedens. Et animaduertite, hoc non solum in aduersa valetudine esse obseruandum, imo etiam in prospera: & qui

& qui curam habent sanitatis, nunquam sumunt cibum prius, quam prior descenderit, quia nihil est perniciosius, quam ponere (vt vulgus dicit) indigestum super indigestum.

Ἢν δὲ ἄλγημά τι ἔχῃ, ὀξυμέλιτι.

Vbi multum dolor affuerit, aceto mulso.

DIcebat Hippocrates non esse dandum cibum, siue febris sit cum dolore, siue sine. Nunc pergens in eadem recta administratione victus describẽda, inquit, si febris cum dolore adsit, & cibus non exierit, dandum esse oxymel: æstate frigidum, hyeme calidum. Quod si valde sitiat æger, dandam esse mulsam vel aquam. Vt autem hoc vtilissimum præceptum comprehendatur à vobis intellectu & memoria, videamus qua ratione vult dari oxymel, si adsit dolor: & quare æstate frigidum, hyeme calidum, & qua de causa valde sitientibus mulsam vel aquam. Aliqui putarunt propositum esse oxymel, vt faciat descendere cibum ad intestina. Sed hæc sententia mihi non placet: primum, quia oxymel non habet hanc facultatem; imo, si exhibeatur, quando cibus est in ventriculo, perniciosissimum est, quia facit descendere cibum, crudum. Quare puto ego proponi, quia iuuat; vt enim infra dolebit, quando æger de viribus oxymelitis vim habet concoquendi; præterea facilitat sputum, & tollit difficultatem anhelitus. Quamobrem propter has rationes laudat oxymel, si dolor adsit. Dixi sed dicetis, de quo oxymelite loquitur. Nam veteres aliter parabant, ac Dioscorid. & Galen. Illi, inquam, cum sale & aqua marina, cuius oxymelitis vsum damnarunt Asclepiades atq; Themison, vt scribit Plinius lib. 23. cap. 2. & lib. 14. cap. 17. De hoc sane non loquitur Hippocrates, quia cum caueat sitim atq; calorem oxymel, cum sale vel aqua marina magis calefacit, & maiorem sitim inducit. Diosc. autem & Galen. lib. de San. Tuend. 4. & libello, qui inscribitur consilium pro puero epileptico parabant ex vna parte aceti, duabus vel quatuor mellis, & tantundem aquæ, vt fieret concoctio & mixtio, donec tota aqua foret consumpta. Aqua additur, quia difficulter miscentur acetum & mel. Quare vt fiat optima mistio opus est multa coctione; in multa coctione nisi esset aqua admixta, mel combureretur. Et hæc est ratio propter quam Aristoteles 19. Problem. 44. cõparaus vinum & oxymel dicebat, iucundius esse vinum, quam oxymel, quia permixtio facta à natura, melior est quam illa, quæ fit ab arte: quia est perfectior. Additur etiam acetum ad incidendum & attenuandum. Mel vero, quia attenuat, calefacit, expurgat pectus, ventriculum & intestina. Quare cum his omnibus opus est in pleuritide, iure componitur ex melle aceto & aqua. Cur velit dandum esse æstate frigidum, hyeme calidum. Galenus inquit esse causam, vt moneret aquam gelidam esse efficacissimum remedium in morbis acutis. Sed hæc ratio Galen. non mihi probatur, quia si loquitur de pleuritide in hac non ita conuenit vsus aquæ gelidæ. Præterea cur dicat hic de vsu aquæ gelidæ, cum postea nullum illius mentionem faciat. Eapropter satius est dicere voluisse Hippocratem propter iucunditatem & vtilitatem. Fuit enim sententia Asclepiadis receptissima apud omnes Medicos, vt debeamus mederi cito, tuto & iucunde. Et hanc etiam sententiam habuit Hippocrates, propter iucunditatem, inquam, quia quid est incundius, quam febricitantibus, & præsertim æstate dare potum frigidum? quid etiam eo est vtilius, cum eorum corpora propter febres æstuent incendio? hyeme iucundus est vsus oxymelitis calidi, cùm propter iucunditatem, tum propter vtilitatem, propter causam morbificam; quia eo tempore ventres calent, tum quia ita facilius concoquit natura materiam morbificam. Cur autem det mulsam vel aquam sitientibus, ratio est, quia oxymel ob copiam mellis non conuenit; mulsa ex modico melle, & multa aqua est: quæ ratione aquæ refrigerat, & extinguit sitim, ratione mellis penetrat. Et hæc est ratio cum iuleb aquis æstate misceatur. quæ bibuntur. Aqua autem præbetur, quando pleuritis ipsa biliosa est, vel ægri sunt biliosi, ne dulcia in bi-

Oxymelitis quæ facultates.

Oxymelitis parandi varietas.

Mixtio naturæ, artis superior & perfectior.

In acutis cur oxymel æstate frigidum, hyeme calidum propinandum.

Asclepiadis Maxima.

lem conuertantur. Ex hoc loco obseruate malefacere omnes qui exhibent serapia tepida, χλιαρὰ τὸ γαλακτώδεα vim habent, (vt ait Galenus) ciendi vomitum. Quare vtendum est his calidis hyeme, & frigidis æstate, & animaduertite inutiliter superstitiosos esse aliquos, qui æstate recusant dare potus frigidos: quia cum hoc præcipit Hippocrates, & omnis antiquitas, tum Galen. 7. metho. cap. 8. postulante vsu exhibet cibos & medicamenta niue refrigerata.

Nunquam syrupi tepidi bibendi, cur.

Ἐπὴν μὲν τοι ἢ μὲν ἀλγημά τι ἐνῇ.
Postea vero si dolor aliquis affuerit.

RECta victus rationis administratio in morbis acutis tanti momenti est, vt minime mirum sit, si Hippocrates prolixus sit in hac tractatione, etsi multa habet quæ forsan non sunt admodum necessaria, attamen sunt maximo vsui, quemadmodum inter cetera est quam maxime præsens oratio, quæ est, si dolor aliquis inuadit, aut aliquod periculum dare oportet sorbitionem, neq; multam neq; crassam, ante septimum vel nonum, si æger validus sit. Cuius sententiæ explicationem vt integram habeatis, paulisper versandum est circa doctrinam indicationum, quas nobis seminauit magnus Hippocrates & Galenus ad frugem maximam omnium Medicorum. Hac etiam ratione incedendum indicauit Galen. in comment. & vt breuiter indicationes doceamini Hippocrat. scire debetis, Medicos naturales ad inuenienda & præbenda remedia vti indicationibus. Indicationes sunt, quæ ducunt & dirigunt intellectum ac iudicium Medici ad remedia inuenienda & offerenda ægris. Sunt autem potissimum duæ, vna, ipse morbus, affectus prætet naturam, Alia est ipsa natura, vires. Sicut enim morbus indicat inuenienda esse remedia; ita quoque facultas docet non præbendum esse alimentum, siquidem frustra conaremur morbos depellere, nisi prius aciem intellectus nostri dirigeremus ad ipsam vitam sustentandam. Quo factum est, vt Hippocrates & posteriores omnes habuerint duas potissimum indicationes: curatiuam à morbo acceptam, alteram à viribus, vitalem appellatam. Huiusmodi autem indicationes propterea appellatæ sunt principales, quia dirigimur ab illis ad operandum. Constitutio corporis, ætas, regio, consuetudo, tempus anni, non dicuntur principaliter indicare, neque dirigere Medicum; quia dirigunt Medicum, prout indicat vel morbus vel facultas. Exempli gratia; indicatio à constitutione temporis anni capitur, tanquam à quodam, quod indicat morbum: pariter constitutio corporis, prout sequitur ipsum temperamentum & facultatem; siquidem, vt scribit Galenus initio lib. de facultatibus natur. facultas nihil aliud est, quam temperamentum. Eapropter quæcunque denotant nobis, temperamentum denotat nobis simul ipsam facultatem. Itaq; quotiescunque vult Hippocrates remedia inuenire aduersus morbum, non solum spectat naturam morbi, sed constitutionem corporis. Quod ad facultatem, non solum considerat temperamentum, sed ætatem & cetera. Debetis quoque animaduertere, sæpe Medicos in negotio morbi respicere facultatem; ita quoq; in negotio facultatis sæpe respicere morbum. Animaduertite mirabile artificiũ Hippocratis, vbi morbus curandus est, primo respiciendus est affectus, deinde vires vtrum peruertant vsum remediorum, nec ne. Quare in indicatione curatiua, etsi Medicus respiciat facultatem, respicit, vt vel prohibens, vel non prohibens. Pariter vbi à facultate indurationem capiens, instituturus est nobis victus rationem, spectat non tanquam principaliter morbum, sed tanquam prohibens vel non prohibens; ita 7. aphor. 62. dicit Hippocrates, febricitantibus cibus, morbus ægris, quasi dicat, in tradendo cibo non solum spectandam esse facultatem ipsam, sed morbum, vtrum prohibeat, nec ne. His itaq; indicationibus perductus diuinus Hippocrates dicit in præsenti sententia, si dolor adsit, aut periculum date oportet ptisanam. Quare in danda ptisana respicere dolorẽ affectum, tanquã secundario indicans, non phibẽs alimentũ. Subiungit deinde: ante septimũ vel nonũ, si robustus sit æger, respiciens primũ ipsam indicationẽ vitalẽ: siq; dẽ vbi vires sunt robustæ, non egent

Indicatio quid.

Indicationũ princip. duo genera.

Indicat. minus principales.

egent alimento; Si autem imbecilla sit facultas, eget refectione æger: Et propterea dicit, non dandam esse sorbitionem, si vires ferant, si sint robustę. Sed duo sunt inquirenda, Vnum est, cur Hipp. dixerit, ante septimum vel nonum; alterum est, si non licet ante septimum vel nonum dare ptisanam multam neq; crassam, an aliquid cibi sit dandum. Quod ad primum, iure summo dixit Hipp. vsq; ad septimum, quia hic est decretorius omnium morborum acutorum, & præsertim pleuritidis, de qua loquitur Hippocrates. Addidit autem nonum, quia post crisim debet semper expectare Medicus vnum vel alterum diem, antequam mutet victum. Quod ad secundum attinet, examinanda sunt Hipp. verba, ex quib. elicietis, quæ fuerit Hip. sententia ἐν ἄλγημα, id ait ad indicandam perseuerantiam doloris, quia dolor, qui perseuerat, proprie inest, & est manifestus, quia alias non semper dolor perseuerat; quemadmodum quidem symptomata periculosa. Igitur dicit, dare oportet sorbitionem neq; multam neq; crassam. Cur non dicit, dare non oportet sorbitionem? quasi dicat etiam in his casibus dandam esse sorbitionem, sed non oportet dare neque multam neq; crassam, quasi dicat; est quidem æger nutriendus, vt sustentetur natura, sed sorbitione pauca, non multa, tenui non crassa. Habetis ergo explicatissimam hanc Hippocratis sententiam, quod vbi dolor adest vel periculum, danda est sorbitio neq; multa neq; crassa, ante septimum vel nonum, si æger sit validus, si æger, inquit, robustus sit, quia in curando & nutriendo semper Medicus debet ante oculos gestare vires & naturam. Gal. in comment. nescio quid habet, quod non est silentio prætereundum. Inquit ab Hipp. dari, vt audiuistis, oxymel & mulsam, sed illud pro medicamento, illam pro nutrimento. Sed cur dixit, oxymel non nutrire, mulsam vero nutrire, quum in vtrisq; est mel, quod nutrit, aqua & acetum nō nutriunt, & si quid est quod nutrit, est acetum, quia saltem est vehiculum. Notate vetum dixisse Gal. quia oxymel non nutrit, sed mulsa, aut saltem hæc nutrit multo magis, quia acetum commixtum melli attenuat. Vi attenuandi adimit facultatem nutriendi, exiccatq;; aqua enim diluit facultatem mellis. *Oxymel non vt mulsa nutrit.*

Ἤ δὲ μὴ ὑποχωρήσῃ ὁ παλαιότερος σῖτος.

Si nuper pasto, vetustus cibus non descenderit.

Audiuistis, quæ dicta sunt à nobis de indicationibus, (quam sementem dedit nobis Hipp.) quas si recte examinabitis, videbitis hic esse propositas. Inquit, si nuper pasto cibus vetustus non descenderit, & floreuerit ætas, vtendum esse clystere, si vires validæ sint. Si imbecillæ glandē, nisi aluus bene fluat. Illud Hipp. nos docet ab indicatione curatiua, constitutione corporis, quæ denotat nobis morbū, astricta aluus est, quid consequens morbum vel ipse morbus. Igitur dicit, si aluus sit astricta, debet Medicus clystere vti, modo vires valeant. Sed cur in indicatione curatiua proponit etiam vitalem, scilicet à viribus? Quia non tantum debemus videre in vsu & inuentione remediorum indicantia, sed etiam prohibentia. Prohibens remedium est virtus principaliter; consequenter sunt ea, quę denotant virtutem, vt ætas. Sed videamus, quomodo Hipp. ad administrandum clysterem requirat vires robustas, & ætatem florentem. Præterea cur viribus existentibus imbecillibus, exhibet glandem; & cur non exhibeat glandem, si aluus sponte fluat. Quod ad primum attinet, clyster est blandissimum remedium, quod non videtur exigere, vt floreat ætas, viresq; robustæ sint; pręterea nullus nō vtitur hoc remedio quotidie. Aliqui videntes hunc nodum, dixerunt, veteres omnes solitos esse vti clysteribus acribus, & copiosius; & propterea non esse mirum, si Hippo. existimauit spectandas esse vires, facultatem & ætatem in vsu clysterium acrium. Sed etsi verum quidem illi dixerunt, tamen satis erat, mea sententia, ipsum spectare vires, non ętatem. Præterea non est verum veteres semper vsos esse clysteribus acribus, sed etiā leuibus. Videte Ruffum Ephes. apud Oribas. 8. lib. coll. cap. 24. Hipp. hic loquitur de aluo astricta. Quare æquius est existimare illum intelligi debere de molliente, *Clyster blandissimum remedium.*

 qui

qui tunc temporis maxime conuenit ex Ruffi sententia. Præterea non est verum, veteres, vt dixi, vsos semper acribus clysteribus, imo inuenio vsos clystere ex aqua pura, frigida, cuius exemplum habetis apud Hippocratem 5. epid. lib. de affectib. & de affect. internis. Accedit, quod neque frequentissime copiosius vterentur clysteribus. Hippocrates lib. de affectib. & de aff. internis vtitur quidem clystere 40. vnciarum; sed Ruffus Ephes. apud Oribas. inquit, summam mensuram fuisse trium heminarum, & addit in mulieribus consueuisse summam mensuram adhibere, in viris minimam. Pro resolutione igitur dicendum est, Veteres habuisse clysteres molles, acres, & acerrimos. Acerrimis vtebantur non in morbis acutis, sed frigidis, vt in apoplexia letargo. Mollibus & acribus vtebantur quidem in morbis acutis, & præsertim pleuritide: sed excipiebant hyemem & æstatem, imbecillos, puetos, & mulieres, vt notat Ruffus. Quare cum Hippocrates loquatur de morbis acutis, & de clystere acri, iure vult ætatem esse floridam: quia (vt dicit Ruff.) non adhibentur clysteres acres in pueris, quia horum habitus laxi sunt, & quolibet remedio facile resoluuntur. Atq; hoc est etiam, quod voluit dicere Ruff. quando dixit, clysteres ex veratio conuenire, si ægri valeant. Quod ad alterum atrinet, est preceptum saluberrimum. Nam clysteres ascendunt colon intestinum, & propterea turbant. Glandes etsi mittant vapores in corpus, tamen non turbant, & minime, vbi quis videat egerere fœces ægrum, abstineat prorsus ab vsu illorum. Hoc non est faciendum, modo non fiat copiose satis. Et hæc est ratio, cur ego etiam vnaquaque die in pleuritide & morbis acutis clysteribus vtar, etiamsi aluus aliquid reddat, quia nihil æque vtile est. Imo necessarium est semper excrementa à corpore ducere.

Clysterum genera apud veteres.

Glandes clysteribus cur tutiores.

Καιρὸν δὲ τῆς δόσεως τῶ ῥοφήματ☉.

Porro exhibendæ sorbitiones.

Morborum duo tempora.

Clarissimum est apud Medicos, duo tempora morborum esse: alterum vniuersale, alterum particulare; Vniuersale est illud, quod morbum metitur ab initio vsq; ad finem; particulare est, quo vnaquæque accessio morbi describitur. Hippocrates in superioribus multa refert de tempore vniuersali describendo, obseruandoque. Nunc autem loquitur de ratione cibandi secundum tempora particularia, secundum ipsas accessiones. Quod autem docet Hippocrates vtilissimum, illud est, in initio vniuersali morborum, & in toto eius decursu non esse dandam sorbitionem, neq; potum, donec pedes frigeant, sed dandum esse, postquam calor descenderit ad pedes. Addit Hippocrates occasionem operandi opportune, maxime valere in omnibus morbis; & præsertim acutis, quibus coniunguntur febres magnæ. Satis clara hæc sunt, si prima fronte spectentur, Sed non minus contemplationis, quam vtilitatis plena. Idcirco vt vtilitatem comprehendere possitis, circa ipsa nonnulla diligenter & perspicue sunt discutienda. Vnum est, quid significat apud Hippocratem Καιρὸς seu occasio bis vsurpata ab Hipp. hoc in loco, & in aliis locis sæpe. Alterum est, cur, cum multa symptomata comitentur initia accessionum, vt vomitus, palpitatio, dormitatio, tamen Hip. vult nobis significare principium accessionis per refrigerationem pedum. Tertium est, quomodo dixerit nō solum prohibendum esse cibum, donec pedes frigent, verum etiam potum. Quartum, qua ratione, inquit, dandum esse cibum, vbi calor ad pedes descenderit, non autem dicit, vbi incaluerint pedes. Quintum & postremum, cur Hipp. dicat occasionum obseruationem maxime valere in morbis acutis, & maxime iis, quorum febres magnæ sunt. Quibus omnibus explicatis clarum erit, ad quid vtilis sit hæc sententia, & quantopere. Quod ad primum attinet, hæc vox, καιρὸς, vt ego inuenio, quatuor apud Medicos significat: Primo significat tempora anni, ver, æstatem, autumnum, hyemem; Secundo, tempora morborum, principium, augmentum, statum & declinationē. Et de hac significatione habetis duos libellos Gal. inscriptos, περὶ καιρῶν ἐν τοῖς νόσοις. Tertio significat opportunitatem rei cuiuslibet agendæ. Sic dicit

Καιρὸς varia significat.

dicit Hipp. initio aph. καιρὸς ὀξὺς, occasio præceps: & r. de morb. appellat καιρὸν ὀξύτατον, & Plato, quando scribit res humanas gubernari à Deo, à fortuna, & ab occasione. Quarto & postremo significat opportunitatem, &, vt sic dicam, tempestiuitatem vtendi cibo; & de hac intelligendus hoc in loco, quādo scribit, in initio & decursu morbi occasionem dandæ sorbitionis, id est, opportunitatē esse, quando pedes non frigent. Circa secundum, cur, potius voluerit denotare accessionis principium per frigus pedum, quam per aliud, ratio est, quoniam, etsi multa sunt symptomata, quæ comitantur initium accessionum, nullum tamen euidentius est, quā frigus pedum. Possunt alia fallere, vt oscitatio, palpitatio, dormitatio. Arist. 2. sect. Pr. scribit, Medicos consueuisse iubere in febribus, vt pedes conregantur, quia ait Ari. frigus, quod est indicium febrium inchoarà pedibus: quasi magnus Philosophus vellet dicere, quod Hip. hoc in loco scripsit, semper incboare accessiones cum frigore pedum; aut vbi frigus est pedum, semper initium esse accessionis febriū; quia vbi tumultus febrilis fit in intimis corporis partibus, calor ad pectus, tanquā ad cētrum conuolat, & à pedibus ita fertur, proptereaq; fit, vt illi primum omnium refrigerentur. Sed circa hoc, est dubitatio insignis & vtilis, vtrum verum sit accessiones febrium incboare à frigore pedum, quia magnus Hipp. 2. epid. sect. 3. r. 24. & 6. epid. sect. 3. com. 19. scribit, rigores febrium in viris incboare magis à partibus posterioribus quam anterioribus, & in mulieribus, inquit, inchoant rigores semper à lumbis. Cum ergo dicit semper incboare frigora à pede? Pro resolutione scire oportet id, quod clarissime docuit Gal. lib. de rigore, horroreq;, diuersos esse hos affectus, horror, frigus, & rigor. Horror est leuis refrigeratio corporis. Sed frigus est maior, sensibilis & lædens refrigeratio. Rigor est, quando non solum refrigeratur corpus, sed concutitur. In hoc adest etiam motus secus quam in frigore. Quando ergo Hipp. dicit frigus incipere à pedibus in accessionibus febrium, proprie loquitur de frigote. Quando autem dicit rigorē incipere à lumbis, de rigore reuera loquitur. Sed quę est huius rei ratio, vt frigus à pedibus, rigor à lumbis initium sumat suum? Arist. 6. part. Prob. 6. quærens rationem, propter quam primū torpeamus secundum manus & pedes, inquit, torporem esse refrigerationem ob caloris priuationem & translationem, & propterea inquit, torpent & refrigetantur ante omnia pedes & manus, quia sunt suapte natura frigidæ partes neruez & exangues. Quo fit vt facile torpore tenentur. Ceterum cur posteriora magis rigenr, & presertim in viris est, quia principium motus naturalis corporis nostri est à dorso. Vnde Gal. assimilat dorsum carinæ nauis, quia sicut illa in naui primo mouetur, ita in corpore spina. Quod si verum est, sequitur inde debere incipere motum præter naturam, vnde incipit naturalis. Cum autem hic fiat à dorso, à spina, hinc fit, vt etiam motus præter naturam ibi principium sumat, vt rigor, horror & concussio. Sed cur potissimum à lumbis in mulieribus incipiat, hæc est ratio, quia subtus lumbos est vterus, pars frigida, quo fit, vt vbi refrigeretur corpus, maxime refrigeretur hæc pars, quæ suapte natura est frigida. Ergo clarum est, initium accessionis esse, quando frigent pedes. Atq; tunc, inquit, exhibendam minime esse sorbitionem. Quanquā occurrit casus aliquis, haud quaquam obiter transiliendus. De quo videre Gal. 10. meth. c. 4. & 5. vbi docet interdum in initiis accessionum bilem effundi in os vētriculi, vbi deliquia & periculum mortis inducit, quo tempore necessarium est cibum offerre ipsis ægris initio, non quia ille statim nutriat, vt dixi alias, sed propter duas causas: primum quia cibi illa suaui humiditate corrigatur bilis, placari vt possit omnis acredo eius; vnde fit, vt reficiantur. Alia ratio est, quod calor natiuus, qui labascit & velut extinguitur cibo veluti recreatus, materiam morbificam depellat; & hoc est, quod docuit Hippocrates primo libro de morbis, vbi dicit, multas esse repentinas opportunitates, quas cogitur Medicus obseruare. Repentinæ opportunitates sunt, veluti si quispiam deficiat animo, si habear vrinam impeditam vel spiritum; vsque adeo repentina est occasio, vt Medicus debeat statim occurrere. Et hæc est radix & ratio, propter quam

Considera-tio loci Hip. vtilissima.

Horror, fri-gus, rigor, vt differant.

Cur frigus à dorso incipi-at in febre.

Cur mulie-res potius à lumbis rige-re incipiant.

Cur in ac-cessionib. fe-brium, bile ventriculū ten tāte, ex-hibendus ci-bus sit.

Medici in principio coguntur cibum nonnunquam offerre, vbi pedes frigent. Sed cur Hippocrates etiam potum, prohibet vbi pedes frigent? Duplici de causa. Vna est, quia vbi maius periculum errandi animaduertit, semper solet instare cum cautione; ab initio magis est mos errandi in potu. Præterea in augmento, in statu, in declinatione solent Medici quandoq; indulgere potum, in initio nunquam, nisi in casu antea relato. Erat quartum, cur factum sit, vt Hippocrates dixerit potius, donec calor ad pedes descenderit, quam donec incaluerint pedes. Vbi pedes incalescunt, non propter hoc fit, vt reliquum corpus frigeat. Vbi autem dicit, donec calor ad pedes descenderit, inquit, retrahi calorem à thorace, à pectore, etiam in pedes descendisse, vult docere, in fine declinationis dandam esse sorbitionem. Addit postremo Hipp. magni referre in omnibus morbis & acutis, præsertim, quorum febres magnæ sunt opportunitate; semper obseruari. Atqui verum est, quod idem lib. de affect. & elegantissimus Celsus cap. 4. lib. 3. scriptum reliquit, magni referre in morbis acutis, vtrum celeriter & opportune remedia adhibeantur, quia breue spatium est, in quo nisi remedia iuuant, statim iugulantur ægri: & scilicet ne errores committantur, qui cum in omnibus morbis periculosi sunt, tum in morbis acutis semper sunt exitiales. Videte 1. Epid. sect. 2. t. 79. exemplum accommodatissimum, vbi inquit, Intempestiue cœnauit, & obiit; quasi propter hoc obierit. Quapropter maxima cum ratione dicit magnopere referre, exhibere opportune cibum in morbis acutis.

Χρῆσθαι δὲ πρῶτον μάλιστά μεν χυλῷ.

Inprimis autem vtendum.

DIxerat antea Hippocrates vtendum esse ptisana. Sed hoc non sufficit scire, vt quisquam declinante morbo offerat cibum, sed paulatim id agēdum est ἐκ τῆς προσαγωγῆς. Primo debet tenuior victus, vt cremor exhiberi. Deinde huic crassus misceatur. Postremo crasso viscidoq; solo vtendum, quia in omnibus morbis acutis necessario ventriculi facultas languet. Quapropter si oneretur, non potest sustinere. Quapropter alat quidem cibus, quem præbetis, sed cauete, vt possit concoqui habita ratione virium & coctionis.

F I N I S.



LIBER

LIBER SECVNDVS EX PARTITIONE GALENI.

Ὀδύνη δὲ πλευρῆς εἴτε κατ᾽ ἀρχὰς.

Lateris autem dolorem siue à principio fiat, siue post.



ALENVS qui luculentissima comm. in hos libros conscripsit, & librum Hip. in quatuor libros diuisit, secundum suam diuisionē initiū facit ab hac particula. Et dixit Gal. hoc facere; quia haud- *Veteres sua*
quaquam mos fuit veterum libros suos diuidere. Posteriores an- *scripta non*
tem propter commoditatem ingeniorum non solum diuiserunt *in libros &*
commentaria sua in libros, verum etiam in capita. Dicit autem *capita, ut po*
Gal. Interpretum illud munus esse, vt non solum verba scriptoris *steriores, di-*
explanent, verum etiam obscuras illius sententias explicent, probent reiiciantq; q̄ *uiserunt.* *Interpretum*
laudanda, quę reprehensionem merent. Quo fit vt sæpe interpretes, si munere suo *quod munus*
fungi velint, optime, cogantur ea improbare, quę sibi non placent. Eapropter vide- *sit.*
te quam grauiter errent, qui sensa animi sui applicant verbis autoris non veritati sensus illius. Et quia Gal. pollicetur, sese interpretaturum hoc ordine & serie serio, nos etiam dabimus operam, vt sententias Hipp. planas faciamus, & demonstrationibus comprobemus. Iam in hoc tractatu videtur sibi duo proposuisse, scilicet agere de omnibus morbis acutis, & docere de victu morborum acutorum. Et quia lōgum nimis fuisset, omnes morbos acutos tractare, proposuit sibi dūtaxat tractationem pleuritidis sub hac complectens doctrinam morborum omnium acutorum. Cur autem elegerit pleuritidem prę ceteris, duplex causa fuit. Prima est, quia pleuritis habet signa pathognomica, quasi diceret, nullum esse morbum faciliorem cognitu pleuritide. Alia causa fuit, quia pleuritis inter omnes morbos acutos est frequentissima & periculosissima. Quare cognitione habita ipsius morbi & curationis eius, strata est via ad alios morbos cognoscendos & curandos. Scripsit autem potissimum ptisanam, quod maxime tunc temporis erat cibus ille in vsu, tum quia facilis est paratu, deinde in morbis acutis accommodatissimus cibus. Priusquam autē ad Hipp. veniamus, duo nodi nobis sunt soluendi. Vnus est, cur Hippo. initium sumat à dolore, tractaturus de pleuritide, in qua multa alia sunt symptomata. Præterea cum diligentissime sit tractaturus de pleuritide, cur de natura eius, de causis, de signis nihil scribit? pro intellectione prioris, opetæ pretium est scire, in dolore lateris tria genera morborum reperiri, Primus morbus est febris, morbus similaris. *In pleuritide*
Alter morbus est, tumor in instrumento; Præterea est dolor, qui est solutio conti- *triplex mor-*
nui, vel sane fit à solutione continui, quia est morbus communis. Ceterum inter *borū genus*
hos omnes affectus nihil est, quod Medicum magis sollicitum habet, quam ipse *concurrit.*
dolor: siquidem, non solum molestia, quam affert, sollicitat Medicos & ægros; imo vero habet sæpe rationem causæ. Hippocrates igitur iure merito inchoauit à dolore, quia aduersus dolorem ante cetera ipsi Medico contendendum est. Ad secundum dicendum est, Hippocratem, vt suo loco intellexistis, hanc materiam tractandam suscepisse, vt potissimum redargueret & confutaret Medicos Cnidios, qui in curatione morborum acutorum magnopere errarunt. Cum autem hunc scopum haberet Hippocrates, & Cnidii parum errarunt circa naturam & causas pleuritidis, multum autem circa curationem; & præsertim diætam; ea- *Auctoris in*
propter iure in parte curatiua, & præsertim diæta fuit diligentissimus. Propterea *tradenda*
quoniam deliberaui hanc partem integram vobis tradere, vbi defecit Hippocrat. *pleuritidis curatione*
supplebo. Hoc autem faciam, vt sequar Hippoc. huncin modum, Primo naturam, *quæ metho-*
deinde *dus.*

deinde causas tum signa pleuritidis in medium afferam, postremo curationem subnectam.

Pleuritidis Etymon. Pleuritis itaque, sic à Græcis appellata πλευρῖτις, ab Arabibus multis nominibus vsitata est. Aliqui barbari pleurisin appellant. Sed multo melius Latini appellant lateris dolorem, vt Celsus, serenus Medicus antiquissimus dicit, esse appellatum telum, quasi in hoc morbo augentur dolore, perinde ac si telo percellantur. *Definitio.* Est vero pleuritis (vt Galenus tradit 5. de loc. aff. cap. 2. nec non 4. de causis pulf. cap. 8. & 6. aph. 33.) inflammatio illius membranæ quæ costas succingit. Dicitur à Græcis φλεγμονή, non quia non solum est incendium, sed etiam tumor. Ex quo fit, vt morbus quidem fit in magnitudine aucta, in intemperie, sed præcipue est morbus in magnitudine, & idcirco dicitur inflammatio. Nam 6. apho. Galen. de febre dicere solebat, veteres omnes neque pleuritidem, neque phrenitim vocasse febrem, quia febris non est principaliter, sed accidens, quanquam est continua. Auicenna addit non solum esse inflammationem illius membranæ, sed esse etiam inflammationem lacertorum intercostalium. Sed Auicenna voluit comprendere non solum veram phrenitidem, sed etiam spuriam, quæ fit inflammatis musculis intercostalibus. De loco affecto. vt scribit Cœl. Aurel. lib. 2. morb. acut. cap. 16. dubitabant veteres, vt Erasistratus, sed est reuera mea sententia, interstitium inter membranam costas succingentem.

Causæ internæ immediatæ. Inflammationes vt fiunt. Causæ internæ & immediatæ sunt humores commixti ipsi sanguine. Nam generatur pleuritis quemadmodum generantur omnes inflammationes, quæ (vt scribit Galenus lib. de tumorib. præter naturam) fiunt, quoties repletæ venæ aliqua ratione sanguine, eum in proxima teiiciunt apertis eorum orificiis, qui ibi collectus deseritur à calore natiuo, & occupatus à calore præter naturam putredinem concipit & feruorem, vnde fit inflammatio: quo quidem pacto fit in membranis succingentibus costas. Scire præterea oportet, omnes humores huiusmodi inflammationem facere, vt Galenus 6. aphor. 33. clarissime dicit, sed maxime fit & frequentissime à bile vel à sanguine biliofo. Et hac de causa appellauit Auicenna apostemá calidum, quia plerunque fit ab humore feruido, imo idem Galenus 1. aphor. 12. scribit, pleuritiden habere periodos tertianarias, quia fit à bile, cui propria est periodus tertianaria. Neque valet, quod si verum esset fieri plerunq; à bile, sequi debere, quod fieret frequentius in latere dextro, cum tamen Arabes dicunt fieri in sinistro. Sed facilius quidem attrahitur in laterum dextrum, facilius etiam ra- *Causæ internæ mediatæ.* tione maioris caloris consumitur. Causæ mediatę & internæ pleuritidis sunt plures; inprimis est ætas, de qua Cœl. Aurel. & Aretæus sermonem habens, dicunt facilius corripi ea senes, difficilius iuuenes, omnium difficilime pueros. Tentantur *Senes cur iunioribus facilius pleuritide occupentur.* facilius senes, quia tussiculosi facile occasionem præbent collectioni humorum in pectus: quæ materia retenta propter facultatem expultricem debilem, tumorem tãdem facit mora diutina. Iuuenes minus tumultuosi, minus occasionem præbent decursui: etsi quæ materia delapsa est beneficio caloris, consumitur. Pueri autem cum habeant laxa corpora, caloremq; robustissimnm, omnium difficilime tentantur ea. Addunt deniq;, quemadmodnm citius corripiuntur senes, ita facilius li- *Iuuenes pleurit. correpti, cur grauius periclitẽtur.* berantur, quam iuuenes, quia hi non nisi à magna causa hoc morbo capiuntur, quæ deinde ægre enelli potest. Altera causa est sexus: de quo idem autor scribit mulieres facilius tentari quam masculos, propter menstrua. Illud quidem verum *Quibus aluus fluida, à pleuritide immunes.* est, mulieres carentes menstruis, magis tentari: propterea habentes corpora densa, & adstrictam aluum. Scribit enim Auenzoar, mirabilis ab Auerrh. vocatus, se audiuisse à patre suo, habentes aluum fluidam non tentari morbo hoc. Sed habetis multo grauiorem testem huius rei Hippocratem, qui lib. de aer. aq. & loc. scri- *Acidum eructantes cur non pleuritici.* bit, non tentari morbis acutis, & præsertim pleuritide: quia humor ille biliosus, qui deberet facere inflammationem, exit. Præterea habemus apud Hipp. illos, qui eructant acidum, non fieri pleuriticos; quia illi (vt scribit Gal.) si sunt pituitosi. Pituita & melancholia, cum sint humores inertes, haud facile superius feruntur flammáq; concipi-

concipiunt. Ex causis externis primum est tempus anni, de quo loquens Hippocrates 3. aph. scribit, hyeme fieri & autumno, vere & ęstate nunquam pariter de tempestatibus & de regionibus est existimandum. Flante aquilone & austro fieri, id quod idem Hippocrates scripsit lib. de aer. aq. & loc. nimius cursus, nimii labores, aquæ frigidę potus, sed potissimum vini meracioris. Nam Aristoteles 3. sect. Problem. 1. hoc dixit, ebriosos à pleuritide maxime tentari. Quamquam puto locum illum mendosum esse, & vbi legitur πλευρῖτις, legendum esse παράλυσις, quasi dicere velit, ebriosos fieri paralyticos. Adstipulatur autem causa ipsius Aristotelis, quia cum facit frigidum & humidum morbum, non potest esse pleuritis morbus calidus. In summa, vt Celsus lib. 2. cap. 13. scriptum reliquit, pleuritis fit à frigore, à nimio cursu, fit etiam à morbo. Signa quibus cognoscitur capiuntur ab actionibus læsis, excrementis mutatis, & affectibus præter naturam. In actionibus læsis primum signum est affectio capitis, quia Galenus 4. de caus. puls. cap. 8. & de dignos. puls. scribit, pleuriticos fieri semper deliros: Et Aretæus atque Celsus inter signa pleuritidis solent commemorare etiam delirium & soporem; quia vbi fit tumor in pectore, si fiant à bile vapores acres & mordaces atque biliosi, feruntur in cerebrum, qui pertundentes membranam, delirium faciunt. Si autem sit sanguis, vapores blandiores sublati in cerebrum, faciunt soporem. Præterea est tussis. Nam etsi Galenus 5. de loc. aff. cap. 2. & 2. de loc. affect. dicat, tussim non esse perpetuam in pleuritide: est tamen vtplurimum contingens. Adhæc est anhelitus difficultas, propter summum incendium cordis & pulmonum. Est tandem pulsus durus inęqualis & renitens, propter sanguinis arteriarum incendium, & earum tensionem. Ab excrementis mutatis signa sumuntur, quæ non sunt perpetua. Ab affectu præter naturam duo sunt, vt febris, quę est perpetua & dolor; qui dolor has habet conditiones, est continuus, est pungitiuus, quia affectus est in membranis; quare dolorem pungitiuum semper dicit esse Galen. præterea magis noctu quam interdiu vexat. Cœl. Aurel. & Aretæus, qui diligentissimi fuerunt, vt omnes Methodici in hoc affectu tradendo, attulerunt quoque multa alia signa pleuritidis, & præsertim sitim, de qua illud duntaxat, quærendum est, vnde fiat, vt pleuritici non solum sitiant, verum etiam maxime omnium affectent vinum; adeo, vt dicere soleo interdum, inter signa pathognomica pleuritidis non absonum esse, si vini appetitum referamus. Aristoteles 27. part. Problem. 4. quærens rationem, propter quam animosi omnes sunt vinosi, hoc est, vini amantissimi, illud esse dicit, quia animosi homines habent cor & pulmones maxime calidos. Iam vero sitis fit à calore pulmonis, hoc enim est proprium Aristotel. & propterea dicebat 3. de part. anim. ea animalia, quæ habent pulmones frigidos, non sanguineos non sitire. Cum ergo animosi habent internam causam sitis, hinc fit, vt maxime sitiant; & ea de causa maxime appetunt vinum non aquam. Aqua quidem placat sitim, sed vinum magis penetrat pectus & pulmones, vt ostendit Galenus in initio librorum de placit. Hippocratis & Platonis, sed addit Aristoteles hac etiam ratione eos qui laborant περιπνευμονίᾳ maxime appetere vinum. Sed notate errorem Gazæ, qui ignorantia medicinæ, vbi debebat dicere inflammatione pulmonis, vertit difficultate anhelitus. Dicit ergo animosos maxime appetere vinum propter incendium pulmonũ; pariter de pleuritide dicere possumus, cum & genere & loco nihil differant: Genere, inquam, quia vterq; fit ex sanguine bilioso & feruido. Loco vterq; est in pectore. Nonnulli existimarunt rationem sitis, referendum esse in vsum rerum dulcium, vt electuariorum, quib. pleuritici vtuntur, quæ nõ possit vllo alio remedio ęque tolli, ac vino. Sed ante vsum electuariorum obseruatum est solere eos sitire, nisi addamus proprietate arcana id fieri, quia Plutarch. lib. causar. natur. 26. Probl. scribit, modo cõchas, modo ficus appetere peripneumonia laborantes, quasi idem dicere possimus de pleuritide.

Causæ externæ.

Signa.

Doloris que species in pleurit.

Cur pleuritici quam maxime vini appetentissimi sint.

Cum de signis pleuritidis sermonem facere in animum institui meum, addam illa, quibus possitis dignoscere pleuritidem ab aliis morbis ei, per

Signa noscendæ pleuritidis à peripn.

ei per quam ſimilibus: qui morbi cum multi ſunt, ſit vt ſæpe fallant Medicos, vt Galenus re ipſa comperit. Primus morbus eſt peripneumonia. Signa autem diſcernendi huiuſmodi inflammationem à pleuritide complura ſunt: Primum eſt pulſus mollis in peripneumonia; in pleuritide vero durus; mollis inquam eſt in peripneumonia. quia laborat pulmo laxum à natura membrum non neruea pars. Adhæc, vt docet Galenus 5. loc. aff. cap. 2. dolor in peripneumonia exiguus eſt & grauatiuus, in pleuritide inſignis & pungitiuus. Præterea difficultas anhelandi in peripneumonia longe maior eſt, quam in pleuritide. Sic etiam in peripneumonia ſit, vt febris multo maior ſit. Poſſumus etiam addere, quod ſcribit Plutarchus in quæſt. natur. quæſt. 26. peripneumonicos ſæpe appetere cœpas & ficus, quémadmodum pleuriticos vinum. Eſt quoque ſimilis pleuritidi inflammatio iecinoris, atque ita eſt ſimilis, vt Galenus quinto loc. affect. capite ſeptimo ſcribat, Medicos nonnullos in Siculo curando hac ratione grauiter lapſos eſſe, & narrat ſe ſolo tactu huiuſmodi errorem detexiſſe: quæ inflammatio dignoſcitur à pleuritide, quia in inflammatione iecinoris tuſſis eſt ſicca, dolor ſemper eſt infra coſtas; præterea ſolent habere linguam flauam, aridam, quod non ita eſt in laborantibus pleuritide. Habent etiam totius corporis colorem flauum, quia iecur eſt maxime ferax bilis, quæ diſpergit ſeſe vndequaque, & maxime in extrema corporis & cutim. Addo ego ex Galeno de med. local. comitari ſæpe fluxum alui prauum & turpem. Vtrum autem tactu poſſit diſcerni inflammatio iecinoris ab ipſa pleuritide, ita ſtatuo, vbi eſt in concaua parte iecinoris, fieri non poſſe vt aliquis diſcernat tactu. Si autem ſit in parte conuexa, & corpus extenuatum, poſſe, quemadmodum forſan erat in Siculo. Sed ſi corpus ſit carnoſum, non poteſt dignoſci, quia, vt ſcribit Galenus, iecinori ſuperpoſiti ſunt tres muſculi, qui vbi ſunt carnoſi, ſunt impedimento, quo minus iecur poſſit contrectari. Qui laborant empyemate, ſolent quoque decipere Medicos: ſed modus dignoſcendi hic eſt, quia in his ſolet eſſe pulſus mollis, febris exigua, dolor exiguus, & habere ſputa ſemper purulenta. Qui autem laborant anhelandi difficultate, diſtinguuntur à pleuritide, quia & hi laborant exigua febre, interualla habent, ſputa non habent purulenta, parum & nihil ſitiunt, quia materia delabens à cerebro irrigat pulmones. Porro cauſſas pleuritidis non eſt difficile diſtinguere. Vbi fit à pituita, indicat ætas ſimilis, tempus anni hyemale, vſuſque ciborum pituitam generantium: præterea minor eſt dolor, ſputa ſunt etiam alba. Si ex ſanguine ſit pleuritis, ex ætate ſputiſque cruentis cognoſcere vnuſquiſque poſſit, & aliis. Si ſit à bile, ſputa ſunt bilioſa, ſitis ingens dolor fere intolerabilis habitus corporis ſiccus. Idem exiſtimandum eſt de melancholia, mœror adeſt, & metus habitus melancholicus, ſputa nigra. Tempora autem pleuritidis ſic cognoſcuntur, quia ægri nihil in principio expuunt, aut crudum & viſcidum. In augmento incipit apparere ſputum: In ſtatu, concoctum facilius expuitur. Sed dubitari poteſt, vtrum liceat cognoſcere pleuritidis ſigna ex ſymptomatibus, ſiquidem rationi conſentaneum eſt, quo magis ad vigorem verget morbus, eo magis augeri ſymptomata. Sed fallax eſt einſmodi cognitio, quia non neceſſarium eſt in augmento & ſtatu fieri ſæuiora ſymptomata, quia vbi coqui incipit, materia dilatatur, attenuatur, & minus loci occupat; vnde minorem dolorem parit.

Diſcretio pleuritidis ab inflammatione iecinoris.

Pleuritidis ab Empyemate internotio.

Pleurit.

Signa cauſarum pleurit.

Signa temporum pleurit.

Sequuntur ſigna prognoſtica, quæ maxime ſunt ſcitu digna, quia Medico honorem & authoritatem pariunt, quæ ſi non certa ſunt, ſaltem minimum fallunt. Sunt autem ſigna prognoſtica trium ordinum; primus eſt eorum, quæ indicant tranſitum pleuritidis in alium morbum. Alia ſigna ſunt, quæ ſalutem indicant, alia quę mortem: prima ſigna prognoſtica ſunt ea, quæ indicant conuerſionem pleuritidis in alium morbum. Cum enim morbi ſunt in pectus, in pulmonem, in latus, facile fit tranſitus in peripneumoniam; qui cognoſcitur, quia dolor incipit minor fieri, translata materia à membrana ad pulmones

Prognoſticorum pleurit. ſignerũ tres ordines.

mones membrum insensibile: minuitur dolor, sed augentur reliqua symptomata, febris, sitis, anhelitus difficultas. Adhæc vbi conuertenda est pleuritis in peripneumoniam solent fieri rubores ingentes in genis, oculi velut igniuntur, ardor & difficultas, anhelandi augetur. Sin autem couertatur in ἐμπύημα, hoc est, vomicam, tussis minuitur, pulsus mollis fit, æger velut tremore quodam concutitur, sed præcipue ex eo cognoscitur, quod ægri (vt scribit Galen. lib. de humoribus, comm. 2. expuunt cruda, & omnia remedia adhibentur frustra, morbusq; augeatur. Dicebat enim Gal. 6. aphor. quod vbi non expurgatur 14. diebus, (vt Aretæus 20.) fieri semper empyicos. Sed circa hæc duo annotare debetis; vnum est, quod scribit, cóuerti in empyema, intelligédum est, quod materia effectrix vomicæ & tumoris in pus vertitur hoc vt pacto fiant empyici. Præterea quando scribit, pleuriticos expurgari 14. diebus, non esse simpliciter intelligédum, quasi debeant semper decimaquarta die expurgari, sed ab eo tépore quo incipiunt expurgari, liberari 14. die, si expuant copiose. Videte exemplú Anaxionis 3. in 3. epid. Ille bonus vir laborauit pleuritide, & 34. die liberatus est, & expuit, sed cur nó est factus empyicus, cú tamen dicit post 14. dies conuerti in empyema? quia etsi laborabat pleuritide, non expuebat tamen nisi iis dieb. Est omnis pleuritis morbus acutus, & propterea periculosus: sed magis vera quá spuria: imo spuria nihil habet periculi; quia fit ex inflámatione musculorú intercostaliú, præsertim exterioru. Pleuritis sicca, hoc est, illa in qua nihil expuitur, deterior est humida, quemadmodú etiam dicebat Hipp. eam esse lethalé quæ conuertitur in peripneumoniá 7. aph. xi. & 6. aph. dicit lethalem eá esse, in qua est fluxus alui. Sed omniú periculosissima est, in qua est pulsus debilis, obscurus; & ita vt dicat Gal. se neminem vidisse sętuatum hoc pulsu. Cæterum de sputis non exiguá inuenio in Hippoc. & Cœl. Aurel. varietatem, & vt ab Hippo. initium sumam, is 2. progn. comm. 43. & 44. scribit, sputa biliosa esse semper meliora omnib. aliis sputis quia indicant coctionem. Cæterum idem 6. Epid. sect. 3. com. 44. scribit, pleuritidé, in qua sputa exeunt sanguinea, esse omnium mitissimam; imo inquit, esse vsq; adeo mité, vt non sit necesse mittere sanguinem. Id q; etiam dixit lib. de humorib. com. 3. contex. 33. Gal. lib. de constit. artis, c. 25. & 26. comparans sputa pleuriticorú inter sese, inquit, sputa melancholica & nigra esse omnium deterrima, meliora omnib. esse cruenta. Medios aút colores sputorum esse quoq; medios in bonitate & prauitate. Ideo, vt ex his locis appareat, sputa sanguinolenta in pleuritide esse omnibus meliora. Cæterum Cels. lib. 4. c. 6. inquit pleuritidem pituitosam tolerabilem esse, sanguineá esse grauem. Imo Hipp. lib. 3. de morb. cóparans pleuritidé à bile illi quę fit à pituita, & quæ fit à sanguine, inquit, meliorē esse biliosam, deterrimá vero illá quæ fit à sanguine. Et quia hæc est res magni momēti in iudicio faciédo, & curatione instituenda, puto ita definiendá esse, s. quod sputa quæ excernuntur, vel syncera exeunt vel permixta: Si sputa consideremus vt exeunt syncera, verissimú est pleuritidem à sanguine esse omnium mitissimam, vt Gal. in 3. com. 6. epid. scribit: quia sanguis est benignissimus omniú humorum. Vnde quando fit à puro sanguine, vt sputa sint etiá pure sanguinea, signum est fieri ab humore mitissimo, atq; ita intelligendus est Hippo. & Gal. si permixta sint sputa tunc dicendum est, sputa in quibus appareat bilis permixta, esse omnium meliora, quia bilis in permixtione sputi, est causa & signú bonum. Est autem bona causa, quoniá bilis, vbi permiscetur sputo & pituitę, suo calore mirú in modú adiuuat coctioné. Et ita intelligendus est Hipp. quando dicit, pleuritidem in qua biliosa sunt sputa, cito iudicari, & salutarem esse, Si aút permisceatur sanguis, tunc praua est. Atq; ita intelligendus est 3. de morb. & Cels. Cur aút à sanguine syncero quæ fit pleuritis, est mitissima, & illa quæ fit à sanguine mixto cú aliis humorib. est periculosissima? puto ergo hac de causa fieri, quia vbi sanguis permiscetur aliis humorib. mirum in modú corrúpitur, q; quidem non fit, vbi merus & purus sanguis fit, quia sanguis vbi putredinem concipit, deterrima est putredo, & morbus quem producit: possumus etiá respondere, pleuritidé posse dupliciter considerari, quo ad salutem vel quo ad molestiam: Si cōsideremus quo ad salu-

Vtra pleuritis vera, an spuria periculosior.

Pleuritis cū pulsu debili pernitiosissima.

Quæ pleuritis sit mitissima, & quæ contra grauior.

Quæstionis pulchra explicatio.

ad ſalutem, ea quæ eſt ſanguinea, id eſt, ſincere ſanguinea ea eſt omnium mitiſſima, & de hac loquitur Hipp. ſi autem cōſideremus ſecundū moleſtiam, poteſt vel ſimpliciter conſiderari, vel reſpectiue. Si ſimpliciter pleuritis bilioſa eſt omniū deterrima, quia ab hoc humore fiunt ſæuiora ſymptomata. Ea aūt quæ fit à pituita, ſi cōſideretur comparata aliis, eſt mitiſſima propter ſymptomata benigniora. Et hac de causa Celſ. dicebat, pleuritidem à pituita eſſe ſalubetrimā, nō vt ſalutem, ſed vt mitiora ſymptomata affert. Quæ hactenus audiuiſtis de pleuritide, omnia noſtra fuerunt, vt ſ. eam partem Theoriæ ſuppleremus, q̃ tribus ex cauſis ab Hippoc. diximus fuiſſe omiſſam. Nunc ſequitur, vt ad ea, quæ ab Hipp. traduntur, nos cōuertamus. Sunt aūt ea quæ ſequuntur, curatio pleuritidis, & conſequenter omniū morborum acut. Et quia Hipp. neq; experientia neq; analogiſmo mouebatur ad curationē, ſed tantum ex indicationib. videbimus quo pacto indicationib. ſemper ductus Hipp. curationem exorditur. Sunt, vt oēs norunt, duo præcipua genera indicationum, à quibus debent ſemper dirigi Medici rationales ad curationes ſuas obeundas. Vna eſt vitalis à Gal. nuncupata, altera curatiua. Vitalis non ſolum dignitate, ſed etiam ſemper omnib. aliis eſt prior. Nam quemadmodū Dux vrbis & prouinciæ Gubernatores, ſemper debent ante ſeſe reſpicere ſalutem ſubditorum, ita medicus ſalutē ægrorum præ omnib aliis debet ante oculos habere. Quid. n. prodeſt à morbo liberare ægros, & permitterre vt intereant? Sed hæc indicatio quid medico demōſtrat, vt omnia ea præſidia offerantur, quæ pertinent ad vitam ſuſtentandam. Hæc autē ſunt omnia ea quæ pertinent ad victus & viuendi rationem, vt alimenta & oēs res nō naturales. Et quia debet etiam habere medicus vetam rationem vtendi hoc victu, vnde eam ſibi comparabit? primum ab æſtimatione quantitatis virium, quia prout vires tantæ vel tantæ ſunt, ſic talis cibus illi confert. Tempus autem & modus vtendi, habetur partim ex motibus ægti, partim etiam ex morbo. Morbus enim is eſt, qui doceat Medicum, quantū debeat nutrire ægtum, vt poſſint vires ſuſtentari. Cæterum huiuſmodi rationem explendi, hanc indicationem docuit nos Hippoc. in præcedēti libro, quemadmodum audiuiſtis, ſed multo melius & multo fuſius eſt docturus in ſequentib. Ea propter loco ſuo de hac re agemus. Curatiua indicatio vt ſcribit Galen. lib. de ſanit. tuend. ad Thraſybulum, nihil aliud eſt quam cōprænenſio lædentis & iuuantis quæ cōpræhenſio optime fit perſpecta natura ægritudinis. Quare verum eſt indicationem cōparari à perſpecta natura motbi. Iam vero vt applicemus ad Hippoc. vt cōplectatur Medicus, quid iuuabit & quid lædet in hac indicatione, ſpectāda eſt optime natura pleuritidis: & hoc eſt, q. inquit Hipp. fieri nō poſſe, vt aliquis recte medeatur, niſi perſpecta natura morbi. Quæ eſt natura pleuritidis? Eſt inflammatio membranæ ſuccingentis coſtas. In hoc affectu reperitur intempeties, motbus in magnitudine, & ſolutio continui facit dolorem. Itaq; quas indicationes debet ſequi in hac ægritudine Medicus? vbi cōplutes affectus curādi obiiciuntur Medico, debet diligenter expendere quis ſit affectus illi qui magis vrget, qui fouet, & qui eſt cauſa aliorum, & ſine quo cæteri affectus curari nō poſſunt. In pleuritide dolor non ſolum oēs vires proſtetnit, ſed habet rationē cauſæ fouentis & augentis alios affectus, quia vbi aliqua pars dolet, ſemper mittitur eo à natura alia materia, vt ſuccurrat parti. Cum igitur dolor ſit, qui maxime omnium vrget, & qui habet rationē cauſæ, & propterea debet ei Medicus ante cætera ſtudere: hinc fit, vt ante cætera voluerit Hippocr. ſtudere ſedando dolori, & quomodo hoc dicat audite.

Indicationū præcipua genera duo.

In pluribus curādis morbis Medicus vrgētiorem aggreditur.

ἐδύνη δὲ πλευρῆς.

Lateris autem dolorem.

COEL. Autel. Medicus vetuſtiſs. & doctiſs. lib. 2. mor. acut. c. 19. fere totum hunc librum & præſertim totam hanc partem interpretatus eſt. Quod aūt Hippoc. in his verbis docete nos vult, illud eſt: q. ſi dolor lateris aliquē occupauerit à principio ſiue poſt, non abs re eſt tentare doloris ſolutionem fomentis. Hæc eſt tota ſenten-

sententia, quàm habet Hippoc. hoc in loco. Si codex huius dictionis spectetur, nõ est admodum difficilis intellectu; sed si intimius perscrutemur, sunt multa quæ aliqua egent contemplatione; & quæ maxime viam sternerent nobis ad instituendam hanc præclaram & maximi momenti curationem. Primum autem videndum est circa illud, quod docet Hippocrates, cur dicat tentandam esse solutionem doloris, & non dicat, soluendum esse dolorem. Deinde est inuestigandum, cur dicat siue dolor prius adfuerit, siue posterius accesserit: præterea videndum est, qua ratione vtitur Hippocr. hoc modo loquendi, non abs re. Nonne poterat dicere, vt frequenter solet, bonum est? postremo videndum est, vtrum semper liceat vti fomẽtis in dolore lateris in principio & hoc diligenter inquirendũ est, quia Soranus apud Cœl. Aurel. loco nuperrime citato, videtur damnare Hippo. quod calidis remediis vtatur in principio. Inquit enim, melius esse vti his in declinatione: nec sine ratione: quandoquidem ipse Hippoc. lib. de aff. sermonem habens de pleuritide inquit, nullum remedium externum calidum esse adhibendum, priusquam ægri expuant: præterea est sententia celebratissima, in lib. artis med. hanc esse omnium inflammationum curationẽ, vt initio adhiberentur repellentia. Quomodo ergo Hippocr. hic ea abnuit, & vtitur calidis potius? Quin imo Mesues Medicus inter Arabas nõ infimæ classis, in curatione pleuritidis vtitur repercutientib. Quare iure videtur dubium circa hanc Hipp. dictionem. Vt autẽ in hac re maximi momẽti resoluti esse possitis, circa primum videndum est, qua ratione dicit tentandam esse solutionem doloris. Nonnulli qui viderunt forsan hũc nodum, opinati sunt Hipp. hoc fecisse ad explorandam morbi naturam. Sed hæc sententia mihi nunquã placuit. Primo, quia, (vt alias docui vos ex Gal. 12. meth. c. 7.) pleuritis habet scientifica signa. Si hoc ita est, cur ergo Hippo. oculatissimus omnium Medicorum velit eam docere modo tentatiuo & incerto, præterea cum dicit tentandam esse solutionem doloris, loquitur non de cognitione sed de curatione. Quapropter multo satius est dicere, Hippo. vsum esse hoc loquendi modo, vt doceret, in initiis morborũ blandissimis remediis tentandam esse eorum solutionem, vt si non prosint, non lędant, & possit Medicus ad alia se conuertere. Soluere: vult dicere facere omnia ad soluẽdum, id est, omnia adhibere remedia. Iam vero cum non voluit soluendum esse à principio morbum, hoc est, adhibenda esse omnia remedia, dixit tentandã esse solutionem doloris, non soluẽdum esse dolorẽ. Circa secundum cur dicat: siue prior siue posterior fiat dolor, nõnulli existimarunt hoc fecisse Hipp. vt cõprehenderet etiam eas pleuritides, quæ sequuntur, id est, quæ fiunt post alios morbos. Sed hæc sententia mihi non placet: quia rarum est q; sequitur alios motbos, imo rarissimũ. Et vbi aliquam doctrinã vniuersalem Hipp. habet, non solet loqui de iis, quæ raro fiunt. Præterea etiam si sequatur aliquando alios morbos, tamen multum abest, vt hęc remedia cõueniant. Quare voluit ita dicere: siue doloris prima die insultus appareat, siue posterius, semper esse hoc modo incedendũ: & iure hoc dicit Hippoc. quia sæpe cõtingit, vt primis dieb. non fiat dolor, sed tertia. Si ergo inquit appareat 1. 2. vel 3. die, semper debet prius tentare Medicus dolorẽ soluere. Et hoc scripsit, quia multi Medici, vbi egerunt prius cõtra morbum, difficulter mutant remedia, sed vbi appatet dolor, semper ille est sedandus, siue mitigandus. Erat tertio considerandũ, qua ratione Hipp. vtitur hoc modo loquendi (nõ est abs re tentare morbi solutionem?) Cur non dicit necesse est? Audite consilium mirabile in his verbis Hipp. Debet Medicus semper operari secundum rationem. Nam queadmodum gubernatores vrbiũ debent semper inspicere quæcunq; ratio postulat, neq; curare, si res non succedat; sic medicus; etiamsi non sequatur secundum rationem. Neq; mirari oportet ea, quæ sunt secundum rationẽ, interdum frustrari euentu. Habet fortuna etiam suum imperium. Quare cum sępe vsu veniat, vt non succedat, nõ debet tamen desistere a proposito, vt dicebat Hipp. 2. aph. lib. Quod cum ita sit, videte quanto iudicio dicat Hipp. non abs re, neq; præter rationẽ. Videbat huiusmodi tentationem soluendi doloris non esse responsurã, ideo non voluit dicere esse bonum.

Disputatio pulchra ex verbis Hipp. nata.

Et fortuna suus in morbis locus.

num. Et ppterea, vt cōformaret Medicos, ne deterrerētur ab vsu horū remediorū, quia est quidem semper secūdum rationē tentare doloris solutionem, sed nō semper vtile. Erat postremnm considerandū, vtrum semper vbi vobis occurrit pleuritis curāda, fomentis calidis in principio sit vtendū. Vt rem hanc resolutā habeatis, ante cætera perspicere debetis, vtrū adsint signa illa vera pleuritidis, an nō, an adsit difficultas anhelandi, tussis, dolor lateris pungitiuus, febris continua. Si non adsint hæc signa, vtendū est huiusmodi curationis ratione, quia ait, in re dubia tutissimū est consilium, vbi medicamenta non iuuant, vt saltem non lædant. Si adsint signa vera, videte an sint efficacia, an vero debilia. Si debilia, hac ratione vti debitis. Sed si efficacia sint signa, ad alia veniēdum est remedia: quoniam vbi adsunt hæc signa euidentia, iam morbus factus est, & magnus, Vbi autem cōpertum est morbum esse magnum, non debet Medicus vti blandissimis remediis, sed magnis etiam. Habetis hoc apud Gal. 6. meth. vbi scribit ex Hipp. tamen lib. 1. aph. exrremis morbis extrema exquisite remedia cōneniunt, vt venæ sectio, purgatio. Sed quid dicemus ad Gal. qui lib. art. med. scribit, in omnib. inflammationib. vtendum esse initio repellentib. Respondendum est ex ipso qui 13. meth. c. 17. loquens de inflammationa dicebat, vtendum esse repercussoriis medicamentis in omnib. inflammationibus, præterquàm pectoris, quia in pectore est cor, pulmo. Si extrinsecus repercutiētib. vtamur, periculum est euidentissimum, ne materia in interna compellatur, & necē inferat. Sed quid ad Soranum & Mesuem dicemus. Fuir quidem Soran. princeps Methodicorum medicus magni nominis: sed fuit, vt ego animaduerto, nimis audax aduersus Hipp. In declinatione non est periculum, vt morbus augeatur, vt in principio. Ad Mesuem videtur Concor. soluere in principio principiato, vbi materia exigua est. Sed neq; hæc solutio mihi placet, quia quis vnquā vocatur in hoc principio q; imaginatur sibi Medicus. Přeterea etiam si sit principium, tamen nunquam vtendum est repercutientibus, quia vt omnes sciunt, periculum est, ne materia feratur in cor, quod nullum affectum perexigunm patitur.

Gal. & Hip. conciliatio.

Soranus Methodicus audaculus.

θερμασ μάτων δὲ κρατιστόν μεν ὕδωρ.

Fomentorum calidorum.

GALEN. 5. de simpl. med. facult. c. 19. docens, quæ sint medicamenta dolorem sedantia, inquit, alia esse, quæ sedant affectum, alia quæ sedāt ipsius symptoma. dolorem. Medicamenta, q̄ sedanr affectū, non possunr appellari anydona, ppterea, q; omnia medicamenta appellarentur anodyna: Siquidem id est cōmune omnib. medicamentis, vt affectib. ab iis sublatis auferatur etiā dolor symptoma affectus, cū symptoma sequatur morbū, quemadmodū vmbra corpus. Quę aūt tollunt dolorē, aut sunt, pprie anodyna, aur æquinoce, quæ stupefaciendo videntur tollere dolorē. Vera aūt anodyna, hoc est, quæ vere adimunt dolorē, & ita appellantur, sunt ea quę calida sunt, & vi discutiendi prædita, quæ dilatando & laxando partem illā, quæ diuellitur, faciunt tū vt materia dissoluatur, tum maxime vt materia in ampliori loco minime dolorē inferat. Cum igitur hæc sint, ppria remedia doloris, videtis qnam accōmodatissime inter prima auxilia doloris adducit fomenta aquæ calidæ. Postulabar. n. vt fomentis dolor sedaretur, quæ proprie sunt calida. Sed non satis est hæc vniuersalia docere; siquidem boni Medici munus & officiū est demonstrare, quæ sit vera materia horū remediorum, vt recte deinde vsu applicata dolorem finiant. Hoc aūt in præsenti dictione docet Hipp. s. qnæ debeat esse mareria fomentorum. Et vt eius ordinē intelligatis, proponit plura genera, & ordine. Sed cur plura genera proponit? vt intelligat Medicus eū semper debere esse abundantē remediorum, maxime in morb. acut. Proponit etiā ordine, quia primo proponit leuiora, & postea pedetentim grauiora, vt docent nos, in dolore sedando, semper inchoandū esse à leuiorib. Sūt autē hęc quæ proponit plura genera, alia humida potētia & actu; alia humida potētia, actu sicca; alia sicca actu & potētia: prętera alia sunt mordētia, alia sine morsu. Causa aūt varietatis horū remed. proponitur à Gal. & diligēter, qui dicit eum

Anodyna quæ proprie.

Genera fomentorum quot sint.

enim respexisse varietatem humorum efficientium pleuritidem, quia vbi humores sunt acres, opus est remediis demulcentibus: Vbi crassi attenuantib. & mordentibus. Et quamquam non diffiteat Hippocr. consilium hoc fuisse, tamen pnto etiam aliud consilinm esse secutum. Inquit autem Hippoc. optimum auxilium esse aquã calidam vel in vtre vel in vesica adhibitam, vel in vase æneo aut testaceo: quin etiam spongiam aqua calente imbutam optimum remedium esse dicit. Vt autẽ perfecti Medici euadere possitis, videre oportet qua ratione dicit, aquam esse optimã: præterea quo pacto debeamus vti huiusmodi aqua, quemadmodum scribit Hipp. quod ad primum attinet, Galen. inquit, Hippoc. non simpliciter dixisse aquam calidam esse optimam, sed esse optimam in eo genere pleuritidis, quod originẽ ducit à bile. Neq; absq; ratione: quia si contrarietatem respiciamus, biljs est humor calidus & siccus, aqua frigida & humida, Itaq; ratione contrarietatis ad dolorem à bile sedandum, optima est aqna. Ego autem non arbitror Galen. non verum dixisse, tamen existimo Hippo. longe profundiorem sensum habuisse. Omitto aquam à veteribus, vt Pindaro & aliis ἄριστον πάντων, esse appellatã adeo vt Heraclitus & alii existimarint esse principium omnis generationis. Itaq; hæc meæ sententiæ est ratio, quicunq; fit dolor, fit à pituita, bile, sanguine, vel melancholia. Aqua est optimum remedium, quia est medicamentum temperatum, & relaxat. In dolore sedando opus est relaxare, attemperare. Sed dubitari potest aduersus hanc resolutionẽ, quia Arist. 24. sect. problem. 11. quærens rationem, cur fiant lapides potius in aquis calidis, quam frigidis, inquit, esse, quoniam humiditas à calidis corporibus facile consumitur, qua consumpta fit pars terrestris dura, solida, & lapidea. Aristot. suffragantur ea, quæ scripta sunt ab Hippocrate, & Galen. 1. epid. sect. 6. vbi loquentes de dolore renali & calculis renum, inquiunt, & presertim Galen. humores cõcrescere ex calore tam moderato quam immoderato. Igitur si hoc verum est; q; dicit Gale. multum abest vt huiusmodi tumores crudos possit dissoluere aqua calida. Hæc sunt dubia, quæ apud alios non videbitis, & non sunt contemnenda. Quid igitur respondendum est? Ad Aristot. responderi potest, eum loqui de calidis aquis fer- uentibus naturalib. sed Hippocrat. loqui de calida aqua tepente non natutaliter, vt Hippoc. hic vtitur. Sed locus citatus à Gal. 6. Epid. destruit, inquiens fieri lapides in renibus à tepore summo. Dicendum est igitur, diuersas esse rationes caloris natiui & extranei; calor natiuus in corporibus humanis seu naturalibus dissipando materiã facit, vt quæ remanet pars terrestris, durescat & lapidescat. Calor vero extraneus, cum non penetret sed relaxet potius, producit alios affectus: Ab igne siquidem & sole corpora denigrantur. Itaq; non est mirum, si aqua calida emolliendo & relaxando auferat tumores, & dolorem sedet: eadem in corporib. animatis & inanimatis duritiem faciat. Cæterum ad secundum quid dicendum est? primum perspectissimum est, quomodo adhibeatur vesica & vter. Accipiuntur enim vesica & vtres, & aqua semiplenæ accommodantur parti dolenti, atq; ita relaxando, dolorem auferunt: spongia ex aqua calida madida, & expressa imponitur pariter lateri dolenti. Hæc perspicua sunt. Sed illud est valde in obscnro positum, quomodo veteres & Hippoc. commẽdant, vt aqua calida adhibeatur in vase æneo aut testaceo. Si quotidianum vsum respiciamus, nemo est qui ita vtatur hodie. Cur ergo Hipp. hoc remedium posuit? Diu cogitanti mihi respõsum & solutionem, nihil aliud occurrit dicendum, quam Hippocr. voluisse docere Medicum, vt in omni fortuna, in omni genere hominum possit Medicinam exercere. Habebant olim seruitia plurima, quæ, vt ego puto, plærunq; cogebantur curare Medici, vt tempore etiam Romanorum: ita est remedium præscriptũ seruis, & in magna paupertate, apud quos facile est hęc vasa reperire, ex terra vel ære, vt possint cibaria coquere, vel ad alium vsum. Sed quis est modus vtendi eiusmodi remedio? Vt vbi Medicus cogitur adhibere aquam calentem in huiusmodi remedio, semper supponat ipsis vasis lanam mollem, vel pannum duplicatum, mollem, vt per illud medium aqua penetret ad locum affectum, & comprimendo non offendat. Postremo apponit Hippocr. medicamen-

Aqua apud Pindarum laus.

Aqua cur anodynum.

Vt in vase æneo & testaceo.

dicamenta humida actu, sed potentia sicca, & paulo efficacius remedium. Est autem illud, vt accipiatur hordeum & eruum contusaq; macerentur in posca, & parũ

Sorani ratio conuellitur.

ferueant, deinde in sacculo posita superimponantur ipsi loco dolenti. Soran. apud Cœl. Aurel lib. 2. cap. 19. examinans hoc remedium Hippoc. ausus est illud damnate, eo, quod acetum astringit, astrictio autem maxime nocet in hoc casu. Sed quia magni refert in medicina facienda hæc intelligete, & Soranum refutare, primo videndum est, cur dixerit eruum & hordeum contundi debere. Deinde, cur dicit ea macerari debete. Quod ad primum attinet, Galen. in commen. dicit, si solida adhiberentur maiorem dolotem parerent. Igitur etiam si Hippo. non dixit, reliquit tanquam vulgare & omnibus notum. Sed cur non vult esse coquenda? habetis rationem apud Galen. lib. de simpl. med. facul. cap. de Eruo, vbi dicit, si coquatur, amittete vim attenuandi, abstetgendi, qua facultate opus est, cum aqua calida non profuit. Sed quid dicemus ad Soranum? Debetis scire, vetetes tam Græcos quam

Posca quid.

Latinos in vsu habuisse hunc potum, quem græci ὀξύκρατον, Hipp. ὀξυκεκρημμένον, appellauit, latini & Plautus poscam. Et ita etat in vsu, vt etiam in thermis vterẽtur

Posca parandæ modus.

homines viliores propter vile pretium. Itaq; proponit Hippo. huiusmodi poscam, quia habet semper in animo vt doceat ea remedia, quæ sunt facilia paratu. Modus aũt parandi hunc potum, erat varius; quia prout acre erat acetum, ita plus minusve aquę addebatur. Itaq; docet rationẽ vtendi hac posca, vt errare nõ possitis. Inquit.n. non solum accipiendam esse poscam, sed ita temperandã, vt sit paulo acidior, quã vt bibi possit. Hæc est.n. regula, secundum quam non potestis errare, & quã habetis semper in oculis. Huiusmodi posca paulo acidior, minime habet illud vitium, q͂ ei imponit Sotanus: qui acetum astringit ratione partis terrestris, acquisitæ ratione putrefactionis: hęc diluitur, & veluti curatur beneficio aquę, sed quia amat facultatem extenuandi & exiccandi, voluit ita temperare, vt aciditas non adimatur, sed paulo sit acidior quam bibi possit. Quare videre potestis rectum vsum huius. Suetonius narrat Augustum laborãtem quodam vitio iecinoris, fuisse curatum à Medicis: & primum fomẽtis calidis, quæ cum nihil proficerent, accersitum fuisse Antonium Musam, & curasse frigidis. Nõnulli existimarunt ex eruo compositũ fuisse medicamentum, vt Plin. lib. 18. c. 15. loquens de eruo. Adeo vt si hanc historiã cum illis Plinii conferam putem, morbum illius fuisse inflammationem iecinoris.

Πυρίη δὲ ξυρὴ, ἀλεσκέγχροι πεφρυγμένοι.

Siccum autem fomentum.

POstquam Hippoc. nos docuit vsum fomentotum, quæ humida sunt actu & potẽtia, vt aqua calida: & quæ actu sunt humida, sicca potentia, vt etuum, hordeũ, furfur, & posca: nunc docet, quæ sicca sunt & potẽtia & actu, & docet nos ab iis fomentis esse incipiendum, quæ humida sunt, & proinde blandiora. Dicit ergo inter fomenta sicca optimum illud esse, q͂ fit ex sale & milio, frixis, & in sacculo dolenti parti appositis. Addit milium esse debete leue & iucundum, tum quia huiusmodi emollitio omnes dolores soluit, etiam qui ad clauiculum pertingunt, q͂ non facit venæ sectio, quæ tantum dolorem ascendentem ad clauiculas, non descendentem soluit. Hæc est sententia quam in ptæsenti nobis proponit Hippoct. quæ cum vtilissima sit ad faciendam medicinam, operæpretium est, vt quædam diligenter examinemus. Primum erit, vtrum sal & milium ita sint efficacia ad hunc dolorem soluendum, vt narrat Hippoc. Nam Soranus apud Cœl. Autel. lib. 2. cap, 19. damnat

Sorani rationes cõtra Hipp fomentum ex sale & milio.

Hippoc. quod vsus sit sale & milio. Primum de sale, inquit, illud calefacere & mordere: ratione caliditatis, augere febrem, ratione mordicationis augere. De milio etiam dicit, male fecisse, quia milium proximum est graue olens, nidorosum, quod cum petit cerebrorum, est pernitiosissimum. Aliud, quod dignũ est examine est, cur Hippo. nomitans milium & salem, inquit, milium optimum esse leue & iucundũ. De sale autem nihil dicit. Æquum erat vt etiã adderet rationem vsus salis, quemadmodum dat milii. Posttemo quærendum est, qua ratione Hippocr. cum infra sit commen-

commendaturus purgationem & venæ sectionem, tamen comparans nunc vtilitatem fomentorum cum his remediis, nominat tantum sectionem venæ purgationis non meminit. His perspectis rite & intellectis clara erit Hippoc. doctrina. Circa primum nonnulli vt tueantur Hippocr. dicunt, non laudare Hippocr. salem aduersus omne genus pleuritidis, sed duntaxat aduersus eam quę fit ab humore viscido & crasso. Vnde ratio Sorani nihil valet, quoniam in hac pleuritide neq; fit calefactio, neq; mordicatio. De milio etiam conātur hac ratione defendere, quod nullum sit remedium adeo generosum, quod non habeat aliquod vitium: & ꝓpterea non esse mirum, si milium etiam sit nidorosum. Sed hic modus tuendi Hippocr. mihi non placet; primum quia Hippoc. non loquitur hic de pleuritide ab humore viscido & crasso. Sed sit ita: nihilominus sal nō conuenit, quia mordet. Hoc possumus experimento probare, quia certissimum est magnopere excitare libidinem. Igitur qui vult vt canes eatuliant sal iis dat. Atq; hinc etiam (vt narrat Plutarch. in sympofiacis) Ægyptii sacerdotes à sale abstinebant, ne libidinis cupidine corriperentur, & naues feracissimæ murium sunt, quæ gestant salem. Dicendum igitur est, considerandas esse diligēter conditiones, quibus hoc remediū proponit. Proponit ergo quatuor conditiones. Primum, vt sal extrinsecus non intrinsecus administretur: Quando autem sal libidinē excitat, calefacit & mordet, intus adhibetur. Præterea vtitur Hippocr. sale nō puro, sed mixto cum milio: multum interest vtrum ne medicamento aliquo solo an mixto. Tertia conditio est quod vtitur sale nō integro, sed frixo. Itaq; obtunditur hac ratione acrimonia, & minuitur calor illius. Et hæc est ratio, propter quam Sancti illi Patres cum volebant sale vti, semper frixum sibi offerri iubebant ad aufetendam caliditatem & acrimoniam. Quarta conditio est quod adhibeatur in sacculo. Itaq; hac ratione adhibitus sal, non potest vllo pacto calefacere & mordere. Quid de milio dicemus? Milium licet habet aliquid nidoris, si cum sale sit frixum, amittat maximam partem; maxime si in sacculo adhibeatur. Circa secundum, audiatis diligentiam huius admirabilis senis. Volebat Hippoc. vsum huius remedii esse ad adimendos dolores, milio. Volebat autem salē duntaxat addere, vt esset vehiculum; & propterea addere voluit, debere esse multum milii, salis parum; & ob hoc ob breuitatis amorem dicit, vt milium sit leue & iucundum. Erat tertium & postremum, qua ratione Hipp. comparat duntaxat fomenta hæc venæ sectioni, & non purgationi, de qua tamen inferius loquetur. Audite etiam mirabile consilium huius viri hac in re Hippo. qui in proponendis medicamentis semper secutus est indicationes, & à natura rei siue affectus sumptas; videbat naturam huius affectus, indicare non purgationem, sed venæ sectionem. Loquor autem de pleuritide vera, quæ cum sit inflammatio, ex sui natura demonstrat nobis venæ sectionem. Vbi autem est vera pleuritis, non indicatur purgatio. Et propterea cum esset comparaturus remedia pleuritidis, necesse erat, vt compararet ea quæ sunt vere remedia.

Hip. assertio.

Sal libidinis prurit ū ciet.

ἢ δὲ μὴ λύηται πρὸς τὰ θερμάσματα.

Sin autem non soluatur.

PRoposuit Hippocr. vt audiuistis, medicamenta calefactoria, atq; ea diuersorū generum; ad leniendum dolorem, & quia proposuerat hanc rem acuratissime docere, existimauit quoq; necessarium esse, vt his nō conferentibus doceret remedia quæ conferre possent. Et ꝓpterea in præsenti dictione inquit Hipp. quod si fomenta præscripta non tollant dolorem, non esse multum calefaciendum. Et quia poterat aliquis dicere, si calefactoria sint secundum rationem, etiamsi dolor nō sedetur, vtendum est aliis, quia scripsit Hippoc. lib. 2. aph. omnia secundum rationē facienti, si non succedat secundum rationē non transeundū esse ad aliud. Vt igitur hanc tacitā obiectionem de medio tollat, subiungit nō esse multū calefaciendū, ne s. pulmones exiccentur, & suppuratio fiat. Circa quā totam sententiā, vt penetretis quæ Hippocr. vos velit docere, examinandum est primum, qua ratione Hippocratus

vtatur hoc modo dicendi,non est multum calefaciendum. Poterat dicere, sunt dimittenda fomenta: præterea Hippocrates dicit non multum esse calefaciendum. Quis autem terminus huius calefactionis sit, parum videtur nos docere. Postremo videndum est; quomodo Hippocrates velit vitare suppurationem: siquidem idem 6. Epidem. sect. 3. aphor. 11. inquit, id quod suppuratur, nunquam reuertitur, & affert rationem, quia in suppuratione est coctio, crisis & abscessus. Igitur suppuratio bona est & melior semper resolutione, ad quid timet eam hoc loco Hippocrat. Circa primum puto maxima cum ratione Hippocratem sic esse locutum, quia voluit nos docere Hippocr. etiamsi non cesset dolor, & sit transeundum ad alia remedia, nihilominus vult dicere Hippocr. est vtendum calefacientibus, sed non multum, quasi noluit omnino fomenta esse dimittenda.

Ad secundum autem nonnulli existimarunt tam diu esse pergendum in vsu fomentorum, donec appareat nihil proficere & augeri dolorem. Sed hæc sententia mihi nō placet, siquidem sæpe fit, vt protrahatur ad tertium vel quartum diem, & augeatur morbus; ac ita occasio omittitur aliorum auxiliorum. Ob hoc enim dicebat Hippocr. occasionem esse præcipitem. Ad hæc si non vult Hippoc. dandam esse sorbitionem, donec tētata sit dissolutio doloris, nimis ieiunaret æger, sic fieret debilior, nec postulante necessitate tutum esset mittere sanguinem. Quando particularia docet Hippoc. ponit ea in arbitrio prudentis Medici, qui debet semper videre id quod Celsus 1. cap. 3. lib. scribit, in acutis morbis celeriter mutanda esse præsidia, atq; maxime in pleuritide, vt non prætereatur primus vel secundus dies; adeo vt si quando certior factus est, medicamenta calida non tollere morbum, statim transeat ad grauiota; ita vires non augentur diuturnitate ieiunii. Nec obstat, quod Hippocr. dicat non multum tempus esse calefaciendum: quoniam in acutis triduum vel quatriduum est multum temporis. Nam est dimidium totius termini, vel paulo plus minusve.

Suppuratio duo significat. Ad postremum sciendum est, nomine suppurationis duo intelligi posse; primum accipitur non solum pro ipsa conuersione materiæ in pus, verum etiam pro expulsione. Secundo modo, pro cōuersione duntaxat in pus, sed nō pro expulsione: In pleuritide certe amanda est semper conuersio materiæ in pus, sed ita vt excernatur. Vbi autem conuertitur in pus, sed retinetur, malum est: Et propterea, quando Hippocrates dicit, non esse multum calfaciendum, ne fiat suppuratio, intelligit, vt retineatur materia in thorace; non loquitur de suppuratione, in qua pus factum excernitur. Et de hac loquitur 6. Epid. quando dicit, suppurationem non reuerti, quia est coctio, crisis & abscessus. Sed cur Hippocrates timet suppurationem? quia vbi nimium incalescit thorax, & pulmones exiccantur, excalefacto thorace fit pus, & attrahitur ad thoracem, atq; à pulmonibus retinetur exiccatis, & fit empyema, quanquam empyema quod fit ex pleuritide, non est exitiale, interdum quidem, sed non semper. Et hoc habetis apud Hippocratem lib. de loc. in homine, de coac. prædict. 3. de morb.

Ἀλλ' ἢν μὲν σημαίνῃ ἡ ὀδύνη ἐς τὴν.
Si vero dolor ad clauiculam, &c.

NON contentus Hippocrates docuisse desistendum esse à nimia calefactione, nunc vult docere, quid deinceps sit agendum, & hoc docet diligenter in toto hoc contextu, qui tanti est momenti in medicina facienda, vt ausim dicere non esse bonum Medicum, qui hunc contextum non intelligit, & tanta est difficultas recte intelligendi hunc contextum, vt multi interpretantes Hippocr. in grauissimos errores lapsi sint. Non defuerunt etiam qui deseruerunt Hippoc. Audite quid dicit Hippocr. Si dolor consensum habeat ad clauiculam, & grauitas sit in brachio, in mamma, vel supra septum transuersum, non est cunctandum multum sanguinis detrahere, donec multo rubicundior euadat, aut pro puro & rubicundo liuidus.

Vtrumq; autem, inquit Hipp. contingit. Vt autem mysteria admirandi senis consequi possitis, primum videre oportet, cur Hipp. ita diligẽs sit in proponenda missione, loco & mensura. Præterea qua ratione dicat, si consensum habeat dolor ad clauiculam, & postmodum dicit vel grauitas ad brachium, ad mammas. Cur non dicit, si consensum cum bis habeat? Circa primum dicendum est, negotium mittendi sanguinis tanti momenti esse, vt si recte administretur protinus salubritatem: si error quispiam committatur, exitium, aut detrimentum maximum afferat. Quapropter diligentissimus voluit esse in proponenda missione, loco, mensura. Ad aliud dicendum est, inflammationem quæ facit pleuritidem, fieri plerunque imo fere semper in medio thorace inter costas supremas & infimas: quia locus ille cum sit calidior, est causa vt materia eo magis colligatur. Cum igitur ad clauiculam non fiat, vbi hic est dolor, est semper per consensum, quia eadem tunica, quæ vestit costas medias, eadem vestit supernas & infernas. Secus autem est de mammis & brachio, quia cum inflammatio sit circa bas partes & magnopere propter consensum afficiuntur musculi qui terminantur ad brachia & mammas, quia à tumore musculorum in illa parte fit grauitas Hipp. vt audiuistis, post propositas fomentationes pleuritidi accommodatas, aggressus est proponere nobis negotium in medicina facienda vtilissimum, & quam maxime necessarium. Igitur & difficile. Et si vlla res est in medicina facienda, quæ iudicium Medici requirit, & insignes difficultates habet, certe est negotium hoc mittendi sanguinem. Quapropter operæpretium est, vt diligenter totum hoc absoluamus, atq; ita polliceor me facturum, vt in hac re nibil requiratis. Quod igitur nos hic docet, est, vt, vbi cætera remedia blandiora nõ prosunt, deueniatur ad sanguinis missionem. Et vt artem eius comprehendere possitis, quid docet nos circa hanc rem? primum quod docet, est vtendum est sanguinis missione, si dolor pertingat ad clauiculas: si subtus septum transuersum, purgandum. Secundum est circa tempus, hoc est, non esse cunctandum, sed statim mittendum esse sanguinem. Præscribit quoque breuiter mensuram, quando scripsit donec rubicundior euadat, aut pto puro & rubicundo liuidus. Postremo docet locum, quando scribit, pertundendam esse venam internam. Adeo vt nihil ab Hippocrate desiderare possimus in hoc negotio; cum & rem doceat, & tempus, & mensuram, & locum. Et vnumquodque sigillatim in vtilitatem vestram expendamus, scire operæpretium est de tempore mittendi sanguinis in pleuritide neminem fere dubitasse, nec fuisse aliquem qui Hippocratem reprehendere hac in re ausus sit; quasi citra omnium controuersiam statim veniendum sit ad sanguinis missionem. Sed circa tempus, mensuram, & locum non defuerunt, qui eum damnare ausi sunt. Et vt incboemus à missione sanguinis. Soranus apud Cœlium Aurelian. lib. 2. cap. 19. reprebendit Hippocratem, quod dicit dolore ascendente ad clauiculam, esse venam secandam, vbi sub septo transuerso est, purgandum esse, quia, inquit, obscura satis ratione, si verum esset nõ esse venam secandam, sed purgandum vbi dolor est sub septo transuerso, in podagricis non esset secanda vena, in quibus est inflammatio, & sub septo transuerso; cum tamen omnes hoc agunt. & quod magis est, Galenus 6. cap. lib. de curand. rat. per sanguinis missionẽ dicit, vt, si dolor non adsit in podagricis tamẽ vena secetur vere. Possumus etiam dicere, legem esse apud omnes medicos, & ab Hippocrate traditam, vt, vbi inflammatio est super renes, à partibus supernis mittatur sanguis; vbi infra renes, ab infernis. Vbi vero est in renibus ipsis, supra infraque. Videte Galenum lib. de curand. ration. per sang. missionem, cap. 18. & lib. 13. method. cap. vndecimo. Si itaque hoc verum est, quomodo vult Hippocrates in pleuritide esse purgandum? Deberet saltem iubere, vt mitteretur sanguis à partibus infernis.

Notabile.

Soranus in quo Hippoc. reprehẽdat.

Altera ratio, qua vtitur Soranus est, quod Medicus nunquam debet ea procurare quæ vbi adsunt, nocent. Sed alui fluxus in pleuritide est exitialissimus, vt docet idem Hippocrates sexto Aphorismorum. Si ergo fluxus in pleuritide est exitia-

eſt exitialiſſimus, quomodo (ait Soranus) licet nobis per medicamenta purgantia facere alui fluxum? hæc ſunt, quæ Soranus habet aduerſus Hippocratem. Circa menſuram damnat quoque Hippocratem duobus argumentis: Primum eſt, quod dicat mittendum eſſe ſanguinem, donec fiat mutatio, eſt ſumma incertitudo. Imo dicit hic etiam Galenus, in comment. Alia ratio Sorani eſt, quod Hippocat. ſibi ipſi videtur contrariari, quia in ſequentibus dicit, mittendum eſſe ſanguinem vſq; ad animi defectum, hic dicit mittendum eſſe ſanguinem, donec mutetur. Poſtremo damnat circa locum, hac ratione, quia ſi incidatur vena interna, tunc inflammatio magis augetur; quia cum ſit proxima loco affecto, fit vt eo trahatur ſanguis, & propterea magis augeatur: Eapropter dicit præſtare ſecari mediam vel externam, quia corpora releuantur ſectione harum venarum. Vt Hippocratem tueamur, & vt intelligatis, quæ ſit eius mens, operæpretium eſt, vt ſciatis circa miſſionem ſanguinis omnes fere, & præſertim Galenum neſcio quas venas & anfractus in hypochondriis fingere, quæ cogunt Medicum vbi dolor eſt ſub ſepto tranſuerſo purgare. Neque vult Hippocrates, vnquam in pleuritide vera eſſe purgandum. Accipiamus rationem ducem omnium ingeniorum, & ipſas Hippocratis leges. Tota medicina Hippocratis eſt fundata in indicationibus, quemadmodum Empirici ab experimentis pendent, Methodici analogiſmo vtuntur. Radix omnium indicationum eſt, quam reliquit nobis Hippocr. lib. de flat. contraria contrariorum ſunt remedia: ſed quod eſt contrarium purgationis? Abundantia & plenitudo prauorum humorum; euacuationis vero ſanguinis contrarium eſt, ſanguinis ipſius copia, quia exinanitio & copia ſunt contraria; miſſio ſanguinis nõ poteſt indicari, niſi à contrario, à copia quæ ſiue ſit vniuerſalis, ſiue particularis, præſens vel imminens, vel futura, ſemper indicat ſanguinis miſſionem. Videamus iam quæ ſit vera pleuritis. Vt dixi antea, eſt inflammatio, quæ fit ſemper à ſanguine, frequenter à ſanguine bilioſo fit hæc inflammatio; quia copia ſanguinis colligitur in membranam coſtas ſuccingentem, & ipſas coſtas; adeo, vt in pleuritide ſemper ſit plenitudo ſanguinis particularis; quæ ſemper indicat ſanguinis miſſionem. Sed accipiamus modo regulam, quæ eſt receptiſſima apud omnes, quod vbi eſt inflammatio ſupra renes, mittendus eſt ſanguis à partibus ſupernis; ſi infra, ab infernis, ſi in renibus ipſis, ſuperne & inferne. De purgatione autem nullum verbum annectit, quomodo poteſt Hippocrates oblitus ſuarum regularum & rei naturæ, nunc præcipere, vt in vera pleuritide, aut pleuritide particulari fiat loco purgationis ſanguinis miſſio. Hoc igitur ſtatuendum eſt, Hippocratem nihil aliud voluiſſe his verbis; ſcilicet quotieſcunque vera eſt pleuritis, ſemper mittendus eſt ſanguis, quoties ſpuria, tum purgandum, quod iure addidit, quia vbi ſit vera pleuritis, dolor nunquam eſt ſubtus ſeptum tranſuerſum; vbi autem dolor eſt ſubtus ſeptum tranſuerſum ſemper ſignum eſt illam pleuritidem eſſe ſpuriam, & fieri ab humoribus prauis, non à ſanguine. Sed, quæ eſt ratio huius rei? Locus ſubtus ſeptum tranſuerſum eſt locus coſtarum ſpuriarum. Qui autem ſupra ſeptum tranſuerſum eſt, eſt verarum & totius pectoris; in pectore eſt ſedes ſanguinis ratione caloris; ſubtus ſeptum tranſuerſum colliguntur praui humores, & præſertim pituitoſi. Vultis videre hanc eſſe veritatem? videte id quod ſcribit Galenus 4. lib. de præſag. ex pulſib. cap. 4. inquit eo loco, œdemata non fieri in iecinore, quia propter calorem natiuum & facultatem innatam iecinori pituita & præſertim flatus diſcutiuntur prius, quam poſſint facere œdema: Pariter dicendum eſt, non fieri in pectore coſtisve ſuperioribus, quia propter calorem illius loci, & facultatem innatam ipſius partis, huiuſmodi humores prius conſumuntur, quam extra venas ferantur. Igitur videre poteſtis quam vere dixerit, vbi dolor ſupra ſeptum tranſuerſum eſt, non purgandum eſſe, ſed ſanguinem mittendum: vbi vero infra ſeptum tranuerſum eſt, purgandum. Magnam me adeptum eſſe gloriam exiſtimarem, ſi mea ſola hæc eſſet ſententia, ſed ex omnibus quos vidi, ſolus Valleſius maximi ingenii vir hanc etiam vidit. Sed de purgatione, vbi dolor infra ſeptum tranſuerſum, dicam etiam plura

Ratio ducit ad veritatē. Hippo. aſſertio contra Soranum.

Communiſſima quæ indicatio.

plura, vbi locus magis postulabit. Circa mensuram, vt audiuistis, duabus rationibus vsus est Soranus aduersus Hippocr. scilicet, quod ille tradat nobis incertam regulam, & quod sibi contrarietur. Quod pertinet ad incertam regulam, verum quidem est, quemadmodum non negat Galen. in commen. Sed cur ergo Hippocrat. hanc nobis tradit? Alias dixi Hippocr. diligentissimum fuisse in omnibus obseruationibus, & veteres in more habuisse semper magnam copiam sanguinis mittere. Quamobrem puto ego Hippo. semper in magna euacuatione sanguinis huiusmodi mutationem obseruasse. Nostri eam copiam pertimescunt, & propterea eam regulam non obseruant. Neq; illud fit præter rationem, quia sanguis proximus inflammationi nigrescit, liuescit: rubicundior autem est, qui est remotior à loco affecto. Vnde cum iudicaret Hippoc. ad explendas venas euacuatas naturam mittere sanguinem in locum proximum, necessario existimauit hanc mutationem esse expectandam. Sed quid ad contrarietatem Hippoc. dicemus, quod infra ad animi deliquium sanguinem mittendum suadet Galenus, inter alia doloris remedia præscribit sanguinis missionem ad animi defectum, vnde non est mirum, si in dolore magno hoc remedium præscripserit. Sed est etiam aliud consilium illius, quia cum intelligeret nonnullos reperiri qui in missione sanguinis solent repente animo deficere, alios autem non nisi post insignem sanguinis copiã, eapropter consulens, ne in illis spectetur animi defectus qui non ferunt sanguinis euacuationem magnam, in aliis mutationem sanguinis certissimum esse signum ait sufficientis quantitatis, quæ regula, si obseruaretur hodie, forsan non videremus tot funera. Postremo circa locum, miror sane Soranum, qui vsque adeo debilib. argumentis ausus sit taxare Hippocr. Nam quæ est ratio, propter quam secta vena interna magis augeat inflammationem: fateor proximiorem esse: sed est vsque adeo remota, vt non possit augere inflammationem. Altera illius ratio merum est insomnium. Quare multo rationabilius fecisse videntur Græci quam Arabes, quia Archigen. apud Aet. Paul. Ægineta ac omnes existimant, mittendum esse sanguinem vel à pede, vel à brachio aduerso lateri affecto. At Arabes secuti sunt Græcos, vt Auicen. alia via incesserunt, existimantes & docentes, mittendum esse sanguinem prius à pede tum à brachio aduerso, deinde à brachio lateris affecti, his vt ego existimo rationibus, quia cum viderent præcipuum opus in pleuritide esse diuertere & auertere, iure existimant pedes ad hoc opus magis conferre, quam vlla alia pars. Sic vbi opus est diuersione & euacuatione, ille locus est eligendus, qui non sit adeo remotus, & qui non sit proximus, quia per hunc fit euacuatio, per illum diuersio: Quare vbi existimant euacuationem magis vtilem esse, venam eiusdem lateris secant, vbi diuersionem aduersi. Pro tempore morbi variant. n. remedia. In initio diuersio conuenit, post initium diuersio & euacuatio, postremo euacuatio. Sed quia Gal. hoc com. & lib. de curand. rat. per sang. miss. docuit, quotiescunq; mittitur sanguis à latere aduerso, euacuationẽ esse obscuram & tardã: eapropter mihi videtur huiusmodi res constituenda esse, vt veteres visi sunt, sed semper duce ipsius rei natura: & breuiter. Cum supra dictum sit, radicem omnium indicationum esse rei cuiusq; naturam, & hic copiam esse particularẽ vel vniuersalem, vbi Medico occurrit pleuriticus, statim spectare debet, an sit particularis plenitudo, vel vniuersalis. Si sit particularis, proculdubio mittendus est sanguis à parte superna, indicatione ducta à parte affecta, existente inflammatione supra septum transuersum. Si adsit etiam vniuersalis, videndum est, vtrum hæc plenitudo sit spontanea vel à suppressa euacuatione: si sit sponte facta vniuersalis plenitudo, à vena interna ipsius brachii affecti est mittendus sanguis. Sed si facta sit ab hæmorrhoidibus, vel mensibus retentis, cum dicat Hippocrates primo Epidem. semper veniendum esse ad occasionem, & occasionis initium, proculdubio mittendus est sanguis prius à pede, quia huiusmodi euacuatio prouocat sanguinem: Adeo, vt si veteres hoc spectarunt, vt vbi plenitudo facta sit ab aliqua euacuatione retracta, proculdubio dignissimi laude sunt. Sed si secanda sit alia parte, superna, quæ vena est secanda? Ita ego existimo, in missione

In secanda vena Arabes à Græcis dissensus.

sanguinis

sanguinis respici vniuersalem plenitudinem & particularem. Si vniuersalis respiciatur, semper mittendus est sanguis à vena interna cubiti dextri. Sed si respiciatur duntaxat plenitudo particularis, hoc est locus affectus, semper ab eodem latere, quia Medici nunquam vocantur, nisi prius aliquid inflammationis iam factum sit. Quod cum ita sit, scopi Medici eo tempore debent esse, vt non solum auertatur impetus sanguinis, sed etiam euacuetur id, quod influxit. Hoc cum fit per venas eiusdem lateris, vt dicit Galen. hinc fit vt interna vena brachii lateris affecti; in morbis ab inflammatione supra septum transuersum cum ratione atque non sine maxima vtilitate à peritis Medicis secetur.

ἢν δὲ ὑπὸ τὰς φρένας τὸ ἄλγημα ᾖ.
Si vero eas quæ sub septo transuerso sunt partes.

HIPPOC. docturus nos, vt audiuistis, quomodo debeat negotium sanguinis perfici, dixit supra, si dolor pertingat ad clauiculam, secandam esse venam internam, ea scilicet mente, vt si descendat subtus septum transuersum, sit purgandum. Et quamquam Hippoc. in superiori sententia de purgatione nihil loqueretur, postulante tamen necessitate nos multa diximus & demonstrauimus, quo pacto vt sit intelligenda & interpretanda Hippo. sententia: Nunc, quod diximus supra, idem hic explicatissimis verbis aperit, vt, si dolor sit subtus septum transuersum, vt nihil pertinet ad clauiculam, purgandum esse, veratro nigro & peplio: & quia vniuersa hæc sententia satis longa est, vt habeatis quæ sunt capita magni momenti; & ab Hippocr. proposita scire debetis quatuor Hippoc. hoc loco docere, primum est, purgandum esse, & docet pariter cum quibus sit purgandum, secundo, quomodo medicamenta purgantia sint adhibenda: Tertio, quam vim & facultatē habeant hæc medicamenta, & quomodo iuuent. Postremo loco comparat medicamenta hæc composita cum aliis, & quid inter se differant, breuiter exponit. His enim explicatis, quisq; vestrum veram methodum Hipp. facile eruet. Circa primum, operæpretium est tria expendamus. Primum est, quod Hippo. dicit, si dolor sit subtus septum transuersum, Secundo, quod scribit, & nihil significetur circa clauiculam, hoc est, nullum sit signum doloris circa clauiculam. Tertio, quæ sint ea medicamenta, quæ proponuntur ab Hipp. & quam facultatem habeant. Nam his intellectis poteritis intelligere id quod antea probaui verissimum esse, s. Hippo. dum laudat medicamenta purgantia, non loqui de vera pleuritide, sed spuria. Et quantum ad primum attinet, notare vos cupio, quod Hipp. vsus sit antea, quando dicebat, si dolor sit supra septum transuersum voce ὀδύνη; nunc dicit, ἢν ἄλγημα. Et quamquā vtraq; hæc vox significet dolorem, tamen Galen. in vocib. Hippoc. monstrat, hanc vocem ἄλγημα significare ipsum morbum efficientem dolorem, adeo, vt dicat, si dolor sit, hoc est, totus affectus efficiens dolorem subtus septum transuersum. Iam vero dolor & affectus existens subtus septum transuersum, non potest esse vera inflammatio, quia in costis spuriis non fit inflammatio, quæ possit vere dici inflammatio, quia ei non conuenit definitio. Circa secundum dicit Hippoc. si nihil significetur ad clauiculam. Iam vero si loqueretur de vera pleuritide, non erat opus, vt diceret, quia vbi est pleuritis vera, vix fieri potest, vt nō communicetur dolor partibus supernis. quia hic propagatur per membranam communem ipsi iugulo. Postremo Hippocr. in hac prima parte, inquit, leniendam esse aluum helleboro nigro, & peplio. Expendamus animo quæso, quæ sit facultas vtriusque, & videbimus si hæc possint conuenire in pleuritide. Et admiror, vt antea dicebam, hæc non esse visa ante hanc ætatem. Helleborum appellatum fuit, antiquitus melampodium, quia Melampus hac herba curauit filias insanientes cuiusdam Creti; vnde propriū est remedium humoris melancholici, quia curat insanientes. Peplium appellatur in officinis esula rotunda: & de hoc medicamento loquentes Dioscorid. & Galen. inquiunt, euacuare bilem & pituitam. Quamquam Galen. in commment. dicit, etiam

Helleborum & Peplium, an in pleuritide conueniant.
Melampus Medicus.

etiam euacuare humorem melancholicum. Sed quicquid sit certissimum est, hæc duo remedia Hippocr. euacuare bilem, pituitam & melancholiam. Addit tamen peplium magis discutere flatus quam helleborum. Cum igitur proponit medicamenta, quæ euacuant bilem, pituitam & melancholiam, & medicamenta indicentur nobis à natura affectus, quisnam est ingenio vsque adeo barbaro & stupido, qui non videat à morbo bilioso, pituitoso, & melancholico indicari. Vnde iam perspectum esse potest, quod cum Hippoc. tradat medicamenta ducentia bilem, pituitam & melancholiam, iure, vt dixi, loqui de morbo bilioso, pituitoso, & melancholico: & iure posuit hæc remedia, vt complecteretur omne genus pleuritidis. *Obiectio.* Gal. enim 13. meth. cap. 18. & 20. loquens de inflammationib. internis, inquit, in omnibus inflammationib. internis maxime cauendum esse ac omnibus medicamentis purgantibus; quia, inquit, cum calida sunt, necessario augent caliditatem inflammationis; imo vero idem cap. 20. non vult vt in inflammationib. internis exhibeatur aliquid aloes. Quod si ita est, quomodo Hippocr. etiam in inflammatione pectoris laudat medicamenta purgantia? Accedit quod Galenus eodem loco præcipit, vt vbi inflammatio est in pectore, exhibeantur medicamenta quæ per sputum euacuent & vrinam. Quare esset præter omne rationem & præter leges Hippoc. si in vera pleuritide esset purgandum. Sed dicet aliquis, cur ergo Hippoc. dicit in coac. prædict. optimum esse in pleuritide lenire aluum: & 2. de morb. vult Hippocr. dandum esse medicamentum quod bilem ducat: imo sanguinis missionis nihil aut parum meminit? Quod Hippoc. dicit, optimum esse lenire aluum in pleuritide, intelligit de blanda lenitione, quæ fit clysteribus vel glandulis. *Responsio.* Et hoc conuenit sententiæ Hippoc. quam habet lib. de aer. aq. & loc. vbi scribit, eos qui habent aluum lubricam, non facile tentari morbis acutis. Laudat quidem aluum lubricam, sed sine medicamẽtis purgantib. Quando etiam dicit purgandum esse, loquitur de spuria. Quare iure commendat helleborum & peplium, quia euacuãt illos humores, à quibus fit pleuritis. Iam docet modum vtendi illis medicamentis quæ proponit. *Modus vtẽdorum in pleurit. medicamentorum.* Est autem, ille, quod ea, quæ exhibetur in pleuritide, vel possunt sola exhiberi, vel mixta. Et si commiscentur, vel possunt commisceri inter sese, vel possunt commisceri cum cibis. Si sola exhibeantur hæc medicamenta, admiscenda esse, ait odorata, vt daucus, seseli, cuminum; succus Silphii cum peplio. Sed cur potius hæc odotata quam alia? puto ego, quia Hippoc. ita vsu probauerat optimũ esse. *Cur odorata admiscenda sint.* Sed quæ est causa propter quam hæc odorata debent misceri medicamentis, helleboro atque etiam peplio. Nam nulla videtur esse causa, quia Hipp. hæc appellat ὑπήλατα, hoc est, sublucentia. Si sunt lenientia, ad quid ergo opus est huiusmodi medicamentis odoratis? si autem habeatis huius rei solutionem, operæpretium est scire, hanc vocem ὑπήλατα, a pud Hippocratem esse vocem vniuersalem, quæ significat ea medicamenta, quæ per aluum subducunt siue sint grauia, siue leuia: *Vox ὑπήλατα quid significet.* & ita appellatur ad differentiam eorum medicamentorum quæ euacuant per se, de quibus loquens Herodotus dicebat appellari συρμαισμόν. Quando ergo Hippo. hic appellat medicamenta subductoria, non vult intelligendum de leuibus, quia sunt reuera grauia. Cum itaq; sint grauia, iure Hippoc. præcipit admiscenda esse odorata: quia hæc quæ ducunt electiue humores, lædunt os ventriculi, & propter duas maxime rationes: vna est, & præcipua, quia medicamenta quæ purgãt, & quæ purgant electiue humores, purgant, quia beneficio horum vaporum affluunt humores à toto corporis ambitu ad ventriculum attracti, qui necesse est vt percutiãt & maxime vellicent os ventriculi partem nobilissimam. *Omnia purgantia quãdam læsionẽ naturæ faciunt.* Sed est etiam alia ratio, quia medicamenta purgantia habent nescio quam facultatem inimicam partibus naturalib. atq; ita, vt Arist. dicat in probl. purgare ideo quia sunt inimica naturæ, & non possunt ab ea superari: quæ habent facultatem acrem & mordacem, merito cuius excitatur, irritaturq; facultas expultrix, vellicaturq; os ventriculi. Quod cum ita sit, oportet, vt prudens Medicus duo faciat, vt corroboret os ventriculi, ne ab ingruentib. humorib. lædantur, & acrimoniam medicamenti frangat. Iam vero

odorata sua benigna facultate & proprietate castigant & frangunt: sic medicamẽta præterea corroberaut ventriculum. Igitur iure vult Hippoc. semper his remediis admisceri odorata. Dicit deinde Hippoc. posse vsutpari hæc, & simul mixta, & mixta cum cibis; simul mixta, quia habent facultates similes, vt optime dicit Gal. & præsertim quia purgant vnó & eodem tempore. Vnde dicit, non sunt hæc duo medicamenta dissimilia: nam, vt docuit Gal. lib. quos & quibus purgare oportet, illud semper ante oculos debemus habere, vt non purgent medicamenta tempore diuerso, à quo fit magna turbatio humorum, & deinde non exigua viriũ debilitas. Et hoc est etiam vnum ex aliis argumentis, ex quo ego intelligo Hippoc. hoc in loco nõ loqui de vera pleuritide, quæ fit ab vno humore, sed quia loquitur de spuria, ea propter vult docere posse nos vti mixtis simul, vel cum cibis. De hoc alias. Vnum addam: quia Hippoc. comparans hæc duo medicamenta inter se, inquit, helleborum nigrum esse, χρησιμώτερον, hoc est, vtilissimum ad perficiendam indicationem. De peplio inquit, hoc melius valere ad discutiendos flatus. Ex quib. verbis colligo adhuc Hipp. hoc in loco non loqui posse, nisi de spuria, quia dicit opus esse discutere flatus, q; neququam est opus in vera. Sed videtur contradictio inter Hipp. quia Hipp. hic inquit, pepliũ magis valere ad discutiendos flatus. Gal. aũt lib. 18. de med. sec. loc. c. de peplio inquit. esse φυσῶδες, hoc est, generare flatus. Pro solutione huius contradictionis tripliciter respondere oportet: vno modo vocem illã φυσῶδης esse mendosam, & legendum πυρώδης, hoc est, igneum; & quod ita sit legendum, colligere possumus ex Dioscoride & Paulo, quia hi πυρώδης habent, vbi habet Gal. φυσώδης. Alio modo respondere possumus, Hipp. non dicere simpliciter peplium flatũ discutere, sed comparatiue cum helleboro, quasi dicat, sicut helleborus magis iuuat ad purgationem perficiendam peplio, ita peplium ad flatus discutiẽdos helleboro. Tertio modo respondere possumus, peplium dupliciter considerari posse. Secundum sui substantiã, & secundum operationem. Secundum operationẽ flatus discutit. Si secundum substantiã illius consideremus, flatus facit, quemadmodum etiam alliũ. Itaq; colligite necessariũ esse statuere Hipp. qñdo laudat medicamẽta purgantia, non loqui de vera pleuritide, sed de spuria. Primũ, quia indicatio ducta à pleuritide, nõ potest indicare huiusmodi curationẽ. Præterea est regula Hip. & omniũ medicorũ, vt oẽs inflammationes curentur per sanguinis missionẽ; tum quia medicamenta purgantia maxime cauenda sunt in omnib. inflãmationib. internis. Præterea si expendamus Hipp. vt nos examinabimus, certũ est eum ita censuisse, & ꝓpterea Gal. qui sub nube forsan hanc veritatẽ cognouit, postquã tentauit Hipp. defendere, inquit tandem, semper tamen melius esse in pleuritide venã mittere sanguinem.

Interpretum error in loco Galeni.

Ἀμφω δὲ ταῦτα, ὀδύνην παύει.

Dolorem præterea sedant hæc duo.

DIXI Hippoc. inter alia, quæ in hac dictione docet, comparare medicamẽta à se proposita, s. helleborum & peplium aliis medicamentis, & comparat aliis non modo solis, verum etiam commixtis cum sorbitione. Dicit ergo, ambo hæc medicamenta proposita, s. helleborum nigrum, & peplium soluere dolorem, quemadmodum etiam soluunt alia medicamenta: sed hoc interesse, quia hæc vsu & experientia cognouit omniũ esse optima. Dicit præterea medicamenta alia cõmixta sorbitioni soluere quidẽ dolorẽ, nisi sint insuauia, ꝓpter amaritudinẽ aut ꝓpter aliã aliquã insuauitatem, propter colorẽ, copiam, vel aliã aliquã suspicionẽ: Hæc sunt, quæ Hipp. nos hic docet, circa quæ primo videndum est, quo spiritu voluit Hipp. hanc comparationem facere; & quo spiritu apponit probationem ex propria experientia. Non sine ratione illud Hippoc. facit, quia eum loqueretur de pleuritide spuria, in qua curanda, omnia medicamenta possunt conferre gratia purgationis, æquum esset vt doceret in tanto remediorum diluuio, quæ essent præponenda, quæ postponenda. Sed cur Hippocrates ad comprobandam suam sententiam dicit, & hæc nos omnium optima esse probauimus? Videbat Hippocrat. tanti esse momenti

momenti hanc rem in medicina facienda, vt opus esset eam diligentissime persuadere. Homines solent quidem persuaderi iudicio & ratione, & experientia, sed hac facilius ad credendum aliquid omnes compelluntur, quam ratione. Quapropter cum videret Hippoc. hanc rem à plerisq; in dubium vocatum iri, propterea experimentis confirmat. Quid ad aliud dicendum? Mox disputabo hac de re: nunc id solum scire debetis, Hippocr. hoc etiam voluisse nos docere propter vulgus, quod cum sæpe auersetur medicamenta, cogimur fallere in cibis. Et cum Hippocr. hoc fecit, neq; nos debemus metuere, quemadmodum egomet in panatella sæpe medicamenta exhibeo ægris ignorantibus. Cæterum dicit medicamenta hæc cómixta sorbitioni, soluere dolorem, nisi sint insuauia propter amaritudinem vel propter aliam aliquam insuauitatem, propter colorem, copiam, & aliam aliquam suspitionem; cur dicit, nisi sint insuauia? Quia in medendo debet Medicus non solum obseruare securitatem & velocitatem, sed etiam iucunditatem, quia quæ auerso animo accipiuntur, vix quicquam iuuare possunt. Eapropter dicit, nisi sint insuauia, quasi suauitas maxime cóferat ad operationem perficiendam. Cæterum cur Hippocr. deinde proponit amaritudinem aliis causis? scilicet hæc insuauitas est ea, quæ omnium maxime cognoscitur. Dicit autem Galen. 3. de simpl. med. fac. nullum amarum sumi potest, hoc est, est inimicum nobis omne quod est amarum. Postea dicit, vel propter aliam aliquam insuauitatem. Quæ est hæc insuauitas? Galen. videtur dicere apud Hippo. hic intelligi eas proprietates quas habent nonnulli homines aduersus peculiares cibos. Ego cognosco mulierem in patria mea, quæ non potest odorari carnes, quæ nunquam comedit carnes. Sunt etiam insuauia propter colorem: vnde, ne fœditate coloris refugiant ægri medicamenta, fucata præbeantur, atque ita fallantur. Addit copiam, quæ solet etiam insuaues reddere cibos. Vnde quando vultis ordinare medicamenta, semper curate, vt minori quam fieri possit copia, præscribatis: quia copia medicamentorum est insuauis, vt inquit Hippocr. Vel, dicit Hippoc. propter aliam aliquam suspitionem, Gal. dicit esse aliam qualitatem insuauem ipsis ægris, sed hoc dixit antea Hippoc. inquiens propter aliam aliquam insuauitatem, quare credo ego voluisse nobis significare mores quorundam, qui in sumendis medicamentis semper suspicantur, & interdum metuút sibi tanquam à veneno. Ergo addit ad delendam omnem suspitionem.

Cur Hippoc. rem suam experientia probet.

Amarum omne naturæ aduersum.

Mulier, odoratum carnium non ferens.

Τὴν μὲν πτισάνην ὁκόταν πίῃ τό.

Vbi autem qui medicamentum bibit.

DOcet Hippocrates diligentissime, quomodo debeamus dare medicamenta; quomodo & quando; nempe correcta dauco, cumino, & similibus; & vel sola, vel mixta; mixtaq; inter sese atq; cum cibis. Hæc omnia docuit nos Hippoc. ita, vt quantum ad hoc negotium, Medicus fere nihil desiderare possit; Superest, vt doceat quid sit agendum post sumptum medicamentum. Ita enim faciunt prudétes Doctores: post sumptum medicamentum, tria debent considerari à Medico, quid faciendum sit statim à sumpto medicamento purgante; quid eo iam purgare incipiente; & deniq; quid à purgatione iam perfecta. De primo inquit Hipp. statim atque bibitum est medicamentum, exhibendam esse ptisanam, sed in paulo minori copia, quam consueuit vti, primo illud operæpretium est consideremus, cur addit αὐτίκα, protinus, statim: Hoc sciri non potest, nisi etiam sciatur, quis scopus sit Hippoc. in tradenda ptisana ab accepto statim medicamento. Gal. & recte inquit, duos scopos habere in hoc consilio, vt à sorbitione medicaméti facultas illa acris & mordax placetur. Habet enim ptisana vim emplasticam. Alter scopus est, vt si quid reliquiarum medicamenti manserit in stomachi ore, eluatur & mittatur in fundum ventriculi. Sed addo ego aliú scopum, & forsan meliorem, hoc facere, ne ægri cogantur, dum purgat medicamentú ob virium langnoré cibum accipere. Solemus fere ieiuni accipere medicaméta: purgatio aliquot horas durat: error est tempore

Cur ptisana à sumpta purgatione conueniat.

purga-

purgationis ipsi dare cibum: Quare Hippo. videns non posse tantum temporis ieiunare, iubet aliquid dari, sed protinus, vt possit cibus elabi è ventriculo, priusquam incipiat purgari. Præterea ne impediat purgationē: nam solet aliquib. paulo post ab accepto medicamento aluus moueri. Sed cur Hipp. vult, vt detur in paulo minori quantitate cibus, quam consueuit vti? Vult, vt sit minor cōsuetudine, sed paulo minor; s. præcipit hoc, propter conditionem quam ego apponam, quia cum intendat ægrum aliquantisper nutrire, præterquam quod vult eluere acrimoniam, ne cogatur Medicus id agere propter virium imbecillitatem purgationis ipsius tempore, si daretur in eadem mensura, non facile elaberetur è ventriculo, priusquā incipiat medicamentum operari. Cæterum de alio tempore, s. quando incipit purgari, inquit, omnino tunc esse abstinendū ab omni cibo. Sed quæ est ratio, cur Hipp. vult vt abstineatur à cibo? Hæc est ratio, quia, quemadmodum audiuistis, medicamenta dum purgant ab vniuerso corporis ambitu, perducunt imo trahunt humores in ventriculū intestinaq;. Vnde fit maximus tumultus in corpore, cui tumultui, si addatur cibus, auxiliatur. Alia etiam ratione hoc facit, s. vult vt omnino caueatur, ne calor natiuus qui est occupatus circa medicamētum, occupetur etiam circa cibū, quod pessimum est. Peracta à medicamento purgatione quid agendum? Inquit tunc nutriendum est, sed paulatim ex προσαγωγῆς vt dicitur ab Hippocr. facta auctione, nisi (addit) adsit febris, & nisi dolor abietit, & si nihil contrarietur. Cibus indicatur à virtute, quæ à medicamentis facta est. Quamobrem opus est restauratione virium, & cibo; sed calor natiuus est hebetatus, cibi debet fieri exhibitio, prout calor natiuus augetur; & quia calor natiuus paulatim experitur incrementum, hinc etiam paulatim augendus est cibus. Sed quid significant, nisi dolor abietit, & aliquid contrarietur? signum est, vomicam non esse factam, vbi dolor est, & adhuc esse inflammationem: Itaq; metuēdum est, & non est dandus cibus: quod tamen nō faciunt pleriq; Medici, quemadmodum neq; tempore Gal. vt de illis ipse conqueritur. Quid vult dicere, nisi contrarietur? Galen. putat intelligendum esse de inflāmatione cruda, & futura crisi, quasi vbi spes est futuræ crisis, nihil dandum sit. Sed non placet mihi hæc opinio: quia tantum abest vt refragetur, vt potius auxilietur, vt possit in ipsa crisi virib. constare. Quod ad inflammationem crudam attinet, dicimus non loqui hic de vera, sed de spuria pleuritide. Quamobrem existimo ego illud dicere, propter vires fractas a medicamento, atq; huiusmodi imbecillitas est illud, quod contrariatur auctioni cibi. Circa exhibitionē ptisanę post medicamen-

Soranus in quib. rationibus Hipp. reprehēdit.

ta Soran. apud Cœl. Aurel. lib. 2. de acut. c. 19. reprehendit Hipp. & tribus argumētis. Primum est, quia ptisana medicamento commixta acescit. Secundum, quia cibus mixtus medicamento corrumpitur, & corruptus potius onerat vires, & auget morbum, quam vt quicquam alimenti afferat: Postremo inquit, cibus commixtus videtur frangere medicamenti vires, vt neq; medicamentū purgare possit, neq; cibus nutrire. Idem ad eund. lib. 2. c. 8. damnat Praxagotam ob hoc factum. Sed non

Sorani rationes refutantur.

est vt existimemus Hipp. vllo pacto cœcutiisse in hac re: quandoquidem vt audiuistis, rationib. maxime validis permotus est ad huiusmodi præcepta nobis tradēda. Nam q; ad primū attinet, falsum est, acescere, si accipiatur minus q̃ cōsuetudo fert, & statim, adeo vt prius elabatur, quā acuetur medicamentū & actuatū possit corrūpere cibū. Et si dicere possumus de frustratione cibi, & operationis medicamenti; non esse verū, corrumpere cibū medicamentaq;, quia cibus exit à vētriculo, priusquā incipit purgare. Vnum duntaxat addam diligenti consideratione & memoria

Galenus sibi contrarius videtur.

dignum. Galen. in com. scribit, medicamenta purgantia habere vim inimicam naturæ nostrę, & esse omnia deletería, ita vt si paulo plus sumantur, omnino conuertantur in venenum. Cæterum 6. epidem. sect. 6. tex. Galen. inquit differentiam esse inter purgantia & deleteria. Inquit, hæc nunquam esse in vsu, illa non dicam nullo, sed maximo. Quare manifeste videtur sibi contradicere. Præterea est etiam dubium id, quod dicit de opio & mandragora, scilicet, hanc esse venenum, medicamentum periculosissimum, & naturæ nostræ inimicissimum;

quia

quia si rem recte cōsideremus, non ita apparet. Nam scribit Epiphanius in physio. & Vincentius in spec. nat. libr. 19. cap. 44. Elephantos initutos fœminam, edere mandragoram ad excitādam libidinem, vt Turcæ comedunt cicutam. Tum scriptum habetur 30. cap. Genes. Rachel cupida prolis optat mandragoram, scilicet ob libidinem. Quamquam D. Augustinus hoc negat, sed potius tribuit raritati & suauitati, quod ego miror, quia passim inuenitur insuauis valde. Pro solutione nonnulli dixerunt medicamenta purgantia accipi posse magna vel parua quantitate: si hęc, vtilia esse, si illa, inutilia venenaq; sed hic modus respondendi non valet, quia Gal. nihil expressissime dicit habere naturā inimicam naturæ nostræ. Ego certe, vt verum fatear, nō inuenio quomodo possim Gal. defendere, nisi dicamus, eū locutum esse non affirmatiue, sed ὡς ἂν εἴποι τις, id est, quasi deleteria. Multum refert sic dicere, & simpliciter possumus etiam dicere, loqui eum secundum populi sententiam, populus enim solet existimare, medicamenta esse venena, quando videt symptomata.

Historia Rachel.

Gal. à contradictione vt liberetur.

Sed quid de exemplis Elephantorum dicemus? Non alia ratione id fieri quam ob arcanam quandam συμπάθειαν, quam inter sese habent, quemadmodum capræ vescuntur cicuta. Quamuis non sciam, an vera illa sint. Quid de mandragora dicendum? B. Augustinus, dicit se diligenter inuestigasse, an haberet vim excitandi libidinem, sed nullam sane reperisse, sed suauitatem & raritatem, ob quam id fieri dicebat. Sed pace illius dixerim, passim obuium est pomum mandragoræ, neque tamen est suaue, quare rectius in arcanam proprietatem referamus.

D. Augusti. notatur.

ὡ ἔτος δὲ μοιλόγος ἐστίν.

Sermo autem.

DIxerat Hippoc. quo pacto vtemur ptisana post acceptum medicamentum. Et quia posset aliquis dubitare, an de ptisana integra, an vero de cremore eius loquatur Hippoc. Eapropter iam tollit hanc dubitationem, dicens, eandem esse vtriusq; rationem. Hoc intelligendum est prudenter, hoc est, quantum pertinet ad exhibitionem post acceptum medicamentum, quia ex toto minime est eadem vtriusq; ratio: siquidem, vt audiuistis, alius modus seruandus est in exhibenda ptisana, alius in cremore exhibendo. Quapropter hæc Hippocrat. sententia duntaxat intelligenda est de vsu ptisanæ post acceptum medicamentum. Melius enim esse assero, statim omnino incipere sorbere.

Quæ sit continuatio huius dictionis cum præcedentibus, certe dubitari potest, & ita, vt Galenus existimet inter hæc verba & præcedentia, nullam pene connexionem euidentem esse: siquidem prius loquebatur de exhibitione purgantis medicamenti, nunc loquitur de cibi exhibitione. Sed si intimius Hippocratem examinabimus, comperiemus illius propositum esse, tractare de victus ratione in morbis acutis. Ad perficiendam autem hanc tractationem operæpretium erat præparationes quasdam ad mutandos cibos docere. Itaque tota ea ratio curationis & de venæ sectione, & de purgatione est præparatio ad vsum cibi in morbis acutis. Quare cum Hippocrates nunc iterum repetat sermonem victus de morbis acutis, apparet hanc esse continuationem ad totam tractationem, non ad præcedentia, quam nullus Interpres, ne ipse quidem Galen. vidit. De scopo autem huius dictionis inquit Galenus, propositum Hippocratis docere illud, quod docuit lib. 1. aphoris. 7. & 10. aphoris. vbi scribit in morbis acutis, in quibus futurus est statim vigor, vtendum victu tenuissimo. Hoc idem Hippocrates in hoc loco docere vult, melius esse protinus initio morborū nutrire, quam in exinanitis iam vasis vel die tertia, quarta, quinta, sexta aut septima, die sorbitionem inchoare, nisi tamen ante hoc tempus morbus iudicetur, quasi vero, vbi cito iudicatur morbus, à principio non sunt dandæ sorbitiones, hoc est, non sunt nutriendi ægri. Sed

ſum ego alterius ſententiæ, ſcilicet præcipuum ſcopum Hippocratis eſſe, eos Medicos taxare, qui ab initio macerant ægros nimia inedia, quia dicit ille, multo melius eſſe inchoare ſtatim à ſorbitione, quam euacuatis & exinanitis vaſis tertia, quarta, quinta, ſexta aut ſeptima die cibum ſumere, niſi morbus in his diebus mitigetur.

Addit Hippocrates hoc quidem veriſſimum eſſe, ſed in vſu ptiſanæ, melicrati, oxymelitis ſemper præparandum eſſe corpus, vt dictum eſt: hoc eſt, ſemper vſurus cibo vel potu, debet incidere venam vel purgare, vel clyſterib. aluum ſoluere, prout hoc vel illo opus ſit. Ex quibus colligo, Hippocratem appellari præparationes exhibitionis cibi potusq́; purgationem & venæ ſectionem quia non eſt ſcopus illius præcipuus dare regulam ſectionis venæ & purgationis, ſed victus in morbis acutis. Sed dubitet aliquis, cur Hippocrates enumeret à tertio vſque ad ſeptimum diem? Duplex eſt ratio: Vna eſt. quia in morbis acutis criſes potiſſimum fiunt in his diebus. Altera eſt, quoniam vltra ſeptimum diem non poſſunt ægri ferre inediam. Dicebat enim Hippocrates lib. de carnibus, vel περὶ ἀρχῶν, hoc eſt, de principiis non περὶ σαρκῶν, vltra ſeptimum diem inediam hominibus eſſe lethalem, hoc eſt, non poſſe homines ſuperſtites viuere ſine vllo cibo vltra ſeptimum diem. Altera ratio eſt, quoniam vbi vaſa ipſa nimium exinaniuntur, vltra tertium vel quartum diem fit, vt ea exinanita coarctentur. Et quo fames aboletur, atque non poſſunt homines amplius cibum recipere & ferre. Et hæc eſt ratio, cur aliqui diu paſſi famem, aſſumpto deinde cibo ſtatim interierunt. Narrat autem Eraſiſtratus apud Aul. Gel. lib. *16*. cap. 3. Scythas quotieſcunque in bello erant ſubituri inediam, conſueuiſſe arctare ſtrictiſſime corpus, vt arctato corpore & inteſtinis, non fieret fames.

Inedia dierū ſeptem hominis mors.

Scytharum ars fallendi inediam.

ἰδὰ δὲ καὶ τοὺς ἰητροὺς τὰ ἐναντιώτατα.

Verum & Medicos contra omnia quam oportet.

DIxi ſuperius ſcopum Hippocratis in præcedenti dictione fuiſſe Medicos coarguere ſui temporis, qui macerabant initio fame ægros. Meam autem veriſſimam eſſe ſententiam apertiſſime docet præſens contextus, in quo clariſſimis verbis Hippocrates reprehendit Medicos ſui temporis, quod in præſtanda victus ratione errarent. Habet autem hæc dictio tres partes. In prima patte reprehendit; in ſecunda excuſat eos, in tertia reſpondet excuſationi. Inquit igitur grauiter erraſſe omnes Medicos ſui temporis, qui nimium inedia macerabant duos vel tres dies indiſcriminatim ſine vllo delectu. Qui fuerint hi Medici, certiſſimum eſt, fuiſſe ex iis, qui etiam tempore Galeni erant, & appellabantur Theſſali ſectatores, vulgariter vero Diatritarii, & ſunt etiam hodie. Secunda pars, eſt vt dixi excuſatio. Inquit enim Hippocrates, excuſandos eſſe forte huiuſmodi Medicos, eo quod magnæ mutationi corporum, magna mutatio victus conuenit, ſed magna mutatio fit, vbi homines à ſanitate in morbum dilabuntur. Eapropter magna etiam mutatio cibi eſt adhibenda, quæ eſt à cibo ad inediam tranſitus. Poterant igitur hac ratione excuſari.

Cæterum ait in tertia parte, debere quidem fieri magnam mutationem victus, ſed dicit illam eſſe pedetentim faciendam non imprudenter, quemadmodum illi: quia ſtatim ab inedia deinde tranſibant ad cibum. Et in hoc errabant, quia multo maius erratum eſt exhibere ptiſanam, quam cremorem; & cremorem, quam potum. Adeo, vt concludendum ſit, hanc Hippocratis ſententiam veriſſimam eſſe erraſſe Medicos, qui primis tribus diebus ſine vllo delectu, abſque vlla prudentia, inedia ægros macerabant. Et quamquam in mutatione magna à ſanitate morbum magnam mutationem cibi faciebant, tamen errabant, quia eam imprudenter faciebant, cum magis noceat tranſire ad cibum & ptiſanam ab inedia, quā ad cremorem; & ad cremorem quam potum. Cæterum circa totam hanc ſenten-

tiam

tiam tria sunt quæstione digna: primum est, cur Hippo. damnat nonnullos Medicos, qui peccaban tin nimia inedia præscribenda ægris; non damnat autem eos qui pleniorem præscribebant, imo nullam mentionem horum facit. Præterea, cur in 1. aphor. lib. inquit, magnis morbis magna debentur remedia, hic vero dicit magnæ mutationi corporis deberi magnam mutationem victus. Tertium est, quomodo Hippocrates dicat, magis errare, qui vtuntur ptisana iis, qui vtuntur cremore ptisanæ, & magis errare eos, qui cremore ptisanæ vtuntur, illis, qui potu. Nam contrarium habet 1. aphor. lib. 5. vbi scribit: In tenui victu magis errare ægros, quam in pleno. Circa primum Galenus, qui & ipse gustauit hanc difficultatem, inquit, consuetudinem fuisse Hippocratis, detegere errores minores, grauiores autem non; quia minores non sunt ita omnibus conspicui: vt propterea cum lateant, possint facile decipere Medicos, grauiores secus, cum non lateanr. Sed hæc mihi non placent, quia dicit hic Hippocr. grauiorem esse errorem in pleno victu. quam tenui: quod, si verum esset, deberet magis detegere in pleno victu. Ipse Hippocr. si intime penetretur, tollit hanc difficultatem. Inquit enim errare omnes Medicos in nimis parum cibandis ægris. Est itaque mens Hippocratis hoc loco, persequi errores communes, non dicit omnes. Circa secundum dicendum est, nullam esse contrarietatem in Hippocrate, quia aliud est considerare magnitudinem secundum genus, aliud secundum gradus. Secundum genus, verum est simpliciter, magnis morbis magna debere remedia: si autem consideremus magnitudinem secundum gradus, magnitudo contrarii, debet tempore esse valde maior, vel saltem maior, quam magnitudo humoris peccantis. Est effatum apud Philosophos exploratissimum, ab æquali gradu non prouenire actionem. Si non proueniant actiones cum magnæ mutationi corporis, conferatur magna mutatio victus, debet hæc magnitudo corporis vt possit resistere, esse maior. Itaque addit iure, valde magnam mutationem.

Circa tertium dcendum est, aliud est loqui de cibo simpliciter, aliud, de mutatione à cibo ad cibum, vel ab inedia ad cibum. Si loquamur simpliciter, verum est, quod scribit Hippocrat. 1. aphor. lib. scilicet maiorem errorem esse in tenui victu, quam in pleno: quia in tenuiori, atteruntur magis vires, ferre non possunt, cum semper habent morbum eas frangentem. Si autem loquamur ab inedia ad cibum, certissimum est quod magis errant, qui ab inedia statim conuertunt studiū ad victum pleniorem: Eapropter dicit, magis offendi ægros à ptisana, quam à cremore; & magis à cremore, quam à potu; quia cum inedia franguntur vires, hæ fractæ multo minus læduntur ab exiguo cibo, quam à pleniori.

χρὴ δὲ καὶ ἐκ τῶν ὑγιαινόντων μαθήματα ποιέεσθαι.

oportet autem, & ex hominum adhuc sanorum.

GALEN. in expotione Hippocr. accuratissimus fuit, sed negandum non est, interdum nimiangenii lasciuia perfusum, nonnulla dixisse, qua poterant omitti; quia satis est Hip. mentem eruere. Aliqui interpretes quia literas græcas ignorarunt, sæpe longè aberrarunt ab Hippoc. mente. Nos autem breuiter perspicue & vere, quod docet vult Hipp. conabimur mōstrare. Duo itaq; dixerat in antecedentibus, scilicet mutationem omnem repentinam in victu nocere ægris, & dixerat non omnib. ægroēm viuendi rationem cōuenire. Quæ, quia sunt magni momenti in facienda medicina, conatur Hipp. hoc loco cōfirmare, s. q. habenda sit ratio hominū in victu instituendo, & habenda sit ratio mutationis repentinæ. Dicit. n. oportet ex omnib. his assumere rationē diætādi, quia in sanis refert hoc aut illo victu vtantur, tum in omni alia re, tum maxime in mutatione facienda. Quis non videt hoc multo magis referre in corporibus ægrotantibus, & maxime iis, qui tentantur morbo acuto. Quod si placeat nobis hæc συλλογιστικῶς proponere, possumus dicere, quæcunque sanis nocent, multo magis nocent ægris, sed

mutationes repentinæ nocent etiam hominib. dum sani sunt; igitur multo magis nocebũt ipsis ægris propositionem maiorem non ita clare proponit Hippoc. sed tota est comprehensa sub his verbis quando dicit, oportet autem sumere disciplinam diætandi, ab hominibus sanis. Sed circa hanc propositionem dignum est contemplatione, vtrum verum sit disciplinam diætandi ægros comparandam esse ex diæta sanorum; siquidem si statum sanitatis & ægritudinis consideremus, calor hominis sani alterius conditionis est quam ægri. Quocirca cum cibum administrando Medicus debeat semper respicere calorem manifestissimum est diuersissimam esse debere rationem diætandi sanos & ægros. Præterea Hippoc. in lib. de art. vet. dicit in principiis artis medicæ homines sponte inductos fuisse ad mutandam victus rationem ad contrarium, quasi vero cõtraria sit ratio diætandi ægros & sanos. Quomodo ergo dicit disciplinam diætandi ægros à sanis capi, & eo maxime, quia 5. aph. lib. 1. dicit sanos magis lædi à tenui victu, quam ægros? Id quod hic docet Hippoc. est, non quod ex quibusuis sanis accipienda sit hęc regula diætandi ægros: Sed vbi quispiam æger nobis occurrit, vt semper habeamus rationem eius victus, quem seruabat tempore sanitatis. Siquidem, cum varia sint hominum ingenia, varii mores, nisi prudens Medicus metiatur diætandi rationem ex more, ex statu sanitatis, sæpe fallitur. Quapropter verum dixit Hippocr. disciplinam diætandi capiendam esse ex natura, more, statuque ægrotantium, quando sanitate fruebantur. Non minor quoque dubitatio est circa minorem propositionem, quam facit Hippocr. scilicet, quod quæcunque nocent sanis, multo magis nocent ægris ipsis: non autem videtur si recte expenditur veritatem habere huiusmodi propositio. Primum, quia sani maxime læduntur ex victu præsertim tenui, imo à quolibet victu inconsueto habemus exemplum, de quo loquetur postea Hippoc. qui cum maxime vsus esset lautissima victus ratione à tenui deinde maxime lædebatur: sic carnium vsus iuuat sanos, ægros maxime lædit: multo minus etiam videtur veritatem habere in postrema parte, quæ est, mutatio repentina maxime obest ægrotantibus morbo acuto, quoniam in his non necessarium solum est conedere, sed mutare repente victum. Quare si hoc verum est, non est rationi consentaneum, laborantes morbo acuto magis lædi, quam laborantes morbo longo. Qõd ad primam dubitationem attinet, dicendum est, huiusmodi propositionem minime vniuersalem esse: Imo dicũt aliqui admodum esse probabilem, quia mutationes, si non sunt repentinæ, semper iuuant sanos, sæpe nocent ipsis ægris: Cæterm vbi sunt repẽtinæ mutationes, sicuti nocent sanis, ita multo magis nocent ægris. Quapropter nisi intelligatur, vt non loquatur de omni mutatione, sed de mutatione diætandi, non est verum quod dicit Galen. de mutatione vniuersali. Quod ad aliud dubium attinet, dicendum est etiam huiusmodi propositionem Hipp. esse ita itelligendam, vt vbi mutandus est cibus, semper debeat paulatim mutari, tam in morbis acutis, quam diuturnis. Cæterum huiusmodi mutatio semper est magis vtis paulatim facta in morbis diuturnis, quam acutis.

Ἀλλὰ μὴν εὐκαῖα μαθητόν γε ἐστὶ.

Atqui quod vitiosa victus ratio.

Dixit Hippoc. vt audiuistis, mutationem repentinam in ipsis cibis esse malam in sanis, esse deteriorem in ipsis ægris. Vt autem hæc magis confirmet, addit & maius, s. non solum omnem mutationem repentinam esse malam, sed etiam si fiat ad melius. Est autem hæc sententia Hipp. confirmata ab eod. lib. 2. aph. 50. vbi scribit, quæ consueta sunt, etsi deteriora non consuetis, tamẽ & meliorib. minus molestare solent: adeo vt verum sit quod dicit Hippoc. hoc loco, vitiosum cibũ melius esse conseruare, quam transire repente ac victum meliorẽ: Et huiusmodi propositio Hippocr. quemadmodum aliæ pleræq;, non solum valet in rebus ad vitam & sanitatem pertinentib. verum etiam ad ciuilem rerũ administrationem, quia vt est apud Dionem, solebat dicere Augustus, melius esse veteres leges seruare, quã

Augusti dicterium, veteres leges seruãda, etsi recentes meliores.

nouas

nouas ponere etiam meliores. Cæterum huiusmodi Hippo. sententia, quamquam grauis sit & plena etiam insignibus contemplationibus, nihilominus insignes dubitationes patitur. Prima est, quia qui victitant prauis cibis, certissimum est determinatum esse, vt in eo victu maneant, & nisi conuertatur ad meliorem, maxime periclitari. Audite Galen. lib. 2. de alim. facul. cap. de cucurbita: vbi scribit, pessimum esse, vt homines pergant in vsu ciborum mali succi, quia paulatim collectus prauus humor, qualibet occasione accendit febrē exitialissimam. Quare non videtur esse verum persistendum esse potius in victu consueto & malo, quam transeundum ad meliorem. Præterea Hipp. 2. aphor. 50. scribit, ad insueta oportere homines transire, & Galen. exponens hunc locum dicebat, homines variis fortunæ casibus expositos esse, ita vt nisi assuescant etiam insolitis, fieri posse, vt ob id periclitentur. Nonnulli, qui viderunt hunc nodum, dixerunt sententiam Hippoc. intelligendam esse non de quolibet victu prauo: sed duntaxat de eo, qui parum vitiosus sit, quia dixit paulo deterior cibus & potus, suauior autem melioribus quidem, sed minus suauibus, est præferendus. Veruntamen puto ego huiusmodi responsionem minime tollere posse omnes difficultates. Quapropter vt recte intelligatur, quod Hippoc. scribit, primo sciendum est, id quod scribit Hippocr. & Galen. 3. de fractur. 27. & 1. de articul. 54. hanc vocem φαυλην δίαιταν, apud veteres non significare vitiosum cibum simpliciter, sed simplicem victum, vulgarem non prauum: quasi vero sententia Hippocratis hæc sit, melius esse vt homines maneant in victu simplici, & vulgari, quam vt repente mutentur in victum etiā meliorem. Sed alius etiam est modus dissoluendi hunc nodum: qui vt recte intelligatur, in medium afferam illud quod scriptum reliquit Aristot. 28. sect. problem. 1. vbi quærens rationem, propter quam aliqui, qui intemperanter vixerunt, si conuertantur ad vitam temporalem, contabescere, vt contigit Dionysio Syracusano. Quatuor rationes proponit. Prima est, quod consuetudo est altera natura: Qui igitur mutat consuetudinem, mutat naturam: qui autem mutant naturam valde eam lædunt. Atque huic sententiæ videtur etiam opitulari Theophrast. lib. 4. de caus. plant. cap. 20. vbi quærens rationem, cur scilicet ægri, si ab hordeo ad triticum conuertantur maxime lædentur, dicit id fieri propter consuetudinem, quæ est altera natura. Alia ratio Aristotelis est, quoniam qui mutantur à vita intemperata ad temperatam, priuantur proprio alimento, siquidem antea vtebantur multo alimento, quo cum priuantur, iure contabescunt. Tertia ratio est, quia quicunque viuunt intemperanter, cumulant copiosa excrementa, qui vbi miscentur multo cibo consueto, castigantur & veluti consopiuntur: Vbi autem hæc non possunt permisceri cibo multo & consueto, in ventriculo supernatant. Vnde vapores mittunt in oculos & pulmones, atque tabem inducunt. Quarta causa est; quod cum in visceribus eorum qui intemperanter viuunt, cumulentur, vt dixi praui humores, fit vt pauco cibo cōmixti colliquētur, à calore natiuo, & fundantur in varias corporis partes, atque. Propterea tabem & alia mala inducunt. Quare apparet Aristotelem Hippocratis etiam vidisse sententiam, scilicet malum esse transire à cibo consueto etiam prauo, ad meliorem. Respondendum igitur est dubitationibus propositis, mutationes fieri posse repente aut paulatim. Si fiat repente mutatio, nocet, non quia mutatio nocet: sed illa alteratio repentina, quæ est inimica naturæ nostræ, contra si paulatim mutetur victus ad meliorem, semper iuuat: quia alteratio non nocet, vitæ autem mutatio tantum nocet. Adeo vt repentina mutatio, non ratione finis, sed mutationis noceat, & mutatio ad meliora semper proderit. Sed an mutationes paulatim factæ ad deteriora non noceant, quia Galen. 3. de simpl. med. fac. cap. 18. narrat quendam ita familiarem sibi fecisse cicutam paulatim, vt nutriretur ab ea. Præterea Auicen. lib. de viribus cordis narrat, reges Ægypti nutrisse quandam puellam napelli veneno, quo ipsa halitu alios interficeret. Quæ si vera sunt, verisimum esse arbitror, mutationes ad deteriora paulatim factas non semper nocere, imo quandoque iuuare, Auerrho. lib. de Theriaca c. 2. flagellum, vt ego soleo appellare, Medicorum, *Auerrh. flagellum Medicorum.*

dicit

dicit contrarium, quia cum venenum ſit res contraria naturæ humanæ, ſi poſſet quis ipſam nutriri veneno, nutriretur per contraria naturæ: & cum nutritio fiat per ſimilia, neceſſarium eſſet vt homo fieret venenum & non homo; cum id quod nutritur ei quod nutrit ſimile ſit. Sed dicendum arbitror, nutritionem corporis dupliciter conſiderari poſſe, pro vera nutritione, vel pro apparente. Si veram accipiamus nutritionem, fieri non poteſt, vt veneno homo vnquam nutriatur, quia ratio Auerr. grauiſſima eſt, ſed impropria & fucata nutritione accepta, poteſt eo nutriri. Appello autem fucatam, quotieſcunq; capitur res aliqua ſine detrimento, exempli gratia: Dicimus Struthiocamelum nutriri ferro, quia ita comparatum eſt à natura animal, vt ferrum illi non noceat. Ita ſi impune aliquis aliquo veſcitur, nõ eſt, quod eo nutriatur, ſed quod ab eo minimum detrimẽti patiatur. Poſſumus etiam dicere, venena alia aliquid habere alimenralis ſubſtantiæ, quia poteſt natura ex eo elicere, quicquid vtile eſt, & in ſuam ſubſtantiam conuertere,

Nutritio duplex.

ἐπεὶ καὶ τοῖσι δὶς σιτεομένοισι.

Nempe tum his qui bis die, tum illis, qui ſemel.

Continuatio præſentis dictionis, cum ſuperioribus hæc eſt: quod Hippo. ſi memoria tenetis, dixit, omnes mutationes repentinas eſſe cauendas, etiam eas, quæ fiunt ad meliora. Atque quia hæc forſan alicui dubia videri poſſent, probare conatur hoc loco ipſo ſenſu, vſu & experientia, & conſuetudine. Accipit autem hoc exemplum propter duas cauſas, tum quia ſibi propoſitum erat de victus ratione agere; tum quia nihil eſt, quod æque poſſit comprehendi ab omnibus, atque id, quod quotidie facimus: Inquit igitur Hippocrates eos, qui ſemel vel bis in die comedunt; ſi mutent lædi & debiles fieri. Addit & eos, qui prandere non conſueuerunt, ſi prandent, fieri infirmos, debiles, graues & pigros. Addit, & hos quidem propter permutationem offendi, ſed potiſſimum, ſi præter inaſſuetudinem prandendi etiam ſupercœnent. Tunc enim fiunt ipſis ructus acidi, & alui fluores. Et quia potuiſſet aliquis ſciſcitari ab Hippocr. rationem, eam ſubiungit, ſed quæ opus habet noſtra explicatione. Eſt autem hæc, fieri propterea quod ventriculus, qui non eſt aſſuetus, bis de die intumeſcere, coquere, oneratur, ſi bis intumeſcere & coquere cogatur. Hæc eſt Hippocratis ſententia, circa quam pauliſper verſandũ eſt, & primum ſcire oportet cur Hipp. hanc tem probaturus ab vſu quotidiano cœnandi & prandendi, inchoat ab iis, qui non ſunt aſſueti prandere & prandent: Nam ſemper fuerunt varia hominum ingenia; alia comedebant mane, & non veſpere; alia veſpere & non mane, alia mane & veſpere; & quod ſpeculatione dignum eſt, primum narrat errorem eorum, qui non ſunt aſſueti prandere, & prandent. Apud Græcos & Romanos, (vt videre poteſtis apud Plutarchum in ſymp.) fere omnes cœnabant, pauciſſimi prandebant. Galen. narrat, ſeſe interdum conſueuiſſe ſumere paulum cibi, quando ex laboribus in viſendis ægris defatigatus eſſet. Erat itaque hic mos apud omnes, vel ſaltem apud maximam partem, vt non prandèrent, ſed tantum cœnarent. Quare vſus eſt iure exemplo illius conſuetudinis, quæ erat in vſu apud omnes: Inquit enim cum homines non conſueti prandent, fit vt lædantur, & ſi inſuper cœnent, adhuc magis lædi dicit, quaſi velit dicere, repentinas omnes mutationes maxime offendere. Sed prius quam vlterius progrediamur, duo circa hanc rem quærenda ſunt, quomodo dicat fieri imbecillos & infirmos graues & pigros, quia imbecillitas & infirmitas, quemadmodum grauitas & pigrities ſunt idem. Præterea videndum eſt, quomodo hæc detrimenta ſequantur, ab aſſumptione prandii non conſueti.

Veterum varia conſuetudo in cibando.

Certiſſimum eſt, quod ad primum attinet, Hippocratem non vti his verbis ſine fructu; Nam ἀῤῥωστίν ſignificat minutionem roboris, ῥώμη robur, illa eſt huius priuatio quaſi vero primum damnum quod patiuntur eſt, quod amittunt robur, & propterea inquit fiunt ἄῤῥωστοι. Secundum autem, quod patiuntur eſt, quod fiunt

Ἀῤῥωστίν quid?

fiunt debiles, vox hæc ἀσθενέαται significat non solum priuationem roboris, sed debilitatem, & dispositionem quandam ad suscipiendam ægritudinem. Quid verò ad alia dicendum est? Neque illa sunt otiosa: nam pigrities seu ὀκνίη nihil aliud significat quam impotentiam quandam ad mouendum: quemadmodum ὀκνίη impigritiam, qua voce vtitur etiã Hipp. 6. Epid. Pigrities igitur est impotentia quædã ad obeundas actiones quotidianas: Grauitas est perceptio veluti oneris cuiusdam; adeo vt prius fiant infirmi, debiles; tum pigri & graues. Sed cur cõtingunt damna: atq; aliud ab Hippocrate etiam allatum, quod si supercœnent illi, fieri ructus acidos, & aluum fluidum? Quia (inquit Hippocrates) ventriculus non assuetus bis de die intumescere, neque bis de die coquere, oneratur. Nec autem magis speculemur huiusmodi rationem, allatam ab Hippocrate, illud memoria tenendum est, quod scribit Hippocrates sexto Epidem. ventriculi turbatio, est totius corporis confusio. Propterea Serenus solebat appellare ventriculum totius corporis regem, vt, prout hic bene vel male se habet, ita totum corpus: imo solebat dicere Hippocrates, similem esse mari, quod sicuti accipit aquas à toto orbe, & toti orbi refundit; ita ventriculus accipit & refundit toti corpori. Iure igitur tribuit ventriculo onerato, quia ab ipso male habente, vniuersum corpus labefactatur: quia inquit, cum non sit assuetus bis de die intumescere & coquere, intumescit & oneratur. Vnde fit imbecillitas & grauitas. Ex hoc loco potestis colligere coctionem nunquam fieri citra calorem ipsius ventriculi, & vbi distenditur ventriculus à nimio cibo, fatigat hominem. Sed non semper sentitur, interdum sentitur nescio quid: & hoc est, quod ægri sæpe dicunt, nescire sese quid habeant, scilicet, cum distenduntur à cibo vel flatu: sed non solum distenditur ventriculus, sed fiunt flatus, qui retenti solent molestiam aliquando non paruam inferre.

Ventriculi turbatio totius corporis confusio.

Ventriculus Rex corporis

Χρὴ γὰρ ὦν τουτέοισιν ἀντισηκῶσαι τὴν.

Conuenit itaq; his mutationem rependere.

DIXIT Hippoetates, vt audiuistis, ex inassuetudine prandendi fieri mala propter repentinas mutationes; nunc vult docere remedia, quibus liceat Medico huiusmodi detrimenta vel mutare vel saltem corrigere. Et proponit nobis quatuor remedia: primum dicit curandum esse remedium vniuersale proponere. Deinde quatuor remedia particularia. Vniuersale est, vt hæc mutatio repentina alia mutatione recompensetur: In antecedentibus enim lectionibus dicebat, si memoria tenetis, veteres deuenisse ad mutationes repentinas, quia existimabant mutationibus corporum à sanitate ad morbum, esse occurrendum magna aliqua mutatione. Dixit hoc antea; nunc vtitur eadem ratione, alia mutatione occurrendum esse. Remedia vero particularia sunt quatuor: & hæc sunt diligentissime comprehendenda. Primum est, vt dormiat eo pacto, quo dormire consueuit noctu post cœnam. Sed debet cauere æstate calorem, hyeme frigus. Sed si dormire non possit, nunquam stet, sed leues ambulationes faciat. Tertium est, vt non cœnet, aut parum quid vtile. Quartum, vt minus bibat quam consueuit, & bibat non aquosum.

Considerate quæso mirabile Hippocratis artificium, quia, quot detrimenta monstrauit ex inassuetudine prandendi, totidem remedia proponit. Sed cur Hippocrates qui sibi proposuit tractationem victus instituendi, aggreditur statim curationem? propter duas causas hoc fecit. Prima est, cum tractaret de detrimentis mutationis, æquum erat, vt etiam illius remedia doceret, & propterea inquit, oportet recompensare alia mutatione, & iure dicit alia mutatione, quia hæc non adeo erant in vsu, quia nullus dormiebat de die, vt de nocte solet, nullus ambulabat à cibo, omnes multum bibebant, nullns non cœnabat. Quæ omnia pertinent ad diætam, somnus, motus, & quies. Itaque non transit de genere ad genus, est pura tractatio victus rationis.

Examina-

Examinemus autem paulatim vnumquodq; genus. Primum, qua ratione velit, vt si quispiam offendatur, vt si pransus sit præter consuetudinem, & cœnet, dormiat à prandio, quemadmodum solet facere nocte: quia scriptum habemus in Schola Salernitana, sit breuis aut nullus tibi somnus meridianus. Puto ego notum esse vobis, quod triplex sit somnus, breuis, longus, medioctis: breuis somnus indulgendus est omnibus sanitate fruentibus, quia tantisper indulgendus est, donec cibus descenderit, & vapores qui eleuantur ad caput dissipentur, quod cum fit breui tempore, eapropter iure laudatur somnus breuis post prandium. Longus somnus etiam iis commendatur qui male concoquunt, quia tantisper concedi potest, donec consummata sit toto cibi concoctio, quod non potest fieri sine somno: Nam si quid quã est, quod facit ad coctionem iuuandam, est somnus, & propterea dicebat Hipp. 2. aph. lib. hyeme multo egemus alimento propter somnos longissimos. Ita intelligẽdus est Hipp. 2. de rat. vict. acut. & Paul. Ægin. lib. 1. c. 97. qui laudat somnum longum à cibo, in illis qui concoquere difficulter possunt. Sed de somno mediocri illud statuendum est, semper pernitiosissimum eum esse, quia expergiscuntur quo tempore inchoata est concoctio. Vnde perturbatur, & fiunt ructus acidi, flatusque. Quare permutationem à nocte ad diem, & à die ad noctem præcipit Hippocrates. Si quis pransus sit præter consuetudinem & cœnatus. Sed cur præcipit æstate calorem, hyeme frigus esse cauendum? Quia vtrunque dissoluit nimium vires, & propterea dormientibus maxime nocet. Est secundum remedium, vt si dormire non potest, ambulet. Sed primum videre oportet, vtrum vtile sit ambulare à cibo, quod videtur inferre. Ex vna parte est ratio, quia quæcunque augent calorem natiuum, iuuant coctionem. Motus auget calorem natiuum, ergo motus iuuat coctionem. Quod autem calor à motu augeatur compertissimum est. Præterea est auctoritas Aristotelis 2. poster. cap. 21. vbi dicit, quod sanum est ambulare post cœnam, quia facit descendere cibum in fundum ventriculi, vbi coquitur. Sed ex alia parte est clarissima Galeni ratio, qui in lib. de cib. boni & mali succi, c. 2. inquit, quod, sicuti motus ante cibũ vtilissimus est, ita post cibum est malus. Neque valet quod Galen. eo loco loquatur de motu magno, quia dicit, πᾶσα κίνησις, omnis motus: Respondendum est, motum omnem à cibo esse pernitiosum ipsi coctioni, eo, quod ex motu fit distractio caloris natiui à centro ad peripheriam, quod malum est. Præterea coctio omnis fit quiete. Itaque motus omnis coctioni incommodat. Sed cur ergo Hippocrates commendat motum? Præcipit ille ad corpus emendandum, & tuendum, non ad tuendam valetudinem: & propterea dicit, vtendum esse ambulationibus lentis & multis, vt descendat cibus. Sed cur dicit non standum esse? Est præceptum in Schola Salernitana, post cibum esse standum. Ea propter noluit etiam vt fieret permutatio subita, vt non statent: sed est etiam alia ratio, quare languentibus stomacho noceat stare, quia vbi homines stant, omnes musculi contenduntur, vt erigant corpus. In hac musculorum contentione fit, vt comprimatur ventriculus. Ventriculus repletus præter consuetudinem, vbi comprimitur, magnopere grauatur, & detrimentum patitur. Aristot. 6. part. problem. 3. quærens rationem, propter quam facilius inflexi, quam extensi dormiamus, inquit esse, quia in eo, qui extensus iacet, omnia vasa distenduntur, & nullus flatibus relinquitur locus. Secus fit vbi aliquis inflexus iacet. Eadem ratione nos vti possumus, quod vbi totum corpus extensum manet, replentur omnia vasa, vt non relinquatur locus flatibus. Postremo inquit, non esse cœnandum vel parum; quia hæc est etiam mutatio contraria mutationi prædictæ. Aliter enim fiebant ructus acicidi & fluores alui corrupto, excretoque cibo à natura.

Breuis somnus meridianus cur vtilis.

Mediocris somnus meridianus semper nocet.

An à sumto cibo ambulare vtile sit.

Galen. cum Hippoc. conciliati.

Stare à cibo quid noceat, & cur.

Hinc oportet, vt non cœnetur, quo scilicet possit prandium insuetum magis coqui & distribui: Aut, dicebat, cœnandum parum, vt non impediat distributionem prandii. At postremo, esse bibendum, sed non aquosum, ne supernatet nimis, ne impediat prandium assumptum. Sed cur dicit non aquosum, non autem dicit, vinum merum non bibendum esse. Vbi ex prandio insueto facta est cruditas, debe-

tas, debet paulisper calefieri, vt possit cruditas illa emendari. Atque hoc fit vino, quia calefacit. Sed cur dicit non aquosum? quia vbi vires ventriculi sunt infirmæ, atque nocet vinum aquosum, atque generosum. Et propterea sicut illud nocet refrigerando, ita hoc vires debilitando. Itaque laudat, quod possit calefacere, & non lædere vires.

Subiungit, hæc quæ dixi detrimenta contingere, qui bis de die præter consuetudinem cibum sumunt, & multo magis qui ter, nisi tamen sint assueti, vt Galli omnes, qui non læduntur propter assuetudinem. Sed quis hæc ignorat, dicat aliquis? Si damnum accidat, propterea quod bis comedatur, multo maius sequi, si ter vel quater. Dicit Hippocrates, hoc propter consuetudinem nonnullorum, qui quater de die comedebant. Nam in his id fieri quidem potest. Sed quia aliqui possent etiam propter consuetudinem aliorum in hos errores incidere, hæc annectit, ne decipiantur consuetudine aliorum in sumendo bis, ter, vel quater de die cibum.

Ἀλλὰ μὴν καὶ οἱ μεμαθηκότες.

Præterea qui bis de die cibum sumere consueuerunt.

DIXI tam apud Græcos quam apud Romanos, quatuor genera hominum fuisse. Alii enim cœnabant tantum, nec prandebant. Atque hi plurimi erant: Alii cœnabant simul & prandebant. Atque isti etiam non pauci erant: alii non cœnabant, sed prandebant tantum, qui pauci erant: alii ter, & quater de die cibum sumebant, sed hi erant paucissimi. Inter hos errabant maxime qui cœnabant tantum, & qui cœnabant & prandebant. Vnde Hippocrates hac de re vtilia præcepta traditurus, de his erroribus qui in frequenti vsu erant, sermonem habet. In præcedenti oratione docuit nos Hippocrates, quæ damna sequantur illos, qui præter consuetudinem prandent; & qui cœnare consueuerunt, atq; non cœnant, & deinde ad prandium importune transeunt.

Nunc loquitur de illis, qui prandere solent & cœnare, & prandium omittunt, atque ad cœnam importune transeunt. Adeo vt scopus Hippocratis sit docere mala quæ sequuntur illos, qui soliti sunt prandere & prandium omittunt. Videamus ergo quæ illa sint mala. Dicit eos qui dimittunt prandium solitum, fieri imbecillos, inualidos, cardialgicos, timidos ad omne opus, pendere ipsis viscera, mingere calidum, vrinam viridem, exiccari fœces, refrigerari extrema. Addit etiã aliquibus pulsare tempora, cauari oculos, & os amarescere. Aliquos etiam dimittentes importune prandium, non posse cœnare, grauari, & non posse noctu quiescere.

Nihil miremini, ita prolixum esse in his malis recensendis, quia agitur res aduersus Medicos nobiles, præterquam quod vsque adeo vtilis sit & necessaria hæc tractatio, vt opus sit multis verbis. Sed dicet aliquis, quomodo fieri potest, vt ab vno minimo errore vnius diei, vt docet Hippocrates, hoc est, dimissione prandii tot mala sequantur? Dupliciter responderi potest: primum non dicere quod hæc mala fiant simul, sed separatim, quia secundum corporis dispositionem vnum alteri detrimentum solet accidere. Possumus etiam respondere, quod si vt Hippocr. 3. Epidem. dicit, filia Themonis interiit, quia intempestiue cœnauit, multo magis id fieri possit ab intempestiua dimissione prandii. Nunc videamus, quæ sit ratio, q̃ fiant debiles & inualidi qui prãdium consuetũ omittunt. Iam alias docui, calorẽ natiuum esse organum omnium facultatũ nostri corporis. Quare imminuto calore natiuo, necessario minuuntur omnes facultes; vnde cum ex inedia imminuitur calor natiuus, iure fiunt imbecilles, ab imbecilliore facultate nostri corporis reddit. *Calor natiuus omnium corporis actionum opifex.*

Addit fieri timidos, cuius rei ratio non ita constat apud interpretes: Aliqui dicunt, quod cum isti qui dimittunt prandium consuetum, censeant sese debiles

esse non audent aggredi opus, & propterea timidi fiunt. Alii dicunt, quod in his collecti spiritus circa cor, timorem animi inducunt. Sed hæc mihi sententia minime placet, quia confluxus spirituum ad cor inducit calorem, à quo non fit timor, sed à frigidiore corde, præterea Apollonius lib. de mirabilibus scribit ex sententia Aristotelis, in quæstionibus naturalibus, μονοσιτοῦντας habere mores amarulentos: μονοσιτοῦντες sunt ii, qui semel duntaxat de die comedunt, vnde Dalecampius in notis ad Athenæum maxime errauit, vbi dicit, significare eos, qui semel tantũ in die cœnant. Quapropter multo satius est si dicamus, hos fieri timidos hac ratione, quia iis, qui prandere consueuerunt, si omittant prandium, colligitur ingens prauorum humorum colluuies in ventriculo, à quibus roditur os illius indeque timor suboritur. Videte Galenum libro sexto, de plac. Hippocratis & Platonis, & libro tertio de demonstrationibus, qui citatur apud Gregorium Nyzenum, vbi dicit, os ventriculi esse instrumentum timoris & mœroris. Et hæc est causa, propter quam inquit Hippocrat. hos fieri cardialgicos, quia praui humores mordentes os ventriculi, anxietates, dolores, timores, & cardialgias inducunt. Addit Hippocrates, videri his viscera pendere, qui prandium consuetum omittunt. Galen. 31. contex. 2. libro scribit, nonnulla ad hanc rem maxime facientia, scilicet alios esse ventriculo amplo, alios angusto. Qui habent amplum ventriculum inquit, coarctari intestina, siue sit plenus, siue vacuus. Cæterum qui habent exiguum & breuem, sit sit plenus, coarctantur viscera, vt non videantur pendere, si non sit plenus, pendere videntur non coarctata.

Videntur hæc quidem vero esse similia, sed tamen mihi non placet hæc ratio, quia paucissimi sunt ventriculo vsque adeo angusto. Plinius libro vigesimo sexto, cap. quinto, citat Hippocratem eo, quod dixerat, non prandentium exta senescere: citat hæc verba Hippocratis, iuraremque Plinium designasse nobis hunc locum, quia apud Hippocr. non licet alio loco reperire. Sed qui hæc cohærent, senescere & pendere? super hanc rem diu cogitaui, & tria mihi succurrebant dicenda: Vnum est, Plinium potuisse legere loco κρεμᾶσθαι χηρᾶσθαι. Sunt enim voces admodum similes. Aliud, apud Plinium non legendum senescere, sed siccesse. Audite Hippocratem vbi dicit exsiccari intestina, astringi aluum, quia depopulatur calor humidum. Aliud apud Plinium senescere idem esse, quod & pendere & siccare. Igitur quid vult dicere Hippocrates, inquiens videri pendere intestina? Nihil aliud vult dicere quam exiccari & ita videri pendere.

Examinatio loci Pliniani.

Addit, his qui dimittunt prandium consuetũ, comburi fœces, reddi calidam vrinã & viridem. Sed quod hoc est monstrũ, quasi cibus refrigeret, & inedia calefaciat: Hoc rationi & vsui videtur esse contrariũ. Rationi, quia cibus quicunq; sit, auget alimentum, & consequenter sanguinem & calorem natiuum. Inedia contrarium facit. Nam cum minuat calorem natiuum, quomodo potest vrinam reddere calidam, & comburere fœces? Vsui etiam repugnat: quia nemo est qui nesciat corpora semper frigidiora esse, quæ ieiuna sunt. Aristoteles de iuuentut. & senect. cap. postremo, nec non etiam duodecima sect. problem. 7. & 35. scribit, cibum vbi ingeritur in corpora refrigerare: ieiunium autem calefacere, exsiccare, sitim inducere: adeo vt concors sit Aristotelis sententia Hippocratis: Causam afferens Aristoteles dicit, quod aer, qui in ventriculo vacuo continetur, vbi manet quietus, calefit, & ita vt etiam igneatur. Propter quod ieiunantium ora fœtere solent, quia aer calefit, à quiete putrescit, & fœtorem contrahit. Igitur si hoc verum est, patere puto, qua ratione Hippocrates dicat, non prandentium vrinas reddi calidas, & fœces comburi, quia aer vt in ventriculo ita in intestinis & vesica quietus manens, calescit, & vrinam fœcesque calefacit aduritque. Sed quomodo dicit, vrinas fieri virides? Huius etiam euidentissima est ratio, quia in ieiunantibus bilis augetur ab augmento caloris, quæ diffusa in vesica, commixtaque vrinæ, reddit eam viridem.

Nam

Nam illud esse satis manifestum arbitror: sicut, si crocus misceatur aquæ facit colorem viridem, & hac ratione refrigcrantur etiam extrema, hebetato calore natiuo, confluente bile ad vesicam & intestina.

ἐστὶ δὲ οἷσι καὶ τὸ στόμα πικραίνεται.

Sunt quibus os amarescit.

PRosequitur Hipp. enarrare, quibus malis tentẽtur illi; qui dimittunt prandium præter consuetudinem: & inter cętera inquit esse, quod aliquibus os amarescit, oculi cauantur, tempora pulsitant, & extrema refrigerantur. Dixit non sine ratione, aliquibus os amatescere: quia non omnes hoc patiuntur propter ieiunium, sed illi tantum qui biliosi sunt, quia magis exasperatur, & amarior apparet. In pituitosis. Pituita in ieiunio concoquitur. Quare in his non amarescit os. Sed cur dixit, amarescere os, non autem salsescere, quia nonnullis ex ieiunio sallus sapor oritur? præterea sicut aqua quo magis feruet, eo salsior fit, ita cibus & humores magis per ieiunium cocti, sallescunt potius. Puto Hippocratem potissimum erroris meminisse, tum quia huiusmodi sapor ex ieiunio frequenrior est; tum quia videtur locutus esse de his, qui natura sua sunt biliosi. Quamquam existimare possumus, nomine amaroris, etiam salsedinem comprehendisse, quia omnia amara prius salsa sunt. Inquit etiam Hippocrates, iis tempora palpitare. Galenus attribuit hoc caloris natiui augmento, imo conuersioni eius in calorem præter naturam. Sed quamquam hoc verum sit, non est tamen immediata causa: quia vapores tolluntur in cerebrum, qui per venas atque arterias sublati, dum huc atque illuc mouentur, palpitationem faciunt. Et notate, eo magis solere palpitare tempora, quia hæc pars est magis infirma quod Aristoteles lib. de colorib. & de part. animal. dicit, inquiens, citius putrescere, quia partes sunt infirmiores. Dicit quoque Hippocrates oculos cauari. Quæ sententia ingeniis facile dubia videri posset: siquidem cauitas oculorum, vt dicit Hippocr. primo Progn. solet esse certissimum signum consumpti humoris vitalis, quia inter signa cadauerosę faciei præcipuum locum obtinent oculi caui. Quomodo ergo possunt hi vna die cauari? Dico duplicem esse cauitatem; ingentem & exiguam: Ingens à consumptione humoris totius corporis, à grauibus morbis. Modica fit inedia, dimissione prandii, quia oculi constant ex partibus mollibus, quæ facile liquantur, tum quia hi spiritibus animalibus pleni sunt, vt inqnit Hippocrates sexto Epidem. commen. 4. text. 28. qui facile consummuntur: quibus consumptis subsidenr & cauantur. Et notate illud verissimum esse, quod scribit Plinius libro vndecimo, cap. trigesimoseptimo, inter omnes corporis nostri partes, oculos primo omnium mori, postremo omniũ conformari, quemadmodum certum est cor primo omnium conformari, postremo omnium mori: quia illi ex partibus mollibus constant, & spiritibus, quæ facile consummuntur. Igirur videre potestis, quam vere dixerit, ex dimissione prandii consueti oculos cauari. Dixit etiam extrema frigere, desetta à calore natiuo, qui ad vesicam intestinaque recessit.

Quibusnam à ieiunio os amarescat?

Oculos omnium primo mori, postremo formari, contraq. cor.

Καὶ οἱ μὲν πλεῖστοι τῶν ἀνηριστηκότων:

Plurimi quoq; horum qui pransi non sunt.

ADDIT Hippocrates alia damna, quæ comitantur dimissionem prandii consueti. Primum est, quod plurimi cœnare non possunt. Sed quo vultu hoc dicit, experientia contraria est: si quispiam dimittat prandium, multo auidius comedit vespere. Sunr sententiæ Hippocratis admirabiles sane, sed nõ sine ratione aliqua scriptæ. Hippocrates hæc quæ dixit de dimissa consuetudine prandii, de corporibus quæ vere sana sunt, intelligi vult. Hæc vt plurimũ læduntur à ieiunio. Quo argumento inducor vt credam, ieiunium Christi 40. dierum non fuisse naturale, quia corpus illius erat sanissimum. Sani non ferunt diu ieiunium. Sed cur

Christi ieiunium nõ naturale fuit.

cœnare nequeunt qui prandium consuetum sumere omiserunt? Duplex est causa, non significata ab Hippocrate, sed à Galeno: Prima est, quia vbi omissum est prandium consuetum, cum habeat, quisquis sit, calorem robustum, semper operarur, & quia humor non est proximus, attrahit alium in ventriculum, vnde fames euanescit. Est & alia ratio, quia vbi quispiam prandium consnetum omittit & sanus est, intestina non repleta humore, aut flatu, aut cibo necessario coarctantur, constrictaque famem destruunt. Vnde Gell. lib. 16. & cap. 3. ex sententia Erasistrati scribit, Scythas populos in bellum ituros consueuisse arctissime stringere intestina, quoties diu vellent ieiunare. Quare iure dicit Hippo. non cœnare vespere multos, qui prandium omiserunt. Sed cur vsus contrarium probat? Quia pleriq; hodie maleualent, & nemo est, qui non babeat ventriculũ crudis humorib. & cibis hesternis repletum. Et addit, quod si forte cœnent, grauati, & non posse dormire noctu. Et hoc etiam vsu ipso compertum est, non respondere veritati; sed alia ratione quia nostri non dormiunt, quia nimis cœnarnnt. Sed quod Hippocrates inquit, aliud est grauari, & dormire non posse, illic loquitur de hominibus sanis. Intestina enim in his conniuent, vnde cibus non potest peruenire ad intestina, qui retentus, velut onus grauitatem inducit, & propter pondus, dormire non sinit. Galen. enim lib. de mot. muscul. reddens causam, propter quam illi, laborant stomacho, non possunt quiescere, dicit fieri, quia neqneunt morficato ore ventriculi vno eodemq; loco manere. Idem fit in illis, qui prandium solitum dimiserunt, cœnanrque. Et adeo hoc verum est vt Hippocrates dicat lib. de loc. in homine, eos qui post inediam comedunt nimium, interire etiam quod egomet vidi.

ὁκότε γοῦν ταῦτα τοιάυτα γίνεται.

Cum ergo talia sanis contingant.

HÆc dictio, si libere loqui licet, est admodum confusa, adeo vt occasionem dederit nonnullis existimandi esse mendosam, sed placuit mihi semper in re dubia Galenus: sententiam sequi, adeo vt hic nihil aliud dicat, nisi, si propter errorem vnius dimidii diei mutata consuetudo, vsque adeo nocet sanis, sequitur nihil temere adiiciendum, nihil temere detrahendum. Sed cur dicit nihil temere adiiciendum, detrahendumue? Vt faciat generaliorem orationem, quia dixit lib. de flatib. medicinam esse adiectionem, & subtractionem; quasi dicat, si error adeo nocet sanis, sequitur omnem mutationem in medicina esse vitandam, quæ fit vel adiectione vel detractione. Aliud quod dicit est: primo damnum ingens sequitur eos, qui dimisso prandio cœnant. Sequitur maius, si multum cœnent, & adhuc maius, si plurimum cœnent, & prius diu ieiunarint: adeo vt velit, quo plus quis ieiunat, & deinde plus cibi sumat, eo maius detrimentum sequi: quia, quo diutius inedia sustinetur, eo magis hebetatur calor, qui deinde ab onere ciborum magis fatescit. Vnde videte, quam grauiter peccent omnes, qui existimant, si quispiam dimiserit prandium, melius esse, vt vberius cœnet.

εἰ τοίνυν ἔστι ὁ παρὰ τὸ ἔθος.

Quibus ergo præter consuetudinem.

INTER errata, quæ in victu committunrur, vt audiuistis, præcipuum indicauit illud, quod & in consuetudine præter rarionem mutata, & in quantitate ciborum collocatum est: eapropter iure Hippocrat. monendos esse omnes voluit, quæ mala huiusmodi errata consequi solent. Verum non contentus detegere errores, & errorum detrimenta, placuit etiam simul, quo pacto hæc detrimenta corrigere & euitare possimus, adiungere, ita vt scopus illius hac dictione sit docere, quo pacto liceat errores à mutata consuetudine corrigere, & euitare: Dicit itaque vbi præter naturam

naturam sunt exinanita vasa, hoc est, vbi inedia affuit, eodem die conandum est, ἀντιποιηκῶσαι, hoc est, recompensare, & resarcite illud detrimentum quod illatum est. Sed quid vult dicere, Hippocrates, eadem die esse resarciendum. Nam quid mali potest afferre error vnius diei? nullum, aut exiguum. Igitur vult dicere eadem die, qua Medicus certior est victus erroris commissi, conabitur resarcire. Quomodo autem debeat hoc facere, docet luculentissimis verbis quatuor documentis. Primum est, vt is, qui præter consuetudinem dimisit prandium, fugiat frigus, æstum, labores. Secundum est, vt is qui dimisit prandium, statim bibat non aquosum, atque proportio cibi & potus sit vna & eadem, ita vt potus sit semper proportionatus ipsi cibo. Tertium est, vt multo minus cœnet, qui dimisit prandium, quam consueuit. Quartum est ad prandium consuetum, id faciendum sit ἐκ περιαγωγῆς. Sed examinemus singula.

Illis qui dimittunt prandium, hebetatur facultas totius corporis: quæ cum sit languida, facile ab omnibus extremis mirum in modum lædi solet. Quare dicit, fugiendum frigus & æstum. Sed cur potissimum hæc duo commemorat. Causa huius rei est ea, quam attulit Aristoteles 2. de part. animal. cap. 2. vbi disputans de calido & frigido, dicit, has esse maxime actiuas, & sensibus nostris obuias & apparentes qualitates. Cæterum hoc loco dubitare licet, cum inedia & dimissio prandii lædant etiam in æstu, & in frigore, vt propter hæc fugienda sint, quid magis lædat, frigusne, an æstus? Ex vna parte videtur inedia magis lædere hyeme, quia tum temporis ventres sunt calidiores, & opus habent pluri alimento, vt dicit Hippocrates primo Aphorismorum lib. & si egemus pluri cibo, debemus minus ieiunare. Et Aristoteles prima sect. problem. 40. dicit, parsimoniam cibi omni tempore vtilem esse, sed maxime æstate. Itaque tutius videtur esse, dimittere prandium æstate, quam hyeme. Ex altera parte est ratio. Nam eo tempore videmus posse magis dimittere prandium, quando magis valemus, robustiores que sumus. At hyeme magis robur nobis adest. Ergo hyeme magis ferimus ieiunium. Quod autem illis, quibus vires sunt robustæ, minus cibi conuenit, aperte apud Galenum 1. ad Glauc. habemus. Itaque tempore æstatis viribus languentibus non possumus dimittere prandium melius quam hyeme. In hac difficultate dicendum est, in temporibus temperatis, cuiusmodi est ver, facilius & tutius possunt homines prandium dimittere, quam aliis temporibus, quia vires à nullo extremo lædi possunt, & ita valent, vt ferant dimissionem prandii. Hinc recte olim tempus quadragesimale institutum est tempore veris. Vnde impudentissimum Fuschsium non possum satis damnare, quod debacchatus sit in Ecclesiam Romanam, quæ instituit ieiunia hoc tempore. De aliis temporibus sum huius sententiæ, licere magis ieiunare tempore hyemis, quam æstatis; quia æstate longiores sunt dies: cum longiores sunt dies, magis languescunt vires à ieiunio; prærerea ieiunium exsiccat. Si exiccat, ergo magis exiccat æstate. Contra noctes sunt hyeme longissimæ. Sed quid dicemus ad authoritates? Fateor, hyeme vires magis valere. Sed non est verum, tunc pluri cibo indigere; quia pituita tunc temporis magis abundat, quæ potest coqui & in alimentum conuerti. Quod ad Aristotelem attinet, possumus dicere ipsum non dixisse verum. Sed vt tueamur: in summo æstatis verum est, quia tum exiccantur & languent, vt propterea non possint multum coquere, sed in principio & fine aliter se res omnino habet. Ad Galenum dicendum est, aliud est loqui de sanis, aliud de ægris. Id quod dicit, de ægris est, scilicet vbi ægri valent, tunc parum cibi posse concedi, minusque quam si languent. Contra est in sanis, hyeme cum semper habeant humores ad alimentum aptos. Sed de his satis hoc loco. Dicit etiam fugiendum esse laborem nimium illis, qui dimittunt prandium consuetum. Sed dubitet aliquis, cum Galenus lib. de cib. boni & mali succi, cap. 2. dicat, semper laborandum esse ieiuno stomacho, his fere verbis: omnis motus ante cibum est bonus: post cibum vero, est malus, Quid ergo dicit vbi dimittitur prandium nō esse laborandum: Dupliciter respon-

Inedia plusne æstate quam hyeme lædat.

Tēpus quadragesimale cur Vere institutum.

Fuschsius damnatur.

Arist. ratio quomodo consistat.

Pulcra Gal. conciliatio.

deri potest, aliud esse laborare post inediam, aliud post cibum confectum. Quia post cibum confectum, bonus est, quia distributioni non parum auxiliatur. Vel dicimus laborem differentem esse à motu & exercitatione. Labor est immodicus motus: exercitium vero moderatus. Ab inedia non est laborandum, quia est Apollinis, ὅπȣ λιμὸς, ȣ̓ δεῖ πονέειν, vbi fames, laborandum non est. Est secundum documentum, vt illi, qui dimiserunt prandium, multo minus cœnent, quam consueuerunt, & cœna humida sit. Sed dù boni, qui illud est? primo, ratio refragatur. Nam cum vasa exinaniuntur ab inedia, magis id fiet ab exigua cœna: Præterea ipsi vsui quotidiano repugnat, quia, quis est, qui dimisso prandio, aut parciore habito non largius cœnet? Dico Hippocratis præceptum omni admiratione dignissimum esse, & vtilissimum, siquidem si examinemus causas, ob dimissionem prandii vires languidæ sunt; certissimum est si cœna sit vel æqualis consuetudo, vel maior, fore vt vires languidæ minime suistineant onus cibi.

Quare non valet ratio, quia magis exinaniuntur ab exigua cœna imo magis replentur concoctione illius quod assumptum est, facta. Neque vsus repugnat, quia pessimus reuera est. Sed cur vult esse humidam? quia cibus humidus & sorbilis facilius coquitur in languido stomacho. Præterea est etiam alia ratio quoniam cibus humidus corrigit siccitatem inductam à ieiunio.

Tertium documentum est, vt illi qui dimiserunt prandium, non bibant aquosum, & potus sit proportionatus cibo ingesto. Quod Hippocrates prohibeat vinum aquosum est rationi consentaneum, quia vires languidas minime recreat. Neque etiam generosum conuenit, quia vires debiles maxime percellit. Quapropter iure dicit, non aquosum. Non voluit dicere merum; quia satis est non esse aquosum. Ex quo intelligere potestis, quam grauiter peccanit, qui dicit intelligendum esse de mero. Est antem album tenue, quod mentem non percutit.

Addit Hippocrates debere esse proportionatum potum cibo ingesto. Sed cur hoc loco præceptu dat, quid conuenit omni victus rationi? Quia semper studendum est, vt cibus & potus sint proportionata. Nam si potus sit copiosior cibo, fluctuat. Vnde ægritudines inducit. Pari pacto, si potus sit minor cibo ingesto, offendit, quia non potest eliquari & fundi in vniuerso corpore. Quia videbat illos, qui ieiunant, solere magnopere exiccari, & siccitas inducit sitim, ne decipiantur à siti. Voluit hoc annotare.

Sed dicet aliquis, quæ est hæc proportio cibi & potus inter se? Nonnulli existimant potum esse permixtiuum & delatiuum: sed falluntur, quia vnus est naturæ finis, vt cibus eliquaretur, & diffunderetur in vniuerso corporis ambitu. Inepte illi alii dicunt, debere esse mole & pondere æquali: sed variæ sunt hominum temperamenta: alii plus potus egent quam cibi: à quo magis pinguescunt: imo Athenæus scribit nonnullos solo potu vixisse. Alii pluri cibi egent. A nemine fuit hæc proportio explicata, quia definitio huius mensuræ dependet ex iudicio ipsorum ægrotorum. Dicebat enim Hippocrat. lib. de loc. in homine, debere homines, qui prudentes sunt, didicisse longa experientia, quæ sibi prosunt & nocent. Itaque quisque hoc debet obseruare ex offensione maiore vel minore à potu ciboue, hac illaque quantitate. Hoc 4. lib. de tuend. valetud. voluit significari inquiens, modo plus, modo minus aceti oxymeliti imponi. Sed vtrum potandum est post cibum, an ante? est indifferens. Placet mihi, vt potus sumatur inter cibum quam à cibo, & ante illum: Et propterea nunquam mihi placuit Auicenni sententia. Video enim veteres in more habuisse bis ter, quinquies, nunquam quater bibere.

Quidam solo potu vitā protraxerūt

An ante vel post cibum bibendum.

Quoties bibendum.

Καὶ τῇ ὑστερέῃ ὀλίγα ἀριστήσαι.

Postera autem die parum prandeat.

QVartum & postremum documentum erat, vt qui dimittunt prandium consuetum, & ad consuetudinem redire velint, nequaquam faciant id subito, sed paulatim ἐκ προσαγωγῆς, siquidem omnis mutatio repentina naturæ nocet: vt propterea iure Hippocrates semper hoc præcipiat, ne scilicet subitæ mutationes fiant. Et notate hoc, omnino, oracula Hippocratis tantam vim habere, vt nulla sit ars, nulla disciplina, quæ ea non sumit mutua. Et hæc ipsa sententia in vsu est apud omnes. Videte Aristot. 5. Politicor, vbi dicit ἐκ προσαγωγῆς faciendam esse mutationem. Quare inquit Hippocrates, qui dimittere consuetudinem coactus, ad eam redire conatur, debet illud paulatim agere: postera die parum comedendo, de dieque in diem augendo. *Mutatio subita periculosa.*

Αὐτοὶ μέν τοι σφῶν αὐτῶν δυσφορώτεροι.

Talia vero mala.

AVdiuistis, quæ mala dixerit Hippocrates consequi eos, qui dimittunt prandium consuetum. Præterea quo pacto mala, quæ consequuntur, corrigantur, & quia sunt varia temperamenta, mores & ingenia, æquum est existimare, nõ posse eadem detrimenta omnes pati. Hoc cum animaduertisset Hippocrat. noster, non contentus docuisse, quæ damna in vniuersum sequantur, voluit in præsenti dictione docere nos, quæ corpora magis vel minus patiuntur. Et vt hoc sciatis, proponit sibi duo temperamenta examinanda biliosa & pituitosa, vt cognitis horum differentiis, de reliquis idem iudicium fiat. Sed dubitet aliquis, cur Hippocrates solum meminit temperamenti biliosi & pituitosi, cum sint quatuor. Nam temperamentum sanguineum etiam famescit, quemadmodum etiam vt Aristoteles scribit 7. Ethicor. melancholicum. Quod ad sanguineum temperamentum spectat, Hippocrates statuit, quoniam huiusmodi complexio ita se habet ad sustinendam inediam, vt moderato modo ferat, esse relinquendum. Sed omittit melancholicos, quos scribit Aristoteles maxima fame tentari? puto ego non meminisse melancholicorum, propter duas rationes. Prima est, quia bilis, vt habemus apud Platonem in Timæo, & apud Galenum plerisque in locis significat, vtramque bilem. Sed hæc responsio mihi non placet, quia vocat Hippocrates πικροχόλους: Melancholici non laborant amara bile. Quare tutius est respondeamus, non meminisse melancholicorum, quia pituitæ nomine intelligit melancholicos. Sed quomodo hoc fieri potest? Melancholia & pituita, quantum ego intelligo, multas conditiones similes habent: primum enim melancholici omnes sunt admodum pituitosi. Nam Hippocrates lib. de morb. 4. & aliis in locis sæpe non alio nomine appellat melancholiam, quam aquæ. Ita sexto Epidem. scriptum inuenio ab eo, sanguinem melancholicum esse ὑδατώδες, hoc est aquosum. Cum omnes melancholici semper crudis humoribus abundent, quia melancholia est humor maxime aduersus calori natiuo, à quo fractus calor natiuus non potest coquere. Vnde maxima copia crudorum humorum fit. Et hinc prudenter Auicen. præcipit succum crudum & pituitosum euacuari in omni quartana, quia hoc propter melancholiam frangentem & hebetantem calorem natiuum semper abundant febre quartana laborantes. Est & aliud, quia omnes melancholici habent mineram & fomitem humoris melancholici, quia hic fit ex humore crudo & crasso. Vnde iure Hippocrates intelligit nomine pituitæ humorem melancholicum. *Pituitæ nomine apud Hippoc. melancholia quoq; interdum includitur.* *Melãcholici omnes valde pituitosi.*

Redeamus modo ad interpretationem sententiæ propositæ. Inquit, πικροχόλους, hoc est, abundantes bile acri, minime ferre ἀσιτίαν & μονοσιτίαν, hoc est, cibi omissionem, & prandii. Dixit minime comparatiue, quia confert pituitosos & biliosos simul. Nam etsi Gal. dicat 3. de alim. cap. de lacte, comparationes quas facit Hippoc. plærumq; referri ad corpora temperata, tamen hoc loco ad se inuicem referuntur.

Nn 4 Vt

Vt autem intelligatis ſententiam Hippocratis, duo inquirere oportet: Vnum eſt, qua ratione billioſi non poſſunt ferre inediam. Aliud eſt, cur Hippocrates dixerit, bilioſos ſupra, hoc eſt, eos qui ſunt bilioſi in partibus ſupernis, non poſſe ferre inediam, & dimiſſionem prandii. His enim optime intellectis, habebitis præceptum ad ſanitatem reſtaurandam & conſeruandam optimum & ſaluberrimum: quod ad primum attinet, Gale. inquit, ea de cauſa eſſe, propterea quod illis, qui dimittunt prandiū, vniuerſus corporis habitus bileſcit, quaſi vero totus corporis habitus & ventriculus ipſe ſucco bilioſo maxime repleatur. Alexan. 1. probl. 34. reddens rationem, cur bilioſis ſtatim atq; cibos ſumunt a ieiunio, rigores fiant, inquit eſſe, quia frigore cibi ingeſti propellitur bilis ad cutim, quæ tranſiens per mēbra ſenſibilia, ea percutit ferirque ſua acrimonia, & rigorem inducit, adeo vt maxime veritati conſonum ſit, iis augeri bilem ab inedia, & non poſſe ferre inediam. Sed quamquam hæc ratio vera eſſe videatur: tamen non caret dubitatione. Eapropter alia eſt adferenda. Eſt autem hæc, quia corpora bilioſa, ſunt calida & ſicca. Calidum & ſiccum conſumit, quare corpora bilioſa maxime conſumunt alimentum, vnde inediam non ferunt. Et prudentiſſime Patres, qui regulas ieiunii tradiderunt, excipiūt huiuſmodi corpora. Erat ſecundo videndum, cur potiſſimum dicat eos, qui bilioſi ſunt in partibus ſupernis, non ſuſtinere inediam. Ratio autem huius rei eſt, quia etiamſi bilioſi ferant, tamen vbi bilis exuberat in ventriculo, maxime omnium læduntur a ieiunio. Vbi enim bilis eſt in ventriculo, neque aſsiduo irrigatur a cibo, quia humor alimentalis, & frigus vbi ingeſti compeſcit bilem, vbi etiam vel parum temporis ventriculus priuatus cibo manet, bilis ſua leuitate ſurſum fertur, & vellicans os ventriculi, anxietates, dolores, aliaque mala affert. Quod ſi etiam non vellicet os ventriculi, emittet vapores ad caput, qui dolores capitis & vertigines pariunt. Quare ego ſoleo monere, vt ſemper pruna, vel aliquid ſimile guſtent, vt poſſent coercere bilem & euitare noxam. Cæterum, qui habent bilem. In aliis partibus, etiamſi non poſsint ſuſtinere inediam, poſſunt tamen melius ferre, quia in his ſemper humor ad inteſtina fertur, vbi ſtimulans facultatem expultricem, excernitur.

Picrocholi κάτω inediā melius ferūt illis, qui ἄνω.

Atque ita fit, vt excreta bile, minus detrimenti ſequatur. Hoc Galenus duorum exemplo docet: quorum alter continuo affligebatur, aliiſque anguſtiis: alter quotidie ter quaterve aluum excernebat, & conſequenter liber erat.

Τὴν δὲ ἀσιτίην τὴν παρὰ τὸ ἔθος.

Non aſſuetum autem cibi abſtinentiam.

DIXI vobis Hippocratem comparare inter ſeſe bilioſos & pituitoſos, audiuiſtis quomodo dixit bilioſos, & maxime in ſupernis partibus minus ferre poſſe inediam. Nunc facta comparatione pituitoſorum ad bilioſos, dicit hos magis ferre ἀσιτίαν & μονοσιτίαν. Sed dicet aliquis, cur loquens de bilioſis, nō commemorat ἀσιτίαν. Hippocrates, qui nunquam ſine ratione loquitur, hoc fecit, quia bilioſi nequeunt ferre inediam: pituitoſi etiam ferunt omnem abſtinentiam cibi. Sed vtrumne ſemper poſſunt ferre pituitoſi abſtinentiam cibi? Dupliciter reſponderi poteſt: vno pacto, Hippocratem intelligere de abſtinentia vnius diei, quaſi bilioſi non poſſint ſine euidenti detrimento ferre abſtinentiam ab omni cibo integra die. Pituitoſi vero poſſunt. Alia ratione reſpondere poſſumus authoritate Hippocratis in fine lib. de loc. in homine, vbi dicit poſſe hominem viuere ſine cibo ad ſeptimam diem, quamquam Plinius: dicit, vltra vndecimam nonnullos vitam protraxiſſe atque ita in pituitoſis eſſe terminum ſeptimum diem, in bilioſis, ne vnum quidem diem. Sed cur dixit pituitoſos ſupra maxime ferre inediam. Nam alias indifferenter dicit, inediam pituitoſos ferre. Præterea Hippocrates lib. de glandulis dixit, eſſe cerebrum arcem pituitæ, & omnes fatentur locum pituitæ eſſe cerebrum, & ventriculum. Quanquam dicat Galenus 3. de fac nat. nullum na-

lum naturam fecisse pituitæ receptaculum proprium, quale fecit melancholiæ,& bili imo cum nutrimentum verum paretur tantum in iecore, neque ibi conuerti possit in sanguinem, videntur multo minus pituitosi supra inediam posse ferre, quam in toto pituitosi.

Respondeo, verum quidem esse pituitosos quomodocunque facile inediam ferre, sed qui ventriculum ea oppletum habent, multo facilius cæteris illam sustinent; tum quia os ventriculi succo pituitoso oblitum minime corrugatur, vnde fames aut nulla aut exigua fit, tum quia calor natiuus stomachi hebetatus, ac veluti sopitus haudquaquam cibum sumptũ faciliter & cito concoquit. Vnde sequitur, vt nouo cibo sero egeat proptereaque famem diu sustineat. Perinde atque animalia latitantia multis mensibus absque cibis manent. Quamobrem summa ratione Hippocrates addidit, pituitosos supra facilius inediam tolerare. *Corrugatio oris ventriculi famis.*

Dicebã, si memoria tenetis pituitosos secundũ partes supernas, hoc est, ventrẽ, magis sustinere inediam propter duas causas, tum quia adimit famem, tum quia hebetat calorem natiuum. Sed dubitare licet, vtrum etiam stomachi pituitosi sustineant inediam, quia pituita stomachi nutrit. Ex vna parte non videtur posse nutrire, quia sententia est Arist.2.de partib.animal. cap.4.& 6. necnon 2.de gener. animal.cap. 4. quem etiam sequutus est Galen.aut saltem laudat 2.de aliment.cap. 5.& Auerrh.2.coll.cap. 4. Hi enim omnes videntur in hoc consentire, nihil aliud nutrire corpora nostra, nisi sanguinem. Igitur si solum sanguis nutrit, pituita quæ est in ventriculo, non nutrit, quia multũ recedit à natura sanguinis. Ex altera parte videtur nutrire posse, siquidem nisi pituita stomachi nutriret, fieri nequaquam posset, vt animalia latentia tam diu viuerent & pinguescerent: quia pituita est in stomacho. Pro solutione huius difficultatis dicendum est, pituitam posse dupliciter considerari: vel in statu suo naturali, vel in permutato. Pituita, vt pituita, nunquam nutrire potest, permutata autem potest, quia vt Galen. dicit 4. de vs. part. venæ omnes,& præsertim ventriculi facultatem habent sanguificandi. Etsi enim non habent eam facultatem sanguificandi, quam habet iecur, attamen habent etiam aliquam: quo fit, vt in summa penuria alimenti natura vtatur venis ad conuertendam pituitam in sanguinem. Vnde patet verum etiam dixisse Galenum, quando scribit ventriculum nutriri chylo, non quod chylus vt chylus nutriat, sed veluti sanguis crudus factus à venis ventriculi nutriat: hac de causa scribit Galenus tertio de fac. nat. naturam nullum locum proprium fecisse pituitæ, quia permutari, vbicunque sit, potest in venis. Itaque confici, vt redigatur ad naturam sanguinis perfecti. Bilis vel melancholia à nullis venis possunt conuerti in sanguinem perfectum vel imperfectum. *An stomachi pituita nutriat corpus. Negat.*

Sed dicet aliquis, quo pacto verum est, vt Hippocrates libro quarto, de morb. scribit, bili vnum tantum locum esse destinatum, cum Aristoteles quarto, de partibus animalium cap. secundo, bilem dicit in omnibus locis generari. *Hipp. & Arist. cõciliatio.*

Respondendum est, bilem duplicem esse, naturalem,& præter naturam, hoc est sinceram, & permixtam. Bilis permixta nullum habet locum proprium, nullum receptaculum. Cæterum sincera & pura bilis generatur in officina succorum, in iecinore tantum, & ea de causa natura ei dedit receptaculum proprium, vt iure dixerit Alexand. Aphrodis.1. problem. & lib. 4. de morb. Hippocrates, non corrodi vnquam proprium receptaculum, propter hanc familiaritatem. Galenus in comment. huius sententiæ multa præclara facit, sed inter alia vnum est, quod minime silentio præteriri debet. Scribit enim omnes cibos non solum prauos, sed etiam putatos bonos, prius conuerti in pituitam semper, quam conuertantur in sanguinem, additq; exemplum de pane, chondro, & similagine. Sed hæc sententia magnas difficultates habet.

Primum enim videtur veritati consonum esse, quia Galeni est sententia, cuius authoritas semper sancta haberi solet rataque.

Est etiam aliqua ratio, quia cum cibi valde sunt alieni à natura sanguinis, nec

natura

natura fert repentinas mutationes, sit vt prius debeant in mediam quandam naturam, cuiusmodi est pituita, conuerti. Ex altera parte non videtur hoc esse verū. Primum authoritate Galeni 6. de plac. Hippocr. cap. 6. vbi loquens de lacte (est locus memoria dignus, & forsan nullibi antea propositus) dicit, lac nutrire sine vllo ventriculi præparatione; adeo vt velit, antequam conuertatur in sanguinem, nullo pacto conuerti in pituitam. Est etiam alia ratio, quia si hoc verum esset, nihil plane reperiretur, quod posset cito nutrire; quia si cibus etiam optimus debet prius conuerti in pituitam, deinde in sanguinem, hoc exigit multum temporis, cum tamen multa sunt quæ celerrime nutriunt.

Quid dicendum est in hac difficultate? Primum memoria repetendum est, cibos alios esse natura biliosos, alios natura pituitosos, alios sanguineos, & naturam, dum tractat huiusmodi cibaria, secernere partem pituitosam à parte sanguinea. Vnde certissimum est secundum methodum Hippocratis, non semper conuerti in sanguinem, & pituitam: quia, qui sunt pituitosi cibi, conuertuntur in pituitam, qui sanguinei, in sanguinem: qui biliosi, in bilem. Quid ergo ad Galenum est dicendum? Tribus modis puto tueri posse Galeni sententiam. Primum, quod non dicit simpliciter, omnes cibos & prauos & optimos conuerti in pituitam prius, tum in sanguinem, sed bonos. Exemplo panis, chondri, & similaginis, tanquam hoc verum sit, & forsan hinc manauit sententia vulgatissima, quæ nullum certum authorem habet, repletionem panis esse pessimā, quia primo pituita fit quam sanguis. Alio pacto dicere possumus loqui tantum de cibis natura pituitosis. Nam sunt alii cibi pituitosi, alii sanguinei. Pituitosorum, alii boni sunt, alii praui. Vult ergo dicere, omnes cibos pituitosos, siue sint boni, siue sint praui; prius cōuerti in pituitam quam sanguinem; sed sequeretur, ergo, prauos cibos conuerti posse in sanguinem. Nullus est cibus ex quo non aliquid sanguinis generatur, dummodo sit cibus. Tertio possumus respondere, apud Galen. quemadmodum apud omnes pituitam dupliciter accipi solere; alio modo, pro humore quodam proprio, alio modo pro humore crudo. Si pro humore pituitoso accipiatur, falsa est senten ia Galeni, omnem cibum fieri prius pituitam. Sed si pro humore crudo accipiatur, verissima est, quia sanguis fit per coctionem, & quod coquitur, prius crudum est. Quod autem pituita accipiatur pro humore crudo, Galen. docuit lib. de multit. c. 11. & 4. de tuend. valet. cap. 4. Quod etiam nō distinguitur à pituita humor crudus, videte apud Galen. 2. de facult. nat. cap. vlt. & 1. de alim. facult. c. 2. Imo Aristo. lib. 1. de gener. anim. c. 18. non videtur cognouisse aliam pituitam, quam humorem crudum. Ex his ergo eam elicite, quæ vobis magis placet: nam omnes si recte intelligantur, verisimæ sunt.

ἱκανὸν μὲν οὖν καὶ τοῦτο σημεῖον.

Sufficiens ergo & hoc signum est, quod maximæ mutationes, quæ circa naturas & habitus fiunt, maxime morbos pariunt.

Nonnulli dicunt, nihil aliud docere velle, nisi diuersitates temperamentorum & habituū corporis, facere magnos morbos. Atq; hoc inferte ex iis, quæ dixit, superius quia dixit natura pituitosos, magis substinere inediam, quam biliosos. Sed hæc interpretatio mihi nequaquā placet, quia μεταβολὴ apud Hipp. semper significat mutationes, non differentes. Præterea diuersitates naturæ & temperamentorū nō faciunt morbos; quia, quod aliquis sit biliosus, non corripitur febre, sed habet dispositionem & aptitudinē ad suscipiēdam eam. Igitur mea sententia argumentatur hoc modo: quod si mutatio temperamenti, vt biliosi & pituitosi, maxime conducit ad sustinēdum magis vel minus inediam. Ergo magnæ mutationes circa habitum & naturam magnos morbos producent. Sed videre oporret, quid intelligat per magnas mutationes. quid per habitum & naturam. Mutationes magnæ solent semper significare mutationes aeris, vt 3. aph. lib. aph. & 6. epid. circa princip. Sic

Mutationes magnæ quid Hippoc. sint.

etiam

etiam possumus intelligere magnas mutationes non modo aeris & locorũ, verumetiam aliarum rerum non naturalium vocatarum; quia hæ mirum in modum alterent corpora nostra, & tanto magis, quando magnæ sunt, quia om̃is mutatio molesta est. Per naturam & habitum intelligit temperamentum, & hoc verissimum dogma est Hippocr. naturam nil aliud esse quam temperamentum & facultatem. Pro habitu, inquit, nihil aliud velle dicere, quam constitutionem nostri corporis, quæ constat ex debita quantitate, numero, figura, situq; partium omnium nostri corporis: quasi dicere velit secundum Galen. omnes magnas mutatitones naturas nostras & habitum corporis ita permutare, vt magni morbi inde oriantur. Quod ad temperamentũ attinet, verissimum est temperamenta, etiã ingenia nostra mirũ in modum ab omnib. mutationib. permutari. Et ideo Athenis nati, erant ingenio excellenti, vt scriptum reliquit Plato in Timæo, propter aëris egregiam constitutionem, atq; etiam Africani, vt Hippoc. lib. de aer. aq. & loc. scribit qui locus citatus ab Arist. 3. Polit. propter nullas mutationes aeris, quamquam Europæi (vt illi) non ita patiuntur tyrannidem. Igitur magnæ mutationes non solum peruertunt corpora, verum & ingenia, & inducunt morbos. Quod ad habitum attinet verissimum est, ab omnib. mutationib. maxime peruetti. Sed cur Hipp. dixit duntaxat naturas & habitus? Vt cõplecteretur omnes morbos more suo breuiter, qui morbi omnes sunt similares vel dissimilares. Similares sunt in intemperie; dissimilares circa habitum corporis.

οὐδ᾽ εἰ οἷόν τι παρὰ καιρὸν οὔτε σφοδροτάτας.

Non igitur intempestiua, neq; vedementissima.

PVtat Galen. propositam hanc dictionem è loco proprio esse translatam, & cõiungendam esse illi, quæ priorem antecedit. Quanquam ita conuerti posset, nihilominus non video cur debeamus ordinem & situm huius sententiæ mutare, siquidem æque bene posita est sententia hoc in loco, atq; si posita esset in præcedentibus. Vtcunq; sit, Hippoc in præsenti dictione nihil aliud vult, quam quod colligat & summam quandam conclusionem faciat, eorum quæ supra dixit: s. quia mutationes inconsuetæ faciunt damnum, ergo non oportet Medicum intempestiuas vasorum repletiones facere, aut inanitiones, quales repletiones fiunt quotiescunq; offertur cibus in vigore aut incendio morbi. Addit etiam opportere nullas mutationes facere, neq; ad hoc, neq; ad illud. Sed circa hæc duo animaduertenda sunt: Vnum est quid Hippo. velit dicere, quando scribit in vigore morbi, & in incendio morborum, quia vigor est tempus illud quo flagrant incendio ægri in morbis. Vt penetretis hanc Hipp. philosophiam, scire debetis, quodlibet tempus morbi principium, augmentum, statum & declinationem, tres habere partes, principinm, medium & finem. Principium status sapit naturam antecedentis augmenti: finis status similis fere est naturæ declinationis: medium status est, quod est proprium vigoris. Idem de aliis censendum est: vult ergo dicere, non esse cibum offerendum in vigore, & præsertim in medio vigoris. Atq; hæc etiam sententia relata est ab ipso Hippoc. lib. 1. aph. Sed dicetis, est ne hæc regula perpetua, vt nunquam debeamus in vigore morbi cibum offerre? Ita se res habet, vt nunquam in incẽdio vigoris debeamus cibum offerre, sed vbi ingens necessitas in vigore, quemadmodum docet Galen. lib. 10. meth. cap. 4. scilicet, quando vires vsq; adeo fractæ & languidæ sunt, vt non possint sufficere vehementiæ morbi. Est etiam alia ratio, s. quotiescunq; vehementia formidatur accidentium. Exempli gratia, si forte timeatur cardialgia vel aliquis alius affectus, debet Medicus cibos offerre, vt occurrat symptomati admodum formidabili, non solum vt vires firmentur, sed etiam vt castigetur acrimonia bilis. Sed quid vult dicere quando scribit in toto negotio? potissimum negotium Medicorum circa tria versatur, diætam chirurgiam, & pharmaciam. Vult ergo dicere, siue Medicus sit vsurus instrumentis chirurgicis, siue diætæ, siue pharmaciæ, nunquam debet facere repentinas intempestiuas & inconsuetas mutationes.

Cuiuslibet tẽporis morbi tres partes.

Operatio Medica triplex.

Huic

Huic simile est illud, quod dicit in aph. plurimum vero euacuare aut replere, calefacere & refrigerare, siue quouis alio modo mouere, periculosum. Omne enim nimis, naturæ est inimicum.

Nimium naturæ inimicum.

Πολλὰ δ' αὐτῆς ἠδελφισμένα.

Multa etiam quæ his germana circa ventrem.

Quod Hippocr. dixit, consuetudinem non esse temere mutandam, eo quod sic fiant morbi magni; cum esset summi momenti in medicina facienda, iudicauit non solum esse simpliciter proferendum, sed exemplis accõmodatissimis confirmandum: Id quod facturus est in præsenti sententia, vbi nititur demonstrare consuetum viuendi modum non esse temere mutandum: quia mutatio ad insuata magnos morbos facit. Vult autem hoc demonstrare exemplo petiro ex iis, quæ eueniunt circa ventriculum. Et hoc est, quod dixit antea, multa esse similia, ex quibus licet colligere, omnem mutationem admodum grauem esse. Sed dubitet aliquis, cur Hippoc. ad probandam hanc rem vtitur potissimum exemplo earum rerum, quæ occurrunt circa ventriculum? Duplex, vt ego puto huius rei fuit ratio: vna est, quia ex tribus coctionibus, quę fiunt in ventriculo, iecore & venis, nulla est, cuius errores ita manifestantur, atq; ventriculi. Nullus intelligit errores iecoris venarumq;, omnes ventriculi. Sed fuit etiam alia ratio; quia, vt scribit idem Hippoc. lib. de affect. ventriculus est veluti mare: nam sicut mare recipit aquas omnes ab omnibus aliis locis, & iis refundit: sic ventriculus accipit mala à toto corpore, totique refundit. Vnde Hippocr. 6. Epidem. sect. 3. text. 5. dicere solebat, ventriculi conturbationem confundere omnem statum. Vnde etiam Serenus Medicus antiquissimus in suis carminibus, quæ edidit, dicere solebat: vẽtriculum regem totius corporis esse appellatum. Quod cum videret Hippocr. voluit potius vti exemplo errorum ventriculi, quàm alterius. Ergo dicit de ventriculo, tantam esse mutationis insuetę potentiam, vt ventriculus si cibis repleatur insuetis, etiam natura bonis, maxime lædatur; quemadmodum e conuerso, si ventriculus vescatur cibis consuetis, etiamsi non fiot boni; nihilominus ab iis non offenditur. Et idem Hipp. lib. de vet. art. dicebat, veteres illos vsos esse cibis belluarum sine vllo detrimento propter consuetudinem. Quæ etiam forsan fuit ratio, vt homines fruerentur ante diluuiũ cibo belluarum, & sani manebant, diuturnæq; vitæ. Sed duo hic videnda: Vnum est, cur dicat cibos consuetos, etiamsi non sint boni, prodesse, & non consuetos, etiam bonos obesse? cur non dicit, cibos prauos consuetosq; prodesse & non cõsuetos, atque qui non sunt praui, obesse? præterea cur bis eadem dicere velit? Nam eadem, quæ hic dicuntur, antea scripsit.

Ventriculi noxæ omniũ promtissime noscuntur.

Quod ad primum attinet, dicendum est, summa cum ratione ita esse locutum, quia cibi, qui sunt sua natura mali, etiamsi sint consueti, semper nocent. Videte Galen. 2. de alim. fac. cap. de cucurbitula. Sed illi qui non sunt ita mali natura, neq; boni; isti sunt qui minime nocent.

Ad secundum vero dicendum est, aliam esse mutationem secundum quantitatem, aliam secundum qualitatem, supra, quando damnat mutationem, damnat secundum quantitatem. Nunc damnat secundum qualitatem. Sed quomodo probat mutationem ad inconsueta nocere ex erroribus quæ fiunt circa ventriculum? videamus. Inquit, si ad multam carnem silphium & allium fiat mutatio, maxime nocere. Et vt Hippocr. mentem recte ingeniis vestris assequamini, sciendum est, mutationem ad cibos inconsuetos duplicem esse, vel sit mutatio ad cibos magnam vim habentes; aut ad eos, qui exiguam. De priore, non est admiratione dignum; quia quæ habent magnam potestatem, maxime possunt corpora nostra alterare. Et propterea possunt maxime nocere, si mala sint. Sed si bona, possunt maxime iuuare. Igitur necesse est mutationem ad nouum, maxime morbos inducere. Et exemplo vtitur, inquiens: si quispiam comedat multam carnem silphium, aut allium, maxime nocere: quia præter consuetudinem est, quæ frequentissime olim

Mutatio ciborũ fit, vel secundum quantitatẽ vel qualitatem.

Cibi aut magnam vim habent, aut exiguam.

olim erant in vsu. Sed cur hæc potissimum affert, carnem multam, silphium aut allium? Voluit proponere exemplum cibi magnam vim habentis, & condimenti magnam vim habentis. Falsissimum est, quod nonnulli existimarunt carnem ex sui natura, non habere ingentem vim alendi. Et vt hanc rem clarissime demonstrem, est sententia omnium, homines victitasse ante diluuium herbis fructibusq; & non carnibus, quemadmodum belluæ solent, vixisseq; ad sexcentos octingentos annos. Postea propter diluuium terra nimium irrigata, cœloq; contaminato, non vtebantur multum herbis & fructibus, sed carnibus, quia hę tum temporis alimento plena erant, vt herba & fructus olim, quæ postea eo orbata fuerunt. Hippocrates quoq; noster lib. 2. de diæta dicebat, non solum carnes multum alimenti & roboris inferre, sed quo magis accedunt victus, eo magis alere; Et notate tanto magis nutrire, quanto sunt magis crudæ. Videbitis omnia animalia carniuora esse omnium robustissima, vt inter aues, vulturem; inter quadrupedes, leonem. Præterea Celsus lib. 2. cap. 17. inquit, in carne plus alimenti esse, quàm in quopiam alio. Sed quid dicemus de silphio & allio, quę scribit Hippocrates, magnam potestatem habere. Nam omnes herbæ sunt pauci nutrimenti. Silphium est illud, quod appellant latini laserpitium, siue succus Cyrænaicus. Multi benivinum existimarunt esse. Sed falluntur, quia non reperiebatur tempore Strabonis & Plinii. De hoc scribit Plinius solere esitare veteres ad alteranda corpora. Credo ego meminisse Hippocratem silphii tanquam condimenti. Sed quid de allio dicemus? Celsus lib. 2. cap. 17. inquit, inter cætera allium magnam vim alendi habere. Sed pace Celsi, non existimo hoc ita esse, quia cum sit calidum & siccum in quarto gradu, & pene venenum, multum abest, vt multum alat, tum ex Dioscorid. lactuca prefertur. Illud quidem verum est, allium non habere vim ingentem nutriendi. Sed vult Hippocrates dicere non vt alimentum, sed condimentum, frequēti in vsu olim fuisse, quemadmodum etiam erat *νάπετον*.

Error nonnullorum de carne.

Ante diluuium quis fuerit cibus hominum.

Carnes crudæ valētius nutriunt.

Silphium quid.

ἀλλ' εἰ καθαμάθης ὅκως ἄν.

At iusta fuerit admiratio.

Dixit Hippocrates superius, vt audiuistis, non esse dignum admiratione, si mutatio facta ad cibos insuetos magnarum virium detrimenta affert, eo, quia quæ maximam vim habent, magnopere quoq; corpora nostra alterare consueuerunt. Nunc dicit multo magis admirandum esse, si mutatio fiat ad cibos insuetos exiguarum virium, & tamen corpus alterat, quasi dicat, si mutatio facta ad cibos insuetos paruarum virium, detrimenta affert plutima; multò magis existimandum est de cibis magnarum virium fore. Et quia exemplum attulit superius de cibis magnarū virium, nunc affert exemplum eorum, quæ exiguam vim habent, & tamen magnopere nocent. Tria autem hęc sunt maza panis, & polenta. Sed dicet aliquis, cur his tribus potissimum vtitur? puto hoc fecisse Hippocratem, quia huiusmodi cibus erat maxime familiaris omnibus. Quisq; enim vel nobilis, vel plebeius vtebatur vel maza, vel pane, vel polenta. De maza inquit Hippocrates hanc facere perturbationem, flatum & tormina, atq; hanc vel esse aridam, vel humidam, vel tenacem. Sed video dicturum esse aliquem, quæ fuerit ratio, quod Hippocrates peculiariter tecenset mala, quæ fiunt à mutatione ad cibos exiguarum virium; superius autem loquens de cibis & multa carne, nulla recenset. Puto ego ibi tacuisse mala, & hic proposuisse, quia dettimenta, quæ sequuntur in rebus valenter alterantibus, sunt perspicua omnibus. Ceterum non ita facile est intueri detrimenta, quę sequuntur ex cibo quotidiano & populari. Vnde dicit, mazam, panem, & polentam non solum nocere, sed recenset etiam dettimenta. Dicit itaq; mazam præter consuetudinem acceptam producere turbationem, tormina, flatum. Vt autem hoc intelligatis, scire oportet, quid fuerit maza apud veteres. Maza & panis in hoc differebant, quod maza fiebat ex farina hordei; panis vero ex farina tritici. Quanquam reperio apud inter-

Maza, panis, polenta, cibi exiguarum viriū.

Maza quid veteribus fuerit: & quomodo à pane differat.

intetpretem Aristotelis,etiam mazam factam ex hotdeo,fuisse appellatam panem hordaceum. Vt hoc obiter dicam, quando Christus faciebat miraculum de piscib. dixit, affuisse seruos qui habebant duos panes hotdeaceos,erant ex maza, vnde nō male. 21. sect. Probl. Gaza ttaduxit modo mazam,modo panem hotdeaceum & triticeum. Etat itaq; maza,fatina subacta hordei & ttitici. Hic cibus etat vulgatissimus, *Maza paratur duobus modis.* vt animaduertit Erotianus in Onomast. Hipp. Maza dupliciter fiebat;vel commiscebantur semina,vt cuminum; vel liquores. Quando semina appellabatur maza *Arida.* arida,quando vero liquores,humida. *Liquida.* Liquores autem qui commiscebantur in conficienda maza erant vatii,vt oxymel,mulsa posca,vinum,oleum,mel & lac. Hæc autem maza dupliciter conficiebatur;vel multum manibus tractabatur,& appellabatur ἄτριπτος, de quibus Hipp. hoc in loco agit,& Arist. 25. sect. ptobl. Cetetum du- *Lenta.* bitate aliquis posset,quid Hipp. significate velit pro maza lenta & viscida. Puto ego dupliciter respondeti posse, vno modo appellasse Hipp. mazam, lentam & viscidā illam,quæ fit vel oleo & melle. Nam certum est huiusmodi liquores vbi miscentur farina, reddete totam massam viscidam & lentam; vt propterea minime dubitati queat,quin hac ratione ita appellatę. Ptæterea dicete possumus, lentam & viscidā vocari eam,quę multum subacta est. Nam Aristoteles 21. sect. probl. scribit, mazam, quæ diligentissime ttactatur, minime facile coqui posse, quia inquit Arist. lentum est. De hac autem intelligendum est id, quod dicit hoc in loco, scilicet hanc prætet consuetudinem esitatam facete petturbationes,totmina,flatus. Nam cum non possit coqui propter inconsuetudinem non complectitur. Vnde fit perturbatio, & *Maza lenta quomodo flatus & tormina cieat.* quia propter lentorem coqui non potest, generantur flatus; qui detenti in intestinis totmina affetunt. Sequitur Hipp. enarrans mala, quæ oriuntur ex pane calido: Et sicut debebat illa facere perturbationem,tormina,& flatus;sic dicit panem ca- *Panis calidi quæ damna.* lidum præter consuetudinem esitatum, facere sitim & repletionem. Et vt hęc *Panis calid. veterib. frequenti in vsu.* tes paulo diligentius expendatur, illud sciendum est, veteres consueuisse edere panes calidos,quia alias non diceret. Et quod fuetit consuetudo veterum, Plutarch. de ita cohibenda hoc dicit, causam irascendi serius fuisse, quod offerebant panem frigidum. Ex quo colligo tempore Plutarchi esse etiam vsos frequenter pane calido. Est etiam Cœl. Autel. autoritas & aliorum,de qnibus lib. 6. vatiar. lect. egi. Dicit ergo inter alia sitim excitare,& affetens tationem, dicit quia siccat. Sed dubitatio sta- *Vtrū panis calidus frigido plus siccet.* tim oritur,vtrum verum sit,panem calidum magis siccare, quam frigidum. Ratio dubitationis est,quia panis calidus est humidior. Pro solutione dicendum est, duplicem esse humorem: Alius est aeteus,alius aqueus. In pane calido plus est humoris aetei: in frigido plus est humoris aquei. Quod in pane calido plus sit humoris aerei, facile colligitur ex vaporibus crassis, qui ab eo nunquam non eleuari solent. Quia iam humor aereus sitim facit, quia coniunctam habet caliditatem, aqueus tollit. Hinc fit, vt recens panis sitim faciat, & vetustus tollat. Possumus etiam alio modo respondere, humorem aqueum duplicem esse alium calidum actu & frigidū potentia,aliū calidū actu & potētia. Vbi humor aqueus est calid° potentia, sitim nō facit;vbi est actu & potentia,exiccat,vt pituita,q̄ exiccat. Nō igitur est mitū,si Hip: dicit,panē calidū sitim facere,pręter consuetudinē esitatū. Dicit etiā satietatē facere,q̄a tetinet in stomacho. Sed dubitatur, quomodo panis calidus faciat repletionē q̄a remanet in stomacho: q̄a calida permeant frigida temanēnt & retinētur. Ita nos calefaciendo semper penetrationē molimur. Puto ego vetū dicere Hip. s. propterea facere repletionē,quia retinetur, & retinetur non ratione calotis,sed ratione vaporū crassorū,q̄ præterquā q̄ distendunt, venrriculū excitant etiā flatus: quo fit vt minus possit exire. Quod hoc ita sit intelligere possumus ex Arist. eadē. sect. Pro. 11. qui quærens rationem,cur magis tumeant panes tritici, quā hordeaci; inq̄t idcirco esse,quia triticum humidius est; humidum calefactū copiosiores flatus edit. Addit *Panis genera varia apud veteres.* postremo Hip. panē quoq; purissimū,præter cōsuetudinē esitatū maxime lædere,& nō solū,inq̄t,lædere, verū etiā polētas vetustas & recētes præter cōsuetudinē assumptas. Et vt hoc intelligatis, sciēdū est, veteres diuersa genera panis cōficere cōsueuisse.

Interdum

Interdum enim faciebant ex farinæ flore, atq; hunc panem purissimum appellabant: aliquando ex furfure, & hunc furfuraceum nominabant; interdum ex tota farina, & appellabatur nunc συγκόμιστος nunc αὐτόπυρος. In frequenti vsu erant panes purissimi apud nobiles. Aliis populus vtebatur. Igitur loquitur de prioribus, & dicit, huiusmodi panem præter consuetudinem esitatum, multa mala facere. Sed dubitari posset, cur Hippocrates dicit, solum nocere, & non afferat detrimenta in medium, quæ inferre solet; quemadmodum de pane calido mentionem facit damna illius recensens. Præterea cur recenseat panem purissimum, & σύγκομιστον inter ea, quę exigua vires habent. Nam primo videtur hoc esse falsum, quia Arist. inter cibos maximi nutrimenti recenset panem; atq; Homerus semper apponebat hospitibus panem & vinum, quia maxime nutrit. Præterea Aristot. & Theoph. scribunt, panem ex tritico esse pro cibo & maxime alere, ac ita vt non possit ferri à belluis. Quomodo ergo recenset panes inter cibos exigui nutrimenti? Ad primam dubitationem respóderi posse existimo; propterea Hippocratem tacuisse panis purissimi, & συγκομίστου detrimenta, quia nullum peculiare detrimentum faciunt; quemadmodum maza & panis calidus. Ad secundam autem, cur scilicet Hippocrates reponat inter cibos exigui nutrimenti, respondeti potest, Hippocratem locutum esse de pane cibario, de quo Celsus lib. 2. cap. 17. dicebat, huiusmodi panē esse infirmissimæ materiæ. Sed non placet hic modus respondendi, quia loquitur de pane purissimo ex flore farinæ. Igitur responderi dupliciter potest; primum, quando Hipp. loquitur de cibis qui habent vim magnam, non solum intelligere vim alendi, sed alterandi. Panis habet vim ingentem alendi, sed non alterandi, eo quia cum sit cibus nobis consuetus, & à natura tanquam familiaris nobis tributus, non potest admodum alterare. Alio modo respondere possumus, non loqui simpliciter, sed comparate. Nam panis respectu carnis multæ, habet exiguas vires nutriendi.

Pulchra quædam de pane enodata.

Καὶ οἰνοποσίῃ ἢ ὑδροποσίῃ:

Adhac vini & aquæ potus.

DOcuit Hippocrates, quid mali faciat consuetudo mutata in cibis, & quo pacto his malis debeamus succurrere. Quia autem ad sustentandam hanc vitam potus non minus necessarius est, quam cibus: nunc breuiter docet, non minora mala oriri ex mutata consuetudine potus. Erant autem apud Veteres in vsu varia potuum genera; quemadmodum etiam tempestate nostra sunt, vt cereuisia apud Belgas. Sed frequenter omnium potus fuit apud veteres post diluuium, aqua & & vinum; quia ante diluuium nunquam fuit in vsu vinum, sed solum aqua, quia scribitur hanc multo suauiorem fuisse, quam sint nostra vina. Vinum erat tempore suo frequentissimus potus. Quare de vino duntaxat, exemplum proponit. Sed vt mentem Hippocratis comprehendere possitis, quæ obscurior fortassis aliquibus videbitur, scite debetis, potum veterum fuisse aquam vel vinum. Vinum erat dilutum aqua, aut merum; merum erat dulce aut vinosum, vinosum erat album aut nigrum. Hæc igitur erant genera vinorum, de quibus locuturus est in præsenti; plenius vero ac melius initio libri tertii. Dicit itaque, quod cum mutatio fiat in potu, fit aquæ ad vinum, vel vini ad aquam; etsi vini, aut diluti ad merum, aut meri ad dilutum; & dulcis, cum vinoso, nigri ad album, albi ad nigrum. Vnde sicuti varia detrimenta sunt ex mutatione vinorum, sic expedit, vt quisque vestrum maxime diligens sit in cognoscendis huiusmodi erratis, vt cognito detrimento mutationis in potu possitis occurrere omnibus damnis. Sed priusquam vlterius progrediamur, scite oportet, cur Hippocrates loquens de mutatione vinorum, solum refert mala, ex mutatione diluti ad merū. Ratio hæc est, quia veteres vtebantur frequentissime diluto, & multa aqua vt audietis ex Arist. Quare mirari sæpe soleo, cur hoc tempore vinum dilutum contemnatur, cum veteres eo maxime vterentur, & ita, vt

Quæ deinde potuum insequentum sequatur.

Potus duo præcipui, Aqua, Vinum.

Vinorū differentia.

Veteres vino diluto plerunq; vtebantur.

vt Hippocrates hic eius tantum detrimenta refetat. Vt autem ordinatim cognoscatis, quæ nos docet hic, breuiter quærere necesse est quinque: primum erit, vtra mutatio consuetudinis sit morbosior, an ea quæ fit in cibis, an ea, quæ in potibus; secundum erit, quænam grauior & detetior sit mutatio, an aquæ ad vinum, an vini ad aquam; tertium, inuestigandum est, quanam ratione Hippocrates narrans detrimenta vini aquosi & meri, inquit, vinum dilutum generare flatum et stomachi relaxationem. De mero autem inquit, facere palpitationes venarum, & capitis grauitatem; quarto quærendum est, quomodo dicat vini nigri ad album, & albi ad nigrum nocere; quinto, quomodo Hippocrates opponat vinum dulce & vinosum inter se.

Ciborum an vinorū mutatio sit deterior.

Circa primum, ex vna parte videtur mutationem ciborum esse deteriorem, quam vinorum, quia cibi inter sese multo magis differunt, quam vina. Vnde videntur magis debere alterare. Præterea cibi magis permanent in corpore: Vina magis diffluunt. Contra est sententia Aristotelis prima sectione, Problem. 14. vbi quærens propter quid aquæ mutatio sit magis morbosa, quam ciborum, inquit, hoc ideo esse, quia multo pluri aqua vtimur. Ex quo loco quemadmodum ante dictum est à me, potestis colligere, tempore Aristotelis consueuisse vsu pari multam aquam, non solum quia generosa vina nocent, sed etiam, quia aqua & ad condiendum, & ad coquendum, & ad alia multa in vsu esse solebat. Sed puto ego ita definiendam esse hanc quæstionem, scilicet aliquid esse morbosum extensiue vel intensiue, vel quod diutius durat, vel quod efficacius fit. Si loquamur de duratione, mutatio ciborum est peior, quia detrimenta diutius durant, non potus. Nam Galenus 2. de potent. nat. inquit, quicquid potamus, statim excernitur per vrinam; etsi facit malum aliquod potus, minus est. Sed si de intensione loquamur; certe detrimenta potus sunt peiora, quia vehementia & acuta mala mutatio potus afferre solet.

An mutatio vini ad aquam, aut contra nocentior sit.

Erat secundum, inuestigandum vtra mutatio vini ad aquam, an aquæ ad vinum maiora detrimenta afferat? Videtur quidem aquę ad vinum mutatio esse peior, quia vinum est multo potentius, quam aqua. Quare à minori ad maius venire est magis periculosum. Ex altera parte videtur esse melior, quia mutatio vini ad aquam est ad deterius. Accedit his, quod si vsus & experimenta expendamus, multo plura bona videntur oriri ex mutatione vini ad aquam, vt podagricis & frebrientibus sit à morbo, solutio ex mutatione vini ad aquam, quemadmodum ab aqua ad vinum mutatione languentes, vt D. Paulus Timotheo suo suadebat, sanantur. Dico nihil definiri posse hac de re, quia hi melius se habent in mutatione aquę ad vinum, illi vini ad aquam. Quæ, quanquam Hippocrates nos non docet, tamen solers Medicus debet huiusmodi inuenire.

Vinū dilutū, quomodo inflatuet ventriculum.

Tertium erat, quomodo dicat vinum dilutum facere flatus & stomachi imbecillitatem: Vinum vero merum palpitationes venarum, & capitis grauitatem: Quod enim aquosum languorem ventriculi parit, satis vnicuique est perspectum, veluti iugulando calorem natiuum. Hippocrates enim libro de aer. aqu. & loc. comparans lac & vinum aquosissimum, quo vtuntur pueri, dicebat, lac magis humectare & nutrire, quam vinum aquosissimum. Sed quomodo vinum merum faciat palpitationes venarum, & capitis grauitatem, videtur quidem esse rationi consentaneum, quia maxime percutit cerebrum, & flatus in caput mittit, qui ferientes illius membranas dolorem inducunt, & capitis grauitatem. Sed dubitatione tamen non caret, quia Aristoteles tertia Problematum sectione trigesimaquinta, quærens rationem, cur vinum dilutum magis penetrat, quam vinosum, dicit esse quia magis penetrat: quod probat, quia maculę à vino diluto difficultes elicjuntur. Præterea caput plus perturbat. Tertia causa est, quia vinum merum cum sit calidum suo met calore seipsum coquit. Dicendum est vinum, quod bibunt homines non est crassum, vel suapte natura tenue. Si tenue sit vinum, semper dilutum minus cerebrum lædit, quia vires illius franguntur ab aqua

Merum venas & caput perentit.

ab aqua. Sed si vinum vinosum sit crassum, plane ab aqua tenuatur, & ita magis cerebrum petit, eiusque statum peruertit. Eapropter quando dicit vinum dilutum magis inebriare merò loquitur de vino crasso. Quando autem dicit, tentare caput, & palpitationes venarum parere: quia suo calore incendit venas, loquitur de tenui.

Erat quartum, quomodo dicat, mutationem vini nigri ad album, & albi ad nigrum nocere. Hippocrates manifestissime inquit, in hoc textu hanc mutationem nocere: veruntamen est ratio admodum perspicua aduersus hanc Hippocratis sententiam libro quinto collect. cap. 40. apud Auerrhoem, quo in loco disputans aduersus Galenum, & Medicos, qui dicebant, propterea metuere melancholicos, quia tenebræ illis obuersantur? dicit nigredinem esse colorem, qui est obiectum visus; hac etiam ratione probari potest minime verum esse, quod scribit Hippocrates; quia color est obiectum visus non tactus. Igitur debet solum nocere visui non tactui. Dicendum est colores in cibis & potibus dupliciter posse considerari vel secundum se solum, vel secundum subiecta, in quibus reperiuntur. Si secundum se solum, plane vernm est colores nullo pacto mouere posse sensum tactus, sed solummodo alterare sensum visus. Si secundum subiecta, possunt etiam alterare sensum tactus. Exempli gratia, color niger semper adhæret materiæ terrestri crassæ: non sæpe vsuuenit, vt sit commixtus cum materia calida; Itaque maxime refert vtrum sit color albus, vel niger in vino. Quapropter considerans Hippocrates mutationem vinorum à coloribus, secundum subiectum metitur.

Quintum erat, quomodo opponat vinosum dulci; quia non sunt opposita, sed vinosum & aquosum, dulce & amarnm? Responderi potest, dulce vinum duplex est, aut quod vere dulcescit, & appellatur γλυκὺς, hoc opponitur amaro. Aut non vere quod opponitur secundum operationes, quia, vt dicit Galenus, vinosum inebriat, & caput tentat: dulce, vt 4. meth. non ebriat, aut minus quam vinosum tentat caput.

Τιμωρητέον δὲ τοιόνδε τι μέρος.

Ceterum contrario sermoni quadam ex parte.

Dixit Hippocrates multis verbis, maxime animaduertendam esse mutationem consuetudinis, atque temere nunquam mutandam esse consuetudinem. Fuerunt tamen apud veteres, qui negarunt consuetudinem esse mutandam vnquam. Eapropter quasi occurrens huic controuersiæ, eamque definire cupiens, inquit hic, occurrendum esse contrario sermoni, hoc est, vt controuersia veterum de consuetudine mutanda confirmetur. Et modus Hippocratis est hic, quia sermo meus verus est, & non verus. Verus, in ægris mutandam esse consuetudinem, quia morbus accessit & mutationem passæ sunt ad imbecillitatem; Non verus, in sanis, quia neq; facta est mutatio corporis ad robur, aut infirmitatem: etsi in quibus mutatum est corpus, in iis mutanda est consuetudo, in quibus mutatum non est corpus, in iis mutanda non est consuetudo. In corporibus sanis non est facta mutatio. Quare in his non est mutanda consuetudo. Hęc summa est totius sententiæ Hippocratis nunc propositæ. Circa quam duo breuiter videnda sunt. Vnum, cur hanc rem de consuetudine mutanda sæpe repetit: eo maxime, quia repetitio hæc videtur à grauitate Hippocratis aliena esse. Aliud est, cur Hippocrates de ægris loquens, dicit, mutatum esse corpus: de sanis dicit non esse mutatum corpus, neq; ad robur, neq; ad imbecillitatem. Circa primum Gal, in fine comment. 3. huius lib. 4. videtur sentire, non posse excusari Hippocratem, aliter, quam quod hic liber non sit elimatus, neč ordinatus ab eo, sed editus post mortem illius. Et certe, vt apud Athenæum eruditum auctorem habemus, inscriptus est simpliciter hic liber de Diæta, acetiam de ptisana, vt 1. Dipnosophist. scribit, vbi loquens de coccalo eum librum ait ex di-

midio spurium esse, & ab aliquibus totum spurium fuisse putatum. Ceterum, si volumus excusare Hippocratem, dicendum, quod cum ille vidisset in fine huius libri, sese huiusmodi repetitiones fecisse, dixit, tantam esse vtilitatem & necessitatem, vt etiam commodum sit sæpe repetere. Quare melior est hæc excusatio, quam ea, quam afferr Galenus. Ad secundum dicendum, Hippocratem iure addidisse, In corporibus sanis, non fieri mutationem ad robur aut infirmitatem, quia in ægris multarum facultarum est mutatio, vt constitutionis, temperamenti. Quare volens significare, in quibus non fiunt multæ mutationes, ita dicit.

Προσεκμαρτέα δὴ ἐς ἰσχὺς.

Considerare autem oportet in singulis & robur.

Dixit Hippoctates, mutandam esse consuetudinem, sed dixit non repente ἐκ περιαγωγῆς. Et quia propter hoc posset aliquis existimare in mutatione facienda repente faciendam esse eam, vult dicere non solum non repente fiat mutatio, sed sunt etiam multa alia, quæ solers Medicus debet considerare: quæ quatuor potissimum sunt. Primum est facultas & vires, secundum τρόπος τοῦ νοσήματος, id est, modus tertium est natura ipsius ægroti. Quartum & postremum, consuetudo anteacta victus. Hæc quatuor dicit debere spectari, vt consuetudo in ægris mutetur.

Vera ratio mutandi victum à quatuor rebus ostenditur.

Ceterum vt hæc sententia à vobis percipiatur, duo summatim sunt inuestiganda. Vnum est, propter quas rationes in mutanda consuetudine debet Medicus hæc quatuor spectare. Secundum, cur solum hęc quatuor voluit spectari, non alia. Nam quemadmodum habemus apud Hippocratem primo apboris. & apud Galenum nono meth. circa finem, sunt etiam multa alia, quæ Medicus in hoc negotio spectare debet: Est aeris constitutio annus regio obseruanda. Circa primum illud sciendum est, Medicum semper in instituenda curatione ante oculos debere habere vires nostri corporis, qui frustra tolleret morbum, si tolleret etiam vires. Vires autem ægrorum semper sunt infirmæ, & hæ à qualibet mutatione adhuc magis debilitantur. Quapropter vbi curabit Medicus aliquem, debet videre an vires valeant, an infirmæ sint. Nam si quis aliquem à ptisana ad cremorem ducat, si vires sint admodum infirmæ, valde læditur. Ita si quisquam sanus bis edere consueuit, & semel duntaxat velit edere, valde lædetur. Quia si sani maxime læduntur, quanto magis ægri. Quapropter iure vult spectandas esse vires in mutanda consuetudine. Sed circa hunc locum est nonnihil dubitationis, quia Galenus in comment. sequens Hippocratem videtur constituere, sanum corpus & validum postulare plus cibi. Veruntamen Galenus in libro ad Glaucon. primo, capite decimo, inquit, corpora valida facilius sustinere inediam, quam infirma. In hac controuersia breuiter dicendum est, aliud est considerare corpora actu ægrotantia, aliud sana; si ægrotantia plane, vbi valida sunt minus cibi exigunt: quia, vt dicit Hippocrates septimo aphoris. 62. cibus vt sano robur, sic ægro morbus. Ita, vbi vires valent, facile sustinetur inedia, hoc est cum iuuamento. Aliud autem est, de sano, quia vbi sanum est, non consideratur morbus, sed vires tantum; quę cum induant ad sui sustentationem, cibum, oportet, vt vbi languent, cibus offeratur. Secundo spectandus τρόπος morbi. Quæres, vt plene à vobis percipiatur, scire oportet, hanc vocem τρόπος, vt docuit nos Galenus libro primo Epid. comment. 3. significationem habere: significat enim genus seu ideam, quo ad conditionem ægritudinis. Significat etiam mores animi: sed vt docuit Galenus loco citato epidem. 10. Significat etiam morem morbi, qui, vt Galenus primo de crisib. capite quarto, dicit: est diuersus à genere ipsius morbi. Quando ergo dicit, spectandum esse modum morbi, vult dicere, non solum genus, speciem, & ideam, sed etiam morem. Appellatur autem mos ille, secundum quem

Dubii cuiusdam pulchra discussio.

Cibus, vt sa no robur, sic ægro morbus

quem dicitur benignus,& malignus. Quomodo ergo & quare est, quod consideratio modi refert multum in mutanda consuetudine? causa vnius rei clarissima est, quia siue morbus sit similaris, siue dissimilaris, maxime refert illius consideratio in hac consuetudine mutanda; Ita, si morbus sit biliosus & pituitrosus. Nam Galenus 6. Epidem. comment.1.text.9. declarans, quis sit modus morbi, inquit esse, si sit biliosus vel pituitosus. Itaque si sit morbus biliosus, necessario spectandum, ne fiat permutatio à pluri cibo ad pauciorem, quia biliosus morbus, non ita disponit ægrum ad sustentandam inediam. Vnde si pituitosus sit morbus, multo tutius poterit consuetudo permutari. Ita, si occurrit benignus, securius permutare licet, quam si sit malignus, quia hic minus virium habet: ille neutiquam aut parum prostratas. Tertio spectanda est natura ipsius ægri. Hęc enim posita est in temperatura partium, & optima constitutione cuiuscunq; corporis humani. Igitur vult dicere, spectandum esse temperamentum: quod si sit calidum, non est permutandus cibus ad inediam; si frigidum, non est mutandum, quia non fert sobrietatem. Ita laxa corpora non sunt reducenda ad inediã, corpora densa melius hanc ferunt: quia hæc non ita difflantur, vt rara corpora; & hinc pueri non ferunt inediam propter continuam humoris difflationem, quæ nisi cibis resarciatur, maxime nocet. *Pueri cur ægre ieiunent.* Contra corpora senum cum non patiantur ita continuam dissipationem possunt permutari à plenitudine ad inediam. Quartum & postremum, consuetudo anteacta viuendi: quia si ægri sint assueti priusquam ægrotent, multum comedere, certe debet Medicus huc oculos in permutando victu conuertere, scilicet qui parum edere potest, tolerare multo tutius inediam, quam illum, qui multum consueuit edere: Et ita si semel duntaxat edere quisquam sit assuetus, parum ei exhiberi potest. Erat secundo videndum, cur Hippocrates voluerit, duntaxat hæc 4. spectari, & eo maxime, quod multa alia sunt, quę etiam spectari debent à Medico. Auicenna 4. r. cap. 1. dixit hæc 4. esse ea, quæ maxime referunt, vt spectentur ab ipso Medico, quasi dicat, est quidem aliqua consideratio ætatis, temporis, sed maxime omnium valet temperamenti & consuetudinis ratio. Possumus etiam dicere, omnia alia posse ad hæc referri; quia ætas refertur ad naturam & temperamentum cum ratione ætatis temperamenta mutantur ad consuetudinem aer, regio, constitutio temporis, quia tota victus ratio collocata est in sex rebus non naturalibus, secundum quarum administrationem rectam vel malam, dicitur victus, malus vel peior. Possumus etiam dicere, quod cum Hippocrates tractet de morbis acutis, qui velociter mouentur, non ita in his morbis valet consideratio aeris & regionis, quam virium ægri, modi morbi, naturæ ęgri & consuetudinis. Quare maluit de his agere, quæ maxime refert scire in his morbis acutis.

Docuit Hippocrates in antecedentibus, veram rationem mutandi victum à quatuor potissimum hauriri, morbi magnitudine, modo, natura corporis & consuetudine. Et quia omnis hæc ratio posita est in detrahendo & angendo, sequuntur, quomodo se gerere debeat in detractione & auctione. Et addit sententiam æterna memoria dignam, conferre semper magis, vt cibus detrahatur, quam augeatur. Et quia Hippocratis mos est vbi res dubiæ sunt semper sententiis causas adiungere, eapropter addit, si ęger sufficiat, donec morbi vigor coquatur. *Axioma perpetuum, notabile.*

Addit Hippocrates multa alia esse verisimilia, de quibus se locuturum pollicetur. Sed dicet aliquis, quo consilio monere voluit, vt potius detractioni studeatur; præterea quid vult dicere, vtile esse hoc facere? Non enim videtur esse ratio Hippocratis ingenio digna. Hippocrates in hac re secutus est nobilissimum & verissimum consilium, siquidem siue facto, siue natura comparatum, hoc est, vt omnes malint cibis multum addere, quam parum detrahere. Ea est (inquit Plinius) vitę insita in vnoquoque cupiditas, vt semper ea quæ faciunt ad vitam prorogandam pro se quisque amplectatur, quare vt occurrat huic publicæ propensioni & errori, monet semper potius detrahendum esse, quam angendũ. *Vitæ necessaria prorogãda omnes impẽsius student.*

Ad alterum quod attinet, ſciendum eſt, Hippocratem non ſine ſummo iudicio attexuiſſe, vtile eſſe ita facere, quia exiſtimabat hoc eſſe addendum, vt citius præcepto ſuo eſſent audientes, quod videri potuiſſet eſſe præter rationem & extra omnem vſum; quemadmodum ſolet facere vbique, non vulgata afferens in medium. Nam tunc ſemper ſubiungit rationem ſui inſtituti, ſententiæque. Sed quæ eſt huius rei ratio, quod maxime confert dettahete ad coquendum morbi vigorem? Sicuti cibus auocat quodammodo naturam à concoctione materiæ motbificæ, ita vbi augetur natura totam materiam morbificam non conficit.

Hipp. in non vulgatis ſemper rationes ſubdit.

In hac profuſa & longa Hippocratis oratione, quę ſequitur, vt recte monet Galenus, hic vnus ſcopus eſt, vt doceat etrores commiſſos in præpoſtera ciborum ratione tum in ſanis, quam ægris maxima mala producere. Ea propter totus in hoc eſt, vt doceat, quam maximopere etrabant in mutatione victus facienda Cnidii; adeo vt hæc tota dictio poſſit in duas partes partiri, quarum vna eſt, in ſpeculatione conſuetudinis alendi circa initium; altera eſt comparatio errorum inter ſe, vt ex eo elici deinceps poſſit, qui errores ſint grauiores, & qui magis vitandi.

Sed, vt ſigillatim omnia expendamus, errorum duo erant genera, aut circa tempus, aut circa genus ciborum. Circa tempus, quia aliqui eodem die, quo incępiſſet morbus cibum dabant alii poſtridie, nonnulli à tertio die, vt Theſſalici & Diattitatii (ita dicti, quia à tertio die cibum dabant.) Errabant etiam in genere ciborum, quia aliqui ſorbebant quicquid offerebatur alii cyceonem ſumebant.

In ſecunda parte comparans errores inter ſeſe, inquit, quod qui inediam paſſi eſſent vno, duobus, tribusue diebus; & deinde cibum ſumebant, multo grauius errabant, quam qui prima die nutriebantur. Adhuc magis errabant, qui quatuor, quinque & ſex diebus inedia exinaniebant ægros, deinde ſtatim alebant. Hoc autem peccatum maius eſſe probat, quia qui ſic tractabant ægros, ad exitium illos deducebant, niſi inquit morbus ſuapte natura eſſet benignus.

Atque hęc ſunt, quæ in hac longa dictione ordinatim dicit Hippocrates, circa quæ omnia, vt morem noſtrum ſequamur, qnatuor contemplatione digna occurrunt; primum eſt, cur Hippocrates in recenſendis erroribus veterum recenſet illos, quos committebant in principio & vigote morbi, quia dicit in vigore eſſe lethales errotes, in principio vinci poſſe & ſuperari; ſecundo eſt videndum, quare vtatur hac ratione loquendi, vel ſumebant quiduis, vel cyceonem; Tertio qua ratione, inquit, errores commiſſos circa vigorem morbi eſſe magis exitiales, quam in principio. Nam Ariſt. dicere ſolebat, paruum etrorem in principio eſſe maximum in fine. Prætetea eſt vulgatiſſimum principium dimidium eſſe totius; quarto & poſtremo videndum, cur Hippocrates, poſtquam dixir errores vigoris eſſe exitiales, addit, niſi morbus benignus ſit, quaſi morbus acutus poſſit dari benignus.

Paruus in principio error, maximus eſt in fine.

Circa primum illud memoria repetendum eſt, quod ſcribit Galenus libro de temporibus morborum; quemadmodum viuentia omnia quatuor habent tempora, ſic etiam morbi hoc fluxu feruntur principio, augmento, ſtatu, & declinatione.

Addo ego intereſſe hoc, quod viuentia habent principium longum, augmentum longiſſimum, ita, vt Plinius ſcribat, crocodylum ſemper creſcere, morborum vero principium & augmentum maxime acutorum breuiſſimum, & anguſtiſſimis ſpatiis temporis incluſum. Nam morbi acuti habent omnium breuiſſimum augmentum, & ita, vt ſæpe etiam oculatiſſimos Medicos lateat. Quare cum cognoſceret Hippocrates augmentum eſſe obſcuriſſimum, inre tacuit errores circa augmentum, & retulit illos tantum, qui circa principium & vigorem contingunt.

Crocodilus ſemper creſcit.

Circa

Circa secundum dicendum est, Hippoctatem ea addidisse, vt docetet nos, maxime olim Cnidios errasse in instituenda victus ratione in morbis acutis. Nam inquit, maxime errasse, quando nullo habito delectu quiduis comedebant, & quando habito quidem delectu, sed deterrima tamen comedebant. Audiuistis olim ex Hippocrate, Plutatcho, Aetio, Cyceon fuisse cibi quoddam genus ex farina, ouis, melle, vino, posteaque additum caseum. Huiusmodi commixtio erat periculosissima in morbis acutis, quia non solum constat ex rebus maxime alentibus, sed plane contrariis morbis acutis. Plato libro tertio de Republica, vbi Socrates volens probare rempore Homeri ignotas fuisse destillationes, probat, quia cyceon offerebatur. *Cyceon quid*

Erat tertium, cur Hippocrates dicat errores commissos in vigore morbi esse grauiores, quam illi qui in principio committuntur. Huius rei duplex est ratio; Vna est, quia vires in vigore sunt semper fractæ & imbecilles; à rranstione principii & augmenti, si accedant errores victus in vigote, ita fiunt imbecillæ, vt ruant. Altera ratio est, quia cum vires circa vigorem sint valde fractæ, non possunt sustinere vim morbi vigorisque futuri amplius. Secus est initio, quo vires validæ facile ferunt errores, aut melius sane. Est etiam alia ratio, quia cum in vigore fit concoctio materiæ morbificæ, si eo rempore committuntur errores, auocatur materia ab instituto, fiuntque cruditates: quo fit vt morbus exitialis: quod quidem nequaquam est in principio.

Ad quartum respondeo, memoria repetendum esse illud, quod scribit Galenus libro tertio ptorrh. text. 61. & tertio libro Prognost. hanc vocem εὐηθὴς duo significare facilitatem, & consequenter in morbis salubritatem, & contrarium. Sic dicere solent, mel amarum; ita quidam herbam duram teneram appellauit, contrario sensu. In hoc loco nihil aliud significat, quám salutem, quasi dicat, nisi morbus suapte natura sit salubris, omnino errores circa vigorem sunt exitiales. Sed quare dicit, nisi motbus acutus sit saluber, quia sunt omnes morbi acuti periculosi. Prætetea nonne errores possunt etiam salubres morbos exitiales facere? sicuti legimus primo Epidem. decimotertio, aliquam interiisse, quia importune cœnauerat. Respondendum breuiter est, morbos acutos magna ex parte esse periculosos, sed reperiri etiam aliquos, qui etsi sunt acuti, videntur etiam salubres vocari posse. Galenus sexto Epidem. commentario postremo, & libro commentar. de humorib. text. 33. dicit, in pleutitide à sanguine non esse necessariam sanguinis missionem, quia est mitissima facilis morbus, & ego iurarem de hac pleuritide hæc esse intelligenda, postquam hic de pleuritide loquitur. *εὐηθὴς quid significet.* *Morbi acuti quidam qui possint vocari salubres.*

Ad alterum quod dubitatum est, fateor errores exitium afferre, sed si continuentur, si graues sint.

Τόγε μὴν κρέασσον μαρτύριον.

Hoc tamen maximum testimonium.

Hippoctates qui breuitatis amantissimus esse solet, in hoc tamen, sicuti & in aliis quibusdam profusus est, vt nonnunquam videatur propriam grauitatem exuere. Atque hoc præsertim elucet in propria dictione; quandoquidem cum, vt audiuistis, refutare conatus sit errores medicorum in instituendo victu: nunc quasi concludens de iisdem erroribus sermonem habet, dicens, errasse interdum in instituendo victu in morbis acutis non modo circa initium, verum etiam circa vigorem. Circa initium, quia vel nihil ciborum primis quatuor diebus offerebant, quemadmodum faciebant Thessali sectatores, vel si aliquid dabant, cremorem aut ptisanam integram dabant. Etrabant quoque in vigore quod

quod cum prius exinaniebant vaſa, importune poſtea nutriebant; quandoquidem dabant vel cremorem, vel ptiſanam, quaſi dicat, plus nutriebant, quam poſtulet illud tempus; quia cum vigor morborum acutorum maximus ſit, poſtulat ratio, vt parcius nutriantur, quo tempore pugna eſt inrer naturam & morbum, vt melius poſſit natura certare aduerſus morbum. Sed queſo qua ratione repetit, (quæ ante dixit) puto hoc feciſſe propter duas cauſas, tum quia maxima erat autoritas Cnidiorum eo tempore, adeo vt exiſtimatio maxime faceret ad perducendos homines in errores. Alia ratio eſt, quia hic etror eſt tanti momenti, vt in certiſſimum exitium homines petducat.

Από τε καιφαλῆς, ἐκ τοῦ περὶ τὸν.

Aliquando autem & cruda attrahuntur de capite, & à thorace.

POterat fortaſſis Hippocrates iure ſibi hoc arrogare, vt poſteri omnes ipſi etiam nunc gratias reddant; verum nequaquam hanc ſibi autoritatem arrogare voluit, & propterea in recenſendis erroribus, non contentus fuit ſemel eos deteхiſſe, ſed oſtendere voluit hoc certiſſimis argumentis; quemadmodum hoc in loco facit. Quę autem ſunt certiſſima argumenta? Senſus ipſi & effectus. Nam ſicuti recta ratio curationis ex eo cognoſcitur, quod ipſam ſequuntur ſalubres effectus; ſic nulla eſt certior ratio cognoſcendi errores, quam mala quæ ſequuntur. In his malis recenſendis Hippocrates pluribus vtitur, quæ ego ad breuiſſima quædam capita redigam. Sunt autem omnia, quæ ſequuntur mala, ſymptomata, quæ aut ſunt in actione læſa, aut in qualitate mutata, aut in excrementis. In omnibus his generibus ſequebantur mali errores Veterum. Et primum ex genere actionum læſarum, inquit, exercere omnes primum delirium mœſtitiam, timorem; præterea tremores manuum, labri inferni concuſſiones, ſonitus aurium, ſplendores ante oculos, & grauitates ſuperciliorum. Actiones etiam vitales læſæ ſunt, quia ſequuntur hos errores, animi deliquia, pulſationes, anxietates, ſpiritus offendentes. Quod ad excrementa mutata attinet, vrinæ tenues ſunt, ſputa pauca, tenuia, falſa, tuunt crudi humores à pectore, capite & faucibus. Poſtea circa qualitates mutatas fiunt refrigerationes extremorum. Sed vnde fit, vt tot mala ſequantur huiuſmodi errores. Aut pendent à facultate læſa, aut ob errorem externum fiunt, aut à morbis, vt libro de differentiis ſymptomat. cap. 4. Galenus atteſtatur. Et vt non diſcedamus ab interpretatione Galeni cum Hippocrates loquatur de erroribus circa cibum & potum inuenienda eſt vera radix, ventriculus ipſe. A ventriculo fiunt mala, vel quia patitur ipſe, vel quia os illius: quod quando afficitur, fit καρδιαλγία, ita appellata, quia inſtar affectus cordis eſt, vel quia os ventriculi exactiſſimi eſt ſenſus, fiunt timores mœrores. Ita fiunt etiam mala à ventriculo, quia eſt cauſa, vt etiam patiantur alia viſcera, quia propter hos errores, fiunt excrementa plurima, crudique humores, quæ in varias partes delapſa, varia mala inducunt. Vt non ſit mirandum, ſi anhelitus difficultatem pariant. Sed videre oportet, cur Hippocrates ex inedia tot mala fieri doceat, cum hæc ad expugnandos morbos maxime valeat, & cur dicat vigilias vſque adeo nocere. Nam Ariſtoteles tantum iis rribuit, vt dicat magis conferre ad ipſam vitam, quam ſomnum. Tertio videre oportet, quomodo dicat, ex his erroribus fieri ſudores circa collum. Quarto, quid intelligat per hanc vocem διατωρήγατα, poſtea quid ſpirirus offendens ſignificat. Quod ad primum attiner, Hippocrates non expreſſe dicir, ab inedia hæc fieri mala, ſed quotieſcunque præcedit importunam repletionem. Sed concedamus etiam ſimpliciter poſſe facere mala, non eſt à rarione alienum, quia vbi quiſpiam inediam diutius patitur, à toto corpore trahuntur praui ſucci in ventriculum, qui confuſiones, anxietates, & multa alia mala faciunt. Atque hoc eſt, quod Ariſtoteles

Symptomatum genera ex erroribus ortorum.

In læſis actionibus.

In excrementis mutatis.

In qualitatibus mutatis.

Ventriculus radix omnium iſtorum ſymptomatum.

Inedia praui ſucci ad ventriculū trahuntur.

prima

prima sectione Problemat. scribit, iis qui patiuntur inediam, quandoque pedes intumescere. Et memini me legisse olim in commentar. ad Hesiodum, de lege quadam apud Ephesios lata tempore penuriæ, quæ hoc anno hic etiam est maxima, non licere exponere filios, nisi intumescerent pedes.

Circa secundum, Galenus tertio de causis symptomatum, capite primo, enumerans errores externos, qui lædunt facultatem & coctionem inter alia enumerat vigilias. Sed quæ est ratio huius rei? quia maxime celebratur coctio à calore, qui à vigiliis maxime offenditur, quia distrahitur in ambitum corporis. Hinc fit, vt maxima mala oriantur. Sed quid tantum vigiliis tribuitur? Ad sensus exercendos maxime conferunt, ad actiones animales obeundas; quemadmodum somnus ad naturales perficiendas.

Vigilia actionibus animalibus somnus naturalib. conducit.

Quod ad tertium spectat, scire debetis, ab Hippocrate libro Prognost. sudores circa collum maxime esse lethales. Sed cur hoc potissimum fit ab erroribus? Quia cum importune repletur ventriculus, præsertim vigoris tempore fiunt crudi succi & vapores; propter quod pectus & pulmo maxime laborant; ex quorum labore maxime patitur collum, vnde vapores sursum elati ad ceruicem, & foras compulsi, ab aereque compressi in sudorem verti solent. Sed cur in amissæ virginitatis suspitione veteres argumentum ex collo sumebant. Quia in coitu maxime compatiuntur spiritus vitalis, vt dilatatis vasis, hoc fit signum habitum olim.

Colli vasorum amplitudo signum perdita virginitatis apud veteres, & cur.

Circa quartum dicendum est, cum Galeno esse affectum oris ventriculi. Sed ego puto significari, quando æger stare loco nequit. Sed quid significat spiritus offendens? Alias longe lateque 2. Epidem. hoc docuimus; veruntamen dicitur ille spiritus offendens, quotiescunque diastole thoracis ampla est, & constrictio angusta, qui fit vbicunque opus est maxima fuliginum eductione, & adest virium infirmitas, quemadmodum pueros singultire, & mulieres plorare scimus, vt propterea dicat Aristoteles tertia sectione Problem. esse opus pulmonis.

Ταῦτα δὲ εἰ ἀρχῆσι παραφαινόμενα.

Hæc si ab initio apparuerint.

Hippocrates, vt audiuistis, multa & varia symptomata retulit, quæ sequuntur errores, qui committuntur in victu. Nunc comparat ea quę contingunt in principio & in vigore morborum. In qua comparatione, inquit, symptomata, quæ apparent in principio, significare delirium; & nisi fiat sanguinis fluxio à naribus, abscessus seu puris excretio, à delirio & à morte nunquam euadere ægros. Cur autem hoc fiat, etsi Hippocrates qui breuitatis amantissimus est, minime proponit, nihilominus Galenus pulcherrimam rationem tradit, nempe, quia symptomata quæ apparent in vigore possunt esse critica; Quæ vero in initio morbi, nequaquam critica, etsi vehementiora, tamen salutaria sunt. Quæ non sunt critica, ea quo sunt vehementiora, eo sunt deteriora. Itaque vbi futura est crisis, natura ab omnibus membris secernit humores inutiles, ab vtilibus. In hac secretione fit maximus tumultus, ex quo sequuntur deliria aliaque. Hæc mala sæpe medicos deterrent, quanquam fiunt à natura

Symptomata quæ quib. priora.

quæ

quæ inutile propellit ab vtili. In initio morborum secus est; motus qui fit tunc temporis criticus esse non potest, quia non est tempus debitum, non est concoctio: & propterea sunt exitialia symptomata, quæ fiunt in principiis morborum magis, quam quæ fiunt in vigore. Et addit Hippocrates nequaquam euadere, nisi per sanguinis fluorem è naribus, abscessum, & puris excretionem. Hæc sententia non minus perspicua est, quam vtilis & breuis; veruntamen tria habet contemplatione digna. Primum est, quomodo Hippocrates nunc tantum delirium recenset, cum antea meminerit multorum aliorum symptomatum. Secundo videndum est, quomodo dicat supra symptomata circa vigorem, esse omniū maxime exitialia: nunc comparans ea inter se dicat, ea quæ fiunt in principiis, esse deteriora. Tertio quomodo dicat, neminem euadere, nisi cum sanguinis è naribus fluxu, puris excretione, siue abscessu. Circa primum dicendum est, iure Hippocratem dixisse delirium tantum, quia rerum certitudini maxime studet. Nam cum delirium sit fere perpetuum aut semper in morbis acutis, vt Gal. 4. de caus. puls. cap. de pulsu pleuritico. dicit, & ex pleuritide fit transitus in peripneumoniam morbum pectoris inflammationemq; pariter, ex peripneumonia in phrenitidem propter consensum inter partes animales, & spiritales, voluit tantum delirii meminisse. Est etiam huius rei alia ratio, quia in morbis acutis semper offenditur cerebrum cum læsio est calida; calidi est deprauare, quemadmodum frigidi tollere & minuere. Erat secunda dubitatio, quomodo Hippocr. nunc dicat, hæc symptomata esse vsq; adeo lethalia in principio, cum antea dixit circa vigorem. Respondent alii, quæ fiunt initio, nunquam fiunt à causis euidentibus, propterea q; sunt exitialia, quæ fiunt circa vigorē, fiunt à causis manifestis, ideo q; sunt minus periculosa; Gal. enim dicit 2. prorrh. mala quæ à causis externis fiunt, semper esse minus grauia. Quæ responsio satis quidem speciosa est; veruntamen si intimius penetretur, non potest accōmodari verbis Hippocratis, quia Hippocrates dixit, supra fieri propter errores in victu: hic dicit esse deteriora, quia fiunt circa vigorem; quare etsi fiant à causa externa & circa vigorem, nihilominus sunt peiora. Quapropter dicendum est, aliud esse, symptomata significare mala, aliud facere mala. Quando dicit, significare delirium, vult dicere esse mala, quia malum significant. Supra autem quando dicit, symptomata circa vigorem esse mala, intelligendum est, quia mala magis exitialia faciunt, quam circa initium propter vires tum temporis fractas. Ad tertium respondendum est, Hippocratem, qui suo iudicio omnia obseruauit, solum potuisse ita affirmare; & ideo non est mirum, si necessitatem quandam imponit iis quæ dicit. Sed quæ est huius rei ratio? Loquitur Hippocrates de morbis acutis, & potissimum de pleuritide & peripneumonia. In his sunt radices affectuum inflammationes, incensiones viscerum, cerebri, pulmonis, aut partium circa cor & iecoris: nunquam fit, quin aliquod horum viscerum in morbis acutis incensionem maximam patiatur. Hinc fluxu sanguinis è naribus abscessu, aut excretione puris liberantur à morbo. Cum offensum est cerebrum, sanguis viriatus, & vitians, per nullas vias commodius à natura expelli potest, quam per nares; pariter si affecti sunt pulmones, si æger seruari debet, necesse est, vt sanguis putrescat & excernatur. Quemadmodum etiam in pleuritide. Ita si focus morbi acuti sit in iecinore, etiam opus est materiam illam excerni, aut transmutari de loco ad locum, quod siue fiat cum tumore, siue sine appellatur abscessus, vt Hippocrates dicit 2. epidem. abscessum liberare si infra morbum sit, & in partibus infernis.

Οὐδὲ γὰρ τῶν τοιούτων ὁρέω ἐμπείρους.

Neque enim talium rerum peritos esse Medicos video.

HIppocrates studiosissimus humanæ salutis, quæcunque dixit, semper eo direxit, vt vtilitatem medicinę studiosis ingentem afferret. Idcirco solet res magni momenti sæpe repetere, inculcareque diligentissime, quemadmodum hoc

hoc in loco facit. Nam supra audiuistis medicos Cnidios maximopere errasse in victu ægris præscribendo, & propterea magna mala peperisse. Nunc autem doceto vult, quomodo hæc detrimenta vitare possumus, & qua ratione ab erroribus commissis in hęc mala inciderunt. Erraruntautem veteres quam maxime, vt audiuistis in præscribendo victu in morbis acutis: atq; hoc factum est ex ignorantia veri scopi diætandi, qui nullus alius est, quam qui à virium robore aut infirmitate hauritur. Imbecillitas virium pendet ex inanitione vasorū siue à natura, siue ab arte, ex vehementia motbi, magnitudine doloris, & irritatione. Quid autem intelligat pet ἐρεθισμὸν dubitati merito potest à Galeno: Ego vero aliter quam ille sentio, scilicet intelligere, quamlibet motionem factā à natura differentem ab ea, quæ fit à motbo à dolore. Cum igitur hæc quatuor sunt causæ debilitatis virium, atq; ab hac scopi diætandi hauriri est necesse, iure ex ignorantia horum Medici olim in errores præcipitabant ægros & multa mala. Sed quod videbat Hippocrates vulgare esse intelligere has causas, cum sunt præsentes, eapropter subiungit non solum debere cognoscere præsentes causas debilitatis vitium, sed multo magis futuræ debilitatis, quod ad præseruatiuam partem medicinæ præcipuam pertinet. Sed quomodo debilitas futura cognoscitur? Inquit cognosci ex contemplatione propensionis naturæ, seu habitus ad hanc vel illam ægritudinem. Quæ, vt comprehendatis, scire debetis, quæ Galenus dicit, inter naturam & habitum nihil esse discriminis. Cognitio hæc confert ad intelligendas causas futuræ debilitatis: hoc modo, quia si aliquis facile patiatur ab inedia, à sanguinis fluxu, cauere oportet, has causas debilitatis vitium. Ita si à doloribus lædatur, prospicere oportet, ne valde animum destruanr, viresque. Si solitus est pati morbum acutum æger, si habitum corporis prauum habeat, suspicari oportet eum facile morbum, mortemque incurrere posse. A quibus cauere studendnm denique est. Quare perspicuum esse vobis potest, quanta cum ratione ea proponat, quę conferunt, vt euitentur illa mala, quæ ab ertotibus fiunt. Citca quæ, vt more nostro aliquid vtile ad faciendam medicinam acquiramns, tria examinare hoc tempote instirui; vnum, quid sit vis aut facultas apud Medicos; alterum, quot sint genera virium; tertium & postremum etit, quibusnam de causis dicantut huiusmodi vites labefactari. Et vt à primo inchoemus, quæ à Græcis nuncupatut δύναμις, à Latinis appellatur vis seu potentia; batbari appellant virtutem. Sed hoc vel illo modo appellemus, nihil refert. Definitur hæc facultas à Galeno lib. de potent. natur. & lib. de multit. quod sit vis quædam effectrix. Auicenna primo ptimi, doct. 6. c. 1. definiuit, esse ptincipium actionis. Sed idem pene est, quod scribit Galenus, Aristoteles, 5. metaph. cap, 12. duas esse potentias, dicit. Alteram appellat vim alteratricem in aliud. Alteram vim altetatricem ab alio; qnasi dicamus, duplicem esse agendi patiendiq; potentiam. Sed Medici & præsettim Galenus cum loquuntur de potentia nullam aliam agnoscunt quam δραστικὴν. Hæc aurem effectrix facultas quid sit, dubitatum est apud antiquos. Veruntamen, quia est aliquid, quod est in corpore nostro, vt diligentet ipsius naturā contemplemur, videndum est, quid habeamus in corpote. Tria sunt ex quibus tota corporis nostri fabrica constat, vt ptæ ceteris docuit nos Hippocrates plutibus in locis sui operis, spiritus, humores, & partes solidæ. Spiritus & humores non possunt esse hæc facultas, quia sunt puta instrumenta, vehicula. Neque etiam partes solidæ, quia minime suapte natura possunt ex se vim agendi habere. Cum igitur facultas non sint spititus, humores, aut partes solidæ; necesse est sit temperamentum corporis, vel calor natiuus. Quod non sit calor natiuus, ex eo patet, quia instrumentnm non potest esse causa, autor, artifex. Quare dicebat Gal. hanc facultatem nihil aliud esse, quam ipsum corporis tempetamentum. Cum autem hæc qualitas sit forma accidentalis, necesse est, sit in ptoptio subiecto, quod sunt partes solidæ. Vnde sedes domicilium & fundamentum cuiuslibet facultatis partis solidæ sunt. Et hæc est ratio, quod Philosophi Medicique dicant, actiones esse partium solidarum, quasi sempet ab ipsis ptoueniant. Partes itaque so-

Δύναμις seu facultas quid.

Corpus ex trib. constat.

Pp lidæ,

lide cum sint domicilia, & fundamenta facultatis, spiritus & humores seruiunt ad deferendum calorem natiuum, primum facultatis instrumentum ad ipsas partes ad actiones obeundas.

Quot facultates sint corporis.

Postquam, vt audiuistis, substantia facultatum nostri corporis posita est, vt dicebat Hippocrates in contentis, continentibus, & impetum facientibus, & vt Galenus dicit vndecimo meth. in spiritibus, humoribus, & partibus solidis, sequitur vt contemplemur, quot sint hæ facultates, & quomodo lædantur. Id enim maximopere pertinet ad medicinam cognoscendam & faciendam. Plato in Timæo, cum de anima loqueretur, tres facultates animæ constituisse videtur, de quibus interpretes plurimum dubitarunt, animasne tres, an facultates potius intelligere debeant. Galenus libro de plac. Plat. dicit, aut errasse Platonem, aut nihil aliud potuisse intelligere, quam tres facultates animę. Sed Peripatetici aliud sentire videntur, & quanquam Aristoteles hoc nusquam explicuit. Putarunt tantum duas esse facultates animalem & vitalem, & sectator Peripateticorum Auerrh. 2. colligat. capite septimo, & 3. de pact. mal. cap. 4. disputans aduersus Medicos, & præsertim aduersus Galenum probare conatus est, non esse præter duas animæ facultates. Ceterum Galenus (id quod multorum ingenia torsit) videtur hac in re parum sibi constare. Libro de potent. natural. manifestissimis argumentis probare conatus est, tres esse animæ facultates. Ceterum libro de sympromat. different. capite tertio, & primo de symptomat. caus. videtur tantum duas posuisse naturalem & animalem.

Ipsa rerum natura meta est omnium controuersiarum diiudicandarum.

Quid igitur sentiendum est in hac autorum in Philosopbia & Medicina principum controuersia? Sequenda est natura ipsa: Quę meta & scopus est, quo omnes lites dirimi possunt. Illud compertissimum est, hominem vnum esse, si ab vna forma vna anima. Vnde, qui existimant, Platonem dixisse tres esse animas, maximopere falluntur. Sed quid tot facultates vni animæ tribuuntur? Sunt operationes animæ, non quod hæ potentiæ sint vnum cum anima, sed sunt quiddam distractum ab anima, & vires δραστικαὶ: quæ diuersitas operationum oritur à diuersitate instrumentorum. Nam quemadmodum vna eademque manu pingitur, scribitur, pulsatur, variaque munia obeuntur: sic vna eademque anima varias actiones obit, secundum varietatem instrumentorum, quibus vtitur. Atque hoc exemplo vtitur Galenus libro de plac. Hippocrat. & Plat. Sed quæ sunt instrumenta? Sunt innumera. Nam dicebat Aristoteles & Theph. propterea esse hominem perfectissimum, quia habet plurima instrumenta.

Tres facultates cur primatim sic dictæ.

At tria sunt præcipua nostræ animæ instrumenta, quibus vtitur: Est cerebrum, cor, iecur. Itaque his instrumentis dicitur anima posse tres actiones edere. Sed operatio, quæ in iecinore fit, cur est appellata naturalis, in cerebro, animalis in corde vitalis? Facultas animæ in cerebro residens, appellatur animalis, quia libere operatur, & secundum electionem, vt perinde sit facultas animalis ac libera. E conuerso facultas iecinoris est appellata naturalis, quia ipsius naturæ proprias functiones obit, vt vigilantes dormientesque nutrimur, augemurque, quæ tamen ab anima pendent potentiæ: vt propterea Plato appellauerit hanc potentiam Belluam nostram, quemadmodum Stoici naturam dixerunt, non dignantes animæ nomine.

Facultates naturalis à Platone Bellua dicta.

Ceterum facultas, quæ residet in corde, est appellata vitalis, qnia est quasi media inter naturam & ipsam animam liberam; tum quia cor origo est & fons vere, principiumque vitæ. Hoc enim scribit Plinius lib. 11. cap. 31. non macerari vllis vitiis morborum, neque graues offensiones ferre: Sed quid pro Galeno dicemus? Respondebimus facultatem naturalem dupliciter considerari posse: vel enim consideratur, prout diuersa est à facultate animali, vel consideratur secundum ἰδιοτισμοὺς, hoe est, proprietates suas, quas habet. Si, vt diuersa est ab animali, est fere eadem cum vitali: atque hac ratione,

Galenus explicatur.

intelli-

intelligens Galenus de sympt. caus. complexus est facultates sub duabus, animali & naturali. Sed si consideretur secundum proprietates, naturales conditiones diuersæ sunt vitalibus. Vitalis facultatis est communicare calorem toti corpori beneficio pulsus; naturalis est generare, augere. Videamus iam quomodo lædantur hæ facultates, & quid velint dicere Medici, quando inquiunt lædi vires. Hippocrates hoc loco quatuor causas duntaxat ponit læsionis virium, in qua re dicebat errasse medicos Cnidios, quarum vna est, inanitio secunda vehementia morbi; tertia dolor, quarta irritatio. Quid per irritationem intelligatur, dictum à me est in superiori lectione. *Læsionis virium quot causæ apud Hippocratē.*

Ceterum Galenus diligentissimus interpres Hippocrat. non contentus, his addidit multas alias causas, sed admodum diuersas inter se, & confusas. Quapropter nos rei naturam sectantes pro more nostro inueniemus omnes causas, & ita proprios ordines & cancellos constituemus, vt facile à vobis capiantur ingenio, memoriaque teneantur.

Substantia nostri corporis est temperamentum, & recta constitutio solidorum spirituum, & humorum. Si igitur debent vires debilitari, oportet vt hæc tria lædantur. Quæ si integra sint, vires constant; Si magis vel minus affecta, ita vires plus minusue ruunt. Igitur quæ sunt illa quæ huiusmodi substantiam perdunt. Sunt contraria temperamento. Quid est contrarium? Intemperies rectæ constitutionis deprauatio, solutio vnitatis, & deprauatus situs. *Methodica lædentium vires causarum inuestigatio.*

Sed vt ad causas intimius penetremus; causarum aliæ sunt externæ, aliæ internæ: Internarum, aliæ mediatæ, aliæ immediatæ. Sed ad quid tot genera causarum? Verissimum est, nunquam posse lædi facultates immediate, nisi à morbis, vt Galenus ait plerisque in locis. Cur ergo dicit, lædi mediate ab externa causa? Quia causæ immediatæ sepe lædunt absq; externa. Internæ immediatæ nunquam lædunt, nisi mediis ipsis morbis. Ergo causæ immediatæ lædentes actiones sunt ipsi morbi, vt intemperies calida, frigida, & vel simplex vel cum materia. Causæ internæ mediatę sunt, sexus, vt fœmina imbecillior est mare; ætas vt senes iuuenibus infirmiores sunt: quia huiusmodi ętas, etsi non sit morbosa, habetur tamen à naturali temperamento recedens pedetentim, morboso similis. Causæ externæ, vt aer ęstuosus, frigidúsque. Idcirco Galenus quarto de morb. acut. capite decimonono, & tertio in sextum Epidem. capite vltimo, iure damnauit venæ sectionem, vbi aer nimis calidus est, vel nimis frigidus. *Causarum diuisio & differentia.*

Sunt etiam vigiliæ, somnusque motus & quies tum animi, tum corporis, excernenda & retinenda, vt venena. Hæc sunt, quæ intemperamentum vel malam constitutionem inducunt in spiritibus, humoribus, & partibus solidis. Igitur habetis rationem, qua lædantur vires. Sed dicat aliquis, si tot sunt causæ, quæ vires nostri corporis lædunt, cur Hippocrates tantum quatuor genera causarum refert? Præterea cum lædatur facultas animalis, naturalis, & vitalis, quæ offensa est grauior? Quod ad primum spectat, dupliciter responderi potest, omnes causas lædentes vires, posse reduci commode ad hæc quatuor genera, quia ad euacuationem reducuntur inedia vigiliæ, nimia exercitatio, venus immodica, æstus, frigusque, aliaque similia, quæ absumunt vel dissipant humores & spiritus, partesque denique solidas. Ad irritationis genus possunt reduci morsus in ventriculo, & intestinis. Et puto ego Hippocratem hac voce intellexisse morsus vtriusque, qui licet reducuntur ad dolorem, potissimum tamen ad imitationis genus referuntur. Aliter responderi potest, Hippocratem hoc libro loqui de morbis acutis, & præsertim de pleuritide & peripneumonia, in quibus raro fit, vt aliæ causæ vires infirment, quam hæc quatuor genera causarum ab Hippocrate relata. Nam in morbis acutis, & illis præcipue sunt euacuationes vehementia morbi dolores & irritationes. Sed quid ad secundum responderi potest? Galenus in hoc comment. (qui existimauit maxime interesse docere hoc arcanum) dixit læsionem vitalis facultatis esse omnium grauissimam, quia debilitatio cordis certissimam & citissi- *Quomodo omnes causæ ad dictas ab Hipp. referri queant.* *Vitalis facultatis læsio grauissima, deinde animalis, tādem naturalis.*

mam mortem infert; ſecundo, animalis; tertio naturalis. Aſtipulari videtur huic ſententiæ etiam ratio, quia, ſi cor eſt principium vitę, & (vt dicit Hippocrates libro quarto de morbis) fabricatum eſt ex ſubſtantia ſolida & dura, vt poſſit facile reſiſtere omnibus iniuriis, & diu durare (nam quod Plinius ſcribit libro ſecundo, capite trigeſimoſeptimo, ex Pythagoricorum ſententia cordi augmentum drachmarum duarum accedere, vſque ad annum quadrageſimum ſecundum; poſteaque decrementum earum, fabulæ ſunt) illud veriſſimum eſt non ſuſtinere affectus violentos, quia ſtatim atque læditur hoc viſcus, interit animal. Sed ex altera parte videtur eſſe Galenus ſecundo prorrh. context. quinto, vbi comparans Galenus naturalem facultatem læſam cum animali, dicit naturalem vitalem, certius & citius exitium afferre, quam animalem. Adeo vt videatur eſſe plana contradictio.

Pythagoricorum & Plinij fabula de cordis augmento.

Vt autem hic modus explicetur, dicere poſſumus, facultatem naturalem dupliciter intelligi poſſe, vel prout diuerſa eſt ab animali, vel ſecundum propriam ſui naturam. Si conſideretur, prout diuerſa eſt ab animali eadem habetur naturalis facultas, & vitalis. Ea propter læſio huius grauior eſt, quam animalis. Et ita ſecundo prorrh. Galenus conſiderat. Et quod hoc verum ſit, videte textum græcum Galeni, vbi de facultate naturali & vitali verba faciens, numero ſingulari vtranque complectitur, tanquam vnam haberi volens.

Si autem conſideretur ſecundum propriam ſui naturam cum à vitali & animali facultate diuerſa ſit naturalis, huius offenſa minimi omnium eſt momenti, quia ad vitam ſuſtentandam minus aliis confert, cum viuere poſſimus diu abſque nutritione ſine reſpiratione motuque ne paruum quidem temporis.

Μεῖζον μὲν γὰρ κακὸν ἔστι ἢν διὰ

Maius ſiquidem malum eſt, ſi ob dolorem.

QVæ ſit connexio præſentis partis, Galenus dubitat, quemadmodum facit de interpretanda eius mente ſententiaque. Ego vero puto eſſe connexionem, & maximopere referre ad medicinam cognoſcendam & faciendam.

Quod ad primum attinet, certum eſt ſupra docuiſſe maxime referre, vtrum ignoretur cauſa vera debilitatis virium. Itaque nunc docere conatur, non parum imo plurimum detrimenti ęgro, medicoque ignominiæ parere. Probat, inquam, hoc argumento, quia ſi ignoretur vera cauſa, non ſolum fit detrimentum ipſis ægrotantibus, ſed accedit maxima ignominia ipſis Medicis.

Quomodo autem hoc deducit Hippocrates? Audite. Si duo ægri proponantur medico, ait, quorum alter eſt debilis propter inanitionem, alter propter vim morbi, quid continget ex ignorantia cauſæ debilitatis virium? Hoc continget, ſi aliquis debilis propter inanitionem, putetur eſſe debilis ob vehementiam morbi, non dabitur cibus, vnde magnum detrimentum ſequetur ægrum, & magnum opprobrium Medicum; pariter ſi debilis aliquis ſit propter dolorem, & putetur eſſe debilis propter inanitionem, & detur cibus copioſior, multo maius detrimentum ſequetur, ſed minor ignominia.

Si enim alius Medicus accedat doctus ſiue plebeius, & dederit ea, quæ alias prohibuit palam ſuſtuliſſe, ægrum putabitur. Atque hæc eſt integra totius huius dictionis intelligentia, cuius vtilitatem vt intimius penetretis, videndum eſt, cur dicit ignominioſum eſſe medico, quia videtur ęquiparare ſaluti ægrotantis ignominiam, præterea inquirendum eſt, cur dicit, maiorem ignominiam eſſe non darecibum egenti, quam dare non egenti; tertio, quomodo dicat eum Medicum qui non dat cibum exinanito minus nocere, eo, qui dat cibum non egenti. Quod ad primum pertinet, debetis ſcire omnes artes maxime conſtare exiſtimatione; Et tanta hæc eſt exiſtimatio, vt etiam ignari aliquando medici in pretio ſiot.

Ars omnis exiſtimatione fulcitur.

Quod

Quod cum ita sit, iure fit, vt hanc quasi prætulerit saluti ægrorum. Nam existimatio Medico confert ad fidem acquirendam & vtilitatem faciendam. Ad secundum dicendum est, omnes fere homines, qui gubernant ægros, semper ante oculos habere vt cibentur. Eapropter qui offert cibum etiam non egenti, excusatur; qui vero egent, minus excusantur. Ad tertium quod attinet illud videtur plane à ratione esse alienum, vbi aliquis propter inanitionem debilis non nutritur, succumbunt vires & extenuantur. Præterea dicit Hippocrates primo aphor. errandum in paulo plenioti victu potius quam tenuiori, sed hic dicit damnosius esse dare cibum non egenti, quam egenti.

Pro resolutione huius difficultatis dicendum est, loqui hoc loco de morbis acutis, & præsertim de pleuritide & peripneumonia, inflammationibus à plenitudine. Itaque vere maius malum est dare cibum his, quam inanitione laborantibus subtrahere. Nam si detrahas cibum, vires paulatim corruunt, adeo, vt si extinguantur, id fit longo tempore; præterea facile est emendare errorem dando cibum, contra si in corpore pleno, & humoribus abundante copiosior cibus afferatur, cita mors infertur; quia multitudini humorum addita multitudo ciborum, auget morbum, & suffocat ægros. Præterea error hic minus corrigi potest. Et hoc est, quod dicebat Hippocrates, corpora impura quo magis nutries, tanto magis lędes. Et cibus, vt sano robur, ita ægro morbus.

Videtis ergo, quanto cum iudicio dicat maxime referre ad vtilitatem ægrorum, & gloriam Medicorum, non ignorare causam debilitatis virium. Subiungit Hippocrates sese docturum signa, quibus cognoscatur debilitas. Sed non fecit hoc in libro, in quo agit de morbis acutis curandis, & est practicus magna ex parte, & tractatio signorum magis ad theoriam pertinet, quam potius explicat in aphorismo in prorrh. aliisque. Sed ne vos huiusmodi rationem cognoscendi debilitatem virium desideretis, breuissime vos docebo, vnde capere debeatis locos & genera signorum. Duo sunt quibus medicus debet inuestigare signa debilitatis virium, imo vero omnium aliarum rerum pręter naturam, quæ homini possunt accidere sensus, & discursus. Hippocrates libro de arte. scribit, quod medicus debet prius niti, vt visu vel auditu intelligat. Medicus enim cum sit artifex sensatus, his duobus debet vti. Vbi neque visu neque auditu possit cognoscere, ad discursum & rationem sese conuertere debet Primo debet signa debilitatis virium inuenire sensu audiendi, qui (vt inquit Aristoteles) primus & præcipuus est ad capessendas disciplinas, hoc est, quod ægrotantes diligenter debet percunctari. Sed quid debet ægros interrogare? Tantum res externas, quia non cognoscunt ea, quę intus eos offendunt: quia alias (dicit Hippocrates) medicos non vocarent. Externa sunt res non naturales à medicis vocatæ.

Sensu & discursu omniũ rerum documenta captantur.

Auditus capiendis disciplinis accõmodus.

Ex ægris qualia roganda.

Primum igitur de aere quærendus est æger, vtrum fuerit vsus aere æstuoso, frigido, pestifero, fœtido. Nam hæ omnes aeris conditiones maxime debilitant vires, euacuando. Neque miremini, quod dico, frigidum aerem vires euacuare, quia hic reuera compellens & cogens intus calorem naturalem, illum auget, qui auctus depopulatur maxime humorem & cibum. Est hæc est causa, cur à frigore fit βέλιμος, de quo Plutarchus 6. συμποσ. 8. refert Brutum à niuibus, ita fame pressum, vt nisi cibus illi oblatus fuisset; interiisset protinus.

Frigidus aer quomodo vires afferat.

Brutus bulimo correptus.

Deinde rogandus est ęger de vigilia & de somno. Vnde Hippocrates libro primo Prognost. notat videndum esse, diligenter in facie cadauerosa, an vigiliæ nimiæ præcesserint.

Tertio, an sese exercuerit nimis, an mœrore affectus sit, an nimis se studiis macerauerit, an nimia venere vsus sit qua euacuatur, alimentum optimum vtilissimumq; nostri corporis.

Postremo de cibo & potu interrogare conuenit ægrum, quia si natura debilis, vsus est copiosiore cibo, signum est parum ei esse virium, propter nimiam repletionem si parciore vsus, laborare propter inanitionem. Pariter videndum

eſt, quibus cibis ſit vſus, paucine alimenti, an copioſi, & an venenatis. Vbi autem percurrerit medicus cauſas has externas, & non inuenerit vllam adeſſe, ad diſcurſum confugere debet, qui verſatur circa interna, quæ oculis non patent, res naturales ſcilicet, & non naturales.

Circa res naturales temperamentum conſiderari debet, ſexus habitus corporis, ætas. Primo temperamentum, ſi ſit calidum, frigidum, humidum vel ſiccum. Calido temperamento præditi, haud feruntinediam, ita vt hi, qui frigidiore ſunt: quemadmodum carnibus denſis facile ferunt, laxis facilime labefactantur.

Fœminæ viris ſunt imbecilliores. Vbi circa huiuſmodi res naturales verſatus eſt diligenter, debet ad res non naturales accedere, quæ debilitant vires, quæ ſunt morbus ſymptomaque.

Morbus in mala intemperie ſimplici compoſita, cum materia aut ſine ea, & in mala conformatione, vel ſoluta vnitate. Intemperies ſuis ſignis cognoſcuntur; quemadmodum debilitatio vites in morbo à mala conformatione, obſtructione vt arguato motbo, & ſolutione continui. Vbi percurterit morbos, debet petcurrere etiam ſymptomata, vt morſum ventriculi, ſanguinis fluxum, ſudorem copioſiorem & vrinam.

Atque ita per res naturales, & non naturales percurrens, facile inueniet Medicus cauſas debilitatis virium.

Παραπλήσιά μέντοι τοῖσι κατὰ κοιλίην.

Similia porro iis, quæ ventriculo.

HIppocrates, vt viſum eſt, inſtituerat ſermonem in hoc libro de non permutandá conſuetudine. Proinde multa dixit hac de re, atque recenſuit mala & damna ob mutatam conſuetudinem cœnæ & prandii. Poſt hæc nonnulla inſeruit de debilitatione virium, & de detrimentis ignotationis cauſarum debilitatis. Nunc reſumit inchoatum ſermonem de non mutanda conſuetudine. Sed ſtatim dicet aliquis, cur Hippoctates non continuauit ſermonem de non mutanda conſuetudine, etſi intertumpit, cur poſtmodum reſumit? Hoc etiam Hippocrates neque temere neque inconſulte fecit. Nam cum meminiſſet debilitatis virium, quæ conſequitur mutatam conſuetudinem, putauit fere neceſſarium eſſe, de debilitate nonnulla ad vitam maxime tuendam, morboſque propulſandos non parum facientia interponere. Nunc autem reſumit, quia hæc res maximi momenti eſt, tum propter ſeipſam, tum maxime propter maximam faurorum huius ſententiæ exiſtimationem. Niſi enim diligentiſſime ſuſtuliſſet hunc errorem, periculum erat, ne alii in multo grauiorem errorem inciderent. Quod igitur in præſenti dictione docet, eſt quod quemadmodum, ſi ventriculus diu otioſus à concoquendo, labore concoquendi capiatur, maxime patitur, & maxima mala inducit, vt dictum eſt ante: ſic (inquit Hippocrates) ſi ſpectemus pedes, articulos omnes, & vniuerſum corpus, ſi oculos, ſi denres, idem contingit, quaſi dicat, nullam eſſe partem in corpore noſtro, quæ ſi importune immutationem ſentiat, non patitur; imo addit, ſi quis non aſſueuit molli cubili dotmire, cogaturque hoc facete, offendi & alia multa. Quod enim hoc verum eſt, poſſumus pauliſper diligentius intueri: quia ſi intueműr actiones pedum, qui conſueuerunt ambulare ii, ſi quieſcant, male habent. Ita qui quiete vti ſemper ſolent, ſi ſe moueant, derepente offenduntur. Ita vbi articuli pariter non mouentut, mucus ille, qui eſt in articulis concteſcit & induratur: ſi nimis mouentur, ille humor maxime liquatur, vnde labor & laſſitudo ſequitur. Illud quoque maxime ſpectatur in oculis, quia ſi diu quieti fuerint, & deinde ſtatim moueantur, fatigantur: vt à ſomno ſtatim, non videmus, & memini me legiſſe Dyoniſ. tytann. ſolere excœcare homines, eos ex tenebris in lucem ſubito producens, quia conſuetudinem importune mutabat.

Dyon. tyran.

Pari

Pari pacto dicendum est de dentibus, qui statim ad masticandum diducti; à diutina quiete offensam incurrunt; vt qui cubili molli consueuerunt vti, ad durum transeuntes.

Sed læduntur etiam quicunque assueti sunt dormire sub tecto, & dormiunt sub dio, & qui sub dio dormire consueti, dormiunt sub tecto. Tanti est consuetudo momenti.

Circa quæ breuiter tria videre oportet, vnum est, quomodo Hippocrates dicat, quod si quispiam transeat à labore ad quietem, maxime offendi, cum idem 2. aphoris. quadragesimooctauo dicat, quod si quispiam ex labore doleat, quies statim remedio est. Præterea videndum est, cur, cum Hippocrates meminerit oculorum, pedum, dentium, articulorum, & totius corporis, manuum autem non meminit: cum tamen sunt instrumenta instrumentorum.

Postremo cur voluit adnectere exemplum de cubili re externa, non enim videtur simile esse allatis, quę sunt exempla partium corporis.

Circa primum dicunt nonnulli, Hippocratem locutum esse hoc in loco de mutatione ad motum & quietem repentina: in aphor. autem de ea quæ fit ἐκ παραγωγῆς, id est, paulatim.

Verum hæc responsio mihi nequaquam placet, quia secundum literam Hippocratis ἐξαίφνης videbimus loqui de repentina mutatione ad motum & quietem. Quapropter alio modo respondendum est, aliud esse transire à motu ad quietem, aliud à lassitudine. Hoc loco loquitur de mutatione à motu ad quietem. At in aphorismo loquitur de eo motu, cui coniunctus est labor lassitudoque, cuius remedium est quies.

Circa secundum autem, cur Hippocrates nullam mentionem faciat manuum, puto ego ob plures causas hoc fecisse; primum quia manus sunt in continuo motu magis, quam pedes; eapropter effectus mutationis à motu ad quietem, à quiete ad motum, non ita euidentes sunt in manibus, quia rarius quiescunt. Sed potuit etiam esse alia causa, quia cum manus robustissimę sunt (vt Alex. & Cass. in Problem. scribit) fit vt non ita ab hac mutatione patiantur.

Ad postremum autem, cur Hippocrates addit exemplum de cubili molli, duroque, puto hoc non temere fecisse, siquidem, vt probaret hanc mutationem repentinam maxime nocere, vsus est hoc exemplo, quasi dicat, non solum nocet mutatio, quæ cum motu fit, sed etiam illa, quæ sine motu fit.

Sed cur Hippocrates dicit, cubationem factam sub dio corpus indurare. Nam certum est, complura alia mala fieri, vbi quispiam sub dio dormit? Nam cum eo tempore sint veluti sopita, ac propterea non habent vim resistendi iniuriis externis magis læduntur sub luna, vt dicit Alexand. & Cass. in Problem. Sed cur dicit indurare? Hoc etiam non absque ratione dicit, quia induratio fit à frigore, aer nocturnus frigidus est, ergo non est mirum tum temporis indurari corpora sub dio dormientia. Sed etiam hic affectus est perniciosus, quia tempore somni cum maxime calemus, maxima copia fuliginum fit, quæ opus est vt copiose excernatur. Sed si indurentur corpora, retinentur fuligines, & calor natiuus veluti suffocatur: vnde pallidi sunt fere omnes statim atq; expergiscuntur à somno diuturniore. *Sub dio cubare, corpus indurat.*

Sed est etiam aliud, quomodo Hippocrates videatur damnare nimiam exercitationem & nimium motum, & mutationem à quiete ad motum. Primum quia Hippocrates sexto Epidem. sectione quinta, aphorismo vigesimo, de exercitatione loquens dicebat, exercitationem conferre carnibus & articulis, & somnum visceribus: & frequenter sanum oportere mouere corpus accinit, quemadmodum Aristoteles secundo Ethic. ad eadem. Post initium comparans errores exercitationes, & cibi & potus dicebat, in exercitatione semper excessus proximior est medio quam defectus (quasi dicat semper melius est paulo plus se exerceret, quam minus.) In cibo & potu *Exercitatio carnibus: somnus visceribus confert.*

semper defectus proximior est medio, quam excessus, quasi melius sit minus ciborum, quam amplius sumere? Responderi debet, non omnem mutationem à quiete ad motum, sed eam tantum, quæ à graui & longiore quiete repente & importune ad motum transit. Sed quid ad Aristotelem dicemus. Aristotelem non loqui de sanitate, sed de moribus; & propterea iure dicit, excessum exercitationum ad informādos mores magis valere, inediam ptiorem haberi oportet; quam excessum in cibo & potu, cum Hippocrates dicat ratione sanitatis melius esse paulo amplius repleri.

Ἀτὰρ δὲ καὶ τῶν τοιῶν δὲ πάντων δ᾽ ἑκέει.

Sed horum omnino exempla.

DOcuerat, vt audiuistis, Hippocrates, mutationem repentinam nocere in sanis & in ægris, atque potissimum in morbis acutis. Supererat, vt probaret exemplo alicuius morbi diuturni, quasi velit spectandam esse hanc mutationem, tam in sanis quam in ægris, tam in morbis acutis, quam diuturnis: vsusque est exemplo vlceris cruris.

Sed dicat aliquis, quare Hippocrates vtitur exemplo vlceris cruris, & non alterius morbi diuturni? Puto propter duas causas Hippocratem potius vsum esse exemplo vlceris cruris, vna est, quia superius meminerat pedum. Itaque ratione connexionis pedum & crurum vsus est hoc exemplo. Alia causa est, quia in exercitibus Hippocrates solitus erat viuere, in quibus sæpe fit hoc vlcus. Quare tanquam sibi perspectissimum & familiare affert hoc morbi genus & exemplum. Sed vt hoc exemplum intelligatis, scire oportet Hippocratem supponere corpus, quod sit neque durum neque molle, & vt vno verbo dicam, temperatum; præter ea vlcus non exiguum, neque magnum, neque in nobili parte, sed veluti in medio, & inquit: Si in cruris vlcere statim æger decumbat, & si post decubitum statim ambulet, lædetur. Sed si non solum statim, sed postquam quinque vel sex diebus quieuerit, ambulet, multo magis lædetur, quia fiet mutatio à longa quiete ad ambulationem; magis inquit lędetur, si ad laborem se contulerit, quasi dicat, omnem mutationem ad insueta esse perniciosam, sed maiorem esse perniciosiorem.

Πολλαπλασίη, μὴν ἂν κατὰ κοιλίην ἡ βλάβη.

Multo itaq; maior est in ventre læsio.

DIxit Hippocrates in superioribus, si recte memoria tenetis, vbi fit mutatio à quiete ad laborem, à labore ad quietem, vel ab inanitione ad repletionem à repletione ad inanitionem, nisi fiat opportune & prudenter semper esse mutationem pernitiosam, & in sanis & in ægris. Sed quia sciscitari aliquis posset, cum omnis mutatio est mala, quæ est deterior à motu ad quietem, vel à quiete ad motum, ab inanitione ad repletionem, vel à repletione ad inanitionem.

[..]træ muta[..]io sit nocē[..]ior, factane [..] quiete ad [..]otum, an [..]ntraria.

In præsenti nititur explicare huiusmodi nodum, & inquit: multo deterius esse ab inanitione, ad repletionem mutari statim, quam à repletione ad inanitionem, à quiete ad motum, quam à motu ad quietem. Ratio hæc est, quod vbi fit mutatio à motu ad quietem, à repletione ad inanitionem, fit mutatio ad remedium, cum contraria contrariorum sunt remedia, & motui quies, repletioni inanitio sit contrarium & remedium. Sed à quiete ad motum, ab inanitione ad repletionem, non est mutatio ad remedium.

Sed duo hic oriuntur dubia, vnum est: cur Hippocrates delectatus est potius comparare repletionem cum motu & quiete, quam cum alio quopiam, vt vigilia & somno: & cur ventriculi & totius corporis. Præterea difficile captu est, quo pacto dicat melius esse transmutari à repletione ad quietem, quam à quiete ad reple-

repletionem: cum contraria tamen contrariorum sint remedia. Circa primum dicendum est, non sine summo iudicio voluisse vti exemplo ventriculi, & totius corporis, quia in his duobus consistit tota vis sanitatis. Vnde Hippocrates dicebat sexto Epidem. exercitatio sanitatis est non impleri cibis, & ad labores impigrum esse. Ad secundum dicendum est, verum quidem esse contrariorum contraria esse remedia, sed non eodem modo sunt remedia. Fateor aliquo modo repletionem esse remedium inanitionis, sed non eodem modo, quia à repletione ad inanitatem mutationem transferendo, minori opus est prudentia, quam ab inanitione ad repletionem, quia in hac mutatione propter vitium imbecillitatem ab inanitione maiori opus est cautione prudentiaque, quia periculum est ne alias facile extinguantur. *Contraria contrariorũ remedia, quo modo.*

Idem de motu & quiete dicendum est: à motu ad quietem possumus tuto ire, vnde Hippocrates dicebat secundo aphoris. si quis à motu delassatur, quies remedium affert. Verum contrariam mutationem facere prudenter oportet, propter vitium infirmitatem.

Ο῾ δὴ ἐν πλεῖςος, πλεῖςός μοι λόγος.

De mutatione, quæ in hac vel illa fit.

ANte hanc dictionem deberent iure collocari postrema huius dictionis. Quanquam Galenus videtur aliter sentire. Sed quia mihi est animus, receptum Hippocratis contextum sectari explicabo. Igitur hic duo breuiter, sed multis verbis docet, vnum est cur tot attulerit de non mutanda consuetudine; aliud est, quod quæcunque hactenus dixit, per compendium resumit, & postea addit nonnulla. Cur igitur tot docuerit, inquit, quia est εὔχρηςον, hoc est, commodum & boni vsus, in sanis & in ęgris, in morbis acutis & diuturnis.

Alterum est Medicos Cnidios recte fecisse, (aduersus quos scripsit hunc librum) cum etiam ipsi postulante vsu hanc mutationem facerent, imo præcipit, vt aliquando fiat. Sed quanquam Cnidii faciebant hanc mutationem, faciebant tamen imprudenter, quia non faciebant ἐκ προσαγωγῆς. Hæc autem omnia (inquit) eo spectant, vt intelligatur in morbis acutis non esse faciendam mutationem, nisi morbus sit concoctus, vel nisi appareant aliqua signa, quæ consueuerunt cogere Medicum ad hoc.

Sed quæ sunt hæc signa? Hippocrates partim proponit in præsenti dictione, partim pollicetur se esse docturum. Tria dicit esse signorum genera, quibus coguntur Medici, pręter leges mutare victum; primum est euacuatio per sanguinem, sudorem, vrinam, vel aluum; secundum est ἐρεθισμὸς; tertium, inquit, esse signum hypochondriorum, quæ ad euacuationem pertinent, ex superioribus clara sunt, sed non ita clarum est, quid sit signum ἐρεθιςικὸν, id est, incitatorium, & quid sit signum hypochondriorum, Incitatoria dicit Galenus esse ea, quæ cum adsunt, indicant vires esse infirmas. Et hæc possunt esse omnes res non naturales. *Quibus in casibus coguntur Medici leges victus mutare*

Nam alibi dicit, loquens de signis his incitatoriis, esse illa, quæ impediunt naturam & crisin, vt ira mœror, lumbrici.

Sed dicetis, quomodo Hippocrates vult discernere signa incitatoria, ab euacuationis signis, quia incitatoria, vt morsus oris ventriculi & intestinorum producunt euacuationem? Dicendum est, Hippocratem non distinguere proprie hæc signa, sed esse quendam modum amplificandi, quia à particulari ad vniuersale pergit. Possumus etiam dicere signa excitatoria non considerari, vt euacuatoria. Sed vt impediunt naturam vel crisim.

Sed quid de hypochondriis dicemus? Galenus nutat hic, & dicit illa

illa eſſe, quæ comitari ſolent faciem cadauerofam, deſcriptam apud Hippocratem 1. Prognoſt. cum qua ſemper conſumta admodum ſunt & labefactata hypochondria, & addit ſæpe falli Medicos vulgates in hoc, quia illi tum temporis exiſtimant flagtare interiora, & propterea abſtinent à cibis, cum debetent irrorare & humectare hypochondria alimento. Sed puto ego etiam intellexiſſe quamcunque conſumtionem nimiam hypochondriorum & inflationem abſque vlla euidenti cauſa.

Quomodo quæſo repletio poteſt cogere Medicum, vt augeat cibum? Conſumptio quidem poteſt, ſed quomodo tumefactio & extenſio hypochondriorum? Hic eſt cardo huius rei. Id videtur interdum vſuuenire, vt præ inanitate & ſiccitate rumefiant viſcera hypochondriaque. Vbi inreſtina ſunt exſiccata, & calor natiuus non habet, quod paſcatur à proximis membris trahit ſuccos, quos cum non poſſunr concoquere, redigunt in flatus, qui non ſolum tumefaciunt hypochondria, ſed reddunt ea murmurantia: quod ſignum eſt in morbis acutis languentis caloris natiui, cum non poſſunt reduci ſucci ad optimum ſuccum & ſanguinem. Hoc etiam cognouit feſtiuiſſimus ſeruus Plautinus, qui præ fame & inanitate dixit, murmurare ſibi inteſtina.

Poſtremum illud eſt, cum Hippocrates polliceatur ſe traditurum hæc ſigna, vbinam ea tradit? Aliqui exiſtimarunt tradere ea, libro quarto, ſed alias dixi in cenſura Hippocratica, non eſſe librum genuinum Hippocratis. Alii exiſtimarunt, tertio libro hoc docuiſſe, vbi de hydromelite loquirur, ſed neque hoc verum eſt, quia eo loco pauciſſima dicit, & non admodum etiam ad hunc locum accommodata. Ego autem exiſtimo Hippocrarem dixiſſe, ſe docturum hæc ſigna ſimpliciter non in hoc libro, ſed vbinam. In aph. in coac. prædict.

Ἀγρυπνίη ἰσχυρὴ πόματα καὶ σιτία ὠμά.

Vigilia fortis.

CVm Galenus animaduettiſſet hanc poſtremam in libro de morbis acutis dictionem, nullam connexionem cum ſuperioribus habere, quemadmodum etiam multas alias, putauit hunc librum ab Hippocrate minime fuiſſe editum, ſed potius ab aliquo ipſius auditorum. Nam is fuit mos Hippocratis, vt in libris ſcriberet, quæcunque memoriæ vellet mandare, & aliquando repeteret interdum negligeret? nonnunquam in marginibus annotabat, quæcunque occurrebant, & in calce libri, quemadmodum hoc in loco feciſſe creditur ab ipſo Galeno. Ego autem puto potius hanc præclaram ſenrentiam fuiſſe conſcriptam ab Hippocrate, ſed fuiſſe translatam, quia eſt ponenda immediate ante antecedentem dictionem, ita vt ſi ibi collocetur, appareat manifeſtiſſima connexio, ſiquidem cum Hippocrates tractaret de mutatione conſuetudinis in morbis acutis, & de detrimentis eius attulit exemplum de cibo & potu, de motu & quiete. Quare cum hic afferat exemplum de vigilia & ſomno, iure videtur connexio, quia ſunt ſex res non naturales, cibus & potus, motus & quies, ſomnus & vigiliæ. Dicit ergo Hippocrates mutationem à ſomno ad vigiliam immenſam, facere potus & cibos crudos & inconcoctiones: contra autem mutationem à vigilia ad ſomnum diſſoluere corpus, facere excoctionem & capitis grauitatem.

Mos Hipp. in ſuis conſignandis lib.

Videamus modo, quomodo à ſomno immoderato fiant hæc mala. Certiſſimum eſt inſtrumentum omnium corporis actionum eſſe calorem natiuum. Calor natiuus eſt ſubſtantia ſpirituoſa humida, atque conſtituta ex temperatura quatuor qualitatum, adeo, vt eſſentia caloris natiui ſit poſita in recta temperatura quatuor elementorum. Et quia calor natiuus cum continuo operetur, continuo minuitur, hinc fit, vt opus ſit eum continuo ſuſtentare & recreare.

Somni immoderati nocumenta.

Ad quod dedit duplicem motum huic calori, vnum ad ſuperiora, alterum ad inferiora. Motus ad ſuperiora inſeruit calori natiuo ad hoc, vt fuligines

Motus caloris natiui duplex.

gines continuo expellantur. Etenim nutritur seu potius recreatur ex sanguine purissimo, qui cum transit in nutrimentum, excitat & expellit fuligines. Ad quem motum ad superiora inseruit calor natiuus. Motus ad inferna confert ad attrahendum alimentum, quo calor ipse innatus sustentetur.

Cum igitur his duobus motibus sustentetur calor natiuus noster, hinc fit, vt & vigiliis & somno opus sit omnibus animalibus, vt medio hoc motu calor natiuus sustentetur. Quid facit in vigiliis? Mouetur sursum & maxime operatur circa expulsiones fuliginum, per somnum. calor natiuus contractus, attrahit pabulum, eoque fruitur. In vigiliis immoderatis calor natiuus nimium sursum fertur, & propterea expellit fuligines alimenti, quod capit vberrimum, atque hebetatur pariter. Contra autem in somno longo, coactus calor natiuus, cum non expellat fuligines alimenti, quod capit vberrimum, illis veluti obruitur.

Ex quibus potestis coniicere, quam prudenter dicat Hippocrates 2. aphor. lib. aphor. 3. somnus atque vigilia, vtraque si modum excesserunt malum: & non tanquam signum, inquit Galenus, sed tanquam causa. Ex hoc præclaro discursu videre potestis, quam egregie omnia consonent, quæ Hippocrates dicit, scilicet quod vigilia immensa parit cruditates, aut male concocti cibi remanent. Contra autem somnus immensus dissoluit corpus, coctionesque, & capitis grauitatem inducit, quia cum in vigilia hebetatur calor natiuus, cibi iure non possunt coqui, & fiunt crudi; ita vbi nimius est somnus, retinentur fuligines, & calor veluti onere quodam obruitur, & obrutus inducit lassitudinem, & capitis grauitatem. Et hoc est illud Hippocratis, quod hic dicit.

Circa quæ nonnulla nobis sunt consideranda; primum est, cum multa mala fiant ab immodicis vigiliis & somno, cur inquit somnum immoderatum facere cibos crudos, corporis lassitudinem, & capitis grauitatem; secundo, cur, cum recenseat mala vigiliarum immodicarum, & somni immodici, de vigiliis tantum dicit, duo facere cibos crudos & inconcoctos: somnum immodicum dicit facere tria; tertio, cur dicat vigilias immodicas facere cibos crudos & inconcoctos; quarto, quid significet vox coctio. Ex his videbitis, quot verba sunt in Hippocrate tot esse oracula.

Quod ad primum attinet, Hippocrates breuitatis amantissimus semper hoc studuit, vt semper auditorum & lectorum ingenia exerceret. Itaque contentus sæpe fuit vnum proponere, quod satis est clarum, vt alia ex hoc metiantur.

Sed quid dicendum est ad alterum dubium? Nonnulli qui viderunt forte hanc difficultatem, dixerunt Hippocratem hoc loco & libro, agentem de victu, voluisse ea duntaxat proponere, quæ ad victum attinent. Sed fabulæ sunt, quia si videbitis detrimenta somni immensi, sunt tria, capitis grauitas, lassitudo, & coctio: quorum priora non referri possunt ad victum, vltimum quidem potest. Quid igitur dicendum est, Galenus secundo aphoris. tertio scribit de somno & vigilia, varias fuisse autorum sententias; quidam existimarunt vigilias magis conferre ad coctionem, nonnulli somnum. *De somno & vigilia dissensio variorum, quid ad coctionē conferant.*

Has duas sententias voluit Hippocrates, quantum ego puto, hac breuissima sententia confutare; primum confutat eos, qui vigiliis dicebant fieri coctiones, quia dicit vigilia fortis facit cibos crudos. Confutauit etiam alios, quia dicit, somnum immodicum euidentia multa mala facere, vt lassitudinem corporis, capitis grauitatem & coctionem.

Circa tertium vero, dixi paulo ante vigilia forti hebetari calorem natiuum, quia motus ille ad superiora dissipat illum & hebetat. Deinde surgit frigus: à quo, vt dicit Galenus secundo loc. aff. cap. nono. & Auic. prima primi, ca. 3. perdun-

perduntur & diminuuntur actiones, vt à calore deprauantur. Cum igitur calor natiuus à frigore hebetatur, læditur actio diminuta ablataq;. Itaq; cum actio ablata læditur, fit crudus cibus, vbi diminuta fit cibus inconcoctus. Erat quartum, quid ἐφθότης significet. Galenus (qui sæpe desiit penetrare sensa diuina Hippoc.) semper interpretatur coctionem. Sed parcat mihi, quid hoc est, somnum immensum parere coctionem. Est hoc vulgatissimum; vult docere detrimenta. Coctio non est detrimentum. Alii intimius rem ipsam considerantes, dixerunt intelligere detrimentum, sequens nimiam elixationem, quasi in somno immoderato elixetur nimis cibus. Sed neq; hæc interpretatio mihi placet, quia coctio vera & legitima semper fit elixatione, vt dicit Aristoteles 4. metheor. Atq; quanto magis elixantur, tanto facilius coquuntur. Neq; valet ratio, quia nos solemus cibos contundere, vt elixarentur & coquerentur melius. Quid igitur vult intelligere Hippocrates. Id quod quotidiana experientia probatur. Et est verissimum, per nimium somnum cogi vehementer calorem natiuum, qui vbi collectus est in sese, in immensum crescit, atque ita comburit cibos; vt hoc loco iurarem, nihil aliud velle docere, quam ab immoderato somno cibos ipsos comburi. Quod autem hęc vox id significet, testis est Hesychius, qui ἔφθον appellat assatum. Præterea, si legitis quartum librũ epid. commemorat quandam constitutionem in Cranone tempore autumni, in qua corpora flagrabant, & inquit, ægros fuisse ἔφθυς, hoc est, combustos. Sed quomodo fit hæc assatio? Fit hoc pacto, quia si memoria tenetis, quæ dixi nuper, calor natiuus in motu ad superiora (quod fit in vigiliis) hebetatur; contrarium euenit in motu ad inferiora, quo fit maximus calor, à quo cibi deinde comburuntur. Et videte Galenum libro de aliment. facult. & Alex. primo Problem. 50. vbi scribunt, illos qui habent robustum calorem natiuum, si edunt cibos faciles coctu comburere illos, quia est magna improportio inter calorem & cibum.

ἐφθότης quid significet.

FINIS.



LIBER

LIBER TERTIVS SECVNDVM GALENVM.

γλυκὺν δὲ οἶνον, καὶ οἰνώδεα, &c.

Vinum autem dulce, quibus.



AVspicatur Galenus his verbis libro tertio de morbis acutis. Hippoc. Dico autem hoc facere Galenum, quia non sum certus, an Hippocrates ita distinxerit. Scio complures veterum scriptores non consueuisse diuidere tractationes suas in libros, & eo maxime puto tempore Hippocratis hoc fuisse in vsu, quia illud seculum erat rude admodum. Sed nihil ad rem hoc est. Illud certum est, huiusmodi tractationem exiguam habere connexionem cum superioribus, quia antea de mutatione & de vigilia locutus est: nunc autem de vino, & melicrate agit. Sed si spectetis, vniuersalem scopum Hippocratis miram conuenientiam habent inter se, ea quæ hic tractat, & quæ in superioribus. Est enim propositum Hippocrati, docere Medicum, quomodo debeat se gerere in victu instituendo in morbis acutis, quod in tribus potissimum comprehenditur, in cibis, sorbitionibus, & potionibus. De cibis non debebat Hippocrates agere, aut paucis admodum, quia cibus vix vllus morbis acutis accōmodarur, quemadmodnm paucissimi in morbis omnibus conueniunt, quia illis semper fere coniuncta est febris, quib. victus humidus ex præcepto Hipp. conuenit. Igitur supererat vt de sorbitionib. & potionib. ageret. De sorbitionibus lib. 2. tractauit. Nunc ergo reliquum erat illi tractare de potionib. Incipit ergo: Vinū dulce & vinosum, album & nigrum, aqua, oxymel. quomodo conueniant in morbis acutis, definire nos oportet, quasi dicat sapientissimus senex, cum hactenus docuerimus, quę sorbitiones conueniant, superest vt doceamus, quæ potiones sunt exhibendæ laborantibus morbis acutis, cuiusmodi sunt vinum, melicratum, oxymel: adeo vt sit Hippocratis sententia clarissima. Veruntamen, vt more nostro mysteria aliqua ex verbis Hippocratis eruamus, horum facienda est nobis anatome, quæ comprehenduntur quatuor summis capitibus; primum erit, cur potissimum inchoet hanc tractationem à vino, & quod admirationem parere potest, illud est, quia omnium potionum minime conuenit vinum in morbis acutis, quod non solum plerisque in locis docet Galenus, sed ex Medicorum omnium sententia prodidit memoriæ Plinius libr. 23. cap. 1. Secundum caput est, cur Hippocrates solummodo quatuor genera potionum recenseat. Sunt enim iuscula & serapia, quæ in vsum trahuntur in morbis acutis, aliaque. Tertium caput est, cur, cum multa sint genera vinorum, multæque differentiæ tantum duas recenset, dulce & vinosum, album & nigrum. Quartum vero, cur nullas mulsæ aquæ, oxymellis differentias ponat, cum tamen habeant, vt ait Galenus de antid. Circa primum, puto ego tres rationes haberi posse. Prior est, quia inter omnes potiones, quæ in morbis acutis dantur, nulla est, quæ magis vires conseruet, & roboret. Et quanquam docui alias non nutrire, dixi tamen maxime conferre ad vires conseruandas, & reficiendas. Alexand. etiam lib. 2. Probl. 62. dicebat, vinum absque pane non nutrire, sed cum eo quidem. Eapropter dicit Homerum semper solitum apponere hospitibus panem & vinum, quia his duobus robur debetur. Altera ratio est, quia erant Medici audacissimi tunc temporis, in præbendo vino. Itaque erat opus vt ante cetera decerneret hanc rem, & traderet certa & salubria documenta.

Quomodo hæc cum superiorib. connectantur.

Capita dictorum ab Hippocrate.

Vinum, siquidem non nutriat, vires tamen valde reficit.

menta. Tertia poteſt etiam adferri cauſa, quia de vino & de illius mutatione plura dicit, quam de aliis. Itaque poſtulabat ſibi primum locum vini tractatio.

Circa ſecundum dico, tempore Hippocratis, quando medicina non erat, ita exculta & delicata, vt nunc, paucas fuiſſe in vſu potiones, quæ poſtmodum creſcente luxu in immenſum auctæ ſunt, vt Plinius & Plutarchus memoriæ ptodiderunt. Plutarchus enim libro octauo ſympoſ. 9. diſputans de cauſis nouorum morborum, tempore ſuo, inter alia propomatum vſum inuentum fuiſſe ſcribit, & etiam vinum mulſum, (forſan in Græcia, cum Romæ tempore Plaut.) poſſumus etiam diœere, Hippocratem ſolum horum quatuor meminiſſe, vt quæ magis neceſſariæ ſunt, & commodiores in morbotum acutorum curatione, tam ad alendum, quam ad curandum. Tertio poſſumus dicere, omnes alias potiones, poſſe ad hæc quatuor reduci. Adeo vt nuſquam defecerit Hipp.

Ad tertium dicendum quidnam eſt? Galenus in commentar. diſputans hac de re, dixit, Hippocratem fuiſſe inordinatum & confuſum, eo, quod illa ætas, & artis conditiones hoc poſtulabant. Sed non mihi placet hæc reſponſio. Videmus itaque nunquid poſſumus veram aliquam huius rei rationem inuenire: idque vt perſpicue & vere faciamus, operæ pretium eſt, breuiter recenſere differentias vinorum. Eſt enim vinum aqua in vite concocta, vt dicebat Empedocles. Ex quo fit, vt ſit quoddam mixtum perfectum. In quolibet perfecto mixto reperiuntur qualitates primæ, ſecundę, tertiæ, & quartæ. Primæ qualitates ſunt elementorum; ſecundæ, ſunt ſenſibiles; tertiæ, quæ ſequuntur omnes antedictas qualitates, ſed reſpiciunt particulares partes, vt diuretica, & ſimilia; quartæ, ſunt illæ quæ formam indiuidualem ſequuntur, vt in rhabarbaro ducere bilem, vini eſt inebriare; Nam, vt docet Ariſtoteles tertia parte Problem. 1. vinum non inebriat ratione caloris. De poſterioribus pauca admodum apud Medicos reperias: de prioribus frequens vſus & mentio in illorum ſcriptis inuenitur. A primis qualitatibus capiuntur differentiæ, quia aliud calidum vinoſum, quod vinoſum vehemens nuncupatum; aliud frigidum, quod ἐλιγόφορον tenue exiguum debile, frigidum, inquam, appellat Galenus libro de antid. & dicit aliqua reperire quæ omnino fere aquam referunt colore, odore, & ſapore. A ſecundis qualitatibus capiuntur etiam alię differentiæ. Vel enim capiuntur à guſtatili, tactili, odoratuli, viſili. A guſtatili, aliud eſt dulce, aliud acidum, acre. Ab odoratili, odoratum, & inodorum. A viſili, aliud album, nigrum, fuluum, flauum, rubrum. A tactili, aliud craſſum ſubtile, mediocre. Nam facile ſputum prouocare, & vrinam, tenrare caput ex tertiis qualitatibus prouenit, vt inebriare ex quartis. Sed, vt dixi, hæ poſtremæ non ita commemorantur. Præter has fecerunt etiam differentias ab ætate, vt vetus, nouum, recentatum, quas æſtimarunt, vt indices primarum qualitatum. His conſtitutis quæritur, cur Hippocrates tantum quatuor differentias attulit. Reſpondeo, Hippocratem voluiſſe notiores, & ad morbos acutos curandos maxime facientes commemorare. Nam dulcia in pleuritide non ſemel laudantur hic. Poſſumus etiam dicere, Hippocrarem hoc feciſſe, quia de mutatione loquens à dulci ad vinoſum, & ab albo ad rubrum inquir. Hæ enim ſunt, quæ ſtatim occurrunt, quæ ſpectantur, & magnam conrrarietatem habent. Nec valet quod dulce & vinoſum à nemine tanquam contraria ponantur, ſed potius dulce & amarum, quoniam hæc contrariantur ſecundum operationes, ſputum euocandi, caput tentandi, inebriandi, &c.

Vini aqua in vite concocta, ſecundum Emped.

Axioma Phyſicum.

Quæ à quib. qualitatib. vinorum ſumantur differentiæ.

Dulce & vinoſum quomodo contrariæ.

Sed nonnulla hic ſunt diſcutienda; primum eſt, cur Galenus nullam mentionem facit vini amari. Nam non eſt dicendum, ipſum ignoraſſe, quia libro ſeptimo, & duodecimo eius meminir: & Auerrh. ſceund. collig. Sed quod plus eſt, vinum hoc amarum maxime commendatur, vt eſt apud Catullum videre, qui dicit, ingere mihi calices amariores. Secundum eſt cur veteres non fecerint mentionem vini noſtri picantis. Scio meminiſſe quidem vini picati, quod doliis pice oblitis cuſtodiebatur, ad maiorem ætatem ferendam: ſed picantis vini nuſquā apud

apud antiquos scriptores reperitur mentio facta. Tertium, an reperiatur vinum mali odoris, & an sine odore. Quartum, cur non fiant vina salsa, & cur alba nigra, fulua, flaua rubraq; tantum. Circa primum, posset aliquis dicere, tacuisse amarum vinum, quia non est perfectum, sed crudum, vt in cucurbitis, & aliis fructibus. Nam ætate & coctione amittunt amarorem, & fiunt iucunda. Sed hæc responsio mihi non placet, quia Galenus 7. meth. inquit, reperiri quædam vina, quæ vetustate amarorem contrahunt. Nam Plutarchus in quæst. natural. tradit, mare æstate magis quam hyeme esse salsum, propter partium subtiliorum consumptionem. Ita enim relictis partibus crassioribus, fit amarius. Quamquam ascititius erat, & neutiquam naturalis amaror ille, qui Christo à Iudæis offerebatur in potu. Puto ego hanc differentiam Galenum siluisse, quia vinorum amarorum nullus est in morbis acutis vsus, quod potentissima sunt & calidissima. Sed quid de sapore picante dicemus? Puto quidem habuisse veteres, sed complexos esse sub sapore acri aut acuto: Sub acri, quia appellarunt vinum mordens falernum. Apud Platonem legitur vinum edentulum, quia non mordebat. Puto etiam acuti nomine complexos esse, cum Auerrh. 7. collig. c. 26. dicat, illud esse acutum, quod mordeat, & asperet linguam. Sed postea delectabile est. Erat tertium, vtrum reperiatur vinum mali odoris, & an sine odore. Quod reperiatur sine odore, Plinius lib. 14. explicatissimis verbis scribit, vinum dulce esse prorsus sine odore. Sed apud eundem, eodem libro cap. 9. reperias scriptum, habere modicum odorem, sicut Aristoteles appellat aues quasdam ἄποδας, quæ exiguos habent pedes, & breuissimos. Ita sine odore dicuntur medicis, quæ exiguum habent odorem. Nam nullum vinum reperiri potest, prorsus oderis omnis expers. Imo lota non carent odore. Vnde veteres castitatis amantissimi oscula dabant suis fœminis, vt explorarent ex anima redolente vinum, an eo abstinuissent, vel eo vsi essent. Neq; ego puto, vinum esse mali odoris, nisi sit corruptum à vase. Habent vina semper proprium quendam odorem, sed malum nunquam, neque Plinius illius fecit mentionem, qui omnium meminit. Erat quartum, cur non fiant vina salsa, & cur fiat solum album nigrum, fuluum, flauum, rubrumque vinum. Veteres solebant facere vinum quoddam, quod appellabant τεθαλασσωμένον, & fiebat admixtione aquæ marinæ, aut quia immergebant ipsa dolia aquæ maris; vnde dicebat Plautus immergere vacuum mari. Sed hæc nihil ad rem. Est reddenda ratio, cur vina non fiant salsa. Ego existimo huius rei eam esse rationem, quia ea, quæ salsa sunt, potius excitant sitim, quam restinguunt, at potus vsus est sitim restinguere. Itaque vina amara nulla natura genuit vnquam. Etsi rei naturam perscrutari velimus, sapor salsus fit ex partibus adustis & transcolatis per aquam: atque cum vinum nihil aliud est, quam aqua attracta in vite, & ibi concocta, concoctio & exustio sunt contraria. Quare cum aqua salsa fit per exustionem, & vina omnia per concoctionem, fieri non potest, vt sint in rerum natura salsa.

Mare cur æstate salsius quam hyeme.

Vinum picans sub quo genere.

Apodes non omnino sine pedibus.

Osculi apud Veteres qua causa dati fœminis.

Vinum Tethalassomenum quid.

Vina salsa cur non fiant.

Sed quid de coloribus dicendum. Video maxime lusisse naturam in coloribus: in auibus omnia genera colorum reperiuntur; in quadrupedibus paucissima, in hominibus adhuc pauciora. Hæc ratio ita apud me est difficilis & obscura inuentu, vt fateri malim hebes ingenium meum tenueque, quam aliqnid certi super hac re affirmare. Neque Aristotelem intelligo. Refert quidem mea sententia ad media, & subiecta, adeo vt secundum varias proportiones recepti luminis per aquam & aerem, fiant varii colores, & secundum varietatem subiectorum. Aues cum sint biliosæ, potuerunt forsan habere varietatem colorum, quia varie recipiunt lumen, animalia bruta, minus: & homo adhuc minus. Idem de vino dici potest, propter suam temperiem & facultatem excipiendi lumen, duntaxat hos colores habere. Sed de his alias latius, & sequenti lectione non vulgatia forsan afferam in medium.

Natura maxime lusit in coloribus rerum.

Aues cur præ animalibus aliis variæ.

Illud dignum est inquisitione, quomodo vinum possit habere proprium quendam colorem, tanquam characterem, qui vni soli, & semper conuenit. Nam com-

Color οἰνωπὸς & quid.

plures ſcriptores ex Veteribus mentionem faciunt coloris vinoſi. Et vt ab antiquioribus initium mea iam ſumat oratio; colorem vinoſum οἰνωπὸν ab Ariſtotele appellatum. Homerus attribuit bobus. Euripides draconi. Hippocrates libro ſeptimo Epidem. excrementis. Et libro de natur. mulier. & ſecundo libro de morbis mulierum, tribuit ipſis mulierum corporibus, vt Actuarius vrinis. Theophraſt. tribuit aliquibus plantis. Quorum omnium autoritate apparet eſſe proprium quendam colorem vini: ſed neſcitur quis ille ſit. Cum ergo conſtat eſſe colorem, aliquem proprium vini, quiſnam ille ſit, breuiter eſt videndum. Si prius illud dixero. Gaza tranſtulit colorem vinoſum, qnem appellat οἰνωπὸν, cum ignoraret, quiſnam eſſet, modo fuluum, modo cæruleum, forſan ſecutus Homerum, qui ſæpe pontum dixit οἰνωπὸν. Ariſtoteles libro de coloribus, deſcribens huiuſmodi colorem, dixit fieri, cum radii aerei temperantur nigro puro, & coruſcante, veluti racemorum acini, qui fiunt vinoſi dum maturantur, ſicut vbi nigricant, fiunt halurgi ſeu punicei. Sed neque hæc reſponſio mihi placet, quia ſunt vuæ, albæ, nigræ, & fuluæ. Vnde licet videatur loqui Ariſtotel. de vuis nigris, haud tamen conuenit hic color bobus, & mari, vt voluit Homerus. Hippocrates libro de natur. mulier. & nõ longe ab initio libro de morbis mulierum, vult colorem οἰνωπὸν eſſe medium inter colorem album & nigrum, ſed cum ſint innumeri huiuſmodi colores medii, incertum adhnc eſt, quis proprie ſit color vinoſus: niſi fuſcum & oliuatum interpretemur. Nam mulierum vix alius color eſt, quam albus & fuſcus. Nigræ ſunt Aethiopes. Sed non de illis loquitur Hippocrates. Sed quid igitur dicendum eſt? Ego certe ſemper hęſitani, nec ſatis certus vnquam fui, quinam debeat dici color vinoſus.

Autoris ambiguitas in finiendo colore οἰνωπῷ.

Niſi dicarur nomen οἰνωπὸν, id eſt vinoſum, non à vino, quoniam id nullum habet proprium colorem, cui det appellationem, ſed, vt inquit Ariſtoteles, ab vnis illis, quæ priuſquam nigræ euadunt, ex albis colorem quendam medium contrahunt, qui prout magis illæ ad maturitatem accedunt, varius & diuerſus eſſe ſolet, vt forſan ob hoc etiam à ſcriptoribus, vt dixi, variis rebus tribuuntur. Erat quartum, cur Hippocrates commemorat plures differentias vini, oxymellis & aquæ nullas. Pro qua re conſtituenda, dicendum eſt. Haudquaquam mirum eſſe, nullas ſtatuere differentias aquæ, quia unum eſt genus aquæ, optimæque, cuius notas cum traderet nobis Hippocrates, dixit illam eſſe, quæ leuiſſima eſt, & facile caleſit, & facile refrigeratur.

Quę aqua, ſi poſſit haberi optima, capiatur ſemper proximior optimæ. Sed quid de oxymelite dicemus? Dupliciter reſponderi poteſt: tempore Hippocratis medicinam adhuc rudem fuiſſe, quia tum naſcebatur, & vulgatum eſt, quodaliquid eſt magis vicinum ortui, eo minus eſt omnibus numeris abſolutum, quemadmodum quo magis aliquid ab eo recedit, eo perfectius cenſetur; quamobrem non erant tot differentiæ oxymellis, quot poſtea ſunt inuentæ.

Quo quodvis ortũ vicinius, eo imperfectius

Plutarchus 8. ſympoſ. 9. quærens cauſas nouorum morborum, dixit tempore ſuo inuenta eſſe varia genera potionum, & inter alia commemorat vinum mulſum, cuius tamen eſt facta mentio apud Plautum antiquiorem ipſo.

Plautus Plutarcho antiquior.

Poteſt etiam dici hoc feciſſe, quia ſibi eſt conſilium de naturalibus differentiis diſputare, oxymel & mulſa omnes differentias habent ab arte.

Ὁ μὲν γλυκὴς, ἧσσον ἐστὶ καρηβαρικώτερος.

Dulce vinum vinoſo minus grauat caput.

QVod propoſuerat ſeſe tractaturum, nunc inchoat docere, & eundem ordinem ſeruat in tractanda hac materia, quem ſeruauit in ea proponenda. Propoſuit primum ſeſe tractaturum de vino dulci & vinoſo. Itaque in præſenti hac dictione comparans vinum dulce, & vinoſum, docet, quam vtilitatem præſtet dulce vinum, & quod detrimentum.

Vini dulcis quæ energia.

Tres vtilitates proponit huius vini, & tot etiam detrimenta. Quod igitur, inquit Hippocrates, eſt, vinum dulce minus, quam vinoſum caput grauat, & mentem ferit, & magis per aluum ſecedit. Poſt hæc alia

tria

tria docet nocumenta, quæ facit vinum dulce: Primum est, quod sit *μεγαλόσπλαγχος*, hoc est, viscera in tumorem attollit, lienem scilicet & iecur: Vnde neque biliosis conuenit, inquit, quia in his sitim facit. Ad hæc inquit, flatum facit in superioribus intestinis; non autem in inferioribus. Hæc sententia Hippocratis satis perspicua est prima fronte, veruntamen vt more nostro anatomen illius faciamus, & quæ documenta contineat, explicemus opus est. Sed prius videre oportet, de quo genere vini dulcis loquatur, quia Plinius libro decimoquarto, capite nono, monstrat quatuordecim fuisse genera vinorum dulcium; præterea dignum est consideratione, cur semper comparatiue loquatur, quando bona vini dulcis recenset. Dicit enim minus grauat caput, & ferit & magis per aluum secedit, quam vinum vinosum. Quando loquitur de detrimentis semper positiue, *μεγαλόσπλαγχος*, biliosis non conuenit, quia sitim facit, & flatum in superioribus intestinis inducit. Puto ego, quod ad primum attinet, hanc Hippocratis sententiam intelligendam esse de iis vinis, quæ vere & valde dulcia sunt, quibus sane conueniant omnes conditiones, quas proponit Hippocrates. Siue autem sit vinum dulce, naturale, an artificiale, nihil refert. Aeque enim fuit vtrunque in vsu apud veteres. Imo virgines apud Romanos vtebantur vino ex vuis passis. Multæ musto: sed dolia immergebant aquæ, vt vini vis retunderetur, & frangeretur, quam posset fieri maxime. Quod ad secundum spectat, audite mirabile documentum Hippocratis in his verbis vult docere Medicos, non debere audaces esse in vsu vini in morbis acutis, quia bona quæ facit vinum dulce, non sunt vere bona: sunt bona comparatiue, mala sunt vere, & ex sua natura. Igitur comparatiue semper loquitur, dum bona recenset, & positiue, quando eiusdem vini dulcis mala proponit. Itaque neque vos debetis esse audaces in præbendo vino in morbis acutis. Videamus modo, quo pacto vinum dulce minus feriat caput, minus grauet, quam vinum vinosum, & magis per aluum secedit. Dixit Galenus vinum dulce magis esse crassum, itaque minus petere caput ratione crassitiei. Sed quanquam hæc sententia minime est damnanda, non est tamen vera omnino, quia constat experientia, vinosum, cui aqua est immixta citius inebriare, vt dicit Aristoteles tertia sectione, Problem. 14. Igitur interdum etiam est crassum vinum vinosum, & non semper tenne. Audiuistis à Galeno, & ab Auicenna actiones semper deprauari à calore & aboleri à frigore. Ferire mentem est deprauatio eius. Ergo fit à calore. Quare quod *καρηβαρικὸν* facit vinum vinosum, est ratione caloris. Vinum dulce minus est calidum reuera; Eapropter minus ferit caput, minus vapores mittit in cerebrum. Imo sua crassitie poros replet, sibique aditum & viam adimit. Et hoc est quod docet Aristoteles tertio Problem. 27. vinum dulce non inebriare, quia etsi vinum propria sua natura inebriat, multum tamen facit caliditas & tenuitas. Sed quomodo Hippocrates scribit, vinum dulce magis, per aluum secedere, quia hoc videtur contra rationem esse & experientiam. Illi enim repugnat, quia Aristoteles 13. Problem. 3. recte dicit, vina dulcia magis fluitare & obstruere; Et experientia compertum est, frequentem vsum vini dulcis inducere ictéritiam, pallorem & obstructionem. Nonnulli dixerunt ea de causa hoc fieri, quia minus per vrinam secernitur: & in hanc sententiam compulsi sunt autoritate Hippocrats qui scribit in aphorism. multam deiectionem noctu factam, paucam mictionem significare: Et rursus, multam mictionem noctu factam, paucam deiectionem. Sed hæc sententia non videtur ingeniis satisfacere, quia illud est quod quæritur, cur vinum vinosum magis moueat vesicam, minus aluum, & cur dulce magis aluum, & minus vesicam. Puto ego huius rei hanc esse causam, quod vinum dulce permaneat in hypochondriis, & irriget atque humectet fœces. Possumus etiam dicere, hoc fieri, quia vina dulcia generant bilem maxime, quæ est stimulus facultatis expultricis intestinorum. Post has vtilitates commemorat Hippocrates detrimenta, quorum rationem breuiter videbimus: primum est, quia est *μεγαλεσπλαγχὸς*, hoc est, in tumorem attollit viscera, lienem & iecur. *μεγαλόσπλαγχοι* dicti illi, qui naturaliter

Vinorũ dulcium 14. genera apud Plinium.

Vinum dulce cur minus caput aggrauet.

Galen. ratio eleuatur.

Vinum dulce cur experditius aluo secedat.

Vini dulcis quæ damna.

liter hæc viscera habent magna. Medici appellant eos ita, quibus tumet iecur & lien. Sed quomodo à dulcibus fiunt tumores viscerum? pro qua re intelligenda scire oportet, Hippocratem loqui de corporibus laborantibus morbis acutis, in quibus viscera semper sunt flagrantia. In his retinetur, quam maxime in liene & iecore, partibus crassis & spongiosis, denique ea viscera accendunt, & tumere tandem faciunt, tum iecur & lien dulcibus naturaliter gaudet. Sed cur porro vtraque hæc pars delectatur dulcibus? Quia sunt instrumenta nutritionis, & dicebat Aristoteles libro de sens. & sensilib. & secunda sectione Problem. tertio, res dulces maxime nutrire. Atque pro confirmatione huius rei, veteres, vt saginarent sues, & anseres, ficubus nutriebant. Vnde iecur sempet συκωτὸν appellauere. Vnde nostrum vulgare fecato. Sed quod plus est, dicit Plinius libro decimo, capite vigesimosecundo, quod iecur anseris exemptum, si lacte & mulso repleatur, euadere amplissimum, quasi magna sit familiaritas inter iecur & dulcia, interque lienem non exigua. Atque hæc etiam est ratio, quod vina dulcia in corporibus biliosis magis bili augendæ occasionem præbent, materiesque sunt, & consequenter accendunt, & sitim inducunt. Vnde miror, cur Veteres appellauere glycyrrhizam ἄδιψον, quia vsu constat non ita facile sitim sedare, nisi dicamus eam, quæ fit à phlegmate salso aboleri, non autem eam, quæ fit à bile. Postremo dicit, facere flatum in intestinis superioribus. Sed inferiora sunt magis remota à calore. Ergo deberent magis flatus in his fieri. Vera autem illius rei est ratio, quod in superioribus intestinis retineatur vinum dulce, & fiant flatus, qui ratione crassitiei tam diu retinentur, donec dissipantur; priusquam ad inferiora intestina protrudantur. Etsi enim omne vinum gignat flatum, vt Aristoteles probat tertia sectione Problem. primo, id tamen facit magis dulce & nigrum, quam alba, quia crassius est & corpulentius. Sic itaque verum est, vinum dulce magis flatum facere in supernis, quam inferioribus intestinis.

Iecur & lien cur dulcibus oblectentur.

Iecur cur συκωτὸν apud Veteres.

Glycyrrhiza male ἄδιψος vocatur. Cur sitim minime compescat.

Καὶ γὰρ οὖν ἧσσον ἔτος διουρητικός.

Vrinas siquidem minus, quam.

COmparans Hippocrates in superiotibus vinum dulce & vinosum simpliciter, quæ bona & quæ mala faciat, perspicue nos docuit. Et quia proposuerat se tractaturum non solum de vino vinoso simpliciter, sed de vino vinoso albo, in præsenti comparans vinum vinosum album, & vinum dulce, quas facultates vtrunque habet, dicit. Est autem Hippocratis sententia, vinum vinosum magis mouere vrinam, quam vinum dulce, sed hoc magis conferre ad educendum sputum. Et quia Hippocrates hoc in loco multa loquitur de vinis, quasi vero liceat in morbis acutis passim exhibere vinum, scire debetis, verissimum esse quod dixit Galenus, scilicet, quæcunque docuit Hippocrates de vinorum affectibus & natura, duntaxat intelligenda esse in morbis acutis & declinantibus. Sed dicet aliquis, quare Hippocrates solum recenset facultatem mouendi vrinam, & sputum educendi inter illas, quæ plurimæ sunt? Ea est ratio, quia hoc libro consilium Hippocratis est de pleuritide & peripneumonia agere. Huiusmodi morbi maximum emolumentum sentiunt ex vsu horum remediorum. Sed circa hæc, quæ Hippocrates hoc in loco dicit, videre oportet, quo pacto vinum vinosum album, magis prouocet vrinam, quam vinum dulce. & rursus, quonam pacto vinum dulce magis conducit ad sputum educendum, quam vinosum. Postremo, quod hæc vox (quam aliud) significet.

Quomodo in acutis morbis vinum conducat.

Circa primum, sciendum est, quę prouocant vrinam, dupliciter id facere, improprie & proprie; Improprie, quæcunque ipsa tota conuertuntur in vrinam. Sic scribit Galenus secundo aphorismo vndecimo, & vigesimooctauo, nec non etiam duodecimo meth. capite quarto, vina aquosa maxime omnium prouocare vrinam, non proprie sed improprie, quia fere tota conuertuntur in vtinam. Proprie

Diuretica duplicia.

prie vero, vt Galenus libro quinto de simpl. med. fac. capite decimotertio, quæcunque separant serum ab ipso sanguine, & propellunt ad vesicam, cuiusmodi sunt omnia acria, calida, & tenuia. His constitutis, quomodo dicitur vinum vinosum album magis prouocare vrinam, quam vinum dulce? Puto ego improprie & proprie hoc accidere; Improprie, quia conuertuntur fere tota in vrinam; vnde Galenus in fin. lib. 1. de fac. nat. dicebat, totum illud, quod bibimus, effertur per vrinam, excepta exigua aliqua portiuncula, quæ per insensibilem transpirationem effluit. Itaque dicit bibaces plurimum & frequenter meiere. Possumus etiam dicere, quod proprie prouocant vrinam, quia sunt calida, acria, & tenuia, & hac ratione separant serum à sanguine, maximeq; fulua, vetustaq; vina hoc faciunt. Vere ergo dicit vinum vinosum album, magis prouocare vrinam quam dulce. *Bibaces sæpe meiunt.*

Erat secundo videndum, qua ratione vinum dulce magis confert ad educendum sputum, quam vinum vinosum. Nonnulli dixerunt fieri, quia dulcia sunt pectori amica. Sed hæc responsio nimis est vniuersalis, nec optantis intelligere libidinem, & appetitum explet, quia potest adhuc aliquis quærere, cur dulcia sint amica pectori; tum ex sententia Hippocratis, quę aliquid educunt, faciunt hoc propter familiaritatem quam habent cum eo quod educunt, non cum membris. Igitur alio modo hic nodus est tollendus. Ad educendum sputum, tria conferunt, facultas, instrumentum, & materia. Facultas, quæ proprie educit sputum, est animalis; hæc excitatur à facultate naturali, stimulata à materia cum qualitate tum quantitate. Alias facultas animalis non insurgeret ad expellendum. Concurrunt præterea instrumenta, vt gula, pulmo, thorax, quæ omnino oportet esse optime accommodata. Postremo oportet, vt sit præparata materia, ex viscida & crassa, vt sit incisa attenuata, deterſa, vt sit sequax. *Dulcia cur ad sputum educendum conferentia.*

Hęc cum ita sese habeant, videre oportet, qua ratione dulcia magis conferunt ad educendum sputum, quam vina vinosa. Possunt vnum vel alterum horum facere, omnia vero tria nihil æque ac vinum dulce. Primum, quod ad facultatem attinet, corroborat vinum dulce, quia ex sententia Aristotelis, (quod nuper citaui) omne quod est dulce, nutrit. Si nutrit, ergo robur addere, merito est existimandum. Conuenit etiam si instrumenta spectemus, quia irrigans illa & humectans emollit, aptioraque reddit, vt sputum educi facile possit. Ratione materiæ etiam conuenit, quia deterget. Sed quid vult dicere hæc vox (quam aliud.) Quidam intelligunt de vino vinoso albo alio. Sed ego puto de quocunque alio vino intelligi posse: quia vinum hoc dulce, de quo Hippocrates agit hoc loco, magis conducit ad educendum sputum è pectore, quam vllum aliud vinum. Et quia pollicitus sum, Galeni interpretationem semper examinare, apparet in fine commentarii huius aliqua contradictio apud Galenum: Inquit enim, post vinum dulce magis conferre vinum aquosum, quia corroborat. Ex quibus posset aliquis existimare vinum aquosum roborare, sed 2. aphor. l. 11. & 18. & li. de antidot. dicit, vina aquosa sicuti colore referunt aquam, ita etiam viribus & facultatibus: & addit minimum, quid conferre ad nutrimentum. Quod si verum est, quomodo fieri potest vt corroboret? Tolletur hæc controuersia, si dicamus vinum aquosum dupliciter considerari posse: vel enim considerari potest in comparatione ad omnes alias potiones, vel ad vinum dulce duntaxat. Si primo modo, sane post dulce magis roborat. Si respectu ad dulce, minus nutrit, & consequenter minus roborat. Vel possumus dicere, duntaxat in illis, qui calido pectore sunt, conferre, quorum pectus humectando molliendo, reddunt magis firmum aptumq; ad actionem obeundam. *Galeni contradictio mitigatur.*

Καὶ δίψει μὲν διψώδης ἐστὶ τῷ οἰνώδεος, ἤπερ

Et sane, quibus propinatum sitim faciat.

POterat quispiã dubitare, vtrũ hoc, q̃ scripsit Hip. simplicitet, & in omnib. verũ sit: nẽpe vinũ dulce magis cõferre ad sputũ educendũ, q̃ aliud vinũ. Ea ppter, vt hãc

suspicionem adimat, nunc dicit, in quibus huiusmodi vinum non conferat ad educendum sputum, & dicit, non conferre in illis, in quibus vinum dulce facit sitim, in quibus autem non facit sitim, conferre magis, quam aliud. Sed qui sunt illi, in quibus sitim facit? Dixit superius biliosis sitim facere. Ergo hoc loco nullos alios intelligit quam biliosos, quia vina dulcia in his magis comburuntur, & incremento bilis occasionem materiamque præbent, & consequenter sputa magis exiccant, quæ propterea difficile educuntur. Et hinc debetis vtilissimum vobis documentum comparate non esse consultum, semper dulcibus vti in morbis etiam pectoris, ad educendum sputum, quia in biliosis dulcia magis lædunt. Quare diligenter semper videndum est, qui sint biliosi. Sed quid vult dicete Hippocrates, quando dicit, illis vero, in quibus sitim non facit, magis conuenit, quam aliud, quid hoc est, quam aliud? alii dixerunt quam aliud, hoc est, vinum vinosum album. Sed hoc cõpertissimum est, iam hoc dixit. Præterea non est verum, quia vinum album & vinosum, ratione caliditatis exiccat sputa, imo vero facit sitim. Nam scribit Galenus 1. context. 4. commentar. in lib. Hippocratis de vict. acut. se ex potu vini generosi vidisse plurima mala esse oborta. Puto ego intelligendum, per quam aliud, hoc est, quam vinum alterius generis, quasi dicat, vinum dulce, in quibus sitim non facit, magis ex vtilitate ægi præberi, quam quodnis aliud vinum.

Non semper in morbis pectoris esse dulcibus vtendum.

Ὁ δὲ λευκὸς οἰνώδης οἶνος ἐπῄνηται.

At vero album vinosum vinum.

QVę dixit hactenus Hippocrates de vino dulci, fuerunt ad comparationem vini albi vinosi; Nunc autem loquitur simpliciter de vino albo vinoso. Est autem sententia Hippocratis, vinum album vinosum esse partim laudatum, & partim vituperatum, dum tractaretur de vino dulci. Veruntamen illud verum est, huiusmodi vinum penetrare, inquit, ad vesicam, prouocare vrinam, & esse καταῤῥηκτικόν, hoc est, esse aptum ad impetu quodam ruendum, transfluendumq́;, propter has conditiones, inquit Hippocrates, huiusmodi vinum esse ad multa vtile. Et quanquam ad aliqua sit ineptius, quam aliud vinum, attamen, inquit, quoniam prouocat vrinam, & purgat, liberat à morbis acutis, si tamen tale purgetur, quale purgari debet; quod addidit, quia si vrina prouocetur imprudenter, multum nocet interdum, quia vbi humores calidi & acres feruntur ad vesicam, eam solent plernnque exulcerare. Hæc sententia satis superficietenus perspicua est; veruntamen quia magna in medicina facienda documenta habet, operæ pretium est, intimius eam perscrutari. Et primum quod videre oportet, illud est, ad quid repetat iterum Hippocrates, quod vinum album prouocet vrinam; præterea, cur dicat hoc vinum pertingere ad vesicam, & prouocare vrinam, cum idem esse videntur, eademque bis dicere, alioqui breuitatis amantissimus hic existimare aliquis posset. Adhæc videndum est, quomodo dicat huiusmodi vinum ad multa vtile esse, quę sint hæ vtilitates, quæ præstantur ab vsu vini vinosi in morbis acutis. Postremo cut cum hic loquatur de morbis acutis, qui fiunt in pectore, prouocantia vrinam, iuuant, quia per diuretica potulenta euacuantur, quæ pectus non petunt. Nam etsi Veteres existimarunt potum ferri ad pulmones, fuit tamen refutatum à Galeno, & experientiæ repugnat. Circa primum dicendnm est, non temere repetere Hippocratem hoc in loco, hanc facultatem mouendi vrinam in vino albo; siquidem aliud est habere aliquam conditionem in comparatione ad aliud, aliud, habere aliquam operationem simpliciter & per se. Quare cum supra dixit, mouere vrinam respectu vini dulcis, poterat quispiam existimare, non habere hoc ex sua natura, Itaque demonstrat hanc facultatem habere ex sua natura, & per se. Sed cur dicit ferri ad vesicam & mouere urinam? Neque etiam hoc inutiliter apposuit; siquidem multa sunt, quæ ad vesicam transeunt, quæ tamen vere non mouent urinam, ut est vinum aquosum, & alia multa, quæ non sunt calida & acria.

Itaque

Itaque dicit transferri ad vesicam, & mouere vrinam, quasi proprie & improprie dicat mouere vrinam. Ad tertium dicendum, duas potissimum esse vtilitates: Vna est, quam commemorat Galenus libro quarta de san. tuend. capite quatto, vbi scribit, prouocationem vrinæ euacuare crudos illos succos, qui non possunt à natura coqui, qui succi crudi, cum in morbis acutis plurimi sunt, & euacuari possunt per vrinam, certe diuretica merito magnum fructum in his morbis afferunt. Alia est vtilitas, de qua scribit Galenus secundo libro de vict. acut. quando dicit, prouocationem vrinæ nihil aliud esse, quam depurationem sanguinis. Et quia in morbis acutis ab incendio febrili, & putredine sanguis violatur & contaminatur continuo; ergo continuo vtilissimum est eum depurare. Sed quomodo diuretica conueniunt in affectibus pectoris? Certe si solum conspicuas vias videamus, nullæ sunt. Veruntamen, vt Hippocrates memoriæ mandauit 6. Epidem. sect. 5. text. 2. natura sibi arcanas & nobis incognitas vias parit, vt propterea dixerit Galenus, sese aliquando vidisse ea, quæ erant in pectore expurgata fuisse per vrinam, & etiam per aluum. Sed est etiam coniunctio aliqua venæ sine pari vocatæ cum venis emulgentibus. Quocirca non malefaciunt Medici, qui in pleuritide vtuntur diureticis, quia per hanc venam sine pari vocatam, potest materia contenta in thorace per vrinam euacuari.

Κιῤῥῷ δὲ οἴνῳ ϗ μέλανι αὐστηρῷ ἐν.

Fuluo autem vino & nigro austero.

IN proponendo ea, quæ vellet Hippocrates hoc libro tractare, dixit se locuturum de vino albo & nigro, de vinoso & dulci. Et prius egit de vino dulci & vinoso albo; nunc vero agit de vino fuluo & austero. Sed cur etiam agit de vino fuluo & nigro austero? quia sunt media inter album & nigrum. De his etiam pauca admodum affert in medium, quia media participant naturam extremorum. Vnde qui callet naturam extremorum, consequenter etiam callet mediorum. Dicit itaq; de hoc vino: fuluo vino, nigro & austero vteris in morbis acutis, si adsint quinque conditiones, si non adsit capitis grauitas, si non adsit mentis percussio, si aluus non sit astricta, si vrina non sit cohibita, & si fœces sint humidiores & ramentosiores. Neque inepte & inutiliter voluit nobis proponere Hippocrates has conditiones, quia sciebat tanti momenti esse in morbis acutis adhibere vinum, vt nisi conditiones obseruentur necessariæ, æger sæpe in maxima pericula coniiciatur. Sed videamus singula. Primum, quare hac loquendi formula vtatur (si vteris) præterea videndum est, quomodo in morbis acutis concedat vina fulua austera. Nam cum vina concedi solent vel gratia nutrimenti, vel gratia remedii: gratia nutrimenti non cōuenit vinum fuluum, quia calidum est nimis, & in morbis acutis nō conueniunt calida. Atq; multo minus conuenit vinum austerum nigrum, quia γεώδης, vt dicebat Aristo. atq; austerum vinum, vt idem testatur Arist. est exasperatorium, & parat aditum ipsis vaporibus ad caput. Quapropter non videtur vinum fuluum austerum & nigrum conuenire in morbis acutis gratia nutrimenti. Neq; etiam ratione medicamenti conuenit, quia quodlibet vinum austerum astringit: quæ astringunt, quomodo in pectoris affectibus conueniunt? cum in his semper opus habemus aperientibus? præterea videre oportet, cur Hipp. vsus sit hac phrasi, si fœces sint humidiores & ramentosiores, cur non dixit, si fœces sint humidæ & ramentosæ. Postremo, quomodo dicat Gal. in comm. huius initio, omne vinum dulce esse nigrum, nō omne vinum nigrum esse dulce. Nam hoc sibi ipsi repugnat, & experientiæ. Circa primum, scire debetis, documenta duorum generum esse, alia quæ traduntur ex indulgentia, alia quæ cum præcepto. Hæc sunt necessaria illa vel propter consuetudinem, vel propter delicias conceduntur. In necessariis dicit Hippocrates, oportet facere, in non necessariis dicit, licet facere, quemadmodum hoc loco si vteris: quia in morbis acutis nunquam est necessariū huiusmodi vinum; & propterea dicit

Media naturam extremorum participant.

Documenta vel necessaria ex præcepto, vel indultoria ex appetitu ægrorum.

dicit Galenus, vtendum eſſe vino oligophoro. Imo vero idem 12. meth. cap. 4. loquens de ſyncope ex morbis crudis, in qua curanda poteſt conuenire vinum ratione virium, dicit vbi etiam febris magna eſt, neque etiam vino oligophoro vtendum, & quando indulgendum eſt, obſeruandæ ſunt hæ quinque conditiones Hippocratis. Quomodo ergo vult præberi vinum auſterum in morbis acutis? Galenus dicit intelligendum eſſe de iis morbis acutis, quibus coniungitur alui fluxus. Sed quanquam non diffitear, verum eſſe ipſius Galeni ſententiam, eſt tamen illius ſermo vniuerſalis, conuenitque non ſolum morbis acutis, ſed etiam omnibus aliis. Quapropter dicendum eſt, ſi vſus poſtulet vel propter conſuetudinem, vel propter delicias, vel propter vires, vel gratia corroborationis ventriculi. Nam Galenus ſexto aphoriſmo, inquit, vinum auſterum medium eſſe inter vinum generoſum & aquoſum, quia refugit noxam vini vinoſi, cum non ita lædit caput, & refugit etiam aquoſi. Sed cur inquit, ſi fœces ſunt humidiores, & ramentoſiores? Quia non in quolibet fluxu & abraſione inteſtinorum veniendum eſt ſtatim ad aſtringentia remedia, vt in initiis vtimur detergentibus: ſed quando iam progreſſus eſt morbus, iam fluxus eſt diuturnus, & materia alte viſcera depaſcitur. Sed quid dicemus ad Galeni contradictionem. Puto ego dupliciter reſponderi poſſe: Vno modo, forte in regione Galeni illud contigiſſe, vt dulcia vina ſemper eſſent nigra, poteſt etiam dormitaſſe hac in re. Sed poſſumus etiam dicere, aliud vinum dulce eſſe valde & ſimpliciter; aliud ſub dulce, vt vinum picans noſtrum. Si loquamur de valde dulci vino, poſſumus dicere vinum dulce ſolum eſſe nigrum: quia vina nigra ſunt terreſtris ſubſtantiæ, & ſemper maior dulcedo eſt in corpore craſſo. Si loquamur de dulci non ſimpliciter, dicimus verum neutiquam eſſe.

Docuit nos diuinus Hippocrates facultates vinorum ex effectibus: & ita docuit, vt dixerit, quandoque has notas eſſe certiſſimas conſueto vtens vocabulo τεκμήρια, atq; ſane effectus certa naturæ ſunt argumenta.

Προξυνιέναι δὲ δεῖ ὅτι τὰ μὲν ἄνω πάντα.

Quod autem ſuperiora quidem omnia.

DVbitari merito poſſit, nunquid hæc Hippocratis verba ſint referenda, ad vinum auſterum nigrum, an vero ad vinum dulce, an ad aliud aliquod vinum. Puto ego hæc verba intelligenda eſſe de quocunque vino, perinde atque hæc ſit vera Hippocratis ſententia, quodcunque vinum, ſi ſit debilius minus lædere partes ſuperiores, & veſicam, quam meracius: & econtra, vinum meracius iuuare magis inteſtina, quam dilutius.

Hæc pauca in præſenti lectione nos docet Hippocrates. Nec miremini de vino diluto, adeò pauca dixiſſe Hippocratem, quia inferius vbi tractabit de melicrato, nonnulla etiam alia docebit. Puto etiam hac de cauſa pauca de vino diluto ſcribere, quod veteres minime vterentur hoc vino, aut parciſſime. Sed vtcunque ſit, videamus primum, quid ſit vinum merum, & quid ſit vinum dilutum: & qua ratione vinum meracius magis noceat partibus ſuperioribus, & dilutius inteſtinis. Eſſe autem vinum merum, quod potentia validum eſt, & omnis aquæ expers certum eſt. Et eſt illud quod ἀκρατέστερον appellat Hippocrates. Ceterum dilutum, quod ὑδαρὲς appellat, duplex eſt. Aliud enim eſt naturale, quod à natura ita producitur, & appellatur frequenter ὀλιγόφορον vinum à Græcis, eo, quod ſuapte natura pauca aqua temperetur, ſicuti vinum fuiſſe Sabinum pleriſque in locis docet Galenus, quod & hac ratione dicebat concedi poſſe febricitantibus. Aliud eſt artificiale, & fit vino & aqua ſimul feruentibus, vel racemis ipſis expreſſa vua in aqua maceratis. Primum appellatur ſimpliciter dilutum; Secundum vero lora à Latinis & Græcis: quæ adhuc duplex eſt: alia enim fiebat, quando ſtatim erat exemptum vinum, alia quando exempto vino & prima aqua, alia adhuc appone-

Vinum merum quid. Vinum dilutum quid, & quotuplex.

Lora duplex

ponebatur, & appellabatur secunda lora, quam dicebat Galenus, minus ferire caput. Erat & aliud genus vini diluti, quando vinum aqua temperabatur in mensa hyeme & æstate: quæ mistio erat varia, pro varia natura vinorum. Itaque sub nomine vini aquosi intelligere debetis vinum aquosum non modo naturale, verum etiam artificiale. Huius igitur vini diluti conditiones nobis proponens Hippocrates, inquit, vinum dilutum minus lædere partes superiores, vinum merum magis iuuare intestina.

Videndum est, qua ratione vinum dilutum minus lædat superiora & vesicam; deinde cur meraeum iuuet intestina. Et quia Galenus dicit, in calidioribus locis fieri vina diluta, examinandum est nobis diligenter, an verum dicat. Quod ad primum spectat, certum est, vinum aquosum non lædere cerebrum, neque partes superiores, quia eo non mittit vapores feruidos & acres, quorum ratione vinum merum, vt audiuistis, caput lædit. Sed animaduertite hoc in loco dixisse, minime offendere partes superiores, quia omne vinum dilutum offendit caput.

Verum priusquam vlterius progrediamur, dubitatio oritur, vtrum verum sit minus lędere cerebrum vinum dilutum, quam merum, quia Aristoteles tertia sectione, Problem. 3. quęrens rationem, propter quam vinum dilutum magis inebriat, quam merum, inquit propter tres causas hoc facere; vna est, quia vinum mixtione aquæ magis attenuatur, quo fit, vt magis sursum feratur, & plus etiam offendat. Tum, inquit, vini diluti plus bibimus, quam meri: quare ratione copiæ maioris, magis etiam offendit caput. Tertio, quia vinum dilutum frigidum est, non potest seipsum coquere, quemadmodum potest merum & calidum; præterea idem Aristoteles eadem sectione Problem. decimoquarto, quærens rationem propter quam ebrietas, quæ fit à vino diluto, postridie durat, ebrietas autem quæ fit à vino mero, citius finitur inquit esse, quoniam vinum merum mittit in cerebrum facultates duntaxat & vapores, vinum dilutum contra mittit etiam suum corpus & substantiam. Iam vero multo difficilius est superare substantiam ipsam, quam vapores. *Cur dilutū vinum citius inebriet, rationes Aristot.*

Si hæc igitur, quæ scribit Aristoteles, vera sunt, non videtur vinum dilutum minus infestare cerebrum, quam merum. Respondendum est, vinum vel parum temperati aqua vel multum; si multum, minus lædit caput, quam merum. Et de hoc loquitur Hippocrates, quia inquit, dilutius, quasi dicat, multum dilutum. Si autem parum aquæ misceatur, secus fit, quia plurimum ferit caput, & de hoc loquitur Aristoteles, quemadmodum Problem. sectione duodecima, Problem. vltim. quando dicit vinum dilutum statim odorem amittit, intelligit de vino multum diluto. Sed quomodo dicit vinum dilutum minus lædere vesicam? Quia est pars frigida, non videtur esse tractanda rebus frigidis. Vnde Auerrh. dicere solebat, frigida esse inimica admodum ventriculo, quia est pars neruea & frigida. Pari pacto dicere possumus de vesica. Puto ego verum dixisse Hippocratem, & iuuamentum hoc proficisci à similitudine, quam habet vesica cum omnibus potulentis. Cum enim erat futurum receptaculum potus, æquum erat vt contraheret quandam proprietatem, qua nulla re frigida contraheret noxam. Et puto ego huic contigisse, quod vesicæ fellis, de qua Alexand. loquens primo Problem. trigesimooctauo dicebat, huiusmodi vesicam non lædi à bile, quanquam sit acris & mordax, propter quandam familiaritatem, quam habet cum bile. Idem dicendum puto de vesica, habere familiaritatem cum rebus aquosis. *Dubii solutio.*

Sequitur, vt videamus, qua ratione dicat merum magis lædere vesicam, & magis iuuare intestina. De læsione vesicæ à vino mero perspicua videtur esse ratio, quia calefacit iecur, renes. Vnde vrina redditur actis & mordax, quæ non solum generat lapillos, sed excoriat vesicam. Et videbitis in actu practico illos, qui delectantur vino mero semper fere laborare vesica. Sed cur iuuat intestina *Cur merum, lędat diluto magis intestina.*

& non

&non veſicam, cum vtraque ſunt neruea? Galenus videtur tribuiſſe ſtipticitati vini, propter quam corroborat inteſtina. Sed pace Galeni non puto hoc voluiſſe dicere Hippocratem; primum quia non eſt verum, omnia vina meraca habere ſtipticitatem. Præterea non eſt verum inteſtina ſemper egere aſtringentibus, Imo plerunque habent opus relaxantibus. Quare voluit dicere Hippocrates, hac ratione iuuare, quia in inteſtinis fit coctio: & hæc ſemper opus habet calore. A vino meraco magis calefiunt inteſtina, & audietis in actu practico, multis murmurare inteſtina ab vſu vini diluti, qui ſtatim atq; bibunt vinum merum liberantur. Erat poſtremum, quomodo Galenus dicat in regionibus calidiſſimis fieri vina aquoſiora, & in frigidioribus generoſiora. Alexand. Probl. 57. & 2. Probl. 6. loquens hac de re, inquit duo memoria digna, vnum eſt, quodlibet vinum alicuius caliditatis particeps eſſe: aliud in Aegypto, quæ regio eſt calidiſſima propter cœli feruorem terram aperiri, & expirare calorem, vnde ſuccus, ex quo nutriuntur vites, non poſſunt coqui, ex quo fit vt pariant vinum crudum & aquoſum. Contra vero in Scythia, in locis frigidis fiunt vina generoſa, propterea quod frigore aeris ambientis calor inteſtinus augetur, & ſuccus magis concoquitur, quo nutriuntur vites producunt vina generoſa, ac, vt ibi addit, idem contingit quod hominibus. Nam Aethiopes interna omnia frigida habent; quemadmodum gens ſeptentrionalis non frigida, ſed calida, habet interna omnia. Vnde dicebat Cæſar Sueuos & Germanos eſſe magis proceros. Sic etiam Ariſtoteles 14. ſect. Problem. dicere ſolebat, valere quidem viribus, ſed non ingenio, quia cum calor illorum ſit magnus, reddit eos quaſi continuo confuſæ mentis. Eſt igitur ratio veroſimilis, propter quam dixit Galenus vina in Scythia non eſſe dilutiora, ſed calidiora. Sed dicat aliquis, nonne ſolebat dicere Anaxerxes, in Scythia non eſſe vites; & propterea non eſſe tibicines, ſcire oportet, hoc nomen Scythiæ longe lateque accipi ſolum. Apud veteres enim intelligebant, omnes illos populos, qui habitant tractum frigidiorem omnibus aliis. Quapropter apud aliquos vinum naſcebatur, quod fere ſemper erat genetoſum, atque de his dicebat Ariſtoteles 3. Problem. 7. quando dicit, natura eſſe vinoſum, propter calorem inteſtinum. Apud nonnullos ſolum erat infœcundum vini.

In Ægypto calidiſſima tamen vinũ aquoſum.

Æthio. foris calidi, intus frigidi. Contra ſeptentrionales in-vola.

Anaxerxis dicterium explicatur.

Μελίκρητον δὲ πινόμενον διὰ πάσης.

Melicratum per totum morbum.

QVia Hippocrates primo propoſuerat ſe tractaturum de vino; ſecundo loco de melicrato; cum hactenus de vino luculentiſſime ſermonem habuit, nunc aggreditur de melicrato diſcurſum. Et eo maxime, quoniam mulſa, vt ſcribit Plinius, vinum eſt. Imo ſcribit idem vetuſtate vinum euadere: & hodie etiam complures ſunt nationes, quæ mulſa vtuntur loco vini, vt Moſcouitæ. Duo autem ſummatim de mulſa tractat Hippocrates, rectam rationem adminiſtrandi, & facultates illius. Recta adminiſtratio in quinque potiſſimum poſita eſt. Quare oporteret, vt de his quinque ageret. Sed breuitatis amantiſſimus ſenex agit duntaxat de tempore adminiſtrationis & diſperſionis, quia reliqua ſunt vulgatiſſima, vt modus conficiendi melicratum, & quantitas definiri non poteſt, & modus etiam eſt ſimplex, ſed quia tempus in morbis acutis adminiſtrandi omnia remedia eſt maximi momenti, & quibus conueniat, magnopere intereſt ſcire, dicit mulſam dari poſſe omni tempore, & in omnibus morbis acutis, non conuenire autem bilioſis, & qui habent viſcera magna. Sed antequam ad explicationem huius ſententiæ deueniamus, operæ pretium eſt docere, quid ſit mulſa, & quomodo factitari ſoleat. Inuenietis apud Scriptores has duas voces, mulſum & mulſam. Quare vt ſciatis diſtinguere, docebo quid ſit mulſum, & quid ſit mulſa, & quomodo vtrunque factitari ſolet. Iulius Pollux exiſtimat οἰνόμελι & μελίκρατον, mulſum & mulſam idem eſſe. Sed fallitur, quia μελίκρατον, quod Latini mulſam appellant, fiebat

Mulſa vetuſtate vinum fit.

Mulſa quib. proſit & obſit.

Mulſa quid ſit, & vt fiat

Mulſa & Mulſum duo ſunt.

Pollucis error.

ex aqua & melle. Mulsum vero ex melle & vino, fiebat etiam μελίτης ex melle & musto, de quo scribit Dioscorid. libro quinto, capite sexto, quod tamen desueuisse tempore suo dicit Plinius libro vigesimosecundo, capite vigesimoquarto. Aliud genus erat, quod fiebat ex vino & melle. Er hoc etiam duplex erat: vel enim fiebat ex vino austero, vel ex vino antiquissimo, & illud appellabatur οἰνόμελι, siue mel & vinum, vel vinum mulsum. De hoc vino mulso etiam dicit Plutarch. 8, sympo. vbi inter alia genera nouorum morborum enumerat propomata & mulsum, tanquam hoc suo tempore esset nouum. Aliud expendendum est, quod apud eundem Plutarch. 4, symp. cap. 4. legitur, veteres non consueuisse miscere mel vino, quia hoc corrumpitur. Circa primum dubitatio oritur, quia non est verum cœpisse rempore Plutarchi vinum mulsum, quia scribit Plinius lib. 14. cap. 4. qui vixit tempore Traiani Imperatoris, Aristæum Thracium cœpisse primum miscere vinum cum melle. Præterea habemus apud Plautum, Ciceronem, aliosque factam mulsi mensionem. Alterum quod Plutarchus habet memoriæ proditum, falsissimum est, vinum corrumpi melle, quia non solum fuit vsitatissimum, sed vtilissimum. Ita dicit Varro iterum morbum mulso curari. Ita scribitur Cæsarem rogasse Pollionem centenarium, quomodo ad ætatem adeo prouectam peruenisset, respondisseque, eum ex vsu mulsi, intetius: & olei exterius. Sed vt huic dubitationi occurramus, dicendum est corrumpi vinum, si statim atq; ei commistum sit mel, bibere velimus, sed si inueterascit, est potus delitiosiss. & gratiosiss. Sed de mulso nihil fere scriptum inuenitur, apud Medicos, quemadmodum de mulsa aliquid. Videamus ergo quid sit hoc medicamentum. Μελίκρατον, quod mulsam latini vocabant, dupliciter fiebat; accipiebant mel & aquam, & decoquebant pariter, seponebantque ad vsum: tum faui aliquando macerabantur in vino: illud μελίκρατον simpliciter appellabatur hoc δευτερίον, & vt dicit Plinius, & recte proportione respondet loræ. *Pollionis responsum strictum.* *Melicrati faciendi ratio.*

Primum genus melicrati adhuc varie fiebat. Et in omnibus id obseruabatur, vt purissima aqua caperetur, putealis cœlestis vel fontana, & modo plus aquæ miscebatur, quod μελίκρατον ὑδαρὲς appellabatur; nonnunquam plus vini, quod ἀκρατέστερον vocabatur. Illius frequens est mentio apud Hippocratem; De qua loquens Hippocrates, inquit conuenire omnibus morbis acutis, & in omni tempore quomodo conueniat omnibus morbis acutis apertissima est ratio, quia si capiamus melicratum, & quod aquosum est, ratione aquæ maximam vim habet refrigerandi & humectandi, ratione vero mellis, maximam vim habet penettandi. Sed vt scribit Galenus, maxime conuenit in morbis acutissimis, in quibus status est in procinctu, & parte alere ægrum oportet, μελίκρατον vt dixi, habet rationem medicamenti: refrigerat & humectat ratione aquæ, & parum nutrit ratione mellis, ita vt habeat etiam rationem alimenti vsum, & maximum, cõuenit etiam omni tempore, quid in initio, augmento, statu & declinatione conuenit, & quia non plus neq; minus alit, quam conuenit, & quia gratiosissimus est potus.

Atque hinc facile potestis conijcere quantum distet ratio medendi qua hodie vtuntur passim ab ea qua veteres olim, qui quatuor aut quinque dies solo melicrato audebant ægtos sustentare. Et certissimum est innumeros ægros propter hanc prauam viuendi rationem hodie interire.

Dicit deinde non conuenire biliosis, & his qui habent viscera magna. Quod biliosis non conueniat, accidit ratione mellis, quia vbi bilis abundat, non conueniunt dulcia, & præsertim mel.

Est tamen animaduertendum, quod monuit Galenus hoc non simpliciter verum esse, sed solum in iis, in quibus bilis retinetur, quia si bilis excernatur per vrinam aut aluum, cum auxiliatur facultati expultrici naturæ, sane conuenit. Est autem inquisitione dignum, cur dicat non conuenire his qui habent viscera magna. Galenus putauit duntaxat intelligendum esse de tumore inflammatorio, in

quo accenditur faciliter mel. Alii putarunt de omni tumoris genere intelligi posse, quasi in œdemate, scirrho conueniat, aliisque. Ego autem puto omnes tumores intelligendos, sed diuerso modo.

Primo tumorem inflammatorium, quia per se & nullo modo conuenit, quia vt dixi magis accenduntur dulcia, & mel præsertim in omnibus morbis ab inflammatione excitatis. In aliis tumoribus nocet quidem aliqua ratione, sed multo minus. Et hoc pacto etiam intelligendus est Galen.

Melicrati facultates. Porro pergit Hippocrates, postquam egit de ratione administrandi melicratum, tradere nobis facultates; quarum prima est, quod minus faciat sitim quam vinum dulce. Sed cur incipit ab enarratione sitis? quia hic Hippocrates tractat de morbis acutis qui fiunt in pectore, in quibus nihil magis angit ægros & Medicos, quam sitis. Eapropter iure merito dicit ante cætera minus sitim inducere, quam vinum dulce; & comparauit melicratum vino dulci; quia hoc est optabilius. Operæpretium est, vt si vellet commendare melicratum, detraheret aliquid de vino dulci. Secundum est, quod emollit pulmones, & sputum mediocriter educit, tussim sedat, & vltimo inducit quandam visciditatem plus quam mediocrem. Sed cur inducit minus sitim quam vinum dulce? Galenus existimauit tribuendam esse penetrationi, quia inquit statim penetrat ad renes & vesicam. Eapropter, inquit, sitim placat.

Documentũ rusticorum ad fortius restinguendum sitim. Fateor ego ad sedandam sitim magnopere conducere penetrationem; imo rustici à natura ipsa edocti, solent sub cane vino miscere parum aceti ad restinguendam melius sitim, & forsan hac ratione tunc temporis Hesiodus & alii commendant vsum vini potentis tanquam magis penetrantis, & extinguentis sitim, quia frigida & humida extinguentia sitim suapte natura sunt pigra & tarda, vnde ad irrigandas partes exsiccatas opus est vehiculo. Ex altera parte est authoritas Aristo. qua non videtur posse hoc facere penetratio ad renes, vesicam & intestina, qui 7. problem. dicit, panem & vinum magis extinguere sitim, quam vinum solum, quia adhæret parietibus gulæ, & non penetrat. Et nos solemus iubere in febrientibus ad placandam sitim, vt paulatim sumantur, teneanturque aliquamdiu in ore, & demittantur tarde satis, ea quæ sitim extinguere solent. Igitur in hac difficultate dicendum est Hippocratem non dixisse excitatam sitim extinguere penetratione, sed quia pulmones emollit & irrigat. Ita enim ex particula γὰρ colligere facile quisque potest. Sed quomodo hoc fit? Duplici ratione, primum quia sitis veram & potissimam originem habet à calore, & Aristotel. 1. problem. quærens rationem, propter quam qui habent pulmones calidos maxime sitiant, id esse dicit propter feruorem. Idem tertio de Partib. animalium capit. octauo scribit, naturam solum dedisse vesicam his qui habent pulmones calidos, quod cum ita sit, minime mirari oportet, quod Plato & Plutarchus existimarint potum ferri ad pulmones, quamquam postmodum ab Hippocrate lib. 4. de morb. est refutata horum sententia.

Vt facile in hanc sententiam descenderit, si deberet restingui sitis, debere placare æstum. Itaque dicit minus esse siticulosum, quia emollit & humectat. Iam vero quod ad melicratum educat sputum, in causa est vis detersoria, merito cuius & penetrationis ad pectus paratur materia, & excitatur vis expultrix dum materia detersa diuellitur à partibus quibus hæret. Dicitur quoque eadem ratione lenire tussim, quia materiam educit facientem tussim, præterquam quod molliens pectus & pulmones, facit minorẽ & placidam tussim. Sed dubitatione dignũ videtur, quomodo Hipp. dicit detergentia facere sputũ plus quam mediocriter viscidũ. Nam secus videtur, quoniam detersoria facultas est contraria ipsi visciditati. Nam Gal. 5. simpl. c. 12. ponens differentiam inter extergentia & poros repurgantia, siue ἐκφρακτικὰ aut ἐκκαθαρτικὰ & ῥυπτικὰ dicit, vtraq; esse eiusdẽ substantię, differre tantũ ratione maioris & minoris, atq; ambo viscidis esse contraria. Si melicratũ ponitur

inter præcipua abstetgentia, quomodo facit sputum viscidum? præterea Arist. 1. sect. probl. 11. quærens rationem, propter quam si farina misceatur cum melle fit fragilior, quam si cum aqua, dicit esse, quod quandam habet friabilitatem. Dicendum est, aliud esse viscidum esse, aliud esse viscidum facere. Melicratum suapte natura non est viscidum, sed habet facultatem visciditatem abstergendi. Nam quæ calida sunt, vbi miscentur aqueis crassis, & lenta & viscida redduntur, etiamsi minime talia sunt & detergere queant. Sic melicratum pituitæ aqueæ commixtum eam viscidam reddit, quo fit, vt non refugiat expulsionem, quemadmodum refugiunt humores aquei & tenues, & qui nimium viscidi sunt, dum hi partibus pectoris tenaciter adhærent.

ἐστὶ δὲ καὶ οὐρητικὸς μελίκρητον ἱκανῶς.

Vrinam etiam mouet.

INTER facultates medicamentorum numerantur quoque à Medicis illæ, quæ à partibus, quas iuuant nomen accipiunt, vt apud Galen. 5. de simpl. med. facult. cap. 24. licet videre, quemadmodum sunt hepaticæ, opthalmicæ, stomachicæ. Sunt etiam aliæ quæ partis alicuius expurgationem designant, vt vrinam aluumque mouentis & expectoratoria: De his omnibus facultatibus & aliis, quæ in melictato reperiuntur, hoc in loco docet Hippocrates, & in proposita dictione de diuretica & eccoprotica facultate loquitur, dicens vrinam etiam mouere sufficienter, nisi quod à visceribus prohibeatur. Videamus autem quomodo melicratum sit diureticum. Nam hæc res non ita videtur esse perspicua, siquidem Galen. 5. de simplic. med. facult. cap. 12. & 13. dixit ea esse diuretica, quæ calida sunt & aeria, & segregant serum ab ipso sanguine, quod serum separatum mittitur in renes qui exsugentes quicquid alimenti inest, reliquum retrudunt in vesicam: sed melicratum multum abest, vt habeat hanc facultatem separandi serum ab ipso sanguine, siquidem neque medicamentum calidum & acreest, neque hoc vnquam ab Hippocrate & Galeno sibi est attributum: cur ergo dicit mouere vrinam.

Respondeo aliud esse, διουρητικὸν, aliud οὐρητικόν. Diureticum dicitur illud, quod audiuistis proprie, οὐρητικὸν dicitur proprie illud, quod fit vrina, melicratum primo modo non dicitur mouere vrinam, sed secundo, quia suapte natuta peruenit ad vesicam & renes, & vrina fit. Sed cur addit vocem ἱκανῶς? quia sunt aliqua quæ etiam sponte pertingunt ad vrinam, imo quicquid potamus peruenit, vt est testis Galenus lib. 2. de fac. nat. ad vrinam, sed inter alia potulenta hoc habet melicratum, vt propere feratur ad vesicam. Sed cur addit, nisi aliquid à visceribus prohibeatur? Quia omnia diuretica si impediuntur, non possunt ad vesicam peruenire. Quomodo autem vulgatissima proponit Hippocrates? In his morbis solent laborare interdum obstructionibus, à quibus fit vt non solum non petant vesicam, sed restagnent aliquando in habitum corporis. Et animaduertite his in casibus male aliquos facere, quando diureticis vtuntur, quia vbi est obstructio in visceribus, abstinendum est à diureticis. Quapropter iure hoc Hippocrates præcipiendum existimauit.

Diuretica in viscerum obstructionib. mala.

Καὶ διαχωρητικὸν κάτω χολωδέων.

Biliosa quoq; per aluum deiicit.

DIXIT de facultate diuretica. Erat consequens vt etiam de facultate subductoria, verba faceret. Dico enim subductoria, quia hæc vox διαχωρητικὸν est vox vsitatissima ipsi, & semper significat subductionem alui. Inquit ergo, præter vrinæ eductionem habere etiam aliud, scilicet, quod mouet per aluum biliosa, & quandoque bona, quandoque sinceriora, & spumosiora. Hæc sententia cum sensu illius satis aperta est, veruntamen habet documenta præclara & scitu digna

ad faciendam medicinam. Quapropter quatuor circa ipsam sunt excutienda: primum est, quapropter vtitur hac voce magis, supra inquit simpliciter educere vrinam: vbi loquitur de alui fœcibus comparatiue, dicit magis aluum subducere. Secundo, qua ratione moueat bilem, & subducat aluum. Tertio, cur Hippocrat. inquit, educere biliosa vel bona, vel sinceriora & spumosiora, debebat dicere bona vel mala. Quarto, cur biliosis & viscera magna habentibus dicit potissimum hoc contingere, quia in his viscera sunt obstructa, vnde multum abest vt facile soluatur aluus.

Circa primum, Hippocrates qui nunquam sine ratione loquitur, de alui fœcibus loquens dixit comparatiue non positiue, quia verum est mouere vrinam, sed per se magis aluum. Vultis hoc videre? dicit operationem eius impediri, quia est exigua, alui fluxus in visceribus obstructis potius augetur: quasi velit significare facultatem mouendi aluum esse maiorem, quam vrinam, vtitur hac voce magis, ergo merito Hippoc.

Circa secundum est nonnihil dubitationis Hioppocrat. lib. de affect. inter. loquens de quadã specie morbi, quæ appellatur τῦφος, dicit mel coctũ incendere ipsa corpora & adhærere, si verũ hoc est, melicratũ coctũ est quapropter deberet potius hærere, quam aluũ ciere, & biliosa excrementa educere. Dicendum est id q; dixit Hippocr. lib. 2. de diæt, vbi de melle sermonem habens, dicit suapte natura calefacere & exiccare, nisi sit meracum, sed si aqua misceatur, humectare potius & aluum mouere, biliosis autem & pituitosis sistere; dicit aluum mouere biliosis mel & aquam, pituitosis vero sistere. Sed quæ est huius rei ratio? quia bilis est stimulus intestinorum. Fecit enim natura à folliculo fellis quẽdam ductum in intestinum duodenum, vt stimulata facultate expultrice intestinorum à portione bilis, natura insurgat ad fœces egerendas. Et propterea vbi maior est copia bilis, magis excitatur facultas expultrix intestinorum, & magis cietur aluus. Sed cur pituitosis sistit? Dixi antea facere viscidum sputum plus quam mediocriter, quia incrassando & aqueum educendo facit viscitatem. Quod si verum est videre potestis maxima cum ratione pituitosis aluum sistere: quia vbi pituita tenuis est, siue sit salsa, siue sit aquosa alterius generis moderatam quandam viscitatem comparat plus faits, merito cuius aluum sistit.

Ad tertium vero, quid iam est dicendum? Hippocrates 2. Prognost. & in coac. prædict. dicit sinceras deiectiones omnes esse prauas: imo vero inquit, quanto sunt sinceriores, tanto sunt deteriores. Quod verissimum est in bile, quæ sincera si deiiciatur, semper pessima est quare vt aliquid plus signaficaret quam mala, voluit dicere sincera, quasi velit dicere pessima. Sed cur addidit spumosiora? quia vbi spuma copulatur ipsis fœcibus, exitialissimum signum est: quæ est ratio? hoc sciendum ex intellectione generationis spumæ. Spuma est aer collectus in ipso humore, vnde dicit Aristotel. de generatione anim. cap. 6. omnem spumam albescere, propter aerem inclusum, qui albere creditur. Iam vero includitur aer, vel propter feruorem, vel propter ingentem agitationem. Nam quemadmodum mare agitatum à ventis, concipit aerem, qui contentus in bullis, facit spumam. Pariter vbi feruent liquores, attenuatur pars, aerem que imbibit, qui denique compressus & cohibitus, generat spumã. Vnde videre potestis, excremẽta spumosa esse pessima, quia significant ingentem feruorem in corpore, vel ingentem agitationem. In abundantia humoris biliosi suapte natura feruidi, quanto magis agitatur, eo magis feruere comperitur. Videtis ergo quanta cum ratione dicit Hippo. biliosa per aluum moueri modo bona, modo sinceriora & spumosiora. Sed erat quartnm, quomodo dicat hoc potissimum cõtigere & viscera magna habentibus. Quod biliosis contingat, perspicua est ratio, quia vbi aliquis bile abundat, & vbi hæc à dulcib. augerur, excitat magis facultatem expultricem ad expellendum humorem hunc noxium. Er hoc est quod vult dicere Plin, quando dicit, ĩcterum morbum vocatũ esse regium, curarique mulsa cum vsu ipsius, excitarur fluxus biliosus, qui humorem biliosum

Spuma vt fiat.

Spuma excrementorũ quid signet.

Ikterius vt curetur mulsa.

biliosum, materiam & fomentum morbi euacuat. Et hæc etiam est ratio, cur vt audiuistis ille Pollio respondit Augusto se ex vsu mulsi peruenisse ad centesimum suæ ætatis annum, scilicet, quæ ei semper aluum lubricam seruabat. Et in hoc conueniunt omnes medici, vt inquit Auerrhoes, vt certo sibi persuadeant, eos qui habent aluum solutam, à multis morbis liberari; imo Hippocrates scribit, à nullo morbo acuto corripi, lib. de aer. aq. loc. Neque etiam mirum est hoc contingere iis, qui habent viscera magna: siquidem ita natura comparatum est, vt omnia viscera delectentur rebus dulcibus, imo inquit Galenus, sola dulcia nutrire huiusmodi viscera: itaque si viscera sint sana, fruuntur rebus dulcibus, pinguescunt & adolescunt, vt audiuistis ex Plinio, veteres anseres nutrire solitos fuisse rebus dulcibus vt augescerent; sed si sint inflammata, dulcia tunc conuertuntur in bilem, vnde fit vt aucta bilis magis faciat ad excernendum aluum. Et propterea videre potestis, quam vere dicat, mouere aluum iis qui habent viscera magna. Et inde potestis colligere, vt quotiescunq; aluum ciere vultis in biliosis, & viscera magna habentibus, vtamini melicrato & serapiis, sed vbi ita cohibita est, vt ab his dulcibus non possit moueri, abstinendum est ab iis. Sed fateor alia omnia suspecta esse, saccharum vero minime esse, quia vt dicit Galenus minus siticulosum est, & minus stomacho aduersatur, quam mel. Et dicit etiam febribus conuenire. Omitto disputationem Matthioli contra Manardum: sed illud obiter monere placet, saccharum nostrum longe diuersum esse ab eo, quod nominat Gal. quia saccharum veterum erat succus ille perlatus in arundinibus, velut est inchoatum saccharum nostrum: nam nostrum saccharum est expressum per corpus arundinis, ex qua expressione calorem & acrimoniam acquirit, qua febrib. minime conuenit, & facit sitim. Nam vt hoc etiam addã, idem cœlestis ros est, ex quo fit mel, manna & saccharum, mel ab apib. in ventre illorum coquitur, saccharum vero nostri materia rorida à radicib. arundinum ex terra supra quam pluit attracta, in ipsarum corpore cõcoctionem acquirit: quemadmodum etiam manna nostra à trunco & foliis vocata, ex eodem succo cœlesti à radicib. orni, vel alterius arboris attracto, & in arbore percocto efficitur: adeo vt communis omnium materia sit, ros cœlestis concoctus & concretus beneficio caloris naturalis, vel apum, vel arborum, vel arundinum. Et vt vno verbo dicam, præterquam quod saccharum nostrum diuersum est à sacchato antiquorum, etiam experimur sitim facere, bilescere & febricitantibus obesse.

Quib. aluus soluta magna parte sani.

Omnib. viscerib. dulcia amica.

Saccharum melle melius

Πλυάλε μὲν ἐν ἀνεγωγὴν κ.
Mulsa præterea dilutior sputum magis.

VT audiuistis, melicratum siue mulsa dupliciter apud medicos parabatur, vel enim plus mellis addebatur aquæ, vel plus aquæ melli. Quando plus mellis quam aquæ apponebatur, appellabatur mulsa sincerior, quando vero plus aquæ quam mellis, mulsa aquosior. Supra indicauit mulsæ vires in vniuersum. Vt autem hanc rem explicarem quæ maximi est momenti, nunc comparar mulsam sinceram & dilutam, vt sciant Medici quando hac vel illa vti debeant. Dicit autem dilutum magis educere sputum, & emollire pulmones: meraciorem vero magis mouere excrementa biliosa & spumosa: vt præclare docet Galenus, mel, si expendatur illius natura, validam habet facultatem generandi bilem, & quemadmodum aqua refrigerat, ita mel calefacit; sed illa difficulter digeritur. Si misceantur, euitatur omne vitium mellis, & aquæ. Sed cur mulsa diluta educit sputum, & pulmones emollit? Quia viscidum illud reddit, & humectat pulmones, æstumque compescit. Possumus etiam dicere quod docet nos idem Hippocrates lib. 2. de morb. quo loco sermonem habens de dolore capitis qui fit à bile, inquit, maxime conferre dilutam mulsam, quia minus caput ferit. Itaque hac ratione magis conuenit in morbis acutis, tum quia penetrationi & distributioni magis conducit: quod autem magis educat excrementa biliosa & spumosa mulsa meracior, duplici ratio-

Mulsæ dilutioris vires.

ne ſit, primum, quia vbi plus mellis eſt, ſua acrimonia & caliditate magis ſollicitat, & magis ſtimulat naturam, tum quia vbi morbus eſt acutus, & febris magna, melliſque portio non exigua offertur, augetur bilis, quæ pariter magis ſtimulat facultatem expultricem.

Τὰ μὲν τι ἀφρώδεα διαχωρήματα κ.

Deiectiones alui ſpumantes, plus quam conuenit.

Mulſæ meracioris facultates & damna.

DIXIT Hippocrates mulſam ſinceriorem educere fœces bilioſas plus quam conueniat, hic effectus ſuapte natura eſt malus, quia inquit plus quam conueniat. Ergo vt demonſtret huiuſmodi deiectiones eſſe prauas, non contentus dixiſſe plus quam conueniat, docet etiam quæ alia mala hæc excretio parit. Et ſententia ipſius eſt, huiuſmodi excretiones productas à melicrato mero, habere etiam alia ingentia mala, & hæc mala enumerans Hippocrates tria proponit: primum, eſt quod hæ excretiones tantum abeſt vt extinguant feruorem & incendium, quod potius augeant: ſecundum eſt, quod faciant δυσφορίην & ῥιπτασμὸν, hoc eſt, moleſtiam intolerabilem & iactationem corporis, quemadmodum etiam Cœlius Aurel. interpretatur vocem Hippocr. ῥιπτασμὸν. Tertium malum, quod exulcerat inteſtina & ſedem, eſt. Aduertatis hæc mala appellare Hippocr. magna, quia reuera in omnibus morbis, & præſertim acutis peſſimum eſt, & exitialiſſimum, incendium hypochondriorum, quieſcere non poſſe ægros, & exulcerare inteſtina & ſedem. Hæc ergo docuit vt ſciatis huiuſmodi mala euitare. Circa primum malum quod producitur à fœcibus bilioſis oritur dubitatio, nunquid hoc verum eſt. Nam certiſſimum eſt, euacuationem humorũ calidorum refrigerare potius quam calefacere. Et propterea dicebat Gal. rhabarbarum refrigerare qui euacuat humorem calidum, bilem ſcilicet, quod ſi verum eſt, quomodo inquit hæc excrementa bilioſa non ſolum non refrigerare, ſed calorem & incendium augere? Galen. qui guſtauit forſan hanc difficultatem, dixit Hippoc. dicere non facere hæc mala, ſed ſignificare, quaſi inquit Galen. quando ſcribit has deiectiones facere incendium, velit dicere, ſignificare, acutum eſſe dolorem. Eſt quidem hic vſitatiſſimus loquendi mos Hippocr. neque iam eſt alia difficultas. Fuerunt tamen aliqui, qui dixerunt, minime vti cauſis loco ſignorum, ſed cauſis loco cauſarum. Et ego puto pro cauſis & ſignis eſſe accipienda. Quomodo ergo verum eſſe poteſt, vt dixerit ab exeuntibus humoribus calidis augeri calorem? Audite huius nodi explicationem quæ maximi eſt momenti in facienda medicina. Caliditas hypochondriorum tripliciter fieri ſolet, vel ſit præſentia humorum calidiorum, vel ſit propter intempetiem viſcerum & partium, vel propter vtrunq;. Intemperies calida vbi copulata eſt humoribus, aut eſt κατὰ σχέσιν, vt dicit Galen. 18. meth. cap. 1. ita vt immediate dependeat ab ipſis humoribus; aut eſt κατὰ ἕξιν. Si intemperies calida oriatur duntaxat à præſentia calidorum humorum, certum eſt ſublata cauſa euacuatiſque humoribus calidis tolli effectum, refrigerarique corpus. Cæterum ſi ſit intemperies, non κατὰ σχέσιν ſed κατὰ ἕξιν dico exeuntibus humoribus calidis, magis augeri. Et hoc eſt quod dicit Hippocrates. Hæc eſt ratio: quia cum Hippocrates loquatur de morbis acutis in quibus febres ſunt continuæ, itaque caliditas hypochondriorum dependet ab intemperie facta, non ex toto ab humoribus, ſit vt exeuntibus his humoribus intemperies maneat, & forſan apud neminem alium hunc pulcherrimũ nodum explicatum inuenietis. Secundum malum eſt δυσφορίη & ῥιπτασμὸς, hoc eſt, moleſtia inrolorabilis & iactantia corporis. Sed quæ eſt huius rei ratio? quia vbi exeunt huiuſmodi fœces, feruidi vapores acres & mordaces efferuntur, qui diſtributi per corpus, non tantum augent incendium, ſed vellicant os ventriculi, metiro cuius vellicationis fit, vt ægri neſciant reperire locum accommodarum, quia ſemper habent ſecum cauſas lædentes, morſus ventriculi: quod in febribus ardentibus eſt frequentiſſimum.

ῥιπτασμῶ cauſa.

Tertium

Tertium malum est, quod exulcerantur intestina, & sedes quia humor hic calidus, acris, mordax & moderate tenax, ratione tenacitatis adhæret intestinis; & præsertim postremis & sedi, & quia calidus est & acris & mordax exulcerat. Sed quodnam documentum ex his verbis Hippocratis eruemus? præclarum, vtilissimum, & æterna memoria dignum, quod quia ignoratur à multis, exitialissimi errores committuntur.

In morbis acutis Medici euacuant corpora innumeris & variis medicamentis. Bone Deus, si damnat Hippocrates melicratum solummodo, quia educit biliosa, quis non videt minus conuenire æstate syr. ros. sol. mel. ros. sol. quæ plus satis sunt quam melicratum: vult ergo adhibenda esse quæ refrigerant, & propterea puto ego multo melius esse vti refrigerantibus æstate? in morbis acutis, vt sero, cum syr. ros. solut. Et miror multos reperiri qui ignorantes morem veterum vsumque, damnare audent serum & refrigerantia. Et addit Hippocrates. Remedia autem horum malorū scribētur. Sed vbinam scribit? Habentur complura remedia in lib. de morb. in lib. de affect. Et Gal. significat nobis forsan huiusmodi remedia scripta fuisse ab Hippocrate in his libris, quo fit vt vos horter quam maxime possum, vt alios Hippoct. libros non negligatis tanquam spurios, sed sedulo & cum maxima animi attentione legatis. Concludit postremo his verbis. Qui ergo in morbis relictis sorbitionibus sola mulsa diluta tempestiue vtetur, is in pluribus recte aget, in paucissimis errabit: atq; addit, quibus dandum, & quibus non, & ob quas causas, maxime ex parte dictum est. Sed cur addit hæc verba, sed si quispiam? Propter causas duas hoc fecit quātum ego puto, vna fuit, quoniam si quid est quod maximi sit momenti in morbis acutis, est victus accommodatus, de quo loquens Hippocrat. lib. de arte veteri, dicit eum esse maxima laude dignum, quia sola victus ratione morbos superare potest. Alia causa fuit, quoniam etiamsi Medicus omnia recte agit, nihilominus interdum contingit, vt proprio fine frustretur. Id quod etiam scripsit lib. 1. de att. & Hippocratem secutus Celsus ita comparatum esse à natura scribit in arte medica, vt ille qui bene agit, plerumque finem assequatur, ille vero qui male agat, semper perfrustretur fine: vt etiam dādum sit aliquid fortunæ, optimus est ille, qui rarissimos errores committit, aut fallitur suo fine, quamquam ex arte omnia moliatur.

In acutorum curatione, qui Medicorum plerumq; errores.

Κατέγνωσαι δὲ μελίκρατον ὑπὸ τῶν.

Damnatum vero est melicratum ab hominibus.

Quicunque sanam doctrinam posteris relinquere sibi proponunt, non tantum eius fructum & vtilitatem docere debent, imo vero si quæ vitia sibi opponuntur, aut excusare, aut ab iis tueri. Id quod non semel fecit Hippoc. sicut nunc facit. Qui postquam melicrati vtilitatem & vsum edocuit, in hoc contextu quædam sibi opposita vitia confutare nititur. Sunt autem hæc, quod vtentes melicrato plurimum debilitentur, ac propterea mors ipsorum acceleretur. Atque hoc inquit, Hippocr. dictum fuisse non de omnibus vtentibus melicrato, sed melicrato solo vtentibus, & fame sese necantibus: quasi vero melicratum suapte natura tale sit, vt debilitet, non autem proficiscatur à malo ipsius vsu. Nam vt inquit Galenus, ea omnia quæ debilitant, aut per se hoc faciunt, aut per accidens. Per se, vt purgatio, venæ sectio, & sudor, & quæcunque spiritus exinaniunt. Per accidens vero, vt nutrimenti paucitas & abstinentia. Mulsa non per se, sed per accidens, debilitat, cum sola absque cibo diu sumitur, nisi potenter aluum soluat: sed illi medici has accidentales causas non curabant. Sed præter hæc duobus argumentis probat Hippocratis, minime verum esse quod mulsa per se debilitet & non per accidens, primum est; melicratum multo fortius est quam aqua nisi aluum turbet, hoc est, magis alere & corroborare potest, quam aqua sola. Imo etiam vino albo, tenui, paucifero & inodoro aliqua parte inquit fortius est, & aliqua ex parte debilius.

An mulsa ex se debilitet, faciat vel minua.

Hæc est pura germana, atque etiam præcipua Hippocratis sententia. Circa quam sunt nonnulla diligenti contemplatione digna: vnum est, qui fuerint illi, qui damnarunt melicratum, & quare. Alterum est, quare dicat, melicratum magis corroborare, quam aqua facit: quia hinc facile aliquis colligat, aquam etiam nutrire, quod est falsissimum. Postremo videre oportet, qua ratione Hippocrat. dicat, melicratem aliqua ex parte magis corroborare, quam vinum, & aliqua ex parte minus. Circa primum puto ego Hippocratem non tantum respexisse medicos sui temporis, quantum populum ipsum, quia tum temporis populus tribuebat inediæ & cibis causam, cum ægrotarent, cum non viderent alias causas. Quare, vt Hippocrates erueret hunc errorem ex animis vulgi damnantis res immerito, hæc dixit de melicrato. Sed & Plinius lib. 14. cap. 17. dicit Themisonem (qui fuit post ipsum Hippocratem) etiam inter alia damnasse vsum melicrati, & permisisse vinum; quod etiam fecit ante ipsum Asclepiades. Ideo possumus etiam dicere non solum respexisse Hippocratem errorem hunc populi, & medicos sui temporis, sed etiam illos, qui eum deinde secuti sunt, & criminati sunt vsum melicrati. Circa secundum, illud primum constituendum est falsissimum esse, quod aqua nutriat, de hac re polliceor me vobis optimam disputationem daturum, loquor autem de aqua simplici; quia aqua medicata, & præsertim illa quę sequuntur edulia, quemadmodum scribit Galenus lib. 5. de alim. fac. cap. de aq. multo plus alit quam caro ipsa. Sed quid dicemus ad Hippocratem, duobus modis respondebimus, primo dixisse nutrire, quia est vehiculum alimenti. Videte Galenum 4. de vs. patt. cap. 5. vbi scribit, datum esse animantibus potum, vt sit vehiculum alimenti, & nullo pacto nutrire, id quod etiam non solum dixit Hippocrates in fin. lib. de alim. sed etiam Erasistratus apud Plutarchum. Alius modus respondendi est, Hippocratem dixisse nutrire, quia calidas & siccas corporis temperaturas emendat. Sunt enim aliqui adeo aridi corpore, vt hac de causa nutriri non possint. Itaque correcta hac ariditate, optime nutriuntur. Præclare Plutarchus 6. symp. problem. 3. hunc locum illustrans, dicit tria sempiterna memoria digna: vnum est potum solius aquæ sæpenumero famem extinguere, quia vbicunque in corpore est alimentum siccum & glutinosum, quod non possit distribui, & propterea famem facit, fit vt potus eliquans illum cibum, distribuat, & nutriatur ita corpus, atque consequenter extinguatur fames. Aliud est quod dicit Plutarchus, solo lauacro aquæ extingui famem nonnunquam, quia arida corpora ex contrectatione aquæ magis humescunt & melius nutriuntur. Tertium est, quod illi qui sibi proposuerant vitam inedia finire, si aquam sumerent protrahebant diutius vitam, quia alimentum antecedens beneficio aquæ eliquatur, distribuitur, & agglutinatur. Et hinc fit, vt tam diu vitam protrahant, quamdiu duret huiusmodi alimentum antecedens. Quapropter videre potestis aquam per se, & ex sua natura, proprie vereque non nutrire: sed rationibus dictis. Erat tertium quo pacto dicat mulsum aliqua ex parte magis corroborare quam vinum tenue, aquosum, inodorum, pauciferum, aliqua ex parte minus. Galenus putauit magis aliquando nutrire nonnunquam minus, prout variis modis temperatum fit melicratum. Alii intelligendum esse putarunt de vino vario modo temperato, adeo vt si comparetur meraciori, minus nutriat; si paucifero, magis. Sed hæc interpretatio mihi non placet, quia Hippoc. de vno genere; & vnius naturæ vino loquitur, non autem de vino parum vel multum aqua castigato. Alii veteres, vt monet Galenus, addebant toti dictioni particulam interdum, quasi voluerit dicere, non semper sed aliquando esse valentius melicratum vino oligophoro, tenui, albo, inodoro. Ego autem puto mulsam infirmiorem esse & fortiorem vino paucifero; quia si veram nutritionem spectemus, mulsa ob mel magis nutrit, quia ob lentorem adhæret magis, & conuertitur in alimẽtum. Sin autem non veram nutritionem spectemus, sed famulitium nutritionis, pauciferum vinum est fortius, quia magis penetrat. Nam, vt dicit Hippocr. in fine lib. 6. de alim. humidum est alimenti vehiculum.

Themiso vixit post Hippocr.

Aqua quomodo nutrire dicatur ab Hippoc.

Dicti Hipp. explanatio.

Sed quæ fuit ratio, quod Hippocrat. dixerit melicratum magis corroborare, nisi aluum turbet? Summa ratione hoc fecit: quam vt intelligaris, scite debetis, quod scribit Galen. de vsu part. & 3. de fac. nat. ventriculum vbi laborauit circa cibi confectionem, & potitus fuit ea portione, qua quã maxime egebat ad sui nutritionem, aperire pylorum, & demittere chylum in intestina; venæ vero mesaraicæ exugunt alimentum chyliq; optimam partem, & propterea fecit natura anfractuosos flexus intestinorum, vt venæ facilius & diutius alimentum exugerent ab his. Sed si forte fortuna celeriter effetantur fœces, venæ non trahunt. Hoc ergo videns Hippocrates dicit plus nutrire, nisi aluum turbet. Et hæc est causa, quod equi & iumenta omnia, quæ aluum habent lubricam, semper sint gracilia. Adhæc comparet Hippocrates mel merum & vinum merum, vt magis id probet, quod supra dixerat de vino paucifero: quasi dicat, esse fortius melicratum vino aquoso, quoniam mel, mero quolibet est fortius. Iam vero huiusmodi sententiam esse veram, pergit dicere corroborare. Vis inquit, hoc videre, quod dico esse verissimum? capiat aliquis duplo minus mellis, quam vini, nihilominus robustior erit, quia dimidio plus nutrit quam vinum: nisi tamen aluus turbetur. Quod autem hoc ita sit, probat Hippocr. quia ex vsu mellis plus stercoris eiicitur. Quod autem verum sit & homines & alia animantia magis sustentari à melle quam à vino, experientiam ipsam testem appellare debemus, quia videbimus vsu mellis diu naturam sustentari, nequaquam vino.

Hac de causa concessum est à sancta Romana Ecclesia Catholica vinum in ieiunio, quia constat omnes non nutrire. Sed quæ est ratio, cur probet magis nutrire, quia plus excrementi facit. Est enim vulgatissimum apud Medicos, ea quę multum nutriunt, parum excrementi habere? Dupliciter responderi potest, vt immediate verbis præcedentibus iungantur, quasi vero dicat, cum turbat aluum, plus excrementi exire, & propterea non nutrire. Sed multo magis mihi placet, vt dicamus hoc verissimum esse, quod ex multitudine & copia excrementorum demonstretur, nutritionem pleniorem præcessisse. Nam vt scribit Aristoteles in problem. aluus fabricata est, vt sit receptaculum alimenti, vt vesica potus. Igitur quodcunque nutrit, necesse est faciat excrementum, quod exit per intestina: id vero quod habet rationem potus, minime. Igitur dicit, si vis videre quod magis nutriat ex hoc colligas, quod maxima copia excrementorum exit per aluum, quod non facit vinum. Sed dicet aliquis, ergo ex vino aliquid excrementorum emittitur? veruntamen hoc falsissimum est, quia quantumcunque sit crassum, nulla fœx exit. Sed quomodo ergo dicit Hippocrates à melicrato plus excrementi exire, quam à vino? Hic nodus non est solutu facilis. Ego sum huius sententiæ, Hippocratem voluisse vt hanc suam sententiam ratam faceret, nomine vini comprehendere omnia genera vinorum, quasi vero sint aliqua vina crassa & fœculẽta, quæ faciant etiã excrementa. Quare vt docet mel respectu vini duplo plus corroborare dixit, multo plus excrementi deponere illud, quam vinum. Vel possumus dicere eam vocem multo plus respicere non mutationem vini sed mellis, adeo vt finitum pro infinito sumat.

Quæ multũ nutriunt, parum excrementi faciunt.

εἰμὲν τι ῥοφήμασι χρέοιτο πλεύνη.

Si tamen ptisanæ sorbitioni quis aquam mulsam.

GALENVS vult Hippocratem loqui de ordine sumendæ ptisanæ, cum antea, quibus & quando dare debeamus docuerit. Ego vero puto non solũ hoc facere Hipp. sed etiã docere, quomodo, vbi sorbitio & mulsa simul capiuntur, sit agendum. Nam hactenus de mulsa sola egit. Dicit itaq;, si post sorbitionẽ, id est, ptisanã sumatur mulsa, valde impleri, inflari, & hypochondriorũ viscera lædi, s. viscera naturalia, contra si prius potetur melicratum, non modo non nocere, hoc est, non ea detrimenta facere, quæ post potata mulsa facit, sed potius aliquid iuuamẽti afferre. Atq; hæc est sententia Hippocra. in præsenti dictione, circa quam videndum, quæ

ratione

ratione lædat postpotata mulsa ptisana; secundo qua tatione iuuet præpotata, & quod iuuamentum faciat. Tertio qua de causa Hippocrates hæc documenta relinquere nobis voluit. Ratio autem, proptet quam hæc mala produceuntur à malo ordine, nulla alia est, nisi quia retinetur ptisana & mulsa in ventriculo, vnde fit plenitudo. Fit enim repletio quotiescunq; id quod deberet euacuari, non euacuatur. Sed cur retinetur vtrunq;? Arist. 24. sect. problem. 19. quærens rationem, cur si potiones dulces misceantur farinæ dulciores percipiantur. Inquit idcirco esse, quoniam dulces potiones commixtæ huic materiæ viscidæ, diutius tetinentur in ventriculo, & hinc fit vt diutius illa dulcedo percipiatur. Hac ratione puto ego ptisanam commistam melicrato, viscididitate sua illud continere, adeo compingere, vt difficulter exeat neq; valet quod deberet melicratum esse veluti vehiculum ipsius ptisanæ, quia multum abest, cum quicquid acrimoniæ & tenuitatis ipsi inest, hebetatur à viscididitate ipsius ptisanæ, non alia ratione quam (vt scribit Aristotel. 21. sect. probl. 20. potio mera farina hordei inspersa, facit vt omnem vim acrem deponat quia lentore farinæ hordei obtūditur. Fit ergo repletio, quia retinetur mulsa à ptisanæ viscididitate ex repletione huius materiæ obruitur calor natiuus, quo hebetato succrescunt flatus, præterea subortis flatibus ac retentis, hypochondria in tumorem attolluntur.

Cur mulsa præpotata ptisana noceat, contra minus.

Atque hæc omnia multo magis contingunt si mulsa sit meracior quam dilutior: quoniam vt sponte solet huiusmodi mulsa lædere viscera, præsertim incensa, qualia sunt in morbis acutis, sic si mixta ptisanæ & retenta sit, multo magis id faciet. Quare iam videre potestis, quo pacto rationabiliter dixerit Hippocr. fieri ex hoc ordine prauo, repletionem, flatus, & viscerum læsionem. Cur autem si præpotetur mulsa, nihil horum malorum contingat, causa est, quoniam si mulsa sumatur ante ptisanam, irritat facultatem expultricem ipsius ventriculi, quæ irritata tempestiue deponit, postquam potita est debito nuttiméto: quia sicuti à retentione vtriusque fiunt mala, ita hæc euitantur, cum natura tempestiue excernat. Sed quæ est vtilitas quam facit? Exigua est. Hic ordo fuit quidem euitari hæc damna, sed exiguam vtilitatem affert ἀλλὰ τι καὶ ὠφελέει inquit, id est, sed etiam aliquid prodest: Verum cum Hippocrates addat primæ voci πλησμονώδες, ἄγαν, dubium est, an etiam sit ea particula aliis duabus annexa, ita vt integra sententia sit, si postpotetur mulsa, esse valde repletorium, valde inflatorium, & valde inutile visceribus, an vero sit tantum ea particula intelligenda de repletione.

Aliud etiam est quærendum, cur cum mala recenset dicit inter alia esse valde repletiorem, & enumerans bona, tantum dicit aliquid conferre. Circa hæc dubia, quæ non vidit aut dissimulauit Galen. ex ipsius comment. nihil respondere possumus. Quapropter puto ego particulam ἄγαν, id est, valde, solum referendam esse ad primum, quasi dicat, mulsa præpotata ptisana est valde repletorium; neque referri posse ad alia, plane mihi persuasum habeo: quia ptisana si recte paretur, vt inquit Galen. lib. de ptis. flatuosa nequaquam est, & ibidem comparans fabæ, dicit hanc semper flatus parere, quomodocunque ptæparetur, secus quam facit ptisana. Neque etiam viscera lædit, quia est quodammodo temperata, & non potest augere incendia viscerum. Sed cur inquit de detrimento multum lædere, de iuuamento vero inquit, solummodo aliquid iuuare. Notate hoc, quia referet maxime scire ad disputationem futuram. Loquebatur de ptisana & melicrato vt de cibis: quare vt de cibis, hic ordo maxime facit ad repletionem ventriculi, sed ad effectum nutritionis ipsius: huiusmodi ordo parum valet, & ppterea inquit vitantur quidem hæc mala, sed parum vtilitatis affertur. Erat tertium contemplatione dignum, quo spiritu Hippocrates noster voluerit hoc documentum vobis relinquere. Galen. existimauit hoc documento voluisse nos docere, ordinem in nutrimentis accipiendis esse necessario obseruandum, & quod necesse est, semper quæ aluum subducunt, quæ facile corrumpuntur ante alios cibos sumere, quemadmodum ea quæ astringunt & corroborant, post omnes cibos accipere opportet.

Sed circa hanc Galeni interpretationem duo occurrunt summo studio & contentione complectenda: Primum est, an verum sit, ordinem debere seruari: alterum est, quod scribit Galenus in comment. difficilius corrumpi ptisanam in ventre, quam melicratum. Quod pertinet ad priorem contemplationem, ex vna parte est authoritas ipsius Hippocratis, qui hoc in loco nobis manifestissime significat maximopere referre, vtrum aliquid præponatur an postponatur in ciborum assumptione. Est etiam authoritas Galeni 2. lib. de alim. facult. cap. de moris, vbi laudat vt semper mora sumantur ante alios cibos, scilicet matura, ex sua regula parum ante à me citata. Dico hoc dixisse Galen. de moris, quia alii aliter senserunt, inter quos fuit Horatius, qui scribit:

—Ille salubres
Æstates peraget, nigris qui prandia moris
Finiet

Sed præter authoritatem Galeni est etiam authoritas Plutarchi, qui 7. symp. 9. referens causas, propter quas suo tempore noui oriebantur morbi, inter alia apponebat hanc causam, quod suo tempore ostrea oleraque capiebantur ante alios cibos, cum tempore antiquorum sumerentur post alios cibos. Vt etiam hic author videatur existimasse, ordinem mirum in modum conferre ad sanitatem, & vitam tuendam. Ex altera parte sunt non ignobiles rationes. Prima est, quod si habendus esset ordo quemadmodum dicit Galen. potius deberemus secus facere, accipere difficilia alterata & astringentia primis mensis, quia difficilius coquuntur, quod diutius manere possint in ventriculo, & præsertim in fundo eius, & melius coquantur. Sed alia multo grauior est ratio à Galen. 3. de pot. nat. c. 2. & lib. 2. de sympt. cauf. cap. 3. & alibi, quibus in locis diligenter Galenus tractans de coctione ipsius ventriculi, comparat ventriculũ & vterum: & inquit, quod sicuti vterus semper clausus manet, donec fœtus est imperfectus, vbi autem est maturus, beneficio naturæ aperitur vt exeat, pari pacto donec cibus crudus & inconcoctus est, in ventriculo, orificium eius semper clausum manet, vbi autem perfectus est cibus, & in chylum redactus, quem appellauit Gal. propriè cremorem aperitur pylorus vt exeat; & addit non exire chylum, nisi prius totus sit concoctus. Hanc eandem sententiam habuit etiam Disertissimus author Auicen. 13. 3. tract. 2. cap. 1. quo in loco eandem pene doctrinam relinquens nobis dixit, munus portunarii esse, vt non reserat os ventriculi, nisi prius totus chylus sit omnino perfectam concoctinem cõsequutus. Neque refert quicquam, quod Galenus non simpliciter dicat, nil egredi, sed non faciliter egredi, quoniam id intelligit de rebus suapte natura incoctibilibus, vt ipse refert exemplum de annulo deuorato. Hoc igitur si verum est, quæso quid refert quis cibus prius vel posterius sumatur. Tantum valet huiusmodi argumentum apud me, vt nullus fuerit vnquam qui potuerit huic respondere, soleo ego ad Hippocratem dicere, Plinius lib. vigesimooctauo, cap. quinto, aliquando locutum esse ad epulas, aliquando ad remedia scilicet quandoque loqui de rebus, vt habent vim nutriendi, nonnunquam, vt habent vim remedii. Si loquamur de eo qui remedii gratia adhibetur, plurimum interest, priusne an posterius exhibeatur; si de eo qui nutritionis causa conceditur, nisi vero interest, quando nihil potest exire è ventriculo, nisi totus cibus conuersus sit in cremorem. Sed aduertendum est, hunc ordinem ita esse seruandum in eo, quod remedii gratia, vt non immediatè ante cibum sumatur, sed aliquo temporis spatio ante, ita aliquid vtilitatis afferet, alias si secus quisquam fecerit, nihil emolumenti capiet. Et quod hoc sit verum, videte Hippoc. & Gal. semper loqui de sorbitionib. quæ debent prius sumi, quia respiciebant cibos tanquam remedia, & non solum tanquã nutrientia: imo si videatis caput illud Gal. 21. de iis reb. quæ ante & post sumuntur, manifestissime videtis hoc dicere ad remedia & non ad epulas; quia si sumantur paulo ante cum sint facilia, alterata, cito coquuntur: & quia sunt subducentia exeunt, tum quia stimulant naturam. Erat aliud consideratione dignum circa commentarium Galeni, vtrum

An citius ingerenda quæ difficilia coctu an' contra.

Ventriculi & vteri comparatio

vtrum ſit verum quod ptiſana difficilius corrumpatur in ventriculo, quam melicratum. Nam hoc quidem dicit Galenus, ſed dubium eſt: quia ſi ptiſanam ipſam expendamus, citiſſime aceſcit, vix duobus aut tribus diebus poteſt integra ſeruari, imo Galenus iubet adiici piper, quod quidem ſignum eſt faciliter alterari & corrumpi. Si etiam mel ipſum expendamus, hoc difficile alteratur, imo Plin. lib. 22. cap. 24. & lib. *14*. cap. *17*. dicit melicratum non ſolum non corrumpi, ſed perfici vetuſtate, & euadere vinum: & iure, quia fit ex melle, quo vtebantur antiquitus ad conſeruanda corpora. Vnde etiam nos melle conſeruamus pleraſque res. Quare ergo dicit melicratum facilius corrumpi in ventriculo, quam ptiſanam? Pro tollendo hoc nodo, ſciendum eſt, aliud eſſe loqui de rebus externis, aliud de iis, quæ intus adminiſtrantur, quia maxime inter ſe differunt: vt reſina cedria extrinſecus conſeruat corpora humana, intus vero ſumpta, interimit, veluti venenum, & plurima alia, quæ in præſentiarum recenſere eſt incommodum. Ita etiam dici poſſet de priſana, extra corpus facile corrumpi, ſed intus minime, & melicratum exterius diu poſſe durare: aſſumptum vero per os, facile corrumpi. Sed hæc reſponſio mihi nequaquam placet, quia etiam ptiſana in corporibus noſtris facile aceſcit, maxime vero ſi male parata fuerit, aut in ventriculi imbecillioris homine, melicratum non ita. Quid igitur dicendum eſt? certe libentiſſime dicerem Galen. hac in re dormitaſſe: verumtamen vt eum tueamur aliquo pacto: dicendum eſt, aliud eſſe loqui de corporibus ſanis & ægris, à morbo acuto. In corporibus ſanis veriſſimum eſt aceſcere faciliter in ventriculo ptiſanam, melicratum non ita. Sed ſecus eſt in laborantibus morbis acutis, quia in his percipitur maximus æſtus, quem ptiſana ſua frigiditate & humiditate, compeſcit. Melicratum contra in biliosis malum, vt dictum eſt ante.

Mel conſeruat à putredine corpora

Reſina Cedrea ſumpta interimit, foris adhibita conſeruat.

ἑφθὸν δὲ μελίκρατον ἐσιδεῖν μὲν.

Cæterum cocta aqua mulſa aſpectu quidem.

POſtquam Hippocrates facultates & rectam rationem adminiſtrandi melicrati docuit, poſtremo docuit, quomodo differat mulſa cruda à cocta. Id enim referebat ad perfectam tractationem. Hac itaque de re Hippocrates tria docet: primum eſt, mulſam coctam eſſe pulchriorem cruda, quippe quæ lucida eſt, tenuis, alba & tranſparens. Secundum eſt, quod pertinet ad facultates vtriuſque ſeſe non habere vllam differentiam. Neque enim iucundior eſt quam cruda inquit, ſi mel bonum eſſe contigerit, debilior tamen & minus ſtercoris ducens, quorum neutro vt caſtigetur, aqua mulſa opus habet. Tertium eſt, ſi mel ſit prauum, impurum, nigrum, præſtare vt coquatur, quia inquit coctio adimit omnem à rebus turpitudinem. Hæc eſt ſententia præſentis dictionis Hippocrat. quæ vt videre poteſtis, perſpicua eſt, atque ita, vt dixerit Galenus eam non egere interpretatione, ac propterea ab illius explicatione abſtinet. Veruntamen ſum ipſe alterius ſententiæ, hanc dictionem egere aliqua explicatione, & eſſe vtiliſſimam ſcitu. Vt autem ſigillatim vnamquamque partem explicemus, videre oportet, quid ſit mulſa cocta & cruda. Vtriuſque non infrequens habetur mentio apud Scriptores, Medicos & Ruſticos; ſed crudæ modus non ita explicatus eſt, attamen vt colligitur ex Plinio lib. *14*. cap. 17. & Dioſcorid. Meſue ac aliis, cruda fiebat ex tribus vel pluribus aquæ fontanæ, aut cœleſtis veteris partibus, & vna mellis optimi ſimul mixtis diffuſis, & inſolatis. Cocta fiebat ex eadem mixtura, ſed ſtatim ad tertiam partem decocta, deſpumata & ſeruata. Atque hanc quoque recentem vocatam puto apud Plinium & alios, quia ſtatim ac facta erat, eam ferebant in vſum. Sed videamus ſingula. Primo dicit coctam mulſam eſſe pulchriorem viſu, quam eſt cruda, hoc dicit, quia potiones quę offeruntur ægris debēt eſſe iucundæ & pulchræ. Dicit etiam eſſe lucidam, tenuem, ac tranſparentem. Quia beneficio ignis partes aqueæ attenuantur, & loco aquæ ingreditur aer, qui inducit pellucidum, tenuitatem,

Mulſa quid cocta & cruda.

tatem, acalia. Circa secundum q, dicit Hipp. sese nõ habere differentiam vtriusq; dubium est, an hoc sit verum. Primum, quia Gal. lib. 3. de alim. fac. c. de mell. dicit mel imperfecte coctum facere flatũ, si perfecte sit coctũ, non modo non facere flatum, sed ducere vrinã. Præterea Hipp. tradens modũ, quo cognoscamus mulierẽ vtero gerentem, dicit debere dari mulsam dormituræ: & Gale. interpretatur crudam, quia si erit grauida retinebuntur flatus & fient dolores, si non erit grauida, exibunt. Adde quæ est ratio, cur in parandis medicamentis, vt theriaca præsertim præcipitur diligenter, vt mel semper despumetur. Quomodo ergo dicit non habere differentiam? Respondendum est, Hippocratem loqui de differentia non qualibet, sed in nutriendo, atq; ea insigni, vnde inquit, coctum nonnihil debilius: & id verum etiam est de carnibus, vt docet Hippocrates lib. de affect. lib. de alim. & 2. de diæt. Nam crudæ sunt fortiores & magis alunt, vnde animalia crudis victitantia sunt fortiora. Sed vbi pro remedio capitur, magna est differentia. Quod postremo loco dicit, Hippocrates est, si mel fit prauum, impurum, nigrum, opus esse coctione, quia coctio adimit omnem turpitudinem. Sed videamus primum, cur dicat, si mel sit prauum, est authoritas Dioscor. & Plin. lib. 21. cap. 13. & Galen. lib. 7. de simpl. med. cap. de melle, mel fieri quandoq; amarum quando scilicet apes delibant absinthium, quod fit frequẽter in Sardinia, & prauum ducitur, nonnunquam etiam venenatum. Videatis Plin. lib. cit. & Strab. lib. 11. referunt in Heracliæ tractu Pontico esse alterum quod intereimat tanquam venenum, alterum quod homines insanos reddit. Illius habetis exemplum apud Galen. qui scribit aliquem incaute mel gustantem, occidisse: huius vero apud Strabonem scribentem aliquos fuisse, qui melle tres cohortes Pompei dementarunt, & ita trucidatos fuisse. Sed dicetis quomodo fieri potest mel venenatum, ergo apes portabunt in ventre venenum, & non interimuntur? Nihil aliud dicendum, quam naturam dedisse huic animali peculiarem facultatem ferendi illud absq; vlla læsione, vt tauris est datum gestare fel, quod est amarissimum, absq; vlla læsione. Sed an differant prauitas & impuritas? prauitas est penes formam, impuritas penes mistionem. Nam Galen. 3. Epid. comment. 2. ægrot. 2. Et 8. meth. c. 4. dicit oportere purum esse. id est, mistũ, & ob id vult vt sit mel quo coquatur mulsa putum, & coquatur, quia beneficio coctionis segregantur partes impuræ ab aliis partibus. Dicit tertio, si sit nigrum, quis fuit vnquam, qui vidit mel nigrum. Appellatur illud mel nigrum, quod caret ea perspicuitate quam debet habere. Scribit enim debere esse mel flauum luteum, & non nigrum. Galen. loco citat. partes terrestres vero, à quibus fit nigrities, beneficio ignis absumuntur. Sequitur etiam mulsam coctam alia qualitas, vt vbi diffunditur, fit continua & cohærens. Subnectit denique si sit mali odoris; hoc etiam annotauit Galenus loco citato, debere mel habere odorem iucundum. Veteres magnopere commendabant, mel quod odorem thymi referebat, sicut est Siculum. Damnat etiam eos, qui frustula thymi iniiciebãt ipsi melli ad odorem hunc comparandum. Quare oportet etiam vt coquatur, quia ex coctione adimitur huiusmodi prauus odor. Sed quid vult dicere, quando scribit cocturam adimere omnẽ turpitudinem? quia medici debent inter cætera studere, vt diligenter parent omnes potiones & cibos gratos, & nihil est quod hoc magis facit quam coctio, quia vt audiuistis, coctio adimit omnem turpitudinem. Dixi ante me mirari, quod Galenus dixit non egere explicatione præcedentem orationem Hippocr. quia haud ita se res habet. Inter alia autem non est ita compertum, quomodo dixerit mel crudum esse firmius cocto, & plus stercoris facere. Nam prima facie videtur verum esse: imo videntur etiam esse multa, quæ huiusmodi sententiam confirmare possunt, vt Hippocrates lib. de affect. præter præsentem dictionem huic opinioni fauentem, vbi loquens de carnibus, dicit crudiores esse ad robur quidem commodas, sed nõ ad secessum. Et lib. 2. de diæt. dicebat, recentia omnia antiquis & marcidis maius robur præstare, quam alia, quia propinquiora vino sunt; lib. etiam de carnib. laudat pro iuuenibus ad robur carnes parum coctas. Et animalia crudiora

Mel amarũ in Sardinia.

Mel venenatum.

Mel maniacum.

Mel nigrum quale.

funt robusta: si etiam altius hanc rem contemplemur, certissimum est ante diluuium nil nisi cruda comedisse, & tamen erant robustissimi, quod argumentum est, cruda robur addere. Legimus etiam Achillem fortissimum Græcorum nutritum fuisse visceribus & medullis leonum crudis, & nihil vnquam coctum assumpsisse. Sed ex altera parte, sunt etiam alia quæ videntur hanc rem parum firmam reddere, & inprimis illud est, quod illa, quæ cruda sunt, minus côuerti possunt in alimentum, vnde minus roboris potest produci ab his. Adhæc habent fœces & partes terrestres copiosiores, vnde plus stercoris generant. Et vt ad rem magis præsentem veniamus, mel crudum magis ex Galen. 3. de alim. facult. afficit stomachum, & magis secedit, vnde minus nutrit, iuxta regulam Hippoc. quæ magis secedunt, minus nutriunt. Quid ergo dicendum est? vt hæc res definiatur, primum illud statuendum est, duplicem esse coctionem, & consequenter duplicem esse cruditatem. Alia enim est naturalis & interna, alia vero externa. Quæ coctione interna cruda sunt, semper minus corroborant, atq; de hac loquebatur Galen. 2. meth. cap. 5. & 4. de tuend. val. cap. 5. & hinc est quod corpora horum pedetentim concidant, actionesque & vires hebetentur. Si autem loquamur de coctione externa, quia statuendum est? Hippocrates scribit, crudas carnes maius robur facere, non est vera hæc sententia vniuersaliter, sed particulariter quidem si accipiatur de iis qui possunt concoquere: quia si his qui imbecillo sunt stomacho, præbeantur cruda, languor iis suboritur, sed aliis, qui robustiore sunt stomacho, maius alimentum & robur accedit; quia huiusmodi carnes sunt proximiores vino. Carnes enim viuæ duo habent, calorem naturalem, calori nostro maxime consentaneum. Ratione itaque similitudinis caloris, fit vt magis augeant. Habent etiam alimentum vberius, quia succo exuberant substantiali, qui elixatione adimitur, merito cnius non possunt ita nutrire. Habent etiam aliud: quod ratione huiusmodi caloris innati, habent etiam facultatem aliquam concoquendi. Cui sententiæ suffragari videtur authoritas Aristot. in probl. vbi quærens rationem, propter quam externa esculenta alia cruda, alia cocta comedantur, hanc rationem addit, quia quæ cruda comeduntur, statim beneficio caloris natiui fiunt dulcia, vt sunt ficus, vuæ & pleraque alia fructuum genera, quæ cruda assumuntur, illa vero quæ cocta eduntur, præter contumaciam & frugum substantiam, habent etiam pusillum calorem innatum. Quare iam clarissime videre potestis, cur dicat mel crudum plus virium addere, quia ipsius substantia adeo plena est spiritu illo & calore vitali, vt magis alat & robustiores vires reddat; quanquam plus excrementorum producit. Sed percunctabitur aliquis, cur animalia complura bruta conficere possint carnes crudas, iisq; vesci, homo autem nequeat, licet sit omnium calidissimus, vt tradit præ cæteris Arist. lib. de long. & breuit. vitæ, & 2. de partib. anim. cap. 7. vbi scribit, vnum hominem esse erectum, ob copiam caloris, quemadmodum etiam primo de gen. anim. c. 20. Dicit, hominem præ cæteris animalibus plus excrementi facere, quia præ illis calidus atque hnmidus est. Cui respondere oportet, id quod contendit Galen. lib. de fac. nat. fieri coctionem vetriculi à propria ipsius facultate, adiuuâte quidem calore, ac ob id animalia bruta, quæ cibos extrinsecus coquere nec sciebant, nec poterant, à natura proprietatem esse sortita, qua calore proprio adiuuante cibos coquunt, homini diuersam proprietatem consecuto incoctiles.

Vt coctio sic cruditas duplex.

Cruda carnes alimentosiores.

Τὸ δὲ ὀξύμελι καλεόμενον ποτὸν.

Oxymel appellatum epotum, multiplicem.

Ordinis ratio.

HActenus Hippoc. de melicrato præclaram tractationem habuit: si ordinem propositum initio libri secutus fuisset, debebat tractare de aqua, & eo magis, quia melicratũ fit ex aqua & melle, veruntamen seruauit tractationem aquæ in fine libri, & nunc de oxymelire agit. Quæ est ratio? Quia vt Galen. dicit oxymel est ipsissimum melicratum addito aceto: cum igitur tractasset de melicrato, debebat etiam agere de oxymelite, quia est, vt dixi, ipsissimum melicratum oxymel.

Propo-

Proponit itaque facultatem,& rectam illius administrandi rationem. Tractat primum facultates oxymelitis in vniuersum deinde diuidens in suas differentias vtriusq; facultates edocet adeo,vt hac de re nihil breuius,luculentius & vtilius desiderari possit. Quod ergo docet de oxymelite in vniuersum,hoc est,oxymel multas vtilitates præbet in morbis acutis. Nam sputum educit, & facilem respirationem reddit,nihil præterea dicit de oxymelite in vniuersum. Ratio cur conueniat in morbis acut.est manifestissima,quia oxymel componitur ex aceto, melle & aqua,quorum si vnumquodlibet consideremus,aqua refrigerat & humectat, mel detergit materiam viscidam, acetum,vt dicit Arist.33.probl.2.& 12. discutit flatus,incidit & attenuat:quare disiuncta conueniunt in morb.acut.sed plus commista,quia si plus caloris inest melli,castigatur aqua,si plus quam conuenit inest viscitatis,corrigitur aceto,si tardius penetrat,eodem etiam aceto corrigitur. Propterea iure dicit, habere magnam vtilitatem in morb.acut. Dicit porro educere sputum,cur autem hoc faciat,clarum est. Nam ad educendum faciliter sputum confert robur facultatis expultricis, & præparatio materiæ;oxymel ratione mellis nutrit,& vires auget consequenter;ratione aceti,incidit,attenuat, materiam crassam viscidam, & aptã expulsioni reddit. Itaque sputum leui negotio educitur,educto deinde sputo,facilis fit respiratio; nam hæc difficilis reddita est ante ob materiam crassam viscidam,implentem bronchia pulmonum qua educta libera est respiratio. Cæterum videamus,cur non dicit simpliciter oxymel,sed potionem vocatum oxymel:& cur inter vtilitates eius has duas tantum commemorat. Circa primum Galen. copiosissimus est vsq; ad nauseam; vt in rebus planis solitus est lasciuire, puto ego veram rationem fuisse, quia hæc vox non est satis accommodata ad declarandam naturam,quia Hippoc.lib.de loc.in homine,loquens de hac compositione,inquit,fieri ex aqua,melle & aceto,& Gal.lib.4.de tuend.val.cap.6. scribit fieri multis modis, interdum ex vna parte aceti,& duab. partib.mellis despumatis & coctis:quæ compositio quando vsurpanda erat, diluebatur aqua. Fit etiam ex vna parte aceti,duabus mellis quatuor aquæ:& huiusmodi cõpositio fit aliquando magis acris,nõnunquam minus: vnde Hippoc.interdum vocat ὀξυμικρολῶν vt lib.de loc.in homine:interdum ὀξὺς γλυκὺ,vt 3,de morb.& Cœl.Aurel.2,acut.19.& 3.18. fere semper vertit ex Hippoc,mulsum ex aceto. Cels.& Plin.acetum mulsum. Quare non est accommodata hæc vox ad explicãdam eius naturam. Sed priusquam vlterius progrediamur,Arist.19,part.probl.44. probans id quod mixtum esse suauius immixto,comparansq; vino acetum mulsum,ait vinum esse suauius,quoniam mixtiones naturales semper sunt suauiores artificialibus, atq; vinum mixtum esse dicit ex acido & & dulci,vt vina Pontica vinolenta vocata.

Oxymelitis facultates.

Oxymelitis mixti ratio.

Aceti mulsum Plinii oxymel.

Ex Plin.lib.14.cap.6.& lib.23.cap.2.scribit vsum oxymelitis abrogatum ab Aschlepiade & à Themisone, sed lapsus est,quia semper vsitatissimum fuit. Imo erãt etiam qui loco vini id potabant, vt Lycio apud Athenæum, qui contra Teopompum agens,vt probaret sese non ebrium,dixit potare oxymel. Sed cur Hippoc.inter omnes vtilitates solum duas refert? Dicendum est duplicẽ esse rationem, prima est,quia in omnibus morb.acut.nihil est quod debeat à medicis magis operari, quam facilis respiratio,vt dicit Hipp.lib.1.progn. Quare iure dicit conferre ad facilem respirationem faciendam. Sed est etiam alia ratio,quia cum Hipp.loquatur de morbis pectoris,de pleuritide & peripneumonia,in his morb.& præsertim pleuritide vnica spes est in sputi eductione, Itaq; dicebat Auic.semper hoc age in pleuritide, vt sputum educas: quare etiam iure dicit facere vt sputum educatur.

Postea quæ audiuistis in superiori lectione addit hæc verba: habet & hoc aliud quiddam,Quæ Galen.diligenter exponens,inquit,alterum ex duobus significare, vel tempus consuetudinis,& tempus vtilitatis. Hoc est tempus in quo mos est dare ægrotantib. oxymel: vel vtilitatem intelligit, quam consequuntur ægri in oxymelite dato: quia vt Ouid,cecinit habent etiam,medicamenta sua tempora,& data non apto tempore vina nocent. Sed etiamsi vere dixerit Galenus, puto tamen intellexisse

intellexiſſe opportunitatem oxymelitis bene adminiſtrandi, reiq; bene gerendæ. Nam καιρὸς apud Græcos ſignificat oportunitatem rei bene gerendæ, vt 1. aphoriſ. 1. Et hoc argumento voluit nos docere rectam rationem adminiſtrandi oxymel, quia cum ſit potio vulgatiſſima, poſſet aliquis medicus eam ſpernere, & omni tempore exhibere. Et propterea dicit proprio tempore egere, hoc eſt recta ratione adminiſtrandi.

Τὸ μὲν γὰρ κάρτα ὀξὺ οὐδὲν ἂν μέζον.

Quod valde acre eſt, nihil moderati effecerit.

AVdiuiſtis duas eſſe differentias oxymelitis, alterum eſt, cui plus aceti ineſt, & acrioris, quod acre ea de cauſa eſt appellatum, alterum quod appellatur, oxymel moderatum, non acre ſcilicet ſed placidum. Tractauit de oxymelite antea ſimpliciter in communi & vniuerſaliter. Igitur conueniens erat, vt de differentiis tractaret, & propterea inchoat tractationem ſpecialem de oxymelite, & primum tractat de oxymelite acriori, in quo plus aceti & mordacioris ineſt, primumq; detrimenta & incommoda eius, deinde rectum vſum circa detrimenta & vtilitates, quas docet Hippocrates, & ſunt quinque: vnum eſt, quod oxymel acre quantum ſpectat ad ſputi eductionem, nihil mediocre facit: ſecundum eſt, ſi ſputum educitur ab oxymelite acri, fieri lubricitatẽ gutturis, dilatato pulmone, & emollito, quia eſt emollitorium pulmonum. Tertium eſt, ſi hæc fiant ab oxymelite acriori, ſequi multa bona. Quartum eſt, interdum accidere, vt ab oxymelite acriori non educatur ſputum, ſed etiam viſcidum reddatur nonnunquam. Quintum eſt, hæc nocumenta contingere iis, qui pernitioſe habent, hoc eſt, qui non poſſunt tuſſire, & nõ poſſunt excreare. Hæc dicit de commodis & incõmodis oxymelitis acrioris. Circa quæ paulisper nobis verſandum eſt, vt intelligatis non ſolum effectus, ſed cauſas effectuum. Dicit itaq; ingens malum facere, vel ingens bonum, cum dicit nihil facere mediocre, quia aut reperit materiam crudam & ineptam, aut coctã & diſpoſitam. Si crudam reperit oxymel acrius, facit ingens malum; ſi coctam, educit illam fœliciſſime. Mala autem, quæ facit ſi repperit materiam crudam hæc ſunt: aut incidit materiam & ſecat, aut non incidit, ſi non incidit maior fit cruditas. Si vero ſecat & attenuat; perpetuo ruit in pulmones, vnde vel iugulat protinus hominem, vel empyema inducit adeo vt iure dicat, ſequi ingens malum, ſtrangulationem, & empyema. Quare videre poteſtis recte ab Hippoc. dictum eſſe, nihil facere mediocre oxymel acrius. Illius quod ſecundo loco fuit propoſitum, facile eſt videre rationem, quia materia quæcunq; ſit, vbi irrigat aſperam arteriam, ſemper eam aſperam reddit. Ablata itaque hac materia, quæ exaſperat pulmones, ſequitur vt fiat tota illa via lubrica. Lubricata via, dilatantur fauces. Nam vt aſtringuntur fauces præſente illa materia, ita ſublata ea dilatantur. Sed dubium eſt quomodo afferat emollire pulmones, & quomodo dicat eſſe emollitorium. Quod facit difficultatem, eſt inprimis Cœl. Aurel. qui lib. 2. de morb. acut. 19. diſputans contra Hipp. de vſu oxymelitis, dicit illud nequaquam conuenire in morbis acutis, quia aſtringit. Præterea Theophraſt. lib. de ign. & Plutarch. 3. ſymp. 5. ſcribunt, nihil eſſe quod perinde flammam extinguat ac acetum acre, quia vi aſtrictoria & ſuffocatoria ſtatim extinguit flãmas. Quod ſane experientia veriſſimum eſt. Quomodo ergo fieri poteſt vt dicatur emollire pulmones? poſtremo eſt authoritas Ariſt. qui 21. ſect. pb. 22. tradens rationẽ cur acetum mordeat partes internas & non externas, inquit eſſe, quia internæ ſunt debiliores, quam externæ, quod ex eo probatur, quia natura debiliores partes occultat. Si ergo hæc Ariſto. philoſophia vera eſt, acetũ mordere partes internas vtpote debiliores, pulmo membrũ molliſſimum & debiliſſimum deberet potius offendi. Pro ſolutione huius nodi dupliciter reſponderi poteſt, aliud eſſe loqui de oxymelite per ſe, aliud de oxymelite per accidens. Oxymel acre per ſe, plane facit, quæ dicit Theophr. Ariſtot. & Plutarch. quia exulcerat, aſtringit refrigerat & penetrat, per accidens emollire poteſt, quia vbi partes internæ quodammodo

Acetũ flammam promptiſſime extinguit.

Pulcre quæſtionis ſolut.

dammodo intumuerunt, materia crassa & viscida, incisa hac materia, consequenter aufertur durities, ablata parte crassiori viscidaque, remanent molliores partes. Itaque per accidens emollit. Sed licet hæc responsio sit accommodata; non est tamen Hippocratis verbis consentanea, quia dicit esse emollitorium pulmonum, quasi dicat esse per se & ex sua natura, & non per accidens. Alio modo responderi potest ex Galen. duritiem fieri vel ex repletione flatus, vel ex repletione materię. Durities quæ fit ex repletione flatus, proprie & per se tollitur, & consequenter inducitur mollities. Nam Aristotel. 33. sect. problem. 5. scribit, aceto finiri singultum, quia humor circumstans & prohibens eructationem, vi calefactoria aceti in halitum conuertitur, & dissipatur. Addit etiam Hippocrates, consequi multa bona, ad eductionem sputi, quandoquidem compertum est nihil esse quod æque conferat in morbis acutis, ac eductionem sputi; & consequenter facilitatem respirationis: quasi vero dicat, si emolliatur pulmo, guttur lubrificetur, fauces laxentur, sequi multa bona. Quarto dicit, si hæc non fiant, sequi interdum, vt sputum fiat magis viscidum, & maius nocumentum inferat. Sed quomodo hoc fieri potest? quia huiusmodi oxymel maxime exiccat, vbi igitur crudior est materia, ab vsu oxymelitis magis exiccatur & consequenter augetur spirandi difficultas. Postremo, inquit, hæc contingere iis qui perniciose habent, cur hoc addit? Apud Hippocra. dicuntur habere perniciose, qui non possunt expuere propter materiæ cruditatem, quos hæc mala subsequuntur.

Acetum singultus remedium.

Καὶ εἰ μὲν ταῦτα συγχωρήσειεν, μεγάλην.

Cum hæc ita contingant, magnam vtilitatem.

POstquam Hippocrat. vt audiuistis, docuit nos, quæ mala & bona sequi possint vsum oxymelitis, acriotis, quia tamen Medici coguntur quandoque eo vti, eapropter putauit necessarium esse, vt doceret rectam rationem vtendi eo, id quod facit in præsenti dictione. Et quanquam sint quinque conditiones recte administandi oxymel, tamen duas proponit, quæ maxime omnium referunt, & maxime memoria sunt complectenda. Prima conditio est tempus vtendi; Secunda est modus. De tempore vtendi, inquit Hippocrates, si oxymel acrius est exhibendum, operæpretium esse illud exhibere, quando materia est concocta, non quando est cruda. Sed dicet aliquis, quomodo hoc dicit: nam, inquit ille, si vires dent spem? Aduertite quæso diuinitatem ingenii Hippocrat. putauit nihil esse aptius ad indicandas Medico coctiones ipsis viribus, cætera signa ab vrinis, & fœcibus alui aliisque petita, possunt homines fallere, vires nunquam fallunt, quia vbi materia cruda est, natura maximopere laborat circa ipsius victoriam & coctionem. Vbi iam incipit coqui materia, & natura vincere superareque materiam, vires robustiores euadunt. Et hoc magnum medicinę mysterium subodoratus est Galenus 9. Meth. cap. 5. vbi inter signa coctionis adnumerauit pulsum, eo pacto quo docet Hippoc. ex viribus colligi: quia si videamus pulsus validiores fieri, necesse est existimare materiam coqui. Quare videre potestis, quomodo docuerit nos esse expendendas vires, & gloriemini rem magnam didicisse hoc mane: & forsan à paucissimis animaduersam. In modo dicit tepidum exhibendum esse, & paulatim non affatim. Quod ad teporem pertinet, dubitari potest, an hoc præceptum Hippocratis sit obseruandum, quia videtur ipsemet Hippocrates aliter sentire, cum dicit æstate frigidum, hyeme calidum exhibendum esse. Non poterit ergo exhiberi summe tepidum. Nam quod summe tepidum est, medium esse creditur reuera inter calidum & frigidum. Præterea Galen. 8. meth. cap. 5. inquit, tepida omnia ventriculi robur soluere, quomodo ergo vult exhiberi oxymel tepidum, cum hoc posit subuertere ventriculum? Respondendum est, aliud est loqui de oxymelite simpliciter accepto, aliud vero loqui de oxymelite veriori, oxymel simpliciter capiendum est, vel calidum vel frigidum ob rationes & authoritatem Hippocratis, hoc

Oxymel quo morbi tępore vtendum.

Oxymel quo modo propinandum.

vero nullo pacto, quia à frigido acrimonia augetur, & insuauius redditur, non potest vlla ratione frigidum exhiberi: quemadmodum neque calidum confert dari, quia acrimonia ipsius magis percipitur, & fit pariter insuauius. Quare vt hos scopulos vitetis, necesse est medium eligere, vt sit neq; calidum, neque frigidum, sed tepidum. Cur vero iubeat exhiberi paulatim, ratio est, quia ἐκλεικτὰ omnia, (ita vocat Galen. ea medicamenta) lambendo paulatim capi debent, quia vis, ipsorum penetrare debet ad pulmones. Hoc aũt fieri non potest, nisi paulatim labantur, vt adhæreant ipsis partibus. Et hinc est, quod Arist. 1. probl. dicebat, potionem paulatim factam, magis extinguere sitim, quia irrigat magis asperam arteriam & pulmones.

Τό μέν τοι ὀλιγον ἔποξυ, ὑγραίνει μεν.

Quod autem minus acre est, os quidem & fauces.

POstquam egit in præcedentib. de oxymelite acriori, nunc sermonẽ habet, de eo oxymelite, quod minus acre est: atq; duo potissimum tractat, vtilitates & detrimenta illius, necnon malam & rectam illius administrationem. Et animaduertendum lõge plura de oxymelite minus acri referre, quam antea fecit de acriori, huius maior est vsus in curandis morb. acut. Sunt aũt vtilitates, quas facit hoc oxymel, sex. Primũ. n. humectat os & fauces: Secundo sputũ educit: Tertio sitim sedat: Quarto cõfert visceib. hypochondriotũ: Quinto flatus discutit: Sexto vrinas mouet. Hæ sunt vtilitates, hi sunt fructus, quos in morb. acut. curandis præstat nobis oxymel parum acre. Et notare debet, appellari oxymel minus acre, non solum illud, in quo plus aquæ miscetur, sed in quo acetum minus acre est immixtũ. Quod enim humectat fauces & os est manifestissimum, quandoquidem cum huic plus aquæ misceatur, ratione humiditatis, quam ab aqua sortitur humectat; ratione aceti penetrat, & consequenter sputum educit, quia ratione acrimoniæ excitatur facultas expultrix, ratione vero mellis & aceti disponitur, inciditur & attenuatur, vt facile educi possit. Quod si humectat os & fauces, quis non videt sitim extinguere, cum hæc ortum habeat à partib. spiritualib. exiccatis, Quod vero conferat visceribus hypochondriorum, causa est, quia dissipat flatus. Cur autẽ dissipat flatus, ratio est, quia à caliditate mellis & aceti flatus attenuantur & dissipantur. Neq; etiam est a ratione alienum, mouere vrinam, quia ita omnino se res habet, vt improprie dicatur mouere vrinam, & per accidens, haudquaquam per se, quia totum tendit ad vesicam, maxima ex parte, & conuertitur in vrinam.

Oxymelitis minus acris vtilitates.

ἐντέρῳ μέν τοι τῷ κάτω μεζ πλαδαρώτερον.

Sed intestini inferiorem partem plus æquo.

EXplicatis vtilitatib. oxymelitis, putauit etiam sibi agendũ esse, de damnis, quia Medicus non solũ vtilitates persequitur, sed vt sciat detrimenta euitare ea proponit. Sunt aũt primum duo detrimenta: vnum est, ꝙ humidiorem reddit partem infernam intestini: secundum est, quod facit abrasiones. Circa primum aduertere debetis, Hipp. vti hac voce πλαδαρώτερον, nam πλάδος apud Hip. vt annotauit Erot. Et Gal. non significat omnem humiditatem, sed laxam & fluxilem, merito cuius intestina magis quam conuenit redduntur humectata. Quod. n. omnis humiditas intestinorum non sit damnata, habetis testem Hipp. lib. de gland. vbi dicit humiditatem minime facere morbum, sed loquitur de humiditate simpliciter. Duo vero occurrunt inuestigatione digna. Primũ est, quomodo dicat, humectare inferna intestina. Nã supra, dũ loqueretur de vino aquoso, dixit humectare superna intestina: nunc de oxymelite aquoso dicit humectare partẽ infernã intestinorũ. Præterea si debent humectari intestina, magis consonũ est veritati, vt humectẽtur superna, quia hæc viciniora sunt & nõ æque ac illa repleta fœcib. Est etiã cõtéplatione dignum, quomodo dicat facere abrasionẽ intestinorũ, quia si vllũ oxymel abraderet intestina, deberet abradere oxymel acre, cui tamen Hipp. hoc vitiũ non ascripsit.

Notabilia quædam.

Adhæc

Adhæc Arist. 21. part. prob. 22. scribit acetum mordere partes internas & nõ externas, quia internæ partes sunt his debiliores, sed superiora intestina sunt debiliora & proximiora ori. Igitur rationi cõsentaneũ videtur, vt potius deberẽt abradi superiora, quã inferna. Circa primũ puto ego Hipp. breuitatis amantissimũ voluisse docere ingenia nostra id ꝙ minus est, vt ex hoc colligamus illud ꝙ maius est; veluti minus videtur rationi consentaneũ, vt inferna humectentur, quare si hoc fit, quãto magis credibile est, humectari superiora. Sed ꝙ de vino aquoso afferebatur in mediũ, recte est intelligendũ, dixit Hipp. humectare superna, de vino aquoso; nũc dicit de oxymelite aquoso humectare, etiã inferna, quasi dicat vinũ aquosum humectat superna, & hoc non solũ humectat superna, sed etiã inferna. De abrasione vero dupliciter responderi potest, vno modo nõ dicere simpliciter abradere, sed humectare & abrasionẽ facere. Quia hoc verissimũ est abradere intestina oxymel. attamẽ alio modo respõdere possumus, si intelligẽda est dictio Hipp. de abrasione intestini inferni, ita esse accipiendũ, ꝙ ab ipso oxymelite augetur bilis, quę pręcipitata à folliculo fellis in duodenum, & à duodeno in inferiora intestina, facit abrasionem.

ἐστὶ δὲ ὅτι καὶ φλαῦρον ἐστὶν ἐν τοῖσι.

Interdum quoq; in morbus acutis inutile est.

ALiud detrimentũ & omnium clarissimũ, quod facit oxymel est, vt hoc loco ait Hipp. quod non solũ flatus foras prodire vetat, verũ etiã recurrere facit; frangit vires, & refrigerat partes extremas. Addit postremo huiusmodi detrimentum esse solũ effatu dignũ, quasi dicat alia detrimenta vt humectari & abradi intestinũ infernũ, sunt quidẽ mala, sed haud ita incõmodant homini ac flatuũ retentio reuolutioq;, viriũ languor, & refrigeratio extremorũ. Sed cur tantũ hæc detrimenta recẽser Hip. Quia sunt veluti characterismi ilei seu voluuli morbi; quasi dicat, oxymel quandoq; facit voluulum, ꝙ quidem est maximũ omniũ symptoma. Et notate dixisse Hipp. interdũ hoc fieri, quia raro fit. Sed quando fit? ita vt sciatis euitare hos scopulos: fit quãdo æger acriter ægrotat, quando nimis copiose & nimis frequẽter eo vtitur, quando intestina illius sunt admodũ sensibilia, denudataq; à mucis, quib: plerunq; oblinuntur. Sed operæpretiũ est videamus quomodo ex vsu oxymelitis recurrunt flatus, qui fiat viriũ imbecillitas & extremorũ frigus. Primum. n. dubium esse videtur, an retineantur flatus, quia nuper dixit flatus discutere oxymel; nũc vero dicit non solum retinere flatus, sed efficere vt recurrant. Præterea consideratione dignum est, cur dicat facere vt retineantur flatus, & non humores, cum tamen hi maxima ex parte morb. acut. sunt semina. Postremo videndum est, qua ratione dicat, refrigerare extrema, & vires flauescere: cũ sæpe flagrent externa, & maxime molesti sint. Circa primũ respondendum est, quemadmodũ videtur respondere Gal. flatum discuti dupliciter contingere posse, atq; etiam flatum retineri; per se, vel per accidens, per se discutit oxymel flatum, per accidẽs vero retinet, quia cum abradat intestina, ratione abrasionis cõtingit, vt vbi est vitium abrasionis, ibi sit vitium expulsionis. Est. n. cum ipsis à natura intestinis ita cõparatũ, vt quotiescunq; partes supernæ affectæ sunt, depellantur ad inferna quando vero hæc sunt offensa, ad superiora, quemadmodum ab oxymelite dicit fieri in abrasione intestini inferioris, propter vlcus & abrasionem. Circa secundum cur nihil dixerit de humore, illud primum responderi potest, Hipp. maxima tribuisse ipsis flatib. adeo vt in lib. de flat. existimarit omniũ morborum esse caussam, imo ibi loquens de voluulo quẽ hic descripsit, dicit fieri à flatu. Quapropter fortassis illius sententiæ suæ memor, duntaxat hic de flatibus locutus est. Sed possumus etiam aliter respondere, Hipp. suæ consuetudinis memorem, voluisse vos docere ex eo ꝙ minus contingere debet, contingere etiam quod magis debet. Quasi dicat etiam flatus retineri & ad superiora intestina reuolui facit. Ergo facile vnusquisq; sibi persuadere potest humores etiã restagnare in partes superiores intestinorũ. Sed possumus etiã aliter respõdere, nẽpe difficilius humores recurrere in superiora, quia vbi retinentur flatus, in perpetuo hi motu sunt, maxime in loco alieno, itaq; impedita ad inferna via recur-

Oxymel vẽt flatus cohibeat.

runt ad ſuperiora, humores vero quieſcunt ſemper, & niſi vis magna accedat, ſurſum nunquam feruntur. Sed cur refrigerantur partes externæ, & debilitas virium inducitur? Per accidẽs etiam hoc fit, quia vbi exulceratio inteſtini eſt, fiunt ingentes cruciatus, propter quod fit, vt calor natiuus ad interna feratur, & refrigerentur extrema, & debilitas virium oriatur. Neq; valet quod refrigeratio eſt vtilis in partibus externis, æſtuq; flagrantibus, quia hæc refrigeratio eſt inutilis & per accidens facta, propter paupertatem caloris natiui.

ὀλίγον δὲ τῷ τρίονδε ποτὸν νυκτὸς.

Exiguum autem noctu, & ieiuno ante ſorbitionem.

POſtquam egerat de facultatibus ipſius oxymelitis, ſupererat vt ſermonem haberet de modo adminiſtrãdi. Et quia in hoc quantitas & tẽpus maxime omniũ referunt, eapropter de his præcipue agit. Inquit igitur exiguum noctu ieiuno ante ſorbitionem dare commodum eſt. Sed & vbi multum temporis poſt ſorbitionẽ interceſſit, bibere nihil prohibet, &c. Hæc ſunt quæ breuiſſime diuinus noſter Hippocr. vt ſolet de adminiſtratione oxymelitis nos docturus eſt: vt autem more noſtro ſigillatim vnumquodq; expendamus, primo videndum eſt, cur Hippoc. dicat, exiguum dandum eſſe. Illud conſtat, oxymel apud Hippoc. & Galen. inter medicamenta recenſeri; quapropter tum quia eſt medicamentum, tum quia eſt oxymel exiguum dandum eſt; ratione medicamenti; quia quodcunq; ſit medicamentum, ſemper multo minus datur illius, quam cibi: itaq; iure dicit exiguum dandum eſſe. Neq; valet multa eſſe, quę in magna quantitate exhibentur, vt lac, ſerum, quia, vt ſcribit Ariſt. 2. ſect. problem. 48. hæc potius alimenta ſunt quam medicamenta; quia non operantur facultate medicamentoſa, quia nullam habent, ſed ſola quantitate. Ratione qua oxymel eſt, etiam paucum dandum eſt, quia vt dicit Galen. 11. meth. cap. x1. oxymel neruos lædit, tuſſim mouet, inteſtina abradit, ſi pluſculum quam conuenit exhibeatur. Sed cur Hippocr. non determinat hanc exiguitatem? Hippocrates non conſueuit illam rem definire, quæ nõ eſt certiſſima, quæ non eſt perpetuo vera, ſed non poteſt haberi perpetua veritas exhibendi oxymel, quia aliqui duas ferunt vncias, aliqui vna ſola maxime læduntur. Verum quod frequentiſſime omnium vſurpari ſolet eſt vncia vna vel vncia cum dimidia, aliquando etiam duæ. De tempore autem vniuerſali dixit antea, omni tempore conuenire, de particulari autem dicit noctu hoc in loco: aliqui intellexere dandum ſummo mane, Galen. vero noctu. Ego vero puto intellexiſſe auroram, quæ eſt finis noctis, & principium diei. Sed quæ eſt ratio, cur hoc tempore exhiberi debet? Quia ventriculus eſt vacuus, & perfecta coctio, & debet etiam exhiberi ante cibum. Sed diceris, cur itaque addit ieiuno ſtomacho, quia in aurora ſemper eſt perfecta coctio, & ſtomachus vacuus? Non puto in caſſum hoc addidiſſe, quia ſæpe vſuenit, vt ægri alantur noctu. Quapropter fieri poteſt, vt in aurora tum temporis ſtomachum habeant crudum, quaſi dicat, ſi forte contingat vt noctu alatur æger, expedire, vt obſeruetur diligenter perfecta ratio. Dixit vero ante ſorbitionem. Veteres enim, vt audiuiſtis, vtebantur potu ſolo vel ſorbitione: in morbis acutis, vbi febris aderat, nunquam dabant cibum, ſed ſorbitionem; ſed ſi febris non adeſſet, dabant acibum, Pro ſorbitione igitur intelligit illud nutrimentum quod datur in morbis cutis: & dicit dandum eſſe oxymel ante ſorbitionem, quia ſi miſceatur oxymel ſorbitioni, vis abſterſoria illius hebetatur & obtunditur. Alia etiam eſt cauſa, quia vt ſcribit Cœl. Aurel. lib. 2. acutor. medicamenta vbi cibis miſcentur, non ſolum ipſa reddũtur inania, verumetiã corrumpunt cibos. Et hoc eſt, quod eruditiſsimus Auicennas 1. quarn voluit nos docere, quando integrum caput ſcribit, non eſſe exhibendum ſyrup. acet. cum ptiſana. Sed cur Hippocrates non docet nos quanto tempore debeamus exhibere oxymel ante ſorbitionem. Hoc etiam fecit conſultiſsime, quia non poteſt certa definiri ratio ipſius ſorbitionis, ſiquidem ſunt ventricu-

Oxymelitis quæ doſis ſueta.

ventriculi, è quibus ilico abscedit oxymel, sunt in quibus diu moratur. Præterea alia est ratio mensuræ, quando plus sumitur, alia quando minus. Quare voluit hanc rem relinquere iudicio ingeniosi decernendam. Et si à vobis aliqua ratio est eligenda, vbi plus oxymelitis sumitur ad vnciam vnam, vel vnciam vnam & semis, & vncias duas, non sumendum esse, quam quatuor horas ante cibum. Si validus est stomachus, & parum oxymelitis sumitur, satis est vnam vel duas horas ante accipiatur.

Dicit postremo, si post sorbitionem sumendum est, multo interuallo; dicit si sumendum est, quia propter symptomata, imo propter vires accidit nonnunquã, vt qua hora debeant sumere oxymel, habeant vires imbecilliores: & cum post sumendum est, dicit esse sumendum longo interuallo, donec scilicet cibus sit concoctus, & exierit à ventriculo, quod fieri solet quinq; vel sex horis. Quare male faciunt nonnulli, qui duos syrupos de die exhibent, non obseruato perfectæ coctionis tempore.

Τοῖσι δὲ ποτῷ μόνον διαιτωμένοισι ἄνευ.

Qui autem solo potu degunt absque sorbitione.

HOc quoque vtilissimum præceptum est in medicina facienda. Nam Hippo. locutus est supra de ægrotantibus, qui vtuntur sorbitione, & docuit quo pacto debeant sese gerere in exhibendo oxymelite, vbi vtuntur sobitione, sed quia contingit vt solo potu vtantur, docet nunc quo pacto se gerere debeat medicus tunc temporis: & inquit magna diligentia vtendum esse; quia sæpe vsuuenit, vt iis qui vtantur solo oxymelite abradantur intestina & angantur: & inquit esse propter duas rationes; vna est, quia venæ sunt inanitæ, & quia intestina sunt denudata stercore: alia ratio est, quia propter vsum solius potus, vires admodum sunt fractæ, quo fit, vt facile lædantur. Ex quibus duo documenta potestis colligere: Vnum est, naturam ad defendenda intestina à noxis non solum obliniisse illa muco, sed vtitur etiam ipsis fœcibus ad tuenda intestina, & puto ego flexuum intestinorum causam fuisse, vt ibi retenta excrementa diutius possint tueri ea à rebus acribus, mordentibus. Igitur si denudata sunt fœcibus intestina, acres & biliosi humores perreptantes per intestina ipsa, exulcerant ea, mordent & abradunt substantiam illorum. Et propterea videre debet medicus, vt non exhibeat oxymel, quando denudata sunt fœcibus intestina, & vt non præbeat illis, quorum ventriculi sunt pituitæ expertes, & humorum viscidorum atque crassorum, qui fuceus hic crudus & pituitosus tuetur ventriculum, ne noxam aliquam incurrat, ab oxymelitis vsu, qui si non adest, erosiones patitur. Hoc cum impostores & circumforanei homines sciant, ante vsum antimonii, similiumque, quæ venenata sua qualitate maximum detrimentum inurunt corporibus humanis, iubent oleum, butyrum, axungiamve, vel simile quidquam præsumi. Et reuera ita innoxius est eorum vsus. Iam vero ptisana etiam ipsa præsertim integra si ab ægris sumatur, vt ait Hippocrat. facit, ne oxymel ventriculum, aut ipsa intestina abradat, quemadmodum alii cibi crassi & lenti.

Intestinorũ mucus corũ tutela.

Agyrtarum dolus in præbendo antimonio.

ἢν μέν τοι ἀρήγον φαίνηται πρὸς τὴν.

Si igitur vtile esset ad totum morbum.

VIdebat Hippoc. medicos quandoq; vti & solo potu sine sorbitione cũ oxymelite tamen, vnde cum docuerit detrimentum, quod sequitur vsum oxymelitis, putauit necessarium esse docere, quo pacto non lædat, vbi vtendum est oxymelite & solo potu. Addendum est, inquit, parum aceti, ita vt ipsius sapor vix percipiatur, quia si quid fiat, aperit, calefacit, attenuat & euitatur noxa, vt non mordeantur & abradantur intestina, & virium languor inducatur, quia parum aceti inest.

Audiuistis antea, parum aceti solitum nonnunquam addi, aliquando amplius, iam acrius, iam minus acre. Hoc cum sciretetiam Galen. dicit acetum prius esse excoquendum, quando eo solo quis vti vult diutius, vt acrimoniam deponat. Sed parum firmum videri possit hoc Galen. quod acetum coctione actimoniam amittat. Acria enim omnia aut habent coniunctam siccitatem, aut humiditatem. Illa semper sunt excoquenda, qualia sunt metalla omnia, mysi tutia vt acrimoniam amittant, hæc vero coniunctam habent humiditatem non deponunt acrimoniam, sed etiam actiora euadunt coctione, vt mustum, sapa, acetum ipsum. Vt id intelligatis, sciendum est coctionem (vt paulo ante dixit Hippo.) omnem turpitudinem & prauitatem adimere. Præterea diuersam rem esse coctionem & sublimationem. Per coctionem hoc verissimum est, omnes res quæ habent coniunctam humiditatem & siccitatem amittere acrimoniam, quia opera ignis partes igneæ & tenues consumuntur, quo fit vt acrimonia aufetatur. Secus est per sublimationem, vt Aristot. decimatertia sect. probl. 6. scribit, vbi videtur subodoratus esse hanc attem ignoratam ab omnibus antiquis. Nam vinum exhalatum, conuertitur in aquam, quæ aqua vitæ nuncupatur, in aliud genus, partibus terrestribus substractis, qua nequaquam hebetatur vis illa vini calefaciendi, sed magis acuitur. Vnde pet coctionem verissimum est quod dicit Galenus per sublimationem. Sed quid de musto dicemus? Duplex est coctio, alia est quæ est elixatio, alia, quæ est assatio, hoc est, excedens quædam coctio. Res humidæ & acres pet moderatam coctionem amittunt actimoniam, per assationem vero euaduntacriores, quemadmodum etiam mustum assatum euadit acrius.

Aliud coctio aliud sublimatio.

Coctio alia vel elixatio vel assatio.

ἐν κεφαλαίῳ δὲ εἰρῆσθαι, αἱ ὀξὸ

Vt autem in summa dicatur, aceti aciditas.

De recta ratione administrandi oxymel tractaturus Hippo. dicebat, vt audiuistis, vt quantum, quando, quomodo, & quibus conueniret, doceret. Igitur cũ tria priora complexus est oratione, non minus docta quam eleganti, consulens, vt exiguum, noctu, ante sorbitionem præberetur, addensq; paratam esse debere, ita vt ei parum aceti sit cõmixtum, ne lædat, sequitur modo in quib. conueniat, doceat, & in quib. non conueniat. Et quia status vtentiũ oxymelite duplex est, prætetnaturalis, & naturalis: cũ de præternaturali dixit, quãdo omnib. morb. acutolaborãtib. conuenire asseruit, reliquum erat vt de naturali statu aliquid definiret certi. Itaq; cum status naturalis vtentium oxymilite cõsistat in temperamento, ætate & sexu, nunc agit de temperamento & sexu. Sed dicat aliquis vestrũ, cur non agit de ætate? Huic respondendum ego existimo, non habere sermonem de ætate hoc loco merito, tum quia alius dixit, omni ætati conuenire, tum quia cõtinetur ætas sub temperamento. Dicit ergo acetum conuenire biliosis & melancholicis, quod ad temperamenti rationem attinet; & viris magis quam mulieribus, imo mulieres multo magis lædi ob vterum, quod ad sexum spectat. Cur vero biliosis conueniat, affert rationem, quia aceto amara dissoluuntur, & in pituitam transeunt, ab ipso sublata: quod melancholicis quoque non conueniat, addit rationem, quia ab aceto nigra fermenrantur, attollunrur, & multiplicantur, eo, quod acetum ducit nigra. De mulieribus autem, inquit, multo minus conuenire, quam viris, propter vterum. Hæc est integra torius præsentis dictionis Hippocr. sententia, quæ ita clara & perspicua visa est Galen. vt putauerit non addendam esse interpretationem, quare breuissimus fuit in interpretanda hac parte. Ego autem sum alterius sententiæ, nempe in hac dictione multa esse & arcana & vtilia scitu. Primum quod amara dissoluantur ab acero, viderur rationi consentaneum esse, quia terrena sunt, quæ solent omnia ab aceto dissolui. Et hinc est, quod (vt dicebat Plinius lib. vigesimotertio, cap. 1.) saxa franguntur acero, vt fecit Hannibal, cum vellet transgredi alpes. Ita Cleopotra fregit vnionem: atque etiam experientia quotidiana videre vnicuiq;

Oxymel quibus conueniat.

Acetum cur obsit melancholicis.

vnicuique licet, si ouum detineatur duos tresue dies in aceto, adeo mollescere eius corticem, vt possit flecti in omnem partem. Sed dubitari posset, qua ratione dicat aceto ipsam bilem pituitescere. Primum, quia bilis, vt docet Galen. lib. 3. de fac. nat. & lib. 3. de temper. efficitur ab immoderato calore, per adustionem. Pituita vero fit à frigore; & est humor crudus. Atq; Aristot. scribit 4. meteor. ea quæ sunt assata, non posse amplius recrudescere. Quomodo ergo scribit bilem pituitescere, hoc est, recrudescere? Tribus modis possumus intelligere bilem euadere pituitam: Primum, vt non dicatur proprie substantia bilis fieri pituita, sed quia propter acetum bilis diluta & attenuata, induit quandam similitudinem ipsius pituitæ. Alio modo possumus intelligere, bilem fieri pituitam, quia ille humor, qui deberet conuerti in bilem, conuertitur in pituitam, propter frigus aceti. Tertio & vltimo modo, quia corpora biliosa vsu immodico aceti euadunt pituitosa, mutant temperamentum. Cæterum cum hoc clarissimum sit, illud maxima contemplatione dignum est, quomodo dicat ab aceto melancholiam fermentari, eleuari, & multiplicari: Quod pertinet ad fermentationem, puto vnumquodq; vestrum intelligere, quid sit fermentum. Est enim massa illa cruda in acorem conuersa, imo vero est ipsamet putrefactio, vt scribit Plutarch. in probl. circa finem, vbi dicit non vsos esse olim fermento, quia est veluti quædam corruptio fermentatio, vtrum autem fermentata magis alant, non fermentatis, est alia disputatio. Est igitur fermentatio, vt dicebat Plato in Timæo, partis terrenæ motio, & in aerem conuersio. Quomodo fit hæc permutatio in aerem? Fermentum cum sit corpus acidum, beneficio illius acotis, attenuat & calefacit quodammodo ipsam farinam. Quid sequitur ad hanc conuersionem in aerem? Duo, vt tota illa massa attollatur, tum quod illa farina amplificetur. Itaq; videre oportet quomodo dicat Hippocrates ab aceto fermentari humorem melancholicum. Et propterea ab oxymelite. Galenus dissimulauit hanc rem, sed si consideremus, illa quæ dixit 4. aphor. lib. voluit illa appellari certe fermentari, quæ intumescunt, quemadmodum etiam Hippocr. 5. epidem. & in coac. Nam vt ait Galen. 2. aphorism. 40. vbi melancholia effunditur in terram, suo acore conuertit in spiritum, & ebullire facit, quod etiam 4. aphorism. 21. & 23. dicit, sic aceti inspersum humori melancholico facit eum ebullire, attolli in molem multiplicari. Est etiam alia ratio, quia substantia humoris melancholici est frigida & sicca, vt est etiam aceti. Atque simile simili additum, illud auget. Sed debetis annotare id quod dico de humore melancholico & aceto, intelligi debere de aceto intrinsecus accepto, quia extrinsecus acceptum acetum, lienosos iuuat, aliosque affectus similes depellit, attenuando & incidendo. Sed qua ratione dicit esse *ἀναγωγὸν μελάνων*? aliqui dixerunt nihil aliud significare nisi illam fermentationē, quam facit acetum in humorem melancholicum. Sed non solet idem sæpius dicere. Dixit fermentare humorem melancholicum, itaque non erat opus, vt idem repeteret. Quapropter dicendum est beneficio ipsius aceti attenuatum humorem melancholicum, in aeremque permutatum, sursum tolli. Puto vos omnes vidisse, vbi mustum feruet, sæpe sursum ferri, & exire, quia aer inclusus à feruore, dum petit principium, educit secum humorem: Ita vult dicere de aceto, quod cum fermentat humorem melancholicum generat aerem, qui eleuatus secum ducit humorem ad caput, cor, vel aliam partem. Et hoc est, quod Plin. lib. 9. cap. 23. loquens de murænis piscibus melancholicis, inquit, si sorbeat acetum huiusmodi animalia melancholica, in rabiem ferri, quia fermentatus humor melācholicus, capitur ab aere incluso, petenteq; superiora, in cerebrum. Postremo cur est, quod inquit magis nocere mulieribus, quam viris? Inquit, esse ob vterum. Sed quæ est huius rei ratio? Viris quatenus viri sunt, inimicum est acetum. Quare est inimicum acetum viris? primum, quia generat humorem melancholicum: secundo, quia est corpus frigidum & siccum. Homo est animal calidum & humidū, adeo vt ex toto diametro sit aduersissimū acetum homini. Sed quare est magis inimicū mulierib. ꝓpter vterū? Quia acetum est summe frigidum & admodū penetrans, proptereaq; lædit neruos

Bilem pituitescere quid sit.

Fermentum quid.

Acetum vt melancholiam fermentet.

Murænæ sorpto aceto rabiunt.

neruos,quia dicit idem Hippoc.omne mordax neruis inimicum, quare mulieres ob vterum partem neruoſam ab aceto magis læduntur quam viri. Tum acetum penetrando aſtringit, ita oxymel aſtringit vterũ,oſculaq; venarum,vt conniueant, facit,& prohibet,quo minus probe exeant menſtrua. Retenta menſtrua feruntur in cor & cerebrum,grauiſſimaq; & perniitioſiſſima mala inducunt. Sed ex hac præclariſſima Hippocr.ſententia, licet vobis nonnulla pro medicina facienda documenta parare. Illud primum eſt, vt in bilioſis corporibus ſemper vtamini tuto oxymelite,ex copioſiore aceto & acriore parato. Alterum eſt, vt vbi pro melancholicis vtendum eo eſt, ſemper parce vtamini, & cum pauco aceto, eoque minus acri compoſito. Sed dicetis, eſtne vtendum in pituitoſis. Loquitur enim duntaxat de bilioſis & pituitoſis? Illud ſemper pro more habuit Hippo. vt extrema docuerit, vt poſſit vnuſquiſq; ſuo Marte ingenioq; elicere, diſcernereque prudenter, quid medio modo habentib, conferat. Itaq; cum pituitoſi ſunt medium quodammodo inter bilioſos & melancholicos, exiſtimo vtendum eſſe oxymelite medio quodam modo compoſito. Poſtremum documentum eſt, vt in mulierib. ſemper parciſſime oxymelite vtamini; & quod ſit paratum ex exigua quantitate aceti,& q acre ſit,ob rationes cum ab Hippocr.tum à me allatas in medium.

Aceti neruis apprime inimicum.

Cum ſemper pro more habui,incœptum ſemel opus, ad vmbilicum deducere; tum hoc,nunc quam maxime faciendum mihi eſſe duxi; vt interea veſtris ſtudiis plurimum quoque conſulerem. Itaq; orationem Hippoc. perſequi eſt animus, vt plene perfecteq; poſſitis intelligere rationem inſtituẽdi victum in omnib. morbis acutis: quam hoc libro tradere inſtituit Hippocr. cui titulus eſt de victus ratione in morbis acutis. Hippocr. igitur (vt dicebat mirabilis ille Auenzoar. lib. 3. ſuæ medicin. tract. 1. c. 1. eo tempore vixit, quo vix vllus reperiretur medicus verus: Quapropter cum ſuo tempore multos errores quotidie committi videret, in præſcribendo ægris in morbis acutis,victus,non ſine magno medicorum dedecore, & ægrorum detrimento, operæpretium factum ſeſe ſibi perſuaſit, ſi præcepta quædam ſcriberet,& verum modum inſtituendi victus in morbis acutis memoriæ proderet. In quo negotio verſatus eſt prioribus libris, oxymelitis mulſæque vſum attexuit. Reliquum erat vt de aquæ potu nonnihil doceret, vt nihil poſſet deſiderari, ad abſolutionem operis ſuſcepti: maxime cum huius cognitio, non parum habeat momenti in facienda medicina. Itaque hanc prouinciam nunc ſuſcipit,& de vſu aquæ nonnulla in medium proponit. Sed priuſquam ipſum Hippocratem audiatis, eximendus eſt ſcrupulus, qui fortaſſis ingeniis veſtris poſſet aliquam difficultatem parere: ſcilicet,cur Hippocrates nunc vltimo loco agit de aqua, cum antea proponens ſe loquuturum de quatuor potionibus, penultimo loco poſuerit. Duas ego ob cauſas, puto Hippocratem, hanc tractationem diſtuliſſe. Vna fuit, quia oxymel & mulſa vſq; adeo ſint inter ſe ſimilia, vt vix ſeparatim tractari poſſint. Differunt enim ſolo aceto: tum quia aqua eſt minimi vſus in morbis acutis curandis, de quibus agit Hippoc. Modo audiamus Hippoc. loquentem.

ὕδατι δὲ ποτῷ ἐν τοῖσι ὀξέοισι νούσοισιν.

Aqua autem quæ in acutis morbis bibitur, &c.

HÆc pars,quæ ſatis fuſa eſt & vtilis,duo habet, circa quæ opus eſt diligenter verſemur. Nam primum enarrat Hippocrates,quæ bona non præbeat aquæ vſus in morbis acutis: tum quæ mala afferat. Inter bona,quæ dicit non præſtare: primum eſt,quod tuſſim non ſedat: ſecundum, quod ſputum non mouet: tertium, quod ſitim non placat; quartum, quod aluum non mouet: quintum, quod vrinam non ciet. Totidem mala etiam probant. Primum eſt, quod facile bileſcit. Secundum, quod hypochondriis aduerſetur. Tertium, quod lienem & iecur tumentia, maxime lædat. Quartum, quod ſupernatet. Quintum quod ſtercoris ſit expers.

Aqua vſus, quæ mala miniſtret.

Subiun-

Subiungit deinde mala euadere deteriora multo, si quando exhibeatur illis, qui frigidos habent pedes. Hæc sunt, quæ proposuit nobis Hippocrates ad capita quædam reducta. Ante cætera vero scire operæ pretium est, quænam sit ea aqua, de qua Hippocrat. loquitur. Et circa bona, quæ dicit non præstetur, quo spiritu impulsus sit in damnandam etiam aquam. Tertio, quomodo dicat, sese nullum munus habere, quod possit illi attribuere merito. Quartum & postremum erit, qua ratione dicat sitim non sedare, cum aqua est frigida atque humida, & sitis sit frigidi iuxta, ac humidi desiderium, tum ante diluuium veteres vtebantur solo aquæ potu. His diligenter examinatis, recteque constitutis, videbimus ea, quæ Hippocrates proponit penitius. Sunt multæ aquæ in vsu. Est præ ceteris fluuialis fontana, pluuialis, putealis, & palustris. De aqua palustri, eum loqui, nemo est, scio, qui credat, cum hæc Hippocrate teste libro de aer. aq. & loc. omnium pessima censeatur. An fluuialis aut fontana, aut pluuialis, quorum non rarus olim erat vsus, dubitari posset. Sed quicquid sit, capienda est his notis, quæ ab Hippocrate & Galeno nobis traduntur. Vt sit leuis, & præterea cito calefiat, & refrigeretur: vt sit limpida, ac clara: odoris saporisq; omnis expers (nisi proprii, quem appellant saporem aquæ) leuis inquam, non ad pondus: sed quod neque viscera hominum, neque ventriculum grauet: tum quæ facile calefiat, & refrigeretur, hoc est, in corpore alteretur, vt omnis odoris ac saporis sit expers: adeo, vt nullam peregrinam qualitatem obtineat. Itaque puto de nullo alio aquæ genere, quam de hoc optimo loqui. Sed cur ergo eam tantopere damnat: siquidem contra scriptorum fere omnium est sententiam. Pindarus ὕδωρ ἄϱιστον πάντων esse dixit. Hippocrates 6. epid. commen. 4. text. 20. dicit ὕδωρ βορὸν, id est, aqua vorax, famem excitans. Idem eodem libro sectione eque, text. 15. dicebat, calidis natura aquam conuenire. Cels. lib. 2. cap. 3. inter alia bona aquæ dicit, maxime iuuare coctionem. Plutarchus etiam in præcept. de sanit. tuend. maximopere extollit aquam, adeo vt omni genere potus præferendum esse duxerit aquæ potum, libro proprio. Athenæus quoq; ex sententia Dioclis, recenset maximos aquæ vsus. Inquit enim esse πεπτικὸν, flatus discutere, ἐξυδεϱικὸν, vt etiam Alexand. 2. Probl. 52. Cur ergo tantopere damnauit? Dicendum est, aliud esse loqui de corporibus sanis, aliud esse loqui de corporibus ægris. Præterea ægritudines non parum etiam inter se differunt. In sanis equidem conuenit, & his Veteres exhiberi voluerunt. Secus est in corporibus ægris; quandoquidem corpora ægra multa possunt habere impedimenta, quibus aquæ vsus prohibeatur, & præsertim in morbis acutis: & inter hos maxime pleuritis & peripneumonia sunt. Sed quare negatur in his morbis? Quia vnicum semper esse studium deberin pleuritide & peripneumonia, vt tussis amoueatur, & vt sputum producatur. Deniq; vt sitis sedetur. Sed, si simplex fuerit aqua, non modo tussim non sedat, sed mouet, teste Hipp. in aph. neq; ad sputum educendum conuenit: quia ad hoc, vt sputum educatur, opus est, vt viscositas, qua adhæret nimis, detergatur, quod neutiquam facere potest. Sed cur Hipp. non contentus docere nos mala, addit quibus bonis caret? Vt vnusquisq; intelligat, nullum aquæ in morbis acutis esse vsum, quasi dicat, aduertite non solum mala facit, sed etiam nihil boni. Cum omnia fere quæ in rerum natura sunt bona pariter ac mala habent. Sed quid de siti dicendum est? Aqua ex se & sua pte natura optima est ad sitim extinguendam, sed ratione impedimenti fieri potest vt non possit exercere suas vires. Ita in pleuritide ac peripneumonia flagrantib. corporibus incendio nimio, fomes & pabulum sit igni depascenti. Sed Hipp. tamen & Gal. commendant vsum aquæ frigidæ in feb. ard. quare videtur aliquis illius esse vsus. Respondendum est, Hipp. loqui duntaxat de pleur. & peripn. non autem de omnibus morbis acutis hoc in loco. Præterea vsi sunt aqua vt medicamento, non vt alimento: copiosissime & potius mouente aluum, aut vrinam.

Ante diluuium solius aquæ potu victitabant.

Aqua bona notæ.

Aqua apud diuersos laudes.

Responsio Autoris.

Cum Hipp. nos docuisset sputum non mouere, nunc addit verum si inter oxymel, & mulsam modicum aquæ bibatur, mouet. Nempe intus inundationem facit. Sed quid est hoc, quod nos docet Hip. Audite, oxymel & mulsa; idcirco mouet

Tt sputum

sputum, quia incidunt & attenuant materiam viscidam & crassam, & veluti elidunt. Ubi hæc est elisa ab aqua diluitur; diluta supernatat. Puto vos interdũ esse expertos, quod ubi volumus explorare an sputa sint purulenta, coniicimus in aquam, ex quo apparet, sputa illa quæ faciliter educuntur, supernatare, reliqua subsidere. Haud secus fit ab usu aquæ, oxymelitis, & mulsæ. Atq; hæc dicit Hipp. de bonis, quibus caret aqua; modo quæ mala producat, diserte docet. Inter quæ primum est, quod amarescit, & biliosis naturis in bilem conuertitur, secundum quod hypochõdriis est, inimica & biliosissima. Tertio vires labefactare, ubi descendit in vacuum locum, id est ilia. Quatto, alia, circa quę occurrant complura contemplatione atq; obseruatione digna. Galenus in lib. de simpl. med. fac. inquit amarescere fructus propter exustionem, ut fructus cucurbitæ, aqua non potest amarescere in biliosis propter cruditatem, quia cum in illis magnum est incendium, & feruor, non potest recrudescere, tum etiam quo plus cogitur, magis salsa euadit. Alex. Trallianus lib. 6. cap. de vict. in pleurit. dixit Hipp. hoc in loco sermonem habere, de qua sola exhibita. Aqua sola exhibita, est veluti inedia, in qua amarescit fere semper os. Sed huic respõderi potest, quia scio Arist. 13. sect. Prob. 7. scribere ieiunantium ora fœtere, scilicet, quia aer detentus in stomacho incalescit & putrescit. Sed quod amarum saporem acquirat, id non dicit. Puto ego, vos experientia comperisse, si aloe gustetur, amarum omnibus videri. Si vero liquetur in aqua, multo magis. Hoc contingit ex usu aquæ in stomachis biliosis. Ubi enim aqua effusa est in stomachum, fundit de se magis vires & saporem amarum. Dicit Hipp. ἐπὶ πικραίνειν, id est super amarescere, quia superfusa aqua ipsi bili, facit ut ille amaror magis se prodat. Hoc quidem planissimum est; sed illud quod subiungit, multo magis enodandum esse existimo, nempe, quomodo fieri possit, ut aqua vertatur in naturam bilis, primum, si aqua conuerteretur in bilem, necessario crassesceret, quia bilis est humor multo crassior, quam sit aqua. Sed Arist. 4. meteor. & lib. de sens. & sens. cap. de sapore, scribit, nunquam crassescere. Idem Arist. dicebat in Probl. aquam frigidam magis ponderare, quam calidam, quia suo calore potius tenuatur & leuior redditur. Quare cum non possit aqua crassescere, non videtur conuerti posse in bilem. Nam si debet conuerti aliquid de corpore in corpus, necessaria est aliqua communis qualitas inter utrunq;. Sed inter bilem & aquam, nulla est symbolitas (ut sic dicam) cũ illa calida & sicca, hæc vero frigida & humida sit. Præterea Hip. 6. epid. com. 4. tex. 15. scribit aquam conuenire calidis naturis, & Alex. loco citato dicit calidissimis & siccissimis corporibus maxime utilem esse. Præterea idem Arist. 8. sect. Pro. 17. dicebat, iratos, si perfundantur aqua, maxime mitescere; quia huiusmodi frigiditas aquæ potius placat bilem. Igitur his rationibus non videtur esse verum, aquam bilescere, quod hoc loco dicit, & 3. lib. de artic. circa fin. Adhæc Arist. 2. de gen. & corrupt. inquit aquam fieri vinum in mixtione. Ergo neq; mirari quisquam debet, si in bilem conuerti Hipp. dicat. Hæc res tantum difficultatis habuit apud nonnullos, ut non defuerint, q criminari sint Hip. quasi falsum dixisset. Alex. Trall. sane Hipp. non intellexit. Nam vera quidem est illius ratio, de sola aqu · exhibita intelligibilis, sed minime accõmodat verbis Hipp. quia Hip. non dicit, quod præ inedia, aqua sola exhibita, faciat bilem: sed quod ipsa conuertitur in bilem. Quomodo ergo tueri possumus Hipp. Gal. li. 2. de simp. med. fac. cap. 13. scribit, ita comparatum à natura, ut quotiescunq; cibi optimi in stomachum cacochymũ mittantur, corrumpi & conuerti in prauos succos: non secus atq; medicamenta purgantia abeunt in naturam illius humoris, quem educere consueuerunt, cum suo opere frustrantur, fineq;. Hoc ego existimo fieri in his. Ubi enim aqua præcipitatur in stomachum biliosum, retinetur; tereta corrumpitur: corrupta, fit fomes bilis, & eius naturam induit. Quo constituto, respondere iam potestis argumentis contrariis, quia aqua reuera quidem non crassescit, donec est vera aqua, sed corrupta: & tunc etiam peregrinos sapores nanciscitur. Et cum aqua permanet in sua natura, non habet qualitatem symbolicam, sed corrupta. Igitur videre potestis quam clara, quam perspicua, & quam vera sit Hippocratis oratio.

Amarescit res ab exustione.

Iratos, si frigida perfundantur, mitescere.

Difficultas in intelligẽdo Hippocr.

Cibi etiam optimi à cacostomacho deprauantur.

Secun-

Secundum malum est, quia hypochondriis est infestissima, & vbi labitur in locnm vacuum, vires labefactat. Iam videamus, quomodo sit aduersa hypochondriis. In morbis acutis hypochondria semper flagrant, quia calor preternaturalis & febrilis, qui est perpetuus fomes morborum acutorum, potissimam sedem habet in partibus naturalibus. Cum igitur feruent hypochondria, retenta in iis aqua, auget æstum; siquidem Aristoteles secunda sectione Problemat. inquit, hyeme si abluamus manus aqua frigida, prius quidem refrigerat, sed tota die hæ magis incalescunt, quia illo frigore calor coarctatur, & augetur: haud secus contingit hypochondriis feruentibus, in quibus si paululum aquæ feratur, prius quidem refrigerat, sed postea auget calorem incendiumque. Et est etiam biliosissima: tum labefactat virium robur. Sed cur labefactat vires? quia calore aucto consumuntur magis spiritus. Præterea cum sola aqua exhibetur, vires maxime ruunt. Et iure Gal. in comment. dicit Hippocratem propterea vsum fuisse modo vino, modo oxymelite, interdum mulsa, quia aqua nullas vires habet. Adhæc aqua (inquit Hippocrates) auget inflammationem iecoris & lienis, eo quod difficulter coquitur. Hoc manifestissimum est. Sed quomodo auget inflammationem iecinoris & lienis? quia vbi tument hæ partes, fiunt velut spongiosæ, vnde repletæ aqua, viisque obstructis, magis incendium concipiunt. Quartum malum est, quia ἄκοπρον est. Sed hoc satis obscurum est, quia est res notissima etiam pueris, aquam non posse facere stercus. Præterea quid mali est, non facere stercus; imo hoc bonum est; quia sicuti nos maxime laudamns eos cibos, qui nihil aut parum excrementi producunt; & repudiamus, eos, qui multum excrementi producunt: cur ergo damnat aquam, quia ἄκοπρον est, id est, excrementi expers? Nonnulli qui viderunt hanc difficultatem, dixerunt, quia in morbis acutis interdum maximam vtilitatem habet, quod vbi intestina repleta sunt fœcibus, ab illis defenduntur, quo minus acres humores illa dilacerent. Sed meræ nugæ sunt. Nam licet non faciat fœces, non tamen nocet. Præterea si hoc verum esset, optabile esset, vt replerentur multo stercore intestina. Nihilominus dicebat Auerrhoes in initio suæ Medic. vsu & sententia omnium esse probatum sanitatem collocatam esse in eductione stercoris. Dicendum est ergo aquam facere, quod stercus, si quotidie non educatur, quemadmodum fieri deberet, quia veluti suspendit fœces ipsas, tum flatus etiam parit, quibns suspendantur. Sed video, statim iure merito aliquem vestrum esse dicturum, quomodo Hippocrates hoc vult dicere, quia paulo supra dicit, non deiicere aluum, non monere vrinam; cur ergo idem hic repeteret esse ἄκοπρον. Sed vera hæc quidem sunt. Attamen aliud est, dicere, esse διαχωρητικὸν, aliud ἄκοπρον. Illud enim dicitur de eo, quod hnmores è corpote educit; hoc, cum vnum & pnrum stercus. Neque contentus ergo fuit Hippocrates, dixisse, non deiicere aluum, sed ne stercns quidem educere. Postremo loco inquit, aqua si frigidis pedibus existentibus exhibeatur, nocet, & deteriora mala facit ad quæ fertur. Quid habet hoc Hippocratis ænigma? Frigidi pedes semper sunt in accessionum initiis: propterea inquit Aristoteles prima sectione Problem. Veteres Medicos semper consueuisse, vt ante accessionem pedes calefacerent. Vult ergo dicere, in initio accessionis abstinendum omnino esse ab aqua: quia tunc maxime vrgentur siti ægri: & calor natiuus recursu humorum ad centrum veluti obruitur & strangulatur; quo fit, vt si adiiciatur aqua, multo magis offendatur; & propterea in anhelitus difficultate, & dolore capitis, exhibita aqua, increbrescunt hæc mala magis, impedita natura, adeo vt inchoatum opus suum perficere non possit. Studendum semper vnicuique est, conseruare calorem natiuum, vitæ functionumque omnium autorem, & conseruatorem, primum & præcipuum.

Aqua quomodo hypochondriis noxia.

Aqua vires atterat.

Aqua, vt inflammationes iecoris & lienis augeat.

ἄκοπρος aqua.

Nugæ quorundam de fœcibus, intestina roborantibus.

ὑποπλεύσαντι μέν τοι ἐν ταύτῃσι.

Cum vero in his morbis vehementem capitis.

IN tractanda aquæ potione nonnulla interserit Hippocrat. de vsu vini; quod potest facere difficultatem ingeniis vestris. Puto ego duas ob causas hoc fecisse; vna fuit, quia potio aquæ semper est cum abstinentia vini; & eo maxime quod Galen. in comment. scribat, eos qui vinum auersabantur in morbis, consueuisse statim confugere ad vsum aquæ. Alia ratio fuit, quia cum improbasset maximopere aquam, potuisset aliquis abuti vino. Eapropter excipit quosdam casus, in quibus vti debemus aqua, aut tarissime vino. Itaque totus hic contextus in duas partes partitus est; in prima parte inquit, si mens læsa sit, & capitis grauitas adsit, abstinendum esse ex toto à vino, aut si vinum aliqua ratione potandum est, debet illud esse aquosum, album, & sine odore. In secunda parte inquit, quod quando in morbis acutis potandum est aliqua ratione vinum, debet immediate etiam superpotari exiguum aquæ, quia sic (dicit) minus caput lædit. Expendamus autem vnamquamque particulam. Et cur dicar, si potandum est vinum, debere esse aquosum, album, & sine odore. Dixit autem iure aquosum, quia hoc (vt dicebat Galenus primo de antidot.) est sicuti colore, ita etiam sapore, veluti aqua; quo fit, vt cum vinum aquosum sit minime potest caput lædere, & non potest febrem augere. Huiusmodi vinum, dicit Galenus, concedi olim solitum febricitantibus. Dixit præterea debere esse album, quia vt 12. method. cap. 4. & alibi ait, nullum vinum album potest

Nullum vinum album calidum est. esse calidum; propterea hac ratione potest conuenire febricitantibus. Sed animaduertite, vina nostratia alba non esse eius generis, quia hæc sunt valde calida, & potius appellanda flaua; alba autem sunt quæ referunt colore albedinem. Dixit tertio loco, debere esse inodorum, propterea quod vinum, quodcunque sit

Vinum odorum omne caput ferit. odorum semper petit caput. Et Aristoteles tertia sectione, Problem. decimotertio, quærens causam, cur vinum dulce non inebriet, sed austerum; inquit, illud esse corpulentum, & sine odore, hoc autem cum odore; odor vero omnis semper tentat caput. Quo fit, vt Hippocrates etiam dixerit, omnia aromata tentare caput, propter odorem. Quapropter vere & prudenter monet Hippocrates, vt vinum sit aquosum, album, & sine odore, quod præberi possit in morbis acutis,

Quæst. An vinum caput feriat, ratione caloris, an odoris. quia est expers caloris, & non tentat caput. Vtrum autem vinum tentet caput, ratione caloris an odoris, dubitari merito possit. Galenus enim in comm. huius contextus, videtur secutus eam sententiam, quod non petat caput propter calorem; quia sicuti calida omnia vapores mittunt in sublime; haud secus etiā in corpore nostro vapores mittunt in sublime, à quibus cerebrum læditur. Sed Arist. 10. sect. Pro: sensit propter quandam proprietatem lædere caput, quia si calida, vt calida læderent caput, qui fieri posset, vt omnia calida, quæ plurima sunt, non lædant? Ego vero puto etiam accedere præter calorem proprietatem quandam ipsius vini. Dicit

Cur vino sumpto superpotandā aquam suadeat Hipp. postremo, si bibendum est vinum, debere statim superpotari aquę exiguum, quia sic minus lædit. Dixit superpotari, quia, vt audietis, magnum discrimen est, vtrum cum vino, aut post vinum statim potemus aquam. Circa hanc explicatissimam Hipp. sententiam, sunt tria inquisitione digna, quæ ad medicinam faciendam sunt vtilissima; primum est, cur Hipp. in concedendo vino in morbis acutis, excipit duntaxat mentis læsionem, & capitis grauitatem. Quod autem videtur hac in re dubitationem facere est, quia Gal. I. ad Glaucum, cap. 14. non modo excipi vult capitis dolorem, & mentis læsionem, sed inflammationem viscerum, & febrem ardentem cum cruda materia; imo vero in morbis etiam diuturnis plerunq; negat Gal. vinū, vbi materia est cruda, quicunq; sit morbus. Aliud quærere oportet, q̄ sit ratio propter quam Hippocrates vult statim superpotandam esse aquam, non autem vult vt potet cum ipso vino. Tertio, vtrum liceat febricitantibus indiscriminatim dare vinum. Nam Hip. in morb. acut. cum quibus semper febres magnæ coniunguntur, illud concedit. Circa primū dicendū, Hip. nostrum semper breuitatis studiosis.

semper

semper illud cauisse, vt duobus verbis incredibilia mysteria propalaret. Cum igitur hoc hic agit his duobus verbis, capitis grauitate, mentisque læsiones, facile intelligi potest, hæc tantum duo excepisse. Nam nullo modo pars aliqua grauiter afficitur, quin capitis grauitas aut mentis læsio adsit. Sed quid in materia cruda dicemus? In febre tertiana notha Galen. 1. ad Glauc. negat vinum, nisi sit inchoata coctio; ita vt alibi loquens de syncope ab humoribus crudis, si febris adsit, inquiat, non est dandum vinum aquosum. Itaq; dicere possumus, vbi materia cruda est, in initio morbi, vix fieri potest, quin aliquo modo laboret caput. Si post & hæc vox καρηβαρίη, significat omnem dolorem capitis. Circa secundum, cur scilicet Hippocrates velit potius superpotandam aquam, quam miscendam cum vino, euidentissima ratio est, quia si aqua misceatur vino, tentat maxime caput. Si post vinum potetur immediate, liberat ab omni noxa. Quæ est ratio? Est hęc, quia vbi miscemus aquam, vino, fit vt vinum magis penetret ad caput. Vbi autem sumitur statim post vinum, ligat, vincitque illius vapores, vt ad caput ferri nequeant. Aristoteles tertia sectione, Problem. 3. quærens rationem, cur vinum dilutum magis inebriet, quam merum, inquit esse, quia vinum dilutum est tenuius propter commistionem aquæ, & magis lædit. Idem eodem Problem. & aliis eadem sectione, quærens rationem, propter quam ebrietas, quæ fit à vino mero, citius pellitur, quam ea, quę fit à vino cui mixtũ fit exiguum aquæ, inqt esse, q, illa fit duntaxat à corporib. q facile & cito discutiuntur, imo coquuntur à proprio calore: hæc fit, cũ humores pariter ad cerebrũ cum vaporib. repunt. Hi cũ difficilius dissoluuntur, diutius morã trahunt, mentemq; de sede sua statuque dimotam tenent. Et quod hoc verum sit, videre ex cicuta. & vino, si. n. sumatur vinũ cum cicuta, lætalissimũ venenũ est, q, illud liquat eum succum, & attenuat, & facit, vt facilius penetrans in cor, suo frigore strangulet. Sed si superpotetur vinum, vt Plinius libro decimoquarto, capite quarto scribit, sicut cicuta est, venenum homini, ita vinum est venenum cicutæ, hoc est potatum, post cicutam, quia vim illius hebetat ac frangit. Quo factum est, vt apud Platonem in Phędro, cum Senatus iussisset Socratem interfici cicuta, pręceperit ne vinum illi præberetur. Erat tertium, vtrum febricitantibus sit vinum concedendum, cum Hippocrates concedat in morbis acutis, quibus perpetuo coniunguntur febres. Nonnulli dixerunt conuenire, vbi dolor capitis, aut mentis lęsio non adest. Sed, vt dixi, hoc falsissimum est, neq; vsu probatum, neq; autoritate scriptorum. Alii dixerunt in initio & augmento nunquam cõcedendum esse vinum, in statu interdum, in declinatione semper. Ego ita puto, hunc nodum esse soluendum. Considerandum est diligentissime, quid sit illud, quod indicat nobis vini vsum. Nã vinum minime nutrit, sed maxime opere inseruit nutritioni. Quamobrem vbi opus est nutritione, requiritur vinum, quia opus est nutritione cum alimento. Alimento opus est, cùm vires sunt debiles. Quare nihil indicat vsum vini, quam virium debilitas. Igitur vt radix huius quæstionis omnino attingatur, debet Medicus expendere morbum & symptomata & vires. Illa semper negant vinum & cibum, quia dicit Hippocrates 3. aphor. cibus, vt sano robur, ita ægro morbus. Vires illæ sunt, quæ postulant vinum. Videndum ergo, si morbus & symptomata valde prohibent vinum, & vires, non admodum requirantur, nunquam debemus vti vino, neque crudo, neque cocto morbo; contraq; si vires maxime requirunt, morbus atque symptomata non admodum prohibeant, debemus vti vino. Et propterea in senibus debilibus & auersantibus aquam, nisi morbus & symptomata valde prohibeant, concedere possumus vinum. Quid, si æqualiter prohibeant morbus & symptomata, & quoq; vires requirant admodum, est agendum? Si vires sunt labefactatæ à morbo, debemus euitare vinum; quia cum à vino augetur magis morbus, debilitantur non parum etiã vires. Quod si vires debiles sint suapte natura, neq; morbus & symptomata admodum prohibeant, potest exhiberi, & eo magis, si cum aqua exhibeatur cõmistum; aut vinum sit aquosum, album & inodorum.

καρηβαρίη quid sit.

Ebrietas alia ab humore, alia à vapore.

Vinum cicutæ stimulus, & pariter lorum.

Socratis pœna sorbitio cicutæ.

Quo in casu febrientibus vinum ministrandum.

Ἐν οἷσι δὲ μάλιστα αὐτῶν ὕδατι ποτῷ.

In quibus autem potu ipsius vtendum sit, &c.

IN hac subsequenti dictione inquit, dictum iam esse in quibus affectibus conueniat aqua; an multum, & parum: & de tempore. Ex hac dictione Hipp. colligo duo: Vnum est, hic esse supertractatum ipsius aquæ, quia inquit, se iam dixisse, quib. conueniat, quando & quantum. Aliud est, apud veteres Medicos in vsu fuisse, exhibere interdum gelidam, nonnunquam calidam, quia, (vt in variis meis lectionib. monstraui) vsus inoleuerat apud Romanos semper in conuiuiis habere aquam calidam, & aquam gelidam. Sed queri potest, vbinam Hipp. locutus sit, vtrum gelida, an calida sit vtendum, quia paucissima hac de re dixit. Galen. existimauit aut præceptum morte, peculiariter non sumpsisse, aut si scripsit, ad manus nostras eum comm. non peruenisse. Sed cum habemus tamen li. Hip. de morb. de affect. inter. de mor. mul. in quibus pene omnes morbi acuti tractantur; non est fortasse alienum existimare Hip. tractasse hac de re in his libris, qui vere prout affectus sese offert examinandus scripsit hac de re. Sic etiam possumus existimare aliquos libros scripsisse post hunc librum.

Περὶ δὲ τῶν ἄλλων ποτῶν, οἷον τὸ.

De reliquis potibus qualis est hordeaceus.

Aqua ante diluuiũ maximarum virium. VT alias dicebam, partes nostri ante diluuium vsi sunt aqua pro potu, & hanc inquiunt scriptores maximam vim habuisse ad prorogandam vitam. Post diluuium vero Noe inuenit vsum vini, cum antea vuis tanquam fructibus vterentur, neq; vinum exprimerent. Sed neq; vbiq; etiam hodie vinum est in potus vsum; *Vino vix quarta pars orbis vtitur.* siquidem si vniuersum terrarum orbem metiamur, vix quarta pars orbis vino vescitur; quo factum est, vt cum plerique carerent vino, & nulli aqua vti vellent, reperta sint varia genera potuum, quibus loco vini vterentur. Hanc rem cum intelligeret Hippocrates, voluit etiam monere, esse alia genera potuum, quibus vti possumus in sanitate conseruanda, & lapsa recuperanda. Deinde de his potibus loquitur. Vnde non possum satis mirari, eos, qui existimant hoc in loco de syrupis loqui. Varia sunt potuum genera, quibus loco vini vtuntur, pleræque gentes, *Quæ potus genera ex quibus reb. parabilia.* quæ ex variis rebus fieri consueuisse comperio; ex cerealibus radicibus, herbis, vel fructibus. Ex cerealibus, vt tritico, hordeo, panico, vt est apud Athenæum libro decimo dipno. Et ex radicibus, vt idem Athenæus testatur. Fiebant etiam ex herbis, vt lupulis asparago, aliisque. Atque ex fructibus, pyris, malis, palmulis, punicis, cornis, mespilis, sorbis, nucleis pineis. Sed præsertim pleræque nationes factitabant potiones ex hordeo. Et propterea Hippocrates noster, qui fuit diligentissimus, & oculatissimus, primo loco collocat hordeum, scilicet, quia hor- *Potus hordeaceus omnium primus & antiquissimus.* deaceo potu frequentissime vtebantur gentes. Et vt ego puto, fuit prima potio. Nam Herodot. in Euterpe scribit Aegyptios, cum carerent vino, factitasse potum quotidianum ex hordeo. Hoc etiam Athenæus scribit ex Hecatæo. Sed prætet hunc scriptorem antiquissimum & celeberrimum. Strabo li.17. & Tacit. de morb. german. Est etiam sententia Galen. 12. simpl. imo Plinius lib. 24. locupletissime hanc rem tractat. Vtrum autem tempore Hipp. qui fuit tempore Herodoti, hæc potio fuerit simplex, an mixta, dubitari posset. Sed puto ego cum initio omnes res semper fuerint simplicissimæ, & cum Hipp. dicat, se de his, tum de compositis loquuturum, tempore Hipp. non ita mixtas fuisse. Sed quemadmodum varius vsus fuerit apud plerosque populos; ita non minus varia nomina habuit. Primum enim *Potus hordeacei duo genera.* Dioscorid. libro secundo 30. & 31. dicit ex hordeo factitari solitum duo genera potus; alterum, quod ζύθον est nuncupatum; alterum quod Curmi. Phuca nonnulli etiam appellarunt. Athenæus quoque ex libro de ebrietate Aristotelis, (quo caremus) πίνον vocari scribit. Aristoteles scribit eos, qui inebriabantur aliis potuum generibus, consueuisse cadere, veluti mortuos in omnia latera, eos qui πίνῳ consue-

uisse

uisse cadere duntaxat supra dorsum, cuius rei causam ille non tradit, neque est huius loci examinare. Inuenio etiam hanc potionem apud Illyricos appellatam fuisse Samanam, cuius nominis meminit Ammianus Marcell. Recentiores vario nomine etiam dicunt, quisque sua lingua. Belgæ cereuisiam appellant. Adeo vt sicuti diuersa ratio componendi fuit, ita quoque diuersas appellationes habuerit. Sed videndum est, vtrum verum sit, quod dicit Herodotus, Aegyptios non habere vinum. Secundo considerandum est, cur cum meminerit potus generis ex tritico hordeo, enico, aliisque omnibus prætulerit porum illum, qui ex hordeo componitur. Tertio videndum, quomodo seiunxerit potionem ex passulis & acinis à vini generibus, quia Plinius libr. 14. cum vini generibus coniungit. Quarto, vtrum ad sanitatem vel tuendam, vel recuperandam conferat hęc potio, qua magna pars orbis vtitut. Circa primum, est differentia, an vinum sit apud Aegyptios. Artaxerxes dicebat apud Scythas non esse tibicines, quod non sit vinum. Et apud Aegyptios esse vina clarum est, Alex. qu. 1. Proble. 6. quærens rationem, cur in Scythia fiant generosa vina, in Aegypro tenuia, inquit: in Scythia quidē fieri, propter ἀντιπερίστασιν caloris, vina generosa. In Aegypto, cum calor expiret, vites fiunt minus succulentæ, & vina tenuiota & imbecillia. Imo Macrob. lib. 7. Saturn. cap. 8. sed (quod magis faciendum est nobis. Galen. in 3. comm. ad hos libros, text. 8. scribit sese reperisse in Aegypto vina tenuia atq; exigua, tanquam rem administrandam. Hic nodus mea sententia non alia ratione solui potest, quam mutatum esse cœlum, terras, maximeque in Aegypto ob frequentem Nili inundationem, propterea non est mirum tempore Hippocratis, cum homines adhuc essent barbari in illa gente, non repertum fuisse vinum: quod postea excultis ingeniis magis atque magis in vsum venit. De Scythis quid dicendum? Maximam salritudinem habuisse: siquidem totus tractus septentrionalis sub eo complectebatur. Ita Hungaria Scythica regione hodie vina generosa crescunt.

An in Aegypto vina nascantur.

Autoris sententia.

Circa secundnm, Aristoteles secunda sectione, Probl. disputans, vtrum potus hordeaceus, vel triticeus sit accommodatior ad morbos depellendos, dicit nonnullos triticeum prætulisse, quia coloratiores sunt, qui componunt. Sed inquit, hoc nihil esse, quia hordeaceus frigidus est & humidus, & ob id magis conuenit in febribus & morbis acutis. Vt interea taceam vim abstergendi, qua maxime delectat, & prodest. Præterea cum potus necessitas est, frigidi, humidique appetentia, his reliquis omnibus iure videtur esse præferendus. Neque valet, quod Arist. 21. Problem. sect. 2. & Theoph. 4. de caus. plac. cap. 10. dixit, triticum esse homini cibum familiarissimum, & maxime alere, quia hoc est, propter quod magis hordeaceus ptæfertur, quia cum potus duntaxat ad extinguendam sitim requiritur, & diluendum cibum; non ad alendum, multo magis hordeaceus laudatur.

Potus an hordeaceus an triticeus melior.

Circa tertium, scire debetis veteres Græcos & Latinos vuas consueuisse passas reddere duob. modis; vel in vite contortis pediculis, ne succum caperent ex vite per menses; vel demebant ex vite, & in sole collocabant, vbi passæ erant, & succi adhuc aliquid continebant, subiiciebant prælo, & succus expressus in doliis reponebatur. Acinos deinde affusa prius aqua exprimebāt; & loram appellabant. Hoc potionis genus non erat verum vinum, quia non inebriat. Et dicit Pli. consueuisse Romanos pudicitiæ & religionis amantissimos, concedere hoc virginib. quia non inebriat. Sed quid de loro? Nam secundarium vinum (vt sctibit Gal. 2. de alim. facul.) minus quidem ferit caput; veruntamen inquit ferire capnr. Dico aliud fuisse, quod ex vuis recentibus fiebat: aliud quod ex vuis passis. De illo Galenus loquitur; De secundario vero vino, quod fiebat ex vuis passis, minime, quod recenseri nentiquam debet inter vina.

Potus ex uuis passis ut fiebat olim.

Erat quartum, vtrū conferat ad sanitatē. Si est illud, q ζῦθος à gręcis appellatur, certe dānandus est potus ex Gal. Discoridisq; sententia. Ex alia parte si spectentur, corpora earum gentium, quæ hoc potu vtuntur, sunt corpora procera, vegeta & viuacissima, nisi ebrietate decuttarent sibi vitam. Quare existimandum potius

 sanitati

sanitati conferre. Tum, si ita esset damnanda potio, cur Hippocrates eius meminisset? Sum ego huius sententiæ, de hac re id constituendum esse, quod de aliis potus generibus; maxime differre inter vsum & abusum. Ratione abusus, non parum nocet omnis potus: vnde si qui valde abutuntur, offenduntur grauiter. Nam Plinius libro vigesimosecundo scribit, esse reperta potuum varia genera ad ebrietatem, & quod magis est, eo (dicit) prouecta est hominum intemperantia, vt inuenerint etiam quomodo ex aqua inebriarentur. Sed de vsu secus est. Sanis reuera non nocet, quia humores sunt vegetes & colorati, & animo atq; industria maxime valent, qui hoc potu quotidie vtuntur. Sed de morbis quid dicemus? Hippocrates non meminit aliorum potuum. Sed cur non tradit vtendi modum? Quia existimauit non esse vtendum his in morbis acutis curandis, dicit se tractaturum, vbi postulabit vsus. Alex. solus facit mentionem horum potuum, in motborum curationibus delineandis.

Intemperantia hominũ varias potiones excogitauit.

Λετρόν δὲ συχνοῖσι τῶν νεσημάτων.

Balneum multis morbis conuenit, partim quidem.

INter alios Veterum tam Latinorum quam Græcorum mores ille præcipuus fuit, vt quotidie fere lauarentur, quemadmodum copiose satis libro primo de gymn. docuimus. Itaq; non est mirum, si Vereres Medici, & præsertim Hippocrares in curandis morbis balneorum creberrimam faciant mentionem, vt aliarum rerum consuetarum. Et quanquam tempore Hippocratis non esset is luxus balneorum, neq; ipsorum apparatus ita publicus, quemadmodum posterioribus deinde temporibus fuit; haud tamen negligebantur, & ob id Hipp. etiam inter alia acutorum remedia ipsorum vsum sibi proponendum putauit. Cur autem postremum locum ipsis dederit, puto causam fuisse, quoniam in curandis acutis morbis rarius vsuueniunt balnea, nec fere administrantur, nisi iam ipsis valde inclinatis; præterquam quod, vt dicit, ob difficilem & rarum apparatum, non ita à cunctis adhiberi potest. Id quod multo magis nostra tempestate verum est, quando vsus balneorum quotidianus penitus est exemptus, nec loca & vasa ita parata sunt, vt queant tuto administrari. Veruntamen ne huius quoq; partis desideretur interpretatio, quæ legitima Hipp. reputatur, à Gal. & vt si forte quispiam hoc remedio quoq; vti volet, sciat quomodo sese gerere oporteat, sequens Hip. dictionem, de ipsorum balneorum vtilitatibus, & recta ipsorum administratione tractabo. In hac autem historia non sequar præcise Hipp. ordinem, quia (vt Galen. scribit primo comment. super librum de fract. Hipp.) omnes Veteres non curarunt multum ordinate docere res, quia magis animum dirigebant ad ipsam rem explicandam, quam ad ipsum ordinem; & propterea quanquam de balneis agit, non tamen seruat ordinem. Quapropter nos in ordinem & veluti tabulam Hippocratis orationem redigamus. Sed prius scire illud operæ pretium est, quando Hippocrates tractans de balneis tractat duntaxat de illorum vsu in morbis acutis. Et idcirco diligentissimus est in docendo vsu eorum. Nam, vt ipse Hippocrates indicat περὶ παθῶν, libr. in curandis morbis acutis opus est magna solertia, & maxima diligentia, quia in his morbis sufficiunt sua mala propriaq;, neq; errore vllo minimo minimum mali est adiungẽdum reliquis. Et hoc est, quod dicebat Hipp. balnea si rite vsurpentur, vtilia esse; si in ipsorum vsu aliquis error committatur, maxima consequi mala. Cum igitur Hipp. intendat tractare de vsu recto balneorum in ipsis motbis acutis, facile est videre maximam esse connexionem huius partis cum præcedentibus, quia cum tractasset supra de aquæ vsu, quæ intra corpus sumitur; consequens erat, vt tractaret de recto vsu extra, hoc est, balneo, vt perfecta plenaq; esset aquarum vsus doctrina in morbis acutis cum intrinsecus, tum extrinsecus. Totam autem hanc tractationem de balneis reduxi ad quinq; capita, quorum primum erit, vt videamus qui sint lauandi, & qui non; secundum, vt videamus, quando sint lauandi ægri; tertio, vt videamus, vbi sint lauandi; quarto, quomodo sint lauandi; quinto & postremo, quantum. Vt autem primum

Veteres rem potius quam ordinem curasse.

De balneis quinq; expẽdenda proponuntur. 1. Qui lauãdi.

primum prius aggrediamur ordo poscit. Sed cum Hippocrates, vt sæpius docui, pro exemplo sumpsit peripneumoniam & febrem ardentem, hinc fit, vt sub peripneumonia comprehendat etiam pleuriticos. Dicit ergo lauandos esse peripneumonia & febre ardente laborantes, sed minus peripneumonicis. Cur lauandi sint, multas affert rationes. Sed videndum, quomodo Hipp. dicat, minus esse lauandos febre ardente laborantes, quam peripneumonicos, quia in febribus ardentibus oritur indicatio refrigerandi & humectandi. Si igitur hæc indicatio maior habetur in his, rationi consentaneum esse videtur, magis esse lauandos febre ardente correptos, quam peripneumonia laborantes. Soluitur hic nodus hac ratione, quia scilicet possumus considerare morbos vel secundum intemperiem, vel secundum materiam; si expendamus secundum intemperiem, proculdubio magis videtur conuenire in febris ardentibus; verum si expendamus materiam, sane maior est vtilitas in peripneumonicis, quia emollit, præparat materiam, rollit grauitatem capitis, iuuat ad educendum sputum. Sit itaque hoc constitutum conuenire balneum in peripneumonicis, & febricitantibus ardente febri. Sed debet ne statim peripneumonicus adire balneum? Minime vero. Quare nonnulla Hippocrates recenset, quæ animaduertenda sunt maxime. Quæ sunt hæ conditiones? Duas proponit Hippocrates, consuetudinem, & vtilitatem. Sed quæ est ratio? De consuetudine apertissima & clarissima est. Nam scribit Hippocrates 2. aphor. 5. quæ consueta sunt, etsi sunt deteriora, tamen non consuetis minus molestare solent; oportet, inquit, consuetudinis semper habere rationem, quam quod consuetum est familiare & amicum est naturæ nostræ. Vult etiam vt sint cupidi balneorum, quia sicut dicebat Hippocrates, parum deterior cibus aut potus, suauior autem, melioribus quidem, sed minus suauibus est præferendus; pari pacto sciendum, quæcunque cupiuntur contra ægri cupedinem, non parum perturbare; sicut quæcunq; cum appetitu capiuntur placere. Itaq; laudare non possum eos, qui ęgros valde lauare cupientes manus aut pedes, prohibent. Obsecundare itaq; interdum oportet voluntati ægrorum, modo non sit maxime perniciosum. Præter has conditiones sunt etiam quædam aliæ, quæ maxime necessariæ sunt scitu, quia non statim atq; peripneumonici, sunt assueti balneis, & hæc valde desiderant, sunt admittendi. Inprimis enim inquit, oportere, vt minime habeant fluxum sanguinis è naribus, vel vt saltem habeant exiguum; præterea obseruandum est, ne sint ad vomitum propensi, ne eructent biliosa; præterea vt neque habeant solutam alnum, neque astrictam; tum ne habeant vires debiles. Quinto, ne solo potu vtantur hi, qui sunt lauandi, sed debent saltem vti cremore ptisanæ, vel rota ptisana.

Febre ardēte laborantes cur peripneumonicis minus lauādi.

Aegris quid interdum indulgendum, si non sit minus perniciosum.

Prima conditio erat, vt fluxus sanguinis non adsit è naribus, aut sit exiguus, quam cum explicaret Gal. inquit, clarissimum & rationi maxime consentaneum, solummodo id semper cogitandum, vtrum sit immensus an exiguus. Si exiguus sit, plane iuuat balneum, & maxime si capiti multū aquæ calidæ superfundatur, vt naturæ motus adiuuetur. Vbi autem sanguinis fluxus immensus est, putat esse abstinendum. Ego autem puto huius rei eam esse rationem, quia vasa magis laxantur & aperiuntur, quo fit, vt multo maior euadat sanguinis fluxus. Et hoc est, quod quinto aphor. quando inquit, multam calidam facere fluxus, monere nos voluit Hipp. Addit præterea eos qui anxietate laborant, non esse lauandos. Sed quæ est huius rei ratio? Quia os ventriculi valde laxatur à balneo, quod corroborari vult, vinumq; æquale æquali, vt ex libro aph. discimus, tum ex rei natura; quemadmodum secundo epidem. in casu ipsius mulieris vtebatur succo granatorum & polenta. Adhæc vult Hipp. vt caueant ab vsu balnei, qui vomituriunt; quoniam vomitus spontaneus vbi nimium excitatur, sæpe solet homines adducere in passiones stomachicas & consequenter syncopas. Vnde cum valeat aqua calida maxime ad prouocandum vomitum, eaq; nos sæpe vtimur, iure cauēdum existimauit hoc in loco ne vomiturientes balneo vtantur. Addit eructantes biliosa arcendos pariter à balneis, quia

Balnea os ventriculi laxant.

quia multo satius est, vt bilis detineatur in fundo, quam vt sursum feratur in os ventriculi. Sed dubitare aliquis possit, vtrum vere fiant ructus biliosi, primum quia Hippocrates non inuenitur vspiam huius ructus generis meminisse; præterea videtur contrarii Hippocrat. qui in fine quinti libri aphorism. dicebat, ictericos non fieri flatuosos, id est (vt interpretatur Galenus) ructuosos; cum flatus excitantur à corporibus humidis caloris imbecillitate; bilis vero, vt humor est calidissimus, ita & siccissimus. Dicendum est aliud esse fieri ructus à bile, aliud fieri ructus biliosos cum bile. Quod ructus ex bile fiant, falsissimum est; quod cum bile, verissimum. Et videamus Hippocratem secundo de morb. vbi loquens de morbo ructuoso, inquit, fieri cum dolore acuto, & vehementi iactatione, vociferatione, frequenti eructatione, & nonnunquam bilis vomitu. Quapropter vbi dolor à bile fit supra vmbilicum balneum conuenit. Vbi infra in imo ventre clysteres. Vult Hippocrates etiam eos, qui habent vires debiles, non esse lauandos, quia cum balneum emollit neruos & articulos, laxatque, facile intelliger vnusquisque vestrum magis eneruare. Sed quid dicemus de febre hectica laborantibus? omnes ægri maxime vires habent imbecillas. Non igitur arcendi videntur omnes, qui habent vires debiles ab ipsorum vsu. Respondeo Hippocratem loqui non de hectica febre laborantibus, sed morbo acuto peripneumonia & pleuritide, similibusq;. Preterea debiles vires fieri possunt propter aliquem defectum, vel propter intemperiem. Si ratione defectus alicuius fiat, non est vtendnm balneo; sed si ob intemperiem fiat, maxime conuenit. Vnde cum debiles sunt propter siccitatem immensam, siccitas plane curatur ope & opera balneorum. Postremo præcipit Hippocrates, vt illi, qui solo potu vtuntur, abstineant balneis; non antem qui cremore aut tota ptisana. Eadem est ratio, quæ est aphorismo decimosexto, libro secundo, vbi fames, laborandum non est; inedia & labor absumunt alimentum; ita lauacrum, quod si non præbeatur nutrimentum, vires plane corruunt. Sed quomodo ergo dicebat Plutarchus (vt nuper dicebam) famescentes si lauentur, famem non sentire amplius. Aliud est delere vires, aliud sustentare; lauacrum delet quidem famem, disponit membra ad suscipiendum alimentum; & hoc, vt distribuatur facilime. Veruntamen cum laborantes morbo acuto, nihil aut parum alimenti habent, inedia morboque iuxta extenuati, non possunt membra alimentumque ad corporis nutritionem optimam moliendam disponi. Quare solo potu vtentibus abstinendum à balneis est. Præcipiendumque est bilis, qui ptisana aut cremore eius vtuntur. Atque hæc de prima conditione dicta sunt satis. Reliquum est vt ad secundam veniamus, de tempore sumendi balneum oportuno. Tempus est aut vniuersale aut particulare; de vniuersali intelligere non possumus orationem Hippoctatis, tempore declinationis morborum, quia facilitas sputi, anhelitus dolorisque sedatio, tum temporis finiuntur, neque egent manu medica. Ad quæ tamen mala auferenda aut mitiganda balneorum vsum videtur commendare Hippocrates. Itaque in augmento & statu possumus vti balneo.

Ructus nulli à bile.

2. Quando lauandi.

De tempore particulari dat nobis præceptum æterna memoria dignum, scilicet, vt nunquam statim ante cibum, neque subito post cibum eo vtamur; quia si post cibum statim balneum aliquis accedat, cum ad circumferentiam à centro trahat, periculum est, ne cibus adhuc crudus in venas habitumque corporis rapiatur, multorumque malorum fons sit & scaturigo. Vnde cibo concocto equum est sumere. Neque prius quam quiescant aliquamdiu ab vsu balnei capiendus est cibus.

Nec breui ante cibum, nec statim post cibum lauandum.

Adhæc dicit eos, qui aluum astrictam aut fluidam habent, non esse ad balnea ducendos. Galenus tractaturus rationem, inquit, à balneo humores qui confluunt in intestinis, trahi ad περιφέρειαν, & consequenter sedare fluxum. Sed non placet hæc ratio, quia cum loquatur de immodico alui fluxu, potius est cohibendus.

Cur non lauandi, quib. aluus astricta aut fluida.

Alii dicunt in laborantibus fluxu, si plurimi sint vitiosi succi, omnino non

iuuare

iuuare, quia diluuntur & colliquantur, qui in corpore latitabant humores, vnde fluxus augetur. Si modici sint, opus est balneo. Hæc ratio mea sententia non est aspernanda. Sed puto ego vires debiles à fluxu reddi, ab vsuque balneorum, non parum infirmiores fieri. Cur autem illi qui aluum habent astrictam arcendi sint à balneo Galen. dicit, quia lex est, vt nullum adhibeatur medicamentum magnum, nisi primo sit lenita aluus. Sed hoc est quod quærimus, quare hæc potior est ratio, scilicet vbi fœces copiosæ sunt retentæ, si balneum adhibeatur, ex fœcibus tolluntur sursum vapores, qui multa mala inducere possunt, vt Hipp. in lib. de flatibus manifestissime docuit.

Succedit locus, vbi sunt lauandi. Hippocrates vult tres conditiones dari, vt sit proximus, vt habeat labrum amplum, & vt sit sine fumo. Quod proximus debeat esse rationi est consentaneum, quia cum ægri sint valde debiles, si longe illis sit progrediendum facile incurrunt syncopas. Labrum præterea amplum sit, vt facilis sit ingressus & egressus. 3. *Vbi lauandi.*

Tertia ratio est, vt locus sit sine fumo. Quæ est ratio? Quia lædit caput, oculos fauces, caput inquam, quia (vt Theophrastus libro primo scribit, fumus qui efficitur cum corporibus terrestribus exustis, acrimonia pungit, tum grauat etiam caput, quod dicit Hippocrates, ob cerebrum copiosum hominibus esse infirmius; nocet quoque oculis, quia hi sunt imbecilles satis, quod probat Aristoteles trigesimaprima sectione, Problem. vigesimosecundo, quia contecti sunt à natura. Iam vero fumus sua acrimonia percutit oculos alioqui debiles, ac comprimit, exprimitque humores, qui in iis continentur. Imo decima sectione Problem. 50. quærens Aristotel. rationem, cur homo maxime lædatur à fumo, inquit esse, quia solus lachrymatur, & lachrymæ oculos debilitant, offendit etiam fauces, quia sua acrimonia & ariditate percutit eas maxime, & dilacerat. Sed dubitare aliquis posset, quomodo dicat fumum maxime omnium lædere hominem. Nam Plutarchus scribit, apes maxime omnium à fumo lædi; imo etiam necari. Si fumo necantur apes, cur dicit ergo præ ceteris, lædi homines ab eo? Dicendum est breuiter, Aristoteles eo in libro non loquitur de omnibus animalibus, sed de sanguineis, quasi dicat, inter animantia sanguinea, maxime omnium lædi homines. Iam vero apes sunt omnino exangues; & volo vos docere errorem manifestissimum. Plinius habet in fine cap. 37. libr. 11. apes carere venis & arteriis. Hoc falsissimum est, & viri doctissimi voluerunt tueri etiam Aristotel. meo periculo corrigatis apes. Fuit enim facilis lapsus. Et est pura veritas. Sed cupiat aliquis scire, cur apes fumo offendantur grauissime, ita vt non raro moriantur quoque. Fit hoc, obstructis spiraculis angustioribus, tum quia dulcibus maxime gaudent. *Fumi quib. partibus nocent.* *Apes cur fumo facilius enecantur.*

Vt superiori lectione audiuistis, Hippocrates voluit, vt haberetur summa ratio fumi, labri, & ingressus; de aere vero nihil dixit. Quæ res nonnullis dubitationem facit, quia Oribasius libro nono, capite decimo, scribit eos, qui leges tradunt balneorum, maximam curam habere, vt spectent meridiem, non septentrionem. Vitruuius etiam libro quinto; & Hippocrates libro de aer. aqu. & loc. voluerunt, non parum aerem obseruari, plurimumque conferre ad salubritatem, vel imbecillitatem, & morbum, hoc aut illo vtaris. Cur ergo nullam hoc in loco Hippocrates vult aeris habendam esse rationem. Dicendum est, aliud esse loqui de constructione balneorum, aliud loqui de vsu: vbi de constitutione intelligunt aeris, habendam esse rationem volunt; vbi vero de vsu non est necessaria eius cura.

Sequitur modus quo debent lauari illi, qui acute ægrotant. Circa quem sex nobis obseruanda proponit, vt ego ex ipsius contextu satis inordinato colligere possum. Primum, vt aqua sit multa, celeritet effusio fiat, & vt non fiat multæ aquæ affusio, nisi opus sit. Est inprimis habenda copiosa aqua, quia scopus est humectare mollire, laxareque corpus. Vult continua sit affusio, ne aliquo pacto refri- 4. *Quomodo lauandi.*

refrigerentur: ſed non multa, quia cum ægri debiles ſint, ſi veluti obruantur multa aqua, multo magis fatigantur, niſi opus ſit. Sed quando opus eſt, vt multa affuſio fiat? Habere hoc poteſtis ex ſecundo obſeruando, quod eſt, vt qui lauadi ſint, nunquam abſtergantur; etſi abſtergendi ſunt debet eſſe abſterſio calida. Gal. & Oribaſius 10. coll. cap. 2. declarantes, quid his verbis velit Hipp. inquiunt ægrotantes nunquam eſſe detergendos, niſi laborent pruritu, aut ſordes ingentes habeant, quia abſterſoria, (vapores noſtri σμήγματα Græci vocant) componuntur ex rebus calidis acribus, & mordacibus. Idem Oribaſius cap. 21. eiuſdem libri dicit, ſolere fieri ex cinere, oleo, & ſimilibus; quapropter non eſt vtendum iis, niſi neceſſitas vrgeat, etſi quando vtendum eſt, debemus adminiſtrate oleum & aqnam calidam, ſed non multam: quia ſi adhibeatur aqua, quæ non eſt calida, non poteſt abſtergere. Sed præterea, inquit Hippoctates, debere fieri magnam aquæ affuſionem. Quæ eſt ratio? Quia vbi deterſoria medicamenta adhibentur, multa aqua diluuntur, reliquiæq; ſordium, omnino auferuntur è corporum meatibus. Tertio obſeruandum eſt ex præcepto Hippoctatis, vt ſint multæ aquæ paratæ. Quæ eſt ratio? Vt hoc intelligatis, debetis meminiſſe illius, quod nos olim ſcripſimus lib. gymnaſt. noſtro, & quod à Vitruuio, aliiſque Veteribus memoriæ proditum eſt. Antiquos id ſemper cauiſſe in conſtruendis balneis, vt haberent ad manum aquam frigidam, calidam & tepidam nullo non tempore, non ſolum quia reperiuntur varii appetitus hominum, verum etiam quia inter lauandum ſæpe vſuuenit, vt corpore vel plus iuſto calefacto, vel magis quam conueniat refrigerato, nunc opus ſit calida, iam frigida, nonnnnquam etiam tepida. Quod Veteres olim agebant, hoc in ægrotantibus vult pariter fieri Hippocrat. vt pro neceſſitate vſuque cal. frig. & tepidi, aquæ vſus commodus ſit. Et Veteres etiam in menſis ſemper habebant aquam calidam frigidam; & tepidam; ſiquidem reperiebantur aliqui, qui magis delectabantur calida, aliqui, qui frigida, nonnulli qui temperata. Quarta obſeruatio, vt qui lauantur taceant, non moueantur, ſed ſeſe permittant totos tractandos ipſis miniſtris. Huius rei ratio eſt, vt dicit Galenus & Oribaſius, quia ſcopus præcipuus eſt, vt molle & laxum reddatur corpus, vt feruor mitigetur, & copia vaporum diffiari poſſit: vbi vero mouentur, tenduntur muſculis, & impediunt, quo minus molliri poſſint. Sed cur vult etiam vt taceant? Ea eſt ratio, quia qui loquuntur, dum lauantnr, neceſſario faciunt, vt pectora incaleſcant, & impediunt, quo minus corpus poſſit reddi molle & laxius

Lotinon abſtergendi.

Smigmata cuius materia ſint.

Quintum eſt obſeruandum, vt ſtrigilibus minime vtantur, ſed duntaxat ſpongiis ad detergendum. Hanc rem vt intelligatis, ſcire debetis, quod primo gymnaſt. libro meo indicaui. Veteres habuiſſe quædam inſtrumenta, quæ appellabant ſtrigiles ad eluendas ſordes. Faciebant autem ex ferro, ære, auro, argento, cornu ebore; in ſumma, ex omni materia dura. Quare Hippocrates cnm videret hunc vſum, & intelligeret hanc duritiem poſſe vehementer obeſſe, quia carnes exaſperant, & veluti exſauciant, inſſit vt vteremur ſpongiis: primnm, quia molle corpus eſt. Præterea quia bibulum eſt, facit enim vt blandiſſime ſolo contacta exiccentur corpora, quia attrahit aquam. Sed forſan fuit etiam alia ratio, quia vt ſcribit Plinius libro trigeſimoprimo, capite de ſpongiis, illud habent peculiare, vt diu conſeruent in ſe ipſis ſpiritus quoſdam viuificos. Nam cum ſunt ζωόφυτα, conſeruant in illis cauernulis ſpiritum, & vim quandam vitalem, merito cuius corroborant, mulcent, & partes noſtras viuificant.

Strigiles Veterum in balneis.

Cur pro ſtrigilibus ſpongia vtendū.

Sextum & poſtremnm obſeruandum fuit, vt diligenter caueatur, ne corpus & extrema refrigerentur, vt caput diligentiſſime exiccetur, & vt priuſquam exiccatum ſit ex toto corpus inungatur. Cur canendum ne corpus & extrema refrigerentur? Facilis eſt ratio, quia cnm corpora calore balnei ſunt valde emollita & aperta, ſi frigus ingrediatur, percutit ipſa viſcera: Vnde multo magis obeſt, quam ſi vtamur aere frigidiore, priuſqnam corpora rare fiunt. Ceterum viden-

videndum eſt, cur Hip. præceperit potiſſimum, diligenter eſſe caput exiccandum? Præterea cur velit inungenda eſſe corpora dum adhuc madida ſunt. Quod ad caput pertinet, hanc antiquitatem nolo vos latere, apud veteres non fuiſſe in vſu, vt à barbitonſoribus lauarentur capita, ſed in balneis tantum hoc fiebat. Secus quam in noſtris temporibus fit. Cum igitur hic mos inualuerat, præcepit, vt diligentiſſime exiccaretur caput, quia hoc ſuapte natura humidiſſimum eſt, quod, præterquam vſu & experientia eſt comprobatum, millies tamen dixit Hipp. Ratione huius humiditatis fit, vt caput ſit radix omnium malorum, (vt verbis Hipp. vtar in epiſt. ad Democr.) Cum igitur propter ingentem humiditatem caput ſit radix omnium morborum, ſi accedat extranea humiditas, ſiunt innumeræ fluxiones, quæ (vt dicit Auicen.) matres ſunt ægritudinum. Vt igitur hoc detrimentum caueret iure merito laudauit, vt exiccetur caput, quantum fieri poteſt. Itaq; etiam ſanis diligentiſſime caput eſt exiccandum. Sed cur madida corpora inungenda eſſe cupit? Vt hoc rite intelligatis, debetis ſcire, quis fuerit ſcopus inungendi à balneis, quia facile fit, vt acquiſititia humiditas balnei diſſipetur, eapropter neceſſe eſt, vt meatus corporis occludantur. Itaq; Gal. eſt ſcopus præcipuus, vt conſeruetur illa humiditas. Sed non magis conſeruatur, ſi oleum parum adhibeatur. Ariſtot. 5. ſect. Probl. 6. quærit cur magis diſſatigationes curentur. Si corpora deſatigata inungantur oleo & aqua, quam oleo ſolo, inquit, hoc eſſe veriſſimum propter duas rationes, quia ſi oleum miſceatur aquæ, magis penetrat & humectat, & parum aut nihil calefacit, exiccat, & indurat. Oleum vero ſolum calefacit, exiccat & indurat, quæ omnia damnum non leue inuterent ægro. Poſtremum quod in hac tractatione eſt quantitatem ſpectat debitum penes dies & horas. Videnda eſt neceſſitas & vſus: ſi ſit magis indigens, vt pluribus diebus lauetur & duabus horis, an vero minus. Ceterum non tantum debet Medicus ſpectare hanc neceſſitatem indicantem lauationem, ſed vtrum etiam æger poſſit ferre. Proculdubio niſi vires conſtent, non eſt vtendum hac quantitate, eo quia multo deterius eſt, vt vires concidant, quam vt non lauentur.

Caput ad egreſſum balnei cur diligẽter extergendum.

Veteres à balneis cur inunxerint corpora.

5. quantum lauandi.

F I N I S.



Vт LIBER

LIBER QVARTVS SECVNDVM GALENVM.



Equitur Liber quartus. Notandum est Veteres nõ habuisse morem sua scripta diuidere in libros. Gal. libros semper distinxit secundum varietatẽ materiæ, quam tractat, vnde cũ quatuor comm. edit, quatuor etiam libri de morbis acutis sunt appellandi. Dubitatũ est semper, an hic liber sit verus Hipp. & Gal. sentit totum hunc librum neq; sententiis, neq; ratione loquendi esse appellandũ vere Hipp. Veruntamen quemadmodum cõiicere etiã possimus ex ipsius com. non fuit etiam huius sententiæ, vt putarit esse negligendũ. Nam si hoc existimasset, vel mali indicii, aut superflui laboris esset arguẽdus. Quapropter puto ego hunc librũ fuisse repertum inter mẽbranas & aduersaria Hip. Nam vt ex antecedentib. habemus, destinauerat de morb. acut. particularẽ tractationẽ facere, & adiicere libro priori. Vnde facile fuit, quemadmodum sui moris erat in membranas referre, quæ deniq; reperta, connexa sunt cum præcedentibus, & in hac connexione sunt multa interserta, quæ non videntur sapere officinã vetam Hip. Quapropter cum Galenus suis commentariis ornare illustrareq; hunc librum non abs re fore putauit, huius vestigiis insistens, ego quantum in me erit conabor, vt doceam, priores libros Hippocratis, ita explicare sensum Hipp. vt nihil à me desiderare possitis amplius, Et eo maxime, quia (vt scribit Galenus) cum alia referunt genium Hippocratis, & diuinum ingenium dictione & sententiis; alia dictione tantum, alia sententiis, alia neque dictione neque sententiis, hic est velut farrago & commixtus multis sententiis & non Hipp. vere. Sed quicquid sit, non sunt autores, sed res æstimandæ, & theoremata, quæ cum sunt vtilissima, merito mihi videntur esse amplectenda. Imprimis ergo quid dicit Hippocrates:

Hic liber an sit genuinus Hipp.

Καῦσος δὲ γὰρ, ὁκόταν ἀναξηρανθέντα.

Febris autem ardens fit, cum.

CVm (vt nupertime audiuistis) in hoc libro sunt multa theoremata, vere Hippocratica, puto ego hoc totum initium de febre ardente, esse vere Hippocraticum, & recte cum antecedentibus conuenire: primum, quia Hippocrates, cum pollicitus esset in antecedentibus, se tractaturum sigillatim de morbis acutis, nulla est tractatio Hippocratica, quæ possit magis farinam Hippocratis redolere. Præterea Hippocrates, cum tractaret de balneis, mentionem fecit febris ardentis, quare subiungi merito potest sub tractationem balneorum, de febre ardente oratio. Est etiam tertia ratio, quia cum tractauit de morbo acuto, rarum est, vt sint morbi acuti sine febre hac. Itaque in limine huius libri recte posita est tractatio de causo siue febre ardente. Sunt autem febrium ardentium duo genera, aliud genus appellatur causus legitimus; aliud vero spurius. De vtroque cum tractare vellet, iure merito de legitimo sermonem primo habuit. Et animaduertite, quomodo debemus ex paucis verbis totam artem Hippocraticam nobis comparare. De legitimo causo, primo theoricam partem, deinde practicam nos docet: Pars theorica tota posita est in cognitione causæ, & naturæ morbi, & in cognitione signorum. Itaque Hippocrates, qui seminabat hanc artem, (fuit enim ille verus seminator) in his verbis licet non ita ordinate, explicite tamen nos docet naturam causas & signa febrium ardentium. Inquit igitur, causum fieri quotiescunque venæ æstate exiccatæ, &c.

Ardentium febrium duo genera, causus verus & nothus.

Sed

Sed vt rem totam ad ordinem redigamus, videndum est, quomodo tota hæc materia est tractata. Quod ad nomen causus inquit. Quod ad modum generationis eius, inquit fieri, quoties venæ arefactæ æstate humores acres mordaces attrahunt. *Causi causæ.* Vnde cum causæ aliæ sunt externæ, aliæ internę: de internis dicit, humores acres causam esse morbi. De externis, dicit in æstate fieri, ob nimiam sitim, ob longam deambulationem. Quod ad signa attinet, inquit habere vigilias multas, interdum mentis alienationem, sitim ingentem, linguam siccam, asperam, valde nigram, deictiones valde liquidas & flauas, febrem multam, morsum ventris, & dolorem. *Causi signa.* Hæc sunt verba Hippocratis, ex quibus vnusquisque facile colligere potest totam theoriam Hippocrateam, de morbis ardentibus. Nos de nomine prius agamus. *Causi nomina.* Inuenio quatuor nomina habuisse hanc febrem. Appellatur enim καύσος, καύσε, καύσομαι, & καυσώδης πυρετὸς, olim. Latini modo dixerunt causum seu causonidem, elegantiores febrem ardentem dicunt. *Causi essentia.* Hæc febris, si expendamus ea, quæ nos docet Galenus in comment. nihil aliud est, quam ingens intemperies calida & sicca, cum vehementi siti. Dicit autem esse ingentem θερμασίαν; quod etiam inter signa Hippocratis recenset, inquiens, ὁ πυρετὸς πολὺς ἴσχει. Dicit etiam esse cum vehementi siti, quia Hippocrates etiam inter signa eius recenset sitim ingentem. Adeo vt his paucis verbis Galenus nobis tradiderit integram naturam huius febris. Sed cum omnes febres habeat insignem calorem, cur hæc febris pręceteris ardens appellatur. Quia cum ceteræ fiunt à putredine, hæ maxime molestiam præbent ægris: Febris vero ardens incendio nimioque feruore. Et nescio quid voluerit Aristoteles somniare, 3. part. Problem. 1. sect. qui scribit, vbi multa humiditas accedit ad putredinem, fit febris ardens, quasi charactet eius sit humiditas putredinalis. Sed excusandus est, quia non fuit Medicus. Est igitur intemperies calida & sicca, cum siti vehementi. Sed quæ est causa sitis? quomodo fit? Dicemus ea de re suo loco, vbi de signis tractabimus. Hæc intemperies habet locum affectum, & causas. *Causi quæ sedes.* Locus affectus, inquit Hippocrates, sunt venæ, ex quo loco scire operæpretium est febrem ardentem, quandoque oriri ex ardore venarum; quandoque ex incendio viscerum. Sed cur febrium ardentium non meminit, quæ fiunt à visceribus æstuantibus? quia veri causi fiunt ab ardore venarum: imo Galenus quarto aphoris. dicebat, febres illas, quæ consequuntur inflammationes viscerum, nunquam fuisse appellatas febres, quia sunt accidentia pura, appellabant phrenitim, & pleuritidem. Sed cum sint variæ plurimæque venæ, quę sunt illæ proprię, in quibus fit hic ardor? Possumus hoc coniicere facile ex natura ipsius febris, quæ est calor magnus cum siti. Calor magnus fit ex corde vehementer accenso. Ergo vehemens calor consequitur vehemens incendium cordis. Ergo venæ circa cor sunt locus affectus. Est etiam altera ratio, sitis vehemens fit ex ore ventriculi, iecinore, & pulmone potissimum. *Sitis quæ sedes potissima.* Itaque si ex pulmone flagrante fit potissimum sitis, debemus etiam existimare, venas prope cor & pulmones esse locum affectum vere. Sed cum naturam & locum affectum ipsius febris habeamus, ex Galeno & ipsius rei naturæ, ad causas iam veniendum est. Causæ aliæ sunt mediatæ, aliæ vero sunt immediatæ. Causæ mediatę sunt illę, ex quibus fit intemperies, & nihil aliud est quam humor putris, qui inflammatur circa cor. *Causi causæ mediatæ & immediatæ internæ.* Incendium denique à corde toti corpori communicatur. Sed qui humor? acres & mordaces, inquit Hippocrates, sed qui sunt humores acres & mordaces, biliosi. Quomodo ergo hi attrahuntur? Attrahuntur cum venæ sunt potissimum exiccatæ, quæ suapte natura trahunt humiditatem, & eam quæ facilior & præparatior est attractu; quemadmodum bilis est æstate. Sed videndum est diligenter, nunquid vere sit bilis, quæ faciat hanc febrem. Auerrhoes, ingeniosissimus scriptor, & flagellum Medicorum, 3. coll. c. 4. nec non 7. coll. cap. 12. duobus argumentis nititur demonstrare contra Medicos, fieri non posse, vt febris ardens vnquam fiat à bile. *Auerrhois contra Medicos disputatio de causo.* Primum est, bilem meram & sinceram, nequaquam expositam esse suapte natura putredini; & propterea cum putrescere non potest, non posse consequenter febrem excitare.

Eſt enim bilis humor calidus & ſiccus: quæ ſicca ſunt, minime obnoxia ſunt putredini; quemadmodum humida facilime puttedinem concipiunt. Aliud argumentum eſt, qnod bilis mera non reperitur in venis, etſi eſt in ſanguine, commixta eſt reliquis humoribus, cum ſedes eius ſit folliculus proprius. Igitur debet fieri ſolum in propria ſede vbi putreſcit morbus. Quid igitur dicendum eſt aduerſus Auerrhoem. Feſelliſſe eum, & hanc puram & inconcuſſam veritatem eſſe, quod fiat febris ardens à bile putreſcente in venis. Ad Auerrhoem dicendum primo calidum & ſiccum dupliciter intelligi poteſt vel actu vel potentia. Verum eſt bilem eſſe potentia ſiccum humorem, vt Galenus etiam atteſtatur libro de potent. nat. ſed actu humidus eſt, imo ita humidus, vt frequenter etiam aquam æmuletur, & ratione humiditatis putredini maxime obnoxia eſt bilis. Imo videtur, Hippocrates in fine lib. de nat. hum. inquit, exiſtimaſſe veteres omnes febres ex bile ſolum fieri humore calidiſſimo & humido; quæ duo maxime faciunt ad conſtituendam febris naturam. Ad alterum argumentum dicendum eſt, vetiſſimum eſſe in venis non reperiri bilem ſinceram, vbi eſt ſtatus naturalis. Sed vbi aliqua vis extrinſecus accedit, vbi perturbatur ſanguis, humor peccans extra venas detruditur, putredinemq; quam facilime concipit, quæ intro etiam repit interdum. Quare non valet Auer. opinio. Igitur habetis, q̃ ſit febris ardẽtis natura, modusq; generationis, cauſæ & ſigna. Inter cauſas febris ardentis internas mediatas ſolent nonnulli alia connumerate, cuiuſmodi ſunt, temperamentum, ſexus, ætas. Temperamentum, vt corpus calidum & ſiccum, quippe quod ſuſcipiendas febres ardentes maxime aptũ eſt. Ætas, iuuenilis, dicebat enim Hipp. 3. aph. 21. iuuenes maxime tentari febrib. ardentibus, de ſenibus nihil dixit. Sexus qualis eſt virilis. Sed quæ eſt ratio cur Hipp. in recenſendis cauſis febrium ardentium, nullam facit mẽtionem harum cauſarũ. Pręterea quomodo Hipp. dicit ſenes non tentari feb. ardent. cum idem lib. de aer. aq. & lo. tractans de populis occidentalib. inquit, huiuſmodi corpora ſenilia tractari feb. ard. hyeme. Puto autem Hipp. hoc in loco harum cauſarum non meminiſſe, quia in inſtituẽda curatione nulla aut exigua capitur indicatio ab his cauſis. A cauſa ſane interna, cuiuſmodi ſunt humores capiuntnr maxime. Sed quid dicemus ad contradictionem, quæ videtur apparere in verbis Hipp. Reſpondendum eſt ætatẽ ſenilem quantum ſit ex ſeſe, minime obnoxiam eſſe morbis acutis, cum ſit frigida & ſicca: ſed per accidens poteſt etiam ſubiici feb. ard. quia (vt eo loco Hipp. ſcribit) ſub plaga occidentali ſuntublioſa maxime corpora; quæ effluuia bilioſa cũ retinentur, fit vt concipiant calorem. Iam itaq; habetis, quę nam ſint vere cauſæ feb. ardent. tam immediatæ, quam mediatæ. Priuſquam autẽ examinemus cauſas externas ab Hip. propoſitas, operæ pretiũ eſt, vt duo diligenter examinemus, circa verba Hipp. Alterum eſt, vtrum feb. ard. æſtate fiant per ſolam attractionem bilis, an per depulſionem: Alterum, vtrum febris ardens poſſit fieri à ſola inflammatione & accenſione bilis citra vllam putredinẽ. Circa primũ, videamus verba Hipp. Manifeſtiſſime innuere videtur, per ſolã attractionem fieri, ſiquidem inquit feb. ard. æſtate fieri cũ venæ exiccatæ attrahunt ad ſe bilem. Præterea eſt autoritas ipſiuſmet Hip. lib. 2. de morb. imo etiam li. de aff. feb. ard. ex bile per attractionẽ fieri. Hanc eandẽ ſententiã videt quandoq; ſecut᷒ 4. de acu. mor. quo in loco citãs hãc autoritatẽ Ga. videtur ſolius attractionis meminiſſe. Ex altera parte videtur eſſe autoritas ipſius Hipp. & ipſa ratio, autoritas, inquã, q̃ ſcribit Hip. li. de aff. int. fieri quãdoq; feb. ard. quotieſcũq; bilis per corpus cõmota tandẽ firmatur. In quo loco non videtur tantũ attractionis nullã facere mentionẽ, ſed potius per motũ innuere depulſionẽ. Eſt etiã & ratio, q̃ cũ ſit acris & mordax, magnopere infeſtat expulſiuã facultatẽ, q̃ cum depellat hinc inde, fit vt in venis ab incendio concepta putredine febrem ardẽtem pariat. Quid ergo in hac difficultate reſpondendum eſt? febrem aliam hyeme, aliam æſtate fieri, Æſtate ſemper fit attractione, aut rariſſime ſine ea, quia tum corpora exuſta, arida & bibula, facile attrahunt ichores & ſuccos ad ſe, & præſertim venæ & viſcera. Hyeme autem ſecus eſt, quia cum eo tempore corpora compingantur, fit vt ſucci

acres

Eius refutatio.

Conciliatio Hipp.

Pulchras quæſtiones de cauſa.

acres & mordaces depellantur intro, in qua depulsione cum ingrediuntur ipsa viscera, necessario faciunt febrem ardentem. Itaq; de febre æstiua intelligendam per attractionem fieri: hyemalem etiam per depulsionem fieri rationi est consentaneum. Erat alterum examinandum, an bilis inflammationem concipiat & febrem accendat sine putredine, quia sunt autoritates & rationes, quæ illud affirmant. Primum autem Hippocrates hoc in loco nullam facit mentionem putredinis, dicit tantum fieri, quando venæ exiccatæ æstate attrahunt bilem. Hanc eandem sententiam videtur secutus lib. de affect. & de morb. intern, putredinis enim nullam mentionem facit in febris ardentis generationis modo recensendo. Sed præter Hippocratem videtur quoque esse sententia Galeni, qui lib. 1. epid. sect. 2. t. 20. inquit, febrem ardentem fieri, cum bilis lata per venas non per carnes, vt in tertiana, eas calefacit, & simul calefacit viscera. Vnde iure suspicari aliquis posset, fieri sine vlla putredine, cum solius incendii meminit. Sed 10. meth. cap. 5. referens historiam cuiusdam iuuenis à se curati, inquit, in initio accessionis sese illum iuuenem cutasse cibo, quod solum tenues humores fuerint accensi; imo addit, nullam præcedentem putredinem fuisse. Hæ rationes atq; similes tantum potuerunt apud Alexand. Trall. lib. 12. nec non apud Nicolaum Florent. temporibus posterioribus, & etiam apud Valeriolam, vt existimarint, posse fieri à bile pura accensa in venis circa putredinem febrem. Imo quod magis mirandum, Auerthoes 3. coll. cap. 4. tractans de conclusa febre (barbari ita appellant) damnauit Galenum, quod voluerit duntaxat fieri à calore putredinali, quod possit à calore vel frigore externo excitari febris: si à frigore, cum debilitetur calor natiuus, concipit putredinem, quod si tractetur bilis à calore externo, inquit, facere quidem febres, sed assari, comburi, non autem putrefieri. Hæ sunt autoritates eorum, qui sine putredine à bile sola accensa fieri posse febrem existimant. Sed ex alia parte est, quia omnes vno ore fateri videntur legitimum causam à bile putrescente in venis prope cor, stomachum, pulmones. Sed præter autoritatem omnium scriptorum, est etiam ratio duplex; vna est, quia bilis, vel quilibet humor vbi incalescit in aliquo loco conclusio, fieri non potest vt assetur, quin prius putrescat, quia (vt 4. metheor. habetis apud Aristotelem) quæcunque debent comburi, opus est, vt exiccentur, & à bile humores calefacti in ipsis venis in locis angustis, non possunt vsque adeo assari, quin prius putrescant, maxime corpora humida. Et hoc est, quod dicebat Aristoteles loco citato, ea quæ putrescunt, tandem incinerari, quia consumitur illorum humidum, remanetque terrestris pars. Est etiam & alia ratio, quia si daretur hoc genus febris, sequeretur fefellisse Galenum, & omnes Veteres ac recentiores, qui scribunt triplex genus esse febrium, Ephemeram, hecticam, putridam: quia si alia esset febris à bile æstuante, sine putredinis vlla nota, quartum reuera esset genus statuendum. Quapropter videtur esse colligendum, falsum esse quod febris ardens possit fieri à bile sola accensa, sine putredine. Quid igitur respondendum ad autoritates, & alia, quæ allata sunt? Fieri nequaquam posse, vt vlla febris humoralis possit fieri absq; putredine. Et propterea licet Hipp. hoc in loco, lib. de morb. de aff. int. in tradenda causa feb. ardent. non meminit putredini factum est, quia constitutum hoc ab omnibus, essetq; receptum vulgareq;. Et festinabat breuiter operi suscepto, finem imponere. Ad Galenum vero dicendum est, febrem ardentem dupliciter considerari posse, vel vt est in fieri, vel prout est adepta propriam ideam & formam. Si primo modo accipiamus, proculdubio potest dici, fieri febrem ardentem sine putredine. Si vero secundo modo, ita verum est, ac si dicamus, diem sine luce esse. Cum igitur Galenus, loco citato, loquatur de febr. vt est in fieri, & non habet propriam ideam & formam, iure merito dixit ex sola æstuatione fieri, sine putredine. Cum Veteres omnes cum Græci, tum Arabes dixerunt sine putredine esse non posse, intellexerunt de facta omnino.

Causi æstate per tractionē bilis, hyeme per eiusdem depulsionem fieri.

Rationes eorum, qui cēsent ardentē febrem sine putredine ex sola bile accensa posse generari.

Rationes partis contrariæ.

Mercurialis sententia.

Galeni sententia asseritur pulchra distinctione.

Post causas internas mediatas & immediatas, meminit causarum externarū hoc in loco: ambulationis motus maioris æstatis, nimirum ambientis; & vehementis sitis.

Causæ externæ causi.

tis sitis. Galenus in comment. addit complures alias, vt ciborum & medicamentorum calidorum esum. Sed dubitare licet, cur Hippocrates, cum tot sint causæ externæ voluerit duntaxat meminisse harum trium. Præterea dubitandum est vtrum vera & legitima causa sit æstas, quia Aristoteles 14. sect. Problem. 3. quærens rationem cur tempore autumnali vel hyemali in regionibus frigidis fiant magis febres ardentes inquit esse, quia coacta corpora, & succi magis exardescunt. Cur ergo hoc in loco Hippocrates meminit duntaxat temporis æstiui? Ad primum dicendum est iure merito, Hippocratem studiosissimum breuitatis, voluisse nos docere eas causas, quæ sunt frequentiores & manifestiores, vt sunt æstus, ambulatio siue motus, nec non etiam ingens sitis; motus enim aptus est ignire lapides & ligna. Sitis etiam solet esse causa, quia exiccata valde corpora bilem attrahunt. Vt interea taceam æstum grauissime vrere corporis nostri machinam vniuersam. Reliquæ causæ non sunt adeo frequentes & manifestæ. Tum, si faciunt febrem per accidens hoc fit. Quod ad secundum dubium attinet, nonnulli existimarunt de duratione, non de intensione intellexisse Aristotelem, & huius sententiæ videtur fuisse Petrus Aponensis, in explicatione Problem. Sed mea sententia non sunt assecuti veritatem & mentem Aristotelis, quia scribit, febres hyeme magis esse ardentes manifestis verbis. Itaq; non loquitur de duratione. Et Hippocrates & Galenus dicere solent, duarum febrium maxime parium semper ea, quæ hyeme fit, quam quæ æstate est deterior, quia non fit nisi ab ingenti causa, ob quam facilime ob externũ frigus intensissimum corpus incendium concipit. Est etiam alia causa, quia corpora hyeme coacta, dum cohibent in se succos biliosos, faciunt vt calor humoresq; in immensum augeantur. Secus autem est æstate, quo tempore corpora sunt rara, & bilis & calor putredinalis magis perspirare potest.

Febres hyemales semper æstiuis prauiores.

Causi signa diagnostica.

Signa feb. ard. complura sunt, quæ tamen omnia non recenset Hipp. Sed cur non omnia scribit? quia ea tantum tradere vult, quæ efficaciora sunt, & capiuntur ex vera substantia & essentia ipsius febris. Quænam sunt illa? Omnia ea, quæ capiuntur à calore febrili. Et hæc est ratio, cur multam febrem primo loco ponit, πολυπύρετος ait, quasi ab hac fontes omnium signorum deriuentur. Videamus autem sigillatim signa ipsa; primum vigiliæ, & interdum mentis alienatio, sitis multa δίψαι σφοδραὶ, lingua sicca, aspera, & nigra, deiectio liquida & biliosa; morsus ventriculi, dolor ventris officulosa, lassitudo. Hęc sunt signa, quæ capiuntur ab essentia ipsius febris; & traduntur nobis hoc in loco.

Quæstio.

Sed dicat aliquis, cur Hip. non dicit interiora calere, & exteriora frigere, quia hoc signum videtur duci ab essentia ipsius febris. Et ratio dubitationis est, quoniam idem Hipp. 1. de diæt. tractans de hac febre, dicit, exteriora exiccare, merito cuius siccitatis, cum absumitur humidum pabulum caloris, fit vt frigeant illa, & interna caleant, quasi hoc quoq; signum sit pręcipuum. Pręter Hippoc. est quoq; autoritas Arist. qui 14. sect. Probl. inquit, febres ardentes id præcipue habere, vt interiora caleant, & exteriora frigeant. Cur igitur Hipp. hoc tacet? Quia non est perpetuum signum feb. ard. interiora calere, & exteriora frigere. Sed proprium signum est πολυπύρετος, vt tam interna quam externa incendio flagrent. Hipp. lib. de morb. non agebat de legitimo causo; hoc loco de legitimo agit, & pręcipue quæ à calore febris hauriuntur: signa memoriæ posteris relinquit. De vigiliis vero iam videamus, scribit Gal. eas à siccitate oriri. Sed hoc mihi non placet. Non est hęc causa vera. Hectici & qui marasmo laborant, sunt multo sicciores, imo est pura veraq; siccitas hectica febris, veruntamen vigiliis non anxie vexantur, qui hectica vel marasmo torquẽtur. Itaq; non est verum, quod dicit Gal. solum siccitatem facere vigilias. Sed sunt humores acres & mordaces, qui vbi feruntur in caput vigilias; interdum etiam mẽtis alienationem producant. Hipp. in fin. 6. epid. scribit melancholicos fieri epilepticos, & rursum epilepticos melancholicos: tradens vero modum & rationem, inquit fieri epilepticos, quotiescunque humor labitur in corpus, melancholicos vero, quando in διάνοιαν, id est mentem repunt. Quem præclarissimum Hippocratis locum interpretans Galenus tertio de loc. affect. capite septimo, dicebat, pro

Vigiliæ an à siccitate solum.

mente

mente temperiem intellexisse: pro corpore substantiam ipsius cerebri. Hac occasione arrepta, dico sępe vigilias, rarius mentis alienationem fieri. Vigiliæ fiunt pungentibus acribus humoribus membranas cerebri. Vbi vero lædunt non percutiendo, sed calefaciendo, ita vt alteretur temperamentum cerebri, fit delirium. Præterea inter signa febr. ardent. recensetur vehemens sitis. Sed cur dicit Hippocrates δίψαι σφοδραὶ in plurali numero? Ad indicandam continuam & vehementem sitim. De hac siti præclare discurrens Galenus, inquit, non hanc sitim esse perpetuam, sed quoties fomes febris est in venis. Si ab aliquo viscere, à stomacho, ab intestino ieiuno, quia hæc viscera conferunt ad faciendam sitim, quasi dicat, vbi fit à iecinore vel liene, non fit ingens sitis. Sed dubitet fortassis aliquis vestrum, quomodo intestinum ieiunum conferat ad faciendam sitim. Homerus irrigare pulmones vocat restinguere sitim, quasi maxime pulmones sitis sint causa. Puto hoc dixisse Hippocratem, quia ab intestino ieiuno (quod fere semper vacat humiditate à bile, & non est admodum longinquum) inflammato, excicarque communicatur facilime siccitas ori ventriculi, & fit sitis. Est etiam signum febris ardentis lingua aspera nigra, nigra, inquam, propter ardorem, omnē humiditatem absumentem exiccata dehiscunt, scinduntur, ex quibus scissuris nascitur asperitas linguæ; ad asperitatem consequitur nigredo, quia vbi est ingens calor, continuo efferuntur fuligines, quæ intimius penetrando linguam scissam & asperam, nigro colore eum imbuunt. Videte Aristotelem trigesimaquarta sectione, Problem. quarto, vbi quærens rationem, cur lingua fit indicium febris ardentis, inquit, quoniam lingua est proxima pulmonibus, à quibus vapores veluti percolantur per ipsam linguam, quę vt variant, variat etiam color.

Sunt præterea signa, quæ appellantur excreta mutata, de quibus nihil aliud dicit, quam esse liquida & biliosa. Galenus afferens rationem, inquit esse, quia sunt cruda, cocta autem crassescunt. Sed quæ est ratio cur in tanto incendio fiant cruda excrementa, & propterea liquida? quia à summo incendio valde debilitatur, & destruitur calor natiuus, qui vbi est hebetatus, & autor coctionis, non potest facere coctionem perfectam, vnde remanent excrementa cruda. Atque hæc est ratio, propter quam Hippocrates inter signa febris ardentis ponit excrementa liquida cruda: biliosa vero, quia bilis est causa materialis, quæ prout corrumpitur, vertitur extra corpus, & præsertim per intestina pellitur. Est etiam inter hæc signa dolor & morsus ventriculi, atque ossiaria lassitudo. Cur dolores fiant, manifestum satis esse puto: Nam bilis, vbi fertur per neruos & musculos, rigorem inducit, vbi vero ad intestina & os ventriculi, dolores & morsus; tum iuncti sunt illi non raro flatus.

Est etiam (vt dixi) lassitudo ossiaria, de qua dum Theophrastus loqueretur libro de lassitudine, dicebat fieri ab humiditate & colliquatione penetrante vsque ad ossa. Sed illi non integrum lumen attulit, rei, veritatemque explicuit, vt opus fuit, quia requiritur etiam vt ὀστέα, ligamenta, & capita illa neruorum percutiantur. Sed hæc percussio non solum fit ab humiditate, sed acri, & mordaci. Quare videre potestis, quam accurate tradiderit Hippocrates signa ab ipsa causa formali & materiali. *Lassitudo ossiaria quid.*

Sequuntur modo signa prognostica. Sed hac in re est nonnihil scitu dignum, quod vos doceam. Nam in faciendis consultationibus varia ingenia varia hominum capita, sensusque varium ordinum seruant. Nonnulli signa prognostica subiungunt aliis signis, alii curationi subnectunt; quemadmodum etiam facit hoc in loco Hippocrates. Sed ego semper alium morem secutus sum, vt signa prognostica semper post alia signa recenserem: & mihi videtur omnino ita esse faciendum. Primum, quia tractatio de signis est theorica; quomodo ergo veram partem ante curationem, aliam post eam recte ponemus? Præterea capiuntur signa prognostica à comparatione virium & naturæ morbi. Ergo debent immediate sequi de natura morbi significa- *Causi signa prognostica. In consultationibus signa prognostica diagnosticis statim esse subnectenda, & cur.*

signisque orationem. Tum ad quid inseruiant signa prognostica, vt intelligatur an morbus curari possit. Si potest, aggredienda est curatio: si non, superuacanea. Cur igitur Hippocrates secus fecit? sæpe repeto illud, quod Galenus dicit lib. 2. de fractis. Veteres illos Medicos non seruasse ordinem in crepundiis medicinæ; potius aciem ingenii, ad rem omnem contulisse. Signa igitur prognostica paucissima sunt. Si sanguis è naribus fluxerit, & si sudores apparuerint iudicatorii, cum vrinis crassis sanari. Quod si æger, inquit, videatur sanari, sine his signis iudicatoriis, reuertetur morbus; aut si sanus futurus est, coxarum crurumque dolor vel sputa crassa apparebunt.

Circa quæ signa tria habeo scitu & contemplatione maxime digna; primum est, cur Hippocrates nobis proponit duntaxat signum salutis, de morte nullam facit mentionem; alterum est, cur loquens de fluxu sanguinis, non apponit signa iudicatoria, quemadmodum agit vbi sudorum meminit; postremum, quomodo dixit, si sanus futurus est, dolere coxam vel crus, aut sputa crassa apparere. Circa primum, Hipp. lib. Prognost. inquit, Medicum in prædicendo debere esse vigilantissimum, & maxime in sanitatis spe firma concepta, pollicendaq;. In prædicenda salute habemus pauca signa; in morte vero plurima. Ideo Plinius dicebat, signa mortis innumerabilia esse, securitatis vero pauca admodum. Quare potius signa sanitatis, quæ pauca sunt, voluit nos docere. Accedit etiam, quod multo gratius est prædicere salutem, quam mortem, quia magis ingenii vis cognoscitur circa ea signa, quæ pauca sunt. Igitur voluit nos docere, debere esse Medicum, multo faciliorem & promptiorem in prædicenda salute, quam morte. Circa secundum, est hæc ratio, quia in febris ardentibus rarissime fit, vt sanguis non fluat, nisi diebus criticis copiosus, quia prouidentissima natura nunquam copiosum dimittit sanguinem, nisi certissima sit, esse collaturum. (Videte, quæ ars deducitur ex verbis Hippoc. 1. De sudoribus secus est, quia natura non studet retinere sudores, quia fiunt ex humoribus, qui nihil boni vel mali possunt facere. Et hæc est ratio, quod dicebat rarissimas fieri crises per sudores; tum per sudorem paucissimi humores euacuantur; siquidem ex paucissimis humoribus fiunt copiosissimi sudores. Circa postremum dicendum est, vbi natura facit veras & legitimas crises, ita vt fiat expulsio totius materiæ morbificæ extra corpus; in hac expulsione semper est securitas. Sed si quandoque sine his signis apparuerit securitas, reuertitur morbus, vt dicebat Hippocrates, quæ absq; signis decretoriis euanescunt, infida sunt, retenta nimirum materia in latebris corporis, vnde sopita iacet, sed tandem erumpit. Si erumpit, & sanitas debet sequi, operæ pretium est, vt materia hæc pellatur extra corpus, vel deponatur in partem aliquam ignobilem. Propelli non potest extra corpus, quia si prima vice non potuit depelli, quando vires erant firmiores, multo minus viribus iam debilibus hoc faciet. Sed quæ sunt hęc loca, in quæ solet ferri hæc materia, & occultari? Coxæ & crura, quæ cum sint in continuo fere motu, sunt omnium, pene dixerim, partium debilissima; tum quia laxa sunt, & in partibus inferinis. Quod si forte fortuna non capiant omnem materiam, vertitur pars in maiorem capacitatem thoracem & pectus, & ab hoc deinde expuitur. Vt propterea iure dixerit Galenus, expuitionem crassorum fieri duntaxat, vbi affectus est in pulmone & thorace; quæ partes eo redduntur aptiores ad suspiciendos humores, quod in æstuatione, & iactatione totius corporis maxime laborent, & ob id debiliores redditæ, facilius suscipiant.

Prædictiones debent esse cautæ.

Signa salutis paucissima: mortis plurima.

Prognosis certior ex hæmorrhagia, quam sudoribus.

Coxæ & crura cur potissimum afficiantur.

In tractanda febre ardente, perueneram ad signa prognostica: circa quæ remanebat scrupulus, cur Hippocrates inter alia signa, quę recenset, non meminit rigoris. Siquidem idem Hippocrates scribit quarto libro aphor. 57. aphorism. à febre ardente habito, si rigor superueniat solutio morbi. Ex quo loco colligitur aperte inter signa prognostica esse quoque superuenientem rigorem. Dicendum est idcirco tacuisse, quia suapte natura nihil boni facit, sed si iuuat, est quia facit euacuationem; quia superuenit fluxus aluui sudor, vel vomitus.

Τῷ τοιῷδε δὲ δίδου πίνειν ὕδωρ.

Huic & aquam, & mulsam coctam & aquosam.

SEquitur curatio febris ardentis, quam quia breuissimam, & concisam satis tradit Hippocrates, operę pretinm est, vt & nos methodum totam curandi hanc febrem tradamus. Et quia methodus medendi consistit in indicationibus, videndum est, quæ sint indicationes.

Curatio ab indicationibus.

Indicatio sumitur ab affectu ipso; quid agendum est, non sumitur nisi ex natura morbi. Natura febris ardentis est intemperies calida & sicca, quæ oritur à bile. Quapropter ratione intemperiei calidæ & siccæ, oritur indicatio refrigerandi, & humectandi ratione vero bilis, refrigerandi pariter & humectandi, atque euacuandi.

Quid agendum.

Quantum autem sit agendum, habetur ex magnitudine & paruitate affectus. Si magnus fuerit morbus, magnum requiritur remedium; si paruus, paruum. Iam vero febris ardens est magnus affectus: quapropter habetur indicatio valde refrigerandi, humectandi, atque euacuandi. Et hoc est, quod ipsemet Hippocrates libro de affect. dicebat, in curanda febre ardente, opus esse multis & frequentibus refrigerantibus & humectantibus remediis.

Quantum agendum.

Tempus autem agendi, comparatur à tempore ipsius affectus, motuque. Cum igitur febris ardens sit morbus acutissimus, celerrime refrigerandum esse, & humectandum indicatur. Iam vero ad explendas has indicationes, fugiendum est ad Diætam, Pharmaciam, & Chirurgiam.

Quando agendum.

De Diæta & Pharmacia pauca admodum dicit Hippocrates, de Chirurgia vero, nihil. Videamus cur Hippocrates hoc facit. Diæta, vt omnibus notum est, collocatur in administratione recta illarum rerum non naturalium vocatarum; inter quas maximam omnium partem habent cibus & potus, quia sustentant vitam, quam semper respicit Medicus. Hippocrates igitur, neglectis aliis rebus non naturalibus vocatis studiosissimus breuitatis, solum versatur circa cibum & potum. Dicit ergo de potu & cibo tria, aquam esse dandam melicratum, & quantum quisque voluerit. De aliis cibis, & præsertim sorbitionibus, dicit eas non esse dandas priusquam iudicatio sit transacta. Rationem huius rei alias audiuistis, quo fit, vt non opus sit repetere.

Instrumēta Medica. Diæta.

Videamus modo de aqua, quæ dicit Hippocrates, Aquam certissimum est conuenire maxime in febris ardentibus, quia nihil habetur magis frigidum & humidum, quam aqua. Sed dicetis, cur ergo secundo libro de morbis Hippocrates loquens de febre ardente, præcepit, vt vtantur vino vinoso aquoso? Quod ad locum hunc Hippocratis attinet, puto vocem οἰνώδης abundare, & temere illapsam insertam, & dicendum esse vinum aquosum.

Vinum conceditur ex indulgentia, vel præcepto; Ex præcepto, nunquam dandum est vinum: ex indulgentia vero, interdum conuenit, propter vires, vel propter consuetudinem. Et notate: Veteres Medici, & præsertim tempore Hippocratis facile indulgebant vsum vini, etiam in morbis acutis, quia erant assneti semper bibere vina generosissima, & vinum aquosum erat illis instar aquę; quare non debemus nos eos imitari.

Quadam ægrotis dãtur ex indulgētia non præcepto.

Concedit etiam Hippocrates melicratum vt alimentum, & medicamentum. Sed dicetis, quomodo concedit melicratum, quod Galenus primo ad Glaucum, capite de tertiana, maxime damnat in febre tertiana, quæ à bile ortum ducit. Multo magis damnandus est eius vsus in febri ardenti, quæ magis biliosa est. Melicratum erat merum & crudum, & aquosum & coctum. Illud damnandum quidem est, sed aquosum & coctum minime, quia non solum modice alit, quod requiritur in hac febre, verum etiam refrigerat, penetrat, & nullos flatus facit. Addit postremo, quantum quisque velit. Circa hanc partem, Apollonius & Leucippus, antiquissimi Hippocratis interpre-

interpretes, existimarunt vtendum esse copiosissimo melicrato. Erasistratus damnauit eos. Sed hunc Galenus, quia Hippocrates maxime laudauit copiosissimũ, & addit, sese vsu & experientia semper attulisse admirabile beneficium; imo addit, omnes ab ipso seruatos esse hoc vno, nisi perniciose haberent. Et 10. meth. cap. 5. refert historiam mulieris cuiusdam, cui etiam integras heminas dedit. Quare & ipse sum huius sententiæ, copiosissimum potum esse dandum. Idem quoq; Hippocrates li. 2. de morb. & lib. de affect. vult copiosissimam frigidam aquam esse dandam. Quapropter non possum satis admirari nonnullos, qui damnare ausi sunt hunc autorem, quasi dimiserit frigidæ vsum largiorem, quia si loquitur de copioso potu, & referri debet ad potum æquæ & melicrati, cur non laudauit etiam frigidam? Subiungit remedia pertinentia ad Pharmaciam. Ab acribus & salsis abstinendum. Si os amarum, vomendum, clystere vtendum, & si non soluant morbum, vtendum lacte asinino cocto.

Pharmacia.

Expendamus singula. Febris ardens est morbus calor & siccus; quemadmodum etiam sunt acria & salsa, quapropter hæc valde sunt damnanda. Itaq; contra præceptum & artis, & Hipp. quidam in his morbis rhabarb. vtuntur. Si os amarũ, inquit, vomendum, quia bilis est in stomacho, quæ facile euacuatur per vomitum; itaq; vomitu est agendum, id quod 4. lib. aphor. 16. etiam memoriæ prodidit. Sin autem ita non iuuant, agendum est clystere, (semper vult blandissimis medicamẽtis agere) vt bilis, quæ est in intestinis, eluatur; aut vt attemperetur: & addo, vtendum etiam esse clystere ex aqua frigidissima, cuius non raro meminit Hippocrates cum lib. de morb. & aliis in locis; tum Oribasius quoque 7. collect. cum ferueant maxime intestina. Nolite ergo mirati, si hæc non tollant morbum, dicit purgandum esse lacte asinino cocto. Dicit purgandum, vt copioso vtamur lacte, quemadmodum Veteres semper fecerunt. Sed cur vtendum est lacte? Quia iam abstinendum esse dixi à salsis & acribus; blandissimum vero est lac. Imo Galenus dixit etiam sero vtendum, sed extracto, vt docet Dioscor. scilicet vase aheneo ardente, immisso in ipso lacte. Neq; vereamini æstatem; quia Hippocrates lacte, Galen. sero vsus, quo nihil reperitur blandius. Et audeo dicere, me fere omnes sanasse vsu seri solo. Cur dicit Asinino? Idem Hippocrates secundo libro de diæta tractans de generibus lactis; inquit, hoc propter copiam seri maxime purgare, quia insigniter abstergit. Poppæa illa luxuosissima fœmina Neronis, quæ argenteis soleis induebat pedes æquorum, semper ducebat secum trecentas asinas fœtas, vt vsu balnei ex asinino lacte corpus abstergeret, mundaret, & dealbaret: & Aristoteles dicit 3. de hist. animal. cap. 20. lac asininum, camelinum & equinum esse maxime serosa. Sed de lacte camelino est eximendus scrupulus. Nam Plinius lib. 28. cap. 9. dicit lac camelinum esse dulcissimum. Auicenna lib. 2. suæ med. dicit, esse salsum, quia hoc animal vescitur salsis. Puto ego lac camelinum duplici modo considerari posse, vel vbi comparatur à camelis prægnantibus, vel vbi ab effœtis. Dum vtero gerunt, vt Plinius tradit libro vndecimo, capite quadragesimo, & ante illum Aristoteles lib. 6. de hist. animal. cap. 26. lac habent dulcissimum. Apud quem puto vocem catnes abundare, cum Plin. Aristot. interpres omiserit. Cur vtitur lacte cocto? Inquit Galenus, vt flatum prohiberet, qui solet generari ex vsu lactis. Sed puto etiam ego, alia ratione fieri, quia vbi coquitur lac, si exacte coquatur, vt tota vis seri auferatur, certe id contingit vt aluus fluens potius comprimatur: sed si parum coquatur, fit vt acrior etiam vis ipsi sero ingeratur, merito cuius magis purgat. Circa remedia Chirurgica Hipp. nullius meminit, pleriq; etiam Scriptores alto silentio prætereunt. Et ratio etiam postulare videtur, non esse sanguinem mittendum, ne bilis frenum sanguinis euacuetur. Tum est cacochymus humor. Quanquam videtur ex altera parte mittendus esse sanguis, & propterea defecisse autor huius libri. Dixit ante Hipp. curari febrem ardentem sanguinis fluxu è naribus. Itaq; Medicus imitator naturæ debet mittere sanguinem. Præterea est magnus morbus, febris ardens; in magno morbo conuenit magnum remedium. Dicendum, febrem ardentem

Lac ratione seri absterg.
Poppæa Neronis vxoris insolens fastus.
Lac Camelinum cuius saporis.
Medicus naturæ imitator.

tem dupliciter intelligi, pro causone; vel simpliciter pro omni febre calidissima, si pro omni febre calida accipiamus, conuenit. Et sic 1. aphor. accipiendus est Galenus, vbi non solum commendat venæ sectionem, verum etiam vsq; ad animi defectionem, quia euacuato humore calido, corpus ipsum refrigeratur, vt in synocho & febre tertiana, quam aliquando appellat febrem ardentem Galenus. Si tamen sola bilis abundat in febre ardente, abstinendum est à venæ sectione, atq; ita intelligendus est Hipp. lib. de morb. & Gal. lib. de affect. & hoc loco. Si abundet etiam sanguis, quod colligitur ex crassitie & rubore vrinæ, mittendus est sanguis, sed parce.

Καύσου γένος ἄλλο: ἡ κοιλίη ὑπάγουσα,

Causi genus aliud, aluus soluta, sitis magna.

HIpp. 2. lib. de morbis sermonem habens de febre ardente, scribit, biliosos frequenter exerceri à febre ardente, rarius autem pituitosos. Ex quo loco facile est colligere, apud Hipp. duplex esse genus febris ardentis: alterum quod fit à bile; alterum, quod fit à pituita; vtrum vero appellemus legitimum vel spurium, nihil refert ad medicinam faciendam. Cum igitur Hipp. nos docuerat multa præclara in superioribus de causo vero, supererat, vt de spurio loqueretur: id quod nunc facit. Et tota tractatio complectitur tribus, signis, prognosticis, & curatione. Sed dubitet aliquis, cur de natura & causis nihil agit. Propter duas causas puto ego dimisisse naturam huius causi: Altera est, quia, si recte res spectetur, eadem est natura vtriusque idem modus generationis, eædemq; fere causæ. Neq; mirum est ab vna eademque causa varios & diuersos effectus produci; Nam quemadmodum Sol indurat & emollit, pro diuersitate materiæ; ita pro diuersa humorum natura ab eodem agente, diuersi producuntur effectus. Altera ratio est, quia solers Medicus potest facile ex signis coniicere, quæ sit natura morbi, quis generationis modus. Scimus enim naturales rerum effectus, ab intimis ipsarum naturis proficisci, & propterea cognitio hæc quanquam est paulo magis vulgaris, quam ea quę fit per causas, est certissima. *Duplex febris ardens.*

Sex sunt signa, quæ Hipp. affert, aluus soluta; sitis magna; lingua sicca, aspera, salsa; intercepti o vrinæ; vigiliæ; refrigeratio extremorum.

Iam vero, vt more nostro circa hæc Hipp. verba philosophemur, & præcepta ad vtilitatem artis consequamur, videndum est, cur primum recenset aluum solutam. Gal. diserte admodum conatus est interpretari hanc Hipp. sententiam, & dicit Hipp. dum ageret de febre ardente vera dixisse ὑποχωρήματα, hoc est, deiectiones biliosas fieri, quia à bile etiam vehementer citatur aluus. Secus autem est à pituita, quæ cum sit humor frigidus, mouet duntaxat aluum, & non vehementer exagitat. Sed quanquam hæc quæ dicit Gal. satis accommodata sunt, habent tamen aliquid difficultatis, quia pituita vbi est in sua propria natura, facit quidem aluum mollem; sed secus est de pituita non naturali & corrupta, cuiusmodi est ea, de qua loquitur Hipp. quia hæc vbi exuit propriam naturam, fit viscidior, & maxime astringit aluũ, quemadmodum omnia glutinosa faciunt. Quod si corrumpitur & putrescit, nõ solum citat aluum, sed solet facere dysenterias grauissimas. Quare dicendum est, non esse signum pathognomicum; imo non esse signum assidens, sed superueniens. Superuenientia signa, quandoq; adsunt, nõnunquam absunt. Ita aluus est mollis, quã do pituita mediocriter putrefacta, mouet aluum. quia tũ salsa euadit, & ratione maioris aut minoris salsedinis fit aluus plus minusue cita. Secundum signum erat sitis magna. Hoc signum est pathognomicũ. Imo quotiescunq; Hip. tractat de febre ardenti, semper ponit sitim magnam, tanquam proprium eius characterẽ. Ratio autẽ propter quã fit sitis magna, est manifestissima, s. quia febris ardens fit ex putredine pituitæ circa cor, & pulmones. Dicebat autem Arist. 3. de hist. anim. pulmones esse causam sitis, quia, qui habent pulmones sanguineos siti exercentur; qui vero exangues, nulla omnino, aut exigua. Itaque pulmonibus vehementer incensis, sitis ingens merito oritur. Hac ratione inducti sunt mea sententia olim viri grauissimi *Signum vel assidens est, vel superueniens.*

vt di-

vt dixerint, pulmones esse causam sitis. Et Homerus ipse inquit, irrigandos esse pulmones, quando sitim extingui vult. Tertium signum est, lingua sicca, aspera, salsa. Aristot, 34. sect. Problem. 4. quærens rationem propter quam lingua est index febris ardentis, duo dicit æterna memoria digna, vnum est, originem febris ardentis esse à pulmone, odoratus etiam hic est medicorum sententiam, fieri febrem ardentem ab incendio pulmonum. Alterum est, mitti vapores & succos à pulmonib. in linguam, qui vario eam colore inficiunt, prout ipsi variant. Ex hac Arist. doctrina possumus facile colligere, quam accommodate dicat in febre ardente fieri linguã siccam, quia humores ex fornace feruoreq; ingenti pulmonis in lingam illapsi, siccant eam magnopere. Sicca inæqualis asperaq; fit, salsa etiam fit, perinde ac mare; quia illæ exhalationes cum siccæ sint, & miscentur humiditati linguæ, salsedinem inducunt. Sed priusquam vlterius progrediamur, videndum est, cur dixerit ante linguam fieri nigram, hic non commemorat. Alterum, vtrum sub hoc genere febris ardentis possit etiam fieri lingua dulcis. Circa primum, Hipp. iure omisit nigredinem linguæ, quia vero, quantumcunq; pituita concremetur, nisi transeat prius in bilem, non potest fieri nigra; in bilioso, bilis facile combusta nigrescit, non in spuria febre, si id fieret, ratione bilis combustæ hoc accideret. Circa secundũ Arist. 34. sect. Probl. 5. quærens rationem, cur lingua fiat amara, salsa, acida, nunquam dulcis, inquit, quia vapores illi non sunt naturales, vt est dulcedo, teste Gal. 3. de acut. II. sed succi corrupti, sapor dulbis, naturalis non percipitur, quia quæ naturalia sunt, nunquam mouent sensum. Sed (pace Arist. dixerim) reperiũtur aliqui, qui ea quæ gustant, etiam dulcissima esse iudicant. Quapropter dicendum est fieri ob pituitã præternaturalem. Iam vero in hoc causone non potest fieri pituita præternaturalis, quia fit à putredine pituitæ. Sapor dulcis non fit ex putrefactione, sed ex mixtura sanguinea potius & in concoctione. Quartum signum est interceptio vrinæ, cuius inquirens rationem. Gal. inquit idcirco accidere, quod pituita ob putrefactionem crassescit; crassefacta autem vbi dimittitur à natura in vesicam, facit impedimentũ vrinæ; non secus atq; videmus quotidie illis euenire, qui calculo laborant, & abundant viscida salsaq; pituita; pruriginem quidem à salsedine, sed mingere tamen non possunt ob visciditatem humoris. Addo ego aliam rationem, quia cum febris ardẽs sit sæpenumero maligna, solet aliquando mittere natura humores ad musculos famulanres expulsioni vrinæ; & hoc in læthalibus pestiferis & malignis febrib. sæpe animaduertetis, quod tabus ille pestifer & perniciosus lædit musculos & facultatem expultricem vrinæ. Quintum signum est vigilia, quæ in hac febre duplici de causa fieri potest: primum propterea quod fomes incendii est circa pulmones & cor, & eò magis, quando magno anhelitu opus est, vt in somno. Sed est etiam alia ratio, scilicet, quia cum, vt audiuistis, hæc febris fit à pituita salsa & putrescente, vapores acres & salsi petentes cerebrum, percutiunt ita membranas eius, vt non possit animal quiescere. Vnde fit, vt senes sint vigiles, quia propter inconcoctionem pituita putrefacta & salsa reddita ferit membranas. Erat signum postremum, refrigeratio extremorum. Galenus in commentariis scribit, propterea non meminisse huius signi ante in febri ardente, quia bilis in ea per totum corpus diffunditur, & calefacit. Secus autem fit in febri ardente spuria; quæ cum fere semper fit ab interna aliqua viscerum inflammatione, & à pituita putrefacta, calor à περιφερίας ad centrum fertur. Et subiungit, propterea exitiosissimum signum esse, quia consequitur inflammationem visceris alicuius internam, quæ semper grauis & magna est. Sed quanquam docta est responsio, patitur tamen difficultatem, quia Hippocrates loquens etiam de causone bilioso, eius mentionem facit. Præterea Auicen. 4. vbi dfiniebat febrem, dicere solebat, expandi semper calorem per vniuersum corpus, nisi adsit impedimentum. Quare non est à ratione alienum esse impedimentum in febre biliosa. Præterea non inconuenit à calore febrili, natiuum partium externarum calorem hebetari, & succedere frigus. Cur ergo hic commemorat? Quia vere ex natura ipsius febris, quam spectat eo loci, non refrigerantur extrema.

Senes cur peruigiles.

natura febris ardentis spuriæ, quia fit in pituitosis, quæ habent suapte natura membra externa vel frigida vel tepida.

Postquam constitutum est febrem spuriam ordiri à salsa pituita, inquisitione dignum est, a pituita, quæ facit hanc febrem, sit salsa priusquam faciat malum: an vero in ipsa generatione febris salsa euadat. Disputatio quæ à nemine vel a paucissimis fuit tacta, non tamen inutilis. Ex vna parte non videtur fieri posse, vt pituita salsa existens putrescat, & faciat febrem, quia salsa tantum abest vt faciant putredinem, vt eam procul arceant. Ita muriam nunquam putrescere quotidie videmus. Hac ratione inducti sunt Ægyptii olim, condire cadauera sale, vt scilicet nō putrescerent. Neque valet multitudinem murium generari in nauibus onustis sale, quia vt author est Plutarch. 5. sympos. cap. 10. oriuntur ex coitu, qui irritatur a sale, non autem ex putredine. Præterea Aristot. 23. sect. problem. 18. quærens rationem, cur aqua salsa frigida non possit potari, sed calefacta, inquit esse, quia amittit salsedinem in coctione. Itaq; si hoc verum esset, sequeretur, vt calefacta pituita, potius dulcis euaderet. Ex altera parte est, quia si fieret a pituita salsa; sequeretur omnem febrem fieri a pituita salsa, quod est falsissimum, quia si pituita, dum putrescit, salsa euadit, & putrescens facit febrem: ergo omnis pituita facit febrem: quod experientiæ quotidianæ, & rationi repugnat. Quid igitur dicendum est? puto febrem hanc ardentem fieri posse ex salsa pituita prius existente, tum ex pituita, quæ putrescēs salsa euadit: quia quilibet humor putrescens mittere potest vapores in cor, & accendere febrem. Atque ita etiam pituita.

Disputatio de pituita salsa.

Dupliciter responderi potest, ex parte putredinis, & ex parte rerum quæ putrescunt. Ex parte putredinis, diuersos esse gradus putredinis: moderata putredine minime salita afficiuntur, minime faciunt febrem, sed maxima possunt etiam affici. Possumus etiam respondere ex parte rerum quæ putrescunt; quoniam alia sunt, quæ multum salita sunt, quæ minime possunt putrescere, alia quæ parum. Istæ omnes res possunt putrescere. Hinc est prouerbium apud Græcos: Putria salsamenta amant origanum. Signum manifestum, quod res salitæ possunt putrescere. Si pituita sit admodum salsa, non potest putrescere, quātum ex se. Si parum, putrescere potest, & consequenter febrem facere. Cæterum adhuc dubitari potest, vtrum pituita possit esse salsa, & non putris. Quod pituita putrescens possit fieri salsa, est manifestissimum; Primum, quia Galen. 2. de diff. feb. cap. 6. & Auicen. 1. cap. 1. de humoribus, dixit, pituitam fieri salsam propter admixtionem humoris salsi; tum maxime propter putrescentiam. Prætetea Galen. 3. de alim. fac. cap. 31. narrat Philonium & Praxagoram censuisse omnes humores dum bulliunt multum, euadere salsos: imo inquit Galen. eo in loco, hoc habere etiam aquam ipsam puram dulcem, quare certissimum est pituitam putrescentem fieri salsam. Sed dubium est, an pituita salsa putrescens possit facere febrem. Dicendum, pituitam putrescere vel in locis proximis cordi, vel remotis. Si in locis proximis putrescat, facit febrem, & idcirco Galen. instituit hunc causum fieri, a pituita putrescente in locis vicinis cordi. Si in remotis parum putrescit, minime facit febrem. Cæterum si putredo sit ingens, etiam in partibus remotissimis semper facit febrem. Ex his itaque satis superque potest vobis esse perspectum, quæ sit natura huius febris. Sequuntur signa prognostica.

Τῷ καύσῳ ἢν μὴ αἷμα ἐκ ῥινῶν ῥυῇ.

Causus, nisi sanguis è naribus fluxerit, iudicatione non soluetur.

Diuinus Hippocrates, qui in omnibus rebus fuit admirabilis, in prognosi ferenda excedit humanum genus, & tanto magis, quia ante se neminem habuit, in ea palæstra exercitatum. Vnde fit, vt ego existimem hanc dictionem ex pura & vera Hippocratis officina manasse. Quæ autem dicit, hæc sunt. Febris

hæc ardens non iudicatur niſi ſanguis e naribus fluxerit, vel fiat apoſtema in collo, aut dolor in cruribus, aut ſputa craſſa. Quæ omnia, inquit, fiunt aluo ſicca. Adhæc ait, non iudicatur hic morbus, niſi genitale ruborem contraxerit, & coxa doluerit: Addit etiam genitalis intenſionem eſſe iudicatorium: vt autem hauriamus ex his verbis Hippocr. præcepta ad artem medicam pertinentia; operæpretium eſt rationem vniuſcuiuſque ſcire. Prius illud eſt animaduertendum, quod Galen. 3. prog. 6. & 3. in 3. epid. atq; pluribus aliis in locis memoriæ proditum reliquit, hanc vocem κρίσιν iudicium & iudicari, κρίνεσθαι dicunt Græci, potiſſimum duo ſignificare. Vel enim ſignificat quamlibet repentinam mutationem, ad ſalutem, aut ad mortem, vel ad melius, vel ad deterius: vel ſignificat tantum mutationem ad ſalutem, aut ad medius. Et hæc ſignificatio propria eſt, non vniuerſalis: Vnde Hippoc. dum vult dicere aliquem eſſe ſeruatum, ſcribit iudicatum eſſe. Hoc in loco Hippocrates, quando ſcribit non iudicari, intelligit peculiariter, quaſi dicat non ſolui, non fit ſecura ſalutaris hæc febris, niſi appareat aliquod horum ſignorum.

Signa ſalutaris criſis. Primum ſignum quod debet apparere, eſt vt ſanguis è naribus fluat, Gal. interpretans hanc ſententiam, ſcribit ab incendio & inflammatione pectoris caput incaleſcere, quod deinde trahit ad ſe ſanguinem. Vnde fit vt vaſis repletis, apertiſque orificiis venarum, effundatur ſanguis è naribus. Hic quidem eſt modus, quo fit ſanguinis fluxus, ſed non aufert difficultatem ingentem, quæ eſt in verbis Hippocratis: ſcilicet, quomodo febris ardens a pituita ſalſa, poſſit iudicari per ſanguinis fluxum è naribus.

Dicendum ego puto, hoc ſignum non eſſe neceſſarium, ſed ex iis quæ raro contingunt. Sed quando contingit? Quotieſcunque præter pituitam ſalſam, adeſt inſignis copia ſanguinis in corpore, qui ſanguis cum effluxit, cum aliqua portione pituitæ, inflammatio compeſcitur, ſanguiſque & corpus vniuerſum refrigeratur. Vel inquit Hippoc. niſi fiat apoſtema circa collum.

Dubitatio grauis ex Hippocr. Sed quid bone Deus audimus ab Hippocrate, quod morbus qui eſt circa pulmonem, circa cor, iecur, iudicatur in collo. Nam 2. epidem. reliquit hoc oraculum nobis Hippocrat. abſceſſus nunquam eſſe ſalutares, niſi fiant in infernis partibus, vel ſaltem infra morbum. Apoſtema coll. eſt ſupra morbum, & in partibus ſupernis. Quid ergo per apoſtema colli ſolui dicit? Si vlla eſt ſententia quæ mihi iniiceret ſuſpitionem, quod non ſit Hippocratis hæc pars, hæc ſententia eſt. Sed faciamus eſſe Hippocrates, puto ego eſſe etiam ex iis, quæ rariſſime contingunt. Veruntamen eſt res etiam, quæ poteſt contingere, quia cum natura ſollicitata à morbo, non poteſt depellere materiam ad partes infernas, munus eius eſt, vt materiam ſaltem à loco nobili ad ignobilem dimittat, eo quod etiamſi hæc non ſit legitima abſceſſio à partibus infernis ad ſupernas, tamen hac ratione eſt legitima, quia à parte nobili ad ignobilem materiam fertur. Cur potius ad aures & collum quam alias partes? Propter magnum conſenſum, qui eſt inter eas partes. Vultis hoc videre, illi qui ſtrangulantur, ſemper intumeſcunt circa collum. Et in mulieribus dilatato pectore dilatatur etiam collum.

Audiuiſtis nuper naturam pro more habere, expellere materiam ad partes familiares & communes, & ſupernas nonnunquam. Itaque nihil mirum videri vobis debet, ſi Hippocrates nunc dicat per dolorem cruris iudicari febrem ardentem, cum hic motus infra morbum, atque ad partes infernas, naturæ ſit magis proprius, vt ex ſecundo Epidem. Hippocrat. lib. facile diſcere vnuſquiſque veſtrum potuit.

Sed quare dicit Hippocrat. dolorem fieri, non abſceſſum, aut tumorem cruris? quia in febre ardenti nunquam fit abſceſſus, niſi fiat dolor, quia tametſi materia ſit pituitoſa grauis, nihilominus quia feruet, Putret & pernitioſiſſima eſt, operæpretium eſt vt ſemper faciat dolorem.

Addit Hippocrates, niſi ſputa craſſa fiant. Quaſi vero etiam per ſputa craſſa poſſit iudicari febris ardens, quando ſcilicet morbus eſt circa pulmones.

Et dicit

Et dicit ſputa craſſa etiam, quia per tenuia ſputa nequaquam iudicari poteſt morbus. Poſtquam hæc dixit, addit per parentheſin quoddam notatu dignum, & eſt hæc omnia quæ dixi fieri aſtricta aluo. Ratio qua Hippocrates impulſus eſt, vt hoc ſcriberet, vtiliſſima & digniſſima eſt ſcitu. Vbi enim aluus fluida eſt, ſolet natura retinere omnes alias excretiones, imo vero vbi fluit à pituita ſalſa, hæc ſuapte natura mordet & rodit inteſtina, ita vt faciat alui fluxum. Vbi vero aluus eſt aſtricta, materia reſtagnat, & regurgitat, nunc ad pulmones, vnde ſputa craſſa, aliquando ad nares, hinc ſanguinis fluxus fit: interdum ad collum, & parit apoſtema: non raro ad coxam & dolores excitat.

Sed quæ eſt ratio quod aluus ſit aſtricta? Galenus hoc totum tribuit ardori, & inflammationi, à qua humiditates abſumi, & fœces delinqui aridas, aluumque duram memoriæ proditum reliquit. Et hac ratione fere omnes qui habent calidum iecur, aſtrictam habent aluum, propter viciniam incendii depaſcentis omnem humorem fœcum.

Sed dubitatio oritur, vtrum verum ſit, ab inflammatione huius viſceris fœces relinqui aridas, quia Galen. lib. 8. de med. localì, cap. 6. loquens de inflammatione iecinoris, inquit in ea fieri alui fluxus colliquatiuos & biliofos. Reſponderi poſſet ex ipſiuſmet Galeni verbis, quæ habet in fine huius comment. in quo loco Galen. inquit, intemperiem iecinoris, atque etiam cuiuſque alterius viſceris, vel eſſe poſſe cum ἀτονίᾳ ſeu imbecillitate viſceris, vel cum eius robore. Si fuerit cum imbecillitate, fit mollis, quia cum non poſſit attrahere, neque retinere humiditates, demittit eas in inteſtina, quæ deinde fœces humectando ſolutam reddunt aluum. Si vero fuerit, cum robore viſceris, aluus non ſoluitur. Sed pace Galeni dixerim vix intelligere hoc poſſum, quomodo viſcus intemperie laborans, poſſit eſſe validum: quia Galenus ſcribit, imbecillitatem partis oriri ab intemperie, cum facultas collocata eſt in optimo temperamento partium. Quapropter multo ſatius eſt dicere duplici de cauſa hoc accidere: vno modo, inflammationem aut eſſe puram, aut impuram. Si ſit pura à ſanguine, facit aluum ſiccam. Si non ſit pura, ſed eryſipelacea, facit alui fluxum: quia cum humores biliofi abundent, plane depulſi ad inteſtina, faciunt aluum mollem. Poſſumus etiam dicere, intemperiem eſſe inſignem vel mediocrem: Si mediocris, abſumit duntaxat humiditates: ſi inſignis, colliquat & facit alui fluxum.

Addit poſtremo, non iudicari hanc febrem, niſi liuor fiat pudendi, aut dolor coxæ. Subiungit, tenſionem genitalis eſſe iudicatorium. Quod ad dolorem coxæ attinet, Hippocr. intelligit dolores articulares, vt ex multis eius libris & locis conicere vnuſquiſque veſtrum facile potuit: quia ſicuti articulus coxæ eſt articulorũ omnium maximus; ita quoq; dolor coxendicis ſolet eſſe omnium dolorum grauiſſimus. Sed quid facit hoc loco? Quaſi velit dicere, non iudicari hunc morbum, niſi dolor articularis fiat, hoc eſt, iudicari etiam per dolorem articularem. Hoc fit duplici de cauſa: Primum, quia articuli coxæ, ſunt partes imbecillæ, & mos eſt ipſi naturæ, vbi facit euacuationem, ſemper moliri eam ad partes debiliores. Sed eſt etiam alia ratio, quia in febre ardenti iactantur corpora propter æſtum ingentem, vnde articuli omnes maxime fatigantur. Iam propter debilitatem natiuam articulorum, & propter hunc motum, facile vt in articulos materia morbifica à natura depellatur.

In febre ardente legitimã non poteſt fieri dolor articulorum: quia dolor articulorum, vt ſcribit Hippocr. fit à miſcella bilis & pituitæ, illa huius eſt vehiculum. *Dolor articulorum à miſcella bilis & pituitæ.* Scribit Auerrh. 7. coll. id ſibi contigiſſe, quod ex febre ardente in morbum articularẽ inciderit. Sequitur modo, vt videamus, quomodo dicat fieri κρίσιν per liuorem & tenſionem pudendi. Hæc vox πελίωμα ſæpe vſurpata ab Hippoc. ſignificat maculam modo liuidam, modo nigram, ex affuſione ſanguinis impuri, & corrupti: & fit, non ſecus atq; vibices. *πελίωμα quid?* Tenſio autem pudendi diuerſa eſt, propter humores collectos ſubtus cutim, atq; in tumorẽ eleuatos. Dicit itaq; iudicari febres ardentes per

liuorem & tensionem pudendi: cuius prima est ratio communior, quod inter pectus & testes est maximus consensus. Hinc dicebat, testib. dolentib. si tussis superueniat, bonum: & econtra: & propterea inflammatione circa pulmones aut cor existente, fit vt materia nonnunquam ad testes feratur: imo vt excedat genitale, & corrumpat, quemadmodum euenit in peste illa quam Thucyd. & Lucretius describunt, in qua computruerunt genitalia, & hi seruati sunt. Addit duo verba Hippocr. ad curationem pertinentia, ῥοφήματα, ἐπισπαστικὰ δίδου, Sorbitiones attractorias dato. Arist. in lib. de arte Poetica dicebat, virtutem dictionis esse, vt sit perspicua, vt clara, vt intelligatur. Vbi autem obscura illa est, negligitur. Ob id Galen. in hac sententia hæsit. Nam cum opus habeat febris ardens refrigerantibus & detergentibus, quemadmodum oxymel est & ptisana, non possumus dare attractoria. Neq; per hæc medicamenta purgantia possumus intelligere, quæ nunquam sorbitionis nomine appellata fuerunt antiquitus, cum pro sorbitione intellexerunt semper ea quæ alimenti ratione offerebantur, vt Hippocrat. lib. de att. vet. docet. Cœl. Aurel. cibum sorbilem transferebat. Aliqui etiam existimarunt, per sorbitiones attractorias medicamenta purgantia intellexisse Hippoc. quia sæpe visuenit, vt sorbendo medicamenta purgantia capiantur. Veruntamen sum ego alterius sententiæ a Galeno & aliis, scilicet hisce tribus aliqua vtilissima & contemplatione digna proposuisse nobis Hippocratem, perinde ac si dicat Sorbitiones, attractoria dato, vt scissura interponatur: quasi dicat, vtere sorbitionibus, vtere attractoriis. Dixerat Hippocrates in declarando causo vero duo, non esse dandas sorbitiones, nisi transacta iudicatione: Alterum purgandum esse corpus lacte asinino, cocto, copioso: Ergo Hippocrates breuitatis amantissimus supponens aliam debere esse medendi rationem, duo tamen voluit nos docere in quibus differt curatio causi legitimi & spurii, cibos, & medicamenta: quia cum legitima celeriter finiatur, voluit differendum cibum, sorbitiones, donec transeat iudicatio. In hac febre cum opus habeat alimento incidente & detergente, & iudicatio est remotio que sorbitiones commendat. In alio differt curatio vtriusque, in medicamentorum administratione, quia febris ardens vera, vt audiuistis, minime eget, calidis & acribus, sed blandis vt lacte asinino cocto, copioso: eo quia cum fiat a calidissimo humore, læditur magis ab illis. Secus autem est in causo ne spurio, quæ cum fit a pituita salsa, detergeri, & euacuari debet. Quod fieri nequit, nisi medicamentis validis. Quapropter iure inquit Hippoc. dato attractoria, hoc est, talia qualia prohibentur in febre ardente vera, & quod hoc sit verum, videte Hippoc. 3. de morb. interdum proposuit prouocantia vehementer vrinam, nonnunquam ea quæ aluum vehementer mouent.

Inter pectus & testes, ab dictus consensus.

Quot sint sorbitiones attractoria Hippocr.

Τὰ δὲ ὀξέα πάθεα φλεβοτομήσεις.

In acutis morbis venam secabis, si vehemens.

SI nulla est sententia in tota medicinæ facultate, quæ magni est momenti in medicina facienda, est hæc, quam hodie interpretandam habemus, in qua maxime Hipp. docet rationem capiendi indicationes sanguinem mittendi: negotium q; non solum est vtilissimum, sed antiquitus & nostro æno non parum disputatum. Est itaque sententia Hippocratis hæc. In morbis acutis secabis venam, si morbus sit magnus, si æger sit in ætate consistente, & si vires constent. Interpretans Galen. hanc sententiam, quærit primum, cur Hippocr. meminerit duntaxat morborum acutorum, quasi vero etiam in diuturnis morbis non sit sanguis mittendus, cum tamen certissimum est in plerisque necesse esse sanguinem mittere. Respondet Galen. Propterea duntaxat morborum acutorum meminisse, quia tractatio vniuersa instituta erat de morbis acutis, non erat autem necesse de diuturnis sermonem miscere; puto ego alios morbos acutos esse simpliciter, alios per acutos, nonnullos acutissimos, aliquando etiam ad quadragesimum diem vsque peruenire, ita vt sub acutorum nomine, etiam diuturni complectantur.

Morbi acuti etiam ad 40. diem excurrunt.

Character

Character morborum acutorum est, vt celerrime transeant vniuersa tempora, hoc est, principium, augmētum, statum, & declarationem, & vt sint periculosi. Veruntamen etsi morbus aliquis reperiatur, qui minime habeat hos duos characteres, sed alterum tantum, solet quoq; nuncupari acutus. Sed si sic capere oportet morbum acutum, cur est, quod Hippoc. diuturnorum non meminit? Quia (vt dixi parum ante) hac voce complectitur etiam diuturnos qui etiam acuti appellati sunt, atq; ad 40. diem peruenerunt. Sed cur dicit, in morbis acutis si morbus sit magnus, Gal. 2. aph. 23. disertissimis verbis scribit, omnes morbos acutos esse magnos. Si omnes morbi acuti sunt magni, quomodo ergo dicit, in morbis acutis venam secabis, si morbus sit magnus. Respondeo reperiri aliquos morbos celeres, qui nō sunt magni. Quod autem hoc verum sit, videte Hippoc. & Galen. 3. in 6. epid. prope finem, vbi loquens Hippoc. & Galen. de pleuritide quæ fit à sanguine, inquit, in huiusmodi pleuritide non esse necessarium mittere sanguinem, quia non est morbus magnus, est mitis, benignus. Veruntamen quis negabit vllam pleuritidem reperiri, quæ non sit magnus morbus? Galen. loquitur de vere acutis, qui habent hūc characterem, vt sint celeris motus, & pernitiosissimi: pleuritis quæ à sanguine originem sumit, mirissima est, etsi celer.

Superest vt videamus, quis sit morbus magnus: vtrum hi sint veri scopi mittendi sanguinem: & postremo cur addit ætatis robur, cum omnes illi, qui sunt in vigore ætatis suæ, sint robusti. Circa primum Galen. interpretans hanc sententiam inquit, nihil referre vtrum dicamus morbum esse vehementem, vel magnum, quasi idem sint. Nam Galen. 4. meth. cap. 6. loquens de vehementi morbo & forti, inquit, tria esse genera morborum vehementium.

Aliud enim est genus, quod accipitur à principatu partis affectæ. Si enim cerebrum vel cor aut hepar fuerit affectū, ratione principis partis affectæ, morbus merito magnus appellatur. Dicitur etiam morbus magnus, propter magnitudinem symptomatū, qua ratione febris cum delirio & anxietate, dicitur magnus, propter magnitudinem symptomatum. Tertio modo dicuntur morbi vehementes, p̄pter prauitatem. Et hinc est quod febres omnes malignæ dicuntur fortes, propter malignitatē & prauitatem. Idem Gal. 4. meth. c. 6. proponit tres differētias morborū magnorum, prima autem est, secūdum nobilitatem & excellentiam actionis læsæ. Secundo modo dicitur morbus magnus, propter essentiā affectionis, quēmadmodum est febris ardens. Postremo, propter facultatem totius corporis læsam, vbi. n. calor seu temperamentū totius corporis sit vehemēter læsum, dicitur morbus magnus. Vnde si comparetis hæc duo, Gal. videtur idem fere dicere. Quomodo itaq; intelligendus est Hipp. quando ait, si morbus est manus. Intelligendus est morbus magnus vel vna differentia, vel pluribus, vel omnibus. Videamus modo, an vera ratio mittendi sanguinis sumatur ex his. Multa argumenta ab antiquis & modernis proponuntur in vtramq; partem; veruntamen quia hic locus non postulat, vt his diu immorer, duntaxat ex rei ipsius natura, quæ verum est κριτήριον, quid statuendum sit, demonstrabo. Dicebat Gal. in præclaro illo libello de opt. secta ad Thrasyb. Indicationem esse comprehensionem iuuantis ac lædentis citra ratiocinium & experientiam. Dixit citra ratiocinationem & experientiam, vt excludat Rationales & Empyricos. Quare accepto iuuante, lædens etiam habetur.

Magnus morbus tripliciter dicitur.

Indicatio quid.

Radix omnium indicationum accepta est à communi notione, omnia quæ in rerum natura sunt animantia, vbi læduntur à calore, ad frigus refugiunt. Vnde hoc Hippocr. oraculum, τὰ ἐναντία, τῶν ἐναντίων ἐστὶ ἰήματα. Contraria, inquam, contrariorum sunt remedia. Cur medicus ad iuuantia proficiscitur? Quia sunt aliqua in corpore, quæ lædunt. Quæ sunt ea quæ lædunt? Affectus & ipsorum causæ symptomata sunt effectus læsionum; morbi sunt qui lædunt, & morborum causæ. Itaq; vera ratio & radix ipsa inueniendorum remediorum sumitur à morbo & causa morbi. Proprerea videtis, quantopere fallantur illi, qui existimant indicationes duci ab ætate, à virium robore, quia hæc naturalia sunt, & à lædente omnis desumitur

Cōtrarietas radix omniū indicationū

recte indicatio. Sit itaque hoc constitutum, quod remedia & indicationes eorum ducuntur à morbo, aut ab ipsa causa lædente. Vt aũt reperiamus verã rationem inueniẽdi indicationis mittendi sanguinis, ad naturam huius remedii est veniendũ. Est magnum remedium, & quia remedium indicatur à causa lædente magnum remedium indicatur à magno morbo. Ergo magna cũ ratione dicit Hipp. si morbus sit magnus: quia videbat veram rationem, qua indicatur magnum remedium. Sed videndum est, quidnam sit hoc magnum remedium. Est euacuatio sanguinis. Ergo indicatur à maximo morbo qui est cum vitio sanguinis. Si cum vitio sanguinis, quomodo vitiatur? Non in prædicamento substantiæ, quia statim moreretur animal, sed in quãtitate qualitate, & motu. Itaq; vbi sanguis vitiatus est copia, qualitate vel motu, semper indicatur missio sanguinis. Quare longe falluntur, qui à plenitudinẽ sola putãt hauriri rationem & inductionem mittendi sanguinis. Nam in qual, mutata, indicatur, vt in febre ardente, tum si in motu sit vitium, ad cohibendum & reuellendum impetum sanguinis quemadmodum fit in vulneribus. Sed cur sit vt ab ætate & robore atque consuetudine aliisq; indicationem sumendam nonnunquam suadent Hippocr. & Galenus? Debetis animaduertere hoc nomine indicationis quandoque Medicos abuti, ad significandos scopos, quia

Scopus quid. scopus dicitur proprie illud, in quo dirigitur acies oculorum iaculantis, sic scopi sunt illæ res, in quas dirigitur intellectus Medicorum. Itaque illi non sunt indicantia, nisi vbi lædunt: siquidem non satis est scire quod sanguis est mittẽdus, quia morbus est magnus, sed oportet animaduertere proprietatem indiuidualem ætatem, robur & alia. Sed si hoc verum est, cur Hippocrates addidit ætatis robur? Fecit hoc Hippocr. maxima cum ratione, quia non semper in ætate vigente sunt ita robustæ, vt sustinere possint magnum remedium. Nam vt Cels. lib. 2. aphot. 20. dicebat, sæpe robustior est senex quam sit iuuenis, & propterea facilius fert venæ sectionem: Nam si corpore laxo, albo, sine pilis, si vixerit cibis delicatis, etiam in ætate vigente non habet robur. Sed quid dicemus de ætate puerili, vtrum sit hic sco-

An aliquãdo pueris secanda vena. pus sufficiens, vt auertat quandoque Medicum à magno morbo? Sunt aliqui qui existimant hanc ætatem puerilem omnino esse ex iis, quæ prohibent sanguinis missionem, & ducuntur authoritate Galeni, qui lib. de curand. rat. per ven. sect. cap. 9. & 13. nec non 11. meth. cap. 14. & 13. meth. cap. 11. vbi monet clarissimis verbis, ne secetur vena ante decimumquartum annum: imo neque statim post decimumquartum annum, nisi sit robustus, atque calor & color vigent florentque. Sed alia ex parte non desunt rationes neque authoritates. Ratio hoc videtur persuadere, etiam pueris secandam esse venam, quia Medicus debet imitari naturam semper bene operantem. Iam vero non raro visuenit, vt pueri à febre magna liberentur solo sanguinis è naribus fluxu. Quare si hoc facit natura, & recte facit, cur Medicus non debet imitari naturam? Præter hanc rationem sunt plurimæ authoritates, & præ cæteris est elegantissimi Celsi, qui lib. 2. cap. 10. dicit, recentiores etiam consueuisse venam secare pueris. Paul. Ægineta lib. 6. c. 40. etiam si morbus magnus, & vitio sanguinis sit factus, atque vires constent. Rhas. lib. 4. commen. 2. Auenz. 7. coll. cap. 3. narrat Medicum expertissimum filio trium annorum misisse sanguinẽ. Apud Hispanos & Ægyptios hoc est vulgatissimum.

Mittendi sanguinis varii modi. Mitti sanguis potest plurimis modis, quoad instrumentum, locum, & quantitatem. Quoad instrumentum, cucurbitulis, hirudinibus. His possunt medici tuto vti: imo soleo ego in pueris quatuor vel quinque mensium bis ipsis aliquando felicirer vti: & quod ad locum attinet, in cruribus & natibus appicari iubeo. Sed pauca quantitas sanguinis educitur. Secanda vero vena est cubiti, vbi summa postulat necessitas. Veteres atque etiam tempore Galeni, erant assueti copiosissimum sanguinem mittere, & minor copia erat decem vnciatum cotyla. Quod si pueris mitteretur sanguis ad vncias decem, profecto iugularentur.

ἢν μὲν ἐν συνάγχῃ ἐσῇ, καὶ ἐκλεικτοῖσιν.

Si itaque angina fuerit aut quidpiam aliud ex pleuriticis malis ecligmate vtere, &c.

VT tota hæc dictio vtilis & perspicua euadat, partiendam esse puto in duas partes; quarum altera est, quod si angina proponatur aut aliquod malum pleuriticum, ecligmatis delinctu repurgato: secunda, si autem vires fuerint imbecillæ ob largam sanguinis missionem, clystere vtendum est.

Vt autem præcepta vtilia ex vtraque vobis comparetis ad medicinam faciendam. Primum videre oportet, an hæc sententia sit dogma, & veluti aphorismus, an potius habeat connexionem cum superioribus. Aliqui interpretes existimarunt, cōnectendam esse cum superioribus, quasi de sectione venæ egerit in omnib. morbis acutis vniuersaliter. Nunc autem exemplum addat de angina, morbo acutiss. Est quidem verosimile; sed cum Hippoc. nihil meminit de sanguinis missione, sed duntaxat supponit, satius est dicere, principaliter tractare de angina. Et quanquā eius, neq; naturam, neq; causas explicat, mox tractabit fusius. Videamus autē quæ in vnaquaq; particula sunt annotanda. Inprimis illud sciatis oportet, anginam nihil aliud esse, quam inflammationem internam vel externam partium attinentiū ad fauces. *Angina quid.* Vnde si recte examinemus generationē anginæ, valde assimilatur pleuritidi, & propterea dicit, si quidpiam aliud ex pleuriticis malis, quasi velit quoq; anginam esse pleuriticum malum. Nam multæ sunt similitudines inter vtrumq;: inflammatio, partium spiritualium offensio, est eadem fere vtriusq; curatio, ecligmate s. præterea dicebat Hippo. 5. aph. 10. anginam facile conuerti in peripneumoniā aut pleuritidem. Ecligmate curantur ea, quæ sunt in pectore, vomitu, quæ in ventriculo: clystere, quæ in intestinis: quæ in sima parte hepatis, per aluum; quæ in gibba, per vrinam. Quapropter in omnib. his pectoris malis, debet Medicus maxime studere, vt tussis si non adest, suscitetur. Quomodo tussis excitatur? per ecligmata: Et idcirco iure dicit, si angina fuerit, aut quodpiam aliud ex pleuriticis malis, ecligmate curato. Sequitur secunda pars, in qua quot verba, tot pene sunt oracula. Primum. n. inquit, si ob largā sanguinis missionem vires fuerint debiles, clystere vtendum est. Hic dignū est inquisitione, cur Hipp. supponit euacuationem sanguinis, & largam. Angina est morbus acutissimus. Quis ergo non videt superuacaneū esse præceptum dare de secanda vena in angina? Post copiosam sanguinis missonē ait Hipp. quia si vllus est morbus, in quo necesse sanguinem mittere copiosissimū, est angina, quia in hac periculū est suffocationis, quā optime auertit venæ sectio. Nam ratio, cur suffocationis metus est, ea reuera mea sententia habenda, quia venæ loci affecti magnopere tumet, euacuatio sanguinis exigua, multū abest, vt possit celerrime exinanire vasa, etiā remota. Quare videtis quā prudenter Hippo. supponat euacuationē sanguinis copiosam. Sequitur Hippo. si vires debiles sint. Quod vires fiāt debiles, ex larga sanguinis missione, manifestissimū est, calore spiritibusq; euacuatis. Hoc quidem perspectissimū est, sed illud plane dubiū manet, quomodo dicat loco eclegmatis clystere esse vtendum, & existentib. virib: imbecillibus propter sanguinis missionē. Oritur præterea alia dubitatio, quomodo Hipp. nunc clystere vtatur virib. existentib. imbecillibus, cum idem et Hipp. huius lib. c. 45. inquit, glāde vtendū, non clystere. *Clyster quomodo eclegmatis loco sit.* Circa hanc difficultatē est dicendū, vires imbecillas reddi à morbo, vel a causa externa. Vbi vires fiūt debiles a morbo, quacunq; de causa maxime atterūtur, & glāde est vtendū: vbi vero ob aliquod accidens, nō adeo frāguntur, & vtendū est clystere. Sed maius dubiū est, qua ratione loco eclegmatis præcipiat Hipp. vtendū esse clystere. *An clyster euacuet prauitatē sanguinis ex toto corpore.* Nam Gal. interpretans hanc partē, inquit, hūc scriptorē vsum esse sect. venæ ad euacuandā plenitudinē totius corporis; vti postmodū clystere, ad euacuandā prauā materiā totius corporis: ex quo videtur voluisse, clysterē euacuare cacochymiā totius corporis. Idē 6. de med. loc. c. 1. videtur cēsuisse, vbi dicit clysteres locū sect. venæ supplere, imo dicit cōuenire clysteres siue corpus sit cacochymicū, siue plethoricū. Idem Gal. 2. de med. loc. c. 2. dicit clysteres euacuare etiam proximas partes hepatis.

Adeo vt existimarit cum Hippocrate posse clysteres euacuare vniuersum corpus, Sed contra hanc sententiam est ipse Galen.5.meth. cap.11. vbi dicit clysteres nunquam ascendere ad superiora intestina. Præterea Oribas. author celeberrimus 8.coll.cap.24. scribit & ipse clysteribus nunquam euacuare Medicum & quæ sunt supra colum intestinum. Præterea Auerrh.7. coll. cap.1. loquens de vsu clysteris, tum, inquit, vti debere Medicum clystere, quando sola intestina sunt euacuanda In hac non leui, atque vtilissima difficultate vt resoluti esse possitis, puto medicamenta euacuantia dupliciter posse considerari, vel vt euacuant solum, vel vt euacuando etiam reuellunt. Si euacuant solum clysteres, nunquam ascendunt naturaliter & ordinate supra solum intestinum.

Si consideremus, vt euacuando reuellunt, plane dici potest, euacuare vniuersum corpus, supplere vicem venæ sectionis, & purgationis. Quomodo hoc facit? vbi intestina sunt exinanita natura conatur materiam ad illa propellere, & confestim liberat partem obsessam, euacuat totũ corpus, atq; hac de causa 2. de med.loc. cap.2. dicebat in suffocationibus nihil perinde iuuare ac clysteres, ad euacuandum totum, scilicet, & diuertendos humores ad partes infernas. Sed dubitari possit quomodo dicat supplere clysteres locum ecligmatum. Nam Galen. lib. 6. de loc. aff. cap.4. loqnens de variis euacuationibus, dixit, alias esse euacuationes ordinarias & naturales, alias inordinatas: ordinaria naturalisq; est euacuatio, vt vomitus ventriculi, clyster intestinorũ ecligma pectoris: non ordinata, vt si ea quæ in pectore sunt, per aluum, aut vrinam. Gal. dicit, vt hæc euacuatio fiat, necesse esse, vt sensim pus in sinistrum ventriculum cordis vergat, & quæ deinceps apud illum legere potestis. Sed cum dicit Arist.3. de vs. part. cap.4. eos nihil præter naturam pati posse, imo nullius rei præter naturæ viciniam, quomodo ergo fieri potest, vt pus sinistrum cordis ventriculum ingrediatur? Quare satius est vt confugiamus ad diuini nostri senis oraculum, naturam sibi parare vias incognitas ad expurgãdum corpus, & sanum conseruandum. Quare dicimus pro ecligmate clysteribus vti, ad irritandam & inuitandam naturam, vt moliatur sibi vias arcanas. Addit Hippocr. vtendum esse clysteribus, donec æger in tuto fit. Hoc etiam maxima ratione facit. Dicebat idem Hippocr.5. aph.10. in peripneumoniam & pleuritidem conuerti: ex quo fit vt sæpenumero decipiantur Medici, qui videntes anginam esse mitigatam, credunt rem saluam esse: & propterea Medici isti imprudenes, & inconsulti, solẽt relaxare habenas ægrorum: Hippoc. ramen vult semper vtendum esse clystere donec non solum sit mitigata angina, sed periculum nullum sit reliquum, ne in alium morbum conuertatur. Sed cur dixit tertia quaq; die? Quia dixerat vires esse debiles, clyster quotidie iniectus, nimis debilitaret: quanquam euacuaretur pars humoris praui, vires tamen ferre non possunt, incõmodum. Est etiam alia ratio, quia Hippoc.4. de morb. dicebat, tertia quaq; die exire hominibus sanis excrementa. Itaq; vt significaret nobis hunc morem naturæ, dicit tertia quaq; die clystere vtendum esse. Subrexit postremo, & donec æger fame egeat. Cur nõ dicit cibo? Quod vt intelligatis, duo sunt supponenda; vnum est, in morbis acutis, donec in vigore, sunt, non opus esse cibo neque etiam fame quæ est receptissima omnium Medicorum regula: in declinatione autem vtroq; opus est, & præsertim fame. Deinde cibus sumitur cum appetitu, & sine appetitu. Hic nihil alit, ille complectitur à stomacho, iecore, venisq;, conuerrirurq; in sanguinem, & substãtiam nostri corporis. Videamus ergo quid dicat Hippocr. Dicit illi vtendum clysteribus, donec fame egear, id est, ali possit. Nam si alimentum non potest bene assimilari, nisi appetatur, certissimum est, vbi opus est alimento? tunc opus esse appetentia, & quando opus est alimento. In declinatione, quia reficere vires oportet. Alioqui nisi appetant ægri, nihil proficit. Et cur vult, vt clystere vsque ad illud tempus vtamur? Quia cum perturbant clysteres, vitiant appetentiam.

Natura vias etiam incognitas sæpe molitur ad noxarum expulsionem.

Fame egere, quid sit Hippocr.

φλεγμαίνοντα ὑποχόνδρια μὴ.
Inflammata hypochondria non ex spirituum.

DVM spectο præsentis dictionis vtilitatem, atq; etiam grauitatem facere non possum, quin existimē, hanc doctrinam, ex Hippocr. officina emanasse. Nam si quidpiam est in tota arte medica, quod maxime est in vsu, & magnum negotium facessit, est hæc Hipp. oratio. Verum enimuero vt connexū videatis huius cum superiorib. meminisse debetis, remedia indicari ab ipso morbo: magna, à morbo magno: & remediorum magnorum duo esse genera, venæ sectionem & purgationē. Vbi sanguis vitiosus est, indicatur remedium magnum, venæ sectio: vbi praui & tetri vapores dominantur, purgatio. Sed sæpe fit vt in vno eodemq; ægro significetur venæ sectio, & purgatio. In hoc negotio, quia requiritur iudicium Medici, eapropter docet Hippocrates, quid agendum sit, quando vtroq; remedio opus est, à quo incipere quisque debet: doctrina hodierno die maxime controuersa. Quid itaque Hippocr. vult nos docere in præsenti dictione, est? quod vbi solum sectio venæ indicatur, certissimum est quid sit agendum, quia tunc statim sanguis est mittendus. Sed si venæ sectione & purgatione est opus, in his casibus fieri non posse vt soluatur morbus, nisi prius mittatur sanguis. Misso sanguine, clystere vtendum est, nisi morbus sit magnus. Certissimum est, misso sanguine morbum, aut ademptū, aut imminutum iri: si ademptus sit, clystere vtendum, præcipit tertia quaque die: si misso sanguine morbus adhuc perseueret, inquit purgandum, sed mediocriter, & tuto. Videte quanti sit momenti: & propterea non contentus claram fecisse Hippocr. orationem, operæpretium puto, vt singula pensitemus, & eo maxime, q; Hippoc. multa exempla adfert, in quibus prius venam secare conuenit, quam purgare. Sed antequam hoc negotium aggrediar, duo pertinentia ad hanc rem sunt vobis æterna memoria complectenda. Primum est, nonnullos, colligere, nunquam licere ante venæ sectionem vti purgatione. Verum hæc sententia neque est accommodata orationi & sententiæ Hippocratis, neque etiam vsui & rationi consentit. Primum enim repugnat menti Hippocrates, quia non dicit in omnibus morbis acutis inchoandum esse à venæ sectione, sed in aliquibus, in inflammatione hypochondriorum sine flatu, septi transuersi tensione & aliis. Præter multas quoque rationes, quas in medium possem adducere, est etiam authoritas ipsius Auerrho. quod 7. coll. cap. 1. inquit, non esse secandam venam, nisi prius mundificetur corpus, ne venæ exinanitæ, attrahant in se succos crudos, qui non solum augent morbum, sed corrumpunt intemperiem. Ex quo non raro mors sequitur. Atque hinc pendet lis illa immortalis, vtrum lenientibus initio sit vtendum. Sed hac in re opus est iudicio, & alias tractabimus, acurate quantum fieri potest. Aliud examinandum est, ucr Hippocrates in afferendis exemplis eorum morborum, in quibus prius vena secanda, quam purgandum, non meminit inflammationis cerebri, sed duntaxat inflammationis partium infra caput.

Remedia magna duo venæ sectio, purgatio.

Quid post quod agendum.

An nunquā purgare liceat nō pregressa sectione venæ.

Neque hoc puto scriptorem nostrum sine ratione fecisse: quam vt intelligatis, operæpretium est, vt sciatis, cur inflammationibus necesse sit mittere sanguinem: Nam in omnibus inflammationibus solent Medici mittere sanguinem. Prima ratio est, quia vbi pars aliqua est inflammata, habet calorem immoderatum, & dolorem. Vterque trahit & inuitat naturam ad succurrendum ipsis partibus inflammatis, quo fit vt præcipitetur in partem inflammatam plurimus sanguis, qui inflammationem auget, & dolorem. Itaque in principio inflammationis vena est secanda, ad compescendum impetum naturæ mittentis sanguinem ad partem inflammatam.

Hoc ita sese habente, videre facile possumus, multo minus esse metuendum, in capite; quia tametsi inflammatio sit in capite, nihilominus solemus tardius mittere sanguinem, quia hic non ita celerrime, & magno cum impetu fertur ad caput.

Opthalmia fluxu alui curatur. Et natura ophthalmiam (vt in aph. Hippoc. scriptum habemus) fluxu alui curat, scilicet, quia multo satius est inchoare à purgatione in inflammatione capitis, quam a venæ sectione. An tamen nunquam a venæ sectione est inchoandum? Sed hoc non ita est perpetuum, & necessarium, quemadmodum in inflammationibus partium inferiorum. Examinemus primum morbum, in quo mittēdus est sanguis prius quam purgatio instituatur. Est is inflammatio & contentio hypochondriorum quæ non fit à flatu. Galen. exponens hanc particulam magnopere dubitat, quidnam velit intelligere per inflammationem hypochondriorum sine flatu, quia vbi in aliqua parte est incendium, fieri non potest, vt adsit flatus, quia consumitur a magno æstu, non secus atq; fumus nullus est in alto incendio. Præterea etiam si adesset flatus, vbi est inflāmatio, certissimum est inchoandum prius a venæ sectione. His rationibus existimauit pro inflammatis & intensis hypochondriis sine flatu nihil aliud intelligere voluisse, quam ipsa hypochondria pure tumentia: quasi dicat, quod vbi hypochondria sunt pure tumentia cum flatu, non esse secandam venam, sed duntaxat vbi sine flatu. Alii grauissimi interpretes, existimarunt sine flatu addidisse, ex modo loquendi vulgarium. Vulgus enim inflammata hypochōdria tumentia appellat. Sed non possum credere Hippocr. voluisse sectari morem loquēdi vulgarem in negotio grauissimo. Et propterea pro inflammationib. hypochondriorum a flatu, puto ego intelligere omnes eas inflammationes quæ originē habuerint a flatu. Nam vt 2. epid. dicebat Hippo. Medicus non solum spectare debet occasionem, sed & occasionis initium. Hinc spectandum diligenter, vtrum inflammationes habeant occasionem a flatu, necne: Si enim habeant occasionem a flatu, minime inchoandum est à venæ sectione, sed a purgatione. Si vero sine flatu fuerint, a venæ sectione auspicanda est curatio, prius quam a purgatione. Sed videamus iam vtrum aliquæ inflāmationes habeant originē a flatu, & an in his prius sit purgandum. Quod autem fiant quandoq; inflammationes a flatu, præter quotidiana experimenta; habetis authoritatem Hipp. qui lib. 2. de morb. acut. in pleuritide a flatu, discutientibus vtendum præcipit, ne perseuerans dolor faciat veram inflammationem, si flatus nō discutiantur. Dolore descendente ad hypochōdria, purgandum esse corpus monet. Quapropter colligitur nonnunquam inflammationes a flatu originem sumere. *An à flatu quædam inflammationes fieri queant.* Sed cur inflammationibus est purgandum prius, dein' sanguis est mittendus? Quia vbi permanet flatus, non alia ratione est hoc faciendum, quam quia permanet perpetuo minera in corpore, & dolor perseuerat, atq; continuo augetur malum. Itaq; minera est eximenda è corpore, vt etiam flatus eximantur. Iam videtis apertissime, quare in his affectibus est purgandum. Addit tamen Hippocr. purgandum esse blandissime. Pergit Hippocr. enumerare secundum morbi genus, & est ipsi transuersi intensio, & spiritus interceptio in ortopnœa sicca. Quod in septi trāsuersi intensione est prius sanguis mittendus, est dogma perpetuum in medicina, & est etiam rationi consentaneum, quia cum septū transuersum sit in perpetuo motu, ratione huius perpetui motus fit, vt cōtinua attractio fiat ad septum transuersum, nisi cito occurratur sectione venæ, & reuulsione sanguinis, qui magno cum impetu ad partem affectam fertur. Eapropter etiam si in his casibus adesset cacochymia, tamen maior est indicatio à periculo imminēre ab inflammatione. Imo vero addit, solui non posse prius quam secetur vena. Sed quæ sunt spiritus interpretationes ortopnœæ siccæ, in quibus prius vena secari debet, quā purgatio instituatur. Hac in re multi dicunt, veruntamen puto ego vnum & eundem effectum, scilicet ortopnœam, quæ cum cruda sit, magnam anhelandi difficultatem parit; in hac vult statim mitti sanguinem. Vbi autem materia reperitur, quæ sit similis puri crassa & viscida, non habet opus venæ sectione, sed expurgatione. Et propterea dicit, non cum pure, sed quando sicca est, hoc est, in initio, tum mittendus est sanguis: quia cum materia cōtinetur in pectore, nullo pacto potest medicamento benigno, vel vehementi, educi, tum quia cruda est; tum quia est in loco, vnde medicamenta nihil possunt educere. Mittere sanguinem etiam cum

materia est cruda conuenit, quia euacuatis vasis organa spiritualia amplius habent spatium, & liberiora euadunt, vnde facilis fit respiratio. Addit Hippocrates grauitates & dolores lienis, & iecoris. Cur Hippoc. loquens de iecore & liene, non vtitur inflammationis nomine, sed duntaxat doloris & grauitatis? Magna etiam cum ratione hoc facit, quia cum iecur & lien sint παρεγχύματα, hoc est, affusiones sanguinis, & partes admodum corpulentæ crassæ, vix patiuntur incendium quemadmodum aliæ partes. Dolor proprius harum partium est grauatiuus, idcirco vbi tument iecur & lien, sensu potius grauatiuo, quam vlceroso vel phlegmonoso laborant. Vnde ad iudicandam inflammationem horum viscerum, delectatus est vti potius voce proprio grauitatis & doloris. Inquit igitur in huiusmodi inflammatione, vbi sanguis missus est, videndũ est, an remaneat, an vero imminutus sit magis morbus. Si præsens adhuc sit, inquit purgandum, sed moderate, tuto. Si ex toto ablatus sit, sufficere clysterem, tertia quaque die. Sed hoc in loco tria breuiter sunt examinanda. Vnum est, cur neget in morbo magno clysteres. Præterea non videtur rationi consentaneum, vt adhibeatur in inflammationibus hypochondriorũ purgatio, quia Hippocr. lib. de purgat. med. & Galen. lib. quos & quando purg. opt. docuerunt, in morbis acutis non esse vtendum purgantibus medicamentis, quia calida sunt, & morbi acuti æstu flagrantia corpora nunquam non relinquunt. Præterea quid significant illa verba, moderate & tuto. Tuto in morbis acutis vix purgare licet. Quantum attinet ad clysteres, Hippoc. non negat horum vsum, sed dicit, vbi morbus est magnus, non debere esse cõtentum hoc remedio, sed accedendum ad purgantia, quia clysteres non ascendunt ad colum intestinum, purgãt modo fœces. Et propterea in magno morbo, vbi magno remedio est opus, vtendum est medicamento purgante. Vbi vero non est morbus magnus, satis est clyster. Sed quare tertia quoq; die. Non solum, quia natura tertia die conatur deponere fere semper excrementa, vt Hippoc. lib. de morb. testatur, sed ne ægri ex frequenti illorum vsu defatigentur. Ad aliud dicendum, vtendum esse purgantibus medicamẽtis, sed illis, de quibus ante sermonem habuit, lacte asinino, & similibus, quæ calida non sunt, & vehementer blanda ab omnibus merito habentur. Et puto aliquos vestrum obseruasse, me in febrib. ardentibus semper fœlicissime sero caprino vti solitum. Et hoc etiam Hippocr. monet nos, cum inquit, tuto faciendam esse purgationem, ac si velit, vt abstineamus à medicamentis excellenter purgantibus & calefacientibus.

Viscerũ quis proprie dolor

ὁκόσοι δὲ τὸ φλεγμαίνοντα ἐν ἀρχῇ.

Quicunq; autem statim per initia morborum.

QVÆ sit præsentis diuisionis cum superiori connexio, apertissimum est: quandoquidem cum Hippoc. docuerit in superioribus, interdum vsu venire, vt in inflammationib. sit opus venæ sectione, & purgatione, ac fieri debet, vt semper venæ sectio purgationem antecedat, in præsenti dictione vult Hippocrates, quod dixerat, summa demonstratione constituere; quæ est huiusmodi; vbi à parte affecta nihil peccantis humoris educi potest, minime purgare oportet: sed in inflammationibus incipientibus nihil a parte inflammata purgatione potest educi: ergo sequitur in principio inflammationum non esse purgandum. Probat minorẽ Hipp. hac ratione. Natura vbi bonum & malum simul sunt mixta, semper vtraq; hæc retinet, sed in initio inflammationis semper boni humores mixti sunt malis: ergo sequitur, nullo pacto medicamenta posse educere humores prauos in principio inflammationum: quod autem praui humores retinentur a natura, cõpertissimũ est, quia natura si maxime curiosa & solicita, conatur semper retinere bonos suos ad sui nutritionẽ & conseruationẽ. Quapropter iã videtis, quare in initio inflãmationis nihil educi põt. Præter minorẽ ꝑtioris argumẽti, ꝓbat etiã maiorẽ, & euidẽtissima ratiocinatione, quia tũc purgãdũ est, quãdo nihil mali timetur, sed semper aliquid boni

boni speratur: sed in initio inflammationum nihil boni sperari potest, multa vero mala. Illud probat, quia si nihil expurgatur, nihil boni fit: cur autem mala fiant probat, quia ex importuna medicamenti purgantis exhibitione, duo mala fiunt, cum nihil peccantis humoris educatur, agitatum vero turbatumq; corpus, imbecille est redditum. Præterea corpora purgata importune contabescunt. Et hoc est quod dicit Hipp. 2. aph. corpora sana medicamentis tractata exoluuntur, quia cũ non inueniant medicamenta, humorem quem educãt, vertuntur ad partes sanas, & æque bonos quam malos succos educant, & hinc vires ruunt. Addit Hippocr. duo, quę nõ sunt sine aliqua cogitatione prætereunda. Vnum est, quod vbi corpus vincitu à morbo, debilitatur admodum, & vbi debilis est natura, vincitur à morbo, & vbi vincitur à morbo est irremediabilis, quasi dicat, vbi in inflammationibus initio importune præbentur medicamenta, mors sequitur necessario, quia vires magnam incurrunt ruinam, & morbus natura euadit superior: atque est irremediabilis. Sed duo hic sunt breuiter examinanda: vnum est, an verum sit, quod vbi morbus superat naturam, irremediabilis sit: tum, an nunquam in initio inflammationis sit purgandum. Circa primum est authoritas Arist. Hippocr. lib. de art. & Aetii cap. de elephantiasi, atq; etiam fuit sententia Aretæi cap. eodem de elephantiasi, quod, vbi morbus est maior, quam humana præsidia, necessario infirmi pereunt. Veruntamen ex alia parte apparet experientia, eos qui debiles sunt, & qui superãtur a morbo, euadere, & fuit etiam sententia ipsius Aetii, qui in morbis etiam desperatis dicit non esse neganda medicamenta, quia, vt inquit Auic. sæpe in natura etiam monstra fiunt. Dicendum aliud superare naturam, aliud est superasse. Dum natura certat cum morbo, & morbus superior est, tunc æger non est relinquendus a Medico: sed si iam vicerit, tunc irremediabiles sunt morbi, & hoc est vocabuli κεκρατημένοις significatum, quo vtitur Hippoc. lib. de art. imo addit si quispiam petat illos curare, ipsum egere curatione. Circa secundum, an verum sit in initio inflammationum nunquam esse purgandum, videtur in primis Hippocrat. voluisse quandoq; in principio inflammationum esse purgandum. Nam ante cum de pleuritide ageret, inquit, dolore ad hypochondria descendente esse purgandum. Sed præter hanc authoritatem est locus Galen. 13. Meth. cap. 21. vbi de phrenitide agens præcipit non solum corpora purgari debere, verum etiam, per superiora. Non videtur igitur firmum illud præceptum esse, quod nunquam in initio inflammationum sit purgandum. Aliqui dixerunt intelligendum esse de inflammationibus viscerum principalium, vt cerebri, pulmonis, iecoris, ventriculi. Sed hic modus respondendi non mihi placet, quia in phrenitide & pleuritide affecta patte principali vult purgandum esse. Dicendum est duplicem esse inflammationem, alia enim est vera inflammatio, alia spuria a prauis humoribus ortum ducens, aut ab his, vna cum sanguine. Si de vera inflammatione loquamur, plane in his semper inchoandum à venæ sectione: sed si de spuria loquamur, quæ coniuncta est cũ cacochymia vel fit ab ipsa cacochymia, potius à purgatione est auspicandum. Videte Galen. qui 4. huius lib. tex. 76. in pleuritide ab ipsa purgatioe inchoat curationem. Imo vero prima, secunda, tertia, quinta exhibuisse se felicissime scribit medicamentum. Sed idem 4. de comp. med. sect. de loc. cap. 2. cum loquitur de ophthalmia, purgandum monet, ex imitatione naturæ, quæ alui fluxus nonnunquam hunc morbum soluit. Amplius 14. meth. vbi loquitur de erysipelate, de cancro, tumore lienis, Galen. eo in loco inchoat potius curationem, non à venæ sectione, sed purgatione. Quapropter hoc etiam verissimum est in inflammatione spuria purgandum esse possumus etiam dicere, quod vbi fixa est inflammatio cum cacochymia, potius vena secanda: si est in motu, purgandum: vbi materia praua in motu est, turgens est, & propterea purgandum.

Importuna in inflamma tionib. medicamenta, mortem ferunt.

Τὸ δὲ

Τὸ δὲ ἄφωνον ἵνα ἐξαίφνης γένεσθαι.

Quod autem quis repente obmutescat.

SI aliqua connexio cum superioribus est afferenda, est; quod Hippocrat. pergit dare exempla, quomodo in morbis acutis sit vena secanda, sed vt libere dicam, credo ego non connecti cum superioribus eo, quia hæc sententia est separata, & hic liber est cũsarcinatus instar librorum qui epidemici nuncupantur. Sed vtcunque sit, scire debetis tempore Hippoc. fuisse sectam corruptam, eorum, qui omnia tribuebant spiritibus, & hinc vocati sunt πνευματικοὶ. Horum Pneumaticorum frequentem & celebertimam mentionem inuenietis apud Gal. cui sectæ Athenæus, Archigenes, Magnus Asclepiades adhæserunt. Qui quibus terminis vtebantur, scriptum nobis reliquit Cassius probl. 75. lib. 1. problem. & Plutarch. in præcept. salub. Sed vt opinor, hæc secta originem duxit ab illis temporibus. Et iuratem librũ περὶ φυσῶν, hoc est, de flatibus, & hanc orationem Hipp. nomine scriptam, vnius & eiusdem authoris esse, qui πνευματικὸς fuit. Sed de ἀφωνία sequens verba sensumq; Hippocr. breuiter nunc discurram. Et primum de nominis significatione. Ἀφωνία, nihil aliud significat, quam vocis priuationem. Interpretes vocis interceptionem appellant Cœlius Aurel. Afer, qui amauit luxuriem & lasciuiam verborum medicorum, appellauit silentium. Gal. in hoc comm. atq; etiam 5. aph. 5. & 6. apho. 51. docuit rem memoria dignam, apud Hipp. hoc nomen duo significare, interdũ puram & solam vocis priuationem, nonnunquam vocis ptiuationem, sed coniunctam læsionib. functionũ motricum, & voluntariarum. Iam vero huiusmodi vocis priuatio habet diuersas generationes: alio pacto secundũ Rationales medicos: alio secundum pneumaticos. Nunc tantum breuiter videbimus, quæ sit generatio huius affectus. Vbi voce homines priuantur, vel id fit, quia facultas motrix non mittitur, vel quia non recipitur. Non mittitur, quando vel cerebrum vehementer læsum est, vel quando instrumenta famulantia voci sunt læsa. Exempli gratia, in magna percussione cerebri, statim vox intercipitur, impedita facultate, aut intercipitur quãdo facultas non recipitur à mẽbris famulantib. voci, impeditis viis, aut vulneratis. Quando. s. pulmones ita implentur, vt neq; inflare, neq; efflare possint, adimitur vox. Differentia inter Pneumaticos & Rationales magna est. Nam Rationales putant per irradiationem, facultatem per vniuersum corpus effundi; quemadmodum præsente sole, calor per vniuersum aerem expãditur. Cæterũ pneumatici existimant huiusmodi facultatem distribui per vniuersum corpus mediis spiritib. qui sunt veluti vehicula eorum, vt ferantur per vniuersum corpus. Est etiã altera differentia, quia pneumatici per venas & arterias, Rationales vero per neruos ferri facultatem existimant: præterea pneumatici autumant propter coincidentiã venarũ & arteriarũ impediri huiusmodi facultatis distributionẽ; Rationales vero per incrassationem, & obstructionem neruorũ. His itaq; hunc in modum sese habentib. non est mirũ, si in docendo modo generationis aphoniæ, diuersi sint pneumatici à Rationalib. siquidẽ Rationales Medici aliã viam secuti sunt. Pneumatici, quos sequitur author in præsenti dictione, putauit fieri ἀφωνίαν, quoties venæ & arteriæ impeditæ sunt, ita vt nõ permittant ferri per corpus spiritus. Impediri dicũt, quando corruptis humorib. & inflãmatis venæ & arteriæ exsiccantur & cõniuent, ita vt non admittant spirituũ cursum. Sed quæ est causa propter quã corrumpitur sanguis? Inquit author, propter humores acres & feruentes id accidere. Sed ita vt non solũ ex ipsis locis proximis ferri putarit, sed etiã ex transmissione horũ humorum à partibus infernis ad supernas. Addit author, quandoq; etiã impediri liberũ transitũ spirituũ propter congelationem ipsius sanguinis. Cæterũ quomodo congeletur sanguis, diuersus fuit Arist. à Medicis. Arist. dicebat, propter fibras cõgelari, fibras vero conferre ad congelationẽ propter frigus. Sed hæc sententia nihil potest, quia etiã in ventriculo & pectore congelatur sanguis, quæ loca sunt calida. Verum congelatur sanguis, quando à proprio loco exit. Sententia itaq; præsens ipsius

Medici pneumatici qui.

Pneumaticorum & Dogmaticorum dissensus.

Sanguis vt congeletur. opinio Arist. et Medicorũ.

Hipp. siue authoris pneumatici, hæc est, q; vocis intereeptio fiat, quotiescúq; spiritus deferentes facultatẽ vocis effectricẽ, impediuntur: Impediuntur vero hi, quando ab acrib. ac corruptis humorib. venæ & arteriæ inflãmantur, & exiceantur, atq; conniuẽt deniq;. Sed dubium est, an etiã humores frigidi & pituitosi possint hoc impedimentũ causare, & certissimũ est posse, etiam apud Rationales Medicos. Sed differentia tamen nõ est exigua, quia Rationales medici existimant pituitosos humores impedire spirituum excursum obstructis neruis: pneumatici vero obstructis venis & arteriis. Quapropter colligere potestis causam veram & immediatam esse, humores corruptos ab acrimonia & feruore eorũ: nec non etiã humores pituitosos & frigidos. Cæterũ interna causa mediata est habitus corporis. Qui.n. habent vasa angusta, secundum pneumaticos, maxime priuationi vocis obnoxii sunt, vt est ætas: senilis, sexus fœmineus. Dicebat.n. Hipp. lib. de morb. mulie. ex recursu & restagnatione vteri ad partes supernas fieri priuatã voce, imo fieri etiã priuatas respiratione. Causa interna præter naturales mediata, est copia lumbricorum. Causæ porro externæ cõplures etiam ipsæ sunt: inprimis aũt sunt terrores, & mœstitiæ multæ. Sic etiã profundæ cogitationes, queẽadmodũ in melancholicis videre licet: Et hoc est, q; dicebat Arist. in probl. balbutiẽ & ἰχνοφωνίαν, in melancholicis facile accidere. Fiunt ẽt priuationes vocis ab ebrietate, id q; nos docuit Hip. 5. aph. 5. & lib. de morb. Sunt ẽt quædã medicamenta, quæ suapte natura faciunt ἀφωνίαν, & inter cætera est gypsus modus cognoscendi huius symptomatis est maxime facilis quia sponte intueri quisq; potest. Cæterũ causæ prout variæ sunt, ita variã significationẽ de se præbent. Externæ, solo relatu constant: Internæ vero habent opus maiore studio. Et primũ si fiat à sanguine aut pituita, cognoscetis ex iis, quæ huius aut illius copiam ostendunt: atq; ita de aliis humorib. est iudicandũ. Si per essentiã affectus negotiũ facessit, continuus est. Si per cõsensum, per interualla: q; etiam ex signis antecedentib. vt præcedẽte morbo cognoscitur. De signis ptogn. id dicendum est, q; Hipp. 5 aph. dicit, vbi quisquiam fit ἄφωνος conuulsus moritur, nisi superueniat febris aut recuperet vocem, qua die solent ebrietates solui.

φλεβοτμέειν ἐν χρὴ τὴν βραχίονα τὴν.

Secari igitur oportet brachii dextri venam internam, &c.

ἈΦωνίας remedium. PErgit Hippo. breuissimis verbis docere curationẽ illius aphoniæ, quæ fit ab humorib. quantitate peccantibus: & vnicũ duntaxat remediũ proponit, nempe, sectionẽ venæ. Est aũt sentẽtia, quã habet huiusmodi: Secare venã oportet internã dextri brachii; & spectare ætatẽ atq; habitũ corporis, vt plus vel minus auferas. Et quia verba Hipp. non sunt oscitãter pretereunda, examinemus diligentissime totã hanc dictionẽ, & primo videbimus, cur statim proponat venę sectionẽ. Deinde cur secari voluit dextri brachii venã internam. Tertio, cur spctandũ voluit ætatem, & habitũ corporis, non aũt magnitudinem morbi, & vires, quorũ meminit antea. Postremo, cur nullũ aliud remediũ pponat, præter venæ sectionẽ. Vt aũt à primo inchoemus, clarissimũ est, quemadmodũ alias docui, verã indicationẽ mittendi sanguinis, esse sumendã à copia sanguinis, lædentẽ vel læsuram qualitate. Quapropter queẽadmodũ valet vt mittatur sanguis, vbi vitiũ est in sanguine, cũ hic ageret de ea vocis interceptione quæ fit vitio sanguinis, erat consequens, vt proponeretur remediũ proprium huius vitii. Hoc aũt est missio sanguinis. Sed quare potius inquit secandã venã? Quia aduersus vitia sanguinis, etsi hirudines & cucurbitulæ aliquid polleãt, secta tamẽ vena multo intimius & plenius euacuatur sanguis. Et hinc videtis nõ absq; ratione dicere, oportere aũt venam secare, quia s. est vitium in sanguine. Secundum, q; expendendum est, quare velit secandam esse venam in dextro brachio. Hip. lib. de sacr. morbo scribit vasa omnia in dextra parte esse ampliora. Quapropter cũ audiuistis in hac ægritudine, esse sanguinẽ mittendum, & large, ex dextri brachii vena iure merito sanguinem euacuari præcipit. Sed cur potius voluit internam venam secari? Siquidem vbi est affectum caput, quemadmodum in hoc affectu est, lex Hippocratis est, vt semper seruetur rectitudo.

In aphonia cur dextri brachij vena secanda.

Vena externa directa est, magis ipsi capiti quam interna. Propter duas causas puto Hippo. hoc voluisse: prima est, quam etiam significauit nobis Galen. scilicet, quia hæc vena est amplissima, & coniungitur cum multis aliis venis amplis: Et q̃, summum est, venit immediatius ab ipsa vena caua. Atq; hoc nõ solum Medici, sed magnus etiã Arist. vidit, qui 3. de hist. anim. cap. 4. scribit, hanc venam pertundi in morbis, & præsertim vbi iecur laborat. Sed est etiã alia ratio, quoniã in hoc affectu non modo laborat caput, verumetiam maxime afficitur pectus: cum autem vena interna maxime euacuat pectus, voluit summa cum ratione hanc esse secandam. Tertio loco videndum est, cur non spectandum esse robur virium, & magnitudinẽ morbi suadet, sed solum ætatem & habitum corporis? Ratio cur hoc fecerit Hipp. est, quia certissimum est, & apud omnes compertissimum, in hac ægritudine adesse & magnitudinem morbi, & virium robur. Magnitudo morbi adest, quia læta est actio principalissima & dignissima, vt alias docui ex Galen. 4. & 7. meth. Magnitudo morbi dicitur tripliciter, & inter alia est actionis nobilissimæ læsio: vox est actio nobilissima, quia sine hac homo nihil valet. Igitur videre potestis, quanto cum iudicio velit duntaxat recensere ætatem & habitum corporis, & nullam facere mentionem magnitudinis morbi & roboris virium, quia hæc nullus non nouit, magnũ esse morbum, s. & vires constare, neq; popularia & vulgata proponere vult Hippo. Vbi est sola *ἀφωνία*, vires constant. Dicit enim Hippocr. si repente aliquis voce priuatur. Quæ verba si diligenter consideretis, facile intelligere vnusquisque vestrum poterit, vires esse robustas, quia corripitur, dum sanus est homo. Quare iure etiam tacuit virium robur. Meminit duntaxat ætatis, & habitus corporis, quia hæc duo maxime sunt spectanda in negotio hoc mittendi sanguinis. Vt audiuistis, alias duæ sunt ætates, in quibus maxime Medicus debet esse circumspectus, est puerilis vna, altera vero senilis est. Ita etiam in habitu corporis, considerando oportet esse valde accuratum, quia vbi corpora sunt laxa, flaccida, minus sanguinis mittitur, quam vbi sunt densa, vbi ætas florens, habitusq; densior, sanguis vberior mittendus, vbi puerilis vel senilis, cum habitu corporis laxiore partior. Quod autem hoc solum remedium proponat author, ea est ratio, quod aduersus vitium sanguinis in copia, nullum aliud præsidium adhibetur, quam venæ sectio, atque etiam inedia, nempe quæ sanguinem per accidens absumit. Atq; hinc est quod Hippoc. 7. epid. scribit, Androphanem quendam laborantem vocis interceptione, tandem fuisse sanatum missione sanguinis, aqua ac mulsa. Ex quibus locis colligere licet, vbi peccat sanguis, parum aut nihil alia auxilia prodesse.

Magnus morbus tripliciter dicitur.

Aphorismi XXVI. interpretatio desideratur.

ὁκόταν ἀλγήματα προσγένηται.

Cum dolores accesserint, bilis atræ, acriumq́ humorum.

Manifestissima est connexio præsentis contextus cum superioribus: quia cum Hippoc. supra tractasset generationem & curationem aphoniæ, quæ fit à sanguine, nunc consequenter tractat de ea, quæ fit à cacochymia, de qua tria breuiter docebo. Generationem, symptomata, & curationem. Modus generationis huius mali est, q̃ vbi dolores fiũt, in corpore semper maximus tumultus excitatur. Ita fit, vt vbi corpus abundat prauis humoribus, humores biliosi & acres moueãtur, moti vero in varias partes præcipitari solent, vel in venas, aut in intestina, aliquando in locos continentes. Si intestina ferantur, tormina acerbissima fiunt, si in venas, dicit author, statim corrumpi sanguinem, inflammari & exiccari venas, quo fit vt præcipiatur excursus omnib. spiritibus, & sequantur refrigationes corporis, & obtenebrationes, grauitates capitis, atq; aphoniæ, atq; hoc potissimum fit, vbi humores labuntur, iu iecur, vel venam cauam, vel in ipsum cor. Quod si humores in locos cõtinentes ferantur, inquit, fieri conuulsiones epilepsias, & paraplexias. Hæc dicit Hipp. de modo generationis huius mali, & symptomatib. Quæ sentẽtia, tametsi sit secundum Pneumaticorum placita, si tamẽ diligenter expendatur, non incõuenit

Aphoniæ generationis modus, & eiusdem symptomata.

rationalib. medicis. Primum, q; impeditis spiritibus fetri ad partes ipsas corporis, fiant refrigerationes exttemorum aphoniæ, certissimū est, siquidem cum spiritus sint vehicula caloris natiui, fit, vt vbi spiritus quieti manent, nequaquā possint trāsuehere calorem natiuum. Atq; refrigerātur: ἀφωνία inquam fit, propter prohibitū pariter spirituum excursum, quia vt Gal. scriptū reliquit 3. de loc. aff. c. 7. necesse est, vt quælibet facultas feratur per spiritus, vsq; ad spinalem medullam, & deinde per illustrationem. Eadē etiam de causa fiunt obtenebrationes, præcluso ipsis spiritib. pleno ingressu. Sed quæ est ratio cur impeditis spiritibus fiat capitis grauitas? quia veluti pondus iners relictum in ipso capite est, possumus etiam dicere, fieri capitis grauitatem, quando humores in venam cauam, iecur vel cor labuntur: quo tempore fit, vt multi vapores ferantur in caput. Sequitur Hippocrates, fieri epilepsiam, paraplexiam. Conuulsionem cum humores feruntur in locos continentes. Debetis scire fuisse dogma vetustissimum, tria esse, quib. cōstant corpora nostra, continentia, contenta & impetum facientia, (τὰ ἴσχοντα ἢ ὁρμῶντα, ἢ ἐνισχόμενα σώματα, dicit Hipp. 6. epid. sect. 8.) contenta, humores: continentia, locos cauos: atq; ēt partes solidas, impetū facientia, spiritus appellabant. Vult igitur dicere, q; vbi humores labuntur in cauitates, fieri cōuulsiones, apoplexias, paraplexias. Et hoc verissimū est, fieri paralysin, sequi hanc apoplexiā: apoplexiam vero fieri, cum humores in cauitates cerebri labuntur: epilepsiā & conuulsiones quotiescunq; iidem humores mixti flatib. in ventriculos cerebri feruntur, cerebrumq; percellunt. Videte Hipp. 6. epid. vbi dicit, melancholicos fieri epilepticos, & epilepticos melancholicos: cum in mentē vel corpus cerebri feruntur humores. Gal. 3. de loc. aff. c. 7. explicans hæc obscura verba Hipp. inquit, per mentem, temperatutā; per corpus ventriculos & cauitates cerebri intelligi debere. Est locus Gal. in hoc comm. maxime discussione dignus. Nam in fine comm. tres errores cōmittit, nisi medicina huic vulneri adhibeatur: docens enim paraplexiā eam esse affectionem, quæ sequitur apoplexiam tria dicit. Primū, q; apoplexia aliquando desinat in paralysin. Alterum est, q; epilepsia aliquando fiat sine conuulsione. Tertium, q; apoplexia aliquando fit sine spasmo. Primum, q; apoplexia aliquādo desinat in paralysin, non est verū, quia semper aut creberrime hoc accidit. Videte Gal. 4. de loc. aff. c. 2. præterea q; epilepsia fiat sine conuulsione, & naturæ rei & experientiæ repugnat, quia eodē in loco dicit, apoplexiam semper fieri sine conuulsione epileptici mouentur & agitantur. Tertio videtur errare, Gal. qui scribit epilepsiā aliquando fieri cum spasmo. Sed hoc etiā absurdissimū est, siquidem tantum abest, vt non fiat semper cum conuulsione, vt tota ipsius essentia sit cōuulsio, & motus præternaturalis. Huic vulneri conatus est quādoq; Matthæus Curtius medicinam adhibere, & putauit errorē latere, non hoc in loco, sed lib. 4. loc. aff. c. 2. Sed ego semper fui alterius sententiæ, atq; vnica dūtaxat vocula mutata medicinā esse adhibēdam: quia vbi dicit apoplexiā aliquando fieri sine cōuulsione, legendū est, epilepsiam: quia hoc verissimū est, quādoq; fieri epilepsiā sine conuulsione. Et quomodo hoc est verissimū? quia Cor. Cels. lib. 3. vbi de epilepsia tractat, manifestissime dicit sine conuulsione fieri aliquando. Sic ēt Auic. c. de epileps. dixit, sine manifesta cōuulsione multotiens fieri (vbi legendū aliquotiens.) Si itaq; accipiamus, aliquando fieri sine conuulsione manifesta, verissimum est. Et verissimum quoq; est epilepsiam nonnunquam desinere in apoplexiam, & apoplexiam desinere in epilepsiam, quando fit sine manifesta conuulsione.

Ex trib. constant corpora nostra.

Tria in Galen. notata.

Matt. Curt. defensor Galeni.

Ἀλλὰ χρὴ τὰς πρώτας προπυρίας.

Talibus sane post adhibita prius fomenta statim.

Aliæ quinq; aphoniæ remedia.

TRaditurus nobis Hipp. curationem illius aphoniæ, quæ à prauitate humotum efficitur, quinq; remedia nobis pponit, circa quæ operæpretiū duxi, vt diligēter versemur, vt cognoscatis artificium veterum, atq; etiam discatis, qua ratione sit occurrendū huiusmodi morbis. Dicit itaq;, hac aphonia laborantib. fomētis prius adhibitis, secare venā oportet statim ab initio. Post hæc inquit reficere oportet. Et spectare diligenter iudicationes, deinde si non curetur, medicamentum exhibete sursum purgans.

Addit

Addit, si aluus non respondeat, clystere vtendum, demum lacte asinino cocto ad duodecim heminas, si vires constent, etiam 16. Et vt sigillatim circa vnumquodque remedium discurtamus, primum illud inquirendum est, quodnam sit illud fomentum, quo nos vti vult, & quo in in loco debeamus fomenta adhibere. Aliqui voluerunt Hippoc. præcepisse, vt foueatur caput, quia affectum est. Sed ego puto, quia affectum est caput, non esse fouendum. Galen. 13. meth. loquens de affectibus capitis, dicit cucurbitulas non esse adhibendas capiti, nisi prius euacuetur vniuersum corpus, ne alioqui maior fiat attractio ad caput. Quæ ratio si vera est, quomodo possumus dicere initio foueri debere caput? Fomenta calida sunt: calidi est attrahere. Quis igitur non videt, calorem augeri, & morbum. Fui quandoq; eius sententiæ, vt hypochondriis adhiberi voluisse crediderim. Neq; hoc mihi placet, quia idem Galen. in meth. cap. 15. præcepit, vt nunquam foueantur hypochondria, nisi prius euacuetur vniuersum corpus. Quid igitur dicendum est? veteres pleriq;, vt Oribas. scriptum reliquit 7. coll. cap. 9. priusquam venas pertunderent solebant fouere locum illum spongia aqua calente imbuta, vnde erant extrahendus sanguis. Vnde iurarem de hac fomentatione intelligere. Quæ me in hanc sententiam ducunt, præter vsum veterum sunt verba Hippocr. Dixit corrumpi sanguinem, & interdum etiam congelari paulo ante, quare vt reddatur fluxibilior, & ad exitum facilior, vult vt foueatur. Præterea dicit, statim post venam secare oportet, vt non intercedat tempus, quod in huius fomenti vsu, tuto commodeq; fit, non aliorum. Vult igitur vt vena pertundatur in initio. Sed quæ vena? Quantum sanguinis est extrahendum. Puto eo locum & mensuram capiendam esse ex eadem methodo, quam attulit in superioribus, quæ fuit vt vena interna brachii dextri secetur. Pari pacto etiam de quantitate, si recte recordamini, dicebat secundum ætatem, & corporis habitum metiendum esse. Idem hic vult intelligi, eandemq; regulam & normam seruari, vt secundum ætatem & corporis habitum sanguis mittatur. Tertium remedium quod proponit Hippocr. est, vt postquam secta fuerit initio vena quo scilicet tem pore humores commoti facilius obediunt remediis, vult vt reficiatur æger, & simul spectentur iudicationes, ac vno eodemq; tempore, nisi æger leuatus sit, purgetur per superiora. Sed cur Hippocr. vult vt referatur æger: Non scripsit alias 2. aph. 10. corpora impura quanto magis nutrias, tanto magis læseris? Si ergo corpus impurum est, quare reficiatur. Dico quod eo in aph. scripsit Hipp. plane intelligendum non esse ac si omnino alimentum negandum fuerit ægrotantibus, sed voluit vt parcius præberetur, minime autem negaretur necessarius victus. Nunc autem vult, vt non plus alimenti præbeatur, quam par sit, vt reficiatur, hoc est tantum, quantum necesse est: idque duabus de causis: Primum, quia missio sanguinis vires labefactauit: tum vult Hippocrates, vt fiat vomitus. Facere vomitum ægro maxime debili existente, valde est periculosum. Hanc tamen sententiam male quidam interpretantur, & præcipue Germani, qui statim post venæ sectionem nutriendum putant esse ægrum. Dicit deinde, spectandas esse iudicationes. Quid his verbis docere nos vult? Aliqui dixerunt de euacuationibus intelligendum, sed hæ rarissimæ sunt. Quæ raro fiunt, subiecta sunt casui & fortunæ, nō arti. Quare multo satius est, dies intelligamus decretorios per iudicationes: quia vt recte instituamus ciborum exhibitiones vomitiones, maxime refert obseruare dies decretorios, quasi dicat oportet oculos dirigere ad dies decretorios vt simul reficiatur æger, & vomitus fiat.

Fomentum.

Authoris iudicium elegans.

Vena incisio.

Rarā nō sunt artis.

Addit deinde, nisi leuetur æger, purgandum per superiora, quia vomitus molestissima est res in omnibus morbis, præsertim vero capitis. Quare in affectibus in quibus est vox impedita, nō est cito vtendum vomitu, quia si aliquod sit leuamen, non est prouocandus vomitus. Cæterum, vbi nullum est leuamen, vtendum eo, quia morbus est grauissimus, periculosissimus, & opus est celeri medicatione. Sed vbi faciendus est vomitus, quonam pacto facere oportet. Galen. in commen. dixit, quod inspecta morbi magnitudine, & virium robore, certissimum est, debere admini-

Vomitus res molestissima comprimis in affectibus capitis.

ministrari helleborum. Sed pace Galeni non possum hoc ferre, quia si Hippocrat. non vult administrari clysteres vel lac asininum coctum, quomodo potuit laudare helleborum, & præsertim, quia locutus est de epilepsia & conuulsione, in quibus dare helleborum, est dare exitium. Videte Hippocratem 5. aph. I. vbi scribit, conuulsio ex helleboro lethalis est. Si ergo de aphonia loquitur cum epilepsia & conuulsione, quomodo potuit laudare helleborum? Quapropter si vtendum est vomitu, multo vtilius est vti decocto raphani, anethi, oxymel: & similibus, quæ cient quidem vomitum, sed sine vllo periculo. Subiungit Hippocrat. si aluus non respondeat, infunde clysterem. Primum enim supponit Hippocrates necessarium esse in hac curatione, vt quotidie aluus respondeat, quia diuertuntur vapores a capite ad partes infernas. Hoc autem maxime omnium faciunt clysteres. Habetis Galen. 2. lib. de med. local. in omnibus capitibus, in quibus tractat de doloribus capitis, vbi laudat maxime vsum clysterum. Sed qui clysteres conueniunt? Primo leniores, deinde acriores. Sed cur potius laudat clysteres, quam medicamentum subductorium? Primum, quia veteres non habebant blanda hæc medicamenta aluum subducentia, & propterea delectabantur frequentissime vsu clysteris, & glandis. Nunc vero secus est. Propterea cum partes spirituales sunt oblæsæ, quanto lenius medicamentum exhibemus, tanto tutius est.

Veteres blanda subductorijs carebãt.

Postremo vult Hippocrates, vt non conferentibus clysteribus, deueniatur ad vsum lactis, & laudat vt accipiatur lac asininum coctum, ad mensuram duodecim heminarum, aut etiam sexdecim, si vires constent: & plurium. Circa quæ, etsi alias discursum habuimus, dum tractaremus de febr. ard. puto tamen nonnulla breuiter repetenda, & primum inquirendum est, cur præ cæteris commendat lac: secundo, cur asinum præfert: tertio, cur coctum: quarto, cur ad 12. aut etiam 16. heminas vsq;. Quod autem prælegerit lac, fecit blandities huius medicamenti: quia cum circa fauces, & circa cerebrum affectus maxime vrget, cauendum est, ne grauibus medicamentis hæ partes lædantur. Vnde nescio quomodo Galenus helleborum probarit cum Hippocr. fugiat alia omnia remedia præter lac. Elegit vero asininũ, quia aquosius est omnibus aliis, excepto camelino. Imo Galen. 3. de alim. fac. cap. 15. dicebat, non tantum aquosius esse cæteris lactis generibus, sed ratione etiam huius aquositatis magna vi purgandi pollere. Sed cur voluit coctum esse? quia coctione consumitur, quicquid aquositatis est in lacte: & propterea in dysenteriis lac coquunt Medici, & felicissimo cum successu præbent: Dupliciter responderi potest, vno modo, non Hippocratem laudare simpliciter quamlibet cocturam, & præsertim non laudare insignem, qua consumitur humiditas, aquosior sed moderatam duntaxat: quæ quidem duo facit, primo adiuuat parte aquosa, vt non augeatur putredo; præterea tantum abest, vt non purget, quia vim amisit purgandi; vt porius aucta hæc sit, quia vi ignis acquirit etiam aliquam acrimoniam. Possumus etiam dicere, non adhiberi lac coctum gratia purgandi, sed copiam lactis; quia non tam iuuat ad purgationem ratione acrimoniæ, sed potius ratione copiæ. Sed quare vult præberi vsque ad duodecim heminas, & nonnunquam ad 16. vsq;, si vires constet? Nonnulli qui viderunt hanc æternam Hippocrat. consuetudinem, existimarunt errare Medicos, qui quandoq; in exigua quantitate dant: & ex vsu & præcepti Hippocrat. voluerunt semper in magna quantitate exhiberi. Sed toto (quod aiunt) cœlo falluntur. Quia vt ego reperio, lacte asinino, quolibet alio veteres propter duos fines vtebãtur, imo vero propter rres, ad alendum, ad temperandum & ad purgandum. Quotiescunque vtebantur ad alendum, in exigua quantitate vtebantur. Sic in lib. meth. in lib. de sanit. tuend. Galen. ad reficiendos consumptos ægros, vrebatur lacte in exigua quantitate. Vtebantur etiam ad temperandum in exigua quantitate: Videte Hippocr. in princip. lib. de nat. mulieb: Quo in loco dicit, dandum esse lac asininum post purgationem, ad mulcẽdum & extinguendum penitus omnem feruorem, & exhiberi vult in exigua quantitate. Quando vero vtebantur ad purgandum, duobus etiam modis vtebantur. Vnus erat modus

Lac blandũ est.

Lac coctum crudo magis aluum ciet.

Lac purgans duob. modis parabant veteres.

dus

dus, vt animal siue mulier, cuius lacte erat vtendum sumeret medicamentum purgans: Nam Hippocr. 6. epid. comm. 5, rex. 35. mulier, capra, cucumerem siue elaterium comedentes, pueris purgatio: quam sententiam cum interpretaretur Galen. dixit ad vsum medicum conferre, atq; etiam ad cognitionem. Ad illum, ait, quia cum pueros purgare volunt Medici, iubere debent, vt mulier vel animal medicamentum sumat. Ad cognitionem verò, quia possumus colligere qualitates nutrientium rerum remanere in corporibus nutritis. Igitur vtebantur veteres lacte hoc modo. Vtebantur etiam ad purgationem in magna quantitate. Vbi enim metuebant, ne medicamenta purgantia essent obfutura, eligebant potius copiam ingentem lactis. Atq; ita videtis Hippocr. in lib. de morb. de affect. magnopere commédasse fere semper vsum lactis, & 7. epid. habetis historiam Nicolai filii, qui à magna dysenteria pluirimisq; doloribus & malis, cùm bibisset lac asininum coctum, nouem heminarum Atticarum mensura ad duos dies, magnum sensit iuuamen, & postea plane fuit curatus.

Κύναγχος δὲ γὰρ ὁκόταν ἐκ τῆς.
Angina fit cum fluxio multa & lenta.

QVÆ sit connexio præsentis dictionis cum superioribus, non est difficile iudicatu: quandoquidem si spectemus aphoniam, de qua egit in superioribus, & anginam, de qua nunc agit, non est magna dissimilitudo. Vterq; morbus afficit partes spirituales: in vtroq; est ostensa vox. Quapropter videtur rationi consentaneũ, vt tractationi de aphonia, subiungat tractatum de angina. De hac ægritudine docet Hipp. generationem causas, signa pauca & breuissimam curationem. Nos aũt paulo accuratius agemus de hoc morbo. Antequam autem de angina tractemus, opus est sciatis, quod apud Hippoc. 3. progn. tex. 16. & Gal. 4. de loc. aff. cap. 3. nomine κυνάγχης intelligitur omnis affectio gutturis lædens ipsam respirationem: quo pacto latini appellant vniuersaliter omnes affectus in quibus homines videntur strangulari. *Angina differentia.* Dicitur autem angina ab angendo: quia vehementissime ægri anguntur. Barbari nescio quomodo squinantiam appellant. Græcis verò quatuor sunt anginæ differentiæ à medicis Hippocr. posterioribus nominibus distinctæ κυνάγχη, συνάγχη, παρασυνάγχη, παρακυνάγχη. Et vt recte possitis versari in Scriptoribus, συνάγχη vocatur, quando interni faucium musculi afficiuntur: & nomen est sortitum à scribis, qui frequentissime hoc affectu corripiuntur. Si autem musculi interni laringis intumescant, & inflammantur, κυνάγχη vocatur hic affectus, vel quia, vt Arist. scribit 8. de hist. anim. cap. 22. canes laborant sæpissime hac ægritudine; vel quia ægri coguntur exerere linguam, perinde ac faciunt canes. Cæterum, si partes externæ faucium laborant, παρασυνάγχη appellatur hic morbus, si verò externæ gutturis, παρακυνάγχη. Meminerunt etiam Galen. & Hippocr. 2. epidem. sect. 2. circa finem alterius anginæ, quando secundum collum spondyli intro luxantur. Sed vtcunque sit, duas facit differentias author, vnam à materia frigida, quæ fit hyeme & vere: alteram, à materia tenui & calida, quæ fit æstate & autumno. *Causæ anginæ internæ.* Vt autem ordinarius incedamus, inchoabimus ab ea breuiter, quæ fit hyeme & vere à materia piruitosa & viscida. *Angina frigida.* Inquit igitur hanc affectionem fieri, quoties hyeme & vere pituita viscida & crassa præcipitatur in venas iugulares. Secundo etiam de morbis dicit fieri, quotiescunque eadem materia in fauces, (hoc est venas iugulares, affatim ruit.) Modus autem generationis huius affectus hic est, quod vbi hæc materia præcipitata est in venas iugulares, hæ non solum crassæ euadunt, sed etiam obstruuntur. Quo fit, vt impediantur spiritus excursus & incursus, eo quod congelatus sanguis facit, vt spiritus non possit permeare corpus. Hinc postmodum inquit fit, vt lingua fiat liuida, rotunda & flectatur. Hic modus generationis anginæ tametsi videatur esse secundum placita pneumaticorum, tamen non est alienus ab iis, quæ docet Galen. lib. de tumorib. vbi scribit fieri tumores quotiescunque piruita in faucibus hæret, vtpote quæ latiores venas habeant, capacioresque sint crassioris & lentæ fluxionis.

Tenuis materia in vasis minoribus laryngis sistitur. Cæterum cum hic sit modus generationis anginæ verus, quomodo fit vt lingua euadat liuida, rotunda, & flexibilis? Hippocrates explicans hanc rem, inquit, venas iugulares repletas huiusmodi humore viscido & frigido, non modo propter frigus, verum etiam propter crassitiē niti super linguam: quæ cū sit bifida, spongiosa, sicca, ex ipsis venis attrahit humorem, & fit liuida, rotunda & flectitur etiam. Liuor enim nihil aliud est, quam macula sanguinis effusa ex venis, & subtus contenta, atque nigrefacta. Quapropter vbi venæ inflammatæ tument, exprimitur sanguis, qui in linguam delatus, liuorem inducit.

Liuor macula, ex sanguine cuti suffosso nigrefacto.

Adeo vt angina nihil aliud sit, quam humor frigidus & pituitosus à capite delatus ad fauces & venas iugulares, easque in tumorem attollens: adeo vt causa antecedens sit cerebrum, quod est veluti arx quædam humidi glutinosi & crassi, vt dicebat Hippocr. lib. de gland. Quo fit, vt in eo cumulata cum sit, facile præcipitari queat.

Causa anginæ externa.

Causa vero externa multiplex est, sed ab Hippocrate nominatur duntaxat tempus hyemale & vernum. Non commemorat autem omnes alias causas, quia sibi proposuerat tractare de angina quæ omnium vehementissima est, sed dubitet aliquis, quomodo dicat hyeme & vere fieri. Nam 3. aphorism. 21. & 22. tum vere, tum autumno fieri. Aphor. 21. & 23. dum commemorat morbos hyemis & æstatis, nunquam facit anginæ mētionem. Quomodo ergo nunc dicit fieri hyeme? Sciendum est id quod scribit idem Hippocrates lib. 3. aphor. 19. nimirum omnes morbos fieri quidem omnibus temporibus, sed alios fieri magis in vno tempore; alios in alio: pleuritis omni tempore fit, sed magis hyeme. Fluxus sanguinis omni tempore fit, sed magis vere: pariter angina omni tempore fieri potest, sed magis vere, quam æstate: autumno, quam hyeme.

Causa vero cur hic dicit hyeme & æstate fieri est, quia omnes morbi qui fiunt præter tempora consueta, sunt maxime formidandi; vnde anginæ, quæ contingūt hyeme & æstate, sunt grauissimæ, quia instituerat agere de morbis acutis, imo etiam de acutissimis, voluit potius de hac tractare, quæ fit hyeme & æstate, quanquā vere & autumno maxime fiant.

Anginæ signa.

Signa anginæ lib. de morb. plurima proponit, quod nequeunt decumbere, & si decumbunt, suffocantur, quod maxillas habent rubentes, & alia. Sed cur hic exigua aut nulla proponit? quia non est difficile cognoscere anginam vbi grauissima est; sed quæ hic signa videtur commemorare, non sunt vera signa, sed commemorat ea tanquam effectus. De signis prognosticis hoc scribit, hanc anginam celerrime interimere, nisi cito suppuretur, imo in coac. scribit, anginam quæ videtur mitior, esse magis exitialem. Cum hæc ita sint, subiungit Hippoc. necessarium esse quamprimum aggredi curationem. Quæ quoniam proponitur ab Hippocrat. satis confusa, conabor totam methodum explicare, quam docuit nos hoc loco. Nam tertio de morb. loquens quidem de angina, causas atque signa commemorat. Sed de curatione nullam fecit mentionem, quia eo in loco loquebatur de ea angina, quæ necessario interimit.

Anginæ curatio.

In casibus omnino desperatis, omittenda est curatio: nunc autem agit quidem de exitiali, sed non desperata penitus, atque ea de causa proponit etiam curationem. Sed auspicanda est curatio. Sumitur prima indicatio ab affectus natura. Est tumor & inflammatio: quare illud habet, vt partim foueatur à causa influente, partim vero habet causam fixam. Quicunque ergo cupit methodum curandi anginam inuenire, debet efficere, vt materia non præcipitetur in partes faucium: quod faciendum est motu.

Motus aut est attractio aut impulsio

Motus autem localis duplex est, vel est attractio, vel impulsio, quapropter principalis indicatio est, vt materia retrahatur, partim repellatur. Materia vero, quæ fluxa est, indicatur, vt euacuetur. Sed quomodo euacuatur? Medicamentis partim resoluentibus, partim attrahentibus. Quapropter pro tota hac methodo adimplenda

plenda, videte quam accommodata nobis remedia proponit Hippocrates. Nam ad attrahendum humorem, iubet, vt mittatur sanguis, & à brachiis. Vt autem depellatur, iubet vt fiant gargarismata. Quapropter iam habetis, Hippocratem nos docere, vt in hac curatione reuellamus, attrahamus, per sanguinis missionem, nec non repellamus per gargarismata.

Ad materiam autem illam infixam superandam, & euacuandam, docet etiam Hippocrates, quid sit agendum: siquidem vt materia vacuetur, quę iam vt ipsa parte affecta negotium facessit ægro, monet, vt vena subtus linguam secetur. Præterea ad hoc etiam vt enacuetur materia iam fluxa, Hippocrat. præcipit vt in vsu habeamus cataplasmata & fomenta ipsi collo exterius adhibita: atque etiam vt eclegmatis vtamur iubet. Et quia necessarium est, non solum habere rationem morbi curandi, verum etiam vitæ sustentādæ studere plurimum oportet, ea propter Hippocrat. postremo loco monstrat, quid sit agendum circa victum. Primum enim vult vt abstineatur à vino, quod etiam secundo & tertio libr. de morb. habetis: & vult etiam vt aqua in vsum ducatur: & quia breui futura est crisis, cum est morbus acutissimus, nihil aliud vult exhiberi, quam melicratum. Sed inquit, hic victus seruandus est, donec morbus declinet. Declinante igitur morbo sorbitiones exhibendæ sunt. Sed circa hæc Hippocratis verba, tria occurrunt diligenter, sed breuiter examinanda. Primum est, cur Hippocrates docens, quid sit agendum, inchoat à venæ sect. & cum supra dixerit, venam esse secandam, nunc autem dicit statim à brachiis mittendum esse sanguinem. Præterea videndum est, an vere conueniat mittere sanguinem ex lingua: nam Cœlius Aurel. libr. 3. acut. cap. 4. studiosior damnandi Hippocratem accepta ab hoc contextu occasione, criminatus Hippocratem, quod pertundi venam sub lingua iusserit: quia periculum est, ne magis trahatur sanguis ad locum affectum. Præterea difficile est sistere sanguinem, tum, quia oportet ligare collum, periculum est suffocationis. Idem etiam Cœlius Aurel. criminatur Hippocratem, quod nimiam diætam præscribit, quia inquit solet quinto die iudicari, quinque diebus solo melicrato alere, est nimis periculosum. Tertia contradictio est, quia hoc loco vult vt melicratum & aqua detur non frigida, libro vero secundo de morbis, vult vt aqua detur frigida, vt facilius excreetur.

Quod ad primum attinet, dicendum est Hippocratem iure voluisse, vt statim deueniatur ad sanguinis missionem, quia dixerat ante opus esse celerrima curatione. Sectione venæ nullum est maius, & magis subitaneum præsidium. Sed cur potius dixit è brachiis, quam è vena? Quia in hac ægritudine iterum atq; iterum est mittendus sanguis, tum vt fiat euacuatio, tum vt fiat reuulsio, quod habetis apud Oribas. 7. coll. vbi scriptum reliquit, partitam sectionem maxime reuellere. Vt ergo significaret nobis semel atque iterum sanguinem mitti oportere dixit, potius in brachiis quam è vena sanguinem esse mittendum. Sed quid ad Cœlium Aurel. dicemus? Ille ad pauca respiciens, faciliter hallucinatus est, si iussisset Hippocrates secari venam ante iteratam totius sanguinis missionem, erraret. Sed cum prius præceperit, vt sanguis iterum atque iterum mittatur, non est metuendum. Neque vero periculum est suffocationis, quia hoc est metuendum, cum ministri atque medici sunt imperiti. Neque valet quod de diæta scribit, quia si spectemus naturam huius affectus, & morem Græcorum, qui facile ieiunium ferunt, etiam nunc, non est mirum, ad quinque dies solo melicrato alere. Sed quid dicemus ad Hippocratis verba lib. de morb.? Dico loqui eum de angina pulmonis, in qua spiritualia vasa maxime æstuant. Temperato igitur illo feruore, qui exsiccat sputum ab aqua frigida, fit melior excreatio. Nunc alimenti non medicamenti gratia commendat.

Venæ sectio promptissimũ præsidium.

Hipp. contra Aurel. assertio.

Circa curationem anginæ propositæ, nonnulla supersunt examinanda, quæ ad vsum artis, & ad cognitionem non parum conferunt.

Primum

Primum autem circa sanguinis missionem Hippocrates illud consilium tradidisse videtur, vt statim cucurbitulæ collo adfigantur, & infra aures. Huiusmodi consilium repugnare videtur Galen. qui 13. meth. cap. 19. & alibi eam fecit perpetuam regulam, vt cucurbitulæ nunquam affigantur, nisi prius euacuato toto corpore. Quapropter non videtur satis esse firmum & constitutum apud hos authores, quidnam sit agendum. Præterea 3. de morb. Hippocrates, dum loqueretur de angina, iussit primo venam subtus mammam secari, secundo subtus linguam, tertio venam cubiti. Quæ igitur hæc est varietas Hippocratis? Vt constans sibi sit Hippocrates, dicendum Hippocratem lib. de morb. loqui de externa angina, quæ cum sit leuis, & fere salubris, studium Medici debet esse, vt ab intimis ad externas partes sanguis retrahatur, ad quod faciendum conueniunt cucurbitulæ circa collum & subtus aures adhibitæ.

Hippocr. & Galen. consilium.

Ad Galenum dicendum est, vbi corpus plethoricum est, nisi prius soluatur plenitudo, cucurbitulas adhibere loco affecto ante non conuenit. Quare possumus etiam dicere Hippocratem supposuisse hanc regulam tanquam vulgarem. Ad tertium de morbis dicendum, Hippocratem hoc in loco non voluisse docere ordinem medendi, sed remedia tantum proposuisse. Quamquam dicere possumus, non vere sapere doctrinam Hippocratis. Etsi enim sunt multa præclara, sunt tamen ita commixta & commaculata, vt opus sit bono iudicio ad discernendum æra (vt sic dicam) à lupinis.

Sequuntur medicamenta, circa quæ oportet paulisper discurrere. Nam Hippocrates secundo & tertio de morb. complura proponit remedia interna & externa. Hoc in libro nullum peculiare remedium nobis relinquit, spongiam expressam in aqua calida, tantum proponit. Hoc fecit Hippocrates, quia, vt ego existimo, fuit huius sententiæ, vnicum fere & efficacissimum in angina esse remedium venæ sectionem.

Venæ sectio prope vnicũ anginæ remedium.

Videte Hippocratem 2. Epidem. sect. 6. circa finem, vbi dicit: Anginam & ophthalmiam venæ sectio soluit, quasi pene vnicum sit remedium venæ sectio. Sed cur commendat spongiam expressam in aqua calida? scilicet vt doceret post sanguinis missionem, si vllum remedium sit adhibendum, illud debere esse blandissimum, siquidem tanta est malities mali, vt si medicamentis grauioribus tractetur, periculum sit, ne augeatur.

Anginæ quæ medicamẽta interna.

Medicamenta alia sunt interna & externa. In internis videamus quomodo sit incedendum; Medicus debet semper æmulari naturam, nec vnquam præterire ordinem quem seruat. Primo illa, vbi humor in aliquam partem nobilem fertur, contra insurgit, vt depellat à se humorem influentem: vbi hoc obtinere non potest, nititur dissipare. Hoc etiam si non licet, suppurat. Ita quoque facere Medicus debet, prius expellere, & reuellere, tum si hoc non potest dissipare pro se, si etiam hoc assequi non poterit, suppurare conabitur. Hippocrates duntaxat genera remediorum, non remedia attulit, vt hoc faciendum nobis, demonstraret: vt primo repellentibus decocto hordei, plantag. diamorrh. vtamur, & in ecligmate & gargarismis: si vero voto non potimur, addenda sunt quæ discutiunt, vt mentha, cystus, coriandrum, & similia, quæ admixta cum discutientibus attemperant, & attemperantur. His non succedentibus, suppurationi studendum. Vbi maturuit. decocto maluæ, althææ caricarum euacuandum.

Externa.

Atque hæc est methodus, qua vtendum est in internis medicamentis in angina. In externis ille primus debet esse scopus, vt præseruentur fauces. Hippocrat. sexto Aphorism. trigesimoseptimo scribit, ab internis ad externa prodire erysypelas, salutare esse; ita medicus debet maxime studere, vt quod intus continetur, foras feratur, aut per halitum consumatur & dissipetur. In hoc genere sunt quæ capiti deraso adhibentur, quemadmodum etiam Galen. 5. meth. cap. 13. præcepit, vt mulieri cuidam deraso capite medicamentum ex rhapsia adhiberetur.

Duo autem breuiter sunt obseruanda: vnum est, medicamenta quæ intus sumuntur, debere esse calida, vt magis penetrent, nisi sitis vrgeat: quia frigida sibi ipsis viam obstruunt. Aliud est, vt in vsu repellentium maxime caueantur astringentia, quia, quanquam aduersantur morbo, augent difficultatem respirationis.

ὁκόταν ἐν θερινῇ ἢ μετοπωρινῇ.

Cum vero æstiuo, vel autumnali tempore.

Facilis est connexionis ratio huius orationis cum præcedentibus: quia eum tractauit de angina quæ fit hyeme: nunc de ea agendum sibi proposuit, quæ æstate fit. Hæc angina est tumor calidus earum partium gutturis, quæ nullo pacto oculis conspici possunt. In faucibus vasa sunt ampla, in larynge vero angustiora. Humores tenues vbi labuntur in vasa ampla, non firmantur, sed statim elabuntur, & in vasis angustioribus remanent. *Angina calida.*

Ratio autem generationis est, quoniam caput calescit ab aeris æstiui feruore. Si repletum est caput, calefactum, colliquat humores, eosque salsos & acres reddit. Quod si non sit repletum, attrahit tamen humores acres & tenues, deindeque præcipitat eos in fauces, & tumorem atque inflammationem parit. Igitur causa interna, immediata est, humor tenuis, acris & biliosus, antecedens caput externa, caput calefactum.

Neque mirum est caput attrahere humores acres tenues & biliosos, quia non solum hoc facit, sed attrahit etiam humores graues & pituitosos. Nam Hippocrates quarto de morb. dicebat, instar cucurbitulæ caput attrahere etiam pituitam à stomacho. Quapropter sicut hoc ei facile est, non leui negotio attrahere humores tenues existimandum est. Sed circa hæc duo sunt dubia, vnum est, an aer possit calefacere cerebrum, vt lædatur: alterum, vtrum calefactum possit generare humores acres & mordaces.

Primum videtur esse dubium, quia Galen. 8. de vs. part. cap. 2. disputans aduersus Aristotelem, qui dicebat cerebrum factum esse, vt refrigeraret cor, inquit, multo facilius esse, vt refrigeretur cor à calcaneo, quam à cerebro, quia plura impedimenta interposita sunt inter cerebrum & cor, quam inter cor & calcaneum, & inter alias rationes hac vtitur, pro sententia sua confirmanda Galen. quod cerebrum semper est calidius, quouis aere calidissimo: qua ratione etiam in vulneribus capitis æstate ipsa diligenter semper cauent aerem Medici, quia scilicet aer frigidior ipso cerebro, lædit. Si igitur hic discursus verus est, quemadmodum est verissimus, quomodo aer calefacit caput, & caput calefactum, ita lædit vt anginam inducat. *Iucundus discursus, 1. an caput calefieri possit ab aere.*

Circa secundum, dubium quoque est non minoris difficultatis, siquidem multi sunt, qui existimant, cerebrum calefactum non modo inducere hummores biliosos & salsos, imo sæpenumero inducere humores frigidos & adustos, quia maniaci interdum per essentiam capite affecto hoc morbo correpti sunt, nonnunquam vero per consensum. Hi in hypochondriis causam mali habent in fra caput, illi vero in ipso capite, & eam quidem æternam. Necesse igitur est vt ille humor melancholicus & adustus generetur in ipso cerebro. Ex altera parte est Hippocratis authoritas, qui in lib. de princip. dicit cerebrum esse sedem ac metropolim frigidi & glutinosi, atque addit minimum pinguedinis habere, & propterea comburi non posse, quia vt author etiam est Aristoteles 4. meteor. ea quæ carent pinguedine, comburi non possunt. Si hoc verum est, sequitur nunquam posse generari bilem adustam in cerebro. *Pinguedine carentia, comburi nequeunt.*

Circa hæc dubia dicendum est, primum calefieri caput, & cerebrum intelligi dupliciter, vel quod mediate calefit, & per accidens, vel quod immediate. *1. Dubij discussio.*

Ab aere

Ab aere externo calefieri non poteſt per ſe, quia aer ſemper eſt frigidior quanquam calidiſſimus fuerit, ipſo cerebro, vt Galenus probauit. Itaque calefit per accidens & mediate, ſcilicet quia cranium ſub aere æſtiuo incaleſcit: quod vbi calefactum eſt, caliditas cerebri adaugetur: Ita ſi quiſpiam aquam tepidam in lebete habeat, & ſoli exponat, ferè bulliet: nam ſcimus in locis illis calidis etiam oua aſſari: poſſumus etiam aliter reſpondere, ab aere ambiente generari in cerebro putredinem, quando calidus eſt; calor ambiens ſi nihil reperit humoris, quid facit? Diſſipat illos qui ſunt in cerebro, & aptos facit ad putredinem, quæ vbi iam facta eſt, ſequitur vt cerebrum magnopere incaleſcat calore præternaturali.

2. Dubij explanatio. Ad ſecundum dicendum eſt, fieri humores materialiter vel formaliter. Materialiter inquam, quando chylus præparatur, vt vertatur in ſanguinem, formaliter vero, quando extremum forma ipſius ſanguinis inducitur. Ita quoque dico, in cerebro formaliter fieri humores biliosos, melancholicos & aduſtos, quia ſucci illi qui in cerebrum delati ſunt, præparati fuerunt ad eam formam ſuſcipiendam.

Anginæ ſigna diagnoſtica. Signa porro complura proponit, quorum alia ſunt pathognomica, alia vero ſunt ſuperuenientia. Pathognomica ſigna ſunt, quæ vna cum ipſo affectu fiunt: exempli gratia dolor lateris pungitiuus, & difficultas anhelitus ſunt pathognomica pleuritidis: eo, quod ſemper illi adſunt. Superuenientia autem ſigna dicuntur, quę iam morbo facto fiunt, velut delirium in pleuritide.

Tradit ergo ſigna pathognomica, deinde ſuperuenientia ipſi morbo. Signa pathognomica ipſius anginæ æſtiuæ ſunt, morſus, exulceratio, pulmonis incendium, reſpiratio recta, violenta & dura, vox fracta, clangoſa. Signa vero ſuperuenientia duo tantum proponit, ſcilicet tenſionem tendinum ceruicis, & conuulſionem. Prognoſtica. Hæc ſunt ſigna diagnoſtica. Ex ſignis autem prognoſticis, vnum proponit, quod niſi humores ab internis, ad externas partes proferantur, malum immedicabile ſit, hoc eſt, ineuitabilior, vt dicit Hippocr. & lethalior euadit, quam angina quæ ſit hyeme.

Cauſa ſymptomatum ſeu ſignorum. Videamus modo quomodo à natura huius affectus fluunt & oriuntur hæc ſigna. Diximus hanc anginam, eſſe tumorem eryſipelaceum, factum à ſiccis calidis & acribus, & eſſe tumorem laryngis: Itaque cum ſucci ſint calidi & acres, facile eſt colligere, neceſſario partes gutturis & faucium non ſolum tumere, ſed etiam vlcerari, quare iure dixit conſequi morſum. Cum autem ſit in larynge, via & ductu ad pulmones, facile eſt coniicere, pulmones incendi à proxima ipſis inflammatione. Et hoc eſt quod ſcribit Hippocrates in coac. prædic. quibuſdam anginæ ad pulmones vertuntur, partim ſeptem diebus pereunt, partim euadentes, ſuppurati fiunt, ſi non eductio pituitæ ipſis ſurſum fiat. Hinc etiam 5. aph. 10. ſcriptum nobis reliquit Hippocrat. quod vbi euadunt ægri ab angina, his ad pulmonem vertitur, vel ſeptimo die intereunt, ſi vero has effugiunt, ſuppurati fiunt. Quia incendium & inflammatio proxima eſt ipſis pulmonibus.

Hac etiam ratione fit, vt difficultas ſpirandi ſequatur, impedito ductu, qui aeris ingreſſui & egreſſui ſeruit: & cum non poſſit egredi aer, fuligines retentæ, ſuffocationis imaginem inducunt.

Atque hinc non ſolum ſequitur ortopnœa, ſed illa violenta & dura reſpiratio. Pari pacto fit vox fracta clangoſa, quod inſtrumenta, ſcilicet glottis, epiglottis, & aſpera arteria, ſint exſiccatæ & exaſperatæ pauciſſimaque ſit pulmonis efflatio, quæ eſt materia vocis. Haud ſecus ſit gracilitas faucium, ſcilicet, quia exiccatæ ſunt ab inflammatione.

Cæterum tenſio tendinum colli, & conuulſio haudquaquam cum ipſo morbo ſtatim fiunt, ſed conſtituto morbo ſuperueniunt, quoniam ſcilicet vſque adeo praua & copioſa eſt materia, vt repleat neruorum originem: quo in caſu ægri ſemper ſe habent peſſime.

Hæc sunt signa diagnostica ipsius anginæ. Erat signum prognosticum, quod nisi ab internis ad externas partes feratur, esse lęthale, quia fit æstate, & quia fit à calidis & acribus succis; primum enim quod illud salutare est, 6. aphor. 37. & lib. 7. coac. præd. Hippocrates nos docuit; quare iure dicit esse malum incurabile, quia si ab externis partibus ad externas vertatur, semper salutare est.

Angina ab initio ad extra mota salutares.

Ceterum cur dicit, quoniam fit æstate, & à succis calidis, & acribus, videndum est, satis erat dicere, fieri æstate, quia æstiui morbi semper sunt magis periculosi, quã hyemales. Neq; hoc sine ratione addidit, quia 2. aphorism. 34. scribit Hippocrates. In morbis minus periclitantur, quorum ætati, habitui, consuetudini & tempori conuenit morbus, quam quibus secundum istorum nihil conuenit. Quo constituto videre facile vnusquisq; vestrum potest, anginam (quæ vere & autumno fere semper fit, vt dicit Hipp. li. 3. aph.) æstiuam, esse magis periculosam, quia non conuenit huic tempori. Sed quæ hyeme fit angina, pari pacto non conuenit tempori. Ergo vterq; morbus æque est exitialis. Quod cum videret Hipp. addidit anginam æstiuam à calidis & acribus ortam esse magis periculosam, illa angina, quæ fit hyeme. Erenim inter causas morbificas esse magis lethales, succos, & intemperies calidas, quemadmodum magis æstiuas esse, apud omnes in confesso habetur, nemini dubium est.

Aestiui morbi semper hyemalibus periculosiores.

Ἢν πυρετὸς λάβῃ παλαιῆς κόπρου.

Si febris hominem prehenderit, veteri stercore non.

NOn possum negare, in hoc quarto libro multa esse, quæ vere sunt Hippocrat. indigna; primum quia falsa sunt; vel si non sunt falsa, saltem sunt inutiliter repetita. Veruntamen neq; falsa, neq; repetita sunt omnino contemnenda, quia rerum falsarum cognitio vtilis est Medicis, quia iuuat ad euitanda ea, quæ falsa sunt. Tum neq; Deus ipse caret hac cognitione, imo non esset Deus perfectus, si non cognosceret falsa. Neq; debetis etiã repudiare hæc, quia sunt repetita, quia ea est imbecillitas ingenii humani, vt sæpe elabantur. Ea ratione sæpe repetiuit eadem in suis libris Hipp. vt succurreret imbecillitati ingenii humani. Quare non sunt respuenda, etiam repetita ab ipso sene, aut autore. Quid igitur facit in præsenti hac dictione? Duo; vnum, quid sit agendum, vbi febri coniungitur aluus astricta. Aliud, vbi aluus liquida. De hac posterius dicetur de illa nunc sermonem habet. Inquit. Si quempiam febris apprehenderit, cum dolore vel sine dolore lateris, existente adhuc in aluo aut intestinis cibo vetusto, vel recenter sumpto, quiescendum paulisper, donec cibus descenderit, atq; tunc oxymelite est vtendum. Dicit Hippocrates quiescendum, eadem significatione, qua in aph. li. dicit, nihil moue, sed melius est quietem habere, hoc est abstinendum ab omni medicamento. Sed debet Medicus videre, quomodo se habeat æger. Si enim dolor occupat lumbos, vtere, inquit, clystere, aut pharmaco; vbi autem purgaueris subiungit, da sorbitionem, mulsam, pisces coctos, vinum aquosum noctu, & mulsam interdiu. Sed si dolor non occupet lumbos, videndum est, an fœtor exeat ab aluo, si exeat cum flatu, vtendum est glande vel clystere, non pharmaco; vel vtere oxymelle, vt descendat, vbi descenderit cibus, vtere clystere. Circa quæ, vt aliquid ad cognitionem & vsum artis hauriatis ex præsenti Hippocratis oratione, quatuor sunt expendenda. Vnum est, cur adeo studuerit in febribus, vt alui haberetur maxima semper ratio, astrictæ vel solutæ: præterea, cur vbi dolor occupat lumbos, existente aluo astricta, vult vtendum esse clystere vel purgatione, & vbi flatus fœtidi exeunt, clystere solum, quia vbi fœtor, ibi est putredo; & quo maior est fœtor, eo maior est putredo, vt 5. de simp. cap. 15. docet Gal. Tertium est, cur in constituendis cibis ægrorum, carnis non meminit, sed piscium tantum. Quartum, cur noctu vinum aquosum concedat, interdiu vero mulsam. Ad primum dicendum, ad administranda auxilia Chirurgica vel Pharmaceutica, nisi prius aluus bene sit constituta, plurimum interesse. Si venam

Nec falsa, nec otiose repetita sunt omnino contemnenda.

secueris, periculum est, ne impeditis viis intestinorum, succi crudi rapiantur in venas. Si purgaueris, nisi prius liberata fuerint intestina, nihil boni facere possumus. Et notate: Hipp. li. de aff. dicit, quinq; esse, quæ debet Medicus semper interrogare, ægrum; primum quæ mala patiatur; secundo, quæ fuerit causa; tertio, quanto tempore male habuerit; quarto, an aluus sit astricta; quinto, quo victu vtatur. Vult igitur inter prima opera, quæ facit Medicus, illud esse, vt intelligat, an aluus sit astricta, vel soluta. Hoc enim perinde confert scire, ac reliqua. Circa secundum vero, summa & vtilissima fuit ratio, grauitas lumborum, vnde pendet? Non aliunde, quam ab intestinis repletis, & materia crassa & dura; vnde contrectantia hæc lumbos, grauatiuũ dolorem inducunt. Igitur prouidendum, vt exeant ab intestinis; per clysterem non facile exeunt, tum quia locus plenus fœcibus est nimis altus; tum quia fœces sunt nimis induratæ. Quæ autem est ratio, quod, si flatus fœtidi exeant, nõ est necessitas pharmaci, quia vbi est fœtor, adest putredo, vbi est putredo, fieri nõ potest, vt fœces sint duræ, sed liquidæ, & molles. Videte Arist. 1. Pr. sect. 13. vbi quærẽs rationẽ, cur fœces, cum diutius retinentur in intestinis fœteant minus, secus ac vrina retenta: Inquit ideo esse, quia exiccantur, & minus putrent. Alex. 1. Pr. 27. quærens rationem, propter quam fœces & stercora hominum magis fœteant, quam brutorum, inquit id accidere, propter copiam & varietatem ciborum, quibus vtuntur; quare maiori opus est impulsore ad excrementa hæc educenda. Vbi fœtent, satis est clyster, ad educendas fœces iam paratas ad expulsionẽ. Sed dicetis, quæ est ratio, quod fiat fœtor in intestinis, & non in venis; prætetea cur fit, vt cum continuo fiat putredo in intestinis, vt appareat ex fœtore, non tamen fiat febris. Ad primum respondeo, quia succi illi, qui in venis sunt, cocti & elaborati à natura; excrementa vero, quæ eunt ad intestina, sunt cruda, quæ facile corrumpuntur. Et quod hoc sit verum, videte Ari. 13. Pr. 4. 2. de partib. anim. ca. 3. Theoph. lib. 6. de caus. plan. Hi omnes dicunt, propterea nullam arborem male olere, quia attrahunt succum concoctum; & elaboratum à terra. Prætetea, quod non fiat febris, vbi putredo est in intestinis, duplex est causa, tum quia remota sunt à corde intestina; tum quia ampla sunt; vnde facile exeant per aluum. Deinde, quia fœces quotidie exeant. Circa tertium, quod pisces, non vero carnes concedat, ratio est, quia ratione febris, multo vtilius est alimentũ frigidum & humidum, cuiusmodi est piscium esus, & vsus. Præterea Veteres frequenter vtebantur piscibus. Tum carnes facile corrumpuntur, & corruptio carnis deterior est, quam piscium & aliorum ciborum, & fructuũ. Et hoc Auic. 13. & Cels. l. 2. scriptum nobis reliquit, quæ meliora sunt corruptariam, deteriora multo fiunt. Postremum erat, cur dicat, noctu dandum esse vinum aquosum, interdiu vero mulsam. Hoc fecit etiam summa ratione, quia certissima est lex, vt Medicus semper ea hora præcipiat cibos, quib. ægri consueuerunt, eosq; cibos concedat, quibus in sanitate libenter & frequenter vsi sunt, quanquam in minori copia. Veteres parum cibi & potus mane sumebant, aut nihil: vespere cœnabãt lautius. Quare respiciens Hip. ad hanc consuetudinem sui æui hominum, iussit vt noctu vinum aquosum, interdiu vero mulsam sumerent.

Quæ sunt Medicus semper ab ægro percontari debeat.

Fœces diutius retentæ minus fœtent.

Cur fœtor in intestinis fiat, non autem in venis.

Cur putredinem intestinorum nulla febris comitetur.

Meliora corrupta, corruptis priori-bus semper deteriora.

Ἢν δὲ λαπαρῷ ἐόντι καῦσος ἐπιγίνηται.

At si mollem & vacuum ventrem habenti febris ardens accedat.

GAl. exponens hanc sententiam, in duob. videtur criminari hoc totũ; in vno, q̃ repetat ea, q̃ supra dixit, siquidẽ supra de feb. ard. fusius locutus est; ea propter, inquit, hanc dictionẽ esse superuacaneã. Aliud est, q̃ repetat ea, quæ multo melius 1. aph. li. dicta sunt, quando scribit, concocta medicare oportet. Sed, vt libere dicam, nõ possum vsquequaq; assentiri Gal. primũ, q̃ a autor non ꝓponit de feb. ard. sed affert exemplũ eius, q̃ a de ea ante tractauit, non q̃ de ea iã tractare velit, q̃ adiicit etiã Hip. 1. aph. hanc rẽ definisse melius, verũ est. Sed, pꝛter hoc hæc doctrina neq; cõtraria neq; superuacua est. Purgare, inqt, si videat, q̃ prudenter, ac si dicat, si ratio & occasio exigat, si s. concocta fuerit materia, & tẽpus opportunũ. Sed vt magis perspecta

fiat

fiat vobis hæc præsens Hipp. oratio; primo sciendum est, quid intelligat per aluum mollem, vox græca λαπαρὸς, est vox, quæ duræ aluo opponitur. Alnus dura significat illam, in qua fœces rarius quã par sit exeunt, & duræ; quocirca mollis aluus ea quoq; nuncupatur, quę non nimis fluida est, sed quando exeunt fœces eo quo debent tẽpore, & molles. Hinc igitur aluum mollem habẽtem, si videbitur, inquit, purgabis. Dixerat supra, eum qui aluum astrictam habet, si dolor occupet lumbos, purgabis. Nunc dicit, si videatur purgabis, cum loquatur de eo, qui habet aluum mollem, & in quo non retinentur fœces. Ex hoc loco colligat aliquis, non debere Medicum temere eos purgare, qui aluum habent mollem, atq; hinc etiam, non improbasse vsum lenientium ante purgationem, vt molles fiant fœces, sed qua ratione dicit non esse purgandum intra tertium diem, quia nequaquam, vt dicit Hipp. potest fieri, vt materia ante hoc tempus vnquam sit concocta, adeo vt recte expurgetur; & primo libro aph. dicit Hipp. concocta medicari oportet, non cruda, neq; in principiis, nisi materia morbifica turget; vtplurimum vero non turget. Ideo Arist. 3. polit. c. 11. scribit, Aegyptios olim tulisse hanc legem, vt non liceret quicquam mouere intra tertium diem. Sed cur quarto die pręcipit purgandum, qui est iudicatorius dies? In die decretorio nihil est mouendum. Respondeo, quia quarto die in plerisq; fit coctio. Neq; tamen propter hoc argumentari debetis, etiam purgare licere quinto, septimo, nono, vndecimo, quia non hoc vult docere, sed vt nunquam purgetis ante quartum diem.

λαπαρὸς quid.

Aegyptiorũ lex: Ne quis quam moueatur intra tertiam diẽ.

Ὁκόταν δὲ καθαρθῇ διδόναι τῶν ῥοφημάτων.

Cum autem purgaueris sorbitionem.

HÆc dictio fusissima est, & ita perspicua, vt vere dubitem, vtrum sit Hip. an explicatio orationis Hipp. quia est explicatio illius, quod ante ab Hipp. dictũ est, lib. 3. & sępe ab ipso est inculcatum, Gal. qui breuissime hæc transiuit, putauit docere particulare tempus alẽdi ægrum; antea vero scopum habuisse vniuersalem. Docuit cibum non esse exhibendum ante crisim. Nunc vult docere, quomodo vnaquaq; die in vnoquoq; paroxysmo, debeamus nutrire. Neq; fallitur sane Gal. Inquit igitur, postquã purgaueris, sorbitionem dato. Sed dicetis Arist. qui in plerisq; Hipp. & Medicos est secutus, sect. 5. Probl. 28. inter cetera videtur statuisse secundum veteres Medicos, neq; post purgationem, neq; post exercitium, cibnm, aut sorbitionem esse dandam, quia corpus adhuc tumultuat. Ita intelligendum est, non quod immediate à purgatione debeamus alere, qui secundo de morb. docuit etiam postridie à iudicatione non esse dandum cibum, sed intelligit post purgationem, omnibus suis numeris absolutam, & post quietationem corporis. Vult docere, non esse temere faciendum, sed obseruandum, siue sit pnrgandum corpus, siue non, vt nunquam cibus offeratur in paroxysmo & ante paroxysmum, sed vel finitis vel declinantibus morbis. Et ea fuit quoq; lex Hipp. li. 1. aph. vbi scribit, In accessionibus abstinere oportet; nam cibum dare nocuum est, &c. Sed obseruandum quoq; multa contingere in arte ipsa, quæ vrgent, vt cibus exhibeatur in ipsa accessione, vt 10. meth. c. 4. monstrat Gal. & c. 5. Sed vt alias docuit, quæ raro contingunt, non complectuntur sub præceptis, sed quæ frequentia sunt, & vtplurimum contingunt. Verũm, quia videbat Hipp. posse quempiam illum percunctari; quo pacto possit Medicus cognoscere aduenientem paroxysmum, idcirco totus in hoc iam est, vt doceat non solum paroxysmum futurum, verum etiam vt sciat causas. Inquit igitur quando frigent pedes, vtpote cum accessio futura est, non est dandus cibus. Sed q̃ est ratio, quod frigidi sunt pedes in principio paroxysmi, & cur tunc non est exhibendus cibus. Has rationes explicauit antea; primo, quod pedes excarnes sint, nerui, & plurimum remoti à partibus calidissimis. Vnde cum initio accessionum calor sese cogit intro ad viscera, iure fit, vt nõ solum à calore, sed à sanguine etiam deferantur pedes. Cum vero calor sese intro cogat, fit vt ventriculus pectusq; flagrent quam maxime, ita vt omnia sint perturbata. Hinc anxietates nauseæ, &c. Si ergo in

Raro extra regulas.

Cur in paroxysmo frigẽtibus pedib. æger minimè cibandus.

hoc corporis tumultu cibus offeratur, corrumpitur, calore videlicet expugnato pene à symptomatum mole, atque ea ratione non vacante ciborum concoctioni. Deinde symptomata augentur, corrupto cibo, languente calore natiuo. Vnde dicit iure, non esse cibandos ęgros, quando frigent pedes. Sed quando cibus exhibēdus est? cum calor ad pedes descenderit, cum vrina copiosa exit. Quænam est huius rei ratio? quia ardor omnium viscerum placatus est, ventriculus ad se rediit, & calor naturalis. Quare tota vis huius longæ & copiosæ dictionis in hoc collocata est, vt Medicus frigentibus pedibus non debeat offerre cibum ægro, sed cum calor ad pedes descenderit, & cum calore descendente, vrina exiit copiosissime. Sed pro coronide & sigillo huius dictionis, quatuor sunt examinanda. Primum, cur vtplurimum frigus pedum est indicium futuræ accessionis. Præterea cur Hippocrates reddens illius rationem, dicat pedes excarnes, nerueos & remotissimos à partibus calidioribus. Aristoteles 6. Problem. 6. quærens rationem, cur pedes & manus maxime frigeant, dicit esse, quia refrigeratio torpor est, fit enim, inquit, priuatio & translatio sanguinis. Sunt vero partes maxime excarnes & nerueæ. Tertio videndum est, cur declinante accessione pedes potissimum calefiant, caput vero refrigeretur. Quarto, quid velit dicere, quando dicit, dandum esse cibum, cum calor ad pedes descenderit, & simul vrina copiose exit. Circa primum dicendum est iure, Hippocratem dicere vtplurimum, quia non semper frigus pedum est præambulū futuræ accessionis febrium. Et quod hoc sit verum, videte Galenum 2. aph. 20. & 21 quibus in locis docet nos manifestissime, fieri interdum vt in animi deliquio, in ætate senili, & in inflammationibus viscerum contingat frigere pedes, nec tamen signum esse necessarium aduentantis accessionis. Ad secundum dicendum est, alind esse loqui de sola refrigeratione pedum aliud, de refrigeratione cum corpore. Nā torpor q̄ à græcis dicitur νάρκη, est imminutio sensus tactus, q̄ quidem fit à frigida causa, propter recessum ipsius sanguinis; verum est aliud refrigeratio, quæ est imminutio sensus tactus. Iam vero ad imminuendum sensum tactus, nihil facit, vt remota sit pars à corde & à partibus calidissimis, sed ad hoc maxime facit, quia excarnis sit, & nernea, quia vt dicebat Aristoteles caro & nerui sunt instrumenta tactus. Et vt scriptum habemus apud Hippocratem lib. de aff. partes carnosæ & nerueæ maximos dolores patiuntur. Ceterum Hip. dicit, quia non solum excarnes sunt pedes & neruei, citius refrigerari, verum etiam quia remotiores sunt à partibus calidissimis. Nam quo pars est remotior à fonte caloris, eo semper est frigidior. Erat tertium, cur in fine accessionis solum pedes videantur esse calidiores, caput autem nequaquam. Debetis scire calorem febrilem non solum ab intemperie, calida & sicca fieri, sed etiam à vaporibus, qui sursum lati, calorem illum continent & augēt. Iam vero in principio accessionis vapores subtiliores sursum feruntur, & idcirco ardet & flagrat caput, pedes autem nequaquam calescunt; & imaginatus sum semper id contingere, quod in lebetibus feruentibus, quorum fundus ipsius frigidissimus est, & summum feruet, quia vapores feruidi sursum feruntur. Expurgatis vero his vaporibus, remanent crassiores in pedibus; & propterea cum illi cito in capite, hi in pedibus tarde dissipantur, fit vt in fine accessionis solum pedes videantur esse calidi, quanquam dicere soleo, in declinatione, etiamsi partes inferiores sint calidiores, quam antea; videantur tamen, cum calor feruidus deseruit pectus. Ad quartum dicendum, finiri vnamquamq; accessionem morbi, non secus atq; integra constitutio morbi totius. Morbus omnis finitur per euacuationem materiæ peccantis, pari pacto vnaquæque accessio finitur ex sententia Galeni 2. de diff. feb. Sed quomodo hæc euacuatio fit? per aluum, per sudorem, per vrinam, per insensibilem vero potissimum transpirationem post hanc per vrinam. Et hinc videbitis, desinente paroxysmo copiose mingere, etiamsi sudor non exit. Et dixit hoc, quia fieri non potest, vt vna eademq; accessione sudor & vrina euacuetur copiose, quia sudor & vrina ex eadem materia constant.

Frigus pedū paroxysmi præambulū.

Νάρκη seu torpor quid.

Pedes & manus cur maxime frigeant.

Caloris febrilis causa, tum ipsa intemperies, tum vapores descurrētes.

Simile à lebete.

Variationis morborum modi.

Ἢν δὲ λαπαρῷ ἐόντι καύσος ἐπιγίνηται,

Quibus autem aluus fluida est, dum febri.

GAl.non videtur hanc Hipp.sententiam, tanquã germanam accepisse, imo verò putat, hanc non solum mutilam, sed perniciosam esse, eo quod cum aluus liquida sit, vel propter inflammationem, vel propter febrem colliquatiuã, nisi fit solers admodum ingenium non potest discernere, vtrum conueniat frigidæ potio in inflammatione, an vero in febre colliquãte. Alii autem criminantur Gal. quasi voluerit autorem hic agere de alui profluuio à frigore pedum, putant scopum præsentis dictionis esse, tractare de acut. morb. quib. symptomata copulantur, f alui fluxus, ac propterea sententiam hanc non esse contemnendam. Sed miror sæpe libidinẽ nõnullorum, qui putant gloriosum esse contradicere Ga. Ne somniantit quidem ille id vnquam. Neq; is sum, qui existimem hac in re Gal. non plus sibi tribuisse; imo vero non solum Hipp. dictio non est perniciosa, sed est etiam maxime vtilis, cuius scopus est mea sententia, quod cum frigentib. pedib. supra dixit non esse dandum cibum, quia vel adest, vel etiam statim futura est accessio, & quia hoc non semper est verũ, vt vbi frigidi sunt pedes, non tamen indicant futuram vel præsentẽ esse accessionẽ, nunc subiungit, q; si in feb. acut. aluus sit ὑγρή, humida, id est liquida, & pedes frigidi sint, calefacere, ac contegere eos oportet, ceratis atq; fasciis, ne sint frigidiores reliquo corpore, quod si pedes sint calidi, haudquaquam amplius sunt calefaciẽdi, sed conseruandi ne frigeãt, atq; tunc potu vtendum est paucissimo, aqua frigida & melicrato. Hæc enim est pura, perspicua atq; vera præsentis sententiæ interpretatio. Circa quam videnda sunt nonnulla ad artis vsum maxime pertinentia; & primum, quid intelligat per aluum humidam, quomodoq; in ea pedes frigidi fiant; secundo, qua ratione velit in febre acuta calefaciendos pedes, tegendos aut calidos conseruandos, ne frigeant; tertio & postremo, qua ratione aluo humida existente velit paucissimum potum dãdum, atq; eam esse debere aquam frigidam, aut melicratũ. Sed prius duo sunt animaduertenda; vnum est, quod si aluus sit liquida, & pedes calent, esse nequaquam calefaciendos, sed conseruandos, ne frigeant magis quam vniuersum corpus; alterum est, Hippocratem cauere præcipue vt pedes semper calidi sint. Quod ad primum attinet, vbi aluus liquida est, non est studendum, vt pedes maxime calefiant, quia calor attrahit, inuitat, & veluti cogit ad se fluxionis impetum, & tandẽ sistit. Ceterum vt illud quod mox proposuimus examinandum, iã aggrediamur, aliqui interpretes grauissimi putant aluum humidam, hic ab Hipp. significare eam, quæ fit ob inflammationem alicuius visceris, aut ob grauitatẽ humorum peccantium, insimulq; facultatis retentricis imbecillitatem. Etenim antea in hoc eod. lib. vt audiuistis, Gal. docuit, fieri aluos fluentes ob febres vehementes colliquantes, quod etiam dixit 8. de med. loc. c. 6. & circa fin. 12. meth. Præterea 3. in 3. epid. 57. & alibi sæpe docuerunt Hipp. & Gal. febrium pestilentium inseparabile symptoma esse alui fluxum. Sed hæc interpretatio non leues paritur difficultates; quapropter satius est dicamus, quemadmodum scribit Galenus 2. prorrh. 3. quo in loco cum nominaret aluum ὑγρὴν. Hippocrates dixit de ea aluo humida loqui, in qua excrementa exeunt humida, & lassitudinis sensus ipsi ægro factus, quæ, vt sunt quidem symptomata morbosa, sed non perturbatoria, nec delirium portẽdentia. Ex quo loco conicio non posse significari hic fluxum illum pestilentium febrium, qui perturbatorius est. Quapropter existimandum est, aluum humidam hic appellari, in qua aluus quomodolibet fluit, quem fluorem appellare solemus diarrhœam, quasi de ea febre acuta loquatur, cui quilibet fluxus est copulatus. Sed quomodo fiunt in hoc fluxu pedes frigidi? Illi dicunt ab incendio interno, calorem ab externis partibus, ad interna corporis trahi, & propterea externa frigere, & pedes præ ceteris, atque, inquam, ab inflammatione principium sumere. Et mea quidem sententia alia est quærenda ratio; vna est, quia omnis euacuatio refrigerat; ita manе magis frigemus, quia magis vacui, cibus enim depositus in longinquiores partes

Feb. pest. inseparabile accidens alui fluxus.

Omnis euacuatio refrigerat.

Mane cur corpora frigidiora.

non potest calefacere. Sed est etiam alia ratio, frequentes nimirum exsurrectiones, & propterea debent Medici curare ne exsurgant ægri, vbi alui profluuio laborant, quia præter alia mala illud etiam incurrunt, vt refrigerentur sibi extrema.

Erat secundum, cur vult Hippocrates, vt Medicus sit adeo sollicitus, vt prouideat ne frigeant pedes. Aristoteles secunda sectione Problem. vigesimosexto dicebat, Medicos solere in aduersis valetudinibus iubere, vt pedes diligenter cooperianrur, ne frigeant, quoniam illa pars, non modo facile refrigeratur, verum etiam causa est, vt rigores toti corpori superueniant; quia vbi refrigerantur pedes, facile communicatur rigor toti corpori, quia sunt partes maxime nerueæ. Ratione neruorum facile refrigerantur; & quia sunt canales & ductus sensus, facile fit vt per eos ad vniuersum corpus feratur. Est etiam alia ratio, quia vbi frigent pedes, vix fieri potest, vt dormiant ægri, quare ad somnum conciliandum non parum confert, pedes habere calidos. Circa tertium, cur Hipp. dicat, vbi frigidi sunt pedes calefaciendos esse, vbi vero calent, conseruandos, ne frigeant magis toto, & tunc paucis potu vtendū, atq; aqua frigida & melicrato. Gal. scribit, vbi aluus liquida est propter inflammationem alicuius visceris, nullo pacto conuenire frigidæ potio, quia hæc inflammationem magis auget, non secus atq; aqua flammæ iniecta, eam altius exurgere facit. Sed fuerunt alii, qui dixerunt, Hipp. hoc in loco sermonem habere de iis febribus, quę 4. die vigorem & summam habent; & propter hoc non accipere tanquam medicamenta, sed alimenta, quasi dicat, parcissime alendos esse ægros tunc temporis. Sed puto ego non solum eum loqui de cibo & potu, vt alimentis, sed etiā medicamentis, quia olim medicamenta cibis libenter & frequenter miscebant, qa medicamentum in alimento optimū, dicit diuinus Senex noster. li. de ali. cum natura pellecta dulcedine alimenti, elicit etiam remedium mali sui. Cur ergo paucis potu vtendum censet, cum contra hodie replere fere omnes student? Et hoc verissimum est. Nā si multo cibo in febre acuta cum aluo humida aliquis vtatur, vel corrumpitur cibus vel exit crudus. Est etiam alia ratio, quia tutum & accommodatum remedium ad omnes fluxus est parcitas potus atq; cibi, quo membra reddita auara effluentes humores retineant. Cotuos laborantes alui fluore natura narrant edoctos à potu donec fluxus durat penitus abstinere. Sic frigida omnia in febrib. acutis actu conueniunt; in affectibus biliosis aqua; in pituitosis melicratum; imo Hipp. li. de aff. præcipiebat, vt in febribus ardentibus frequentes potiones frigidę sumerentur.

Vbi pedes frigidi, difficilis somnus.

Corporum solertia.

Ὁκόσοισι δὲ διατελέος ἡ κοιλίη.

Quibus in febribus aluus perpetuo est lubrica.

Vt dixi sæpe, hic liber sapit naturam 2. & 6. epidem. cum multa præcepta atque dogmata contineat, diuersa atq; separata, instar aphorismorum, cuiusmodi est præsens dictio, quæ videtur separa quædam sententia. Veruntamen si vlla connexio adhiberi potest, hæc erit, quod pergat autor tractare de variis aliis symptomaribus, quæ febri cum alui fluxu coniunguntur. Diuiditur autem hæc sententia in tractationem affectus, & in curationem eius. Tractatio hæc est, quod vbi in febribus aluus humida est, nec non mens turbata, ægrotantes floccos carpunt, nares scalpunt, & pigre respondent ad interrogata, nec ipsi ex se quicquam boni dicunt, talia melancholica sunt. Curationem vero spectantia hæc sunt, si aluus humida fuerit ac colliquans, conuenire sorbitiones frigidiores & crassitiores; similiter & potiones sistentes vinosiores magis, quam astringentiores.

Circa tractationem affectus, Galenus reprehendit autorem, quasi non sit verum, prædicta symptomata esse melancholica, sed potius phrenitica. Contra alii interpretes tuentes autorem dicunt, plane symptomata esse melancholiæ, non quidem firmaræ & quietæ, sed motæ, vt indicat alui fluxus. Et ipsi Galeno suffragantur Hippocrates, & omnium fere Medicorum scripta, atque ipse etiam Galen.

Hippo

Hippocrates enim primo prognost. dicit phrenitidis signum esse festucas carpere. Imo Galenus ipse narrans suam ægritudinem, quarto de locis affect. dixit, sese festucas collegisse, ideoque phreniticum fuisse. Ideo Aretæus libro primo de acut. capite de phrenitidis curatione, abradi omnia stragula iubet, vt ne pilus adsit, ne festucas venentur ægri; quemadmodum Celsus quoque memoriæ proditum reliquit libro secundo, capite sexto, eos semper facere consueuisse. *Festucarum venatibus qua stragula danda.* Quid igitur dicendum est? confugiendum est ad naturam ipsius rei. Nam certum est, Hippocratem hic loqui de accidentibus, quæ comitantur fluxum alui. Fluxus alui fit quidem ab omni humore, sed quia adhibentur remedia refrigerantia & incrassantia, quis non videt oriri ab humore calido tenui, cuiusmodi est biliosus humor. Quare si attendamus naturam fluxus, qui est occasio ceterorum accidentium, hic fluxus est biliosus, & causa aliorum symptomatum. Sed quid dicemus ad alia symptomata, quæ recenset. Inquit enim, vbi ægri tacent, aut pigre loquuntur, esse melancholicum. Certe si hoc symptoma consideremus, tacere & tarde respōdere ad interrogata, est melancholicum. Imo Hipp. 1. & Arist. in probl. dicit ἰχνοφωνίαν esse sobolem melancholiæ. *ἰχνοφωνία soboles melancholia.* Quid igitur dicendum est in hac difficultate, & cōtrouersia? Puto ego Hippocratem & Galenum vera dixisse, adeo vt hæc symptomata sint melancholica & phrenitica. Phrenitica, quia festucas colligunt ægri. & nares vellicant; Melancholica vero, quia tacent, & pigre respondent. Sed cur dicit potius melancholica esse, quam phrenitica? Certissimum est in corporibus nostris fieri nō solum affectiones diuersas, sed etiam contrarias. Coma vigil fit à bile atq; pituita. Ita vult Hip. dicere nunc hoc nunc illud fit, prout hic vel ille humor peccat magis alio, & hoc fere semper contingit, vt vbi alui fluxus adest, euacuat à bile, remanent melancholici succi, à quibus vapores deinceps in caput elati, pariunt melancholica symptomata. Nonnunquam accidit, vt euacuato humore melancholico, remaneant biliosi, à quibus pariter vapores sursum lati in caput biliosos effectos producunt Nunc vero cum Hipp. videret ex festucarū collectione phrenitidis posse suspicionem iniici, & alia symptomata esse melancholica, dixit potius esse melancholica,

Circa curationem duo sunt diligenter consideranda; vnum est, quod Hippocrates in fluxu colliquatiuo iubeat vtendum esse rebus astringentibus. Nam fluxus colliquatiuus semper coniunctus est cū summa putredine, quia vbi est summus fœtor, semper adest putredo; & è conuerso, vt Galenus 5. de med. loc. cap. 15. testatum reliquit; *Fœtor soboles putredinis.* si ergo fluxus est cum fœtore insigni, quis non videt, non esse cohibendum, ne perniciosissimi humores in corpore maneant, pessimaq; symptomata, & mortem (vt non raro fit) inferant. Alterum est considerandum, quis modus sit Hipp. loquendi potione vinosiori, quam astringenti potius esse vtendum. Vt autē quod primo propositū est enodetur, scire oportet, aliud esse medicamentū sistens, aliud astringens. Nam astringens στύφον καὶ στρυφνὸν, aut stiptieum & astringens, vt scribit Gal. 4. de simpl. med. c. 78. quod frigidum est ac terrestre. *στύφον καὶ στρυφνὸν quid.* Nam est commune ad acerbum & austerum, omneq; tale contrahit, densat meatus, siccat, repellit, partesque dissitas colligit ac vincit; σταλτικὸν vero, siue sistens (qua voce vtitur hic Hipp.) dicitur quodlibet, quod tam astringendo, quam attemperando motum rei firmat & cohibet. *σταλτικὸν quid.* Vnde tam possunt esse calida, quam frigida; modo enim motum humorum firmauit σταλτικὰ, siue sistentia nuncupantur. Quocirca cum autor iubet, vt fluxus colliquatiui sistantur, non id fieri voluit rebus astringentibus, quæ frigidæ & crassæ cum sint, retinent in corpore humores qualescunq; sunt, sed rebus sistentibus, hoc est, attemperantibus & attemperando firmantibus, atque sistentibus. Sic enim sæpennumero vsuvenit, vt fluxus calidissimi sola frigidę aquæ administratione compescantur; quomodo ipse memini me non semel choleras graues simili medicatione statim finiuisse quod pariter non est dubitandum facere alias huiusmodi res, quæ motui humorum contrariis qualitatibus opponuntur. *Frigida potus in cholerafelici sæpe successu adhibitus.*

Sed quid dicemus aduersus aliam dubitationem, quomodo dicat vtendm potius vinosioribus, quam astringentibus? Aliqui videntes forsan difficultatem,

legunt totam hanc clausulam non comparatiue, sed aduersatiue, quasi dixerat Hip. vinosiores, vel etiam astringentiores, quod non laudo, quia iam diximus, quæ vere astringunt in fluxibus colliquatiuis, & prauis non conuenire, ne pernitiosi humores in corpore retineantur. Alii vero dicunt Hippocratem omnino velle, vt quanto magis fieri potest, caueantur res astringentes, vsurpentur aut sustentet tantum. Sed illud est magis dubium, quomodo laudet vinosiores, quasi opponat vinosum astringenti. Aliqui videntes hanc difficultatem, dixerunt, Hippocratem pro vinosa potione intelligere vinum album, sub nomine vero astringentis intelligere vinum nigrum, quasi dicat, Hippocrates potius vino albo, quam nigro esse vtendum. Sed hæc interpretatio multas patitur difficultates. Primum enim haud verum est, vinosum Hippoc. significare vinum album, tum quia si consideremus facultatem, plerisque in locis dicit Galenus, vina alba esse exigua, & magis frigida quam vinosa & calida; tum quia si odorem spectemus, haudquaquam vinosus color significat album, vt etiam diximus alias; & vt scribit Arist. lib. de coloribus, vbi dicit, colorem vinosum esse veluti viam quandam ad nigrum, atque esse talem, qualis est maturescentium vuarum, cum scilicet ab albo ad nigrum transeunt, quo tempore generatur in ipsis succus vinosus. Secundo, non est verum, vina nigra esse astringentia, quia reperiuntur etiam astringentia, quæ non sunt nigra, & nigra, quæ minime sunt astringentia. Itaque potius dicendum puto eam vocem οἰνωδεστέρη esse adiectitiam, & ab aliquo insertam, cum sine ipsa dictio tota sit vera & perspicua. Vel dicere possumus, vbi potiones dandæ sunt in huiusmodi morbis potius ex vino, quam ex succis astringentibus esse prębendas, quoniam vinosa potio non ita lædet sicuti vsus importunus rerum astringentium.

Vinosum quid hoc loco. Hippocr. senet.

Nigra vina non omnia sunt astringentia.

Ὁκόσοισι δὲ τῶν πυρετῶν δῖνοι τε &c.

At quibus in febribus vertigines ab initio, & capitis pulsationes.

HÆc sententia satis perspicua est. Connectitur autem cum superioribus, quia pergit Hippocrates tractare de symptomatibus, quæ coniunguntur febribus acutis, qualia sunt vertigo, & capitis pulsatio. Est autem tota hęc sententia prognostica, in qua arte adeo excelluit Hipp. vt miraculum fuerit eius ingenium. Et hac ratione puto esse germanam, quia est πρόγνωσις. Galenus interpretans hanc sententiam, luculentissime docuit nos, quid sit vertigo. Et vt mentem Hipp. & Gal. intelligatis, scire debetis duplicem esse affectum vertiginosum apud Medicos; alter vocatur δῖνος, alter σκοτόδινος; Latine dicere possumus vertiginem, & tenebricosam vertiginem. Conueniunt inter sese hi affectus, quia vterq; nihil aliud est, quam praua imaginatio, qua omnia circumuerti videntur. Differunt autem, quia in vertigine, hoc tantum apparet; in tenebricosa vero vertigine, tenebræ quoq; offunduntur circa oculos. Quomodo autem hic affectus oriatur, audite. Imaginatio est operatio naturæ, & ea perficitur opera spirituum, qui vbi tranquilli sunt, tranquillæ quoque sunt mentis operationes; vbi vero perturbantur, necesse est quoq;, vt perturbentur animæ operationes. Eapropter cum in vertigine operationes spirituum perturbantur, iure fit, vt hęc symptomata fiant. Ratio qua perturbantur spiritus est, quod flatus siue in cerebro geniti, siue aliunde elati in ipsum cerebrum, & nequeuntes exire circumferantur in gyrum, qui secum vertunt etiam spiritus animales, atque hi vbi ferantur ad oculos, nisi impedimentum inueniant, offerunt simulacra eorum, qui in gyrum vertuntur. Et hinc fit, vt omnia videantur veluti moueri; & hinc vertigo simplex ortum ducit, quod si spiritus visorii inueniant impedimentum, quo minus queant ad oculos ferri, cum non videant, tenebricosa vertigo fit. Cum autem duplex sit hic affectus, de quanam vertigine loquitur Hippocrates. Puto ego loqui de vertigine simpliciter vocata, quia hæc fit semper fere decumbentibus; tenebricosa vero fit etiam stantibus. Vterq; tamen affectus semper est malus, idque duplici de causa, tum omni tempore, tum præsertim in initio morbo-

In prognostica Hipp. artifex admirandus.

Vertigo quid.

Vertiginis generatio.

Vertigo semper mala.

morborum, omni, inquam, tempore, quia est signum spiritus laborare, qui sunt vel ipsa anima, vel præcipuum animæ instrumentum, vt dicebat Galenus libro de tremore, rigore, & palpita. Est etiam affectio non parui momenti, quia signum est iam graue malum esse factum initio, quia, vt dicebat Hippocrates 1. progn. fœces nigræ, cum apparent in principio, sunt exitiales, quia signum est maximi incendii. Tum metuendum est, ne malum initio graue, multo magis sæuiat in ipso febris incremento & statu. Non secus quoq; capitis pulsatio malum, & præsertim si vrinæ tenues. Nam etsi, vt dicebat Hippocrates libro de princip. cerebrum sonum edere, Veteres aliqui existimarunt, sit tamen reuera, cum arteriæ repletæ à flatu spiritibus eleuatis à partibus inferioribus pulsarit, atq; vehementer etiam faciunt, vt huiusmodi pulsatio sentiatur. Quo in loco animaduertatis propter copiam & agitationem interdum eleuari, nonnunquam propter ebullitionem & feruorem, sicut in lebete fieri videmus ab ebullitione aquæ eleuari vapores, quod παφλάζειν appellat Hippocrates. Ita etiam fit in hypochondriis feruentibus. Est etiam pulsatio mala, quia denotat feruorem hypochondriorum, & crudum adhuc esse succum. Sed videre oportet, quomodo Hippocrates dicat vertigines atq; capitis pulsationes indicare febris incrementum futurum, & cur dicat, mirum esse, si non delirent; poterat enim dicere esse deliraturos? Quod ad primum pertinet, illud apud Hippocratem & omnes Medicos constitutum est, initio morborum omnia semper esse initia; deinde vero augeri magis atq; magis. Non est ergo mirum, dicere eum, vbi vertigo & capitis pulsatio in initio febris apparent, expectandum esse augmentum, atq; vt morbus vires sumat; minime vero cum vertigo & pulsatio capitis sint admodum diuersa à febre, videtur necessarium, vt ad hæc sequatur id quod solet continuo sequi febres, cum sint separata secundum naturam, quasi dicat; etsi vertigo & capitis pulsatio initio premant, expecta tamen, vt ad iudicationem febris exacerbetur. Sed cum sit affectus capitis, facile fieri potest, vt fiant deliria. Quomodo ergo id dicit Hippocrates? Duabus de causis; prima est; quia frequentissimum hoc esse voluit docere, quia dicere mirum esse, si non eueniat, est dicere, esse frequentissimum, vt ea res eueniat. Vel possumus dicere, quod vertigo non solet esse prænuncia delirii, sed epilepsię, apoplexiæ, similiumque morborum. Veruntamen vbi cum vertiginibus coniunguntur pulsationes capitis, & vrinæ tenues, quia signum est materiam esse feruidam, acrem ac subtilem, signum est fere semper sequi delirium.

Pulsatio capitis cur mala.

Veterum opinio de cerebri sonitu.

παφλάζειν quid.

In initiis morborum omnia initia.

Οἷσιν ἐν ἀρχῇ τὰ οὖρα νεφελοειδέα.

Quibus principio vrinæ nebulosæ & crassæ existunt.

Hippocrates cum proposuisset sibi tractare de symptomatibus febrium; primum egit de fluxu alui; deinde de operationibus mentis. Nunc vult tradere rationem occurrendi symptomatibus, quæ capiuntur ab ipsa vrina, adeo vt tota hæc sententia, quæ longa est, versetur circa contemplationem & negotium vrinæ, quo nihil est magis vtile atque necessarium, adeo vt prætulerit Galenus, cognitionem vrinarum exactam, ipsorum pulsuum scientiæ, & præserrim præserenda est in eliciendis coctionis signis, quia etsi Galenus nono method. capite quinto ea ex pulsibus colligat, sunt dubia obscuraque signa. Aristoteles vero quarto meteor. capite secundo, dicebat ex vrinis Medicos venire in cognitionem materiæ morbum facientis. Monstrant coctionem vrinę, sed præsertim in crassitie & tenuitate. Hippocrates itaque cum hoc cognosceret maxime facere ad faciendam medicinam, vt scilicet per vrinas coctio humorum cognoscatur, in præsenti dictione docere vult, quid sit faciendum secundum hæc signa. Sed quia tota hæc dictio satis fusa est, atque ab ipso Galeno, & aliis interpretibus in varias partes distracta, est multo satius in practicam & progno-

Vrina signũ coctionis certissimũ.

prognoſticam attis partem diuidere. In practica loquitur Hippocrates de craſſis & tenuibus vrinis, infta de tenuibus agemus, nunc de craſſis. Inquit autem Hippocrates, Si vrinæ craſſæ & nebuloſæ initio fuerint, purgato, ſi omnia alia conſentiant. Hæc proponit duntaxat de craſſis; de tenuibus vero multo plura dicet; cuius rei ratio eſt, quia, vt audietis, vrinæ craſſæ & nebuloſæ ſemper ſunt indicia coctionis; vbi coctio facta eſt, pauca ſunt agenda; eapropter vnicum hoc reſtat agendum, vt purgatio inſtituatur. Vbi autem vrinæ ſunt tenues, ſecus eſt, quia cruda omnia, principium nempe adeſt morbi; & idcirco circa præparationem, coctionem, inciſionem & apertionem meatuum, debet Medicus eſſe ſollicitus. Vt autem melius poſſitis percipere, quod dicit Hippocrates, atque etiam totam hanc ſententiam conuertere ad vſum attis, videndum eſt, quid ſit principium, quę ſunt vrinæ craſſæ & nebuloſæ, quid velit dicere, inquiens purgato, & cur addit, ſi etiam alia contulerint? Galenus 1. progn. 9. text. docuit principium apud Medicos proprie tripliciter accipi; vno modo accipitur pro primo illo inſultu, quando nondum factus eſt morbus; Secundo, pro tribus primis diebus, de quibus loquens Ariſtoteles 1. polit. cap. 11. dixit non licuiſſe his diebus aliquid facere; Tertio, accipitur pro toto illo tempore, in quo apparet cruditas. Nullo horum modorum poteſt ab Hippoc. hoc loco capi principium; neq; enim in primo inſultu, neq; in primis tribus diebus, neque in cruditatibus poſſunt apparere vrinæ craſſæ & nebuloſæ. Sequitur ergo, vt abuſiue capiatur. Nam idem Galenus initio lib. de temporib. morb. aliquando accipi, ſcribit principium, pro toto illo tempore, in quo liceat aliquid facere, per aluum vel vrinam. Et hoc modo plane mihi perſuadeo accipi debere in hac Hipp. oratione, quaſi dicat, ſi vrinæ craſſæ & nebuloſæ purgato, ſi talia contulerint. Ex hoc loco notate ignaros & barbaros eſſe Medicos, qui purgationem metiuntur, ſecundum numerum dierum. Sed ex vrinis hoc eſt colligendum. Veruntamen debent Medici hac in re induſtrii eſſe, ne fallantur, quia interdum nebulæ ſunt rudimenta excrementa, & reliquiæ præcedentis alicuius mali. Videamus modo, quæ ſunt vrinæ craſſæ & nebuloſæ. Galen. explicans hunc locum quoddam dicit diligenti contemplatione & memoria dignum. Inquit enim eſſe hunc morem Hipp. vt vbi aliquid commune proferat, ſemper intelligat id, quod melius eſt; vt ſi dicat, iudicium factum eſt, intelligat de bona iudicatione. Ita hoc in loco pro vrinis craſſis & nebuloſis intelligere debemus eas, quæ in hoc genere ſunt optimæ, craſſitiæ liquoris & ſubſtantiæ, vt tranſparentiam & perſpicuitatem habeant. Ita de ſedimento albo, leui, & æquali, eſt intelligendum, quæ vbi apparent, ſemper concoctum eſſe materiam indicant, & concocta medicari oportet, vt tradit Hippocrates libro 1. aph. Sed quæ debet eſſe purgatio? Non alia, niſi per medicamenta purgantia, quæ humores peccantes expurgare conſueuerunt. Sed cur addit, ſi alia contulerint? quia vbi eſt facta concoctio, diligenter animaduertendum, an natura velit ipſa expurgare excrementa, delnde per quas vias. Quæ ſi non agat, aut debiliter, excitanda eſt & adiuuanda.

Principii nõne varia apud Medicos ſignificat.

Ineptus, qui purgandi tẽpus potius ex dierum numero metitur, quam ſignis coctionis.

Hipp. mos.

Ὁκόσοισι δὲ ἐν ἀρχῇ τὰ οὖρα λεπτά.

Quod ſi vrinæ per initia tenues fuerint.

Dixi Hippocratem in parte præcedenti ſermonem habuiſſe de vrinis craſſis, quid ſit agendum, vbi vrinę craſſæ & nebuloſæ fuerint. Sequitur modo vt diſcurramus, quid agere debet Medicus, vbi vrinæ tenues ſunt in initio. Tota hæc dictio longa eſt, obſcura, & interciſa, vt mirer Galenum hæc non vidiſſe. Quapropter omni induſtria conabor veram rationem componendi, & claram tradendi vobis tradere. Docere ergo vult, quid ſit agendum, vbi vrinæ initio ſunt tenues, hoc eſt, quod ſit munus Medici, tota hæc ſententia in duas partes diuiditur; in primo docet, quid debeat fugere; in ſecunda, quid debeat facere. Dicit itaq;, vbi vrinæ ſunt initio tenues, non purgabis, ſed clyſterem adhibebis, ſi videatur. Rationem autem

addit,

addit, cur non sit purgandum, quia inquit, si purgabis, vrina non cōcoquetur, & febris citra iudicium, & citra sudorem protrahetur. De illis autem, quæ facere debet Medicus, duo adhuc proponit; alterum pertinens ad remedium, alterum ad victū. De parte pertinente ad remedium, dicit quiescendum, vngendum, & corpus æqualiter tegendum. De victu autem inquit, mulsam aquosam dabis, & vespere cremorem ptisanæ; quod si iudicatio sit propinqua, dum perturbatio adest, subtrahe sorbitionem, donec sedata est perturbatio. Et propterea (subiungit Hippocrates) Medicus diligenter debet obseruare dies iudicatorios, vt possit regulare victus rationem. Puto vos videre, quam grauis, quam firma, quam perspicua sit hæc sententia. Veruntamen apud Hipp. confusa nimis atq; obscura. Disputemus autem diligēter circa hanc, vt s. valeatis aliquid vtilitatis comparare ad vsum artis. Quæ sunt vrinæ tenues, audiuistis, quæ, quoad substantiā admodum subtiles sunt, neq; nebulam, neq; sedimentū habent, & semper cruditatē indicant, sed maxime initio. Dicebat autem Hip. 1. li. aph. In initiis nihil esse mouendum, quia omnia sunt cruda. Eapropter Hipp. eius præcepti memor, dixit, non esse purgandum, quia materia est cruda, sed vtendum clystere, si videatur. Quare apponit si videatur? summa cum ratione, quia vbi aluus lubrica sit, etiamsi sit cruda, non est mouenda; sed si sit astricta, quia in omnibus morbis debet Medicus maxime attendere, vt aluus sit lubrica, hoc est, altera saltem quaque die soluatur. Si autem purgabis, vrina tenuis non concoquetur. Est mos Hippocratis sæpe tribuere actionem signis, sic vrina dicitur cocta, quia est signum coctionis ipsius materiæ; & tunc coctam dicimus, quādo nebula substantia & sedimentum monstrant esse vrinam coctam. Quod ergo dicit, est, si purgabis, impedies, quo minus fiat coctio, quia hæc fit quiete; medicamenta vero purgantia agitant, atq; ita impediunt, quo minus fiat coctio exacta. Neq; etiam fiet iudicium & sudor. Sed fiunt etiam iudicationes per sudorem. Vult dicere Hippocrates, quod vbi medicamentis agitatur materia, remanet cruda; & cum nō possit ea de causa expelli, in longum protrahitur morbus, & fit vt non possit facere crisim, neq; sudor excitari. Et hoc sæpe fit, quod cum initio sæpe importune purgant, Medici, omnes excretiones retineantur. Purgandum quidem est, vbi materia turget, & maximum sit periculum, ne æger intereat, melius enim est impedire excretiones, & protrahere febrem, & iudicium, quam sinere, vt homo moriatur. Hæc de ea parte, in qua docet noster Hippocrates, quid sit fugiendum. Sequitur modo vt discurramus de ea parte, in qua docet nos quid sit faciendum. Vbi vrina tenuis est, totum studium erit conuertendum, vt concoquatur materia; quare, si videamus, quid sit coctio, quomodo fiat, & quibus videbimus quid sit agendum. Coctio duplex est, propria & impropria; propria, quæ habet pro fine nutritionem & generationem. Quæ impropria est coctio, habet pro fine expulsionē; Natura enim quoties circa humidum passiuum versatur, vt Arist. 4. meteor. cap. 1. scribit, semper habet alterum horum finem, vel vt coquendo perficiatur, & in formā atq; substantiam transeat, vel vt præparet ad faciliorem expulsionem. Vbi hoc agit natura, non alio instrumento vtitur, nisi ipsa coctione; hæc enim id quod est potētia in humido natura vel calor naturalis, reducit in actum. Et hoc est, q; dicebat Arist. 4. met. quando dicebat coctionē esse perfectionē à calore tū naturali, tū proprio ex oppositis paribilis. Si reducere ad formā vel alimentū non possit, præparat ita, vt possit facile expelli; siquidē cum sepenumero humidū sit viscidum, crassum vel permistū, conatur eiicere. Et hæc coctio, vt 2. de vict. acu. 44. habetis apud Gal. vniuersaliter est coctio. Sed dubiū est, quænā sit hæc natura, quę facit huiusmodi coctionem. Certissimū est in corpore nostro vnam esse animā quæ agit omnia per varia instrumenta. Sed qnā est calor, q coquit. Est. n. calor humoris circa quem versatur natura; & ipsius naturæ. Antiquitus & tempore nostro fuerunt aliqui, qui dixerunt, calorem concoquentē esse eum, q illi, q, concoquitur natura inest, ex autoritate Arist. 4. met. c. 3. vbi dicit, à proprio calore fieri, tum qa poma decerpta iam diu ab arbore, tādē maturescunt. quare proprium calorem dicunt autorē esse coctionis. Sed adiutam à calore partiū

Coctio fit quiete.

Coctio duplex propria dicta, & impropria.

Quorūdam opinio de calore coquete.

Sed

Sed hoc dogma est contra omnes Medicos, qui calori ventriculi & partium solidarum tribuunt. Neq; illud de pomis argumentum valet, quia calor pomorum est ipsius arboris, matricis & genitalis naturalis. Sed de his alias latius. Id nunc sit constitutum calorem insitum, & implantatum omnibus partibus solidis, esse autorem coctionis. Hic igitur est calor, qui humores præparat ad facilem expulsionem, & alimentum in formam aliam atq; substantia reducit. Sed quid dicemus ad Gal. qui 5. aph. 20. loquens de quartanis, scribit, calorem succedentem rigori concoquere; dicemus calorem febrilem esse calorem natiuum auctum, & propterea ille calor febrilis & naturalis potest appellari. Ceterum iam hic calor duos motus habet, vt Gal. scribit lib. de marasmo, & lib. de tremore rigori, altero sursum, altero vero deorsum mouetur; sursum, vt expellat fuligines deorsum, vt attrahat humidum, quo possit ali & sustentari, vbi altero horum modorum impeditur vel extinguitur vel minuitur. Quapropter debet Medicus studere, vt vterque motus conseruetur; quomodo autem conseruatur motus caloris deorsum? si alimento sustentetur; motus autem sursum conseruatur, vt si nimium moueatur, cohibeatur. Si parum aperiatur corpus, vt possit euaporare; quare tegit vbi oportet, in quiete conseruat corpus, ne eos motus impediat Hipp. qui videtis iam quam prudenter præcipiat tegendum, vngendum, quiescendum. Sed cur mulsam commendat aquosam? ad calefaciendum, & coctionem iuuandam. Verum, vt illud etiam addam, cognouit etiam Arist. quæ dixi, esse verissima, qui dicebat balnea & alia adiuuare coctionem, 4. meteor. quæ Gal. 3. de fœt nat. 1. tum 1. epid. sect. 2. tex. 44. explicans, dicit esse vnctiones vel cataplasmata, scilicet, vel aperiendo vel cohibendo, vt motus caloris natiui moderatus fiat. Quiescendum ergo dicit Hipp. & præsertim ab omni motu locali. Vnde fallitur Arist. qui putat motu adiuuari coctionem. Vngendum scilicet & linimentis, quæ vim habent euaporandi, quia quemadmodum frictiones aperiendo conseruant motum naturalem, ita quoq; vnctiones. Contegendum addit, ne calor natiuus expiret, aut à frigore suffocetur. Quoad remedium, inquit, exhibendam mulsam aquosam, vt dixi, ad calefaciendum, & auxiliandum coctionem. Ergo male vinum aliqui exhibent, cum hic caueat mulsam. Quare dicit, vespere sorbitionem dandam, quia coctio noctu magis perficitur. Vult eo tempore exhiberi, quo possit melius concoqui. Sed, inquit, obseruate oportet iudicationes, cum corpus perturbatum est, & vicina crisis, atq; calor natiuus fatigatus, & impotens, non est exhibendus cibus. Quapropter videre potestis aliquos non raro, imo me ipsum aliquando propter ægrum & assistentes, ne iugulare videar, secus facere, & tunc temporis cibum exhibere,

Arist. lapsus

Coctiones noctu meliores.

Μεμαθήκασι δὲ μακροὶ οἱ πυρετοὶ οἵδε.
Solent autem longæ fieri hæ febres, &c.

DIximus hanc partem de vrinis diuidendam esse in partem speculatiuam & practicam. Ceteræ partes sunt iam consummatæ. Itaq; sequitur, vt de parte prognostica loquamur. Hipp. scribit, si febris in vrinis tenuib. perseueret, & pedes frigent, abscessus fieri circa collum & aures. Si vero non frigent, alias habent mutationes; fit enim fluxus sanguinis è narib. vel alui. Hæc est perspicua admodũ pars prognostica. Vt autem hanc sententiam exacte noscatis, operæpretium est, primum videre, quid Hipp. primum intelligat per abscissum. Inquit enim fieri circa aures & collum. Gal. 12. prog. & 2. in 1. epid. tex. 41. & alibi, scribit apud Hipp: duo esse genera vera & summa abscessuum; aliud genus est, quod fit per excretionẽ, aliud vero per ἀπόθεσιν, siue depositionem. Abscessus, qui fit per depositionem, etiam duplex est; vel n. deponitur in aliquem locum, & tumorem facit; & huiusmodi abscessum appellat Hip. ἀπόστημα abscessum. Cels. vocat. Plin. & Cæl. Aur. apostema & abscessum nominant. Alius genus est, quotiescunq; morbus in aliud genus morbi commutatur ἀπόστημα, & abscessus dicitur. Sic Hip. 2. in 1. epid. 21. loquens de febrib. quibusdã erroneis, dicit abscessum fecisse, quando vertebãtur in aliud genus. Sed quomodo hic Hipp. est intelligendus? Non aliter, quam quod fiat per ἀπόθεσιν, quasi dicat, expectan-

Abscessuum duo genera.

pectandus est tumor circa collum vel circa aures, si febris perduret, & pedes frigēt. Quod si calent expectandæ ἐκκρίσεις, fluxus sanguinis è naribus, vel alui. Sed quæ est huius rei ratio? Gal. in com. dicit, hanc Hipp. sententiam similem esse illi, quam habet in Prog. lib. Sed vt ingenue fatear, nunquam potui hunc locum inuenire. Scio dicere, quod si in cōualituris pedes frigidi sint, expectādos esse abscessus circa partes infernas. Sed vt Gal. dicit, loquitur ibi de affectib. diuturnis; hic vero sermonem habet de acutis. Quæ igitur potest esse hæc ratio, quod frigidis pedibus, cum febres protrahuntur, expectandus sit abscessus circa collum & aures. In febribus acutis, vbi pedes frigent, signum est flagrare intus viscera, à quibus eleuantur vapores in caput, qui si crudi sunt, necessario deponuntur in aliquam partem; & cum cerebrum non possit longe depellere, ad collum & ad aures loca infirmissima deponit. Ceterū quomodo potest fieri, quod vbi pedes calidi sunt, expectandus sit fluxus sanguinis è naribus vel alui. Hac de re nihil dixit Gal. Ego vero existimo, q̧ vbi tennes sunt in febribus vrinæ, humores calidos exuberare, qui vel mixti sunt sanguini, vel ab eo sunt alieni; si mixti sunt sanguini, necessario feruntur in caput, vbi vasa narium petentes, atq; eadem aperientes, sanguinem profundunt. Verum enimuero vbi à sanguine fuerint alieni, facilime in intestina deponuntur, & fit alui fluxus, quanquam, vt hoc etiam addam, scire debetis, huiusmodi sententiam non esse ex iis, quæ necessario accidunt, propterea dicit, consueuerunt hæ febres interdum hoc facere.

Ὁκόσοισι δὲ πυρετοὶ ἀσώδεες εἰσί.

Quibus vero anxiosæ febres.

PErgit in tractandis febribus coniunctis symptomatibus, & præsertim anxiosis, qa scilicet ipsis angustię coniunguntur. Hę febres sunt maximi momenti in medicina facienda, & sæpe contingunt, præsertim vero his temporibus. Hæc quoque tractatio diuiditur à me in tres partes, in partem respicientem constitutionem affectus, curationem, & prognosin. Nunc de priore agamus. Pro constitutione huius affectus tres conditiones nobis proponit, æterna memoria dignas; prima est, vt ægri nesciant inuenire situm in quo maneant quieti, sed semper sese huc illuc iactent; secunda est, quod habent hypochondria tensa; tensio autem hypochondriorum, nihil aliud significat, nisi inflammationem visceris, ardorem, vt semper cum hac febre sit inflammatio visceris; tertia vero est, quod in his febribus semper pedes frigidi sunt, propterea dicebat Hippo. vbi hæ tres conditiones adsunt, summo studio & cura opus est. Videamus modo sigillatim vnamquamq; conditionem. Pro prima inquit Gale. facere hanc conditionem febrem, μόνιμον & æstuosam. Vix tamen hoc credam. Nam si omnis fetuor anxietatem induceret, in omnibus febribus acutis fieret. Iactant se quidem, sed non præ anxietate. Præterea difficile est videre, quid apud Gal. sit vox μόνιμον & καυσώδη. Latini interpretes appellant febrem permanentem. Quod si verum esset, in febre marasmo semper esset anxiosa febris. Malim vero ego legere μεγάλην, aut ex toro abradere. Dicit etiam Gal. fieri sæpe hanc febrē propter morsum ventriculi; & propterea καρδιαλγία appellata est hæc affectio, eo, quod cor mordetur, quod Veteres appellabant os ventriculi. Illud verum est, non semper fieri ratione bilis, sed interdum à pituita, cuius meminit Gal. dicens se vidisse aliquando excretam piruitam frigidissimam actu. Sed quæ est ratio, propter quā huc illuc se mouent, & nequeunt certo loco stare? Explicat Gal. hanc rationem in fine lib. 1. de mot. musc. vbi scribit, non alia ratione fieri, nisi quia cum os ventriculi offensam patitur, putat sese ex hac agitatione aliquid iuuamenti percipere homo. Sed Gal. 3. de crisib. circa omnes febres putauit semper quatuor esse consideranda, summa cum diligentia. Ideam, magnitudinem, motum, & morem. Videamus ergo quænam sit idea huius febris. De specie & idea huius febris, si mihi licet aliquid certi afferre, non alio nomine possum appellare, quam Lypiriam, de qua Hipp. etiam locutus est 2. de mor. & li. de aff. Quod enim sit Lypiria, ex eo patet, quia verus character huius febris est, vt interna flagrent, & exteriora frigeant, quod semper in his

μόνιμον quid, & καυσώδη.

In omnibus febrib. quatuor cōsideranda.

1. Idea.

Lypiria febris. quoque euenit. Quapropter non solum æstuosam appellare debetis, sed etiam Lypiriam. Quod ad magnitudinem spectat, hæc metitur secundum magnitudinem symptomatum. Sed Hippocrates non videtur nobis proponere vllum magnum symptoma. Imo vero ita magnum, vt nullum maius vnquam sit putatum, quam anxietas. Nam nihil magis præcipitat vires in vrinam. Sed frigere etiam extrema, est magnum symptoma, quia est mortale, vt in aph. Hip. scriptum habemus, flagrantib. interiorib.. Quapropter minime dubitandum est, febrem magnam debere appellari, & μεγάλω potius legendum. De motu, solet hic metiri secundū tarditatem & celeritatem, secundum quæ solemus etiam metiri tempora morborum. Hæc autem febris plane habet motum celerem, quia est febris acuta; imo etiam acutissima. Quapropter quod spectat ad motum, debet omnino celer & acutus morbus appellari. De more Gal. 2. proreth. 21. ex sententia Hipp. solet appellare omnes febres, quæ sequuntur inflammationes viscerum malignas. Vnde hæc quoq; cum pendeat ab æstu incendioq; atq; inflammatione visceris, sane maligna est habenda. Iam ergo magna cura opus esse, cum Hipp. recte subiungit, tum quis non videt vestrum in hisce febribus curandis.

2. Magnitudo. 3. Motus. 4. Mos.

Διάγειν δὲ τουτοῖσι προσφέροντας.

Eosq; degere oportet ita, vt nihil propter acetum mulsum.

CVratio febris anxiosæ copiose tractata est ab Hipp. 2. lib. de mor. & li. de aff. Hic autem breuiter de ea agit, quia potius respiciens ad ipsum symptoma, quam ad febrem de ea tractat. Sed vtcunq; sit, in duas partes diuiditur. In altera tractat q̄ pertinent ad victū; in altera, quæ ad remedia. Examinemus itaq; singula. De primo dicit, oxymel aquosum dandū, nec sorbitiones esse exhibendas, nisi morb. inclinet, & vrinæ coctæ sint. Circa hæc primum examinare oportet, cur exhibeatur oxymel, & cur aquosum, & cur nolit sorbitionem exhiberi, nisi inclinante morbo; & præterea cur non contentus dixisse inclinante morbo addiderit etiam, nisi vrinæ coctæ sint. Circa primum, non videtur conuenire oxymel in febre anxiosa, quia ratione aceti lædit partes neruosas; in febribus autem læsum est os ventriculi, quod cum sit neruosum, rationi consentaneum est, multo magis ab oxymelle læsum iri. Præterea aut fit morsus ventriculi ab humore calido, aut à frigido si ab humore calido, non conuenit oxymel sed succus granatorum, quemadmodū Hip. & 2. epid. vsus esse videt̄, hoc succo cum polenta, s. refrigerante & incrassante. Sed si à frigidis humorib. fiat, conuenit vinum æquale æquali, vt habemus apud Hippoc. in aphorism. Galen. vt hunc scrupulum & scopulum euaderet, dixit hanc affectionem, de qua loquitur Hippocrates, originem ducere ab humoribus frigidis & viscidis, & propterea conuenire oxymel, quod incidit, attenuat, & excalefacit, sed, vt dixi, ego vbi frigidus & viscidus humor est, ratione neruositatis oris ventriculi, non videtur conuenire. Quapropter dicendum puto, anxietatem esse interdum præcipuum morbū. Nonnunquam symptoma. Si enim morbus præcipuus sit, curandus est maxime. Si à calida causa, succo granatorum; si à frigida, vino. Si vero vt symptoma, secus est, & cōuenit sane oxymel. Sed cur commendat oxymel aquosum? Gal. in com. inquit, quia simplex oxymel vsurpandum, vbi opus est, vt per longū iter permeet, veluti ad pulmones. Ceterum hoc in loco, vbi hypochondria sunt affecta, & breuius est iter, cōmendat oxymel aquosum. Sed pace Gal. non possum commendare hanc interpretationem, quia q̄ penetret, vel non, ex loco habetur. Sed vera indicatio sumitur ab affectu. Quare crediderim, non respexisse indicationem à loco affecto desumptam præcipue, sed eam, quæ ab ipso affectu ducitur. Quare puto alia ratione illud etiam probasse, quia s. Medici non debent tantum aciem dirigere ad anxietatē, sed etiā ad febrem ipsam, quę cum sit acuta, vel refrigerantibus, vel saltem temperatis agendum est. Et hac etiam ratione commendabat Hippocrates secundo de morb. mulsam aquosam. Sed est etiam alia ratio. Nam sicut apud omnes Medicos antiquitus, vt Plin. libro vigesimotertio, cap. 1. scribit, vinum in febribus vetitum fuit, præsertim in morbis nouis & ingrauescentibus, ita oxymel purum iure damnatum.

Notabilia quædam.

Sequitur

Sequitur sorbitionem non esse dandam, nisi inclinante morbo & vrinæ fuerint cõcoctæ. Iam sæpe audiuistis, ante crisim non esse transeundum ad victum vberiorem. Nunc autem vult, vt nõ solum sit crisis ipsa facta, sed diu anxietas desierit, quia hæc vsq; adeo ventriculum labefactat, vt eius infirmitas non ferat sorbitionẽ in crisi, sed post crisim. Sed cur ergo addit Hipp. nisi vrina sit concocta? Hoc est magnum præceptum, & ab omnibus Medicis diligenter & firmiter obseruandum, quia sæpe vsu venit, vt symptomata mitigentur, & morbus inclinare videatur, & tamen recurrant. Igitur etiam coctionem vult considerari, quia, vt is in 6. epid. scribit Hippocrates, coctio securitatem & breuitatem morbi significat. Atque hæc quoad cibum & potum. Sequuntur duo alia pertinentia ad victum, vnum ad somnum & vigiliam, alterum ad motum & quietem. De somno & vigilia dicit, laborantes febre anxiosa esse collocandos in domo obscura, & lecto molli. Sed quæ sunt hæc precepta, à Medicis hodierno die vel aspernata, vel saltem omissa. Methodici, vt notat Cæl. Aurel. sæpe commendabant, vt haberent multam lucem, & strata mollia, vel tenebras, & dura strata, pro ratione corporum magis vel minus astrictorum, laxorumq; plurimum huic attribuentes. Nam vbi corpora erãt laxa præ ceteris laudabant, tenebras, stratumq; durum, vbi vero erant astricta nimis, lucem, molleque cubile præcipiebant. Sed cur Hipp. nunc vult vt decumbant ægri in domo obscura & lecto molli? Gal. de domo obscura sermonem habens, inquit, hoc remedium nõ esse propositum ab Hipp. vt curet ipsam affectionem, & inflammationem, sed potius ad placandam molestiam; quasi vero ægri habitantes in domo obscura, minus molestiæ persentiant. Pariter de molli strato dicit. Ego autem dico propter duas causas hoc fecisse, primum, quia lux in his affectib. anxiosis cum dispergat spiritus, videtur multo maiorem laxitatem addere, & propterea magis dolere. Præterea in febris anxiosis Medicus debet maxime studere, vt ægri dormiant, quia quousque dormiunt, ægri non modo molestiam non percipiunt, sed malum minuitur; quia lux auersa maxime ad somnum conciliandum facit. vt notauit Aristotel. 6. li. prob. vltim. vbi notate, morem veterem lectos ponendi, vt haberent auersam lucẽ; præterea commendat molle stratum ad coctionem iuuandam, & vt cum ægrotantes huc atq; illuc sese moueant, multo facilius tolerent eam agitationem, cum sit lectus mollis. Circa motum & quietem curat omni studio, vt maneant in eodem situ. De hoc remedio loquens Gal. scribit esse hoc præceptum curatorium; siquidem cum opus sit inflammationem maturari, inquit, quiete omnino maturari. Addo etiam aliud, scilicet huiusmodi impedimenta coctionum ipsos motus naturales finire. Vide Rabb. Moys. in suis aphoris. ni fallor, vbi citat Gal. ex lib. de motib. manifestis, qui liber non extat hodie, vbi scribit, esse quosdam motus, qui ab ipsis ęgrotantibus finiuntur, vt cohibere sternutationem, finit eam, similiter finit tussim, veluti est apud Platonem ad Lysimachum. Postremum est præceptum. quod dicit Hippoc. circa remedia præcipit, vt hypochondria illinantur semine lini in aqua & oleo decocto. Sed cur hoc vnum præsidium adfert Hipp. Dixi alias, scriptores veteres fuisse amantissimos breuitatis; prætetea fuit sententia Hipp. 2. epid. veniendũ esse semper ad occasionem, & occasionis initium. Inflammatio, tensio hypochondriorum est origo, occasio, vt sic dicam, & occasionis initium in hac febre. Itaq; huic maxime est occurrendum. Medetur sane semen lini, decoctum in aqua & oleo his malis, quia emollit, maturat, humectat, obstruit, moderate calefacit, quibus omnibus opus est in tensione. Et idcirco contentus Hipp. ostendisse modum inueniendi remedia, vnum duntaxat attulit exemplum. Sed cur nullius instrumenti chirurgici meminit? vt scilicet, vel nullis, vel paucissimis remediis vteremur, in his præsertim affectibus, quib. coniungitur anxietas, vt Gal. 1. ad Gla. c. 14. docet, & Auic. 1. 1. vbi dicunt maxime cauendũ esse à venæ sectione, quod vbi ob immanissima illa symptomata vires maxime labuntur, cauẽdum est, ne magis ruant, ex sanguinis missione. Neq; etiam purgantibus est vtendum, quia præterquam quod turbant, deducunt à toto corpore humores in ventriculum, vnde fit, vt magis lædatur.

Lux in morbis anxiosis cur fugiẽda.

Obscuritas somni illecebra.

Mos Veterũ in ponendis lectis.

Τεκμαίρεσθαι δὲ ἐκ τῶν οὔρων τὸ μέλλον.

Coniectare autem oportet ex vrinis quid futurum.

DVbitari potest, vtrum proposita hęc sententia, sit aphorismus particularis, ita vt sit doctrina de vrinis peculiaris, an potius sit pars prognost. ad febres anxiosas pertinens. Et quanquam nonnulli existimarunt, & fortassis etiam Gal. esse sententiam quandam separatam; ego tamen puto dum contemplor modum loquendi, esse partem prognosticam, quasi dicat Hipp. coniectura colligere oportet, futurum ex vrinis in his febribus anxiosis, quia si crassæ & flauæ sint meliores; si nigræ & tenues deteriores, quæ est prima pars? (Nam in duas partes diuidam, vt facilius mentē autoris comprehendatis, atq; memoriæ mandetis,) Secunda pars est, quod si mutationē habent, tempus significant, & morbus modo in melius, modo in deteri⁹ mutatur. Sed circa primā partē videre oportet, cur dicat coniectari oportet. Secundo cur cum multa sint ex quib. solers. Medicus futura colligere potest, vt facies, oculi, excrementa, de quib. Hipp. in Prog. li. agit, non ex alio tamen colligendum putat, quam ex vrinis. Postremum est, cur dicat, vrinas crassas & flauas esse meliores, nigras vero & crassas deteriores esse.

τεκμαίρεσθαι & τεκμάρσις quid apud Hippocratē.

Hæc vox τεκμαίρεσθαι & τεκμάρσις, significare solet apud Hip. cognitionē eam, quæ comparatur ex certis signis, qua voce vtitur etiam in initio huius libri, & pluribus aliis in libris atq; locis. Differt autem hęc coniectatio à vera cognitione, q̄ habetur per causas, quia hæc per posteriora habetur. Vult igitur dicere, q̄ futurū est, coniectandum est. Futura non habentur per causas, nisi necessarias. Sed res contingentes non autem necessariæ, sunt cōiecturales. Et hinc Auerr. atq; etiam nonnulli alii senserunt, artem nostram esse coniecturalem. Sed video ingeniosum aliquē esse dubitaturum, quomodo fieri possit, vt ex ipsis vrinis coniiciamus aliquid boni, siquidem vrinæ fiunt ex materia potulenta? Respondeo verissimū quidem esse, vrinā nihil aliud esse, quam materiam potulentam, (& glorior me hac in re plurimum lucis attulisse, imo magnopere sum delectatus, quando legi acutissimū Argenterium idē sensisse. Atq; doctiss. Vallesius dicit, hanc sententiam esse recentiorum, & de me nullam facit mentionem, cum tamen scio à me habuisse) Sunt tamen maxima signa venarum & arteriarum, quia materia hæc potulenta alteratur in hepate, quæ cum in venas ex hepate fertur sanguini iungitur, eiusq; qualitates imbibit. Et Gal. 1. de cris. c. 12. tanti fecit signa desumpta ex vrinis, vt longe prætulerit ipsis pulsibus. Iure itaq; ex vrinis in febribus anxiosis signum capit, quia cum indicāt nobis venarum & arteriarum statum, quis non videt præ ceteris omnium febrium putridarū statum nobis aperire. Videamus modo, quomodo dicat vrinas crassas & flauas esse meliores; Nigras vero & tenues, deteriores. Galen. dicit, illas esse salutares, & has mortales. Sed non possum Gal. assentiri, qui Hipp. sæpe vtitur his vocib. salutare, lethale, mortale. Nunc vero non vtitur. Sed voluit aliud significare. Prius ad memoriam reuocare oportet. quæ in lib. prog. & prorr. dixit Hipp. de vrina optima. Nā cū vrinā optimā rite pernoscatis, facile dignoscere poteritis, quænam ab hac plus vel minus decedat, & melior aut deterior sit. Optima vrina est illa, quæ substantiam habet moderate crassam, & moderate tenuem, quæ subsidentiam albam leuem æqualem, & in acumen fastigiatam, sine vllo odore, & quæ perseuerat vsq; in finē, tū colore subaureo prædita. Iā vero crassa & flaua multo magis accedit ad optimā, quam nigra & tenuis. Sed dicat aliquis, Gal. li. 1. de cris. c. 12. dicit, vrinas nigras semper esse exitiales, imo narrat, se neminem vidisse seruatum ex iis, q vrinā nigrā reddiderunt. Itaq; sub nomine deteriores, intelligendum est lethales. Dico vrinas nigras, quæ minguntur, vel esse tenues, vel crassas; & vtraq; hæc vrina mingitur in morbi initio vel progressu. Si initio vrinæ nigræ mingantur lethales sunt, quia cum propter ingentem adustionem fiant, signum est iam incendium esse consummatum. Itaq; si morbus debet augeri, si vel plusculum augeatur incendium, necesse est, vt homo intereat. Sed de hac non loqtur. Verū si mingantur vrinæ nigræ in progressu morbi

Ars medica cur quibusdam coniecturalis visa.

Doctrina de vrina qualis.

Vrina quæ optima & ceterarum idea.

Ex vrinam nigram mingentibus neminē seruatū Gal. vidit.

NB.

non

non sunt ita exitiales, & præsertim si sint tenues, quia in progressu morbi, & præsertim circa statum & declinationem fiunt nigræ, propter mixtionem humoris melancholici. Mixtio fit propter expulsionem naturæ, etsi tenues fuerint, signum est minimum humoris melancholici tetri abundare. Sequitur secunda pars, quæ est, si vrinæ mutationes habent, significant tempus & morbus modo in deterius, modo in melius labitur. Quæ vt faciliter & tenaciter comprehendatis, videndum est breuiter & diligenter quid sit mutatio vrinarum; & cur in mutationibus frequentibus vrinarum apparet morbum diuturnum fore. Tertio, cur nunc in melius, aliquando vero in deterius vergat. Mutationes vrinarum dicuntur quoties substantia sedimenta color, omnisq; constitutio mutatur. Sed quomodo hæc mutatio solet fieri? propter duas causas, Internas & externas. Hic est mutatio facta absq; vlla causa externa; quod enim ab externis causis mutentur vrinæ, 1. de crisib. cap. 12. apud Galenum habetis. Et vt aliquid ego afferam; primum, somnus & vigiliæ mutant vrinas, Celsus & Plinius lib. 23. dicebãt, vrina, quę primum mingitur, primũ rubra est; deinde alba. Motus etiam, quia plerisq;, dum ambulant, equitant, aut curru vehuntur adeo incalescunt renes, vt mingere ignem videantur. Ita quoque motus animi, vt mœrentes albam vrinam & tennem faciunt. Præcipue autem cibus, & potus, ita ieiunantes igneas vrinas faciunt asparagi, fœtidam vrinam faciunt. Imo narrant, qui scribunt, nauigationes Indiæ, esse ibi quandam radicem, quã qui edunt, reddunt vrinas sanguineas. Si mutationes igitur fiant, tempus significant, hoc est morbi diuturnitatem. Diuturnæ enim illæ febres appellantur, quæ diu durant, quasi dicat, febres hæ anxiosæ, etsi sint acutæ, fiunt tamen diuturnæ, si frequẽtes mutationes vrinarum apparent. Ex hoc loco colligere potestis modum cognoscendi futurum morbum diuturnum; quando in vrinis frequentes apparent mutationes, quia mutatio, quæ fit intrinsecus, non potest alia ratione fieri, nisi quia variæ & plures sunt affectiones, quæ non possunt præfinire vnam eandemq; materiam & certam speciem. Vnde necessarium est omnino morbum protrahi. Nam si natura sæpe defatigatur in vna materia atq; affectione, plus sane laborabit in superanda varia & diuersa materia, pluribusq; affectionibus. Postremo dicit, morbum modo in melius, modo in deterius mutari, Hippocrates 2. aphorism. dixit, Morborum acutorum non omnino certas esse prædictiones salutis aut mortis. Huius aphorismi hæc est pura & vera interpretatio, quia habent morbi acuti mutationes, & modo in melius, modo in deterius labuntur. Sed quæ est huius rei ratio? primum quia vbi varietas materiæ est, necessario fit, vt humor modo benignus, modo malignus euadat, quia prout putredo humoris vel maior vel minor fit; sic materia redditur benignior, vel malignior, & morbus melior, deteriorq;; præterea cum naturæ certamen est aduersus varias & diuersas materias; aliæ aliis magis fatigant, quando magis fatigatur, morbus maior euadit, & consequenter deterior. Interdum fit, vt materia sit mitior, benignior, & consequenter facile superatur, & morbus mitescit.

Vrinarum mutatarum causæ vel externæ vel internæ.

Asparagi fœtentem vrinam faciũt.

A radice quadam vrina sanguinea.

Τὰς δὲ ἀκαταστάτους τῶν πυρετῶν ἐᾶν.

Inconstantes febres, donec consistant, sinere oportet.

HAnc sententiam vix dubitare licet esse coniunctam cum superiori, quia separatus quidam aph. esse videtur; veruntamen si libet etiam pręcedentia coniungere, ita statuendum est, Hipp. ex vrinæ varietate & inconstantia docuisse morbos inconstantes. Nunc autem docere vult, quomodo in morbis inconstantib. sese gerere debet Medicus, & quia nimis longum fuisset in omnibus illud morbis docere, accepit tantum pro exemplo febres. Sed cur febres potissimum pro exemplo sumpsit; causa est manifestissima, quia sicuti inter omnes morbos febres habent certas periodos, ita quoq; habent incertas & inordinatas; vt cum inconstantia maxime eluceat in febribus, iure merito acceperit pro exemplo febres. Est autem sententia propo-

Febres incõstantes à Medico non debere tractari. propoſita hæc, febres inconſtantes non debet Medicus tractare, ſed ſincere donec conſtent, poſtquam autem conſtiterint, debet præſcribere victum, & rationem curandi, ſimulq; contemplari id, quod naturale eſt. Circa quam ſententiam operæ pretium eſt tria examinare, primum, quæ ſint febres inconſtantes; deinde, an verũ ſit, has febres non eſſe tractandas, niſi conſtiterint; poſtremo, quid ſit illud naturale, quod præcipit Hipp. vt conſideretur. Gal. interpretans, quæ ſint febres inconſtã- Inconſtãtes febres quæ ſint. tes, inquit eas eſſe, quæ nullam certam periodum, neq; certam vrinam, neq; certam vllam ſpeciem habent. Non certum periodum, quia modo tertianæ eſſe videntur, iam quartanæ, interdum quotidianæ. Deinde vrinas habent modo tenues, modo craſſas, coctas crudasq́. Sic Hippocrates 3. aph. & 2. epid. ſect. 1. tempora inconſtantia appellabat, quæ nullam habent qualitatem ſibi familiarem, vt ver humidus, calidus vel frigidus, aut ſiccus, eſt inconſtans. Haud ſecus quoq; in coacis Hippocrat. vocat rigorem inconſtantem, qui nullum ſeruat ordinem, qui modo tarde, modo cito, modo maior, modo minor inuadit. Inconſtantes igitur febres ſunt, quæ non Febres incõſtantes & πλανήτες an eadẽ ſint. habent certam periodum, vrinam & ideam. Sed percunctari poſſet aliquis, vtrum febres inconſtantes & erraticæ; quæ à Græcis πλανῆται dicuntur, ſint eadem, an diuerſæ; quia ſi vocis ipſius ſignificationem expendamus, perinde videtur, eſſe inconſtantem eſſe morbum & errantem. Ex altera parte eſt autoritas Hippocratis, qui videtur differentiam facere inter febrem inconſtantem, & febrem errantem. Ii enim enarrant 3. in 3. epid. text. 63. quoſdam morbos, qui eo tempore vagabantur, inquit fuiſſe, erraticas anxioſas, & inconſtantes. Ex quibus verbis facile colligere poſſumus, etſi Gal. nihil hac de re dixerit, diuerſas eſſe febres inconſtantes & erraticas. Vt autem huius rei ſolutio habeatur, ſtatuendum eſt omnino febres erraticas di- In quib. differant. uerſas eſſe, & febres inconſtantes. Atq; differentiam harum febrium poſitam eſſe in tribus; primum enim in eo differunt, quod ſcilicet erraticæ proprie dicuntur, quæ ordinem quidem habent, ſed admodum perturbatum, ita vt modo mane, modo veſperi, modo meridie inuadant; adeo vt nullam certam periodum habeant. Inconſtantes vero non ſolum circa ordinem, ſed penes multa alia, videte Hipp. 2. in 1. epid. comm. 25. & 33. inquit Hippocrates, errabunde & inordinate idem eſſe. Et Erotianus interpretans, quæ ſint febres erraticæ, dicit eſſe inordinatas. Celſus elegantiſſimus autor, libro ſecundo, capite primo; & libro tertio, capite quinto, appellat vagas, quemadmodum illæ febres, quæ habent ordinem certum, appellantur ſtatæ, hoc eſt, quæ habent certam & firmam periodum. Differunt quoq; in alio febres erraticæ & inconſtantes, quia febres erraticæ, vt dicit Galenus 2. de diff. febr. in fine, fiunt propter duas cauſas; vel propter errorem externum, vel propter permutationem humoris, ſcilicet quando ex ſanguine fit bilis, vel ſi bilis fit ex pituita, quando ex pituita fit atra bilis. Veruntamen magna ex parte fiunt ex humore aduſto, ex cineribus aliorum humorum. Ceterum febres inconſtantes non fiunt ex permutatione humoris, ſed ex humore, qui mouetur modo huc, modo illuc, neq; vnam & certam ſedem habet. Et forſan huic generi febrium ea ſpecies eſt contraria) quam μόνιμον audiuiſtis antea appellatam, id eſt, ſtatam, quia vt illa nunquam vnum eundemq; locum habet, ita hæc ſemper ſeruat proprias ſedes. Tertia differentia febris erraticæ, & febris inconſtantis eſt, quoniam, vt ſcribit Gal. 3. in 1. epid. com. 17. in febribus erraticis fiunt quædam ſigna in diebus decretoriis, ex quibus licet iudicium facere. Sed de inconſtantibus nequaquam licet iudicium ferre, quos δυσκρίτους appellat Hipp. 3. aph. lib. hoc eſt, difficilis iudicii. Poſtquam autem viſum eſt differentiam eſſe inter febres erraticas, & febres inconſtantes videamus, quomodo Febres erraticæ vt fiãt generentur. Febres erraticæ, vt dicebam ex Gal. in fine lib. 2. de diff. feb. primum fiunt ex erroribus, quoties in cibo aut potu modus exceditur, aut quoties aliquis iraſcitur, aut quoties tandem aliquis error externus committitur, ab ipſis ægris, aut Medicis, ordinatæ febres fiunt inordinatæ. Et ob hoc vbi tertianam vel quartanam mutare videbitis periodum, errores commiſſos eſſe ſuſpicamini, & de iis inquirite. Sed fiunt etiam febres erraticæ propter humoris permutationem. Nam ſæpe vſuuenit,

uenit, vt sanguis putrescens euadat bilis; hæc adhuc putrescẽs, euadat melancholia. In hac varietate putrescentis humoris fiunt erraticæ febres. Sed incõstantes febres fiunt ab humore vno duntaxat, sed non habente sedem firmam, vt exempli gratia, si bilis putrescat modo in hepate, iam in renibus, interdum in liene, & vt vno dicam verbo, iam in hac, iam in illa parte, fiunt febres inconstantes. Erat secundum considerandum, vtrum verum sit febres inconstantes non esse tractandas, sed esse finendas, donec constiterint. Primum autem hoc consilium videtur inutile & perniciosum. Dicebat.n. Hipp. 1. li. aph. vbi turget materia statim esse purgandum, hoc est, si ita feratur huc illuc, vt nescias an in partem nobilem vel ignobilem præcipitetur, q. est esse inconstantem materiam. Quomodo ergo dicit in inconstantibus febribus nihil agere oportet, sed finere. Et præterea Celsus lib. 3. c. 1. loquens de acutorum morborum, & furentium curatione dicit, statim esse illis occurrendum, & nisi remedia profuerint, esse prorsus ad alia quamprimum confugiendum. Præterea Gal. docens, quanti referat cognoscere prima die iudicium futurum, dicit esse ignoscendum, si prima die fugiat aliquem Quod si vero 3. 5. vel 7. minime. Quod si verũ est, sequitur quod non debeamus finere, sed statim aggredi curationẽ. Addit Auic. vbi non cognoscitur ægritudo, subtiliandũ esse regimen. Quomodo ergo vult Hip. vt finatur inconstans, donec constiterit. Hac in re opus est iudicio & solertia Medici. Etsi vlla in re maxime ea vnquam opus est, præcipue dirigenda est omnis ingenii vis in morbis inconstantibus. Atq; in morbis inconstantib. curandis videre oportet an febris sit acuta & maximis periculis coniuncta, an vero sit secura, hoc est, sine vllis grauibus symptomatibus. Si autẽ sola inconstantia adest, debet certe finere, donec constiterit, & de hac loquitur Hipp. in præsenti dictione. Sed si grauia aliqua symptomata sint coniuncta, debet mitigare symptomata, & victum instituere. Sed cur finere illas febres debet, quæ sunt inconstantes puræ. Duæ sunt potissimum rationes, vna est, quia ignoratur materia, à qua fiant, & sedes affecta. Ignorata materia quomodo potest tuto victum præscribere, & curationẽ? certe nullo pacto, quia potest habere rationem pituitæ, & bilis peccare. Deinde potest in iecinore esse malũ & ipse adhibere remedia lieni. Itaq; præstat expectare secure, quam cum periculo interimere. In inconstantib. vero febrib. cum maximis symptomatib. etiamsi possit aliquis errorem cõmittere in cognitione materiæ, tamen multo magis salutare est, symptomatib. occurrere, quam morbum errorib. prouocare. Postremum est, quid sit q. Hipp. moneat, vt cõtempletur Medicus id, q. est naturale. Hæc propositio vbi consideratur diligentissime, potest referri vel ad primam sententiam, hoc est, permittendos esse morbos inconstantes, donec finant contemplando id, q. est naturale; vel ad secundam, vbi constiterint, victum præscribendum & remedia, contemplando id, quod est naturale. Sed vtrum fiat, perinde esse videtur, puto tamen multo satius esse, vt referatur ad posteriora hæc verba. Sed quid est illud q. est naturale appellatum hoc in loco? In epistola Poeti, q̃ est in initio epist. Hipp. habetur, quosdam esse morbos, qui à natura fiunt, hoc est, absq; vlla causa apparente. Sed non puto naturale appellari omnes morbos, qui à natura fiunt; Sed puto potius cum inter causas morbosas aliæ sunt naturales, vt ætas, consuetudo, & habitus corporis, de his intelligendum esse, quasi vero dicat, vbi febres inconstantes iam constiterint, & victus ratio atq; remedia sunt instituenda, debet maxime animaduertere naturam ægrotantis, consuetudinem, & habitum corporis.

Vtrum febres inconstantes omittenda sint.

Inconstantium morborũ tractatio artificiosa est.

NB.

Naturale quid hoc loco sit Hipp.

Εἰσὶ δὲ ὄψιες πολλαὶ τῶν καμνόντων.

Sunt autem aspectus ægrorum multi.

QVod nunc dicit, est, esse multas facies ægrorum, quarum causæ manifestæ & nõ manifestæ, debent esse notæ Medico, præsertim vero illæ, q̃ apparent in dieb. imparibus, quãdo quidem numerus impar, diligenter est obseruandus, quia ab hoc numero ægri in melius, vel deterius mutantur.

Diebus imparibus ægri vel in melius vel deterius mutantur.

Galeni vocũ quarundam explicatio ventilatur.

Hæc ſententia perſpicua eſt ſatis; veruntamen Galenus in interpretatione magnam occaſionem dedit, vt ipſam damnarent. Nam exponens hanc præclaram Hippoc. ſententiam, dixit, vocem ὄψιες ſignificare ſpecies & formas & differentias morborum, ſub nomine vero καμνόντων, intelligere ipſos morbos, quaſi vero hæc ſit ſententia, quod multæ ſint morborum ſpecies, quas Medicus debet contemplari, & quorum cauſas debet cognoſcere. Sed, vt libere loquar, hæc interpretatio dura eſt, ab vſu omnium ſcriptorum aliena, & quod caput rei eſt, neq; etiam conuenit grauitati Hipp. Quod dura ſit, apparet, quia inter aſpectus, ſeu formas & ideas, non minus intereſt, quam inter cœlum & terram, neque valet ſignificare hanc vocem ſpecies rerum & formas, quia oculis cognoſcuntur, quia etiam ſi Ariſtot. 1. metaph. dicat, viſu res diffetentes cognoſci, tamen ſi res recte expendatur, ratione magis cognoſcuntur. Sed durum eſt etiam ſub nomine ægrotantium intelligere ægritudines, quia Hippocrates non conſueuit ita longis & diuerſis imaginibus vti. Eſt etiam ab vſu omnium ſcriptorum alienum, quia ſi percurratis Hippocratem, Platonem, Ariſtotelem, & Theophraſtum, apud neminem inuenietis hanc vocem ὄψιες, ſignificare ſpecies & differentias. Sed ponamus ita eſſe, quid quæſo docet nos Hipp. cum dicit, debere Medicum differentias morborum cognoſcere, & eorum cauſas; quis hoc etiam mediocriter in medicina verſat°, ignorat? Quapropter optarem ſane, vt abſtinuiſſet ab hac interpretatione. Quid igitur dicendum eſt? Puto,

ὄψιες qd. hanc vocem ſignificare apud Hippocratem tria, faciem, oculos, & viſionem. Quod enim vario ſignificatu inuenitur apud varios ſcriptores, puto ego collectim hic acceptum, ita vt ſententia Hipp. ſit, debere Medicum cognoſcere diuerſas facies, varias viſiones, & diuerſos oculos, & horum omnium cauſas manifeſtas, & immanifeſtas. Primum enim videbitis maximam eſſe connexionem, quia cum Hippoc. propoſuiſſet tractare de ſymptomatibus, quæ comitantur febres, præcipua ſymptomata ſunt circa faciem, oculos, & viſum, iure de his, iam agere debuerat. Sed mire etiam quadrat rei ipſi, quandoquidém facile eſt reperire hanc vocem ſignificare faciem, viſionem, atque ipſos oculos. Nam, vt Plinius ſcribit lib. 11. cap. 36. facies ſolùm homini ineſt, ex brutis nulla ſunt, quæ faciem habent, & ex fronte atq; etiam ipſa facie facile cognoſcuntur homines. Præterea facies, vt eſt apud Platonem in

πρόσωπος vnde dicatur. Cratylo, & Ariſtot. 3. de partib. animal. cap. 1. in fin. appellatur πρόσωπον, eo, quod v deat homo ea, quæ ſunt ante ipſum. Et appellatur viſio, quia verum ornamentum faciei eſt ipſe oculus. Sed maxime conuenit Hipp. ſententia, quia 1. Progn. docet, quantum intereſt facies cognoſcere, & huius diuerſitatis cauſas internas & externas. Similiter docet oculorum ſitum, figuram & magnitudinem cognoſcere. Quod ad viſum etiam attinet, ſi videatis coacas prædictiones, reperietis infinita exempla, quibus inſtructus Medicus poſſit cognoſcere varias viſiones oculorum, & magni iudicii partem in his ponere. Quare conuenit Hipp. doctrinę, vt pro voce ὄψιες, intelligatur facies, viſio, & oculus. Sed apprimè etiam conuenit rei naturæ. Nam Ariſt. 36. ſect. Probl. 1. quærens rationem, propter quam pictores faciem pin-

Ex facie corporum variorum documenta capiantur. gunt, inquit eſſe, quia potiſſimum ex facie cognoſcitur, qui & quales ſunt homines qui, inquam, ſunt, quia ex ipſo vultu cognoſcitur temperamentum & complexio ſingularum corporis partium; quales vero, quia mores pariter cognoſcuntur ex ipſo vultu. Præterea conuenit etiam rei, vt oculus maxime cognoſcatur, quia dicebat 2. epid. 6. Sed præſertim 6. epid. ſect. 4. t. 28. oculos ſi robuſti ſunt, docere quoque vniuerſum corpus bene valere. Quod ſi vero fuerint ægri, totum quoq; corpus, male valere, quem locum interpretans Gal. inquit, eſſe, quod è cerebro multus ſpiritus lucidus pertingit ad oculum, quemadmodum etiam ab eodem cerebro pertingit ad vniuerſum corpus, qui, ſi firmi ſint, aut imbecilles, totum corpus aut ſanum & ſuæ ſpontis, aut debilem & imbecillem hominem reddunt. Ita vt ſi oculus

Ex oculis ſanitatis capitur ſignum. bene valeat, cum ſignum ſit ſpiritum bene valere, ſequitur etiam corpus recte affectum eſſe, cum eodem ſpiritu vtatur. Sequitur ergo recte Hippo. dixiſſe Medicum debere cognoſcere faciem, viſum, & oculos. Sed cur dixit eſſe cognoſcendas cauſas inter-

internas & externas, quia magni refert,à qua causa fiat. Exempli gratia, si quis macilentus admodum sit; siquidem enigilauerit, aut euacuationem aliquam magnam passus fuerit, vel famem ingentem, nihil est timendum. Sed plus contabescere quam par sit, est lethale, quia signum est causam esse in corpore, quæ vsque adeo depresserit & prostrauerit hominem. Addit Hippocrates, huiusmodi esse maximè cognoscenda eo tempore, quo apparet numerus dierum impariū, quia (inquit Hippo.) obseruandus est semper dies impar, quia die impari maxime ægrotant homines. Nam 1. de crisib. & aliis in locis docuit, mutationes morborum semper fieri in diebus iudicatoriis, sed indicium semper fit in die impari, itaq; mutatio etiam fit in die impari, sed mutationes sunt cognoscendæ. Ergo debet Medicus cognoscere diem imparem. Quod hoc ita sit, videte Hippocratem 2. epid. sect. 6. quo in loco diebus imparibus tantum tribuit, vt dicat, eum qui moritur, necessarium esse, vt moriatur die, mense & anno impari. & quinto epidem. dicebat etiam, si gracilitas appareat in facie die impari, expectanda est solutio morbi postera die. Et 4. aph. dicebat, febrem, nisi soluatur die impari reuerti. Ex quibus omnibus intelligere potestis, quanti momenti sint dies impares in Medicina facienda. Subiunxit Hippocrates modo, obseruandum esse diem imparem, obseruata die, qua æger incipit se se debilem sentire: ita vt necessarium putet ad cognoscendum diem hunc imparem scire, quando cœperit ægrotare. Nam idem libro de affectibus, inquit, debere Medicum percunctari ægrum, quid patiatur, à quibus causis, quando cœperit quo victu sit vsus, & an aluum habeat facilem. Vnde maxime conuenit ea sententia cum hac, scilicet, quod debet Medicus interrogare, quando cœperit ægrotare, vt possit diem imparem cognoscere. Sed dicet aliquis, quomodo primum diē cognoscendum esse statuit. Nam dicit Ga. 1. de loc. aff. non esse in quibusdam insignes læsiones, adeo vt cognoscantur in principio. Præterea rari admodum sunt ægri, qui animaduertunt initia morbi. Itaque vix fieri potest, vt vnquam hoc adipiscatur Medicus. Intelligendus est Hippocrates sano modo. Atque hoc in loco, pro debilitate ea accipienda est, in qua sensibiliter statuuntur lædi actiones. Vox enim ἀσθενὴς & ἀσθένεια hoc significat. Quare hæc est vera ratio cognoscendi dies impares. Sed quomodo ergo dicit Hippocrates, fieri iudicationes, quarto, decimo, duodecimo, & aliis numeris dierum parium, scire debetis, enumerationem omnium dierum fieri per hebdomadas, ita vt initium numerationis debeat semper metiri ab hebdomada. Vnde si quartus dies numeretur ab hebdomada, nō habet speciem numeri imparis. Vnde non est vere iudicatorius dies, sed 7. 14. 21. 28. sunt primi dies hebdomadæ.

Diei imparis magna vis ad mutationes morborum.

Dies impar ab ægro noscendus.

Ὁκόσαν δὲ ἔρῃ αὐτὸν καὶ διασκέψῃ.

Quando vero ægrum omnia interrogaueris.

Dixi, non solum interrogandum esse ægrum, quæ mala patiatur, sed quando laborare inceperit. Ante docuit quomodo interrogare debet, quando malum incœperit, vt cognoscatur dies impar, & iudicatorius. Nunc vero docet, quomodo interrogare debet, quæ mala patiatur. Hipp. enim 6. epid. sect. 4. text. 8. docens, quæ sint gratiæ ægrotantium, inter alias collocat sermones ipsius Medici. & Plut. lib. de tuend. san. reprehendit Medicos, qui coram ægris ἱστορίας παρεμπλοκάς & κενότητας inculcabant. Quasi vero ad Medicum non pertineret coram ægris friuola narrare, sed de morbo, causa, curationeque esse sollicitum, quam possit maxime. Nolo etiam illud, quod est apud Athenæum silentio præterire, vbi aliquis dicit, loquacem Medicum esse alterum morbum ægro. Quapropter iure inter alia documenta hoc tradit, vt debeat Medicus diligens & prudens esse in percunctandis ægris. Videamus autem quæ dicat Hipp. & vt ea omnia intelligatis, prius notare debetis, veteres corpus diuisisse in ventrem superiorem, inferiorem, & medium; superiorem ventrem appellabant caput, inferiorem vero ventriculum atque intestina viscera ipsa naturalia omnia, vt vno verbo dicā, medium autē quicquid supra septum

Corporis diuisio secundum veteres.

septum transuersum continetur. Plato sæpe appellabat hoc diaphragma, & dicebat factum esse, ne viscera naturalia cerebrum perturbarent. Circa primum ventriculum dicit, interrogandos esse ægros, vtrum caput doleat, & graue sit, nec non. Et vt intelligatis & penetretis mentem huius scriptoris, operæ pretium est, vt consideremus, cur velit Hipp. inchoari interrogationem de capite; secundo, cur velit inchoandum de dolore & grauitate capitis; tertio, cur tantum de his, & non de aliis affectibus ægrum interrogari vult.

Quæ circa primum ventrem rogāda.

Circa primum, iure merito præcipit, vt interrogatio inchoetur à capite, quia caput est pars omnium imbecillima, & quæ maxime omnium corporis partium patitur, quemadmodum Hippocrates quarto libro de morb. claris verbis affirmat. Quare cum hæc pars facilius & citius, quam omnes aliæ, laboret, de his prius interrogandus est æger, quasi vero sæpissime suspicari debemus affici. Hinc Galenus quemadmodum reliqui omnes scriptores eius vestigia secuti, inchoauit à capite, in tractandis morbis particularibus.

Caput cur omnium citissime doleat.

Sed non solum propter hoc illud ab eo est factum, verum etiam quia à capite fere omnia mala nostri corporis oriuntur. Hippocrates enim in epistola ad Demetrium, inquit, caput esse radicem omnium malorum. Vt iure debeat Medicus diligentissimus esse in cognoscendis capitis ęgritudinibus.

A capite fere omnia corporis mala manant.

Iam vero, vt ad secundum quoque respondeam, Medici frequentissimi solent accersiri propter dolores, imo nisi paterentur ægri dolores, nunquam vocarent Medicum. Igitur debet Medicus de ea passione interrogare, qua solent homines fere semper affici; præterea nulla indicia habemus certa, quibus scire possumus dolere aliquem vel non dolere, hoc totum comparari debet ex ore ipsius ægrotantis. Itaque de dolore & grauitate capitis est interrogandus æger.

Cur interrogandus æger de dolore primum.

Accedit etiam, quod dolor est, quem maxime omnium potest æger narrare Medico, atque etiam grauitas, quia nullus est vsqueadeo stupidus insensatus, & stipes, quin percipiat se dolere. Hac ratione olim correxi locum quendam mendosum apud Plutarchum, qui in libro de corporis atque animi morbis, commemorans quosdam morbos, qui non sentiuntur, inter ceteros ponit κεφαλαλγίαν. Sed hic dolor maxime sentitur.

Dolore nihil certius ægri narrare sciunt.

Imo Plinius libro vigesimoquinto, capite tertio dicit, maiores nostros censuisse tres fuisse omnium morborum grauissimos & acerbissimos, calculi vesicæ dolorem, stomachi, atque etiam capitis. Stomachi vero inquam, vnde Plinius refert lib. 36. cap. 24. epoto gypto. Cai. Proculeium Augusti Cæsaris familiarem sese enecasse. Postremo capitis dolor habebatur sæuissimus, qui multorum voluntariæ mortis fuit causa.

Qui tres morbi secundum veteres omniū grauissimi.

Et propterea soleo ego loco κεφαλαλγίας legere παραπληγίας. Nam resolutio reuera est ex his morbis, qui non persentiuntur, quia vt quis est resolutus aliqua parte non sentit dolorem.

Resoluti non sentiunt.

Sed cur de solo dolore & grauitate, & non de aliis affectibus vult interrogandum esse ægrum? Hoc etiam fecit magna cum ratione; quia institutum est Hippocratis hoc loco tractare de morbis acutis, quibus fere semper vel dolor capitis vel grauitas connectitur, & præsertim in ipsis febribus. Sed est quoque & altera ratio, quia ceteri morbi raro apparent, & si apparent, non sunt ita manifesti, & certi ipsis ægris. Vnde facile est de iis, quę æger cito & optime percipit, statim certiorem etiam ex ipso ægro reddi Medicum. Hæc vero cum in viris diligenter sunt inquirenda tamen in mulieribus paulo accuratius & frequentius de his est suspicandum & interrogandum, quæ sæpe erubescunt sua mala confiteri, atque ea de causa diligentius & maxima cum prudentia sunt examinandæ.

In mulierib. quam viris omnia accuratius inquirenda.

Pergit Hippocrates, interrogare debere de ventre inferiore, qui est subtus septum transuersum & ὑποχόνδριον dicitur, quasi sit ὑποχόνδρων, sub carrilaginibus latine dixeris. In hac parte continentur iecur, ventriculus, lien, renes, & randem omnia viscera natutalia. Eapropter non est mirū, si maxima diligentia vult vtendum esse in percunctando de hoc ventre; eo maxime, quia scribit, bene sese habere hypochondria, optimum esse in quocunq; morbo. Quid est autem de quo interrogare vult Medicum, ęgrum ipsum? Primum an hypochondria doleant, quia dolor est, vt dicebam, propter quem Medici maxime accersuntur, & est ille

Hypochondria bene habere, in omnib. morbis bonum.

Quæ de tertio ventre percūtanda.

affectus,

affectus, qui maxime cognitus ægro facile significari potest. Præterea rogãdum, an adsit tumor obliquus, an rotundus, an satietas, an tussicula, an dolor lateris, an tormina ventris. Et quare hæc omnia interroganda sunt? quia si adsunt, operæ pretium est iniicere clysterem, & dare mulsam coctam calidam. Sed dicet aliquis, quomodo Hip. recensens ea, quę interroganda sunt de ventre inferiori, miscet quædam pertinentia ad pectoris ipsius accidentia, vt tussim & dolorem laterum. Est quidẽ tussis affectus thoracis, & ventris medii, quæ fit per essentiam in pectorẽ, sed interdum fit per consensum à partibus naturalibus, vt à tumore vel iecoris vel lienis; quare de dolore lateris & tussicula meminit, vt coniunctis cum aliis symptomatibus inferioris ventris, non principaliter, quasi dicat, an cum dolore hypochondriorum coniungantur etiam dolor lateris & tussicula. Sed vt hęc omnia vobis optime innotescant, tria breuiter sunt examinanda; Vnum est, quid σκολιότης apud Hippocratem significat, hoc est, obliquitas; Secundum est, quæ sit differentia inter dolorem ventris & tormina; præterea cur misceat iniectionem clysteris, cum mulsæ calidæ exhibitione. Circa primum, Galenus explicat vocem σκολιότητα, inæqualitatem. Sed non placet omnino mihi hæc interpretatio, quia inæqualitas est differentia, quæ ægre admodum cognoscitur. Præterea dicit Galenus, pro satietate intelligendam esse repletionem cibi. Alii vero obliquitatem interpretantes, pro satietate intelligi volunt repletionem fundi ventriculi, quippe qui repletus, facere videtur, veluti quandam inæqualitatem. Sed si recte rem expendamus, σκολιότης ἀπὸ τοῦ σκολιαίνεσθαι deriuatur, qua voce sæpe vsus est Hippocrates, & significat incuruari, vel inflecti. Quare vult ægrum esse interrogandum, an æger sentiat aliquam flexuram, quæ etsi fit raro, tamen contingit. Sed vt hoc vel illud sit verum, nihil refert, modo illud diligenter aduertatis, interrogandum esse ægrum de statu recto & non recto. Secundum erat, quæ sit differentia inter dolorem ventris & tormina. Nonnulli putant hanc differentiam esse, vt intelligant pro dolore ventris, affectus omnes dolorosos partium naturalium nostri corporis. Tormina vero vehementem & sæuissimum ipsorum intestinorum dolorem significant. Et verè, si videamus loca Hippocratis, in quibus vtitur hac voce στρόφος, vt quarto aphoris. vndecimo, tertio epid. æg. 9. quinto aphoris. quadragesimoprimo, in Coac. Cels. lib. 2. cap. 6. semper significat vehementem dolorem. Et dum ego hanc vocem græcam & latinam diligenter considero, στρόφος videtur esse ille affectus, in quo veluti intestinum videtur flecti. Tormina appellabant Latini, tormines etiam Cœlius. Alio nomine consueuerunt appellare Latini verminationem, vt Plinius & Seneca epist. 79. quod perinde sollicitantur sub hoc dolore, atque à vermibus solent. Tertium quod videndum proposueram erat, cur misceat iniectionem clysteris, & mulsæ calidæ exhibitionem. Dico hoc facere Hippocratem summa cum ratione, quia naturæ rerum maxime omnium ex curatione cognoscuntur, vt dicit Galenus primo de loc. affect. Quare dicit, si adest dolor hypochondriorum iniice clysterem, quia hoc pacto statim naturam affectus cognosces, quia hoc remedium facilius est, & saltem minus iniucundum, & maxime accommodatum ipsis intestinis, & ventri dolenti. Dicebat enim ob hoc Auicenna, In colica educ fœces. Sed cur mulsa cocta & calida vtitur. Cocta vtitur, quia Hippocrates tractat de hypochondriis dolentibus, cruda excitant dolores, cocta vero minime. Præterea omnia calida dolores leniunt. Vnde dicebat Hip. 4. aph. calidũ moderatũ dolores mulcet.

Obiect. — *σκολιώτης & σκολιαίνεσθαι qd.* — *Dolor ventris & tormina an Hipp. diuersa sint.* — *στρόφος quid significet.* — *Cur clyster iniiciendus.* — *Cur mulsa cocta & calida vtendum.*

Καταμανθάνειν δὲ καὶ τοῖσιν ἐξαναστάσεσιν.

Considerandum vero est, an dum exurgit, in animi deliquium incidat.

Quæ de medio ventre sciscitanda. — *Morbi seu symptomata pectoris omnia ad duo referri queunt.*

SEquit Hipp. recensere sympt. morborũ vẽtris medii siue thoracis, & pręcipit, vt Med. intelligat, an ęger dũ exurgit, animo delinquat, & an facile respiret. Sed cur tãtũ hæc duo recẽset? qa õnes pectoris affect', vel pertinent ad animi robur & infirmitatẽ, vel ad respirationis instrum. Et Med. õnes quãdo morb. pectoris describere volunt,

volunt, nihil tractant, niſi animi deliquium ſyncopen, & reſpirationis vitia, eo quod omnia pene vitia reducuntur ad vnum ex his generibus. Vt autem cognoſcatis mẽtem autoris, videndum eſt, quid ſit animi defectus. Secundo quare vult, vt Medicus animaduertat vtrum animo delinquat, dum exurgit. Poſtremo, quare iubeat conſiderandum eſſe, an ægri facile ſpirent. λειποθυμία ſiue λειποψυχία appellatur animi deliquium, & animi defectus. Er ſecundũ Medicos omnes, nihil aliud eſt, niſi præceps & ſubitus virinm lapſus. Sed ſyncope etiam eſt animi defectus, verum, vt ſcribit Aet. li. 1. c. 101. in duobus potiſſimum differt ſyncope ab animi deliquio, quia in ſyncope præter ſubitum virium lapſum, ſudant etiam, ſudore ſyncoptico appellato, & præterea refrigerantur extrema. In animi defectu neque ſudor apparet, neque refrigerantur extrema. Ariſtoreles lib. de ſomn. & vigil. ponit etiam quandam aliam differentiam, eo, quod in animi defectu imaginatio & diſcurſus ſeruatur; ceterum qui ſyncope occupantur, illico cum aliis facultatibus amittunt imaginationem & rationem. Vterque affectus, eſt cordis ipſius affectus, ſiue eſſentialiter patiatur, ſiue per conſenſum. Sed video ſtatim dicturum eſſe aliquem, numquid verum ſit in his affectibus affici per eſſentiam cor, quoniam Ariſtoteles tertio de partibus animal. capite quarto, inquit, cor eſſe principium vitæ, & omnium actionum noſtri corporis; & propterea à natura ita eſſe fabricatum, vt nullum affectum grauem ſuſtineat. Quod ſi verum eſt, quomodo ergo verum eſſe poteſt, vt ſyncope & animi deliquia ſint cordis affectus. Quare vt hanc veritatem, quæ maximi momenti eſt intelligatis, ſcire deberis, cordis totam compoſitionem pendere ex ſpiritibus, humoribus, & partibus ſolidis. Secundum partes ſui ſolidas, cor non poreſt vllum affectum grauem pati; & hinc eſt, quod qui vulnerantur ſecundum cor, aut ſi aliquam inflammationem cor patiatur, ilico extinguuntur. Er hoc eſt quod Hippocrates quarto de affectibus dicebat, cor fabricatum eſſe à narura ex ſubſtantia ſolida, vt non flaueſcerer motu illo continuo, & vt poſſet iniuriis reſiſtere. Ceterum ſecundum ſpirirus & humores, ſecus eſt. Secundum enim humores patitur cor peſtiferas febres, imo vero, quam appellare nos ſolemus hecticam peſtilentialem, de qua Gal. libr. ad Glauc. in qua fere omnes dicunt intemperie hectica cor affici, non eſt verum, ſed eſt in ea humiditate, quæ colligat & vincit ipſam ſubſtantiam cordis. Sed neque ſyncope neque animi deliquia fiunt propter vitia humorum, quia ſunt ſubitanei affectus; itaque ſequuntur etiam ſubitaneam cauſam. Subitanea cauſa nulla alia eſt, quam ſpiritus. Itaque cum dicitur ſyncopen & animi deliquia eſſe cordis affectus, intelligendum eſt ratione ſpirituum cordis. Erat ſecundum, cur dicat, Medicum debere conſiderare, an ęger animo delinquat, dum exurgit. Puro Hippocratem hoc non abſque ratione dixiſſe, ſiquidem dum iacenr & quieti ſunt, vix fieri poteſt, vt in animi deliquium incidant, ſed dum mouenrur. Videre Aetium libro primo capite centeſimo ptimo, vbi ponens differentiam inter ſyncopen & animi defectum, dicebar defectum animi ſtantibus & vigilantibus, ſyncopen vero κατaφερομένοις, hoc eſt, iis qui deferuntur etiam in ſomnum. Quare cnm animi defectus ſolum fiat in motione iure hoc conſiderandum eſſe dixit Hippocrates. Ariſtoteles ſexta ſectione Problem. quarto, dicebat, vertiginem potius contingere exurgentibus, quam ſedentibus, quia tum fit inæqualitas morus. Iam vero vertigini non eſt admodum animi defectus diſſimilis. Et ego ob hanc rationem ſoleo præcipere ſemper, vt illi, qui ægrotant grauiter, aut qui ſunt in acceſſionibus febrium nunquam exurgant, neq; etiam ad deponendum ventrem, quia facile incidunr in animi defectus. Poſtremum eſt, cur dicat debere Medicum conſiderare, an facilitas reſpirationis habeat ægrotantem, cur vtitur hoc modo loquendi? Veteres ſunt diligenter ſemper expendendi, quia rariſſima grauiſſimaque ſemper locuti ſunt; & nihil incaſſum vnquam dixerunt. Hippocrates igitur, cum dixiſſet in prognoſt. optimum eſſe facile reſpirare, in quouis morbo, cognouit etiam non eſſe optimum, vt vna vel altera hora facile ſpirent, ſed vt continuo, q̃ habent habitũ alicuius rei dicuntur poſſidere. Ita

λειποθυμία quid.

Syncope à lipothymia in quibus differat.

Collatio diuerſorum locorum.

NB.

Cur ſurgentes potius animo delinquant.

Facile reſpirare optimũ in quouis morbo.

Ita legimus sæpe, atque etiam in Euangelio scriptum habemus, febris eam habet, de muliere aliqua, quasi dicat aliquis, esse adeo grauem & assiduam, vt veluti possideat ægram. Et vt dixi vobis, tanti est momenti facilitas respirationis, vt nemo cum hac pereat, etsi quispiam debet perire, necessarium est vt semper accedat prius difficultas respirandi. Hippocrates vt audiuistis, docere nos vult rationem comparandi signa, & antea docuit, quomodo compatenrur ex actionibus læsis, quia dum docuit, quomodo ex tribus ventribus debeamus elicere signa morborũ, & interrogare ægrum, nihil aliud voluit, quam docere nos ex primo fonte signa haurire: Nunc vero docet modum cognoscendi, ab excrementis. Sed cur dicit, deber ea inspicere, & nõ vrante considerare? Quia medicus non debet credere iis, quæ referuntur de statu excrementorum, & tanti refert hæc inspectio, vt semper putetur illos medicos esse hebetes, & omnino muneris sui immemores, qui nolunt excrementa inspicere. Gal. 7. meth. laudabat eos, qui equos curabāt, & singulo mane inspiciebant excrementa equorum. Quare iure dicit, inspiciendum an fœces sint nigræ, vel sanis similes, quia hæ salutem, illæ vero mortem indicant. Sed cum tot sunt differentiæ fœcum cur vult tantũ videri, an fœces sint nigræ, an vero sanis similes? quia quicunq; docet extrema genera, relinquit amplissimum campum sagaci ingenio, vt facili cum negotio possit elicere etiam media. Fœces nigræ & fœces sanis similes, sunt extremę contrariæ, quia hæ salutem, illæ vero mortem significant: quare inedia facile eliciuntur: quia quæ propius accedunt, ad has vel illas magis vel minus bonæ malæq; sunt.

Excrementorum inspectio magni momenti.

Sed Hippocr. in Prognosticis dixit, pessima omnium excrementa esse nigra, deinde liuida, quem locum exponens Galen. dixit, nihil aliud quam nigras fœces fieri ab humore melancholico. Scire debetis, colorari excrementa à succo atro vel melancholico siue ab exusto. Hæc semper sunt exitialia, quia hi humores maxime aduersantur naturæ, & vbi copia excremenrorum nigrior est. Signum est abundantiæ humorum, quos natura vincere non potest, & de his 4. aphor. Galen loquitur, quando scribit se neminem vidisse vnquam cum his fœcibus seruatum. Sed si à sanguine melancholico colorentur excrementa, non semper est lethale, imo aliquando bonum est, vt dicit Galen. 4. aphorism. 25. Sed cur hoc verum est, cum dicat 21. aphor. lib. 4. excretines sanguinis semper esse lethales?

Nigræ deiectiones quãdo lethales, & quando non.

Dicendum est, fœces colorari, vel propter hæmorrhoidas, vel propter sanguinem exeuntem ab intestinis. Si ab hæmorrhoidibus, & sanguis fuerit moderatus, non solum non sunt malæ illæ fœces, imo vero sunt bonæ, & liberant non raro à magnis malis, à mania, melancholia, aliisq;. Si vero fuerit immoderatus, malum est. Sed si sanguis qui colorat fœces fuerit ab intestinis, vel est sincerus, vel est purgamentum sanguinis. Si sit sincerus, nisi exeat ob aliquod vlcus, non solet esse malum, quia sæpe fit, vt iecur & lien depurentur per hanc viam. Sed si quod exit, sit purgamenrum sanguinis, & æmuletur sanguinem retentnm in ipsis intestinis, tunc malum est, quia significat lienem non posse purgare sanguinem, non optime pepurare iecur.

Videtis ergo quanto cum iudicio & fructu vestro iam dixerit, inspiciendas esse fœces, an nigræ sint, vel an similes sanis.

Καὶ ὁ πυρετὸς ἐς τὴν τρίτην ἐπῇ.

Est conspiciendum si febris tertio die ingrauescat.

Hippocrat. 4. aphor. 27. postquam de liquidis deiectionibus verba fecit, statim de febribus & earum periodis sermonem subiunxit: quo fit, vt minime mirum sit, si idem hic facit; quia cum de nigris fœcibus egerit, considerandum maxime sibi putauit, quæ sit febris idea. Ex quo loco colligere potestis eundem scopum quoque haberi, vt loquatur de symptomatibus quæ coniunguntur cum febribus acutis.

Quod autem dicit nunc, est, considerare oportet, nunquid febris tertia die exacerbetur: & subiungit maxime esse considerandas, huiusmodi tertianarias periodos. Deinde nunquid quarta dies habeat aliquid simile tertiæ diei. Hæc sententia satis clara est, veruntamen non caret aliquibus speculationibus, quæ res conducent ad cognitionem & curationem morborum: & ptimum est plurimum referre ad instituendam curationem, vt statim cognoscatur status & idea febris. Atque hæc etiam fuit Gal. sententia lib. de Crisib. Sed iure scisscitabitur aliquis, cur cum tot sint febres periodicæ, vult tantum hic considerari, an febris sit τετρφοὺς, & quod magis est, cur addit, exacte considerandam esse, tertianariam periodum. Vt autem hoc intelligatis scire debetis, Hippocratem in hoc libro & in aliis sermonem semper habere de morbis acutis.

Acutiores morbi à bile. Omnes morbi acuti originem ducunt à bile, & inprimis huius rei testimonium habetur in fine libri secundi, de natur. human. & iure; quia bilis est humor calidissimus, subtilissimus & consequenter mobilissimus. Præterea Aristotel. libro quarto de partib. animal. cap. 12. narrat, Anaxagoræ fuisse sententiam, fel omnium morborum acutorum & febrium esse causam, & nomine fellis intelligebat bilem, capiebat continens pro contento. Iam vero cum bilis suapte natura moueatur de tertio in tertium diem, hinc videtis quam rationabilitet dicat, obseruandas tertianarias periodos, quasi vero necessarium in omnibus morbis acutis apparere semper aliquam periodum tertianariam. Videte Galenum 1. aphor. 12. vbi loquens de pleuritide, quæ à bile oritur, dicit tertia die eam exacerbari. Et quod de hoc morbo dicit, idem putandum est de omni morbo acuto. Et idcirco in omnib. morbis acutis curandis obseruare debetis tertiam diem.

Addit exacte considerandas esse tertianarias periodos, quare opus est hac diligentia: quia si verum est in morbis acutis, tertia quaque die exacerbari, procul dubio nisi hæc tertianaria periodus obseruetur, necessario committuntur exitiales errores.

Postremo, inquit obseruandum esse, nunquid quarta dies habeat aliquid similem tertiæ. Quod alias diximus, quoque obseruare debetis, semper die impari omnia fieri acerbiora, in morbis: ita in secundo paroxismo febres semper exacerbantur, quo tempore maxime molestantur ægri. Quod si quarta dies quieta est, quiescit æger, sed si die quarta etiam exacerbetur malum, hoc est, si quarta dies fiat similis tertiæ. Et hinc licet Medicos colligere, de die septima, futura vndecima ac decimaquarta.

ὀκόσαν δὲ μὴ ὑπακούῃ ἡ βαλάνῳ.

Cum autem venter glande subdita non.

HÆc sententia habet hunc sensum, scilicet, quod venter glandi non obedierit, & respiratio fuerit blanda & quieta, neque æger teneatur animi defectu, dum exigit, aut dum est in lecto, atque hæc patiatur æger vel ægra, expectandum esse delirium. Quam sententiam videtur Galenus damnare in duobus: Primum, quod confusa sit illius intelligentia. In alio damnat, quod veritas huius sententiæ non appareat neque ratione, neque experientia. Et quod pertinet ad priorem periodum, certe videtur confusa intelligentia, propterea quod forsan posita est extra proprium locum. Nam dixit paulo ante clystere vtendum, & mulsa cocta calida, vbi hypochondria dolent, quibus iungenda, hæc erant. Si autem glans non obedierit. Sed demus esse suo loco collocatam hanc sententiam, nihil magis facere videtur, quam melius interpretari eadem quæ supra habet, quasi dicat: si aluus sit astricta, & facilis respiratio, atque non deficiat animo in lecto, aut dum exurgit, atque hæc patiatur vir vel mulier, expectandum est delirium.

Cæterum vt intelligentia huius rei plena habeatur, breuiter videndum cur dicat, siue capiatur animi deliquio in lecto, siue dum exurgat. Secundo videndum, cur dicat, hæc si contingant ægro vel ægræ, non consueuit ita loqui. Præterea dignum

gnum est consideratione, quo pacto dicat, si aluus non respondeat, si in lecto, vel in exurgendo delinquat æger vel ægra animo, si facilis respiratio, expectandum esse delirium. Circa primum scire debetis aliud esse, pati dormientes, aliud vero esse, pati iacentes. Aetius lib. 5. cap. 101. dicebat animi defectum non capere καταφορομένυς, sed syncopen. Nunc autem dicit in lectu etiam capi defectu animi ægrotantes, ita quod non est differentia, quia dicit Aetius contingere dormientibus, hic autem scriptum est in lecto fieri. Sed illud est verissimum, raro ipsis contingere propter rationes quas audiuistis, scilicet dum iacent, spiritus omnes quieti manent, in motu vero agitantur. Et non solum hoc rarum est, vt animi defectus contingat iacentibus, imo vero vbi contingit, semper est exitialissimum, propter summam virium corporis ruinam. Erat secundum, qua ratione vtatur hoc sermone, vt distinguat marem à fœmina. Duabus de caussis puto id factum esse, vt sic loqueretur: vna est, quia forsan id obseruauit non solum in viris, sed etiam in fœminis. Et videtis etiam in lib. Epidem. sæpe miscere vtrumque sexum. Sed fuit & alia ratio, quia si recte animaduertatis hæc symptomata, facile patiuntur mulieres, facile aluus iis astringitur: facile etiam animo deficiunt, quia habent spiritus languidiores. Hinc etiam fit vt deliriis occupentur propter temperaturam imperfectiorem, & quale est instrumentum temperies corporis, talis est anima. Et hæc est ratio, propter quam mulieres habitæ sunt ineptæ ad gubernacula Rerumpubl. renenda, secundum Platonem & Aristotelem.

Surgentes citius potius deficiant iacentibus.

Posttemum erat, quid sit illud, propter quod debet Medicus prædicere iudicium futurum. Omnia hæc simul accepta, necessario producunt delirium. Primum, cum aluus astricta in febribus ardentibus, aut morbis acutis, humores biliosi retinentur: vnde vapores ad cerebrum delati, illudque ferientes, delirium excitant. Hinc lib. de aer. aq. & loc. apud Hippocratem scriptum habetis, non capi morbo acuto, cui aluus est liquida non retenta bile, sed excreta. Sed dicet aliquis, quomodo cognoscere poterimus humores petere caput? Ex facili respiratione, quia vbi in morbis acutis aluus est compressa, necessarium est, vt humores ad viscera vel naturalia, vel spiritualia labantur, quod cum fit, non potest fieri, vt respiratio sit quieta. Itaque quando facile respirat, & aluus est astricta, signum est materiam non esse retentam in pectore, sed ad caput ferri, & fututum esse delirium. Ex his iam intelligere potestis, magni referre in morbis acutis obseruare semper tertianarias periodos, quia cum fiat τελτοφυὴς à bile, & hæc tertia quaque die exacerbari solet hæc obseruatio confert ad cognoscendam ideam morbi, & iudicium faciendum: quia si mouetur tertia die, impari, signum est à bile otiti, & tertianæ naturam sapere: atque iudicium faciendum est à tertia die. Confert etiam hæc obseruatio ad victum instiruendum, quia hac ratione debet semper parcius alere: pertinet etiam ad instituendam curationem, cum cauere debeat Medicus, ne tertia die præbeat purgans, vel venam secet, aut aliquid aliud simile faciat, quod possit nocere.

Acutis non corripiuntur quib. aluus liquida.

Προσέχειν δὲ χρὴ καὶ ἦισι χερσὶν.

Intendat etiam mentem in manus, quæ si tremulæ.

IN tractandis symptomatibus, duplicem scopum habet Hippocrates, alterum, vt ex his de morbis iudicium faciat medicus: alterum vero docere, quomodo symptomata debeat curare. Atque hinc factum est, vt in hac tractatione modo Prognostica, modo curatoria miscuerit. Cæterum in proposita dictione partem prognosticam exercet, vsque adeo sibi amatam. Quod vt faciliter apprehendere possitis, in duas partes totam hanc Hippocratis orationem diuidam, in quarum prima docet, de quodam symptomate manuum, in altera narium. Et in vtraque, vt dixi, scopus Hippocratis est docere, quid debeat medicus iudicare ex his symptomatibus. Primum autem quod dicit est, de manibus, debere medicum contemplari manus in febribus acutis, quia si tremulæ fuerint, expecta, inquit, sangui-

nis fluxum è naribus. Galen, qui paucissimus fuit in explicatione huius sententiæ, videtur damnare Hippocratem, quasi dederit nobis prænotionem quæ raro contingit cum prænotionum regula sit facienda non ex iis, quæ raro, sed quæ frequenter contingunt. Et (vt libere dicam) recte dubitauit Galen, quia ex Aristot. sententia 1. metaph. regulæ ex pluribus experientiis comparantur. Veruntamen, quia tametsi casus rarus sit, possumus tamen insignem aliquam vtilitatem ad artem Medicam faciendam comparare videamus quæ sit ratio, quod in febribus ardentibus trementes manuum fiant: secundo loco, quomodo trementibus manibus interdum contingat, sanguinem è naribus fluere. Nonnulli interpretes atque etiam eruditi, vt docerent rationem tremoris in febribus ardentibus, dixerunt fieri tremorem eo, quod copia sanguinis impediuntur nerui quo minus possint facultatem transmittere, quasi dicant isti, non posse fieri in febribus ardentibus alia de causa, quam propter sanguinis copiam. Sed hæc interpretatio mihi placere non potest, primum quia Aristot. 26. sect. problem. 6. & 7. quærens rationem propter quam metuentibus tremunt manus, inquit esse, quia manus sunt expertes sanguinis, & consequenter caloris. Præter Arist. est etiam clarissima sententia Galen. 2. de sympt. caus. cap. 2. & lib. de tremore. In quibus locis docens rationē generationis tremoris, dicit sobolem esse frigiditatis & debilitatis facultatis: Iam vero quis imaginari sibi potest, tantā esse in febribus ardentib. frigiditatē & debilitatem, vt consequi possit tremor? Præterea non videtur vera esse interpretatio, quia si dicit sanguinem exire e naribus, & occiput pars, & posterior capitis facit tremorem, quomodo hoc fieri potest. Quare vt hanc rem optime intelligatis, & vt possitis etiam in exercenda arte securi esse, hac de re, debetis scire apud veteres duo genera tremoris reperiri, imò vero tria.

Regula ex expertmētis pluribus statuuntur.

Metuentib. cur manus tremant.

Alterum, quod proprie tremor appellatur: alterum quod impropriè: tertium quod rigor. Appello tremorem rigorem, quia vulgus hominum dum videt, homines rigere, tremere dicit. Non enim esse tremorem ex his conijci potest, quia illi qui tremunt, sunt imbecilles valde, sed qui rigent, adeo sunt fortes, vt neque à tribus hominibus aliquando possint contineri. Sed quid est tremor? Est lucta quædam inter facultatem motricem, & ipsum corpus: quoties enim facultas est imbecillis, & corpus quod mouetur graue, sit lucta, cum sustinere onus difficulter possit, & tamen pro se hoc facere nititur. Ita vt dubitare non liceat, vt vbi sit tremor, proprius, semper sit facultas debilis. Alius est motus & tremor improprius, qui mouet quidem inordinate & inconstanter mobile, sed minime debilitatem facultatis sequitur. Est etiam alia differentia, quia in tremore proprio corpora dum iacent, non tremunt. Ita senes & imbecilles dum quiescunt & iacent, videmus non tremere. In tremore vero improprio iacentes etiam tremunt. Fit autem tremor hic improprius, quoties ab humoribus æstu flagrantibus vapores eleuantur in cerebrū acres & mordaces, qui dum mordent cerebrū & molestant, facultas excitatur vt expellat, & interea fit motus hic incompositus. Appello autem hunc motum tremorem ex assistentium & vulgi consuetudine loquendi, quanquā motus conuulsorius potius à Medicis dicitur. Rem autem ita sese habere audiatis. Hippoc. in præsentibus appellat sæpe phreniticos tremulos. Sed possunt hi vere tremere? Minime, quia vsque adeo robusti sunt, vt vix à pluribus etiam queant retineri, sed intelligit hos motus conuulsorios, appellatos vulgo tremores. Idem etiam 6. aph. 26. lib. de iudic. in coac. prænot. dixit tremores in febribus ardentibus mentis emotione solui. Sed præter hæc 3. epid. sect. 5. text. 2. habetis exemplum euidentissimum cuiusdam qui tremore manuum in febribus ardentibus laborabat.

Tremor partiū triplex.

Tremor & rigor qui differant.

Tremor quid.

Cum hæc ita se habeant, quid itaque dicendum est, de proposita sententia? Intelligere dico pro tremore, motum conuulsorium, à quo videbitis frequenter tentari: Sed qua ratione vbi est hic motus. Dicit expectandum sanguinis fluxum e naribus? Dixi initio huius lectionis cum Galen. non esse perpetuum hanc regulam, esse potius de raro contingentibus, & propterea non est quęrenda necessitas huius

reu

rei: quia vbi tremunt propter vapores acres feruidos, & mordaces, fieri etiam potest, vt vapores isti non modo pertingant ad partem posteriorem ipsius cerebri, sed vt ferantur etiam ad nares & vellicent excitentq; ad expulsionem sanguinis. De naribus Galen. conqueritur, quasi hic autor scribat, quæ raro contingunt. Veruntamen, neque hæc sunt aspernenda. Subiungit deinde Hippocr. videndum, an ab vtraque nare spiritus multus erumpat, quia tum expectanda est conuulsio, postremo mors, additq; optimum esse hæc prædicere. Videamus singula. Primum autē naturæ institutum fuisse videtur in formandis naribus, vt inseruire respirationi possent. Hæc respiratio quando facilis est, non apparet per nares, nisi sit maxima necessitas, vel propter incendium partium spiritualium, vel propter aliquam angustiam, vel alia aliqua de causa. In febribus magnum incendium auget necessitatem respirationis, vnde fit per nares efflatio vehemens. Igitur, inquit, inspiciendum, an per vtrunq; narem fiat respiratio: verum non solum hoc est videndum, an multa fiat, quia aliquando fit vsque adeo vehementer, vt ipsæ pinnæ narium moueantur. Et mulomedici scindunt nares asthmaticis equis aut mulis, vt possint melius respirare. Quid dicemus de secundo? Galen. dicit, spasmum esse opus morbi: quæ sententia mihi sæpe mouit difficultatem, quia idem 1. & 2. de mot. musc. scribit, musculos esse pura instrumenta voluntatis, & addit spasmum esse motum musculorum, quemadmodum mouebātur tempore sanitatis, versus principiū suum. Igitur videtur esse opus voluntatis, & non morbi. Breuiter scire debetis, duplicem esse conuulsionem, vniuersalem & particularem: vniuersalis est epilepsia, conuulsio totius corporis: particularis vero duplex est, quia in hac conuulsione vel membra dum mouentur contrahuntur, vel extenduntur. Dum extenduntur, appellatur rigor à Celso, τέτανος à Græcis, vel contrahuntur. Quando Gal. dixit, spasmum esse opus morbi, loquitur de particulari, quia vere particularis conuulsio fit à solo morbo. Videte Hippocr. lib. 6. aph. vbi dicit conuulsionem fieri à repletione vel inanitione, quem locum cum Galen. explicaret 8. de med. loc. c. 3. dicebat vere hāc conuulsionem fieri duntaxat a morbo, epilepsiam vero, a vaporibus calidis acrib. & mordacibus, ab aura, quæ neq; ad repletionem, neq; ad inanitionem referuntur. Ideo non est verum fieri à solo morbo. Sed cur hic dicit expectandam esse cōuulsionem? Puto de particulari intelligendum esse Hippoc. hoc est, expectandam esse contractionem, vel magnum & ingentem motum conuulsorium: quasi dicat, vbi magnus spiritus multusq; ab vtroq; nare exit, expecta motum conuulsorium: quia cum spiritus omnis non possit ex naribus exire, necesse est, vt ad cerebrum & partem eius posteriorem pars feratur, vbi pariet conuulsionem, vnde vehementer læditur cerebrum. Sed quis tum speret salutem? videbitis illud apud Hippoc. in aph. in coac. prænot. vbi plerunq; ex magnis conuulsionib. sequitur mors. Addit postremo, esse pulchrū hæc prædicere: quia difficile est, difficilia quæ pulchra. Nisi enim ingenio quis sit pene diuino, difficile est prædicere mortem, sed alia etiam ratione est pulchrum, quia tatum est, vt magnum efflatū è narib. sequatur conuulsio. Non est magna laus prædicere ea quæ frequenter eueniunt, sed quæ raro contingunt. Tum ipsi ægri vix vnquam timent mortē, vbi vident hos spiritus è narib. exire, & propterea etiam quemadmodum difficile ita pulchrum, & laudabile est prędicere futuram conuulsionem & mortem, digitoq; mostrarier, & dicier hic est. *Conuulsio duplex.*

ἐκ δὲ ἐν πυρέτῷ χειμερινῷ ἡ.

Si autem in febre hyemali lingua aspera fuerit.

AN hæc pars sit practica, an prognostica, dubitari potest: quia si tota sententia expendatur, est plane practica: sin postrema verba cōsiderentur, omnia eo dirigi videntur, vt medicus prædicat, quid futurum sit. Ego autem arbitror Hippoc. continuare tractationem de febribus, quibus coniunguntur symptomata, in qua tractatione est longior, & varius, nec absque fructu. Partitur autem hæc pars in

morbi constitutionem, curationem & iudicium. Nam (vt alias dixi) amat author semper iudicium & prænotionem postponere curationi. Prima itaque pars est, si febri hybernæ coniungatur linguæ asperitas & animi deliquia, solēt fieri remissiones. Secūda pars est, verum oportet medicū hunc curare fame, aquæ & mulsæ potu, & succis haud fidentem febris remissioni. Tertium est: quicunq; habent hæc signa, periclitari de vita, quod vbi cognitum & optime consideratū est, tum prædici debet. Quæ sententia vtilis pulchra, & scitu ac obseruatu dignissima est, siquidem docet, quomodo Medicus curare debeat tuto & cum gloria. Videamus ergo quæ sint documenta in hac breui sententia, & circa primā partem sciendum est, veterē Medicorum consuetudinem fuisse ab Hipp. sæpe seruatam, appellandi morbos alios vernales, alios hyemales, alios æstiuos, alios autūnales: & qui sint singuli docuit diligenter Hipp. 3. aph. lib. de aer. aq. & loc. nec non secutus Hipp. Arist. 1. prob. sect. Quinetiam inuenietis apud Plautum solstitialem morbum, quem dicit exitialē & de quo Arist. 3. sect. probl. quid sit, nondum plene à quoquam declaratū est. Sed hæc nō pertinent ad rem. Quod autem dicit de morbis in vniuersum, idem quoq; peculiariter existimandū est de febrib. vt scil. aliæ sint hybernæ, aliæ æstiuæ, aliæ autumnales, aliæ vernales: sed ne nimium vagaretur noster author, sat ipsi fuit pro omnium exemplis vnam febrem hybernam accepisse: de qua etiam plura est locutus lib. de affect. Cæterum quæ ab Hipp. proprie dicatur hyberna febris, Gal. videtur addubitasse, an scil. quæ fit hyeme, vt aliqui putarunt: an quæ natura similis est hyemi, s. facta ex pituita; sicuti facta ex bile æstiualis. Et cū ipse hac de re nihil definiuerit, placet mihi potius ea ꝓprie intelligatur, quæ fit hyeme à quocūq; humore fiat, imo vero asperitas linguæ, & animi deliquia furentis potius & calidi humoris, quā pigri & lenti frigidiq;, vt pituita est, signa videntur. In hac autem febre videndum quomodo fiat lingua aspera, & animi deliqnia, & quomodo possit fieri febris remissio sponte, & absq; vlla vel natnræ, vel medici opera. Quod ad linguæ asperitatē pertinet, certum est eam fieri à siccitate scindēte & exasperante. Siccitas fit à feruore; in hyeme autem feruor fit maior intus quam æstate, q; corpora sint constipatiora, & ob id calor natiuus magis intro coactus augeatur. Vnde Arist. in probl. dicebat febres ardentes, quæ fiunt hyeme, esse ardentiores, quam æstate. Qua similiter ratione forsan motus Hippoc. lib. de affect. dicebat, febres hyemales facile ob errata victus conuerti in morbos acutos. Animi porro deliquia fieri possunt ob causas plures: sed vbi lingua aspera est, atq; incendium ingens in corpore, rationi consentaneum est, vel fieri ab immani intemperie calida, spiritus ipsos nimium consumente: vel à feruido & tetro vapore aut humore vel ad os ventriculi, vel ad ipsam cor pertingente. Qua ambo symptomata non modo arguunt febrem esse magnam & acutam, verumetiam malignam. Nam vt dicebat Gal. virium ruinæ in febres sunt indicia malignitatis. Sed quomodo vbi febris est acuta magna, & maligna, potest fieri remissio vlla illius. Nam videtur potius æquū, vt in dies malū magis augeatur? Respondeo nō esse veram remissionē, sed apparentem, & quæ Medicos ineruditos ac vulgares facile decipiat. Nā vera remissio fit cū aliqua causa, s. abscessu, aut euacuatione legitima vel naturali vel artificiali. Apparens autem fit absque vlla causa, quando s. aut natura dimittit pugnam, in qua dimissione cessant symptomata: aut quando fit aliqua importuna euacuatio, symptomatica alias vocata & à qualitate vel copia materiæ excitata, in qua pars prauorum succorū exinanita aut reposita, facit vt accidentia paulisper mitescant, sed quæ cito iterum magis recrudescant. Potest etiam esse alia causa remissionis, s. tempus hyemale, cuius frigore placatur interdum feruor. Secunda parte dicit Hippoc. quod vbi febris eiusmodi est, & remissio illius apparens est, seu facta absq; vlla legitima causa, tunc multo magis pergendum esse in fame, hoc est, abstinentia, potu aquæ, & mulsæ & succis, id est, ptisanæ succo. Sed cur Hipp. dicit persistendum esse in exacto & diligenti victu, non autem in remediis? Ratio est, quia in hoc magis peccatur ab ægris, ab assistentibus, & ab imprudentibus, Medicis, vt nempe faciliter qualibet remissione apparente, mutent

Morbus solstitialis apud Plaut.

Febris hyberna quæ sit.

Remissio qualis: & quæ eius causa.

mutent victum, scilicet ad vini potum, & ad cibos transeuntes, vnde aduersus hunc grauem & perniciosum errorem placuit Hippoc. hoc vtile documentum afferre, ne scilicet, ad quamlibet remissionem mali statim victum mutent, sed vt in eodem pergant, vbi initio acutus fuit morbus, nec est ex ratione æger leuatus; sic enim securius agitur, & morborum recrudescentiæ, quæ alioquin sua sponte euenirent, haud negligentiæ & ignorantiæ Medici sunt imputandæ. Et hoc est quod dicebat Hippoc. lib. de affect. in morbis acutis opus esse plurima tutela, & exactissima curatione, & à curate nullum malum accedere debere, cum sufficiant, quæ ab ipsomet morbo fiunt: siquidem si Medico nec curante recte, nec cognoscente, æger extinguatur, Medici culpa est. Dicit Hipp. in 3. & postrema parte: Non esse febris remissioni fidendum, quia ægri cum prædictis signis in mortis periculo versantur: Sed cũ hæc sint cognita, & diligenter meditata, tunc esse prædicenda. Quod vero non sit fidendũ, alias Hipp. docuit 2. aph. 27. vbi dicebat, iis quæ non ex ratione leuant, minime esse fidendũ, neq; timere oportere mul[?]ũ mala, quę prȩter rationẽ eueniunt, quoniam plurima huiusmodi sunt instabilia, neq; admodum permanere, neq; diu durare possunt. Quod aũt ægri cum his signis periclitentur, facile probari potest, tum quia linguæ asperitas summum incẽdium indicat, tum quia animi deliquia in febrib. acut. magnam virium iacturam significant: tum quia, vt habetur 2. prorrh. perniciosa sine signis leuantia mortem significant, eo q. in perniciosis leuamen nõ aliunde proficiscitur, quam quia (vt nuper dicebam) natura victa, haud contendit amplius aduersus morbum: vnde symptomata praua quæ solent fieri in pugna morbi & naturæ cum non fiant, speciem aliquam leuaminis præ se ferre videntur. Et hoc videre est, in complurib. ægrotis eorum qui ab Hippoc. commemorantur, in epid. lib. cuiusmodi est 12. lib. 1. qui cum septima die post sudorem videretur à febre liber, vndecima tamen interiit. Atq; hæc sunt quæ Medico videntur ignominiam patere, nisi diligenter animum adhibeant ne fallantur: vt iure merito Hipp. magnopere eum hortetur, quo diligenter consideret & statum ægrotantis præteritum, atq; præsentem contempletur, ac postea prædicat, quoniam siccuti decus est, non prædicere & falli; ita gloriosum est, præter vulgarium expectationem veros ægritudinum euentus prædicere.

ὁκόταν πεμπταῖοι φοβερόν τι.

Cum autem in quinto die quid formidolosum.

HANC partem prognosticam esse, nemo dubitare debet, quoniam etsi aliqua sunt, quæ non videantur ita pertinere ad prognosim, tamen quia omnia possunt referri ad iudicium faciendum. Eapropter non est dubitandum, quin sit prognostica. Sed vtcunq; sit, pergit tractate de symptomatibus febrium, vt ex his doceat obseruare methodum, & ex hac iudicare. Quæ autem docet, sunt quatuor: primum est, si in febre quinta die aliquid horrendum apparet vt fluxus alui, vocis interceptio, conuulsio & singultus, consueuit (inquit) æger occupari anxietate. Præterea (addit Hippo.) solet sudare circa frontem & ceruicem à posteriore capitis parte, & sub naribus. Qui vero hæc patiuntur, spirituosi facti; non longe postea morientur. Vt autem more nostro vnamquamq; partem diligenter, sed breuiter percurramus, duo ante cætera annorare oportet; vnum est, hæc accidentia nõ esse παθογνωμικά, sed ἐπιγινόμενα, id est, superuenientia, vt annotauit Gal. Differunt vero hæc ab illis, quia superuenientia fiunt morbo iam constituto, pathognomica vero cum ipso morbo nascuntur. Itaq; hæc iuuant ad cognoscendam ideam ipsius morbi, sed accidentia superuenientia ad morem morbi duntaxat cognoscẽdum. Itaq; cum hæc signa sunt superuenientia, certissimũ est nihil aliud nos docere, nisi morem ipsius febris. Mos autem cum benignus & malignus est, pro malignitate vel benignitate accidentium, superuenientium, atque hæc symptomata sunt praua satis, iure malignam febrem esse, certo colligi potest.

Aliud quod annotare debetis, est, quod sit dictio φοβερόν, id est, metuendum. φοβερὸν quid

Confugiendum est in hac difficultate ad Arist. qui omnia nouit, & qui 2. rhet. cap. 5. docens, quid sit timor, & quæ sunt φοβερὰ, hoc est, timenda, inquit, timorem nihil aliud esse, nisi tristitiam, quæ concipitur ex phantasia futuri mali, corruptiui propinqui. Sic ea dicuntur φοβερὰ, siue timenda dicit Aristot. quæcunq; inferunt malum aliquod corruptiuum propinquum. Videamus ergo quemadmodum proprie locutus est Hippo. Et primum videamus de fluxu alui cum animi deliquio, vtrum sit metuēdum; vt inferat malum aliquod corruptiuum propinquum. Quod ad fluxum alui attinet, repente fieri inquit, quia si paulatim fiat in morbis alui fluxus, neq; vt signum, neq; vt causa est malum. Contra vero vbi repente fit, signū malum est, quia denotat ingentem copiam crudorum & prauorum humorum in corpore: tum à fluxu alui repentino maxime violantur vires, & hoc animi deliquia satis aperte testantur. Quis iam non videt esse φοβερὸν, vbi fluxus alui est in febr. cum animi deliquiis? vel (addit) vocis interceptio: Vocis interceptio qua ratione & quomodo fiat, alias copiose vos docui. Nunc satis est illud ad memoriā vobis reuocare fieri propter errorem ingētem ratiocinatricis facultatis, vel fieri propter aliquam violentiā innatam ipsis neruis, & principio eorum. Quo fit vt etiam sit metuēdum huiusmodi symptoma, quia est signum alicuius mali maximi corruptorii proximi. Pari pacto dicendum est de conuulsione, scilicet; vbi in febrib. cōuulsio fit, semper hoc malum esse corruptorium, & propterea metuendum: quia conuulsio est motus deprauatus, qui non potest fieri sine aliqua insigni læsione ipsius principii neruorum. Sed quid de singultu dicemus; quandoquidem videtur hic etiam recēseri inter symptomata φοβερὰ, hoc est, metuenda, cum tamen singultus sine noxa homines quotidie occupat? Respondeo, est aliud esse singultum coniunctum cum aliis malis, & præsertim febribus; aliud separatum esse & purum. Singultus separatus & purus non est reponendus inter symptomata φοβερὰ: sed singultus cum febre, pernitiosus est, quia siue fiat ex inanitione vel repletione, in febrib. malus est: quia si fiat à repletione, fit ab humoribus putridis prauis. Sin autem fiat ab inanitione, malum etiam est, quia vt scitis, omnes conuulsiones ab inanitione & siccitate, periculosissimę sunt. Quare facile intelligere potestis, quam vere dixerit Hippo. hæc omnia accidentia esse formidanda, & horrenda. Addit Hippoc. Hæc cum patitur æger, solere fieri anxiosum. Gal. inquit, hunc scriptorem hæc dixisse, non tanquam regulam quandam, nobis afferendi gratia, sed tanquam contingens. Neq; damno iudicium Galeni hac in re, quia non est necesse fieri semper anxiosum ægrum, vbi hæc accidentia sunt, sed interdum illud quidem euenit: quia siue adsit fluxus alui, siue vocis interceptio, siue conuulsio, siue singultus, fieri potest, vt os ventriculi magnopere coafficiatur: vnde anxietas suborietur. Addit Hipp. contingere etiam vt sudores fiant sub naribus, in fronte, colloque. Hæc quidem solent in feb. acutis signum lethale præ se ferre, quia indicium est cerebrū maxime affici, & nihilominus cerebri facultatem imbecillimam esse, Hippocr. 4. aph. 37. dicebat, vbi sudor, ibi morbus. Vnde cum cerebrum sit fons sudoris, à quo ille dimanat, quis non videt esse periculum, vtque illius vires esse imbecillas nimis, vt cogatur coneturque excludere. Non possit autem propter vires debilissimas. Idem Hippocr. dicebat 1. prognost. cap. 9. loquens de sudoribus, eos esse optimos, qui vniuersales sunt, calidi, & morbum leniant. Contra, inquit, qui circa pectus, collem aut frontem fiunt, omnes sunt lethales.

Conuulsio quid.

Conuulsio à siccitate seu inanitione periculosissima.

Vbi sudor, ibi morbus.

Addit postremo, omnes hos interire πνευμαλώδεις, hoc est, flatuosos. Sed circa hanc dictionem duo breuiter sunt expendenda, vnum est, cur hæc omnia quinto die fieri dicit: hoc est, perire quinta die. Alterum est, quid sit πνευμαλώδης.

Circa primum dicendum est breuiter, omnia accidentia superuenientia, quæ suapte natura sunt pernitiosa, si contingant die impari, esse magis lethalia. Hippocrates enim 2. epidem. dicebat, eos qui perituri sunt, necessario interire die impari, mense & anno. Quare cum quartus dies sit omnium proximior principio, non citius intereunt in morbis acutis quam quarta die.

Præterea dicebat Hippocrat. 2. Prorrhet. atque etiam Galen. signa pernitiosa omni tempore apparentia esse mala, sed si die impari fiant esse multo magis periculosa: quare inquit etiam interire spirituosos. Sed quid interest dicere quarta vel quinta. Debebat potius dicere quarta, qui est dies decretorius? Hoc etiam summa ratione dixit, quia dies quartus est decretorius, quia finis est ipsius quarti, & initium quinti, & est ea hora, in qua potissimum inducuntur morbi. Iure ergo dicit, si hæc apparent quinta die, quia impar, principium quintæ diei, & finis quartæ, qua hora solent potissimum interire homines. Erat postremum, dubium quos appellet πνευματώδεις, id est, flatuosos, hoc est, illos qui repleri sunt flatu, vt quidam volunt. Sed mihi non videtur satis accommodare. Itaque dicendum, suffocatos intelligendos, vel eos qui pereunt cum insigni anhelitus difficultate. Vtro autem modo accipiamus, necesse est verissimum esse id quod dicit Hippocrat. quia vterque perit propter insignem debilitatem cerebri. Iam vero symptomata relata ab Hippocrate faciunt imbecillitatem cerebri: à qua fit vt thorax non possit facile moueri. Vnde sequitur difficultas anhelitus, & veluti strangulantur. Et hi vt plurimum inflantur, eo quia spiritus retenti, inducunt insignem quendam calorem, à quo excitati flatus, faciunt tumorem.

πνευματώδεις qui?

FINIS.

HIERON.





HIERONYMI MERCVRIALIS FOROLIVIENSIS MEDICI PRÆCLARISSIMI.

PRÆLECTIONES PISANÆ In Hippocr. Prognostica eruditissimæ

A Marco Cornacchino Philosopho & Medico ex ore ipsius diligenter exceptæ, nunc primum in lucem editæ.

IN HIPPOCRATIS PRÆNOTIONVM LIBRVM COMMENTARIA.

Τὸν ἰητρὸν δοκέει μοι ἄριστον εἶναι πρόνοιαν ἐπιτηδεύειν.

Medicum prouidentiam sibi comparare, mihi videtur optimum.



ETERES, & præsertim Hippocr. raro dissecuisse tractatus suos in libros aut in capita compertum est; sed qui illos interpretati sunt, id fecerunt: Versibus enim mensurabant, non capitibus, vt scribit Galen. in comment. lib. de natura humana, vnde si liber Prognosticorum, quem interpretandum suscepi, nunc legitur diuisus in tres libros, mirari non debetis. Placet autem diuidatur ob ingeniosorum commoditatem in procemium, & narrationem: Narratio vero ipsa in triginta tria capita, quæ sic appello, quod variæ sint materiæ tractatæ, quas sigillatim elucidare conabor. Procemium aũt prius explanabimus; quia & ipsum cætera antecedit. Quod videtur Gale. diuisisse in tria capita. Ego autem puto diuidendum in sententiã, & sententię rationes, seu vtilitates tres. Est autem sententia hæc. MEDICVM MIHI VIDETVR OPTIMVM ESSE PROVIDENTIAM EXERGERE. Circa quam duo videnda sunt, primum quid sit ista prouidentia: deinde cur dicat, exercere prouidentiam, non autem solum prouidere. Quod attinet ad primum, prouidentia, quæ à Græcis πρόνοια, πρόγνωσις, & πρόρρησις dicitur, duplicem habet significationem: vna est, quãdo ille, qui dicitur prouidens, non solum præcognoscit, verum etiam prouidet illi rei. Sic DEVS προνοεῖν, sic Gubernatores prouidere dicuntur, qui non solum præcognoscunt, sed etiam operantur. Hanc prouidentiam debet habere Medicus, quia ipsum Deo similem reddit. Altera significatio est, quæ idem valet, ac prænotio, præsensio, prædictio, ac præuisio. Galen. existimauit istam prouidentiam nil aliud significare, nisi præcognitionem earum rerum, quæ suapte natura sensibiles quidem

Veteres suã scripta libris & capitibus non distinguebant.

Libri diuisiõ in procemiũ & narrationem: & huius itidem subdiuisiõe

πρόνοια seu πρόγνωσις quid significet.

dem sunt ante, quam videantur. Sed puto, & prouidentia voluisse Hippoc. intelligere, Medicum non debere leuibus coniecturis, sed ratione & dicursu certo res ægrotantium præcognoscere & prædicere. Cur autem non dixerit debere prouidere, sed potius exercere prouidentiam, ea est, quantum ipse puto, ratio, quod voluerit monere, vt hoc frequentissime agatur. Ea enim diximus nos exercere, quæ frequenter, & iugiter facimus. Iam vero res, & bonæ, & optimæ dicuntur, quæ magnos, & optimos vsus ac vtilitates afferunt, propter quod statim Hippocr. vt monstraret, quomodo sit id optimum, proponit tres ipsius prouidentiæ vtilitates, quas appellat Galen. κεφάλαια, seu capita.

Optimum quod optimos vsus habet.

Prognostica tres vtilitates.

Prima autem vtilitas est, quod præcognoscens, & prædicens Medicus futura, præsentia, & præterita coram ægris, & exponens quæ ipsi omittunt, facit, vt æger videns res suas optime à Medico cognosci, ipsi sese facile concedat, atque curandum præbeat. Iam vero quæ sint res illæ tam præsentes, quam futuræ, quas Medicus & prædicere, & præcognoscere debet, non videtur esse dubitandum, quin sint cuncta tam bona quam mala, quæ ipsi eueniūt, siue sint causæ, siue morbi, siue symptomata. Sed quæ sint illa, quæ prætermittant, diuersus fuit Galen. ab aliis antiquis interpretibus, qui existimarunt Hippocratem intellexisse locos affectos, & causas, quæ cum ignorentur ab ipsis ægris, facile etiam omittantur. Sed vere melius putauit Galen. intelligendum esse de causis omnib. externis, quę cum ægris ipsis imponant, facile ab iis omittuntur narrari, vel ob pudorem, vel ob negligentiam, vel ob prauitatem, ne scilicet Medici acrius in ipsos agant; abstinentia, & remediis. Quæ fuit causa vt Hippocr. 1. lib. de morbis muliebribus præcepit medicis, vt diligentes sint in percontandis mulieribus, quoniam illæ sæpenumero ob pudorem quendam respuunt proprias res narrare. Quod autem optimum sit sese ægrum, medico concedere, ex eo facile intelligitur, quod sæpe scripserunt Hippoc. & Gal. nempe artem totam constitui ex tribus, morbo, ægro, & medico: qui duo si aduersus morbum conueniunt, facile ipsum vincunt. Conueniunt autem, si æger fidem habeat ipsi. Nam sicut nil molestius, & vt ita dicam, funestius est ipsi ægro, quam vt curetur ab eo, in quo nullam fidem ponit, haud secus ipsi medico nil acerbius, & durius euenit, quam vbi viderit se aspernari, & ægrum ipsi nullam fidem habere.

Mulieres pudore sæpe necessaria dissimulant.

Ars medica ex trib. constat, Morbo, Ægro Medico.

Atq; hæc est sententia, & sententiæ prima ratio, siue vtilitas clara & perspicua: Circa quam modo operæpretium est paulisper philosophemur: & primum videndum est, cur Hippocr. breuitatis amantissimus, & propterea non admodum assuetus procemia facere, huic tamen libro ipsum esse præponēdum duxit. Secundo videndum est, cur Hipp. hoc modo loquendi est vsus nempe. (Mihi videtur) qui certe familiaris solet esse Aristot. sed non Hippoc. Tertio, cur Hippoc. huic sententię rationem apposuerit. Nam scribit Arist. 3. Rhet. 21. Sapientes cōsueuisse interdum afferre sententias cum ratione interdū sine: Id, quod maxime obseruatum est in Hipp. aph. Quarto & postremo, vnde fiat, vt fides ægri in medico tantū valeat ad sanandum, vt quasi prouerbio dicatur illum medicū plures sanare, cui plures confidunt. Circa primum Galen. inquit, Procemio vsum hic esse Hippoc. propter eos, qui dicebant ad medicum pertinere quidem, vt vel conseruet, vel restituat sanitatem, non autem, vt præcognoscat & prædicat, quasi opus hoc sit diuinatoris, non autem medici. Sed puto ego aliam, & meliorem esse rationem. Etenim Aristot. 3. Rhet. cap. 14. loquens de procemio, dicebat, in eo breuiter dici id, quod tractandū & agendum est: ac propterea, vbi res sunt notæ, vel parui momenti, haud quaquam opus esse procemio: quasi vero procemia sint necessaria in tractationib. rerum magnarum, & ignotarum cuiusm. cum sint isti libri facile est intelligere: propterea Hippocratem indicasse sibi esse procemio vtendum, quemadmodum etiam fecit in Aphorismis, & omnium luculentissime in officina Medici, quem librum vt perhibet Galen. in initio commentarii eius, ob id nonnulli putarunt esse ante omnes aliosq legendum, quod ille quoddam procemium ad totam artem habeat. Ad secūdum dicimus, id quod etiam vero diximus, Hippocr. fuisse conditorem huiusce partis-

Plures sanat medicus, cui plures confidunt.

partis prognosticæ, quam nemo ante ipsum æstimabat. Vnde iure quodam videtur de prouidentia id statuere tanquam propriam sententiam, & proprium opus. Magna siquidem ingenia semper de se magna dicere possunt, & præsertim qui sunt summæ authoritatis, cuiusmodi fuerunt Pythagoras & Hippocr. quibus; quicquid dicebant, statim ore assensum præstabant. Ad tertium dicendum est id quod dicit Aristot. loco citato, vbi verba faciens de dictis Sapientum, quæ ad salutem & mortem, & ad bene beateq; viuendū pertineat, inquit, Sapientes aliquando rationes afferre sententiarum aliquando vero neglexisse, eo, quod sententiæ Sapientum, aut sunt de rebus, quę statim percipiuntur, aut de iis, quæ non statim apprehenduntur. Si primo modo rationem non exigunt: vt venerare deos: & si secundo modo rationem exigunt, vt: cum sis mortalis, iram immortalem noli seruare, & similia. Iam vero medicū debere vti prouidētia est ex iis, quā statim non apprehenditur, cum medici munus videatur esse tantū circa conseruationem, vel reparationē sanitatis. Ad quartum & vltimum dicendum est, quod scripsit Auic. plerisq; in locis, sed potissime quarta parte lib. de anima, cap. 4. nempe imaginationem magnam vim habere, in corporib. sanis permutandis, eo, quod anima imaginans, quæ est corpori colligata, vbi valde in ea operatione est, complexiones mutat, calidumq; ex frigido, & contra facit. Quod si verum est in sanis, vt quotidiana experimenta docent, multo magis verum esse potest in ægris, quorum corpora facillime à quauis causa patiuntur, & alterantur. Sic enim verum existimari potest, q̃ scribit Martialis de Hermocrat. illo infestissimo medico, à quo, si quispiam somniabat sese curari, protinus interibat; ne dicam etiam quod relatum est à Galen. lib. de Theriaca, de illa; quæ ex turpi marito, pulchros filios sola imaginatione cōcipiebat; q̃ etiam de ouibus Iacob narrat Moses. Est etiam & alia ratio, quoniam, qui medico fidunt, ei etiam obsequuntur: obsequentia vero ægri tantum valet in debellandis morbis, vt Celsus scripserit, si a principio accersatur medicus, & æger sit obsequens, raro fieri vt pereat siue illius vitio. Quod etiam voluit intelligere Hipp. initio aphor. scripsit medicum non modo debere seipsum præstare opportuna facientem, sed etiam ægrum & exteriora.

Sententia sapientum aut cum aut sine ratione ponuntur.

Hermocrat. medicus.

Τὴν δὲ θεραπείην ἄριστα ἂν ποιέοιτο.

Curationem autem optime.

Minime opus est, vt horum verborum cum superioribus connexionem perquiramus, quandoquidem certum est, secundam rationem esse, cur prouidentia medici sit optima, seu potius secundam ipsius vtilitatem. Dicit enim Hipp. medicum, qui futuras affectiones intelliget, esse optime curaturum, vbi à longe, quæ remedia sint adhibenda præuiderit. Et quia poterat aliquis dicere, multo præstantius esse curare, quam prænoscere: respondet id verum quidem esse, sed nō esse in medico, semper vt curet, quemadmodum in ipso est, vt propria industria, atque intellectus opera prægcognoscat futuras ægritudines. Nec miremini Hippocratem dixisse, sibi sic videri, & postea addidisse rationes; quoniam non solum id fecit ob suam modestiam, ne scilicet videretur sibi plus assumere, verum etiam vt doceret non debere quemquam, etiam consummatissimum sibi tantum tribuete, vt velit sibi etiam iniurato (vt dicitur) credi; sed præstare, vt semper, dictorum ratio afferatur, præsertim in iis rebus, quarum veritas non ita cito comprehenditur.

Dicebat enim sapienter Auerrhoes, sese neque etiam Aristoteli fuisse crediturum, nisi cum ratione locutus esset. Sed circa hanc secundam rationem occurrunt duo consideranda. Vnum est, quare Hippocrates dixerit supra, medicum qui præcognoscit præterita & præsentia, & futura, maxime prodesse ægro; nunc vero duntaxat dicit, eum optime esse curaturum, qui futuras affectiones prænouerit: de præteritis & præsentibus nihil dicit. Aliud est consideratione dignum, quomodo possit curare optime, qui prænoscit futuras ægritudines.

Etenim primũ, non videtur hæc posse curatio dici, sed potius præseruatio. Curatio est affectuum sublatio: præseruatio vero est à futuris defensio. Et sicut prior operatio respicit affectus, & morbos tantum, sic hæc causas. Ita enim docebat Galen. in libro de constitut. artis, & in libro de optima secta ad Thrasibulum. Circa primum, Galen. qui huiusmodi obiectionem videtur degustasse, eiusdem plane artis esse præcognoscere, quæ fuerunt, antequam sibi visa sint, necnon præsentia & futura, sed vsu ab vtilitate eiusmodi cognitiones inter sese discrepare, quoniam præcognitio futurorum vtilissima est ad curationem, præteritorum vero præcognitio solum ipsi medico videtur esse vsui ad declarandam sui ipsius industriam, & artem. Ego vero puto primum Hippoc. nomine futurarum affectionum, intelligere, & præteritas, & præsentes, quippe cui, quas nunquam viderit, nec audierit, ante præcognitionem, sunt tanquam res futuræ, non autem præteritæ, & quãquam curatio propria sit solum præsentium, non autem præteritarum & futurarum affectionũ: Attamen dicitur quoq; curare, tum qui parat remedia opportuna aduersus ægritudines futuras, vt cum aduenerint eas superet; tum qui reliquias præteritarum dissipat. Sic enim Therapeutice, & prophilactice partes medicinæ sæpe cõiungũtur, vt docet Galen. 2. aph. 22. & veteres æque vocabant medicos tum Clinicos, tum præseruantes. Alioquin pars ὑγιεινὴ medicinæ, quæ s. rolleo do causas præseruet à morbis, non diceretur medicinæ ars: cum tam sæpe sic appellata inueniatur. Scio hoc etiam in loco posse dubitari, an vere possint præcognosci futuræ ægritudines, & an si medicus non possit cunctos sanare, fiat vitio artis, an vitio corporis humani. Sed facile vtrisq; satisfit: scil. quod possint præcognosci ægritudines, sed non exacta, & certa cognitione, quale præcognoscitur Ver futurum post hyemem, & quod fit vitio vtriusq;. Etenim sicuti sæpe contingit vt morbi sint maiores quã humana præsidia, sic sæpe fit, vt ars non attingat ea, quæ postularent morti. Vnde dicebat lepidus Poeta: Non est in medico, semper releuetur vt æger.

ἐπεὶ δὲ οἱ ἄνθρωποι ἀποθνήσκουσιν.

Quoniam autem homines moriuntur.

HÆc est tertia ratio, seu tertium caput, vt loquitur Galen. quo Hippocrat. demonstrat optimum esse præcognoscere; & sicuti priora videntur pertinere ad ipsos ægrotãtes, qui sese concredentes Medico præcognoscenti, ab eo curantur optime, ita hoc totũ videtur respicere ipsum medicũ. Etenim medici optimi præcipuum munus est, omnia facere accommodare ad curandum: secundum est, vt vacet ab omni culpa, simulq; famam & sui gloriosam opinionem apud gentes acquirat. Atq; ad hæc duo postrema optimum esse præcognoscere nunc docet, dum dicit: cum necesse sit perire, atq; hoc alii statim faciant nondum præsente medico, alii paulo post suam præsentiam, alii multo post, optimum, vt medicus præcognoscens huiusmodi ægritudines, atq; eas cum viribus corporis comparans, simulq; si quid diuini est in ipsis, diligenter expendens, præcognoscat & prædicat euentus, tam malos quã bonos, quoniam sic inprimis in maxima existimatione habebitur, vt, qui non potens sanare, saltem non sit deceptus, sed euentum præcognouerit, & vt qui eos, qui non moriuntur, possit præcognoscens præseruare: simulq; omni culpa vacabit, qua posset putari, ipsum ægros necare. Ex quo discursu colligitur verã rationem præcognoscendi atq; prædicẽdi salutem, vel mortem ægrotantium in eo esse collocatam, vt diligenter præcognoscantur morborum ipsorum naturæ, necnon ipsorum ægrotantium vires, atque facta vtrorumque comparatione animaduertatur, an morbus sit superior viribus, an econtra. Cæterum circa hæc verba duo sunt perpendenda, vnum est quod Hipp. dicat alios perire antequam medicus accersatur, alios statim accito, alii paulo post, vel secunda die, vel tertia, antequã medicus singulis ex arte prouideat: qui fieri potest, vt singulis prouideat, si, antequam vocaretur, perierint?

Deinde

Deinde videndum est, quid sit illud diuinum quod præcipit, vt diligenter præcognoscatur ad primum Stephan. Atheniensis dixit, Hipp. propter duas rationes sic locutum esse, primum quia facturo diuisionem eorum [ægrotantium, qui pereunt, necesse erat sic loqui, quoniam qui pereunt, vel pereunt antequam vocetur Medicus, vel postquã vocatus fuit: & ex iis quidam pereunt statim, alii primo die, alii secundo vel postea: adeo vt si Hippoc. illud membrum dimisisset mancus fuisset. Alia ratio est scilicet, vt doceret nos quæ sit natura morborum acutorum, de quibus est locuturus; siquidem ex morbis acutis nonnulli sunt acutissimi, alii minus, alii paulo minus. Acutissimi statim interimunt; minus acuti, qui paulo post; adhuc minus, qui postridie. Hic Stephani discursus non est contemnendus. Sed puto Hippocr. aliud respexisse. Dixit prius impossibile esse omnes ægros sanare, vtque hanc propositionem ostenderet, nullum erat aptius medium, quam istud. Nam si quidam moriuntur antequam accersetur medicus, impossibile est, vt omnes curentur. Miror de nonnullorum lasciuia, qui dicunt ex hoc loco haberi, omnes morbos curari posse, si medicus in principio vocetur: sed falluntur, quoniam sic (vt recte dictum est) fallacia artis non est ex se, cum sit habitus, sed propter subiecti fluxibilitatem. Quomodocunq; enim à principio vocetur medicus, hæc nostra caro fungitur suo munere, periit suapte natura.

Circa secundum, grauis & antiqua est dubitatio, quidnam Hippocrates intelligere voluerit pro diuino, cum scribit, debere etiam medicum præcognoscere, si quid diuinum est in ipsis morbis. Nonnulli fuerunt vt narrat Galen. qui existimarunt pro diuino intellexisse Hippocratem iram Deorum, quasi morbi non raro ab iratis Diis mittantur: Sed Galen. hos refutat, quia Hippocrates nunquam hoc crediderit, atque officium interpretis sit non solum verum dicere, verum consentanea voluntati ipsius authoris quem interpretetur. Quod autem non habuerit hanc opinionem Hippocrates, colligitur ex libro de aere, aquis & loc. vbi loquens de morbo quodam Scytharum, confutat eos, qui existimabant illum à Deo mitti; quasi, si ita esset, debuissent pauperes potius quam diuites, qui ob sacrificia sunt iis amici, id pati. Demonstrat idem quoque ex libro de sacro morbo, vbi plurima habentur aduersus eos, qui morbos in ipsos Deos referebant. Alii putarunt, amorem aut epilepsiam intelligi pro diuino. Sed hoc quoque iure à Galeno confutatum est, & si in hoc non admodum ipsum laudem, cum dicit à nemine amorem vocari diuinum, cum nihil sit frequentius apud Poetas Græcos & Latinos, quam amorem, Deum amorum vocari. Alii dixerunt, dies iudicatorios ab Hippocrate intelligi, quasi vero vis illa dierum sit diuina, cum plerique à Cœlo, & ab astris eam deducant. Sed vt ait Galen. & si dies decretorii habeant causas abditas, & ignoratas, haud tamen propter hoc dicendum est aliquid in sese diuini habere. Quare putat Galenus ab Hippocrate non posse aliquid diuinum appellari, quod non sit pertinens suapte natura ad artem medicam, & propterea ab ipso Hippocrate cognitum, atque alias tractatum. Vnde cum aer pertineat ad artem, & eius tanquam causæ morbificæ meminerit sæpe Hippocrates, putat nil aliud ab ipso pro diuino, quam ipsum aerem intelligi, de cuius constitutione in 3. aphoris. in lib. Epidem. atque alibi meminit. Quamquam hoc in libro videatur eum præteriisse; & quia poterat aliquid dicere Galeno, Hippocratem debuisse hic de morbis Epidemicis meminisse, si pro diuino aerem, à quo efficiuntur intellexisset. respondet id non fecisse, quia ea tractatio, vtpote admodum ampla propriam, & peculiarem tractationem poscebat.

Diuinum in morb. quid Hippocr. sit.

Interpretis boni officiũ.

Concludit igitur Galenus, nil aliud voluisse Hippocratem docere, dum dixit, præcognoscendũ esse, si quid diuinum est in morbo, quam si sunt Epidemici, ita vt à peculiari aeris constitutione efficiantur: Sed neque hæc Galeni sententia omnibus placuit, quemadmodum etiam nec mihi, siquidem cognitio huiusmodi constitutionis aeris, haudquaquam admirationem parit, siquidem vt scribit Aristot. admiratio est animi quædam operatio circa ea, quæ nobis difficilia, vel impossibilia vi-

Admiratio quid secund Aristot.

lia videntur: Iam vero nemo est, qui putet sibi impossibilem esse huiusmodi cognitionem. Itaque sentio cum illis, qui putant nomine diuini intelligi quicquid abditum est, siue sit huiusmodi præcognitio ad dies criticos, siue ad aerem, siue ad Dæmonas, & Deos. Sic & lib. de natur. muliebri in initio dicebat θεῖον seu diuinum esse causam in morbis muliebribus: ac propterea illud in curatione semper esse spectandum.

Σκέπτεσθαι δὲ χρὴ ὧδε ἐν τοῖσι.

Considerare autem oportet primum.

ABsoluto iam proœmio, sequitur narratio, quæ, vt alias dixi in 34. partes secatur, non ea quidem ordinata secundum certam methodum, vt male existimarunt aliqui, sed id tantum habet, quod a facie auspicatur, quæ Græce dicitur πρόσωπος, & in solo homine reperitur, quoniam, vt scribit Plat. in Cratylo, vt & Aristot. 3. de partibus animal. cap. 1. circa finem, cum solus homo erectus sit; solus quoque ea, quæ sunt ante, prospicit. Cuius tractatio, vt à vobis facilius comprehendatur, diuidi potest in vniuersalem & particularem significationem. Vniuersales quoque tres particulas habet: ptima est, considerare oportet in morbis acutis faciem. Secunda est, si similis, an dissimilis sit sani, & maxime sibi ipsi. Tertia, quoniam si talis similis, optimum; si vero dissimilis, formidolosa est. Quorum verborum priusquam anatomen faciamus, videre operæ pretium est, cur Hippocrates à

Cur a facie præcognitio incipienda. facie sibi inchoandum duxerit. Nam hauquaquã credibile est temere ipsum hoc fecisse. Dixi alias totam hanc tractationem pertinere ad eam medicinæ partem, quæ σημειωτική nuncupata est, quæ scilicet docet res per signa cognoscere. Hæc autem præcognitio, vt animaduertit Stephanus Atheniensis, triplex est, ἰδιωτική, quæ vulgaris est; ἐπιστημονική quæ scientifica est, & τεχνική, siue artificialis, qua postrema

Præcognitio est triplex. vtitur Hippocrates, quippe qui signis ipsius artis propriis ad cognoscendas ægritudines, & ipsarum exitus vtitur.

Porro causæ, quibus motus Hippocrates, ad auspicandum à facie, tres sunt, tum quia facilis est huiusmodi significatio, tum quia sine dedecore, & turpitudine, tum quia maxime vtilis & accommodata. Est quidem facilis, cum statim sese offerat oculis, & propterea ab omnibus facile conspiciatur. Et etiam sine dedecore, cum non opus sit faciem detegere, quemadmodum necesse est: vbi ex hypochondriis vel ex pectore, vel ex quapiam alia parte præcognoscere, & prædicere optamus. Est postremo maxime vtilis, & accommodata, quia vt scribit Aristot.

Ex facie animus noscitur. XXXVI. part. problem. 1. propterea facies hominum pingi solet, quoniam ex ea cognoscitur, qui, & qualis sit homo, hoc est, qui sint illius mores, & quæ sit illius corporis dispositio. Sic enim dicebat Plato, in Euyphione ex capillis, naso, & barba, maxime dignosci homines, quibus signis satellites illi Socratem cognouerunt, & captiuum fecerunt, quemadmodum etiam narrant ex sola effigie Hippocratis Philemonem quendam physiognomum cognouisse ingenii illius magnitudinem, & præstantiam. Quomodo autem hoc cognoscatur, attendite, quoniam spero vos non sine fructu, & vtilitate Hippocratis Philosophiam esse gustaturos.

Tres animæ facultates trib. sedibus disclusæ. Tria sunt viscera, & tres facultates, quibus gubernatur corpus nostrum cerebrum scilicet facultatis animalis domicilium: cor, in quo facultas vitalis residet: & iecur, cui naturalis facultas inest. Vnde Plato in Timæo dicit, naturam esse alligatam velut in carcere in iecinore, ne perturbet diuinas cogitationes. Iam vero

Cerebrũ ex quib. cõstet. cerebrum, quod est pars dissimilaris, constat partibus solidis, spiritibus, & humoribus. Partium solidarum constitutio, & præsertim instrumentorum sensuum, tota sequitur constitutionem ipsius cerebri.

Adeo vt quales sint oculi, nares, aures, tale quoque cerebrum esse necesse sit: similiter quoque spiritus, tam animales, quam etiam vitales non modo

modo indicant cerebri, verum etiam cordis constitutionem, nempe cum ii spiritus fabricentur primum in corde, deinde in cerebro perficiantur. Haud secus quoque humores, præsertim sanguis indicat ipsius iecinoris statum, & temperamentum, qui sanguis cum multus feratur in vultum, & color deprehendatur, vt præclare docet Hippocrates lib. de humoribus, tunc fit, vt qualis color, talis sanguis; & qualis sanguis, talis sit iecinoris & totius corporis status: ob quod iure Galenus gloriatus est, sese ex solo colore vultus deprehendisse statum κακοπραγοῦντος ὑπάτου. Vnde etiam fit, vt tubercula, & vari in facie potissimum oriantur, quanquam Aristot. 36. part. problem. 3. hoc potius tribuat raritati, & humiditati, quam sanguini ab ipso iecinore venienti. Ex his itaque omnibus perspicuum esse vnicuique potest, haud temere diuinum Hippocratem velle, vt primum facies inspiciatur: sed dubium est, an hoc sit verum, sola ex facie signa tantum valere ad totius corporis statum declarandum. Siquidem Galen. 2. de temp. cap. 6. & 4. in textum Epidem. commen. 28. manifeste dixit, nullius partis statum cognitum sufficere ad totius corporis temperiem exceptis oculis. Nisi dicamus duplicem esse cognitionem, aliam imperfectam, aliam perfectam: Et de cognitione perfecta loqui Gale. locis citatis. Vel potius dicendum est, faciem non vnam partem esse, sed veluti quoddam totum, cùm ad ipsum, à toto corpore & spiritus, & humores distribuantur. Videamus modo verba. Dicit enim Hipp. σκέπτεσθαι, id est, intueri, & diligenter considerare oportet.

Spiritus, fontium naturæ indices.

Facies est veluti totũ quoddam.

Primvm. Quoniam vt alias dixi, facies primum sese offert ipsi Medico. Præterea, quia facilis est illius cognitio, honesta & vtilis. Dicit etiam in morbis acutis, non quia diuturni faciem non mutent, sed acuti multo magis atq; etiam multo citius, vt idem Hippoc. dicit in aph. lib. 2. aph. 28. in morbis, corpus consumi & commutari minus, esse signum acutiei, & paucitatis morbi. Nihil vero aut parum mutari, significare morbi longitudinem. Dicit faciem, id est, πρόσωπον. Circa quam sciendum, Aristot. 3. de part. animal. cap. 1. in fine, dicere faciem soli homini datam, quod est verissimum. Dicit & aliud non sine consideratione prætereundum, nempe dictum esse πρόσωπον, eo, quod solus homo erectus cum sit, prospicit ea, quæ sunt ante se. Nam quod solus sit erectus verissimum est, quia talis est si videantur alia animalia, vt aues. Erecti tamen semper faciunt aliquem angulum, homo autem nullum. Sed quod solus prospiciat, quæ sunt ante, videtur falsissimum. Et miror de Michaele Ephes. & Suess. viris doctiss. qui huiusmodi nodum aut non viderint, aut neglexerint: nisi dicamus Arist. non dicere solum hominem prospicere quæ sunt ante se, sed prospicere ea sola, quæ sunt ante, dum stat erectus. Etenim idem Arist. sect. 10. probl. 17. scribit, hominem habuisse interuallum oculorum breuius, vt solum ante inspiciat, bruta vero maius habuisse interuallum, vt etiam quæ sunt ad latera intueantur. Dicit porro Hippocr. an similis vel dissimilis sit sanis, maxime vero sibi ipsi, quoniam vera ratio præcognoscendi, & iudicium ferendi de huiusmodi rebus est per similium & dissimilium comparationem, vt etiam Hippocr. 1. lib. de med. offic. cap. 1. Imo scribit Galen. 1. de plac. cap. 6. 7. hunc modum cognoscendi, atque diffiniendi res per similia, & dissimilia primum fuisse monstratum ab ipso Hippocrate & Platone. Cur vero velit Hippocr. debere fieri comparationem corporum ægrotantium nõ solum ad quosuis alios sanos, verum etiam ad seipsum, manifesta est ratio, quia sunt aliqui ita à natura comparati, vt fere faciem cadauerosam semper referant, vt refert Athæneus de multis, in quibus si fiat comparatio status ægritudinis cum illo, parum immutatur.

Hominis oculorum interuallũ, cur angustius, & brutorum.

Vnde in his haudquaquam mala erit similis facies, & si sit dissimilis, sicuti mala est, vbi & cunctis hominibus sanis, & sibi valde est dissimilis, quæ etenim naturalia etiamsi mala, non modo non deterrent, quinimo ea medici nituntur conseruare.

εἴη δ' ἄν τὸ τοιόνδε. ῥὶς ὀξεῖα.
Talis autem fuerit.

NON est fine aliqua contemplatione prætereundum, cur Hippo. qui dixit pertinere ad medicum præcognoſcere, & prædicere omnia ægrotanti, tam bona, quã mala attamẽ de facie loquẽs, solũ mala & pessima signa proponit, nisi dicamus tacuisse bona, quia ea cognoscuntur facile, & intelliguntur malis intellectis, quasi signa faciei, quæ ab hisce remota sunt, statim bona sint. Siquidem sicut hæc signa, quæ hic narrantur, propterea deterrima sunt, quia valde statui cuiusq; sani dissentanea sunt; sic ea quæ assimilantur sanis, bona sunt, quemadmodum media inter hæc prout huic, vel illi magis, vel minus accedunt, sic vel meliora, vel deteriora sunt. Iam vero signa quæ faciem deterrimam, hoc est, Hippocraticam vocatã, seu cadauerosam: vt apud Terentium, vel mortuosam, vt apud Cœlium Aurelianum, nobis indicant, numero sex sunt. Nasus acutus: oculi caui: tempora collapsa: aures frigidæ ac contractæ, & imæ aurium partes leuiter versæ: cutis circa frontem dura, circumtenta, & arida: & color totius faciei pallidus, aut etiam niger, & liuidus, aut plumbeus. Circa quæ signa, vt more nostro philosophemur, sciendum τὸ πρόσωπον, seu faciem, vt testatur etiam Aristot. primo de Histor. animal. cap. 8. & 9. esse totam eam anteriorem partem capitis, quę sub calua est, cuius tanquam dissimilaris membri etsi complures sint partes: quæ tamen faciant eam cadauerosam, sunt illæ sex enumeratæ; & ratio est, quoniam partes solidę cum vel nullam, vel exiguam cõsumptionẽ patiantur, sed solũ spiritus, & humidæ ac molles partes in sex enumeratis sunt plures spiritus & humidæ partes, quam in vlla alia: Nec valet quod Hipp. non apponat genas, quæ humidæ & calidæ sunt, ac proptere a facile consumuntur, simulque deformitatem cadauerosæ faciei maiorem reddunt, quoniam nomine temporũ etiam genas, quæ subtus ipsa immediate locantur, quasique ipsis coniunguntur, intelligit. Vel id facit, quia vt dicit Arist. primo de hist. 13. & lib. 3. x. xi. gena & cutis sine mucco adhærens ossi: vnde scissa non coalescit: aut vt Hippocr. 6. apbor. 19. vnde non consumitur: aut dicit sub colore intelligere genas, quæ maxime omnium colorem mutant. In timentibus id apparet, putibundis, & iratis.

Signa faciei Hippocraticæ seu mortuosæ.

Faciei meta quæ.

Tẽpora quid significent.

Porro quod hæc omnia in facie deperdantur, ac propterea deterrima sint, probari potest, vt recte dicunt Galen. & Stephan. tum analogismo, id est, experientia, tum etiã ratiocinatione. Experientia probari potest, quod in quibuscunq; morbis hæc contingunt, ii sunt exitialissimi. Ratione etiam, quoniam propter duas causas solet huiusmodi passio contingere, propter acrimoniam materiæ, quæ fertur ad faciem, atque eam depascitur, simulque corrumpit & consumit partes facile possibiles, vtpote carnes humores, atque spiritus, sicque huiusmodi affectus oboritur: Vel natiui caloris imbecillitatem, qui nequit extendi & propagari ad partes superiores, & extremas, cuiusmodi est facies, quæ, vt optime monet Stephan. etiam ipsa inter extremas partes connumeratur, sed circa viscera latitans ibique tantum sese explicans, facit vt partes extremæ ab ipso desertæ refrigerentur, contabescant, mortuæ & cadauerosæ euadant: atque eo magis facies quod semper sit detecta facilique ab aere externo, qui semper corpora nostra consumit, patiatur. Facit etiam hoc incendium ingens internum, quod non modo colliquat, verum etiam calorem natiuum quasi extinguit. Atque hæc vniuersalis est ratio propter quam fiunt sex prædicta symptomata, quibus quasi propriis characteribus formatur facies Hippocratica vsque adeo decantata.

Sed quia non sufficit huiusmodi vniuersalem rationem cognoscere, nisi etiam vniuscuiusque symptomatis causa peculiaris cognoscatur. Ea propter incipiemus cum Hippocrate à naso acuto. Etsi enim Hippocrates in Coacis prænot. descriptionem hanc inchoet ab oculis, parui tamen momenti est hæc discrepantia: nisi dicamus Hippocratem hic spectasse, quod primum apparet: in Coac. quod primum fit.

Etenim

Etenim scribit Plinius non contemnendus author, primum formari cor, tardissime autem oculos: rursum oculos primo mori, postremo cor. Hæc pars intus cartilaginibus seu ossibus constat, vt docet Galen. in Anatomicis administrationibus, atque de vsu partium, & Aristot. 2. de part. animal. intus os, extra cartilago loquor autem sic, quoniam, vt ibi dicit Aristot. Cartilago & os, vt eiusdem naturæ, differunt autem duritie, siquidem medulla sicut intra contenta, fiunt dura ossa, sic ea per totum distributa fiunt cartilagines, quę à prouida natura in iis partibus sunt, quibus vt expositis periculum imminebat ne frangerentur quales nares, & aures. Hæc pars cartilaginea est, ad latera vero carnea, & humida quæ πτερύγια seu alæ nūcupantur à Medicis. Hæ igitur alæ, cum humidæ facileq; passibiles sint, contingit, vt propter vnam ex caussis relatis consumantur & corrumpantur. Vel enim propter acrimoniam materiæ depascuntur, & exhauriuntur, vel propter natiui caloris imbecillitatem frigido tunc compingente, atque in acumen, & figuram pyramidalem conformante. Vnde his ambabus vtrinq; partibus tabefactis, consumptisque, necesse est, nares acutas fieri id quod proportionaliter in his fit, qui simi sunt, qui naso carent. Quo fit, vt iure statuerit Hippoc. non solum totam faciem simul esse comparandam naturali cuiusq; verumetiam quamlibet partem, exempli gratia, nares simas & gibbosas, vt sic dicam, habentes, in morbis, si eas acutas habere videantur, haudquaq; adeo est detestandum, sicut in illis quorum nares figuram debitam habent.

Nares cur acuminentur. Cartilago et os vt differant.

Addo ego aliam causam, propter quam nares consumuntur non significatam neq; à Galeno, neq; à Stephano Atheniensi. Et est calor prauus, & malignus. Scio esse nonnullos, putantes nares, & alias partes consumi à calore natiuo: quia iste cū non inuenit pabulum, tunc partes consumit. Sed nugæ sunt: calor enim natiuus semper generat, & conseruat, semper viuificat, nunquam consumit: at calor qui consumit, ac deperdit, non est natiuus, sed præternaturalis. Vnde quoties in febribus ardentibus, malignis, & colliquantibus nares fiunt acutæ; id non tantum paupertati caloris est ascribendum, verum etiam incendio intestino.

ὀφθαλμοὶ κοῖλοι.

Oculi caui.

Oculos esse partem nobilissimam, quæque ad vitæ dulcedinem magnam partem conferat, vt dicebat Celsus, cuius manifestum est. Vnde author ille maxima diligentia oculos custodiendos esse decreuit, quia maximam partem conferunt ad vitam: proptereа natura eos fabricauit miro artificio, ac firmis sepibus circumuallauit, ne faciliter ab externis causis læderentur: inter alia eos multis humoribus, propter quos dicebat Aristot. 2. de gener. animal. cap. 4. oculos tardissime perfici, quia copia humorum tarde coquitur, copiosa pinguedine atque compluribus spiritibus construxit, tum vt prominerent, ac propterea longe prospicere possent, tum maxime vt alerentur copiose, simulque ab externo frigore protegerentur. Nam Aristor. XXXI. sect. 1. 23. quærens, cur oculus cum infirmissimus suapte natura sit, minime tamen omnium partium rigeat, inquit id esse, quia caret carne, & multa pinguedine constat, non autem quod multus ignis in ipsis sit, vt aliqui veteres, inter quos Plato in Timæo, authores narrant: siquidem ignis qui est in oculis haudquaquam calefacere potest, cum sit potius fulgor quidam lucidus, & cœlestis.

Oculorum dignitas.

Cum ergo ita oculus constitutus sit, manifestum est, si consumatur pinguedo, si spiritus exhauriantur, qui tamere & prominere oculos faciunt, ipsos subsidere, & locum quem antea occupabant, vacuum maiori ex parte fieri, sic cauari; id quod etiam fieri διὰ τὴν ἀτροφίαν, iute docuit Stephanus. Sicut enim videmus corpora, vbi alimento destituuntur, contabescere ac imminui, haud secus contingit oculis.

Causæ vero quæ peculiariter hæc efficiunt,& oculos cauant, sunt eædem, quas diximus faciem corrumpere s. prauitatem & acrimoniam humorũ, calorem malignum, & præternaturalem necnon natiui caloris imbecillitatem extremam. Est hoc in loco nonnihil difficultatis quia Hippoc.6. Epidem. sect.4. circa finem scribit, vt oculi valent, ita etiam totum corpus valere. Vnde manifestum est tantum tribuisse signis oculorum, vt ex illis solis statum totius corporis comprehendi posse putarit. Et quamuis hoc nõ dixisset, experientia demonstrat, quia statim ex ipsis oculis solers Medicus statum totius corporis venatur, & maxime fœminarum. Nihil enim in ipsis æque indicat illarum temperamentum, quam oculi, præsertim dum menstruis purgationibus vtuntur. Quem locum exponens Galen. affert eam causam, quod multus spiritus lucidus animalis ex cerebro in oculos fertur, qui cum imbecillus vel paucus est, necesse est mutari ad melius, vel ad peius simul eorum colorem, ac consequenter etiam illorum robur, vel imbecillitatem sequi, vna cum totius corporis robore, vel imbecillitate. Quod enim color totius corporis sequatur oculorum colorem etiam Arist. testatur.

Cõtradictionis conciliatio. Sed ex altera parte Galen.2. de temp.6. monstrat, ex tempetamento vnius partis non posse cognosci tempetamentum totius. Et loquitur de oculis, quasi ex statu oculorum non possit totius corporis status cognosci. Pro qua contradictione tollenda dicendum est, vere ex oculis certa signa haberi non solum corporis, verũ etiam animi. Etenim si quales sunt humores corporis, talis apparet color in cute, certe oculi qui sunt veluti specula, multo citius, & facilius colores cutis suscipiunt, & ostendunt. Verum licet hoc faciant de humoribus, non ita tamen de temperamentis, siquidem temperamentum partis proprium, hauquaquam potest temperamentum totius docere.

Κροτάφοι ξυμπεπτωκότες.

Tempora collapsa.

Temporum constitutio. TEmpora inter cunctas capitis partes sola habere musculos, quos temporales dicunt, vere narrat Gale. Quo fit, vt cum sint carnosa, ac propterea mollia nec non spiritibus, & sanguine suffusa, facile etiam corruptionem patiantur, & spiritib. atque sanguine priuata, à quibus eleuata & florida conseruabantur, in seipsa subsideant & collabantur, quemadmodum etiam canities citius in iis partibus, quam in aliis appatet, vt testatur Arist.3. de histor. animal.11. & Alex. probl.1. vbi dicit Homerum idcirco vocasse homines πολιοκροτάφους. Cæterum dubitatio oritur, qua ratione tempora omnium pattium capitis ptima, canitiem patiantur. *Tempora cur prima canescant.* Ex vna parte est Aristot.5. qui de gener. animal. cap.4. in fine sctibit, humidum multum & paucum imputrescibile esse, ac proptetea tempora canitiem, quæ est putredo, facile, & cito contrahere, quoniam nec multum nec parum humoris habent: Id quod alibi de mari scripsit, nempe quod mare in se, vbi totum est, non puttescit, sed si diuidatur in plutes partes, tunc corrumpitur. Alex. loco ptob. citato videtur potius id totum copię illius humoris tribuere, qui cum nequeat concoqui putrescit, & albedinem illam in pilis producit.

Cæterum author lib. de coloribus affert aliam rationem, scil. imbecillitatem facultatis naturalis in ipsis temporibus quæ cum nequeat debitum alimentum attrahere, humidum illud exarescit, & album euadit. Dicendum est librum illum de colorib. non esse germanum Aristo. ac ptopterea potiorem esse ac veriorem sententiam ex lib. de gen. animal. Imo eo in loco, & alibi Arist. cõfutauit opinionem eorum, qui siccitati canitiem tribuebant. Quamquam Athenæus lib.15. tribuat Aristot. quod in quæst. natural. voluerit vnguenta illita capiti producere canitiem, *Tempora vt concidant.* quod exsiccent. Igitur tempora cum humida sint, non solum canitiem cito contrahunt, verumetiam humiditate illa, & spiritibus dum priuantur, statim consumuntur, atque in seipsa concidunt. Consumitur autem ipsorum humiditas & spiritus,

bus, vt optime testatur Galen. atque Stephan. vel ob aliquam causam colliquantem & consumentem, vtpote calorem, vel cacochymiam: vel ob imbecillitatem caloris natiui.

ὦτα ψυχρά.

Aures frigidæ.

INter partes, quæ faciunt cadauerosam faciem, sunt quoque aures, quæ has conditiones habent, q; sunt cartilagineæ, quod sunt quasi extra corpus collocatæ, & quod partes quas circumsitas habeant, præsertim inferiores, quæ lobi nuncupantur, sunt multo molliores. Ratione substantiæ cartilagineæ, & situs suapte natura frigidæ sunt, quod etiam demõstrat experientia, cum ab aere externo frigido nulla fere pars nostri corporis æque afficiatur, atq; ipsæ aures. Ratione vero loborum, cum sint partes carneæ, & molles ac tumidæ, consumuntur, exsiccantur, atq; exsiccatæ postmodum inuertuntur. Ita enim comparatum est, vt cutanea, & coriacea corpora exsiccata contrahantur, tam extra, quam intra corpus. Atq; intra corpus contrahuntur versus eam partem, vnde nerui ipsarum oriuntur, quo fit, vt cum loborum, aurium nerui originem ducant à posteriore capitis parte, versus eam potissimũ contrahantur, & vertantur. Ex quo loco Stephan. Athen. colligit falli eos, qui fatentur spasmum fieri solũ in partibus, quæ mouentur, cum tamen aures contrahantur, quæ sunt immobiles. Sed est dubitatio in hoc loco, quomodo Arist. 32. partic. probl. 1. quærens cur aures rubescant pudibundis, dicat eas esse partes calidissimas, atq; coloris optimi. Præterea dubitatur, cur Hippocr. referens signa deterrima aurium apponit frigiditatem, & contractionis excrementorumq; aurium non meminit. Et tamen Apollonius in lib. de mirabilib. narrat: Aristot. in physicis quæstionib. causam explicauisse, cur morituris sordes aurium dulces reddantur. Imo ipsemet Hipp. 6. Epid. com. 5. c. 19. ait, sordes aurium in hominib. dulces, mortale signum esse, amaras vero non. Ex quo Hippoc. loco nonnulli colligunt, ipsum gustasse excrementa humana, quod quidem nefandum est, & a grauitate Hippoc. alienum. Ad primam dubitationem Petrus Aponensis respondet, aures scil. partes cartilaginosas esse frigidas, atq; de his loqui Galen. At vero partes carnosas esse calidas, atq; sic intelligendum esse Arist. Sed hæc responsio non videtur accommodari posse, quoniam Arist. inquit, aures esse exangues, igitur non calidas natura, nõ quia ita sunt actu, sed quia sunt maxime aptæ à natura ad suscipiendum calorem, vt experientia docet. Ad secundam vero dubitationem dicendum est; signum ex aurium sordibus non esse perpetuum, sed ex iis, quæ interdum contingunt. Hippocr. autem voluit solum apponere ea signa, quæ in omnibus, & semper contingunt, ac propterea vere sunt propria. Cur autem aliquibus morituris illæ sordes, quæ prius erant amaræ, fiant dulces ieiune satis causam reddit Gal. ad locum citatum 6. epid. com. 5. tex. 19. Verum ego duplicem afferre soleo. Vna est, quod in morituris calor natiuus pene extinctus est, vnde fit, vt humiditas cerebri non regulata à calore, aquea & fluida euadat, aquæ commixta aurium sordib. amaris idem præstat, quod aqua lupinis. Vel dicere possumus, in morituris vapores biliosos, qui faciunt amarorem, non amplius ad aures pertingere: quo fit vt dicantur dulces, non quia vere sint dulces, sed quia non sunt amaræ, sed aqueæ, sic enim dicimus aquam dulcẽ, quæ nullum peregrinum saporem habet.

Auris structura naturalis.

Pulchra speculatio.

Τὸ δέρμα σκληρὸν καὶ περιτεταμένον.

Cutis dura tensa.

SIcuti frons inter eas faciei partes præcipua ex iis est, quæ in sanis corporibus ostendunt, qui, & qualis sit homo: sic in ægris non exiguam partem habet ad significandam salutem, vel mortem, sed præcipue mortem, eo; quod hauquaquam ingentem patiatur mutationem, nisi quoque ingens sit malum, est enim frons, vt Aristoteles primo, de histor. octaua, tota ea pars, quæ interiacet inter syncipur, & oculos

oculos,&quæ vt optime docet Galen.tota pene cutis est,præter exiguam carnem, quam subtus habet & medio cuius alligatur ossi admodum crasso atq; duro. Vnde cum nequeat fere alia ratione consumi, quam vbi vel à longitudine, vel à magnitudine morbi,aut incendii,aut prauitatis humorum, aut caloris natiui imbecillitate, hinc fit,vt fere in solis marasmatis corporibus reperiatur ea durities,tensio & exiccatio quam hic Hippocrates commemorat. Sed circa frontem duo problem. occurrant,cur Hippocr.in Coacis prænot.dicat in morbis acutis frontem tensam, esse phrenitidis indicium. Secundum cur Aristot.loco citato tot argumenta morum animi capiat, quemadmodum etiam in physiognomicis. Ex quibus locis colligit Galen.in lib.quod anim.mor.seq.comper.cor. Arist.censuisse, animam sequi corporis temperaturam.Circa primum dicendum est,Hippoc.in Coac.loqui tantum de fronte,non autem de tota syndrome signorum, quam hic ponit ad significandam faciem cadauerosam. Iam vero cum phrenitis sequatur summum cerebri feruorem,atque frontis contractio non aliunde proficiscatur,quam ab ingenti siccitate,hinc fit, vt contracta facies arguat siccitatem cerebri, & consequenter phrenitidem. Sic dicebat Arist.2. probl.17. nos maxime sudare fronte, quia subiecta est cerebro,quod semper multa humiditate scatet,& quia laxa est,vt reliquum capitis os,ex quo vbi contrahitur, & corrugatur. Nisi sit à conuulsione, certum signum est siccitatis, quod in senectute contingit, atque in melancholicis illis, qui perpetuo mœrore conficiuntur.

Ad alterum dicendum est frontis constitutionem, & motum ac magnitudinem,sequi cerebri magnitudinem & constitutionem. Eapropter frons magna,cerebrum magnum, frons valde mobilis,cerebrum paruum, ac parum, plus vel minus caloris indicat. A cerebri autem substantia,& temperie certum est apud Medicos,imo etiam Philosophos,oriri mores hominum. Vnde,vt dicit Galen.aduersus Chrysippum in lib.3. de pl. Hippoc. & Plat. 4. solemus appellare insensatos, & bardos sine cerebro, vel excerebratos, vt sic dicam, & excordes meticulosos.

Τὸ χρῶμα τοῦ ξύμπαντος προσώπου χλωρὸν.

Color viridis.

POstremum signum quod proponit Hippo. pro integra faciei cadauerosæ,& lethalis descriptione, est color ipsius faciei quadruplex, viridis vel niger, liuidus, vel plumbeus: de quibus vltimo loco verba facit, quia cum hucusq; explicasset, quæ vnicuiq; parti propria erant, æquum erat, vt vltimo loco de colore, qui est omnibus communis, tractaret. Colorem ante extimum demonstrare dominium humorũ, nisi intro aliqua occasione recesserint, diserte satis docuit Hipp. initio libri de humoribus,& millies repetitum inuenitur à Galen. qui præsertim 1.aphor.2. laudauit huiusmodi sententiam tanquam verissimam, atq; medicinæ faciendæ non parum vtilem. Quod si ita est, iure Hipp. plura videtur dixisse de hoc, quam de aliis quinq; signis, quasi vero color maxime omnium faciat ad deprehendendum ægrotantiũ statum: & non sine ratione, quoniã cum morbi acuti, de quibus hic sermo est Hippoc. ab ipsis humorib. fiant, si color extimus corporis, & præsertim faciei facit non modo ad cognoscẽda crimina, vt dicebat ille, heu quã difficile est crimen nõ prodere vultu, verum maxime valere ad humorum qualitates, & statum intelligendum, iure sequitur colorem maxime valere ad iudicandos morbos acutos. Cæterum vt hanc rem optime intelligere possitis, sciendum est quod debebat esse color optimus faciei, vt, facta adhuc comparatione per regulam similium & dissimilium vsque adeo ab Hippoc. & Plat. decantatam. Liceat, quis deterior, & quis deterrimus sit, iudicare. Certum est enim id, quod magis contrarium est optimo, magisq; ab illo recedit illud esse deterrimum. Quod vero minus recedit, minus tetrum est. Iam color omnium optimus faciei is est, qui ex albo & rubro ita mensurate commixtus est, vt oculis, qui veri sunt colorum iudices, placeat. Atq; hic est ille, quem Hippocr. 4. Epid.

Color partis eius constit. docet.

Oculi veri colorum iudices.

Epid. in hiſtoria cuiuſdam ſeruæ appellat χρῶμα εὔχρον. ſicut vocat colorem huic contrarium χρῶμα νεχρῶδες, id eſt, colorem mortuoſum, qualem ſtatim factum eſſe, neſcio cui ex vulnere iocinoris, qui etiam eadem die mortuus eſt, narrat Hipp. 5. epid. Hunc autem mortuoſum colorem duplicem facit Hippocr. viridem vel nigrum, liuidum vel plumbeum. In Coac. prænot. dicit tantum ὠχρὸν, qui eſt idem, quod χλωρὸν, & μέλαν: Et animaduertere debetis, ſapientiſſimũ ſenem hoc loquendi diſiunctiue modo fuiſſe vſum; tum quia fere iidem ſunt, licet diuerſimode vocentur: tum quia ſiue differant inter ſeſe parum, ſiue multum, omnes teterrimi ſunt. Si quidem omnes ſunt contrarii illi, qui optimus color iudicatur, ſcilicet albus rubore commixtus.

Cæterum vt recte hoc intelligatur, diligenter, ſed breuiter inueſtigandum eſt, à quanam cauſa vnuſquiſq; ex relatis coloribus efficiatur. Et quia præcipue duæ ſunt cauſæ colorum, qui ſunt ſecundæ qualitates, ſcilicet, caliditas & frigiditas; de colore viridi ſaturato, qui χλωρὸς, hoc in loco ab Hippocr. appellatur, & quem primo loco recenſet, ſimiliter & de nigro, de quibus hic agetur videndum, an ab vtraque qualitate fieri queant, nempe à calore atque frigore. Galen. in comm. inquit, peſſimum omnium colorum eſſe nigrum, nempe qui fiat à refrigetato ſanguine, hoc eſt frigido, vt ex ſanguine in trombos conuerſo apparet. Secundo vero loco eſſe χλωρὸν, id eſt, viridem, qui braſſicæ, & lactucæ colorem æmulatur, & quem à frigore fieri ſcribit, cuiuſmodi plerumque in diuturnis morbis fit, in acutis minus. Propter quod etiam dicit Galen. eiuſmodi colorem tum νεκρῶδες vocari, quia ſequitur caloris extinctionem, quæ mors eſt, præſertim ſi fiat in principio, quia ilico calorem nariuum extingui monſtrat. Vnde qui colorem nigrum vel viridum habent in acutis, cito pereunt, vt diximus illi contingiſſe, quem narrat Hippocrates loco quinti Epidem. citato. Id quod etiam de liuido vel plumbeo exiſtimandum eſt, quandoquidem color viridis, vt idem Galen. ſcribit, eſt veluti initium, & via ad alios commemoratos colores. Stephanus quoque Athenienſis eandem cum Galeno ſectatur ſententiam, nimirum cunctos nominatos ab Hippocrate colores fieri à refrigeratione; differre tamen in eo, quod viridis primum fit. Deinde ſi magis intendatur frigiditas, fit humidus ſeu plumbeus; poſtremo vbi in tenſiſſima eſt facta frigiditas, fit niger, adeo vt omnes in eo conueniant quod à frigiditate ſint facti, differant tamen inter ſeſe ſecundum magis & minus. Verum ex altera parte videtur poſſe etiam fieri ab immenſo calore: ſiquidem manifeſtum eſt quæ cremantur, vbi penitus ſunt combuſta, fieri nigra: priuſquam vero ſint penitus combuſta haud ita eſſe nigra, ſed liuida potius, modo in acutis de quibus loquitur Hippocrates, certum eſſe febres quoque ingentes, & vſtiuas ſæpe fieri, à quibus probabile eſt humores deuri, ac propterea nigreſcere: imo in maraſmis tam torridis, quam frigidis, vt ab ipſomet Galeno didicimus libro de maraſmo, compertum eſt quotidiana experientia, æque corpora ſiccari, & nigreſcere, in quorum tamen altero frigus, in altero calor excedit.

Qui colores à quib. cauſis producantur. Viridis color & niger vnde.

Præterea excrementa febrium vrentium & acutarum, ſi nigra ſint vſque adeo lethalia habentur, vt nunquam ſe vidiſſe cum iis quemquam ſeruatum narret Galenus infra in hocmet libro: & tamen certum eſt fieri nigredinem ab extremo incendio perurente.

Nonnulli interpretes clariſſimi, qui hanc difficultatem guſtarunt, dicendum putant, aliud eſſe loqui de excrementis corporis, aliud de colore faciei, atque etiam totius corporis.

Excrementa enim fieri tam à calido perurente, quam à frigido, hoc eſt, à caloris extinctione.

Colorem vero faciei non poſſe ſtatim nigrum fieri ab vſtione, quoniam neceſſarium eſſet, prius omnia viſcera flagrare, atque ita ægrota mori, antequam ad hunc colorem deueniret.

Et quia

Et quia isti videbant instantiam Æthiopum, atque asperas cœli plagas habitantiū, qui nigri sunt, & calidi, dixerunt huiusmodi nigrorem haudquaquā in ipsis fieri ob aetis feruorem, sed potius vi quadam seminaria. Principio enim aliquem esse nigrum simili causa, ac postea eam qualitatem in semen traductam, fuisse in cunctos posteros propagatam, haud secus atque Hippocrates narrat lib. de aer. aq. & loc. Macrocephalos fuisse genitos, eo, quod initio quis arte sit ita a parentibus conformatus, & deinde per propagationem similis forma sit facta, & familiaris, & naturalis. Verum huiusmodi responsio mihi nequaquam placere potest; Primum, quia ratio illorum nihil valet, quod prius flagrarent viscera, & consequenter homo prius interiret, quam niger euaderet, siquidem verum est, incensa esse viscera a quibus vapores atri, vna cum sanguine vsto in caput sublati faciunt nigredinem statim, & statim quoque mors sequitur.

Quod enim videmus in parte fieri, vbi carbunculi gignuntur, cur non etiam concedamus posse fieri in toto, aut saltem in pluribus partib. Ad hæc, idem dicere possemus de frigore, scilicet extingui prius debere calorē natiuum in intimis partibus: antequam frigore nigredo in extimis produceretur, quod similiter dicūt de Æthiopibus, meram insomnium videtur. Imo Aristot. lib. de histor. animal. 3. cap. vltimo, & secundo de gener animal. cap. secundo, irridet Herodotum, qui dixit Æthiopas habere genituram, seu semen nigrum, tanquam ob id fierent omnes nigri.

Itaque dicendum puto pro huius nobilissimæ disputationis resolutione, etiam a calore immenso in febribus magnis, acutis & exitiosis, posse tribus modis fieri: vno modo per extinctionē caloris natiui: quo pacto contingit quoq; in summis frigorib. fieri nigrorem ab extinctione caloris natiui quod, vt docet Theophr. lib. de igne, Arist. in probl. & Galen. lib. de rig. & trem. æquea summo calore atq; a summo frigore extinguitur: vel a putredine summa exiccante vel nigrefaciente. Sic enim Arist. in vlt. sect. probl. proble. 9. scribit senes nigrefieri ob putredinem. Vel postremo dicere possumus, posse nigrescere ob fuligines sanguini mixtas & ad faciem missas eo pacto, quo scribit Aristot. eadem sect. problem. lateres ab igne nigrefieri non autem corpora hominum.

Sed quid dicemus de Galeno & Stephano, qui videntur contrariam sententiam sequuti? Puto dici posse eum spectasse id, quod frequentius fit, non tamen omnino negasse, quin etiam a calore possint fieri colores ab Hippoc. enarrati.

ἢν μὲν ἂν ἐν ἀρχῇ τῆς νόσου.

Si igitur in principio morbi.

HActenus Hippocrates de signis cadauerosæ faciei. Sed nihil adeo firmum, & perpetuum est in medicina quin aliquam exceptionem patiatur, præsertim in morbis acutis, quorum incertas dicebat esse prænuntiationes salutis aut mortis secundo aphorismorum. Iccirco & in his signis prænoscendis, quando firmiter lethalia, & quando non, in præsenti dictione docet, quæ satis perspicua est. Summa autem totius præpositæ sententiæ hæc est, quod vbi Medicus viderit, prædicta signa initio morbi, nec aliunde morbi totam constitutionem queat intelligere, non debere statim pronunciare ægrum certo esse obiturum, sed potius considerare, an vlla causa externa præcesserit, a qua potuerit huiusmodi vultus in ægrotante oriri: Exempli gratia, an vigilauerit diu, an aliquam insignem euacuationem, vel arte vel natura habuerit, an diu sine cibo vllo, & potu: quoniam si nulla ex his, vel aliis similib. causis præcesserit, morbum lethalem statim iudicare oportet. Sin autem vel aliqua vel plures ex hisce causis affuerint, minus graue malum est, & quia poterat quispiam percunctari ab Hippocrate, quanto tempore liceat dignoscere, vtrum facies à causis externis fuerit talis facta, ideo ait,

ait, noƈte ac die vna poſſe hoc dignoſci, hoc eſt, ſpatio 24. horarum, ſiquidem hoc interuallo temporis tetra facies ob externas cauſas effeƈta, ſi non ex toto, ſaltem maxima ex parte ſolet corrigi; vt propterea Hippocrates 2. prorrh. dixerit, mala à cauſis externis cito finiri. Quod ſi nec facta ſit à cauſis prædictis, nec eo tempore vlla in melius mutatio apparuerit, pro certo habendum eſt, non ſolum ægrum eſſe moriturum, ſed cito. Iure autem Hippocrates addidit excrementis verbum illud valde; quia vbi aluus mediocriter fluit, haudquaquam faciem iſtam cauſare poteſt. Imo vero dicebat Corn. Celſ. eiuſmodi euacuationem vtilem fore. Notant autem Steph. & Galen. Hippocratem, nomine euacuationis alui intelligere, quamcunq; euacuationem, vel per ſudorem, vel per vrinas, vel per ſanguinem, quæ cum immoderatæ fuerint, inducendo lypotimias ſeu ſyncopen, faciem iſtam cauſare poſſent. Dicit autem, ſi fames ipſum habeat, non autem ſi famem habeat. Aliud enim eſt rem habere, aliud haberi à re. Habere rem, ſignificat diſpoſitionem, quiæ facile tollitur. Haberi autem ſignificat, habitum illius rei. Et hoc eſt, quod volebat ſignificare Euangeliſta, quando dicebat, ſocrum Petri haberi à febri, volens ſ. ſignificare, febrem eſſe inſignem. Apud Terentium habemus, quêdam dixiſſe, habeo Thaidem, non habeor à Thaide, quaſi vellet ſignificare, ſe eſſe adeo amore illius captum, vt eam arbitratu ſuo dimittere nequiret. Atq; hæc eſt pura, & perſpicua præſentis diƈtionis ſententia. Circa quam videre eſt, primum, cur hæc vox, ἐν ἀρχῇ, vt ſcribit Galenus libro de temporibus morb. & Stephan. Athen. tribus modis accipi ſoleat à Medicis, vel pro illo primo inſenſibili punƈto, in quo morbus ægrotantem capit; vel pro toto illo tempore, quod contra diſtinguitur ab augmento ſtatu, & declinatione, quod à Stephano ſolet appellari artificioſum; vel pro illo ſpatio trium primorum dierum ipſius morbi, quod ſine arte appellatur; de quo in principio loquens Ariſtoteles 3. polit. cap. 11. dicebat, apud Aegyptios, apud quos tunc medicina florebat, fuiſſe legem, ne in primis morbi diebus, Medicus quippiam operaretur, vnde forte poſtea orta eſt illa medicorum ſeƈta diatritariorum, quæ tribus primis diebus nihil prorſus agebat, ſed exaƈtiſſima inedia ægros macerabat. Præterea videndum eſt, cur Hippocrates inter cauſas externas non connumerauerit curas, & mœrores. Etenim ſcimus, curas latinis ſic vocatas, & à græcis μελεδῶνας eſſe nuncupatas, eo, quod cor & membra edant, cuiuſmodi etiã facit amor. Eſt mollis flamma medullas. Mœrorem etiam magnam poſſe faciẽ huiuſmodi producere, non eſt dubitandum, poſtquam Galenus 3. de præſag. ex pulſ. cap. 4. dixit, à mœrore, & ira ſtatim febres heƈticas produci, quib. huiuſmodi facies produci conſueuit. Tertio conſiderandum eſt, qua ratione, dixerit Hippocrates, faciem mortuoſam, ſi fiat à cauſis externis, eſſe minus graue malum. Imo videretur eſſe ſalutare potius, cum in prorrhet. habeamus, quæ fiunt à cauſis externis mala, haudquaquam eſſe formidanda. Quarto, videre oportet, ſi verum eſt ab ingenti fame extenuari corpora, quomodo Ariſtoteles dixerit 1. Probl. pedes tumeſieri, & eo magis, quia ante Ariſtotelem Heſiodus dat præceptum ruſticis, vt caueant, ne pedes præ fame inflentur. Quem locum Proclus interpretans, dicit, fuiſſe legem apud Epheſios, haudquaquam dimittendos eſſe filios, niſi tumerent pedes. Ex quibus omnibus videtur colligi poſſe famem attollere potius, quam extenuare corpora. Quinto & poſtremo examinandum eſt, propter quid vbi ſigna faciei mortuoſæ apparent initio, abſque vlla cauſſa manifeſta, nec ſpacio 24. horarum conſtiterit facies, hoc eſt, in deterius non labatur, ſignum eſt ægrum eſſe morti proximum. Ad primum dicendum eſt, Hippocratẽ non primo modo, ſed vel ſecundo, vel tertio accipere morbi initium, quemadmodum etiam Galenus & Stephanus Athen. interpretantur; adeo vt non pro primo illo morbi inſultu. Sed vel pro toto illo tempore, in quo coƈtio nulla apparet, vel pro primis tribus diebus. Ad ſecundum, Galenus putat, ſub vigilia comprehendi ab Hippocrate etiam mœrorem, ac triſtitiam, ſicut per excrementa valde, alias quaſq; inſignes, & euidentes euacuationes, eo quod vigiliæ ſæpe à curis, & à mœrore inducantur. Ego vero dicendum puto, Hippoc. omiſiſſe curas, ſtudia,

atq; mœrores, quoniam, etsi ab his quoq; corpora nostra consumantur, non tamen ita cito, neq; ita insigniter, quemadmodum aliæ causæ ab Hippocrate commemoratæ. Imo vero, vt habemus ab Hipp. ex 2. particula prim. prorrh. & in Coac. multus floridus cum mœrore manet, & si ab ipso damnetur. Id q; etiam possumus dicere de vnguibus aduncis apparentib. in febrib. hecticis, & phtisicis, ac ob id iis ab Hipp. ferinis vocatis, vt notat Gal. 6. epid. 2. tex. 24. Hi enim licet sint lethalia signa in huiusmodi febribus, & in phthisi, præsertim, haudquaquam tamen fiunt cito, sed longo tempore; præterquā quod non pertinēt vllo modo ad faciem, quemadmodum pertinet mœror. Ad tertium dicere oportet Hipp. iure dixisse minus graue malum esse, si fiat facies Hippocratica ab aliqua causa externa, quoniam id verissimum est, semper faciem cadauerosam esse malam, quoniam saltem significat magnam corporis imbecillitatem, atque aptitudinem ad iniurias facile recipiendas. Postquam tantopere ab externis causis læditur. Et quamquam Hippocrates dicat, mala allata, ab externis causis non adeo esse timenda; illud tamen dicit, quod ad ipsas causas tantum nullo habito respectu passibilitatis corporis, ob quam fit etiam, vt alii magis, alii minus ab ipsis causis prædictis lædantur. Ad quartum, inquit Aristoteles, propterea iis, qui diutina fame laborant, pedes tumescere, quod eorum corpora colliquentur; colliquationes autem ad pedes descendnnt. Verum hæc sententia non mihi placet, quia in diutina fame, prout succi & carnes tenuantur, ita etiam per insensibilem transpirationem inaniuntur. Vnde mihi placet dicere, cum Proclo scilicet, quod vbi corpora sana diuturna fame tentantur, calor trahit succos ex toto corpore ad stomachum; qui quidem cum nimis crassi sint, sponte. Postea in pedes descendunt. Ad quintum & postremum sciendum est, contextus esse diuersos. Nam quidam habent simpliciter esse signum mortale, quidam vero vt hic, esse ægrum morti proximum. Item, sciendum est, quod alias ex ipsomet Hippocrate docui, veram rationem prædicendi salutem, aut mortem, esse comparationem ipsius morbi, & virinm. Quod autem cito, vel tarde fit æger periturus, habetnr ex comparatione magnitudinis morbi, & paucæ resistendi facultatis. Vnde cum facies Hippocratica subito facta, sit signum magnitudinis morbi, siue secundum essentiam, siue secundum malignitatem; & vbi non fit à causis externis, nec statim melior appareat, sit signum summæ imbecillitatis virium non valentium resistere; æquum est, vt iudicetur ęgrum esse cito periturum, postquam morbus est, valde malignus, & facultas valde infirma. Ex his potestis colligere documentum in medicina facienda, vt semper, & præsertim vbi aliquid rari contingit, diligenter ægros vestros percunctemini circa causas externas, quoniam etsi illæ faciant affectus faciliores, & qui cito curantur, attamen, ob dispositionem corporis patientis, possunt deterrimas, & irremediabiles morbos inducere, quemadmodum quoq; Hip. in libro de flatib. docet, ob huiusmodi aptitudinem affectus etiam pestiferos oriri.

Cur à fame diuturna pedes tumescant.

Ἢν δὲ καὶ παλαιοτέρου ἐόντος τ.

Sin autem.

SIgnorum lethalium discrimen est, quia alia in principio, alia post. Quæ in principio, certiora sunt, eo quod deterius est, initio esse victam naturam, quia signū est maioris malitiæ. Vnde Hippo. 3. in 1. epid. 26. in casu Critonis, qui in secunda die obiit, dicit Gal. ibi fuisse malignitatem ingentem, cum prima die apparuerint φλύκταιναι. Vnde Hippocrates, qui studebat erudire Medicos, postquam signa lethalia in principio docuit, nunc vult docere signa post initium. Dixerat Hippocrates, si in principio apparuerit facies cadauerosa, nec fit ab vlla ex causis procatarcticis, iudicandam esse lethalem. Et quia potest etiam vltra principium morbi huiusmodi facies vel apparere, vel perdurare, ergo nunc docet, quid agendum si morbo vetustiore existente faciem tamen habeat cadauerosam

an scilicet sit habēda pro lethali, hoc est, quam necessario sequatur mors: Et inquit, eo in casu non esse sistendum, sed adhuc perscrutãda esse diligenter, quæ dicta sunt signa, tum alia in ipsa facie, & in toto, atq; in ipsis oculis. Atq; hoc est id totũ q dicit Hipp. in exigua hac dictiuncula. Sed quæ est ratio, ob quam Hipp. qui prius dixerat ea sex signa faciei, si fiant in acutis, & sine causa procatartica esse lethalia, nunc velit præter hæc, alia esse spectanda: Dico id facere Hipp. tum quia nihil est tam certũ & firmum in medicina, quin interdum fallere possit: tum, vt moneret, Medicum debere esse industrium, & diligentē in perquirendis signis, & in optime confirmãdo prognostico, præsertim in acutis, in quibus dicebat secundo aphorism. non esse certas prænunciationes salutis, & mortis. Etenim & si Medicus, quanto magis interrogat ægros pro rebus suis cognoscentibus, tanto videatur ipsis debere esse acceptior; nihilominus, vbi etiam suopte studio nititur cognoscere, quam alioquin interrogando posset comparare, magnam existimationem sibi parit.

Καὶ ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσιν: ἢν γάρ.

Circa oculos quoq;: si enim lucem fugiat.

HIc faciunt secundum caput, qui diuiserunt hunc librum in capita. Sed siue diuidatur, siue nõ, perinde est. Certe hæc quæ sequuntur, ita cõiuncta sunt superioribus, vt videantur minime disiungi posse. Cum enim dixisset spectanda esse alia signa faciei totius, de oculis incipit loqui, qui sunt nobilissimæ faciei partes, vt ego puto, quia de facie, vt facies est, satis loquutus est, & à toto non possunt sumi signa, nisi per partes ipsas. Est autem preter suum breuitatis studium satis prosusus in signis oculorum tradendis, quæ nouem sunt, vt recte Stephanus adnumerauit, præter vnum à tota facie; quoniam vt alias dixi, ex Hippocrate 6. epid. oculi valent maxime, tum ad totius corporis status dignotionem, tum maxime faciei, propter quã est instituta hæc de oculis tractatio, prærerquam quod oculus est organum tam mirabiliter, & artificiose à natura fabricatum, vt infinita pene ab iis signa acquiri possint, quorum multa annumerat lethalia, quod ex his facile queat solers Medicus facta comparatione similium, & dissimilium intelligere, quæ bona, & quæ minus magisue mala sint. Ne autem bis eadem inutiliter repetam, sigillatim vnumquodq; signum percurram. Primum signum ab oculis prauum est, si oculi lucem fugiant. Etenim fugere contraria, & inimicos, est vnicuique parti à natura comparatum, nec propterea vnquam malum est. At fugere, quæ sunt amica, hoc illud est, quod nunc probatur, vnde cum oculis sanis lux semper amica sit, nempe qua constant, vt dicebat Plato, nec Aristoteles, neque Galenus negarunt, facile est colligere, vbi oculi fugiunt lucem, malum esse. Accedit, quod ait Galenus vbi oculi nequeunt ferre lucem, id esse vel propter aliquem præter naturalem in ipso organo existentem affectum, vt in ophthalmia, vel absq; huius affectu, atq; ex sola facultatis visoriç essentiali paupertate, aut debilitate. Atq; hoc vbi fit lethale signum est, vt ait Hippocrates, vbi ægri sunt perituri, maior pars eorum id habeat. Sciendum autem est, vt notat Stephanus, tria esse mutuo se consequentia, lucem, radium, & splendorem. Lux soli consubstantialis est. Radius mittitur à luce, & est veluti ipsius vehiculum. Splendor autem est id, quod à radio vehitur αὐγὴ vocata græce. In splendore semper viuimus, nec absque ipso esse possumus. Igitur vbi auersamur, quod necesse habemus, est signum summæ deiectionis visoriæ facultatis, nisi tamen, vt antea dicebam, contingat ob aliquem affectum, vt pauca ὀφθαλμίαν, vel causam externam, vt, qui diu in tenebris vixerunt. Scimus enim ex Galeno de causis sympt.

Oculorum quæ mala signa fuga lucis.

Lux, radius, splendor, cõsequentia sunt.

Dionysium tyrannum consueuisse ita homines excæcare, detinentem eos prius in obscurissimis locis, deinde mittentem in lucem.

Dionysii tyrannica excæcandi crudelitas.

Ἡ δακρύωσιν ἀπροαιρέτως.
Lachrymæ inuoluntariæ.

Lachrymæ quid.

SEcundum ab oculis graue signum est, vbi inuoluntariè lachrymantur. Lachryma nihil aliud est, quam serum sanguinis, seu, vt ait Aristoteles quinta, Probl. 35. sudor quidam, vel vt Plato in fine Timæi, pituitæ recentis colliquatio, aut collectæ in angulis oculorum, & per expressionem emissę, aut ab ipso cerebro immediate similiter ad oculos expressæ. Expressio autem est motus, qui fit ope musculorum, & propterea voluntarius, vnde quando voluntariè lachrymatur quis, siue id faciat sponte, siue ab aliquo affectu, vel affectione, præter naturam, vel à causa externa, vt fumo, sole, frigore ex Aristotele in Problemat. coacta voluntate malum quidem est, sed non lethale; quemadmodum etiam non lethale est, vbi præter voluntatem, sed propter aliquem affectum, nempe ophtalmiam, epiphoram, lippitudinem lachrymantur. Verum vbi sine aliqua causa simil ἀπροαιρέτως profluunt lachrymæ, lethale est, quoniam signum est facultatem retentricem penitus esse abolitam. Notandum est, Stephanum Atheniensem haud mihi placere, cum dicat, malas esse lachrymas inuoluntarias, eo quod nutrimentum oculorum euacuatur; quasi vero humor, ex quo fiunt lachrymæ, sit oculorum nutrimentum. Etenim si hoc verum esset, qui diu plorant iis consumerentur oculi, quod minime vsu probatum est.

Ἡ διαςρέφωνται.
Si peruertantur.

OCulis præter alias actiones præclaras, quas habent, est etiam localis motus, & voluntarius, qui fit, sursum, deorsum, & ad latera, ope musculorum, qui orbitis ipsorum affixi sunt à natura. Vbi enim motus huiusmodi non fit, quemadmodum deberet, sed vel in obliquum, vel indecore, & magis sursum, quam deceret, huiusmodi motus nuncupatur διαςροφὴ, seu peruersio, quasi vertantur secus quam deberent; vt si vnus sursum, alter deorsum; vnus in vnum, alter in alterum angulum torqueatur. Nam vterque supernaturaliter vertitur circa eandem partem, vt præclare & copiose ostendit Aristoteles trigesimaprima sectione, Problem. septimo. Et quanquam aliqui sint, qui quadam constitutionis proprietate solent oculos vt lubet inuertere, attamen, quemadmodum scribit Galenus & Stephanus, morbose vbi inuertuntur, id pati solent, vel ob resolutionem musculorum, vel ob conuulsionem; vt in Epilepsia primum potissimum oculi peruertuntur. Atque hanc vel à plenitudine nimia, vel ab exinanitione, & exsiccatione factam, atque vel ipsorummet musculorum, vel ipsius principii, hoc est, cerebri. Si enim ob resolutionem, peruertuntur in contrariam partem. Si ob conuulsionem, in se ipsa. Iam vero, si vitium sit in ipsis tantum musculis, nil ἄτοπον absurdum est, sed si in cerebro, mortale, modo morbus sit acutus. Quæ ideo dico, quia in epilepsia, quæ est morbus diuturnus, fit peruersio oculorum, sed non lethalis.

Est autem malum in cerebro pessimum, vbi fit in morbis acutis, atque cum facie cadauerosa. Etenim musculi, qui sunt proximiores ipsi cerebro, vt oculorum, & temporum solent ceteris & citius & facilius compati ipsi, eiusque affectiones participare, & vbi affectio in ipsis & musculis cognoscitur, dolorem non solum ipsorummet oculorum, verum etiam partium circumvicinarum, vt frontis, atq; temporum esse.

Cur solus homo strabus fiat.

Est hoc in loco non inutilis dubitatio, quia Aristoteles 31. parte Problematum, vigesimoseptimo & vigesimooctauo, quærens, cur vni homini inter cuncta animalia peruertantur oculi, & fiant strabi, inter alias, quas affert causas recenset epilepsiam, qua solum ipsum hominem laborare dicit. Ceterum hoc videtur falsum, quod homo solus epilepsia laboret siqui-

siquidem Hipp. libro de sacro morbo demonstrans, epilepsian non fieri à Deo, vt aliqui putabant, probat, quia pecudes, & præsertim capræ frequentissime ea capiuntur, & si ipsarum mortuarum capita incidātur, humore aquoso male olente repleta inueniuntur. Hoc quoque affirmauit Plutarchus in Prob. Rom. vbi dicit, Sacerdotes ob hunc morbum abstinuisse caprinis carnibus. Imo Absyrtus etiam equos; quamquam vocet σφακελισμόν. Sunt & qui referant feles, & graculos, & Accipitres. Plinius vero libro decimo, capite vigesimotertio circa finem, manifesto errore dixit, præter hominem inter animalia solam coturnicem tentari Epilepsia. Nisi dicamus morbum comitialem in homine haud esse eiusdem generis, sed alterius similis.

Capra epileptica frequenter.

Rom Sacerdotes cur à caprina abstinuerint.

Ἢ θάτερ☉ θατέρȣ ἐλάσσων γίνηται.

Si alter oculus minor.

Hippocrates 6. epid. sect. 5. 2. ἀπαίδευτ☉ ἡ φύσις ἐοῦσα, πάντα τὰ δέοντα ποιεῖ. Nam omnia sensuum exteriorum instrumenta, fecisse gemina, certissimum est, non ob aliam rationem, quam vt vno læso vel deficiente, quod facile contingere poterat, superesset alterum. Secus autem de gustu, & tactu, quorum alterius instrumētum internum est, vt lingua, alterius per totum diffusum, vt caro, vel quid intimius, quæ gemina non fecit, quia custodita sunt. Ergo cum eadem deberet esse vtriusque functio? necesse quoque fuit, vt non modo similis esset vtriusque instrumenti functio, verum eadem amborum constitutio. Vnde duæ nares, duæ aures, duo oculi; quamquam 31. part. Problem. dicit, oculum sinistrum meliorem, & aurium alteram marem, & alteram esse fœminam; propterea, si quando secus contingit, vel abortu, vel quopiam alio accidente, tunc rem esse præter naturam certum est. Sed cum oculi inter se dissimiles euadere possent, variis modis potissimum tales fiunt, quandoque in magnitudine, vt scilicet interdum vnus fiat minor, alter vero maior. De qua magnitudinis dissimilitudine tantum cur loquatur Hippocrates, videndum est, & quamobrem huiusmodi symptoma in lethalibus morbis contingat. Loquitur autem de hac potissimum, quoniam lethalior fit, quam vlla alia dissimilitudo. Efficitur autem talis, quia, vbi vnus oculus fit minor, paulo post fit quoque & alter. Causa vero cur minor fit, dicunt aliqui vnam esse, quia alter tumescat. Sed miror hunc loquendi modum; siquidem dicere fieri, oculum minorem, quod alter fiat maior, ipso non mutato ridicula res est. Multo melius diceretur, oculum alterum apparere minorem, altero tumescente, non autem fieri. Sed his dimissis dicendum est cum Stephano, fieri oculum minorem, vel ob atrophiam, quod scilicet non nutriatur ob aliquod sibi innatum impedimentum; vel ob summam siccitatem, quæ prius vnum, quam alterum oculum afficiat; vel ob deiectionem facultatum naturalium. Atque hæc omnia fiunt, aut vitio oculorum, aut vitio cerebri. Sed quæ non vere lethalis est, eam dicit Galenus esse, quæ sequitur mortificationem facultatum, ipsos oculos regentium, modo hoc signum non sit tantum in ipso oculo, verum in aliis quoque partibus, vt vbi adest cadauerosa facies. Sed dicet aliquis, nonne minus exitiosum est, vnum duntaxat oculum minorem esse, quam ambos. Cui respondemus, parum referre, verum vnus tantum an ambo minores sint. Vnde Hippocrates vnum tantum nominauit, quoniam sic natura comparatum est, vt nos docet Alexand. primo Problem. & Aristoteles trigesimo primo Problem. vt vbi vnum instrumentum alicuius sensus laborat, statim & alterum consentiat, & nos quotidiana experientia docet, quod si vna auris afficiatur, nec cito remedia adhibeantur affectus etiam alteri communicatur.

Oculorum cur alter altero minor fiat.

ἩΤὰ λευκὰ ἐρυθρὰ ἴσχωσιν.

Si albæ.

SEquitur aliud signum pertinens ad oculorum qualitatem, quemadmodum antecedens spectabat ad quantitatem; qui color duplex est, albus nempe & niger, cuiusmodi est pupillæ, quam voco nigram, quoniam, etsi varia sit, non modo in variis hominibus, verum etiam in vno & eodem homine, vt interdum glauca, qualis erant Mineruæ oculi, interdum cærulea, interdum albescens, aut nigricans, semper tamen pupillæ color comparatus colori albo totius oculi niger vocari potest. Voluit autem natura hos duos colores in oculis commiscere, quia, cum variæ res spectandæ sint, opus erat, vt ex variis etiam coloribus conflati essent oculi, vt omnes colores conspicere possent. Dicit autem signum lethale esse, vbi alba oculorum, tunica adnata vocata, vt bene ait Stephanus, rubra fiat. Vnde licet notari nonnullos, qui putarunt hæc signa oculorum, haudquaquam intelligenda esse in facie cadauerosa, quoniam si simpliciter in morbis acutis intelligeretur, haudquaquam lethale esset per se hoc signum, cum liceat quotidie videre in acuto morbo laborantibus huiusmodi oculos, qui tamen seruantur absque vllo periculo, sed multo sane lethalius est, quemadmodum etiam dicit Galenus, si eadem alba oculorum fiant liuida vel nigra, quoniam sicuti rubedo est effectus copiæ ipsius sanguinis vel attracti; ad venas adnatæ ob aliquam inflammationem, aut dolorem, vel transmissi ab aliqua parte proxima, aut ab ipso cerebro inflammato, vel saltem incenso; sic color liuidus, aut niger fit à frigido, quod sequitur caloris natiui ipsius extinctionem, id est, à refrigerato, concreto & nigrefacto earundem venularum sanguine. Veruntamen huiusmodi symptomata fiunt quoque à causis externis, vt rubedines oculorum à fumo, sole, ebrietate, vomitu, à morsu phalangionum, vt narrat Nicander. Sed non sunt cum facie cadauerosa, nec propterea lethalia, quanquam omnium pene immediata causa vna sit, scilicet, copia sanguinis, quæ venulis illis exiguis, & angustiis impacta, cum nequeat cumulate contineri ab ipsis, eas frangit atque diuellit, sicque effusus subter vniuersam adnatam, colore rubeo illum inficit, qua ratione etiam in aliis partibus similem rubedinem fieri compertum est; vbi continuata rubedo, & contumax sit. Etenim vbi sit rubedo superficialis, quæque cito recedat, haud sanguis effunditur ruptis venulis, sed tantummodo ichor eius tenuis διὰ τὸν διαπήδησιν, hoc est, rarefactis illius venulis. Sic enim videmus rubere oculos illis, qui strangulantur, qui difficulter anhelant, qui magno nisu vomunt.

Oculi cur diuersi coloris à natura.

Sed dubitatur, an vere color liuidus, & niger fiat à frigido, in oculo. Etenim vt alias dixi, Aristoteles trigesimaprima parte Problem. & libro de sensu, & sensi. scribit, oculos non rigere ob pinguedinem. Quod si à nullo frigore externo, quantumuis maximo refrigeratur oculus, quomodo imaginari possimus viuente adhuc corpore tantum frigus in oculo, quod nigre faciat, haud video; & tanto minus in morbis acutis. Itaque primum fateor oculorum venas liuentes sæpenumero conspici, vt in fœminis menstruatis; sed vere nigras rarissime.

Vel existimandum est potius, exustum sanguinem venulas nigrescere facere, vel sanguinem tingere. In Coac. prænot. vbi fere hæc omnia habentur, haudquaquam mentio habetur huius signi, scilicet, albi oculi, quod fiat rubrum, aut liuidum, aut nigrum, quasi rubedo non sit adeo mala; liuor autem, & nigror, non ita fiant. Sed loco huius dicit, si nigra pars oculi maior, & alba minor, aut è contra fiat.

Ἢ λῆμαι φαίνωνται.

Vel lemæ appareant.

Lema à Celso libro sexto capite sexto, vocatur pituita oculorum. Apud Nonium dicitur gramia; vnde à Lucillio gramiosi oculi. Est, vt inquit Galenus in commentar. excrementum alimenti semicocti, quod potissimum circa oculorum angulos concrescit, atque in quibusdam animalibus vsque adeo induratur, vt in lapidis cuiusdam naturam concrescat, quemadmodum narrat Scribonius Largus de Ceruis, capite 163. vbi scribit, in angulo oculi Cerui inueniri sordes virosi odoris, quas colligunt diligenter Siciliæ venatores, atque gestant in cincto aduersus serpentum ictus, & morsus. Fiunt autem hæ sordes variis de causis, vt propter ophthalmiam, fluxum, vel destillationem, aliasque ipsius organi ægritudines. Sed, vt ait Galenus, quæ fiunt in oculis valde cauis, hoc est, morbis acutis arentibus, & exiccantibus, cum facie Hippocratica, non possunt alia ratione fieri, quam quod facultas naturalis coctrix nequeat etiam exiguam humiditatem pro nutrimento ad oculos tractam, rectè concoquere, sed ea semicocta in lemas concrescat, & sordes, quemadmodum senibus sæpissime contingit. Atq; vbi fiunt ab extrema debilitate facultatis, fieri nequit, quin pessima signa sint, postquam in febre magna, in sicco, & calido corpore, exiguum alimentum minime coquitur. Sed hoc in loco notari debet, symptoma diuersum esse ab eo, quod λιθίασιν, appellat Auctor definitionum, sub nomine Galeni, & quo laborasse Moschum quendam. Narrat Hippocrates 2. epid. sect. 2. qui etiam 6. sect. dicit Strabos fieri λιθιῶντας, quo in loco errarunt interpretes, qui vitium oculi putarunt esse vesicæ vitium. Nam & Aetius lib. 6. cap. 2. scribit, in lithias palpebras esse inuersis atq; tophis quibusdam obductas.

Lema quid.

Lemarum generatio.

Ἢ ἐξαιωρεύμενοι.

Aut sublimes.

Ἐξαιωρεύμενοι, id est, eleuati. Galenus interpretatur ἀστηρίκτους, ἢ κινουμένους, id est, minime fixos, & mobiles, vt etiam Stephanus. Atque hoc tanto magis arridet mihi, quod in Coacis prænot. vbi hæc eadem fere habet, loco huius, ὡς ὄψιας πυκνὰ διαρρίπτειν, id est, oculos crebro proiicere: quod symptoma contingere solet, vel ob vitium facultatis imaginatricis, vt in insanis. Sic enim Polæmon in Physiognomicis, & Plinius libro vndecimo, capite trigesimoseptimo, oculos nictantes esse dicit pauidiores; immo appellari, dicit Gale. hunc affectum, si à natiuitate fiat, ὑπαπὸν, primo prognost. 21. & secundo in Probl. prorrhetic. Et est vitium plerunq; naturale, vel ob vitium ipsorum musculorum, qui si à vaporibus acribus, & mordacibus procellantur, solent tremere, aut potius motu quodam conuulsorio affici, vt videmus etiam in febribus prauis, & magnis sæpe tremere arterias, & neruos, atque lacertos ipsos. Quare cum in febribus acutis, & cum facie cadauerosa fit hoc symptoma, iure dicit Gal. vel esse à phrenitide, quæ est insania à calido, & sicco cerebri affectu, & lethalis; vel à musculorum tremore ob siccitatem, quæ est incurabilis. Siquidem cum sit conuulsio quædam, omnis conuulsio à sicco est incurabilis, atque tanto magis in febribus magnis & acutis, cum virium summa imbecillitate. Nec conuenit, quod etiam immobilitas oculorum sit signum exitiale, vt habetur secundo prorrhetic. text. vndecimo, quandoquidem hoc quoque symptoma, vel fit à resolutione eorundem met musculorum, vel à mente alienata, & prorsus à corporis functionibus auocata, quorum vtrumque malum est ingens. Et cur libro tertio Hippocrates huius signi non meminerit, neque hic, neque in Coac. fuit causa, quia intellecto vno contrario, faciliter, & aliud intelligitur, vel quia immobilitas oculorum non ita contingit in acutis, & vrentibus morbis, quemadmodum in frigidis, vt in catocho, nisi etiam posse fieri dicamus hanc immobilitatem, in consumata caloris natiui extinctione, quæ est refrigeratio.

Omne enim frigus semper sistit, sicut calor mouet. Sed hoc in loco silere nolo aliam interptetationem, nec forsan absutdam, vt scilicet pro ἐναιωρούμενοι, intelligamus eleuati, quæ etiam est significatio accommodatissima illius vocis, quasi Hippocrates velit signum valde mortale esse, vbi ægri attollunt oculos. Etenim Aristoteles quarta sectione Prob. quętit, cur morientes attollant oculos, & dormientes deprimant. Et tespondet, in morientibus calorem exeuntem è corpore sursum verti, ac secum ducete oculos, contra in somno deorsum ferri, proptereaque illorsum descendere oculos caloris sequaces.

Ἢ ἐξίσχοντες.

Aut prominentes.

Ἐξίσχοντες, id est, exenntes, exetti, aut ἰσχυρῶς κοιλοὶ, id est, valde caui. Suntenim hæc contraria & oculos extubetare, & nimium in profundo latere. Neque mirum esse debet, vtraque hæc contraria esse mala, ob diuetsas rationes, vt audietis. Animaduettit Galenus oculos extuberantes fieri, quandoque initio morborum, quemadmodum etiam, ob vehementes vomitus, ob edacitatem, & bibacitatem; nunquam vero fieri valde cauos in initio, sed tantum post tertiam diem, ac ptopterea ait in desctiptione faciei cadauerosæ neutrius horum meminisse, tum quia in ea nequeunt fieti extubetantes, vbi sunt cani vllo modo; tum quia valde caui, fiunt tantum post tettiam diem, non in principio. Quare dubitat Hippocratem sibi contradicete, quoniam si hæc omnia signa sunt capienda faciei Hippoeraticæ, qnæ apparet tertia, vel quatta die coniuncta, quomodo fieri possunt oculi caui, & extuberantes? Itaque vt tueatur Hippocratem mutat totam dictionem, vt libere dicam, vultque Hippocrat. propositnm fuisse non solnm recensere signa oculotum, quæ coniunguntur, faciei cadauerosæ, vetum etiam quæcunque snnt lethalia in ipsis oculis acutis. Vnde nullam esse repugnantiam in eius verbis, dicit, si inter signa relata oculorum vnum, & alterum inueniatur, quod nequeat faciei cadauetosæ ex toto copulari, & tamen sit letbale. Sic etiam fecit in Coac. prænot. Sed vteunque sit, voluissem Galen. reddidisset rationem, cur oculi extuberantes fiant, & cut signa sint lethalia. Quod cum non fecerit, videamus quæ ratio sit reddenda. Fiunt etiam à natura oculi prominentes, qui, vt ait Aristoteles quinto de gen. animalium, capite ptimo; & ttigesimaptima parte Problem. sexto, male vident, & facile à fumo læduntut. Stepbanus Atheniensis scribit, fieri oculos extuberantes, ratione musculorum ἀκρατείας, id est, incontinentiæ. Alii dicunt, fieri laxitate ligamenti illius carnei, quod plerique Anatomici vocant septimum musculum. Veritas autem est vbi hoc symptoma fit, in morbis grauibus esse, quoniam cum facultas à cerebro non mittatur ad neruos, & musculos, nec illi possint oculos in propria sede continere, permittunt, vt prolabantur, secus quam in vomitu, in stangulatione, in nisu parturitionis, aliisque similibus, in quibus vapores, aut fucci, sanguinei præsertim, vel alii in oculos vi impulsi, eos exerunt, & forsan interdum maiores faciunt. Dico forsan, quoniam oculi, cum sint rotundi, vel potius formæ oualis, vbi exetuntur, maiores videntur, etiamsi magnitudinem non mutent, quemadmodum vbi initio conduntur, non fiunt minores, sed ita videntur, quia magna pars ipsorum initio clausa non conspicitur. Sed dubitatio oritur, si fiunt oculi exerti, & prominentes, aut laxatis neruis, & musculis, ob priuationem facultatis, vel ob nimiam humiditatem à cetebro defluentem, vel ob copiam vaporum atque succorum in ipsos oculos magno impetu latorum, quo modo Aethiopes, & qui habitant regiones valde calidas, sunt magna ex parte oculis prominentibus præditi. Respondeo, causam eam esse, quod calor externus aeris agens in humidum, vel illud dissipat, vel non potens ob copiam, in maiorem molem attollit. Itaque humorem dentium, qui exiguus est in Aethiopia, calor cœli consumit, ac propterea eos albefacit, vt scribit Aristoteles decima Problem.

Oculi cur extuberent.

Cur Aethiopum oculi prominentiores.

Problem. sexagesimosexto, quemadmodum eadem ratione, cera candida fit. Iam vero oculorum humidum cum sit copiosissimum in cunctis hominibus, à caloreque illius ambientis superari non possit, in maiorem molem attollitur, sicque oculi fiunt maiores, & prominentes. Imo possumus etiam dicere, calorem aeris euocare humidum ad superficiem, & ad oculos, qua ratione scribit Alex. 1. Probl. 77. Aethiopas fieri lippientes, oculosq; ipsis exulcerari.

Ἢ ἔγκοιλοι ἰσχυρῶς γινόμενοι.

Oculi valde caui.

OCuli caui & conditi, vt loquuntur latini, sunt meliores, quam exerti, tum ad videndum, vt scribunt Aristoteles quinto de gen. animalib. & Plinius libro nd ecimo, capite trigesimoseptimo, & Galenus, atque experientia testatur: tum quia exerti, vt minus valent in videndo, sic facilius læduntur à caussis externis, maxime vero à fumo, quemadmodum idem scribit Aristoteles trigesimaprima sectione Problem.

Ceterum in ægritudine secus est: Aeque enim sunt mali, tam prominentes, quam conditi, & caui, sed valde caui; præsertim in acutis, exitialissimi sunt, quod tales fiant ob consumptionem humidi cerebri, & ob atrophiam, vt dicit Stephanus, nec non facultatis corpus regentis immensam debilitatem. Sed dubitatur, vtrum hoc coniungendum cum facie cadauerosa. Dico sane coniungendum, quia oculi per se, quantumuis caui, haud sunt lethales. Addit autem Hippocrates ἰσχυρῶς, id est, valde, quoniam vbi facies talis apparet post tertium diem, cauitas non est ita exitialis, vt in principio, sed magna cauitas valde lethalis est.

Ἢ αἱ ὄψιες αὐχμώσεις καὶ ἀλαμπεῖς.

Vel pupillæ squalidæ, & minime splendentes.

AI ὄψιες, vox significat apud Hippocratem interdum ipsum oculum, facie mue, interdum ipsam visionem, interdum etiam, vt notat Ruffus Ephesius, idem quod κόρη καὶ γλήνη, id est, pupilla, quę est primum & verum viuendi instrumentum, sicut hoc in loco accipitur ab Hippocrate, qui dicit, pupillæ αὐχμώσεις, id est, squalidæ nec splendentes. Ea enim debet esse constitutio pupillæ sanæ, vt sit mollis, humida, ac splendida instar speculi. Dicebat enim Plinius libro vndecimo, capite trigesimoseptimo, aues petere oculos, quoniam videntes in pupilla imaginem propriam, credunt ibi esse aliud sibi simile animal. Igitur vbi amiserunt propriam luciditatem, putandum esse aliquod egregium malum; quia ea pars valde intus à natura fuit condita, ne faciliter, & à quibusuis caussis violaretur. Priuantur pupillę splendore, atque squalidæ fiunt, quando à calore natiuo, & à spiritibus deseruntur, nec non tunicæ; præsertim cornea exarescit, vt Galenus diserte probat primo de symptomatum caussis, nec non decimo de vsu partium. *Squaloris pupillæ quæ caussa.*

Ἢ τὸ χρῶμα τοῦ ξύμπαντος προσώπου.

Vel color totius vultus.

DIxi alias, morbos acutos hominum fieri ab humoribus; humores vero indicari à calore, vt dicebat Hippocrates initio libri primi de humoribus; & maxime à calore faciei, tum quia facies est, quæ prima omnium partium obiicitur Medico spectanda, tum quia humores, & spiritus frequentissime, & copiosissime eo confluunt, quo animus. Animus autem maxime operatur in facie, vbi eius satellites habitant. Atq; inde est, q. Arist. sect. 11. Pr. 33. referens Euripidis in Helen. verba, dicit, Mens vidit, intus audit. Quod etiā Porph. 3. de abstinen. scripsit, & Pl. li. 11. c. 37.

Sed

Sed iure primus huius sententię auctor, vt testatur Laertius, fuit Epicharmus. Itaque cum tanti sit momenti ad præcognoscēdum, atq; etiam ad curandum, coloris totius vultus consideratio, haudquaquam mirari oportet, si Hip. repetiit; Diximus enim alias Hipp. non consueuisse repetere, nisi ea, quæ cognoscebat maxime referre ad medicinam faciendam; nisi dicamus, quod etiam aliis placuisse video, Hipp. supra nominasse in facie cadauerosa tres tantum colores, viridem, liuidum, seu plumbeum, & nigrum; Hic vero nominare omnem colorem mutatum, quasi vero in acutis, & cum facie mortuosa, quæuis mutatio coloris sit exitiosa, quandoquidem etiam mutatio ad rubrum in oculis paulo ante ab ipso fuit damnata: Nam & in Coac. prænot. habetur mutationem coloris malam esse. Causam mutationis coloris tribuit Hippocrates in fine libri de ossium nat. ipsi cordi, quod si dilatet venas sibi infixas, & circumdatas, rubicundi, & bene colorati fiunt homines. Sin autem constringat easdem, pallor, & viror consequantur. Hoc tamen de corde intelligendum puto, non de qualibet mutatione, sed de illis, quæ crebro fiunt. Vt enim cor irrequieto motu, modo nimis dilatat venas, modo constringit: Sic vario modo ab illo calore, & spiritibus distributis fiunt variæ colorum, & præsertim in vultu mutationes. Subiungit Hippo. hæc omnia prædicta de oculis signa, non modo esse mala, verum etiam ὀλέθρια, id est lethalia.

Σκοπεῖν δὲ χρὴ καὶ.

Considerandum vero.

HActenus Hippocrates de signis, quæ capiuntur ab oculis grauiter ægrotantium, sed tamen vigilantium; nunc autem sermonem facturus est de iis, quæ similiter ab oculis, non tamen vigilantium, sed dormientium sumuntur. Dicit itaque spectandum etiam esse cum consideratione ὑποφάσιας, id est, subapparentias oculorum in somnis, quoniam si dormientibus ægris, aliquid albi appareat, nec palpebræ inter sese integre committantur, malum signum, & valde lethale esse, nisi tamen aluus profluxerit, aut sponte, aut vi medicamenti, & nisi æger ita fuerit assuetus, dormire oculis, semiclausis. Hanc eandem sententiam reliquit nobis Hippocrates sexto aphorism. 52. fere iisdem verbis descriptam. In Coacis autem prænot. dicitur simpliciter, palpebras non claudi, siue committi συμβάλλεσθαι, graue. Galenus vtrobique concors dicit, hoc signum propterea esse lethale, nisi fiat à consuetudine, vel à causa externa aliqua ex iis, quas enumerat Galenus, quod fit aut à summa exiccatione inducta ob ingens febris incendium, & præsertim cutis, frontis, & palpebrarũ; quæ partes alioquin suapte natura valde sunt siccæ, aut propter summam facultatis animalis, scilicet motricis imbecillitatem, quæ nequit exiccatis, & veluti conuulsis musculis palpebras exacte committere; in qua re tamen aduertendum est, posse etiam ingentes alui motiones, si motricem facultatem deiiciant, & valde exiccent, hoc idem causare, & facere lethalem affectionem, sicut helleborus facit, quemadmodum quotidie obseruamus in pestiferis, & prauis febribus, in quibus alui profluuia fiunt, & ægri cum hoc signo pereunt.

Cardanus notatur. Cardanus mordacissimus, & Galenus vituperandi nimium cupidus, quod sæpe facit in his commentar. hic quasi triumphans vehementer eum carpit, quod dixerit, huiusmodi symptoma fieri etiam à facultatis motricis imbecillitate, quasi imbecillitas potius iuuet ad claudendum, cum sua sponte decidant palpebrę, & claudantur ita, vt egeant nulla vi. Sed si recte aduertatur, soluit hoc dubium Stephanus scribens hæc fieri, vel ob resolutionem, & conuulsionem musculorum palpebras claudentium, atq; aperientium; quorum vtrumq; pessimum est; quomodo autem musculi aperiant, & claudant palpebras copiose demonstrat; verum demonstrabit etiam Anathomicus. Vnde nunc sat est scire, musculos aperientes esse in medio palpebrarum, qui contracti in se, tradunt palpebras, & aperiunt, qui vbi exiccantur

ſemper contracti manent,& ob id palpebræ apertæ manent. Similiter, qui in angulis putriti ſunt, & quia palpebras claudunt, vbi reſoluuntur, ita vt careant facultate motrice, haud claudere poſſunt; Vnde & Galenus & Stephanus recte dixerunt etiam ab imbecillitate, quia vere frequentius hoc ſymptoma contingat, ac ob conuulſionem à ſiccitate. Sed cur Hippocrates hic apponit conſuetudinem, & in aphoriſmis non? Ratio eſt, quia aphoriſmi fuerunt vltimo ab ipſo compoſiti, & in ipſis nil potuit, quod ratione, & firma experientia non eſſet comprobatum. Vnde forſan Hippocrates, aut non habuit hanc conſuetudinem, aut nimium vulgarem exiſtimauit; ſiquidem omnes ſciunt, vbi quiſpiam ſit attentus oculis ſemiapertis dormire, vt faciunt multi, quos dicit Stephanus, vulgo dici dormire, vt lepores, ſic nulli eſt ignotum hoc, haudquaquam eſſe lethale ſignum. Sic etiam dicit idem Stephanus, & recte, hic non meminiſſe Hipp. huius ſigni in vigilantibus, quoniam vbi apparet, propinqua eſt adeo mors, vt omnes eam cognoſcant. Ipſe autem non propoſuit ſibi huiuſmodi ſigna adeo vulgata docere, ſed illa tantum, quibus à longe interitum præcognoſcere liceat. Quod ſi aliqua ſunt animalia, vt damæ, lepores, & aliqui piſces, qui ſimilibus oculis dorminnt, id habent, quia carent muſculis illis clauſas palpebras ſtabilientibus, vt docet Stephanus. Vnde abſcondunt quidem ſolam pupillam, ne lædatur, ſed alba pars oculi apparet; & forſan natura hoc fecit, vt animalia hæc pauida, atq; iniuriis expoſita facile expergiſci, ad quemlibet, vel minimum ſtrepitum queant.

Ἢν δὲ καμπύλον, ἢ ῥικνὸν γένηται.

Si autem peruerſa fiat.

NOtat ſtatim Galenus, initium huius dictionis dupliciter legi. Vno modo καμπύλον, quod ſignificat retortum, peruerſum. Altero modo ῥικνὸν, id eſt, contractum à ſummo frigore, & gelu. Vtrum autem ſcribatur, perinde eſt, ſiue à frigore, ſiue ab alia cauſa palpebræ oculorum contrahantur. Quod autem vult docere Hipp. eſt, vt per alia ſigna poſt principium apparente facie cadauerosa, à facie tota poſſimus præcognoſcere mortem. Cum enim poſtremo iterum dixiſſet, conſideranda eſſe ſigna faciei totius, atq; oculorum, & de oculis multa eſſet perſecutus: modo aliarum faciei partium ſigna docet, dicẽs, ſi palpebra ſit contracta aut liuida, aut pallida, vel labium, aut naſus, cũ aliquo & aliis ſignis, ægrotantem iam eſſe morti proximum. Mortale etiam eſſe labia habere reſoluta, & pendẽtia, & frigida, & albicantia facta. Quod autẽ pro huius declaratione ſcire oportet eſt, in Coac. hoc non recenſeri inter alia faciei ſigna letbalia, & cauſa fuit, vt puto, quia horũ nullum per ſe ſolũ indicat mortẽ, niſi, vt ſcribit Gal. & annuit Hipp. aliquod aliud ſignum prauum ipſi aſſocietur. Aliud quoq; notandum eſt, præſentem dictionẽ poſſe diuidi in duas partes, quarũ poſterior incipit à voce θανατῶδες, ſ. mortale eſt; de qua nil fere loqt Gal. ſed de priore, in qua accidentia numerata, ſcribit partim fieri ab immenſa refrigeratione, partim vero à conuulſione, aut paralyſi. Ex. gr. quod palpebra ſit peruerſa, & retorta ſit vel à cõtractione muſculorum palpebras mouentium, quemadmodũ color liuidus, aut pallidus à ſumma refrigeratione oritur. Ceterum in ſecunda parte, cum ſigna quatuor recenſeat à labiis ſumpta, ſi ſint reſoluta, vel pendentia, vel frigida, vel alba, idem dicere oportet de iis nimirum, hæc quoq; fieri partim à frigiditate, vt color liuidus & albus; partim à reſolutione muſculorum eam mouentium, vt reſolutio, & penſio labiorum, videndum verba, dicit Galenus ſcribi ῥιγνὸν; & Stephanus Athenienſis ſcribit ῥικνὸν, vterque autem diuerſi ſunt, quoniam Galenus vult ſuam vocem ſignificare contractionem factam in refrigeratis à gelu. Stephanus autem ſignificare contractionem in rugas ob ſiccitatem. Habet ſimilem ſententiam Hippocrates quarto aphoriſm. 49. niſi quod hic non meminit ſupercilii, nec febris, tum quia eadem eſt ratio ſupercilii, quæ & palpebræ; tum quia cum prædixerint ante ſibi in hoc libro eſſe ſermonem de morbis

morbis acutis, quibus semper copulatur febris continua, non opus erat, vt eam apponeret, quemadmodum in aphorismis, in quibus loquitur indiscriminati de omni morborum genere.

Ἢ χεῖλος.

Aut labium.

Tam in priore, quam in posteriore parte commemorat, labium, si contrahatur, si resoluatur, si pendens, frigidum, & album sit, esse mortale. Celsus autem li. 2. cap. 6. vbi hæc omnia habet latine, labiorum solum meminit contractionis, & palloris. Sed quæ dicit Hippocrates cuncta euidentem causam habent. Quod vt exacte intelligatur, sciendum, quod, vt scribit Galenus 4. de anatom. admi. cap. 3. labra hominis singularem, & eximiam quandam naturam sunt sortita, quoniam præter varios motus, quorum gratia sunt condita, ipsorum substantia corporea est, ea vt non liceat meliorem excogitare. Nam flectuntur, remouentur à suo situ, contrahuntur, distenduntur, stringuntur, laxantur, prout vsus postular. Dicebat Arist. 2. de partib. cap. 16. labia hominum esse mollia, carnosa, & separabilia ob tutelam dentium, & ob sermonem. Addit Galenus 11. de vsu partium, propter decorem, neque immerito, quia vbi amputata fuerint labia, nil turpius cerni potest. Et Celsus lib. 7. cap. 9. propter capiendi cibi vsum. Auicenna quoq; 8. tertio cap. 11. addidit alium finem, neq; contemnendum sane, scilicet labia esse facta propter retentionem pituitæ, cum enim semper à capite in os pituita descendat, profecto nisi à labiis retineretur, semper ex ore excideret, quod malum, & indecorum esset. Quibus constituris, addendum est ob huiusmodi constitutionem, & situm habere labia magnum consensum cum membris principalibus cerebro, stomacho, corde, iocinore & liene, quod cum cerebro, docet conuulsio, epilepsia, paralysis, quibus labia sæpe torquentur, & conuelluntur. Quód cũ stomacho probatur, quia res primo prorrh. & 3. prognost. 30. dicitur, vomituris tremunt labia. Quod cum corde, quia iratis, & timentibus tremit labrum inferius, vt testatur Aristot. 5. Problem. 15. quia etiam 27. sect. Prob. 7. dicit labrum superius suapte natura pendere, inferius vero sustineri beneficio caloris, quo in timore, & ira recedente in cor, labrum inferius trahitur, ac tremit. Quod cum iocinore, probatur ex Galeno, qui libro de causis morb. cap. 7. dicit, Elephantiacis fieri labra crassa. Quod lieni, probatur ex Aetio lib. 7. c. 9. qui dicit ex Galeno, Ruffo, & Possidonio, melancholicis crassescere labra, etenim melancholici affectum lienem habent; Et lienosis, vt Hippocrates 2. epidem. gingiuæ, & dentes putrent, ac male olent. Er notate Aristotelem 35. Probl. 7. aut errasse, aut ipsius contextum esse valde deprauatum. Dicit enim, labra titillare; iam vero non labra, sed pedes, & axillæ titillãt, propter contactum. Itaque vbi labia læduntur, signa sunt læthalia ceteris signis coniuncta, quoniam indicant, aliquod viscus ex his extreme pati. Sic resolutio, & pendentia ob frigus, ob cerebri affectum, & albedo ob caloris circa cor defectum. Differentia autem inter pallida, & alba labra est, quod illa ob bilem in ventriculo; hæc à pura frigiditate fiant.

Labiorũ con sensus cum partib. principibus.

Κεκλιμένον δὲ χρὴ καταλαμβάνεσθαι.

Decumbentem.

Hinc incipit quartum caput, quod est de decubitu ęgrotantium. Et quamquam tempore Hippocratis, vt alias dixi, veteres non diuiderent scripta in capita, & raro in libros; tempore tamen Galeni id fiebat, vt ex ipso licet colligere 2. de diffic. respir. cap. 9. Sed hoc parum refert. Quam autem connexionem, & quem ordinem hæc habeant cum superioribus, haud facile est videre, nisi dicamus hæc pertinere ad signa. quæ capiuntur à corpore, quod considerandum esse, paulo ante dixit, quemadmodum etiam videtur putasse Gal. hæc esse superioribus connectenda.

Vel dicere possumus, post faciem nil esse in ægro, quod citius & facilius animaduertatur ab ipso Medico, decubitu. Sed quicquid sit, totus hic tractatus de decubitu commode potest secari in duas partes. In prima parte Hippocrates demonstrat, quis sit optimus omniū decubitus, vt hoc intellecto possit deinde in secunda parte per similitudinis, & dissimilitudinis cognitionem facilius intelligi, qui sit prauus. Scitis enim natura comparatum esse, vt semper in omni rerum genere aliquod reperiatur, quod sit optimum, & sit mensura aliorum. Quæ vero ab illo optimo, & ab illa mensura deficiunt, plura sunt. In secunda igitur parte docet, quis sit prauus decubitus, & quomodo ex ipso capi queant signa lethalia, de quibus solum, aut saltem principaliter loquitur in toto hoc libro. Dicit itaque:

Oportet ægrum inueniri à Medico decumbentem, & quæ sequuntur.

Quæ dictio tres partes habet, vna est descriptio figuræ ex decubitu in latera; altera est manuum & crurum; tertia est causa probationis huiusmodi decubitus. Sed multo melius est omne id, q; dixit Hipp. ad formam syllogisticam reducere, hoc pacto; Optimus est ille decubitus, qui est similis sanis decubitibus, hoc est, similis illi decubitui, quo indormiunt sani. Sed sic est, quod decubitus in latere, siue dextro, siue sinistro, manibus, collo, atq; omnibus modice deflexis est decubitus sanorum. Ergo hic decubitus est optimus omnium.

Videamus modo singula verba, *Oportet, &c.* Quærit hoc in loco Galenus & ingeniose, cur Hipp. supra loquens de facie, dixit absolute, Facies optima est, quæ similis sibi sano; hic autem dicit: Oportet inuenire ægrotantem decumbentem sano similem. Addo ego & alteram dubitationem. Nam cum describit hic optimum decubitum, non contentus dixisse similem sanis, cum tamen de facie nihil aliud dixerit, nisi optima esse sanis similem. Galenus ad suam dubitationem respondet; Ideo sic locutum Hippocratem, quoniam sat est Medico, si dum visitat infirmum, reperiat sic decumbentem, quasi signum sit & roboris, & mentis ipsius constantiæ. Stephanus Atheniensis censet Hippocratem hoc modo loquendi voluisse monere, ęgrum debere decumbere non auersum à Medico, sed versus ipsum, vt intueri & colloqui secum queat. Atq; hoc esse signum non modo sani corporis, sed etiam sanæ mentis, quæ semper bona. Ego vero existimo, figuram decubitus descriptam laudari ab Hipp. æque absente, ac præsente Medico. Et propterea bonum esse, si Medicus etiam inopinato sic reperiat decumbentem ægrum, quasi signum sit ita semper ipsum iacere, quod optimum est. Ad alteram dubitationem respondeo, notum esse omnibus, quæ sit facies sanorum, non autem qui sit decubitus; & propterea hunc descripsisse, non illam.

In Latus.

Elegantissimus Cornelius Celsus libro secundo, capite tertio, referens hæc Hippocrates verba, dixit, non periclitari ægrum, si in latus dextrum, aut sinistrum, prout maluerit, cubat, cruribus paululum reductis, quoniam is quoq; habitus est sani hominis cubantis. Cetera omisit, quia hæc principaliora. Prima igitur figura, in qua debet æger reperiri à Medico est, vt primum sit in latus dextrum, vel sinistrum paululum reductis cruribus. Dignum est consideratione hoc in loco, vtrum melior sit decubitus ęgrotantis supra sinistrum, an supra dextrum decumbere. Et vtrum qui dat operam sanitati, debeat dormire supra dextrum. Circa primum Galenus dicit, nil referre. Aliqui respondent esse in hoc consuetudinem seruandam, & prout sanus consueuit, sic eum debere decumbere. Alii putant melius esse, in quo aspicit lucem, & potest alios alloqui, quoniam sit signum æque animum, atq; corpus optime valere. Sed contra hos videtur esse Arist. qui sect. 6. Probl. 5. & 7. quærens, cur melius accubamus super sinistrum, magis autem dormimus super dextrum, inquit quoniam non possumus dormire, nisi auersa luce, quam habemus cum dormimus super dextrum. Addit etiam melius dormiri super magis defatigat partem, quæ est dextera, à qua semper incipit motus, vt confirmat Aristot. libr. de animal. incessu. Ex quo loco colliguntur duo memoria digna; vnum est, Antiquos consueuisse ma-

Quis decubitus optimus.

A dextra parte semper corpus moueri incipit.

iorē partē dormire super latus dextrū. Alterum est, Veteres consueuisse lectos suos collocare, vt semper dormientes super latus dextrū haberent lucē auersam, vigilātes haberent ante se. Itaq; licet nō sit magna differentia, vt innuit Cels. melius tamē super dextrū; & ideo forsan Hip. ipsum proposuit. Circa secundū q̃sitū, Auic. tertia primi doct. 2. c. 7. 9. laudat, vt primū supra dextrum latus dormiatur, deinde supra sinistrum, postremo supra dextrum. Huius sententiæ fautores vna cum Auic. adducit rationes, s. quod ventriculus positus super iecur, & vesicam fellis, vt lebes super ignem, melius coquat. Quod deinde posito corpore supra sinistrum latus, ventriculum chylus magis irriget, & nutriat, splen melius attrahit sanguinem, & mutatio loci minus fatiget. Postremo iterum posito corpore supra dextrum, aperitur magis pylorus, vnde fit facilior cibi distributio, & excrementorum depulsio. Verum hæc adeo crebra mutatio, nec facilis est, neq; commoda. Nō facilis, quia complures vnicum somnum faciunt. Non commoda, quia non est tutum dormientes interpellare, vt mutent situm. Quare cum Arist. puto melius, atq; facilius dormiri semper luce auersa super latus dextrum, vt faciebant veteres. Ratio, quia sic melior fit coctio, melior distributio, minusq; cor coarctatur; nec ob id minus irrigatur, & nutritur ventriculus à chylo. Excipio tamen habentes iecur nimis calidum, & qui admodū debilem stomachum habent; quorum alterum melius est dormire semper super sinistrum; alterum vero pronum, id est, super ventrem, vt videt quoq; placuisse Auic. quamquam in his etiam Antyllus apud Oribas. 6. coll. ca. 1. laudat decubitum supra latus sinistrum.

Mutatio decubitus crebra nec facilis, nec cōmoda est.

Καὶ τὸ ξύμπαν σῶμα ὑγρὸν κείμενον.

Totum corpus.

GRæce ὑγρὸν κείμενον, Galenus, & Stephanus exponunt molliter, & blande flexū. Quasi non solum manus, & crura, sed etiam vniuersum corpus debeat flexum cubare. Cur autem hoc ita sit, præclare videtur explicuisse Arist. 6. sect. Probl. 3. vbi quærens, cur Medici præcipiant inflexo corpore cubare, duas accommodatissimas rationes affert. Vna est, quod sic venter magis incalescit, & propterea in ipso meliores fiunt coctiones. Altera est, quod cum in coctione necessario fiant flatus, locum oportet dare, in quo se condant; iam vero vbi corpus extensum est, viscera omnia loca replēt. Vbi vero inflexū est, multa loca relinquunt vacua. Itaq; dat spatiū flatib. Iure igitur Hip. præcipit, optimum esse decubitum, qui est corpore inflexo.

Cur optimū, inflexo corpore cubare.

Οὕτω γὰρ ἐ οἱ πλεῖστοι τῶν.

Ita enim plurimi.

HOc non videtur verum, quoniam multi supini dormiunt, multi etiam proni, vt præsertim pueri. Respondēdum est, qui secus decumbunt, aut id facere ex cōsuetudine, aut ex defatigatione, aut propter aliquod vitiū animi, vel corporis: Verū qui sani sunt & mente & corpore, fere omnes, aut saltem plurimi, vt ait Hipp. decūbunt. Etenim hoc videtur fere cunctis à natura esse comparatū, vt sic dormiāt: imo etiam bruta naturali propensione hoc videntur habere, vt semper vel prona, vel in latus dormiant. Et Arist. 10. sect. Pr. 18. dicebat, bruta plurima nullā pati nocturnam pollutionē, q̃a nunquā dormiūt supina. Ceterū videre oportet, cur decubitus in latera inflexo corpore sit accōmodatior omnib. aliis. Hoc autē statuendū est ideo esse, tū q̃a facilior, tū q̃a gratior, & iucundior. Sed ratio, cur ita sit, affert dicere à Gal. hic, & li. 1. de mot. musc. c. vlt. quoniā si stamus, omnes musculi mēbra tendunt, & ꝓpterea laborant. Sic etiā vbi iacemus extensi pariter laborāt musculi tendentes. Pariter etiā vbi nimiū mēbra cōtrahuntur laborant, quoniā musculi aduersi nimium tenduntur. Atq; ob id fit, vt hæ duæ figuræ, s. nimia contractio, & nimia extēsio sint laboriosæ, ac ꝓpterea ὑπερβολικὰ σχήματα ab Hip. vocatæ. Ceterum media inter has duas figuras descripta ab Hip. q̃ s. neq; nimiū tensa, neq; nimiū contracta est, ea delectat, aut saltem nullam molestiam facit. Et hoc est, q̃ ὑγρὸν, siue molliter flexū corpus ab Hipp. dicitur. Hæc enim figura, vt ait Stephanus, indicat virtutem contentiuam, seu stabilientem ipsius corporis esse robustam.

NB.

Ὕπτιον δὲ κεῖσθαι, καὶ τὰς χεῖρας.

At vero ſupinum iacere.

ABſoluto optimo decubitu, tranſit ad eos, qui ab optimo deficiunt. Et quoniam (vt dicebam) in vnoquoque genere eſt tantum vnum optimum, quod eſt menſura, & ad quod collimant omnium animi; mulra autem ſunt, quæ deficiunt ab optimo; propterea Hippocrates docturus ſigna mala, quæ comparantur ex decubitu deficiente ab optimo, ideſt à malo, multas ſpecies proponit, quas alii ordines vocant. Sed Stephanus magis proprie dicit σχήματα, & facit ſeptem. Prima igitur figura deficiens ab optima eſt, quæ eſt contraria oprimæ, aut ſaltem valde diuerſa, & eſt iacere ſupinum, cruribus, manibus, & collo extenſis. Hanc dicit eſſe minus bonam. In Coacis prædictionibus loco particulæ οὐκ ἀγαθὸν, habetur οὐκ ἀστεῖον, id eſt, non vrbanum. Sed vt more noſtro veram Hippocratis philoſophiam ex eius verbis eliciam, quatuor circa hæc verba ſunt conſideranda; Vnum eſt, cur Hippocrates loquens de optimo decubitu, dicit oportere medicum deprehendere. Hic vero non dicit malum eſſe, Medicum deprehendere ægrotum ſupinum, ſed ſimpliciter malum eſſe ſupinum iacere. Aliud eſt, cur Hippocrates recenſens conditiones optimi decubitus addit, vt ſit etiam molliter flexum corpus: hic vero omnes alias particulas contrarias ponit, de corpore nil dicit. Tertium eſt, cur hic Hippocrates deſcribens primam decubitus mali figuram, dicit crura extenſa, manus, & collum. At in Coacis prænot. tantum ponit ſupinũ iacere cruribus extenſis. Quarrum eſt, cur Hippocrates dicit, hanc primam figuram eſſe non bonam, & in Coacis inurbanam, non autem dicit eſſe malam, vel etiam peſſimam, cum ſit contraria optimæ; atq; hoc eo maxime, quod Cornelius Celſus dicit, mortem ab hoc ſigno denunciari. Circa primam dubitationem dico, Hippocratem ſic locutum, quia ſicuti (vt dicebam) refert, vt inopinato reperiat ægrum bene decumbentem, ſic nil refert, vel inopinato, vel aliter reperiat ſupinum; quia quomodocunq; ſit vel in præſenti, vel extra, non bonum. Nam Galenus 3. de vſu part. cap. 3. præclare tria dicit memoratu digna. Vnum eſt, ſolum hominem ſedere, & ſolum erectum ſtare inter bruta, quoniam ſpina ſecundum rectitudinem ad coxas & crura habet; quæ rectitudo, cum ſeruatur, ſtat erectus. Cum autem fit flexio ad angulum rectum, ſedet. Contra bruta non habent ſpinam recte poſitam, nec flectere poſſunt retrorſum crura, ita faciunt angulum rectum, quo fit, vt homini ad ſubſtinendam illam rectitudinem opus ſit, magnos habere pedes. Vnde Ariſtoteles 4. de partib. anim. ca. 10. circa finem, docens, cur homo inter cetera animantia habeat pedes maximos reſpectu ſui corporis, dicit hoc eſſe, quia rectus eſt, & rectitudinem ad propendiculũ ſeruat, vnde fit, vt maximos habeat pedes. Vtrum autem, quod narrat Plinius, & nonnulli alii, verum ſit, reperiri quoſdam homines, qui vnum tantum pedem habeant, eumq; maximum, neq; id aſſero, neq; nego. Alterum, quod dicit Galen. eſt, falſum eſſe, quod homo ſit erectus factus, vt intueatur cœlum; nec id voluiſſe dicere Platonem, quoniam bruta, & maxime aues, poſſunt faciliter ad cœlum vultũ vertere; præterea piſcis omnis eſt, qui oculum in ceruice habet: vnde ſemper cœlũ intuetur. Eſſe autem ſic factum, vt animo cœlum contempletur, & non oculis. Sic voluit dicere Plato. Tertium, quod ibi Gal. contemplatione dignum ſcripſit, eſt ſupinam figuram, de qua loquitur hic Hipp. eſſe quidem ſecundum rectitudinem, ſed minime hæc rectitudo apta eſt ad actiones manus obeundas, quia homo non operaẗ, niſi cum ſtat, vel ſedet, idq; eo fit, quoniam angulos tunc efficit rectos; figura autem, quæ rectis conſtat angulis, vt Ariſt. dicit, eſt aptiſſima ad omnia opera. Circa ſecundam dubitationem diximus ſupra, cur Hipp. addidiſſet ad bonum decubitũ molliter flexo corpore. Nunc dicimus eam partem in malo decubitu deſcribendo dimiſiſſe, quando neceſſario, vbi quis ſupinus iacet, cruribus extenſis, habet etiam corpus nullo modo flexum propter rationem ſuperius allatam de rectitudine ſpinæ ad coxas, & crura. Itaq; Hip. q. nihil ſuperuacaneũ docere vult, iure hoc dimiſit.

Praui decubitus quot.
1. Supinus.

Quoad tertium, dico Hip. in Coac. non ita fuisse diligentem, vt hic, quia vel nõ requisiit opus, nil hos libros ex illis confecit. Quanquam possumus etiam dicere, qui supine iacet cum cruribus extensis, fat esse ad inurbanum faciendum decubitum. Ad quartum, Gal. miratur, cur Hip. dixerit minus bonum, cum nullo pacto sit bonum. Ego vero secus sentio, s. decubitum supinum, quantum sit ex se, esse naturalem, & propterea bonum: verum ex accidenti esse malum, & vt causam, & vt signũ. Quod enim sit naturalis, porest probari ex Gal. 2. de mot. musc. c. 4. quia vbi anima in corpore agit, corpus in lateribus sustinere potest. At vbi exit è corpore, supina labant, nisi aliquo pondere, aut vi prona cadant. Et hoc est, q; dicebat Plin. li. 7. c. 17. Corpora in mari demersa inueniri supina præter fœminarum, quasi natura partes pudendas mulierum etiam defunctarum abscondi diligat. Ad hæc, vbi corpora à labore defatigata sunt, hunc decubitum facile amplectuntur tanquam iucundum, nempe in quo, vt ait Gal. 2. de mot. musc. c. 4. 5. minime omnium musculi operantur. Iam vero quod per accidens sit malum sic decumbere, est, quia est causa magnorũ malorum, vt dicit Auic. 3. doct. 2. c. 7. disponit ad prauas ægritudines, apoplexiã, nephritidem, & soleo dicere podagricos hac ratione fieri nephriticos; quia, cum propter dolores cogantur, semper manere supini, incenduntur lumbi, ideoq; lapides generantur. Est etiam causa turpium rerum, ob quod forsan ab Hipp. in Coac. dictũ fuit ȣ̓κ ἀςεῖον, id est, inurbanum. Nã (parcant castæ aures) est causa tentiginis ventri. Sed multo clarius Gal. noster 6. de loc. aff. c. 6. scribit, quia eo decubitu lumbi, arteriæ, atq; venæ calefactæ spiritu magis replentur, vnde durantur, vt cornua. Est malum quoq; vt signum, quoniam (vt scribit Gal. 2. de mot. musc. 4. significat resolutionem corporis; & vt ait Steph. est signum imbecillitatis eius facultatis, quæ corpus regit, & sustinet. Potest etiam esse signum vitii alicuius animi, vt superbiæ, lasciuiæ, ignauiæ, &c. Ob quod Gal. initio lib. de officina Medici, hunc locum Hipp. notans, dicebat bonum esse Medico ægrotantium mores cognoscere. Sed quia non possunt omnes sciri, oportet vt diligenter perquirat eos ab ipsismet ægris, atq; ab adstantib. quemadmodũ & de consuetudine, quæ semper magnopere spectanda est. Etenim pueri multi sic dormire sunt assueti, quemadmodum & alii adultiores, præsertim, qui vehementer quotidie defatigantur. Sed quid dicemus de Celso, q̃ scribit mortem denunciari, vbi supinus æger decumbit genubus contractis. Dico primum, si voluit hanc sententiam Hipp. latinam facere, longe fefellit. Quod, si voluit ex se loqui, falsa dixit, quia si æger supinus crurib. contractis iacet, haud est mortale illico, nisi alia grauiora signa accedant.

Fœminarũ demersarũ corpora, prona inueniuntur.

Podagrici diutius supini cubantes, fiunt nephritici.

Celsi sententia examinatur.

εἰ δὲ καὶ προπετὴς γένοιτο.

Si vero etiam procidat.

2. Supinus cum prolapsu in pedes.

HÆc est secunda decubitus figura, secundum Steph. ab Hipp. damnata; de qua loquutus Galenus, & comparans eam cum priori, dicit, quod sicuti prior figura ab Hip. vocat non bona, quia ex se ipsa indifferens est, & prout est ęgrotantis natura sic ipsa vel mala, vel bona esse potest. Haud secus præsens, quæ ab Hipp. δεινοτέρη est vocata, valde deterior est, nempe quando æger non modo supinus iacet, verum etiam procidit versus pedes, quo pacto videmus cadaueribus contingere, quæ si collocentur in latera, facile, vel prona, vel supina sponte decidunt, simulq; versus pedes labuntur ob facultatis corpus regẽtis mortificationem, quasi vero ægris etiã corporib. vbi sic locantur, non ob aliã causam id contingat, quam ob summam eiusdem facultatis imbecillitatem. Stephanus maluit hanc facultatem appellare contentiuã, seu sustentatiuã, vt sic dicam, ipsius corporis, q; cum nequeat, permittit, vt suo pondere feratur versus terram, cui semper magis appropinquantur pedes, quã vlla alia pars corporis. Et hæc est vera ratio, cur morituri semper capite versus pedes ferantur, eo, quod graue suapte natura existens caput, nisi substentetur ab anima, procidit versus centrum, cui propiores sunt pedes. Et notate mysterium. Idem enim contingit homini morienti, quod & nascenti, nam, vt dicebat Hippocrates, libro de natur. pueri, vbi fœtus in hanc lucem venturus est caput, quod antea

eleuatum

eleuatum erat sua mole, & pondere versus os vteri delabitur, imo dum est in vtero, haud longe à pedibus remotum caput tenet. Hippocrates in Coacis, vbi eadem ferè habet, quæ hic scribit huiusmodi signum esse prædictis χεῖρον, id est, peius, siue deterius, quemadmodum hic dicit esse δεινότερον; & vere, non solum est deterius, imo deterrimum; siquidem paucissimos obseruare licet, qui cum hoc signo seruentur. Et Auerrh. 4. coll. c. 43. dicebat, cum infirm° à capite ad pedes se iactauerit, mortis esse signum, quoniã intolerantiã virtutis denunciat. Etenim id habet natura, vt semper caput tueatur, nec ipsum sinat suo pődere. Quod si id permittat, signum est ipsam ita esse victã, vt nequeat id, q; sibi est maximæ curæ, atq; optatum, perficere. Et propterea iure Cels. li. 2. c. 6. dicit, tale signum esse mortale. Excipiendi tamẽ sunt pueri, qui vt scribit Arist. 2. de gen. anim. c. 4. & experientia testatur, difficiliter possunt sustinere caput, quippe quod habeant magnum, respectuq; totius corporis humidissimum, ac propterea valde graue, atq; onerosum.

εἰ δὲ γυμνοὺς τοὺς πόδας.

Si autem inueniatur pedes nudos.

Sequitur Hipp. tertium signum, siue, vt Stephanus dicit, tertiam figuram decubitus, & describitur iisdem præcise verbis in Coacis prænotionib. Et est, quod si æger inueniatur habere pedes detectos, qui tamen haud sint admodum calidi, & manus, collum, atq; crura inæqualiter dispersa, & nuda, malum est, quoniam significat ἀλυσμὸν, id est, inquietudinem, seu, vt exponit Gal. mutationem ex alio in alium locum, atq; ex vna in aliam figuram. Vt autem huius signi vis plenius intelligatur, videndum est primo, cur Hipp. huic signo apponat causam, q; in aliis rarissime facit. Secundo videndum est, quid sit ἀλυσμὸς, & quomodo efficiatur. Sed prius singula verba examinemus. *3. pedes nudati.*

Comperiatur.

Solent plerique laborantes febribus acutis, maxima ex parte denudatos pedes tenere, & manus; eo quod ardeant; veruntamen vbi medicus accedit, solent tegere. Atq; hoc etiam ab adstantib. curari. Vnde nisi à Medico sic reperiuntur, refugiunt fateri, ne reprehendantur. Nam Arist. 2. sect. Pr. 26. scribit, consueuisse Medicos maxime præcipere, vt pedes cooperiantur, quia ea pars vt excarnis, & à corde valde remota faciliter refrigescit; pedibus autem refrigeratis, frigus toti corpori cõmunicatur, vnde nouæ accessiones fient. Sed est etiam alia causa, quoniam vbi calent pedes, apertis potis magis expirant vapores febriles, contra vero vbi friget. Inter Medicos autem hoc præcipientes fuit Hipp. 4. acut. text. 39. *Pedum denudatio cur damnosa.*

Non multum calidi existentes.

Galenus, & recte, adnotat Hipp. prudenter addidisse hanc particulam, quoniam in morbis acutis solent ægri nudare pedes, vel propter deliria, vt inquit Stephanus, vel propter lasciuiam, quia nonnulli adeo delicati sunt, vt non possint ferre operimenta; vel propter necessitatem, hoc est, propter incendium, & maximum calorem. Qui propter delirium pedes denudant, solent habere pedes semper calentes, quia feruet in ipsis totum corpus, itaq; nõ de his loquitur Hip. qui vero propter delitias, & morum conditionem solent pedes denudare, isti semper pedes calidos habẽt æqualiter. Signum autem, quod nobis Hipp. proponit, est ad significandam mortem, non salubritatem. Idcirco neq; de his loquitur. Reliquum est igitur, vt de tertio sermonem habeat, s. de iis, qui propter necessitatem. Hi ergo, aut habent pedes intus calentes; & extra non admodum, alii vero æqualiter. Qui æqualiter manus & pedes tam intus, quam extra calentes habent, si salubriter ægrotãt; quia hoc salubre est omnino, cum corpus optime diffletur. Sed, qui habent intus calentes, extra minime hoc malum est, & de hoc Hip. sermonem habet. Quod autem dico de pedibus, idem de manib. & de toto corpore dicendum. Et Hip. 4. aph. 48. & 7. aph. 1. & 26. scribit, lethale esse, quotiescunq; interna calent, externa vero tepida fuerint. Sed

rario, cur potissimum in febrib. acutis, & magnis caleant pedes, duplex est; primũ, quia manus & pedes excarnes, vt neruis multis, & ossib. confarcti; Vnde tametsi æqualiter calor sit distributus per totum corpus, & forsan minor in his externis sit, tamen magis apparet propter sensibilitatem. Accedit, fere semper in his febrib. iecur flagrare, quod cum manib. & pedibus insignem consensum habet, quod etiam quilibet experiri potest, quia nullus est qui iecur calidum habeat, cui manus quoq; ac pedes nō caleāt. Ob hoc.n. dicebat Rhaces, & Auic. 14.3. tr.1. c.3. & 2. primi doct.3. c.1. ex digitorum longitudine & paruitate significari hepatis paruitatem, & magnitudinem; quanquam Auerr. 4. coll. c.4. irrideat Auic. tanquam ignorantem, vbi vere sit virtus formatrix. Sed cur fit, quod intus caleant, non extra? Gal. 7. aph. 1. videtur causam tribuere inflammationi internæ alicuius visceris, quæ trahit ad se calorem, & extrema relinquit frigida. Sed puto ego aliam quoq; esse rationem, s. calorē pedum, sentiri quidem ab ægrotante in pedibus, sed nō apparere extra, vel propter frigidos humores in superficie existentes, vel propter obstructionem, vel quia cum detecti tenentur, extima pats refrigeratur.

Anxietatem.

Hoc in loco video ab ingeniosis dubitari, cur Hipp. huic signo apponat malitiei causa, quod tamen rarissime facere solet, nec forsan adhuc fecit; prætereaquid sit ἀλυσμὸς, quem ab huiusmodi signo scribit significari. Ad primum respondeo, q̃ alias dixi ex Arist. 2. Rhet. sapientes consueuisse sententiis suis apponere rationem quotiescunq; non est res, quæ statim ab Auditore penetret, aut sola dicentis autoritate credatur. Vnde cum eiusmodi sit, ideo apponit causam; vt magis credatur. Etenim denudare pedes, iactare brachia, crura, manus, & collum, videtur fieri etiam à sanis in æstate potissimum, & ab illis, qui opipare sunt pasti; vnde in febrientib. nō ita videtur esse malum. Eapropter ad hoc, vt credatur hoc esse malum in morbis acutis apponit rationem, s. quia significat inquietudinem. Nam, qui laborant morbo acuto, non est verisimile id facere ob vllam causam externam, neq; etiam ob lasciuiam, aut mollitiem, quoniam licet aliqui sint, qui, vt ait Gal. in comm. vsq; adeo delicati sint, vt nequeant vllam, vel exiguam molestiam patienter ferre, quin semper se proiiciant, & denudēt; attamen in morbis acutis vel perditur hoc vitium, vel adiuncta ipsius morbi molestia inquietudinem facit. Non ego tamen hoc quoque esse animaduertendum semper, an ita consuescat æger etiam dum est sanus, facile ter agitari. Ceterum quid sit ἀλυσμὸς, seu (vt Erotianus in Onomastico) inquietatio, Gal. accommodatissime explicat, tum in hoc com, tum maxime in postremo c.1. li. de mot. musc. vbi scribit, quod, cum corpora ægrorantium, præsertim secundum os ventriculi mordeantur, fit, vt ad euitandam molestiam, subinde situ mutare cupiunt, cumq; nullum commodum inueniant sese modo huc, modo illuc manib. collo, pedibus, cruribusq; incessanter proiiciunt. Sic etiam melancholici, quorũ corpora, dicebat Arist. in fin. 7. Eth. perpetuo morderi, nonnunquam hac inquietudine corripiuntur. Vtrum autem hoc etiã symptoma possit oriri ob virium imbecillitatem, vt dicit Gal. vere dubitant nonnulli, cum huiusmodi iactatio frequens totius corporis nequeat fieri absq; aliquo robore. Et propterea etiam non meminit Steph. Nisi dicamus ἀῤῥωςίαν δυνάμεως intelligi à Gal. eam, quæ fit per aggrauationem à copia materiæ, non autem quæ fit per consumptionem, & defectum.

(margin: ἀλυσμὸς quid.)

θανατῶδες δὲ καὶ τὸ κεχηνότα.

Lethale autem est.

(margin: 4. Ore hianse.)

QVarta decubitus figura est, si æger hians semper dormiat. Quę duplicem habere potest intellectũ, vel vt particula (semper) ad hiantem referatur, quasi dicat, dum dormit æger, si semper teneat os apertum, est mortale. Vel vt particula (semper) referatur ad dormire, perinde ac sensus sit, ægrum apertũ os tenentem semper dormire. Vtroq; autē modo loquaŕ, est verissima sentētia, q̃a etiam semper dormire

est

est malum. Somnus, & vigilia dicebat Hipp. 2. aph. 3. si modum excesserint malum. Verum videtur magis accommodatum, vt intelligamus primo modo, quod sis potius pertineat ad decubitum, de quo loquitur, quam ad somnum. In Coac. prænot. habetur hæc sententia copulatiue hunc sin modum, funestum est apertum os habere, & dormite semper. Atq; hanc secutus videtur Cels. li. 2. c. 3. cum scripsit, mortem denunciari vbi æger hiat, vbi semper dormiat. Sed nisi totum hoc simul iunctū intelligatur, hiare, & semper dormire, falsum est, quando hiare in somno ægrotantes non est simpliciter mortale, quoniam sæpe in febribus magnis fit, quæ soluuntur. Sed dicetis, ad quid ergo Hipp. agens de decubitu hæc interponit: Respondeo, vel esse conditionem supinæ figuræ, in qua fere fit, vt teneatur os apertum, vel pertinere hoc quoq; ad figuram corporis in decubitu. Ceterum videamus, quibus de causis fiat oris apertio in somno ægrotantib. & propter quid sit adeo malum. Gal. nil aliud videtur dixisse, quam fieri hoc symptoma ob ἀτονίαν musculorum, os claudentium, quemadmodum dictum fuit de palpebris apertis in somno. Sed vere exiguū est, quod ait. Itaq; supplendum, vt Steph. facit, hanc debilitatem fieri, quia vel facultas non mittitur, vt vbi cerebrum valde laborat, vel quia non recipitur, vt quando musculi sunt vel conuulsi, vel resoluti tam claudentes os, quam aperientes. Atq; hæc est illa ἀτονία, de qua Ga. loquitur. Sed est & altera causa, s. vel nimius æstus, vt canibus, vel narium impedimentum. Verū hæ causæ nequaquam faciunt exitiosum hoc symptoma. Sed hæc omnia dicuntur de ægris. Nam in sanis, & vigilantib. sunt multæ aliæ, vt luxatio mandibulæ, vt potus multi, & narium angustia. Ceterum cur in ægris sit malum hoc signum, est, primo, quia facit sitim ex Hip. 6. epid. 1. tex. 33. & Plutarcho in fine libri de garrulitate. Secundo, quia facit siccitatem oris; præterea indicat, vel ingens incendium, vel resolutionem, aut conuulsionem musculorum, quod lethale. Ceterum in sanis est malum, quia est causa, vt interdum animalcula, vel quæpiam aliæ res inimicæ os, & ventrem ingrediantur, cuiusmodi natrat Hipp. 5. epid. de adolescente Argeo, qui cum multum merum potasset, oreq; aperto dormiret, serpens quidam odore vini tractus, eiusq; ventriculum ingressus, post multos cruciatus tandē ipsum interfecit; Etenim odore vini serpētum genera maxime delectari, est in ore omnium Scriptorum, vt minime fabula sit, quod narrat Gal. lib. de subfig. Empyrica, & Porphyrius 3. de abstinentia, de remedio viperæ in seruo Crateri, qui cum laboraret elephantiasi, & à conseruis præ tædio potatus esset vino, in quo forte vipera sese suffocarat, vt interiret, contigit, vt eo sit sanitati restitutus.

Ægri cur oꝛe hient.

Hiatus oris sitim infert.

Serpentes vini auidi.

Elephantiacus liberatus, poto forte vino viperino.

Præterea est malum, quia facit etiam sitim, lædit pulmones ac dentes. Nequaquam antem est lethalis, imo etiam luxatio faciliter curatur.

καὶ τὰ σκέλεα ὑπτίως κεκάμφθαι.
Et crura dormientis.

Qvintum signum, seu quinta figura decumbentis lethaliter est, vbi supinus crura habet valde contracta, & implicata; quæ præcise etiam habentur in Coacis prænot. Itaq; cum sint vbiq; confirmata, videndum quomodo fiat, & qua ratione sit adeo lethalis. Galenus de modo, & causa nil dicit, tantum dicit esse decubitum ἄτοπον, & ἀλλόκοτον, & delirium significare, quoniam nullus potest esse assuetus sic decumbere, vt dum iacet, seu vigilans, seu dormiens, crura habeat valde contracta. Et hinc est, q. vocatur ἄτοπ☉, & ἀλλόκοτ☉, id est, absurdus, & alienus, quoniam est dissimilis sano, & propterea significat delirium. Steph. Athen. exponens hunc locum scribit huiusmodi figuram, aut fieri ob delirium, aut ob aliquem ventris morsum. Et certe experientia compertum est, non modo homines, & præsertim pueros à vermib. molestatos sese contrahere ob dolores; verum etiam bruta, quæ à natura edocta, vbi doloribus torquentur sese flectunt & agitant. Vnde his notis veterinarii cognoscunt ipsa iumenta tentari torminibus, quæ appellabant veteres verminationem. Possumus etiam addere, fieri ob conuulsionem ex siccitate, quam in morbo quouis lethalem esse Hipp. testatus est, dicens in aphorismis, conuulsionem ex helleboro, & propterea ex siccitate lethalem esse.

5. Cruribus contractis & implicatis.

Sed pro exacta huius loci intellectione videndum, cur hic situs sit adeo à natura alienus, & propterea damnatus. Secundo, qua ratione significet phrenitim vel presentem, vel futuram. Postremo, quamobrem homines, & iumenta aduersus tormina, & verminationem, valde contrahunt crura. Ad primum dicendum figuram omnium esse optimam, qua sedemus, quoniam est media, atq; in ea facimus angulos rectos, vt Arist. monstrat in mechanicis, & Gal. 3. de vsu part. Huius duæ sunt extremæ, valde tensa, & valde complicata, hoc est, quæ vel nullos facit angulos, vel acutos. Valde tensa est molesta, vt in tetano, quæ nullos facit angulos, quia musculi omnium partium contra operantur. Quæ facit angulos quoq; acutos, est valde molesta, quia aliqui musculi nimium relaxantur, alii nimium tenduntur. Vnde ob hanc ingentem inæqualitatem est valde molesta hęc figura. Et hęc est ratio, quare ascendentes rectas scalas magis defatigamur, cum cogimur facere angulos acutissimos. Ad secundum dicimus imaginationem & cogitationem semper iucunda, & facilia consequi difficilia, & ingrata effugere. Vnde Arist. dicebat 2. Rheth. omnes naturaliter optare faciliter, & iucunde discere; vnde quando contraria quærit, signum est, non esse affectum naturaliter. Et hoc est, quod docebat Hip. in Coac. s. quicunq; facit inassueta, aut dimittit assueta, esse desipientem, vel futurum. Ad tertium autem, cur bruta & homines sese flectant in doloribus est, quoniam lenitur molestia. Primum, quia sic fit vacuum, vt dicebam ex Arist. 6. Pr. 3. vbi se condunt flatus distendentes, & molestantes. Secundo, quia sic excitatur calor, qui & suapte natura lenit dolores (vt inquit Hipp. 5. aph. 22. & 2. epid.) & dissipando flatus, atq; humores crucianres. Tertio, quia, vt Steph. dicebat, quemadmodum manus contrectans ventrē blādo illo, & familiari calore lenit ventrem, sic viscera vbi se contrectant arcte, mitigātur. Fit autem huiusmodi contrectatio vbi curuantur, & implicātur inter sese cruta.

Cur istiusmodi decubitus dãnosus.

In dolore corporis inflexio cur bona.

Ἐπὶ γαστέρα δὲ κεῖσθαι, ᾧ μή.

In ventrem cubare.

6. decubitus in ventrem.

SEquitur sexta decubitus figura, quæ etiam ab Hipp. nobis proponitur in Coacis prænotionibus; tametsi parum ibi diuersa sit. Quod autem dicit est, si æger in vētrem cubet, nec assuetus sit à pueritia, id significat, vel ventris dolorē, vel delirium. In Coac. prænot. non habetur illa dictio disiunctiua (vel) sed copulatiue scripta est; perinde ac, si dicat, significare simul dolorem vētris & delirium; Neq; mala sane est sententia, quoniam pueri laborantes vermibus proni decumbunt ob dolorem, & simul delirant; Imo dolor sæpe est causa delirii. Et sane puto multo frequentius cōtingere, vt hic decubitus sequatur simul dolorem, & delirium, quam vt solum delirium. Ceterum in Coac. prænot. habetur, non semel palpitationes ventris, febrem, & vmbilici dolores cum pulsu habere aliquid paraphoricum, & insaniam facere. Et notandum est, omnes voluntarios actus indecentes, qui non fiunt nec à consuetudine, nec à conuulsione, nec à dolore, nec ab vlla causa manifesta, fieri necessario ab imaginatione errante, ac propterea præsens, nil futurum delirium significare. Vt autem videamus, qua ratione Medicus ex hoc decubitu ventris dolorem prędicat, sciendum est, natura comparatum esse, vt non solum homines, sed etiam bruta fugiant molesta. Imo si sensum habent nostri corporis partes, solent semper id, quod molestum est, à sese repellere. Iam vero inassueta semper molesta sunt; consuetudo est quæ facit voluptatem. Vnde dicebat Hipp. 2. aph. 10. quæ longo tempore cōsueta sunt, licet deteriora sint, suetis min⁹ molestare solēt. Quasi vero inassueta semper multum molesta sint. Quare quotiescunque homo ad insueta se conuertit id facit, vt vitet maiorem molestiam. Si ergo quispiam in ventrem præter consuetudinem cubat, necessarium est, quod id faciat ad fugiendum maiorem dolorem. Sed duo sunt circa sententiam hanc consideratione digna. Vnum est, cur Hip. nō dicat hoc signum esse malum, vel mortale, vt de aliis dicebat, sed solummodo dicit aut delirium significare, aut aliquem ventris dolorem.

Præter-

Præterea dubitatur, nunquid cubare in ventrem ſit adeo malum. Etenim bruta maiori ex parte ita cubant naturaliter. Vnde quod naturale eſt, non vſq; adeo malũ poſſe eſſe videtur. Accedit q; hæc figura iuuat maxime coctionem, vt ait Auic. 3. pa. doct. 2. c. 9. propter q; Antyllus apud Oribaſ. li. 6. coll. c. 1. huiuſmodi decubitum magnopere commendabat in iis, qui debilem ſtomachum habent. Quę ſi vera ſunt, haudquaquã huiuſmodi figura videtur ita eſſe damnanda. Pro reſolutione ad primum dicendum, ita locutum eſſe Hipp. quoniam huiuſmodi ſignũ quantum ſit, ex ſe neq; mortale, neq; malum eſt, cum vel ſolam deſipiẽtiã in non aſſuetis, nec grauẽ ſequatur, vel aliquam partium ad ventrem attinentium moleſtiam, quorũ neutrũ lethale eſt. Et dixi non grauẽ deſipientiam, quoniam qui magnopere mẽte errant, haud eum ſitum amant, ſed potius ſeſe iactant, & varios ſitus ſubinde mutant. Sed ſi non eſt ſignum lethale, & malum, cur ergo Hip. inter lethalia recenſuit? an quia cũ dixiſſet de optimo & medio decubitu, & de vno extremo, par erat, vt etiam aliquid de altero diceret, etiam ſi non ſit adeo malũ; ob q; forſan Corn. Celſ. inter ſigna mala hinc accepta, haudquaquã habet hæc verba. Vnde miror Steph. vocare hunc decubitum κάκιςον, .i. peſſimũ. Ad ſecundum autẽ dicendum, duplicẽ eſſe ſitum proni corporis, alium in quo æqualiter caput locatur toti corpori; alium, in quo altiore capite decumbitur. Prior eſt ille, q damnatur, & q minime brutis naturalis eſt; poſterior vero eſt quẽ cõmẽdât Au. & Anty. & q coctionẽ adiuuat, cũ in hoc decubitu cib. deſcẽdat in ſtomachi fundũ, ibidẽq; contineatur, ſecus q̃ in eo vbi caput æqualiter iacet toti corpori, in quo certe cib. haudquaquã bene ſeſe vẽtric. fundo acõmodat. *In ventrem cubare an malum.* *Reſpondetur.*

Ἀνακαθίζειν δὲ βούλεσθαι.

Velle autem.

Hæc eſt ſeptima & vltima decubitus figura, in q̃b. quidem figuris pertractandis Hip. vſq; adeo diligentiſſ. fuiſſe videtur forte, q a nulla eſt alia res magis à Medico conſideranda, quã decubitus; quoniã ægrotantes debent ſemper decumbere, Vnde veteres appellabant Med. ipſos κλινικὸς, eo, quia viſitare debebant ægrotãtes decũbentes, quare quomodo decũberent animadnertendũ erat. Id autem q; dicit Hip. eſt, q; vbi æget reſidere vult in morb. vigore, eſt malum in omnib. acutis ægritudinib. peſſimum autem in peripn. Quæ ſententia habetur iiſdem prorſus verbis in Coac. prænot. Steph. Athen. addit particulã ἄφνω, .i. ſubito, quaſi non ſimpliciter reſurgere velle, ſed ſubito illud ſit malum, & peſſimũ. Er reuera vſu quotidiano exploram⁹ ſæpe in acutis, & præſertim in pectoris affectib. ægros vel vigilantes, vel experrectos nuper velle ſubito reſidere. Sed dubitatur, quare eſt, q; cum Hip. conſuerit in huiuſmodi dictionib. addere, ſi non ſit aſſuetus, vt nuper fecit; nunc vero illã dictionem omiſerit. Dico id feciſſe, quia hic actus ſit quidem ſępenumero à ſanis, & ab ægrotantib. ſed nunquã per cõſuetudinem. Sed quãdo hoc ſit, ꝓpter multas occaſiones cõtingit, vel. n. ſit propter timorẽ, vel propter irã, vel propter aliũ animi affectum. Et Ari. 5. de gen. an. c. 1. ſcriptum reliquit, tres eſſe hominũ actiones, ſ. vigiliam, ſomnum, & aliam mediam inter vtraſq;, q̃ eſt vbi quiſpiam in ſomno ſurgit, & operatur. Nullus tamen eſt, qui per cõſuetudinem hoc faciat. Ideo iure Hipp. non poſuit, vt ſuperius particulam de conſuetudine. Videam⁹ modo, qua ratione ægrotantes interdum ſurgans, dum decumbunt, & velint ſedere, & qua ratione ſit malũ, & cur peſſimũ in peripn. Reſurgere ſane eſt opus facultatis motricis, q̃ mouet aut electiue, aut coacte. Electiue mouet, vbi ſana atq; integra eſt; Mouet autem coacta à re aliqua ſtimulãte ad motũ, & moleſtiã inferenre. Si hæc res moleſtãs ſit in ipſo cerebro, ſiue ſit pura qualitas, ſiue vapor, aut ſuccus, cũ tẽperamentũ immutet, deliriũ inducet; ſin autẽ ſit extra cerebr. nõ ſemper deliriũ fit, ſed mot. importunus, atq; ſubitaneus, ꝓut cauſa magis vel minus eſt moleſtãs. Inter cauſas autẽ hoc efficientes eſt anhelitus difficultas; q̃ tunc maior eſt, cũ & anguſtia pectoris, & reſpirationis neceſſitas maior. Fit anguſtia maior ex decubitu ſupino, quippe cum thorax veluti ſuper ſpinã cadẽs coarctat totã cauitatẽ; fit vero neceſſitas reſpirationis maior, quãdo calor auct⁹ exigit, vt pl⁹ aetis frigidi trahat, atq; plus fuliginũ extramittat; vnde fit, vt in vigore *7. Seſſio.* *Clinici Medici unde dicti.*

in vigore febrium, quando est maior necessitas ob auctum calorem, tunc maior fiat anhelitus difficultas; similiter in pulmonum inflammatione, cum adhuc sit maior necessitas, maiorq; angustia, augetur pariter respirandi difficultas, ob quam deinde excitata vis motrix voluntaria, non est mirum, si mouet corpus ad quærendā figuram, in qua possit facilius respirare. Etenim hanc actionem respirandi esse opus voluntatium, hoc est illius facultatis, quæ προαιρέτως, hoc est, secundum electionē corpus mouet, locupletissime demonstrauit Galenus exemplo illius serui barbari, qui sese extinxit sola spiritus retentione. Itaq; ex his patet, quomodo fiat exurrectio ægrotantiū, & cur mala sit in vigore morborum, pessima in peripneumoniacis.

Sed circa hæc oritur grauis dubitatio ab Intetpretibus, & præsertim à Valesio contra Hipp. & contra Gal. excitata. Contra Hipp. quia non videtur magis malum exsurgere velle in morbi vigore, quam aliis temporibus; imo videtur deterius in augmento, vel principio. Siquidem vigente morbo, rationabilius est augeri calorem, & consequenter anhelandi difficultatem, quam vel inchoante, vel increscente. Similiter in peripneumonia rationabilibus est, fieri difficultatem respirationis, quam in vllo alio morbo ob inflammationem cordi proximam, & propterea videtur esse minus malum, non autem pessimum, vt dicit Hippocrates. Siquidem in morbis signa superuenientia sunt, quæ terrent, non autē pathognomonica, vel assidentia. Contra etiam Galenum dubitant, quoniam is gustata contra Hippocratem difficultate, haud recte soluat, dicens propterea in vigore morborum esse malum exurgere velle, quoniam tunc natura optat quietem; & vbi loco quietis inquietudinem habet, esse malum. Dicunt enim minime naturam in vigore morborum quietem optare, sed potius contra impetum & morbi vim agitare, & inquietudinem facere. Vnde soluentes dicunt ab Hippocrate per pleonasmum additam esse particulam (in vigore morbi) quasi tunc fiat potissimum, non quod tunc sit magis malum, quemadmodum 4. aphor. 48. cum dicit Hippocrates. In febribus non intermittentibus, si partes extremæ frigeant &c. pars, non intermittentibus (ait Galenus in comm.) est apposita per pleonasmum, cum illud symptoma solis continuis contingat perinde, ac si dicat Hippocrates, in febribus continuis, in quibus fit hoc &c. Similiter quod Hippocrates dicit, Vertebrę, quæ in spina sentit, est pleonasmus eo, quia Vertebræ non sint alibi, quam in ipsa spina. Quod vero ad aliud respondent, orthopnœam non esse signum assidens, sed superueniens ipsi peripneumoniæ, atq; propterea pessimum, esse exurgere velle, & respirare faciliter optare in ipsa, signum, quoniam à pessimis causis, & vehementissimis, effici, nempe à magna inflammatione, & magna viarum angustia. Ego vero, quod attinet ad primum, haudquaquam puto illud in vigore, dictum esse per pleonasmum. Siquidem pleonasmus est, quando aliquod superfluum additur, & sine quo res potest intelligi, & est quando est propria ipsius solius, vt dicit Galenus de vertebris spinæ, nam vox spinæ superfluum est, quia vbi simpliciter dicitur vertebra, intelligitur spina, quod nulla alia pars habeat vertebras. Similiter frigere extrema & vri intus, est propriū continuarum. Itaq; dicere in febribus non intermittentibus, vt Hippocrates, est pleonasmus, sed non sic est in præsenti, quia non in solo vigore acutorum hoc fit, verum etiam interdum in augmento & initio. Itaque satius est dicere, Hippocratem addidisse, in vigore, quoniam vbi vigent acuti, vere malum est vrgeri grauibus symptomatibus, quæ cogant surgere, vt est delirium, & anhelandi difficultas, quia vigor per se est molestus & grauis, tum magis, si superueniant alia symptomata. Quod autem pertinet ad alterum dubium in peripneumonia pessimum exurgere velle, quoniam cum morbus sit sua natura exitiosus, vbi aliud exitiosum symptoma sibi coniungitur, cuiusmodi est orthopnœa, quis non videt esse exitiosissimum? Itaq; verum est in morbi vigore esse malum hoc signum, & potissimū in peripneumonia. Sed aduertendū aliquos ægros interdū exurgere subito, quia etiā dum sani sunt id faciunt, vel somniantes, vt ex Arist. 5. de gen. an. ca. 1. vel ad iram prouocati, vel timore aliquo aut vigilantes, aut timentes perterriti.

Pleonasmus quando cōmittatur.

ὀδόντας

Ὀδόντας δὲ πρίειν ἐν πυρετοῖσι, ὁκόσοισι.

Dentibus stridere in febribus.

DE connexione præsentis particulæ altum est silētium apud omnes interpretes. Veruntamen sum ego huius sententiæ, quod possit cū superiori hoc pacto cōnecti. Dum tractaret Hipp. de decubitu, nōnulla interposuit de oris apertione, quæ quodammodo videbatur spectare ad ipsum decubitum, aut saltem esse ex eius conditionib. Vnde nunc quoq; pauca quędam de dentib. adiicit eodem modo, quo apertio oris ad ipsius decubitus rationem pertinentia. Vnde qui faciunt nonum caput, quasi hoc spectet ad decubitus tractationem, haud bene sentire mihi videntur. Etenim quomodo adeo pauca dixisset, si peculiare caput atq; tractationem facere sibi proposuisset. Hæc autem pars in tres particulas diuidi commode potest, quarum prior est stridere dentibus in febribus, eos qui non sunt assueti à pueritia. Furiosum ac lethale est. Secunda vero pars est: Sed prædicere periculum futurum ab vtrisque oportet. Tertia est. Si vero etiam delirans hoc faciat, perniciosa valde iam existit. Iam vnamquamque particulam expendamus. Cornelius Celsus libro secundo capite sexto, totam hanc partem breuibus his verbis latine reddidit, scilicet, mortem denunciari, vbi is qui mentis suæ non est, neque id sanus facere solet dentibus strider. Etiam secundo prorrhet. habentur hæc eadem. Ceterum in Coacis prænot. aliquid additum est, aliquid demptum, & aliquid paulisper immutatum. Additur vox συνερίζειν, id est, collidere: inquit collidere dentes, & stridere, & quæ sequuntur. Deest autem particula tota secunda, & in priore deficit vox in febribus. Est mutarum nonnihil, quia vbi hic ait in postrema parte κάρτα ὀλέθριον, ibi dicit παντελῶς ὀλέθριον. Verum si hæc diuersitas diligenter expendatur, parum omnino refert. Itaque pro intelligentia primæ particulæ, sciendum est πρίειν & πρίσιν, quem stridorem vertit Celsus, esse motum dentium, quo inter sese teruntur, atque eum strepitum faciunt, quem serræ, vbi secant. Hic autem motus interdum est voluntarius, de quo nunc haud sermo est Hippocratis. Interdum vero inuoluntarius. Atque hic vel fit cum febre, vel sine febre. De eo autem, qui sit cum febre, certum est loqui Hippocratem. Hic autem cum symptoma sit in genere actionum læsarum; nempe morus deprauatus certum est, sequi aliquem morbum. Quando Galenus libro de diff. morborum, capite quarto, scriptum reliquit, actiones læsas sequi aliquem morbum. Est autem morbus, quem sequitur hoc symptoma, vel intemperies cum materia neruorum, ob quam musculorum temporalium facta conuulsione seu tremore quodam sequitur huiusmodi morus: vel est affectus aliquis peculiaris ipsorum musculorum, vt solutio continui à vaporibus acribus, vel intemperies cum affluxu materiæ. Sed dicet aliquis, quomodo fieri potest, vt affecto primo neruorum principio aliqui musculi offendantur, aliqui non? Galenus respondet, & recte hoc proficisci à natiua constitutione, & aptitudine ipsorum musculorum ad id patiendum. Vt enim alii ab ortu habent crura male affecta, oculos, aures, dentes, aliasque similes partes, quæ propter id qualibet vel etiam leui occasione offenduntur: sic contingit, vt aliqui habentes à natura musculos dentium motores, scilicet temporales & maxillares male dispositos, & imbecilles, haud secus hunc motum incurrant, atque illi quibus oculi frequentet nictitant, quem affectum Galenus ait hoc in loco vocari ὑποπτὸν. Quamquam in contextu antiqui interpretis hæc pars desideretur. Ergo cum stridor dentium sequatur affectum capitis, quando quis non sit assuetus à pueritia id facere, scilicet, ob dispositionem natiuam musculorum, ob quam aliqui leuissima qualibet de causa strident, vel ob frigus, vel ob aliquem alium affectum voluntarium: Sequitur necessario, vt affecto cerebro grauiter, sit expectandum delirium, & consequenter mors. Sed cur potius delirium, quam vllum alium affectum? An quia vbi est intemperies cum materia, atque cum febre, necesse est, & materiam, & intemperiem esse calidam. A calida autem causa, vt ait Auicenna, deprauantur functiones

πρίσις stridor dentium quid.

Cur interdū aliqui saltē musculi lædantur, nec simul vniuersi.

ctiones, sicut à frigida vel abolentur, vel minuuntur. Delirium vero est deprauatio functionis animæ facultatis ὑγεμονικῆς; & tunc maius quando maniacum, & in febribus acutis fit à vaporibus acribus, & mordacibus, qui vellicantes principium neruorum, & musculos faciunt conuelli, & stridere.

Actiones animales & naturales quibus differant. Sed duo sunt memoria & animaduersione digna, Vnum est, quod, vt Galenus docet primo de loc. affect. cap. ylt. actiones naturales in hoc ab animalibus distant, quia naturales nunquam possunt lædi, nisi pars, quæ facit illam operationem, lædatur ipsa quoq;. Coctio enim lædi non potest, nisi lædatur ventriculus. Sic sanguificatio, nisi lædatur iecur; idq; euenit eo, quia istæ facultates naturales sunt, & à partibus illis pendent. Secus in facultatibus animalibus, quia istæ lædi possunt non læsa ea parte, à qua funguntur, sed læso principio. Exemplum huius rei habetis à Galeno 4. de loc. affect. de illo, qui ex scala ceciderat, habebat digitos impeditos, qui tamen nil passi erant. Nam affectio erat in nucha, in principio scilicet neruorum. Ita se habet in stridore dentium, qui cum sit motus præter naturam, fieri etiam potest nullo pacto affectis ipsis musculis per se, sed affecto principio. Aliud quæstione dignum est, vtrum (vt quidam voluerunt) iste dentium stridor possit etiam fieri à debilitate facultatis motricis. Et quod possit fieri, duæ rationes ostendunt; primum, quia stridor dentium fit etiam à frigore, vt paulo ante diximus; à frigore autem delentur omnes facultates. Nam hactenus à Galeno secundo de sympt. caus. cap. 5. de tremore, qui fit à facultate debili. Alia ratio est, quia stridor dentium fit maxime in pueris, qui valent quidem facultate naturali, sed non animali. Vnde nec pedes, nec manus mouent, vel satis debiliter, Ex altera parte sunt etiam duæ rationes; primum, quia Aristoteles 3. de hist. animal. cap. 7. loquens de dentibus, inquit, dentes habere os firmissimum, propter quam similitudinem Plinius lib. 7. naturalis historiæ, cap. 17. dicebat dentes non domari ab igne. Si ergo dens est os firmissimum, vt resistat omnibus iniuriis, qua ratione à debili facultate poterant ita affici, vt strideant. Altera ratio est, quoniam stridor est motus deprauatus; cum autem tria sint genera læsionum ipsarum actionum, quoniam vel sunt deprauatæ vel imminutæ, vel ablatæ. Actiones semper diminuuntur à frigore; calor autem semper augetactiones, vnde à calore deprauantur, vt etiam scribit Auicenna 2. part. Auferuntur vero vtroq; modo, & à calore, & à frigore. Quare si stridor dentium est deprauata actio, non fit ab imbecillitate, sed à virium robore.

Stridor dentium an à facultate debili fiat.

Actiones tripliciter læduntur.

Pro resolutione dicendum aliud esse dentes tremere, aliud stridere. Quod ita sit, patet ex verbis Galeni in comm. quando dicit, stridorem dentium fieri aliquando motu tremulo. Tremor dentium potest quidem fieri à facultate debili, sed verus stridor nunquam. Atq; hæc de prima parte. Sequitur secunda, in qua dicit Hipp. oportere Medicum prædicere periculum ab vtrisq;. Circa quam partem primo est intelligendum, senem nihil aliud velle docere, quam vt Medicus prædicere debeat ægrum periclitari, ne vel maniacus euadat, vel moriatur; vbi tãtum in febre dentibus stridet præter consuetudinem. Et certe miror, quomodo aliqui dicant nõ potuisse Hipp. intelligere, quod puerile est dicere, vt prædicat periculum mortis. Aliud enim est periculum, esse de aliqua re futura; aliud est periculum alicuius rei. Sed quæso ad quid Hipp. in hoc adeo sancte præcipit Medico, vt prædicat ab vtrisq; periculum, Forsan erat opus huiusmodi præcepto, cum vnusquisq; sciat totam hãc tractationem esse de prædicendo. Quod si nunc erat necesse hoc facere, cur non alias etiam fecit Hipp. Dicendum puto Hippoc. propter tres causas hoc præceptum dedisse. Vna fuit, vt moneret, ne præceps esset Medicus in prædicendo certe vel delirium, vel mortem. Sed duntaxat periculum vtriusq;. Sic enim quicquid eueniat, potest Medicus sese magis excusare, si dixerit, periculum esse, ne illud vel illud eueniat, quam si dixerit illud vel illud euenturum. Secunda ratio fuit, quia prædicere delirium multo facilius est, quam maniam, quia delirium est vniuersale magis, quam mania, & semper securius est prædicere vniuersalia, quam particularia, quemadmodum faciebant veterum Oracula. Igitur Hippocrates vult

monere

monere vt tanto magis solum prædicat periculum maniæ, & mortis, quanto est difficilius quemq; certi afferre. Etenim vt est valde probabile, vbi in febrib. acutis vapores feruidi & acres percutiunt originem neruorũ, & faciunt conuulsionẽ, posse sequi delirium affecto cerebro, & consequenter mortem: sic minus probabile est fieri id delirium, q mania vocatur, quodq; ab exusta bile atra originem ducit. Tertia ratio fuit, quia hæc res, & hæc prædictio est quid rarũ atq; difficilius captu. quod sint complura alia ex iis, in quorum tractatione nullum huiusmodi præceptũ esse dandum putauit. Tertia pars est, si iam æger qui strider dentib, etiam deliret, valde velut in Coac. omnino mortale esse. Srephan. vult, vt ad hanc partem possit quoq; antecedẽs referri, quasi à medico, vbi strider dentib. æger, sit prædicendũ periculũ futuri delirii & mortis. Vbi vero iam adest deliriũ debeat certa, & propinqua mors prædici, nec huiusmodi interpretatio mihi dãnanda videtur, quandoquidẽ ad hoc certe respexit Hipp. Sed cur Hipp. ante dixit, maniã prædici posse, nunc vero dicit si delirium esset, non si mania, quasi aliud sit q nunc dicit ab eo q supra. Præterea, quæ est ratio, propter quã præsente delirio cum stridore dentiũ est valde vel omnino mortale. Ad *1.* responder Steph. maniam nil aliud esse quam delirium quoddã intensum, & ptopterea quamuis videanrur verba diuersa, idẽ tamen Hipp. dicere. Sed potest etiam taliter responderi, propterea Hipp. mutasse nomen, quia siue sit simplex delirium, siue intensum, & magnũ, vt est mania, indicat certã & propinquã mortem, Ratio aũt est, quoniam deliriũ cum stridore dentiũ duo indicat grauiter affici, s. partem posteriorẽ cerebri, seu vim motricẽ, & vniuersum cerebri temperamentũ. Quæ duo grauiter affecta, necessario mortem indicant. Nam vbi *1.* pars princeps corporis grauiter habet, vt dicebat Gal. alias in cõsensum trahit, atq; inde sequitur mors: quare vbi stridor dentiũ in febre præcessit, & deinde queadmodũ ait Hipp. deliriũ accessit, mors proxima est q causa mali sit acuta. Vbi vero stridor delirio succedit quid dicendum? Certe & istud lethale valde est, neq; facile videas quemquam delirantem, vbi stridor dentiũ accedat, seruari, q præter alia mala adsit cõuulsio in musculis temporalib. & maxillarib. quæ exitiosa est. Illud bene correspondet experientiæ, minus malum esse, si simul inuadant & delirium & stridor dentium.

ἕλκος δὲ ἐὰν τε ἤ προγεγονὸς τύχῃ.

Vlcus autem.

Certe qui volunt, hũc librum esse methodo ordinatũ, nescio quo pacto possint inter hæc ordinem inuenire, siquidem ante egit de dentib. post acturus est de manib. Inter dentes manus atq; vlcera corporis esse nullam proportionẽ, aut connexionem, facile est cuicunq; videre. Nisi dicere placeat, hãc partem pertinere ad colorem totius corporis, & forsan ibi fuisse locandã. Sed vtcunq; sit, sententia præsens in duas particulas diuiditur. In 1. Hipp. docet vlcera siue ante morbum, siue in morbo sint orta, esse consideranda. Circa quam *1.* partem hæc sunt diligenter quærenda, s. quid pro vlcere intelligat Hipp. Deinde quomodo sit intelligendũ illud, siue fiat in morbo, siue ante. Demum, cur Hipp. dixerit, debere medicũ hoc animaduertere. Hoc igitur nomen ἕλκος complures habet significationes. Aliquando. n. significat oẽm continui solutionẽ, siue sit in osse, siue in neruis, siue in carne. Quinimo tam lata est significatio huius vocis apud Hipp. & alios veteres, vt aliqui velut Athenæus dixerit, oẽm morbum esse vlcus, vt testatur Gal. 3. de fractur. 34. Aliquãdo vlcus significat eam solutionem, quæ sit in carne, seu fiat à causa externa, vt sunt vulnera, seu à causa interna, vt vlcera. Proprie autem vlcus significat eam continui solutionem, quæ fit à causa interna in ipsa carne. Galen. existimat vlcus hoc in loco accipi in secunda significatione, s. vt vulnus, & propriũ vlcus. Sed maximum dubiũ est, quia, cum dicit Hipp. cõsiderandum. Est vlcus, siue in morbo, siue ante morbũ; non videtur loqui de eo, q fit à causa externa vt est vulnus, sed de eo, q fit a causa interna, s. vlcere. Nisi dicamus fieri posse, vt vlcera in morbis fiãt cum tanta incisione, vt naturam vulneris sapiant. Ideo in hoc libenter cum Gale. sentio. Sed videamus,

mus, quomodo intelligendum sit, illud, siue in morbo fiat, siue ante. Nam hæc locutio duplicem habet sensum: vnus est, vt dicat Hipp. medicũ considerare debere vlcus, an fiat in morbo, vel ante morbum: potest secundo intelligi, quod siue sit vlcus ante morbũ, siue in morbo, semper debere medicum illud considerare. Et q̃quis vtrouis modo intelligi possit dictum Hipp. tamẽ multo magis mihi placet, vt dicat Hipp. maxime considerãdum esse à medico vlcus, an sit factum ante morbum, vel in morbo. Vlcera. n. quæ solent fieri in morb. acut. plerunq; maligna sunt, etiamsi per crisin fiant: Sic quæ fiunt ante morbum, semper sunt maligna, ideo multum refert, vtrum vlcus ante febres factum sit, vel in febrib. fiat. Ratio autem propter quã dicat Hipp. debere medicum animaduertere huiusmodi vlcus, est, vt doceat medicum accuratum, & ingeniosum non debere cõtemnere vlcera, vt nostrates medici facere solent, qui vlcera omnia Chirurgis cõmittunt, sed ipsa inspicere, & considerare, posteaquam Hipp. etiam hoc fecit. Sequitur secundá pars.

ἢν γὰρ μέλλῃ ἀπολλύσθαι ὁ ἄνθρωπος.

Si enim moriturus æger.

HANC partem dum latinam faceret elegantiss. Cels. lib. 2. c. 6. dixit, mortem denunciari vbi vlcus, q̃ aut ante, aut in ipso morbo natum est, aridum, & aut pallidum, aut liuidũ factum est. In Coac. quoq; prænot. dicitur pauciorib. verbis; vlcus liuidum, & siccum, aut pallidum, lethale est. Sed pro recta intelligentia huius partis, primo videndum est, cur Hipp. nunc loquitur de colore vlcerũ, cum satis de colore faciei, & totius corporis antea sit locutus. Et, si loqui placebat, cur nõ apponit colorẽ nigrũ. Prætetea dignum est vt quæratur, cur Hipp. vsq; adeo damnet sicca vlcera. Nam est dogma omnium medicorum, vlcera, qua vlcera, semper opus habere exsiccatione. Quod attinet ad primum, Stephan. qui vidit hanc difficultatẽ, respondet ob duas causas nunc voluisse sumere signa à calore vlcerum. Vna fuit, quia cum carnes sint rubeæ, vbi sine vlcere sunt facile appatet color. Secunda fuit, quoniam vbi est vlcus, semper ea pars est imbecillior, vnde ad ipsam maior fit confluxus abundantis humoris, & ob id in vlcere euidenter, s. colorem, id, q̃ est signũ lethale. Ideo ob hoc voluit etiam à colore vlceris significationem sumere. Siluit autem nigrum tanq̃ rem manifestissimã, quia si liuidus, ppterea prauus, quia proxime accedit ad nigrum, quis non videt nigrum esse multo deteriorem? Ad secun-
An vlcera sicca mala. dum dupliciter responderi potest, vno modo vt Stéphan. duplicem esse siccitatẽ; aliam; quæ fit ob consumtionem humiditatis excrementitiæ; aliam vero, quæ ob consumptionem humidi alimentalis, & continuatiui, quæq; nimia est non moderata: prior est quæ nõ modo laudatur, verum etiam necessaria est pro vlcerum curatione. Hæc vero est, quæ nunc damnatur, & q̃ ob id ait Gal. fieri inopia nutritionis & imbecillitate facultatis. Alius modus respondendi est, ab Hipp. non damnari simpliciter siccitatem vlcerum, sed in febrib. acut. & cum colorib. alienis, s. pallido, vel viridi, nec nõ liuido, qui oẽs cum sequantur prauos humores, praua quoq; sunt indicia, q̃q̃ gradus est inter ipsos, vt qui propior est nigro veluti liuidus, semper fit deterior, vtpote factus ab humore deteriore, vel à caloris natiui extinctione, qui vero longinquior vt rubeus, est melior: malus aũt medius cuiusmodi est viridis. Sed sciendũ est illam siccitatẽ, q̃ diximus esse priuationem humiditatis excrementitiæ duorũ esse generũ. Fit. n. interdũ repente, ac subito; interdũ vero paulatim. Illa siccitas, q̃ fit paulatim est quidẽ aliquando mortalis, & præsertim, si mala curetur arte, sed non semper. At illa, quæ fit repente, mortalis est, sed media cõuulsione, vel delirio. Idq; eo, quia siccitas, q̃ fit per resolutionẽ humoris est opus naturæ, estq; salutaris causa. Quę vero repente fit, non est per resolutionẽ, aut dissolutionẽ humoris, sed per translationẽ, seu transmissionẽ eiusdem ad locos nobiliores, cuiusmodi est caput. Vnde Hipp. lib. de vlcerib. dicere solebat, siccũ esse magis vicinũ sano, q̃ humidũ: & in aph. scribit, quib. tumores in vlcerib. apparent, nõ cõuelli, neq; insanire, nisi ipsis euanescẽtib. derepente. Est ẽr quæstione dignũ, cur à membris, in quib. siccãtur vlcera siccatione nõ vera; nec dissolutione humoris, materia potius tendat in caput, quam in aliam partem.

Huius duæ ſunt cauſæ, prior eſt capitis nempe cerebri natura, & figura. Dicebat Hipp. 4. de morb. Caput ſupra poſitum eſt, veluti cucurbitula, & veluti cucurbitula attrahit. Præterea ratione caliditatis, quæ reperitur in cerebro dũ æger acuto morbo laborat, fit vt materia potius ad caput tranſmittatur, quã ad aliam partẽ. Alia cauſa eſt tenuitas & caliditas humoris: vbi.n. humor tenuis, & calidus fuerit ſuapte natura in caput fertur. Sed adhuc dubitatur, quomodo à nobis dictũ ſit vlcera, vt vlcera, ſemper exiccationem poſtulari, ſiquidem 1. ſect. probl. 50. quærens, cur tetris & impuris vlcerib. adhibeantur medicamenta exiccantia, & acria, puris vero humida; reſpondet illis opus eſſe aliquid detrahere, hiſce autem cicatricem duntaxat inducere. Ex quib. facile colligitur, Hipp. voluiſſe vlcera, vt vlceta exigere potius humida quã ſicca. Pet. Apponenſ. qui vidit difficultatem, addit cõtextui vocem acutis, quaſi dicat Ariſt. puris vlcerib. non conuenire tantum humida, ſed ẽt acuta. Præterea reſpondet duplex eſſe ſiccũ potentia, & actu: impuris cõuenire ſicca potentia, & actu puris potentia, tantũ ſicca, ſed actu humida, vt olea, vnguẽta, & ſimilia. Sed hoc falſum eſt, quia Hipp. initio lib. de vlcerib. non vult vlcera vllo humido actu eſſe tangẽda, niſi ſolo vino, & experientia etiam docet, actu ſiccis feliciter pura vlcera perduci ad cicatricem, Itaq; dicendum eſt corruptũ eſſe Ariſto. contextum, & vbi legitur ὑγρὰ legendũ ξηρὰ. Nam ſententia eſſe debet, impuris vlcerib. conuenire non modo ſicca, verũ etiam actia, quoniã opus eſt aliquid detrahere: puris vero tantum ſicca, quæ ẽt non humida pro inducenda cicatrice valent. Quod autem ita ſit, idem Ariſt. fidem facere poteſt, qui eadem ſect. probl. 33. declarans, qua facultate cataplaſmata cohibeant ſanguinẽ, & vulnera ad cicatricem perducãt, id facere ſcribit virtute moderate exiccãte, atq; adſtringente, quandoquidẽ neceſſe eſt, vt quæ vniri debent, nil humiditatis intra labia habeãt, neq; admodum arida ſint, alioquin non poteſt vniri, ſed moderate ſiccæ eſſe debent; atq; hoc eſt, q voluit dicere Hipp. in lib. de vlcerib. ſiccũ eſſe vicinius ſano quam humidũ. Quo in loco notare poſſumus errorẽ Ariſt. qui 32. ſect. probl. 7. quærens rationẽ, cur vlcera aurium ſiniſtrarũ facilius curentur, dicit, quia calidiores ſunt, & humidiores. Nam reuera non ſunt calidiores: ſed dato etiam quod ſint, humiditas tamen peſſima eſt, ſiccitas optima,

Περὶ δὲ χειρῶν φορῆς τῆς δὲ γινώσκω.

De manuum vero Lationibus.

CVR Hipp. ab vlcera ad manus trãſeat nulla eſt eius ingenio digna ratio niſi dicamus interpoſitis illis paucis de vlcere Hipp. decubitui cõiunxiſſe manuum lationes, quod huiuſmodi actio ſit quædam decubitus conditio, &q; dignitate, atq; vſu ſequatur merito faciem, atq; decubitum. Sed vtcunq; ſit. Manus plures vſus habuit, vnus fuit commemoratus à Gregorio Nyſſeno, ſiue Nemeſio lib. de hominis nat. (vtrisq;. n. illis authoribus inuenitur attributus liber de nat. hom.) vbi ſcribit, propter ſermonem datas eſſe homini manus, eo q illæ cibũ ori præberent, neceſſe fuiſſet os ita parare, vt poſſet ex ſe cibũ ſumere, ſic aũt ineptũ extitiſſet ſermoni, ad quẽ dearticulandũ non modo lingua, & dentes, verum etiam labiorũ artificioſa conſtitutio, mirum in modũ confert. Cæterum multo melius Ariſt. 4. de partib. ani. c. 10. dixit, manus eſſe datas homini, tũ quia erectus, nec crurib, vt pecudes vti poterat: tum quia prudentiſſimus omnium brutorum cum eſſet, inſtrumento pro ptudẽtia vſurpanda accõmodato egebat. Idq; & Gal. 1. de vſu part. cõfirmauit cum dixit, hominem ratione omniũ artium altrice, & inuẽtrice donatum, opus habuiſſe multis inſtrumentis, quæ in vna manu cõplectuntur, vt inde dicatur inſtrumentum inſtrumentorũ. Vnde dicendũ eſt, non quemadmodum Anaxagoras hominẽ eſſe prudentiſſimũ, quia manus habeat: Sed potius habere manus quia prudentiſſimus ſit. Ergo ſi res ita ſeſe habeat, vt manus ſit verũ & propriũ animæ rationalis inſtrumentum, ſequitur functiones manuum dum bonæ ſunt, a ratione bene operante proficiſci; vbi vero prauæ, indecentes, ac turpes ſunt. Sequitur etiã, vt ab errante ratione

pendeant. Errare autem rationem semper est malum, præsertim in morb. acutis, propterea q summo iure Hipp. inter alia signa praua voluit nunc et recensere ea, q capiuntur à manib. perperã, & indecenter operantib. dicens, manuũ motiones in febr. acut. in peripneumonia phreniridib. & capitis dolorib. esse malas, & lethales quinq; modis: vno, si ante faciẽ ferantur. 2. si frustra quippiã venantur. 3. si festucas legant. 4. si floccos de vestib. vellant. 5. si de parietib. paleas detrahant. Vt aũt consilium Hip. intime penetremus sigillatim circa vnam quamq; rem discurremus. Videndũ primo, cur dicat, ita cognosco, & quare Hipp. dicat in feb. acut. in peripneu. pleuritidib. & dolorib. Nam non opus erat hoc agere, cũ iam prędocuerit se in hoc lib. de morb. acut. tractaturũ. Præterea cur potius hosce morbos nominauit, & non alios. De 1. dicendũ, Hipp. quem primũ hanc doctrinã signorũ reliquisse & forsan primũ omniũ huiusmodi manuũ lationes obseruasse constat, vnde & propter hoc, & quia in sua admirabili peritia, valde confidebat, vt ait Cels. audacter dixisse, Ὡς ἐγὼ γινώσκω. Quod ad 2. voluit Hipp. nominare eos morbos, non vt acutos: alioquin superfluus fuisset; sed vt eos in quib. fiunt eæ manuũ lationes erroneæ, de quib. est dicturus, & nominauit etiã potissimũ phrenit. peripneumoniã, & dolorẽ capitis, quoniã in his maxime omniũ accidunt, vt videbitur suo loco. Et quamquã videatur Hipp. feb. acut. à phrenit. & peripneum. &c. seiungere tanquã & ipsę feb. acut. haud habeant copulatas, non est tamẽ ita, sed secundũ morẽ veterum locutus est, qui vt sæpe dicit Gal. & præsertim 4. aph. 73. & 7. aph. 42. & 3. in 1. epid. tex. 1. febres inflammationib. iunctas non appellabant febres, quia sunt ipsis veluti accidentia quædã, sed vocabãt phrenitim, pleuritim, hippatitim. & l. 3. 6. epi. com. tex. 1. 29. dixerit Praxagorã vocasse febr. phrenit. letharg. & hepaticã; nõ tamen ob hoc sibi cõtradicit, cũ aliud sit loqui secundum ipsius Hipp. tẽpora, aliud secundum posteriorũ Hipp. tẽpora vt colligitur ex 5. aph. 66. Itaq; iure Hipp. distinguit feb. acut. à pleurit. &c.

Πρὸ τῶ προσώπε φερομένας.

Ante faciem.

Videamus modo, quanã ratione fiant hæc symptomata, & cur vsq; adeo mala & lethalia sint. Sciendũ igitur est, imagines, q̃ apparent ante oculos, vel solũ decipere potentiã visoriam, vt Gal. & Steph. docent, vel et imaginationẽ, & iudicium. Atq; hoc, vel ꝑpter affectum cerebri propriũ, vel propter cõmunicationem, aut à toto, aut ab aliqua parte. Decipitur tantũ potentia visoria in suffusionib. vocatis, in quib. laborantes videntur videre varia idola, vt muscas, araneas, & similia. Læditur aũt etiam discursus, & iudicium in affectib. hic cõmemoratis, & in dolorib. capitis affecto per se cerebro; in peripneumonia & pleuritide affecto per consensum. Iam vero vt fiant hi errores tam in visione, quã in iudicio & imaginatione, explicat locupletissime Gal. in com. q ſ. vapores vna cum sanguine per arterias, venas & neruos mittantur à cerebro, vel a toto, vel a partib. corporis in humorẽ albugineum, ſ. inter crystallinũ, & carneæ perforatam partẽ, vbi a visoria facultate perspecti, & iudicati in suffusis eã non fallunt, quasi sint extra oculum, sed tantũmodo fallunt varietate figurarum. Quæ vtrum fiant per priuationẽ visionis, vel potius per appositionẽ, disputatur apud Interpr. Multi dicunt fieri, per priuationẽ, quia illi vapores positi ante corneam, impediunt, ne visio pertranseat. Alii crediderunt, q positiue illas videant. Et ego ita sentio, ratio est, quia, si tantũmodo priuatiue apparerent, sequeretur, q semper vno & eodẽ colore viderentur. Atqui nigri colores interdum apparent, aliquando flaui, albiq;, quandoq; veluti scintillæ ignis. Cæterũ in morbis ab Hipp. propositis fallunt iidẽ vapores non modo potentiã visoriam, verumetiam imaginationẽ atq; iudiciũ, nempe id q est intra oculũ, putant esse extra, ꝑpterea q; manib. colligere, euellere, & expellere tentant in vanum, tanquã vel muscę sint, vel flocci in vestib. & stragulis, vel paleæ in parietib. Vnde cum in his non modo sit facultas visoria læsa, verum etiã discursus, atq; harum læsionũ sint in causa morbi magni, tum propter essentiam, tum propter partis patientis dignitatẽ, merito cuncta hæc mala, atq; lethalia esse dicit Hipp. non aũt q sint indicia futuræ cõuulsionis. Et aduer-

aduertendũ, fere semper Hip. dicere simpliciter lethalia signa, quãdo certa mortis signa nõ sunt, vt dicebat Democ. apud Cels. li. 2. c. 6. nec finitæ vitæ certa signa sunt, cum aliqui reuixerint. Plin. lib. 7. c. 51. mortis signa innumera, salutis nulla certa esse scribit. Cæterum optabit aliquis scire, cum oẽs huiusmodi figuræ sint vapores, vnde nam tanta sit varietas figurarũ, adeo, vt modo videantur capilli, modo muscę, modo paleæ, modo flocci. Cui respõdendum est, huiusmodi varietatẽ effici à trib. causis: à quantitate materiæ, à consistentia, & à colore. Vel. n. materia est pauca, vel multa: & tunc figuræ apparent, aut paruæ, aut magnæ. Similiter secundũ cõsistẽtiam, si materia est oblõga, vident veluti capillos, festucas, & paleas, atq; huiusmodi alia. Sin rotunda sit, vident veluti floccos, ciceres, & huiusmodi. Secundũ vero colorem rubeum, flauum, liuidum & nigrum, decipiuntur, quoniã res videntur videre eo colore infectas, quo sunt vapores. Sed dubitatur, quomodo Hipp. dicat hæc in phrenitide esse mala, & lethalia, cũ sint ista signa phrenitidis, quæ suapte natura est exitialis. Aliqui dicunt esse vocem phrenitidis pleonasmum, quasi dicat Hipp. hæc signa, quæ fiunt in phrenitide, esse lethalia. Sed isti sunt plus amatores pleonasmi, quam fuerit ipse Hipp. Cur. n. etiam idem non esset dicendũ de peripneumonia, & capitis dolore, quas passiones simul memorat? Imo Cels. dum hæc transfert lib. 2. c. 3. vult omnino Hipp. sine pleonasmo loqui. Itaq; puro vere hoc dixisse, quãdoquidem vsu probetur hoc signũ maxime apparere etiam in fine phrenitidis, vbi s. nulla amplius spes est, vt in vxore Dealcis 3. in 3. epid. hist. 15. Vnde colligere festucas, floccos euellere, & alia huiusmodi sint potius signa factæ, quã futuræ phrenitidis. Et Hipp. 1. in 1. prorrh. 33. inquit has carphologias & alia quæ cõplectitur nomine πάνυ φρενιτικά, esse valde phrenetica, hoc est, in summo phrenitidis vigore apparere. Et Auic. 13. tract. 3. c. 2. collectionem festucarũ, &c. vult esse signũ iam facti apostematis in parte anteriori cerebri. Præterea Cœl. Aurel. non ignobilis author, lib. 1. acutor. disputat, an futuræ phrenitidis signa habeantur? & c. 3. inter signa iam factæ ponit carphologiam, & crocidismũ. Sed quid ad Gal. dicemus, qui 4. de loc. aff. c. 2. huiusmodi signa potius ascribit futuræ phrenitidi, quam factæ? Dicimus Gal. illos lib. de loc. aff. confecisse, quando iam senex erat: & narrat historiam, quæ in adolescentia illi contigerat: nos senes non ita facile recordamur rerũ, quæ in adolescentia nobis contigeruut, &, si recordamur, non ita præcise. Sed si hæc responsio non placet, dicendũ, illud Gal. contigisse dum phrenitis quidem iam inchoata erat, sed nõ ita perfecta; ideo monuisse, vel potius obsecrasse medicos, vt ei opem ferrẽt, ne fieret vere phrenitic⁹. Sed volo vos monere, me semper ab Arist. dissensisse in casu illius Antipherontis Oritani, qui semper videbat ante se suam imaginẽ. Putauit. n. Arist. 3. meteor. deinde & Seneca 1. quæst. nat. c. 3. illud sibi contingere solitũ ob aciem videndi hebetẽ quam habebat, & ob quam fiebat, vt radii nequeuntes longe progredi sisterentur ante se, sicq; fiebat illa apparentia. Sed præter quam q, hoc est contra eius placita, qui putauit non per extramissionem, sed per receptionẽ fieri videndi actionem, accidit etiam, q, nescio videre, cur potius ipsius imago, quã quippiam aliud, ibi repræsentaretur, vnde semper putaui illũ habuisse imaginationem corruptam, cum etiam lib. de memoria, & reminiscentia, idem Arist. dicat ipsum fuisse insanum. Nam cũ haberet imaginationem corruptam, & huiusmodi vapores in oculis semper haberet, illi tum consistentia, tum copia, tum colore idolũ quoddam repręsentabat, q, ille iudicium, & imaginationem corruptam habens, putabat esse sui imaginem, & quocunq; iret eam ante se videret, quoniam semper eos vapores secum in oculis gestabat.

Πνεῦμα δὲ πυκνὸν μὲν ἐὸν.

Spiritus autem creber.

CErtum est, quæ supra dixit Hipp. de erronea manuũ latione pertinere ad actiones læsas animales. Nunc vero transit ad actiones læsas vitales, post hæc de excrementis mutatis tractaturus. Sciunt. n. omnes, tria esse signorum genera, seu potius tres fontes, à quib. omnium generũ signa hauriuut, actiones læsas, excrementa mutata *Signorũ tria genera.*

mutata, atq; mutatas qualitates. Vnde si vlla ratio continuationis horum cũ superiorib. & sequentib. est proponenda, certe nullam aliam afferrem, quam hanc, f. q. vt dixi, agat nunc de actionib. vitalib. hoc est, doceat, quæ signa prognostica ab huiusmodi actionib. cõparari queant. Sunt actiones vitales potissimę duum generum, pulsus & respiratio. Pulsum contempsit Hipp. (Etenim cum ignorasse Hippo. qui omnia etiã minima ad artem feliciter faciendã necessaria, aut saltem vtilia cognouit, adduci vix possum, vt credam) sed quia fallax vel difficillima esset pulsuũ contemplatio, & propterea de eo pauca, aut nihil effatu dignũ peritus dixit. Quod aũt ardua sit pulsuum cognitio, locupletiss. testis est Plin. lib. 11. c. 37. Herophilum, qui artem pulsuum primus scripsit, à suis ob subtilitatem esse desertum scribit: vt Gal. libros, quos plerią; contemnunt. De respiratione præclara multa scitu digna, atq; necessaria nobis reliquit, cuiusmodi quę in præsenti tractare debemus. Vnde quasi hortans medicos dixit: existimare oportet bonam spirationẽ. Diuiditur aũt id totum, q. dicit Hipp. in duas partes, prout etiã diuisit Gal. vna pars est de respiratione difficili siue mala, pars vero altera est de facili respiratione. Difficilis & malæ respirationis tres tantum differentias facit, frequentem, magnam & frigidã: de quarum vnaquaq; vidẽdum est, qnid nos doceat Hipp. ad rerũ naturam pertinens, tũ etiam ad vsum artis. Nam totus hic locus locupletissime, & diserte satis habetur à Galen. tractatus lib. 3. de diff. resp. vt ipsemet testatur. Sed antequã vlterius progrediamur, dubitabit quis, cur Hipp. tractãs de facie & de decnbitu semper pposuit optimos prauis, vt etiam faciet mox de sudorib. Nunc vero tractans de respiratione præponit prauam, & vltimo bonam docet. Præterea quæstione dignum est, quia cũ multę sint differentiæ malæ respirationis, Hipp. alias tres solummodo recensuit? Ad primum respondendum est, optimam faciem, vt dicit Hippo. 6. epid. sect. 2. tex. 34. in magnis morbis semper esse optimum signũ, & cõtrariam etiam in paruis esse malũ signum. Haud tamẽ ita est, de facili respiratione, q̃ interdum in morbis magnis nil boni significat, vt in tetano in apoplexia, in epilepsia, & ,ppterea nõ est id mutuũ q etiam de optimo decubitu & de optimo sudore dici potest. Vel respondendum, nil referre, siue postponatur optima respiratio, siue non, quoniam ex ipsa possunt cognosci malę respirationes, vt facies, decubitus, & sudor. Ad secundũ dicimus Hipp. breuitatis semper vsq; adeo studiosum fuisse, vt vbi videt ingenia ex vna re ,pposita alias per se posse percipere, non curet illas recensere. Quare cum intelligeret, auditorẽ ex his paucis differẽtiis reliquas percipere posse: eapropter has tãtum nobis proponere voluit. Dicit ergo primum, frequentem spiritum significare πόνον, id est, laborem in partib. supra septum transuersum. Circa quę verba illud notandum est nomen πνεῦμα, id est, spiritum, vt docet Galen. & hic, & 1. de acut. 32. significare totã respirandi functionem, imo addit sic Hippo. in prognost. esse locutum, & lib. 4. de acut. 54. clarius dixit, nomine spiritus intelligere, tam inspirationem, quam exspirationem, ex quibus duob. tota respirationis cõstitutio facta est. Iam vero vt respiratio fiat breuiter ex iis, quæ Gal. sparsim in plurib. elegãtissime docuit, nunc vobis proponendum, vt cognito quomodo fiat, & quomodo lædatur, positis & intelligere, quanto iudicio Hipp. præsentem doctrinam reliquerit. Itaq; ad efficiendam hanc operationẽ, quę omnium est maxime necessaria, ad animalium vitam faciendam (cum vt ait Gal. lib. de vsu respirat. inseruit nutritioni, & attemperationi) spiritus vitalis & animalis, necnõ expurgationi caloris natiui à fuliginib. quatuor causæ contentiuæ concurrunt, efficiens, materialis, finalis, & organica. Efficiens causa est facultas motrix thoracis, quæ vtrum voluntate, an natura moueat dubitatũ est. Ego autem semper existimaui vtroq; modo. Quod enim voluntarie, probat Gale. exemplo illius barbari, qui retinendo spiritum sese strangulauit. Quod etiã natura ,pbatur: quia noctu respiramus quo tẽpore voluntaria facultas penitus otiatur. Materialis causa nihil aliud est, nisi ipsemet spiritus, tam inspiratus, quã exspiratus. At finalis duplex est, quẽ siue vsum, siue finẽ dicamus, nihil refert. Vnus est attrahẽdi aerem purum externum ad cor refrigerãdum, ne irrequieto motu incendatur. Al-

Actiones vitales duplices.

Difficilis respirationis quot differentiæ.

Respirationis quæ causæ.

ter est educendi eas fuligines quæ necessitate quadam in fabricando, & perficiẽdo sanguine in corde suborinntur. Postremo vero organicæ seu instrumentales causæ (nã actiones formali causa carent) cõplures sunt: Prima pulmo, ꝑsertim aũt est diaphragma sine septum transuersum, qui vbi respiratio fit, secundũ naturam, & absq; vlla violentia sufficit. Vbi aũt respirandi actio intenditur tunc musculi quoq; intercostales operantur. Sed si adhuc magis respiratio augeatur, tunc etiam alti musculi cooperantur, quemadmodũ vbi nos quiete ambulamus, septum transuersum facit respirationem secundum naturam. Vbi vero diaphragma sufficere nequit, coauxiliantur intercostales musculi, vt in celeriter ambulantib. Siq; magis adhuc intendatur respiratio, non sufficientib. neq; thorace, neq; musculis intercostalib. operãtur alti, quemadmodum in currentib. & iis, qui violenter exercentur. Atq; hic est modus, quo fit respiratio. Sequitur, vt videamus quot modis lædatur, qui à Gal. hic & in lib. de diffic. respirationis ꝑponitur, quoniam secundum tempus, secundum magnitudinem, & secundum qualitatem læditur. Secundũ tempus, quando interualla respirationis sunt longiora vel breuiora, quo tempore dicitur respiratio tarda vel frequens. Secundum magnitudinem aũt læditur, quia videtur magna, & nõ est, vel videtur & est. Magna videtur, nec est. Etenim ꝙ videatur, vel nõ videatur magna respiratio, facit systole, aut dyastole ipsiusmet thoracis. Quod aũt sit vel nõ sit, ipsa actione intelligitur. Etenim in iis qui currunt & immoderate exercentur non solum apparet, verum etiam vere est magna respiratio. Quæ vero apparet nec est, duplex est: Vel. n. ob obstructionẽ, & non secundum motũ, vt in pulmonariis siue pneumonicis. Etenim mouetur quidẽ in his thorax. Sed cũ non sufficiat secundũ vsus exigentiã, tunc ẽt alti musculi mouentur, sicq; apparet magna respiratio, vbi tertium genus musculorũ operatur. Non est aũt secundum veritatem, quoniã vsus non impletur: etenim cum supponatur obstructio bronchiorũ pulmonis, vbi trãsitus fit spiritus, secundũ quem ad cor fertur. Nam bronchiis obstructis non fit conductio spiritus ad cor. Et hinc fiunt fuliginosa excrementa cũ occlusæ, & obstructæ sint pulmonis viæ, & vsus nõ expletur, atq; sic ꝑpter obstructionẽ vel ꝑpter imbecillitatẽ musculorũ thoracẽ mouentium videtur magna respiratio, sed nõ est. Tali modo, certe diaphragma operatur, atq; ẽt robuste, sed vsus nõ expletur. Vnde mouentur quoq; musculi intercostales, ꝙ si etiã ipsi vehementer moueant, ita vt sic vsui suppleatur ob vsus necessitatem, musculi alti, & ipsi fortiter mouẽtur. Quod si neq; sic vsui sufficit, tertiũ genus musculorum vehementer motũ, apparet quidem magna respiratio, sed vere non est magna, cũ non sufficiat vsus necessitati; motus ẽt vehemens & robustus musculorũ. Cæterum cum tria sint genera differentiarum respirationis, vt visum est secundũ temporis interualla, s. rara vel densa, vel secundũ magnitudinẽ, secundum ꝙ parua aut magna dicitur, necnon secundum qualitatẽ, s. celeris, & tarda: illas ꝑposuit, hanc postremam tacuit. Dicendum est cum Stepha. ꝑpter duas causas differentiam à qualitate dimisisse: vel quia cum prædictis sit, & subintelligitur, vtpote cum magna & densa celeritas cum parua, & rara tarditas; vel dimisit, quia differẽtia secundũ qualitatẽ multo magis diuersa est, ac ꝑpterea egẽs magis exquisita tractatione. Quatuor aũt sunt cõplicationes differentiarũ respirationis, magna & magna & rara, parua & densa, parua & rara. Modo opus est dicere quomodo fiant, & ꝙ signum ab illis cõparare liceat. Et primum dicendum est de parua & densa, quoniã & hanc prius Hipp. tractat. Hæc igitur in partib. respirationi destinatis significant aliquã inflammationẽ consistere, aut vlcerationẽ, aut affectionem aliquã rheumaticam. Cum ergo sciamus, quid significet hæc malæ respirationis differentia relinquitur videamus quomodo fiat, & quantum in supposita affectione magna debet fieri respiratio. Etenim magnã respirationem cum maximo thoracis motu fieri certum est. Magnus autem motus, magnam materierum facit fusionẽ. A fusione aũt augentur fluxiones, quib. auctis necessario dolores suboriuntur. Vnde qui huiusmodi sunt affecti parcentes sibi ipsis haudquaq; magnam exspirationem edunt, ne ipsorum dolores incrementum suscipiant, sed paruam respirationem faciunt.

Modus respirãdi modus.

Quot modis respiratio lædatur.

Cæterum densitate satagunt, vt q̃ paruitate omittunt, densitate vsus necessitati satisfaciant, & præcedit quidem parua respiratio, deinde subsequitur densitas, atq; hæc de prima prauæ respirationis differentia. Secunda autẽ proposita est ab Hipp. magna, & quæ fit tum in currentibus, tum in iis, qui sese vehementer exercent, tum maxime in acute febricitantib. Etenim cum magna nõ sufficiat ob vsus exigentiã, satagit densitate vt suppleat, sicq; præcedit magnitudo, & subsequitur densitas. Tertia differentia respirationis difficilis, & prauæ, est magna & rara, quæ fit in phreniticis: quippe qui, cum animum circa phantasmata occupatum habeant obliuiscitur propriarũ functionum, sicq; thoracem ad faciendam respirationem haudquamq; mouet, sed vna, altera, & tertia motio præteritur, & in hoc temporis interuallo retardat; vnde rara fit respiratio. Sed quoniam respiratio nobis adesse, atq; viuere necessaria est, tandem animus reminiscens propriarum functionum, q̃ respiratione detractum est, in interuallo, tarditate conatur magnitudine cõpensare; ac propterea magnam facit respirationem, q̃ quoq; cõtingere animaduertitur in mœrentib. ob eandem causam, quippe cum anima rationalis circa tristes phantasias occupata quasiq; propriarum operationum oblita, vnam vel alteram atq; etiam tertiam dimittet motionem, donec in se rediens, q̃ deficit in temporis interuallis, resarcire nititur magnitudine, sicq; magnam respirationem, & arduam facit, quæ Græce στεναγμὸς, à Latinis suspirium vocatur, hocq; fit non modo, vt restauretur deficiens, verum etiam, quia præ raritate cumulantur in cor fuliginosa excrementa, quæ deinceps opus est celeriter expellere per exspirationem, quæ est suspirium, & rursum introducunt purum aerem, sicq; fit rara, præcedit autem raritas, & post redit magnitudo. Quarta autem difficilis respirationis differentia est parua & rara, q̃ quidem pessimum est signum, quoniam extremum casum significant, atq; imbecillitatem facultatis motricis, necnon extinctionem refrigerationem, ac mortificationem caloris natiui. Atq; sic habitis signis ex difficultate respirationis cõsequenter habebuntur, quæ à facile respiratione trahuntur. Modo singulatim videnda, atq; examinanda sunt ipsamet Hippocr. verba.

Πνεῦμα δὲ πυκνὸν μὲν.

Spiritus densus.

Dubitant hic nonnulli, nec immerito, quomodo Hippocra. qui hic artem prædicendi profitetur, hæc signa commemoret, quæ non prognostica, sed potius diagnostica sunt, hoc est, non futuram, sed præsentem affectionem significant; ac respondent Hippocr. dixisse initio medicum debere prædicere non solum futura, sed etiam præsentia. Verum hic Hippoc. nec prædicere præsentia docet, sed ipsum medicum ea cognoscere. Ergo melius est dicamus, quæ hic docet Hippoc. pro cognoscendo dolore, & inflammatione omnia eo dirigi, vt ex hisce deinceps queat prædicere salutem, vel mortem. Dicit autem Hippocr. spiritus densus siue creber, & tamen intelligendus etiam est paruus, vt optime Galen. monet, quoniam vix reperiatur, q̃ sit solus densus spiritus, imo in Coac. prænot. vbi hæc eadem habentur, clare apponitur dictio parua, inflammatio Græce est ἡ φλεγμονὴ. Est autẽ φλεγμονὴ apud Hippocr. non modo tumor quilibet calidus, & præsertim sanguineus, verum etiã ipsamet incẽsio, & ardor, vt plerisq; in locis, & presertim hoc in loco adnotauit Gal. quo nomine accipitur hic φλεγμονὴ, s. & pro tumore, & pro incẽdio. Quomodo vero significet vtrunq;, parua & densa respiratio, facile cõprehenditur, si animaduertatur oẽs dolores sedari vel saltem mitigari quiete, exacerbari vero motu. Vnde cũ pulmones irrequiete moueantur, atq; alia instrumenta respirationi deseruientia, fit vt ad cauendũ dolorem natura parcissime moueat, ac propterea fiat parua respiratio, sed cũ vsus exigat multã aeris attractionem magnitudine suppletur crebritas. De inflammatione vero ita sentiendũ, magnum & crebrũ fieri spiritum non modo ob vsus necessitatẽ, verumetiã ob virtutis robur, quæ crebritate & magnitudine sufficit vsui. Et licet possit interdũ ob aliquam facultatem thoracẽ mouentis imbecilli-

Dolores oẽs quiete mitigantur: motu exacerbantur.

imbecillitatem fieri parua & rara respiratio, id tamẽ perrarum est. Hipp. vero contemnit sæpe quæ raro eueniunt, curat antem quæ frequenter, & quasi semper contingunt. Sciendum Hipp. hic tacere paruitatem, & magnitudinem, contentum dixisse densitatem, quoniam ex his etiam, dolore s. ac inflammatione facile diligens Lector potest duas dictas doctrinas intelligere.

Μέγα δὲ ἀναπνεόμενον ᾗ διά.

Quæ vero magna.

HÆ ẽ certe est tertia differentia prauæ respirationis proposita ab Hipp. quod s. sit magna & rara respiratio, quã dicit significare deliriũ. In coac. addit præter delirium etiã conuulsionem, & iure ab Hipp. hic dimissa est cõuulsio, quia eiusmodi spiratio esse potest sine conuulsione, & conuulsio sine ipsa. Haud tamẽ sic est de delirio. Nam in Epid. lib. habetur Silenum Philiscũ, vxorẽ Dealcis habuisse respirationẽ magnã & raram, ac delirasse & obiisse. Sola pene Dromadæ vxor cum simili spiritu obiit delirans, & conuulsa, & 4. Epid. vxor Nicostrati delirauit, & tamen habuit spiritum paruũ ac densum: sed erat copulatus dolor, qui vincebat delirium. Et fortan Hipp. adnotauit, vt casum rarum. Neq; refert dicamus ἀέρ, vt in Coacis, vel διὰ πολλοῦ χρόνου, vt hic. Vt aũt hæc respiratio magna & rara deliriũ significet, explicatum fuit a Gal. 5. & 7. c. lib. 2. de diffic. resp. quando diximus delirantib. ob feb. acut. de quib. hic loquitur, semper adesse magnum incendiũ, ac propterea vsum requirere multi aeris frigidi attractionẽ. Verum cum animus sit alienus, sæpe obliuiscitur huius actionis. Vnde interdum duas vel tres motiones dimittit, sicq; rarã spirationem facit. Cum vero vsus, & necessitas magnæ sint, oportet, vt frequentia suppleatur magnitudine, sicq; respiratio magna efficitur. Quare magnus spiritus potest etiam dici longus, vt cum 6. Epid. frequentium oscitationũ remedium est longa respiratio, vel cum multus aer subito attrahitur, & multa fuligo extrahitur. Sic lib. de internis passionibus ἀναπνέων πολλὸν πνεῦμα ἀθρόον.

Ψυχρὸν δὲ ἐκπνεόμενον.

Frigida.

HÆc eadem verba præcise habentur in Coac. prænotionib. ita, vt iudicandum sit ipsa esse genuina, & germana Hipp. quia sunt repetita. Omnes fere Interp. & maxime Gal. putant Hipp. hic aliam malæ respirationis differentiã proponere, nimirũ paruã & raram. Et ego quoq; sum huius sententiæ. Hæc aũt respiratio cum sequatur caloris natiui extinctionẽ, & facultatis motricis imbecillitatẽ, iure etiã facit, vt spiritus, qui e narib. efflatur, frigidus ipso sensu percipiatur. Ac propterea exitiosissimũ sit signum, quia calorem esse pene extinctum significat. Cæterum hic multa pulcherrima occurrunt contemplatione digna. Vnum est, cur Hippo. non proponat ẽt quartã prauæ respirationis differentiã, s. magnam & frequentẽ contrariam huic frigidæ respirationi, quam diximus esse paruã & raram. Præterea videndum est, cur potius voluerit hanc respirationem frigidam appellare, quam paruam & raram, & cur Hipp. meminit prius frigidæ exspirationis ex naso. Amplius dubitatur, quomodo fieri possit, vt in febr. acui. frigida fiat exspiratio? siquidem in omni febre necessario cor flagrat, & cũ exspiratione ducuntur fuligines genitæ in corde si illæ ex fornace ardente exeunt, quomodo frigidæ esse possunt? Postremo dignũ est inquisitione, vtrũ quemadmodum in febre fit respiratio parua & rara, sic possit fieri priuatio respirationis, cuiusmodi fieri in pfocatis ab vtero docet Gal. lib. 6. de loc. aff. Circa primum, puto ego Hipp. dimisisse hãc magnæ, & freqnẽtis respirationis differentiã, quia non fit in morb. acut. vel, si fit, modicum durat: at in sanis corporib. currẽtib. vt sunt canes, & equi magnum, & frequentẽ ducunt spiritum, quoniam virib. multum valent, & necessitas respirationis multum viget. In morb. acut. non adest tanta vis, quod, si interdum appareat talis respiratio, id fit in morituris, & parum durat; ita, vt paruam medico præbeat facultatem iudicandi, & idcirco ab Hippoc. prætermittitur.

Sed

Sed cur potius eam vocarit frigidam, quam paruam & raram, ratio est, quia erat admodum facile, & notissimum omnibus vulgaribus, paruam & raram respirationem esse pernitiosam, cum qui proximi sint morti sic spirent. Sed quod spiret aliquis frigidum, est rarissimũ, & à paucissimis obseruatur. Ideo Hipp. qui se a vulgo semper abstraxit, maluit hanc respirationem frigidam appellare, quam paruam & raram. Similiter cur potius meminerit respirationis ex naso, quam ex ore: puto ego, Hipp, hoc fecisse, quoniam spiritus qui à pulmonib. effertur per nares facilius longiore illo ductu refrigeratur, quam si ore ducatur. Nam & Arist. 33. probl. sect. parte 10. in fine, dicebat rarius sternuere habentes nares longas, quam breues, quoniam spiritus in iis refrigeratur prius quam efflctur. Fieri enim sternutamentum concalefacto, non refrigerato spiritu. Imo vero equi concitati currentes ex ore, naribusq; tepidos spiritus solent exhalare, cum tamen ore pene ignem spirent. Id. n. comparatũ est à natura, vt statim atq; spiritus se miscet huic aeri, quantumuis feruidus sit, refrigeretur. Est & alia ratio, quod fuligines fetuidæ, quæ vna cum aere attracto emittuntur magis effluunt ab ore, sicq; illum calidum retinent, quam a naribus. Sic etiam fit vt dicebat Arist. 34. sect. problem, vt ob id lingua in febrientib. & nõ nares nigrescat, quia fuliginosus halitus ex pulmonib. emanãs per os, exit copiosa, & fuliginib. infectior, quam è narib. Sed video statim dicturum esse aliquẽ, quomodo Arist. in eadem problem. sect. dicat, nos halitum ex ore tum calidum, tũ frigidum reddere, vt manu ori admota intelligitur.

Sternutatio vt fiat.

Respondendum est eum locum potius mihi fauere, siquidem quod scribit Aristot. manifeste monstrat semper halitum suapte natura esse calidum, veruntamen sentiri calidum vbi, priusquam exeat in manibus concauis concluditur. Sentiri autem frigidum vbi aeri externo immixtus, eumq; mouens facit vt illius frigus, siue tepor sentiatur. Nam aer motus semper magis afficit sensum, quam quietus. Possumus etiam dicere cerebrum inspirare, & exspirare, vt probat pluribus rationib. Gal. lib. de vsu respir. cap. 5. & lib. de instrum, odorat. cap. 6, vnde qua ratione fit à corde per os frigidus spiritus, sic etiam à cerebro per nares. Quamquam hac de re & dubiũ est alias tractandum, an scilicet cerebrum respiret, de quo dubio plura Cardanus in hisce commentariis.

Ad illam dubitationem quomodo f. in febribus acutis possit fieri habitus frigidus respondendum est, primum habitus frigidos dici non eos, qui actu vere frigidi sint, quia in corpore viuente hoc fieri non potest cum spiritus sit corpus feruidissimum omnium, quæ sunt in corpore, vt scribit Galen. 1. de polent. natural. & Hippocr. lib. de carnib. & Auicen. 2. collig. cap. 2. & 3. & Auicen. 1. part. d. 4. c. 2. Verum dicitur ille, qui est parum calidus seu tepidus. Fieri autẽ eiusmodi potest plurib. de causis; vna est frigiditas ipsius cordis, seu illius tepor. Nam Galen. 3. de præsag. ex puls. cap. 2. 4. 5. docet, manifeste interdum in febrib. tum ob prauos humores, ac frigidos, tum ob caloris natiui imbecillitatem cor refrigerari. Idq; experientia quotidiana probatur in quibusdam febrib. malignis, & pestiferis, in quibus propterea solent obseruari pulsus rari, & sanorum pulsib. similes; nec valent quod isti nõ deberent aerem frigidum cum non egeant. quia non est adeo frigidum cor vmquam quin non sit in eo aliquis calor, alioquin esset mors. Ad hæc requiritur exspiratio fuliginum, ad quam sequitur necessario depressio thoracis, & consequenter aeris frigidi attractio. Alia causa potest esse frigiditas narium, & extremorum. Etenim in quibusdam febrib. ardentib. cor valde flagrat, tamen extrema frigent, & præsertim nasus. Vnde spiritus quoq; inde efflatus necesse est sit frigidus. Stephan. Atheniensis dicit fieri frigidam respirationem ob frigiditatem caloris natiui, à quo cum aer attractus non calefiat, exspiratur frigidas quemadmodum inspiratur. Ad postremum dicendum quamdiu viuit animal, necesse etiam esse, vt respiret, imo si vel tantillum respiratio desinat, ilico concidit animal. Et quoniam respiratio facta est ob cordis refrigerationem, sequitur vt secundum mensuram illius caloris, modo maior, modo minor, fiat aeris frigidi attractio, & respiratio. Vnde verum est quædam

animalia

animalia ob caloris paucitatem, vix reſpirare. Imo vero etiam morboſi aliqui homines, vt mulieres præfocatæ, adeo parum reſpirant, vt nullo modo ab aliquib. putentur reſpirare. Atq; hæc eſt illa ἄπνοια, de qua integrum libellum edidiſſe Heraclidem Ponticum teſtatur. Gal. 6. de loc. aff. c. 5. de quo etiam ſcripſiſſe Empedocl. teſtati ſunt Laert. & Suid. de qua re pluta diximus 4. Variar. lection. cap. 14.

εὔπνοιαν δὲ χρὴ νομίζειν κάρτα.

Facilis autem ſpirandi.

HÆc eſt altera pars, quæ etiam in Coacis habetur, ſed paulo diuerſis verbis, idē tamen ſignificātib. in qua dicebam Hipp. loqui de bona reſpiratione, q̃ vocat εὔπνοιαν: de qua nil aliud dicit, quam ipſam habere vim valde magnā ad ſalutem in omnib. morb. acut. qui ſunt cum febre, & 40. diebus iudicātur. Primum aũt ſcire oportet, q; ſcribit Gal. ab Hipp. εὔπνοιαν: vocari reſpirationem naturalem eam, ſ. quæ fit nil patiēte corde, pulmone, aliisq; partib. reſpirationi famulantib. Imo vero neq; iecur, lien, vētticulus, aliudve viſcus vlla poteſt inflammatione tentari, ſimulq; reſpirationem eſſe facilem, vt ꝓpterea omnib. viſcerib. atq; partib. præcipuis ſine dolore, atq; graui vllo affectu exiſtētibus in febrib. ſeu morb. acut. iure de ſalute valde ſperandum. Et dixit κάρτα μεγάλην δύναμιν ἔχειν, id eſt, magnam vim habere ad ſalutē, quoniam vix cōtingit vnq̃ vllum perire, cui ſit hæc reſpiratio in morbos acutos, cũ febre. Sed video dubitati: cur hic Hipp. voluerit apponere morb. acut. cum certũ ſit de hiſce ſolis in hoc lib. tractari. Præterea cur dixerit, q; fiunt cum febre, & in 40. diebus terminantur. Scio hic varia ab interpretib. proponi, atq; etiam diſputari, nũ ſemper acutis morbis febres coniungantur? Verũ ego puto Hipp. hic tantum loqui de iis morb. acut. qui ſunt cum febre, & terminantur 40. dieb. Hi. n. morbi, cũ ſint quodammodo medii, inter vere acutos atq; diututnos, ac interdum febres ſemper comites habeant, interdũ non, iure eos tanquā diuerſos ab acutis veris, de quib. tractat cōmemorare voluit. Etenim in diuturnis morbis facilis reſpiratio, aut nullius, aut exigui eſt momenti ad ſignificandā ſalutem, cum & cũ difficultate reſpirationis ſetuentur, ſæpeq; & cum facilitate moriantur. Verũ ſecus eſt in iis, qui acuti exiſtentes, & cum febrib. in 40. dieb. iudicātur, in quib. videri poſſit facilitatem reſpirationis, vt in diuturnis, paucam aut nullā habere vim ad ſalutem, cum tamen ſecus ſit, tum obſeruatione ab ipſo facta, tum ratione, q; ſ. in his febrib. quæ ex vere acutis deciderunt ſalutare ſit, nullũ vitium in viſcerib. ac præcipuis partib. eſſe relictũ. Sed dices, ergo in vere acutis hoc non eſt verũ. Imo tanto magis in ipſis. Sed Hipp. eos tacuit, quia q; dictũ eſt de hiſce, tanto magis dicendũ eſt de vere acutis. Sed hiſce, & illud addendũ, non modo facilem reſpirationem eſſe ſignũ ſalutis, vetũ etiam quodāmodo eſſe cauſam, quia vbi facile ſpiratur, facile etiā, & cōmode nutritur ſpiritus vitalis optimeq; calor natiuus in corde expurgatur à fuliginib. vnde fit, vt nō modo etiam præternaturalis calor poſſit refrigeratione ex reſpiratione emendari, verum etiam coctio, quę fit caloris natiui ope, melius celebrati; vnde quaſi duplici ratione fit ſalus à reſpiratione facili, q; tamen in febrib. peſtilentibus minime verum eſt, in quib. facili reſpiratione, cum aer impurus, & morbidus attrahitur, poteſt quidem bonum ſignificare, ſed poteſt etiam malum cauſare, tum in corde, tum in ipſo cerebro, quod iam diximus reſpirare, & quemadmodum pulmones, & cor, frigidum aerem in ſeſe trahere.

οἱ δὲ ἱδρῶτες ἄριστοι μέν εἰσιν.

Sudores optimi.

POſtquam ſupra egit de ſignis quæ capiuntur ab actionibus læſis, nunc de iis, quæ capiuntur ab excrementis mutatis, inter quæ cum etiam ſudor connumeretur: de eo potiſſimum agit, quoniam in morbis acutis maximam ad ſalutem, atque mortem vim habet, & præterea valde cognoſcitur. Eſt enim ſignum vniuerſale totius corporis. Diuiditur autem hæc tractatio in duas partes præcipuas, in prima agit de optimo ſudore: in ſecunda, de aliis qui deficiunt

deficiunt ab eo, quorum quoq; plures gradus proponit, de quibus sigillatim tractabimus. Præponit autem Hipp. optimi sudoris sermonem aliis, vt de facie, & decubitu, quoniam hic in omnib. morbis semper bonus est, & vt signum, & vt causa. Vt signum, quia significat robur facultatis naturalis. Vt causa, quoniam euacuans materiam morbificam sanitatẽ adducit. Igitur dicit Hipp. eos esse optimos sudores in omnib. morb. acut. qui fiunt in diebus iudicatoriis, & qui perfecte febrem sedant. Quorum verborum vt exactum aliquod faciamus examen. Primum sciendum circa sudoris generationem, & naturam veteres discrepasse, vt docuit Theophrast. in lib. de sudorib. Alii, n. existimarunt haud secus fieri sudorem atq; pluuiã, aut madorem illum, qui apparet in partib. balneorum qui sicuti fiunt ex vaporib. humidis frigore, vel aeris vel parietum in aquam condensatis. Sic dicebant ex feruore corporis multos concitari vapores, qui per insensiles cutis meatus exeũtes, vbi ad aerẽ frigidum appellunt circa ipsam cutem in aquam vertũtur, quæ sudor, siue ἱδρὼς vocatur. Atq; huius opinionis, vt testatur Arist. sect. 13. probl. 6. fuit author Heraclyt. imo vero omnis secta pneumaticorum, qui omnes effectus tribuebant spiritib. inter quos fuit author lib. de flatib. ipsi Hip. attributus, & posteriorib. tẽporib. Asclepiades, vt habemus à Gal. lib. 2. de potent. naturalib. 13. quamquam ibi de vrina tractabant quam volunt fieri quemadmodum sudorem. Empedocles, vt est apud Plutarch. & Gal. in lib. de placitis Philosophorum putauit sudores, & lachrymas fieri e liquato atq; attenuato sanguine. Plato etiam in Timæo dixit, sudorẽ & lachrymas fieri ex sero, quod sequestratur à pituita recente dũ concrescit. Alii existimarũt sudorem esse serum illud q; sanguini pro vehiculo commiscetur, ex quo etiam fit vrina, q; attenuatum calore, & salsum redditum sua acredine stimulãs facultatem expulsiuam ab ea foras per cutim extruditur. Sic. n. vt narrat Arist. 1. c. 2. lib. meth. aliqui antiqui appellarunt mare sudorẽ terræ q; ea calcfacta fiat, atq; salsus sit, quemadmodum sudor. Arist. 3. de partib. anim. c. 5. videtur statuere sudorem esse excrementum vaporis humidi à corpore concalefacto per meatus cutis occultos venulis adapertis exeuntis, vnde etiam & ipse, & Theophrast. narrãt aliquos, quorũ sanguis morbidus & aquosus erat, quandoq; sudorem sanguineum exsudasse, vt etiam confirmauit Galen. lib. de vtil. resp. & iure Arist. eos fuisse morbosos, quia sanus nõ potest ita sudare, vt ob id sudor Christi fuerit miraculosus, quia corpus ipsius semper perfecta sanitate vsum est, vt habemus apud Clement. Alexandr. atq; Suidam. Cæterum idem Arist. 2. sect. probl. 5. quærens, cur sudor salsus sit? quod ad materiam pertinet sudotis, dicit esse excrementum alimenti futuri, vt sanguinis, & alimenti præsentis, vt carnis, efficiẽtem vero causam esse dicit calorem secernentẽ ac segregantem inutile excrementum à sanguine, forasq; propellentem, q; excrementum dicit propterea salsum esse, quia pars dulcis & cocta conuertitur in alimentum, alienissima autem & crudissima partim deorsum lapsa fit vrina, partim in extremas corporis partes transmissa sudor est, ob id est vtraq; salsa, vrina scilicet & sudor. Cæterum Galen. 10. de simpl. med. dixit: Veteres aut nihil, aut superuacanea de sudore scripsisse. Et sane magnopere mirari soleo, quoniam vbi ipse de sudoris natura tractat, nil aliud videtur docuisse, quam id quod scribit Arist. Etenim lib. 1. de tuen. sanit. c. 12. manifestissime docet, sudorem esse illud serum tenuissimum, quod in venis & arteriis pro sanguinis vehiculo continetur violento motu confertim per cutis meatus exiens, id quod etiam alibi dixit, & præsertim libro de atra bile, & simplic. med. cap. de sudore: vbi ait sudoris materiam, & generationis modum esse eundem cum vrina: siquidem vtrique fiunt ex bibito humore excalefacto simul in iecinore, & nõnihil biliosi humoris adepto, quamquam sudor magis sit elaboratus. Quod porro dicebat Diocles, nullum sudorem esse naturalem, sed totum esse violentum, vt narrat Gal. 1. aph. 15. & lib. de sympt. different. in fine, verissimum est, & si Galen. dicat esse duram opinionem, & præter rerum euidentiam. Siquidẽ vbi corpus naturaliter se habeat, ac optime functionib. naturæ vtatur, serum illud à calore natiuo attenuatum insensibiliter per occultos cutis meatus dissipatur, atq; hæc in

Mare, sudor terræ.

Sudor cur salsus.

non

non morbosis. Morbosi vero sudoris quatuor sunt genera causarum, effectrix, s. vel contentrix debilis vel exigua siue irritata, vel caliditas colliquans: Materialis causa est omnis humor, siue potius ichor humorũ, vt ex colore, gustu, & odore cognoscitur. Instrumentalis causa pori cutis. Finalis est, vel δυσφορία, vel εὐφορία. Vnde qui vi morbi, balneis, laborib. aliisq; similib. de causis fiunt sudores haudquaq̃ secundũ naturæ legem eos fieri est dicendũ, sed potius violentia quadã. Neq; propter hoc dicendum est, non posse vnq̃ sudores iuuare, quoniam & aliæ pletæq; euacuationes à natura vi factæ magnam interdum vtilitatem adferunt, cum materiæ, & humores noxii attenuati per ipsos corpore pelluntur. Quamquã Gal. vere 3. de crisib. haudquaquã inter præcipuas crises connumeret sudores, imo vere neq; inter secundas. Sed dicetis, quomodo ergo possunt esse illi sudores optimi, & prædici, vt Hipp. in præsenti contextu dicit? Respondendũ est, non posse cognosci hos, nisi ab effectu, quando, s. facti sunt die critica, atq; morbũ abstulerunt, tunc. n. signum est naturam irritatam, atq; materiam præparatã inuenientem per cutis regionem perfectè eã euacuasse. Vnde iure merito Hippocr. etsi poterat alias conditiones optimi sudoris proponere, id facere noluit; quia hi duo quasi characteres sufficiunt ad testãdam ipsius bonitatẽ. Quamquam dicat Gal. & vere ad has duas conditiones sequi etiam tertiã, vt s. sint vniuersales, hoc est, per totum corpus diffusi. Quomodo. n. febrem, quę est morbus vniuersalis tollere possent, nisi totius habitus corporis quoq; euacuaretur? pari quoq; pacto sequitur & quarta, vt s. sit calidus. Etenim Hipp. breuitatis studiosus, non solet cõmemorare ea, quæ sequuntur necessario alia, ab ipso ꝓposita. Sed dicetis, cũ sæpe reuertantur, nec possit sciri statim vere, an sit solutus, quomodo ergo cognoscemus an sit optimus? Dico ꝓpterea Gal. huiusmodi crisen non posuisse inter præcipuas, quia non est ita firma. Attamen potest aliquo modo cognosci, & prædici optima. Vel dicẽdum, si fiat in die critica esse eam coctionem, quæ securitatem iudicii significant.

Ἀγαθοὶ δὲ καὶ ὁκόσοι διὰ παντὸς.

Boni vero quoq; sunt.

Dicebamus ex Galen. & si Hipp. duas tantum attulerit, optimi sudoris conditiones, esse tamen alias duas subaudiendas, ita vt quatuor sint, q̃ fiat in diebus criticis, q̃ penitus tollat morbum, q̃ sit per totum corpus, & q̃ calidus sit, huiusmodi. n. sudor signum est naturæ bene & ordinate ac tempestiue operantis. Vnde illi sudores quib. deficit vna, aut plures ex hisce cõditionib. etiam ab optimis deficiũt. Atq; de his tractans nunc Hipp. plures ipsorũ gradus, aut ordines facit, prout s. vna vel plures, aut meliores, deterioresve conditiones desunt. Et 1. ordo est quãdo solũ ea conditio deficit, vt tollãt penitus morbũ & si leuant. atq; huiusmodi sudores inquit Hipp. esse bonos, q̃ minuant morbum, non optimos, quia nõ tolluntex toto. Quod si neq; tollant, neq; imminuant, ita vt æger non facile morbum ferat, inquit Hipp. non esse, λυσιτελέας, id est, non prodesse; quasi dicere velit non esse ita bonos, & si fiant dieb. criticis, quemadmodum sunt illi, qui vel tollunt morbum, vel saltem leuant ægrotantes.

Κάκιστοι δὲ οἱ ψυχροὶ τε καὶ.

Pessimi autem sunt.

Hactenus Hipp. locutus est de iis sudorib. qui optimi sunt, aut boni, aut saltem non mali οἱ λυσιτελέες. Superest vt loquatur de malis. Et quia horum etiam plures gradus facit, sicut antea proposuit optimos, sic nũc ꝓponit pessimos. Vnde licet videre quam admirabilis sit Hipp. in faciliter & ordinate dicendis reb. Diuiditur tota hæc pars in tres particulas, quarum vnamquamq; sigillatim explicabo. Dicit 1. sudores pessimos esse frigidos. Nam supra dictũ est sudores optimos habere quatuor, s. vt sint calidi, vt sint per totum corpus, vt fiat in die critica, & demũ vt morbũ tollãt, vel minuant: si ergo pessimi sudores optimis contrarii sunt, totidem cõtrarię conditiones in ipsis requiruntur, s. vt frigidi sint nõ calidi, vt sint in parte corporis non in toto; vt non fiant in die critica, vtq; non tollant, neq; iuuent morbum. Ex *Sudores qui pessimi.*

 his

his cõditionib. Hipp. primnm accipit, ꝙ ſint frigidi: quod vt intelligatur, videndũ eſt qua ratione iſti fiant, & quare peſſimi omniũ ſint. Circa 1. Ariſt. 2. part. probl. 35. q̃rens rationem, ꝓpter quã calidi ſudores frigidis meliores ſint, inquit eſſe, quoniã calidi indicant minus excrementi abundare, frigidi vero plus. Siquidem ꝙ minus eſt, facilius incaleſcit, & coquitur, q̃ quod plus: copia aũt maior excrementi facit morbos longos. Itaq; id verũ & conſonum eſt illi ꝙ Hipp. & hic, & 4. aph. 37. dicit in placida febre ſudores frigidos morbi longitudinem ſignificare. Cęterum in acutis, de quibus loquitur Hipp. alia eſt ratio, quandoquidem cum magnũ ſit incendium in corpore, opus eſt, vt ſudores frigidi fiant, quoniã contracto calore ad interna, deſertisq; ab ipſo extremis ſudor, qui exit frigidus eſt ob caloris implantati paucitatẽ, quæ cum ſit exitialis, ẽt neceſſe eſt frigidi ſudores mortẽ ſignificent. Verum dices, quomodo ergo poteſt fieri expulſio ſudoris, ſi calor pene extinctus eſt, & facultas expulſiua ſimilirer emortua? Dicendũ eſt in his caſib. fieri ſudores, tum quia corporis extima ſuperficies laxa, & dilatata eſt, tũ quia ſimul facultas contentrix ꝓſtrata eſt. Etenim inter alias cauſas morboſi ſudoris Stephanus hanc quoq; iure poſuit, quẽadmodũ & Hipp. infr. vt ob id ſudores huiuſmodi omni ex parte ſint exitiales.

περὶ τὴν κεφαλήν.

Circa caput.

HÆc eſt ſecunda particula, in qua Hipp. docet peſſimos eſſe illos ſudores, qui circa caput duntaxat fiunt, prout econtra optimi erant qui per totũ corpus emanabant. Ratio aũt cur huiuſmodi ſudores ſunt vſq; adeo praui, eſt, quia ſcribit Hipp. 4. aph. 38. vbi ſudor, ibi morbus. Sudor eſt in capite: ibi igitur ẽt morbus erit, Ægrotare aũt partẽ ſacrã, & pręcipuam corporis, qualis eſt cerebrũ, exitioſiſſimũ eſt. Cæterum vt hoc totũ intelligatur animaduerſione dignũ eſt, quia non videtur rationi cõſonum deteriorẽ eſſe ſudorẽ vnius partis, q̃ totius: quoniam ſi verũ eſt, ꝙ ſcribit Hipp. 4. aph. vbi ſudor eſt, ibi etiã eſſe morbũ, videtur vbi ſudat totũ in toto eſſe morbũ. Iam vero quis negabit melius eſſe vnam tantũ laborare partẽ, q̃ totũ? Præterea Ariſt. 2. ſect. probl. 4. 10. 17. ſcribit partes ſuperiores, vt faciẽ, magis ſudare q̃ inferiores ꝓpter quatuor cauſas, quia calor ſurſum fertur, & humores ſecũ ducit: quia ſudor fit à ſpiritu, qui ſurſum fertur; & quia materia ſudoris, ſ. humor crudus maxime eſt in capite, vbi eſt intẽperies humida. Et demũ qnia partes illæ, vt facies, ſunr laxiores. Iam vero dicebat Hipp. in morbis minus periclitari, quorum naturæ conſuetudini, ætati, &c. conuenit morbus, q̃ quibus non conuenit. Poſtremo dicit Ariſt. in ead. ſect. probl. 6. ſudores capitis, ant nihil fœtere, aut minus reliquis partib. quoniã caput eſt magis perſpirabile cæteris. Dicendum eſt ad 1. argument. ſudorẽ dupliciter conſiderari poſſe, vel ſecundũ cauſam materialem, vel ſecundũ cauſam effectricẽ. Si conſideretur ſecundũ cauſam materialẽ, plane ſudor vnius partis ſemper eligibilior eſt q̃ totius corporis, quia indicat multo minorẽ eſſe materiam, q̃ cũ ſit in toto. Sed ſi cõſideretur ſecundũ cauſam effectricẽ, ſecus eſt, quia vbi ſudor fit in roto corpore, ſignificat calorẽ naturalẽ eſſe robuſtũ, ꝙ poſſit humores noxios educere: vbi vero fit in vna parte tantũ, indicat eundẽ calorẽ eſſe debilẽ cum ex vna parte tantũ expellat. Hipp. aũt dũ dixit hos ſudores eſſe peſſimos, cõſiderauit ipſos ſecundũ cauſam effectricẽ. Ad Ariſt. dico ipſum loqui de ſudorib. ſanorũ, Hipp. aũt de morboſis. Quod aũt circa pectus non ſit malus, ratio eſt, quia optimũ eſt ibi eſſe calorẽ, & expulſiuã validã. Sed adhuc inſtatur, quia *ἀγωνία* eſt affectus nõ naturalis: atqui dicebar Ariſt. 2. probl. 31. in ea pedes, & non caput ſudare, quoniã refrigerãtur partes ſuperiores, & pedes laborãt. Dicendũ *ἀγωνίαν* eſſe affectũ non morbũ, qui eſt timor in opere inchoando, vt ibid. Ariſt. Sed quonã pacto Hipp. putar vſq; adeo malũ eſſe morbũ longũ, vt mors? cõparat. n. morbo longo mortẽ. Dicendũ Hipp. hoc non dixiſſe, ſed voluiſſe morbos lõgos non ſolũ plerunq; ita exercere homines, vt æq; illos odio habeãt, ac mortẽ, ſed etiã quia, vt dicebat Gal. raro fit, quia in morbis longis cõmittarur error. Errores aũt morbos exitiales pariunt; adeo, vt idẽ fere ſit morbus longus, ac mors. Inquit tandem Hipp.

Καὶ οἱ

Καὶ κατὰ πᾶν τὸ σῶμα.

Et qui per totum corpus, &c.

IVratem hanc dictionem non esse suo loco positam, quia nuper dixit Hippocr. pessimos esse sudores qui fiunt in capite, ceruice, ac facie. Ad quid ergo repetit hæc eadem? Quare puto ego hanc partem coniungendam esse cum particula de sudoribus frigidis, quasi dixerit Hippo. pessimos esse illos sudores, qui frigidi sunt, siue per totum, siue per partes.

οἱ δὲ κεγχροειδέες καὶ μοῦνον.

At vero milio sim.

RAtio postulare videtur, vt quemadmodum diximus ex Hipp. optimos sudores esse, qui in dieb. criticis fiunt, in toto corpore, calidi, & morbum leuāt, sic diceret, pessimos qui frigidi, qui non in toto corpore, sed in partib. qui non in dieb. criticis, nec morbum minuunt. At duas tantum commemorat, aliarum duarum nullam facit mētionem, quoniam certum est vbi sunt frigidi sudores, siue sint in toto, siue in partib. non fieri posse in die critica, & consequenter non posse leuare ægrotātes, siquidē significant caloris natiui summam imbecillitatem, nec non violentū ad partes superiores humorum raptum, q. sane deterrimum est. Igitur iure Hipp. prius duas priores tantum sudoris pessimi differentias tetigit. Post quas duas alias nunc partim malas, partim bonas proponit. Malos sudores esse dicit, qui assimilātur milio, & qui solum fiunt circa collum: Bonos autem esse dicit, qui guttatim stillant, atq; euaporant, q̄ rem vt intelligatis vidēdum est, qui sint sudores κεγχροειδέες, & qui n sint μετὰ σταλαγμῶν, id est, cum guttis, & ἀτμίζοντες, id est, diuaporantes. Gal. in præsenti comment. hanc partem, aut neglexit, aut dissimulauit. Stephan. autē nil aliud inquit, nisi humores à calore febrili fundi, eosq; fusos in superficiem corporis frigidam concrescere in sudorem κεγχροειδῶς tanq̄ ab inanimato excreta. Res antē ita est: cum omnis sudor morbosus, vel expressione, vel excretione, vel relaxatione effluat, fit, vt vel exiens paucus, & relaxationem in guttulas paruas rotūdas formetur, &, cum paucus sit, atq; contentricis impotentiam sequatur necessario prauus est, nempe q, syncopen aut præsentem, aut futuram significet. Sic, qui fluit instar guttæ, & euaporat, cum per excretionem fiat à valido calore bonus est, & valde melior rotundo, ꝑpter tres causas. Vna est, quia in sudore miliari calor imbecillis est, in guttis robustus: secunda est, quia in illo materia non euacuatur, in hoc per vapores euacuatur: Tertia est, q, in illo materia est viscida cum fiat ex colliquatione humidi iam distributi, qui ros vocatur. In hoc est aqua, quæ in vaporem conuertitur.

Καταμανθάνειν δὲ χρὴ τὸ σύνολον.

Considerare porro.

QVod ait Hippoc. his postremis verbis, illud est, oportere considerare duas esse causas mali sudoris, aut corporum exsolutionem, hoc est, facultatis corpus regentis imbecillitatem, aut vehementiam incendii febrilis: sicut enim fit sudor vbi humor colliquatus à contentrice facultate non potest retineri, sic quoq; fit, vbi ab immenso feruore succi, & carnes colliquantur, ac per relaxationem cutis meatus emittūtur. Sed dicet aliquis vestrum, ad quid Hipp. hæc adiecit? & cur dimisit aliū modum sudoris mali, quando ꝰ natura vi morbi coacta exprimit, & excludit sudorem, sicuti videtur docuisse Stephan.? Respondendum est, hoc adiecisse, quoniam non ita certum erat, quomodo sudores circa caput, collum, & ceruicē, necnon miliares sint adeo detestandi, nisi ipse explicuisset ideo esse, quia huiusmodi sudores aut fiunt propter facultatis exolutionem, aut ꝑpter incendii febrilis magnitudinē. Omisit aūt Hipp. excretionem vi morbi factam, quoniam ea comprehenditur sub inflammationis magnitudine. Etenim nulla est vis magis efficax ad producendum sudorem ipso summo calore. Itaq; vt rem summatim concludam, dicere oportet quatuor esse sudorum differentias. Vel. n. sumuntur à qualitate, & natura sudoris: vel à figura, vel à tempore, vel à corpore ipsius ægrotantis. V t aūt perfectā quantum *Sudorū differentiæ quatuor de sententia mea.*

 fieri

fieri poteft theoriam de his habeatis,animaduertendũ eft circa fudotis qualitates. Et primum de vifibilib. Diximus.n.inter fudores effe quofdam flauos,alios liuidos, virides,nõnullos nigros,& Auic.2.4.tr.1.c.70.inter fudorũ colores has differẽtias ponit. Contra hoc funt dubitationes.Primum quia raro (vt in Medicina facienda videbitis) apparẽt ifti fudores colorati,nifi q;(vt inquit Auic.)flaui,&virides aperte perfpiciũtur in ictericis,quia pannos etiã inficiunt. Ratio aũt dubitationis eft,quia dictum eft fupra materiam fudoris effe ichores ipforũ humorum,fiue ipfofmet humores. Quod ita fe res habet cum febres fint fæpiffime biliofæ,deberent apparere fudores colorati,f.flaui vel pallidi,fic in quartanis nigri,& tamen non fiunt.Secundum problema confiderandũ eft de fœtore. Dixi.n.fupra ex fentẽtia Theophrafti ex fudorib.quofdam fieri cum fœtore,quofdam fine;Hoc fi verum eft,iure merito quæritur,cur in febrib.putrid.non apparent frequenter fudores fœtidi. Nam habemus à Gal.lib.5.de fimpl.med.c.15. fœtorem effe perpetuum comitẽ putredinis. In febrib.autẽ putridis femper adeft putredo: ergo etiam fœtor, q; quidem & ipfe Theophr.lib.de fudorib.fatetur dicens,fœtidum odorẽ femper putredinem fequi. Circa qualitates guftabiles,id eft,circa fapores dubitatur,vtrũ fieri vnq̃ poffit fudor amarus,vt ibi teftatur Auic.Nã fudor morbofus fit ex humorib.feu ichorib.crudis quemadmodum dictum eft: amarus aũt fapor fequitur aduftionem & coctionem. Ergo nõ videtur fieri poffe fudor amarus. Et animaduertendũ eft, q; talis fudor dicitur amarus vel falfus,nõ q; Medicus gũftare debeat fudores ægrotantiũ; fed, quia vt habetis à Gal.interdũ ægrotãtes inter fudandũ percipiunt tales fapores,quoniã ipforũ ora ingreditur. Quartũ,& poftremũ eft,vtrũ verũ fit, q; Hipp.dicit in coac. fudores in initio femper exitiales effe: fiquidẽ relatum eft à fcriptorib.febrem Anglicam incipere à fudorib.& per immẽfos fudores ægros feruari. Quare falfum eft, q; dicit Hipp.hic,& in Coac.f. fudores in initio in morb. acutis femper noxios effe. Quoad primum, quare fiat, q; frequenter non appareant ifti fudores colorati?Memoria repetendũ eft, q; ab Arift.23.fect.probl.19.& à Plutarch.in quæftionib.naturalib.fcriptũ eft,f.prope mare fieri aquas dulces,quia aqua maris,cũ craffa fit,tranfcolatur per poros terræ,& fit dulcis in littore: pari pacto dicimus nos,non fieri frequenter fudores coloratos, vt dicir Auic. quia licet fudor mixtus fit cũ bile, vel humore melancholico: tamẽ poros cutis pertranfiens,ipfius pars craffior fub cute remanet,vnde neq; flauus,neq; fub aliis colorib.apparet. Et hæc eft ratio, ꝑpter quã plerũq; fieri folet,vt poft fudores in cute pruritus remaneat,quia fudoris pars craffior fub cute relicta,pruritum inducit.Sed quid dicemus de febre quartana? Fateor in ea fieri fudores plurimos,quia fic experientia docet,fed tales non funt ichores ipfius humoris melancholici,fed funt humores crudi. Nam vt habemus apud Gal. lib.de atra bile,fuccus melancholicus vfq; adeo pernitiofus eft calori natiuo, vt illũ perturbet,& hebetet,vnde cibos non concoquit,& multæ cruditates generantur. Sic fit in quartana.Neq; valet, q; 2.in 6.epid.32.& 33.dicit,fanguinem melancholicũ effe ichorofum,quia ibi improprie accipit ichorẽ,nõ pro vero ichore melãcholiæ: Quod aũt hoc fit verum, videatis Hipp. qui 4.de morb.dicere folebat, lienem effe fedem aquæ,non ichoris: quod etiam cognouit Arift.9.fect.probl.5.dicens fanguinem lienoforum effe aquofum. Cum itaq; hic humor crudus, & aquofus fit cũ fucco melancholico,feparatur ab eo,ita,vt plurimus ab huiufmodi corporibus exeat. Nam difficile eft humorẽ melancholicum,cum fit adeo craffus,mifceri cum aqua. Et,fi extrahatur fanguis ab aliquo homine melancholico,ftatim videbitis multam aquam cum fanguine,ab eo feparari, Iure igitur in febrib.acut. non fiunt frequenter fudores colorati. Sed in ictericis fecus eft,quia in iis fudores à cute, quæ illo colore infecta eft,inficiuntur,vt ex pannis ipforũ,& linteaminib.patet.Inficiuntur.n. à fudore. Circa fecundum dubium, q; in febre acuta non fiat fudor fœtidus, vt par effet,fciendũ eft duplicẽ effe putredinẽ. Alia eft,q̃ dicitur humida,ꝑpterea q; coniuncta eft cum humido: Alia ficca:nam fenectus quæ eft ficca,eft putredo ex Arift. lib.de iuuent.& fenect.Humida putredo femper eft coniuncta cum fœtore, & de hoc ibi loquebatur Galen.

Putredo duplex.

Cum

Cum putredine autem ficca minime coniungitur fœtor: imo ligna quædam vetufta dum putrefcunt,gratum reddunt odorem. Eapropter Theophraft. lib. de fudoribus,inquit,adolefcentes femper habere fudorẽ fœtidum propter humiditatem:& Cœlius fcribit,Mofchum,aliofq; Sophiftas vfq; adeo fœtere,vt ab omnibus fugerentur. Sudor autem ipforum adeo fœtebat,quia femper aquam & ficus ingerebant; vnde putredinem humidam maxime congregabant. Quod fi res ita fe habeat,iam videre poffumus,cur fiat,vt nõ femper fudores fint fœtidi in febre putrida,quia putredo illa eft potius ficca,quam humida. Et quamuis fudor fit quidam humor: tamen quia à calore febrili exiccatur,potius cum ficcitate, quam humiditate coniungitur,& hac ratione non putrefcit.Sed poffumus etiam refpondere,fudorem non fœtere in febrib.putridis, quia perfpiratur. Cum enim ad aerem peruenit difflatur. Vnde Arift.dicebat,fudores alarum maxime fœtere, quia manent in loco occlufo,neq; ita tranfpirant.

Vtrum autem fapor amarus in fudore fieri poffit,vt dicebat Auic., dicendum eft,faporem amarum duplici de caufa fieri,vt monet Galen.4.de fimplic.med. Ait enim propter indigeftionem,& cruditatem,vt in omnibus fructib. acerbis,quemadmodum funt cucurbitæ & alii,donec maturefcant: vel per excoctionem. Vnde male Auerrh.exiftimauit amarum faporem calorem præ fe ferre. Quo pofito facile eft videre fieri poffe amarum faporem in fudore,quia etiamfi non per excoctionem fiat,fit per indigeftionem.

Sed quid dicemus de falfo? Dixi in initio ex fententia Arift.& Galen.fudorem fua natura effe falfum. Cur ergo interdum fit dulcis? certe,vt animaduertit Plutarchus in quæftionib.naturalib.nunquam fieri vllos fructus falfos, quia licet arbores aliquæ alantur inter humores falfos, attamen attrahunt ab illis dulces humores, quibus nutriantur. Sic dicere poffumus de fudoribus, falfos fudores fieri dulces, quia illa pars craffa,quæ falfa erat,remanet, neq; cutim pertranfit; tenuis vero fola foras exfudans dulcis eft. Sed aliter etiam dicere poffumus, quemadmodum non folum Plutarchus, fed etiam Caffius 34.problem. dicunt,quod fi aqua marina excoquatur ad tertiam partem,fieri ducem: fic fit in febre acuta, excoquitur ille humor falfus, & fit dulcis. Et fcribit etiam Galen.4.de fimpl.medic.facult. materiam dulcem fi multum excoquatur,falfam fieri,& contra,falfam,fi mediocriter coquatur dulcem. Vltimo ad Hippocr.qui dixit,fudorem in initio bonum non effe, veriffimum eft hoc,quia Hippocr.2.epidem.fcribit: Iudicialia nunquam,neq; debere,neq; poffe in principio apparere,quia iudicialia vera tantum cum coctione fieri debent, coctio autem in initio nunquam apparere poteft. Nec valet, quod Nicodemus in initio fudoris habuit,& curatus eft, quia non folo fudore liberatus fuit, fed etiam per vrinas.

Sed quid dicemus de febre Anglica? Difputatur à Scriptoribus, in quonam genere febrium illa fit collocanda. Ego dico,quia vna die dicunt perdurare, effe ephemeram,neq; effe acutam, licet peftilens effet. Sed, quia Hippocr. in præfenti de febre acuta loquitur,ideo non mirum, fi in illa res aliter fe habeat.

ὑποχόνδριον δὲ ἄριστον μὲν ἀνώδυνον.

Hypochondriorum optimum.

CVR Hippocrates poft fudores tractet de Hypochondriis, videtur abfonum, & à ratione alienum, quandoquidem nihil commune fit inter fudores, & hypochondrium. Stephan.Athenienf.putauit, connectendam effe hanc tractationem cum fuperiori,eo,quod fudor fit fuccus quidam: hypochondrium vero officina, & locus,in quo fucci fabricentur. Sed nugæ funt,quandoquidem fudor non fit in hypochondrio,cum fit effectus, & excrementum tertiæ coctionis. Si igitur vlla eft ratio connexionis inter has tractationes, iurarem hanc effe,ideo fubiunxiffe poft fudorem hanc tractationem, quoniam pertinet quodammodo ad affectus,

seu qualitates corporis mutatas, qui est tertius fons symptomatum, vnde sumuntur prognostica signa in morbis. Diuiditur autem huiusmodi tractatio in duas partes principales, in quarum prima, vt in aliis plerisq; agit, de optimo hypochondriorum statu, in alia agit de malo: quę pars & ipsa in plures diuidetur, pro vt diuersos modos eiusmodi prauitatis proponit. Videamus igitur primam, quæ est, hypochondrium optimum est, &c. Priusquam autem aggrediamur explicationem, dubitari ab ingenioso posset, cur Hippoc. qui est breuitatis amantissimus, nō dixit hypochondrium esse optimum: quod est simile sanis, vt facit in facie? Sed voluit explicare latius illius conditiones: Nam vt sæpe docuit Hippoc. & hic & alibi vera ratio cognoscendi & prædicendi collocata est in cognitione similitudinis & dissimilitudinis ægrorum à sanis, quæ dissimilitudo, vel similitudo attenditur penes actiones, excrementa & qualitates corporum: Cui respondeo, hypochondriorum optimum statum nō ita notum esse quemadmodum faciei: imo cum semper contectum maneat, neq; alio quam tactu & auribus comprehendatur, habet, opus nō solum doceatur, verum etiam exercitatione plurima, vt optime intelligatur. Atq; vt norma ac veluti canon quidam proponatur, ad quem respiciens medicus possit de malo statu iudicare. Etenim non solum in acutis, verum etiam in quibusq; morbis comprehendendis maxime refert, vt medicus diligenter contrectet & consideret hypochondria: Siquidem hypochondria sunt ea tota pars, quę interiacet inter septum transuersum & vmbilicum non tantum externa, verum etiam interna, Vnde sub eo complectuntur omnia quoq; viscera naturalia: & (vt ait Pollux) sic vocantur, quasi sub cartilagine: Cels. & Cœl. Aurel. frequenter vocant præcordia. Sed de nominibus nil curandum: potius autem videndum est, quæ sint conditiones optimorum hypochondriorum, quarum, aliæ capiuntur ex nō inexistentibus, aliæ ab accidentib. & inexistentib. Sunt aūt oēs simul tres, vt hypochondrium sit sine dolore, vt sit molle, vt sit æquale, tam in dextera, quam in sinistra parte. Quod etiā iisdem fere verbis habetur in coacis. Esse sine dolore, est conditio, quæ non solum bona est in hypochondriis, verū etiam in qualibet alia parte, siquidē vbi adest dolor, necesse est, vel adsit intemperies vel continui solutio vel vtraq;, quos morbos esse æq; res malas nemo vnquam dubitauit, adeo vt etiam reperti sint, qui pro euitandis doloribus sibiipsis manus attulerint. Sed, dicetis, cur ergo Hipp. hoc potissimum animaduertit in hypochondriis? Dicendum est non male hoc fecisse Hipp. siquidem in hypochondriis cum sint, viscera cuncta naturalia, in quibus conduntur omnes succi tam vtiles corpori, quā superuacanei, fit vt sæpe inibi sint dolores, modo eximii, modo mediocres, modo parui, & ab ægro ipso neglecti, quib. omnib. carere optimum est, vt ob id medicus nullum debeat contemnere, sed quemlibet & minimum obseruare: ac propterea Hippoc. dixisse iure, debere esse ἀνώδυνον, sic enim inquit Stephanus significari in ipsis hypochondriis non adesse humores vilos acres, non flatus, neque vllam humorum copiam, quæ extendat, æque dolores pariat.

Hypochondriorum descriptio.

Hypochond. quæ conditiones.

Καὶ μαλθακὸν.

Molle.

HÆc est secunda conditio optimi hypochondrii, vt sit μαλθακὸν, id est, molle. Dicitur autem tale, vt ait Galen. quod duro contrariatur, hoc est, vehemēter renitenti, perinde ac si dicamus, molle est quod cedit tactui. Arist. 4. meteor. in fine cap. 4. dicit, durum, & molle esse contraria & tactu iudicari, idq; esse durum, q̄ non cedit in superficie; molle quod etiam cedit in imo. Vnde ait, aquam non esse mollem. Et notandum errare medicos, qui mollitiem explorant solum in superficie. Iam vero cedere tactui est signum, in ipsis hypochondriis, nullum esse viscus durum, tensum, aut male effectum, hoc est, non adesse vllum tumorem præter naturalem, scilicet neq; inflammationem, neq; scirrhum, neq; œdema.

Καὶ ὁμα-

Καὶ ἐμαλόν.

Æquale.

DIcitur enim æquale hypochondrium in vtrisq; partibus, tam dexteris quam sinistris, quod non solum molle æqualiter, verum etiam calidum, ac doloris expers est. Sic enim intelligitur non modo intestina, verum etiam iecur, lienem, aliaq; viscera esse oqtime, & æqualiter constituta.

Φλεγμαῖνον δὲ.

At inflammatum.

POstquam declarauit Hippocr. quodnam sit optimum hypochondrium, & vere sano simile: nunc incipit, quod nam ab optimo decidat, edocere: Atque in primis esse dicit inflammatum: deinde dolore effectum: tertio tensum: quarto inæquales habens dexteras ad sinistras partes, hæc omnia consideranda esse dicens. Quod pertinet ad primum, est Galeni, Stephani, & aliorum sententia, hoc in loco vocem φλεγμαῖνον, non significare proprie φλεγμονὴν, quæ est tumor calidus, durusq;, sed accensionem & ardorem, cui significationi, & ipse attestor, Sed cur Hippoc. apponit hanc conditionem hypochondrio præternaturali, & vitioso; nó apposuit autem contrarium huic f, ἀφλέγμαντον optimo; vt scilicet tribus enumeratis apponeret quartam, nempe inflammationis carentiam? Stephan. hanc difficultatatem subodoratus apponit optimo etiam hanc quartam. Atq; hoc eo maxime videtur esse dubitandum, quoniam in coacis prænotionibus non habetur 4. conditio mali hypochondrii, ἀφλέγμαντον, scilicet, carentiam ardoris & caloris immensi. Sed forsan dimisit, quia vbi sunt tres enumeratæ, nimirum doloris carentia, mollities & æqualitas, ibi quoque nulla potest esse φλόγωσις, siue accensio aut intemperies calida, cum ab intemperie semper fiat dolor. Vbi autem calor adest in hypochondriis, signum ibi circa viscera esse calorem præternaturalem cumq; etiam adsint succi necesse putrefactio succedat quæ semper mala est.

ἢ ὀδύνην παρέχον.

Aut dolens.

SEcunda conditio est, si dolorem præbeat, quæ cótraria est primæ optimi: & sicut illa indicat non adesse, neq; intemperiem neq; solutionem continui, neq; acres humores, neque flatus, neq; copiam humorum extendentem, sic hæc, vel aliquid ex his, vel plura esse, prout maior vel minor est dolor, indicat. Addit Stephanus alia quoque ratione dolorem esse malum, quoniam attrahit, & indueit fluxiones, quibus deinde facultates deiiciuntur.

ἢ ἐντεταμένον.

Aut intentum.

OPponit Hippoc. molli intentum siue ἐντεταμένον, non opponit molli durum, sed intentum, vt denotaret non solum superficiem non cedentem tactui, sed etiam renitentiam interiorum. Et sicuti mollities in vtroq; hypochondrio est iudiciũ in ipsis nullum adesse tumorem præternaturalem: sic intensio necessario indicat, quod vel adsit aliquis similis tumor, vel alia morbosa causa. Nam, vt scribit Galen. fit interdum tensio hypochōdriorum absq; proprie vocata inflammatione, vel ob siccitatem, non solum ipsorum, verum etiam partium attinentium ad membranã costas subcingentem, nec non septum transuersum: vel propter inflammationem cum tumore ipsorum musculorum, qui ambiunt hypochondria, absq; tamen propria inflammatione, quæ est tumor cum dolore.

ἢ ἀνωμάλως διακείμενα τὰ δεξιά.

Aut dexteras partes.

QVarta conditio est, si hypochondria non sint æqualia, sed partes dexteras habeāt inæquales ad sinistras, quæ inæqualitas non solum attenditur penes eminentiam, aut depressionem, verum etiam penes mollitiem, duritiem, caliditatem, frigiditatem, dolorem, aliasq; qualitates. Et notate, à Galen. tres conditiones suprascriptas intelligi de toto corpore, hanc autem postremam de partibus affectis. Sed quærunt aliqui, cur Hippocr. potius dixit dexteras ad sinistras, & non econuerso? Resondentque hoc fecisse, vt monstraret potissimum partis dexteræ affectum esse grauiorem, quam sinistræ, quod etiam inferius indicabit. Sed etiam illud contemplatione dignum est, cur Hippocrates enatratis conditionibus vitiosi hypochondrii, non dixit libere, esse pessimum cum sit contrarium optimo: sed dixit, hęc omnia, id est, has omnes conditiones cōsiderare oportet. Ad quod puto respōdendum esse, prædictas conditiones, vel posse simul omnes capi, vel separatim. Si capiantur simul, procuddubio pessimum est, ac penitus optimo contrario; cumq; id perspectissimum sit, &, quæ clarissima sunt Hippocrat. non persequatur, minime mirari oportet, si non dixerit pessimum esse. Sin autem considerentur separatim, certe malum est, vel saltem non optimnm, at nec pessimum; verumtamen indiget magna consideratione in morbis acutis: si quidem vbi in hypochondriis est aliqua affectio semper periculosa est, iuncta cum febre acuta. Itaque iure Hippocrates omnes conditiones singulatim accipiens dixit, eas esse considerandas. Et certe videbitis semper Hippocratem diligentissimum in considerandis hypochondriis: Ratio quia ibi viscera tria sunt, quibus alimentum coquitur, ex quo succi totius corporis fabricantis. Vnde ex ipsis recte consideratis, potest intelligi promptissime sedes affecta.

Hypochondria semper diligenter in morbis considerãda.

εἰ δὲ καὶ σφυγμὸς.

Sin autem pulsus.

GAlenus voluit in superioribus tradidisse conditiones optimi & pessimi hypochondrii. Ego vero puto Hippocratem superius solum recensuisse signa contraria optimo hypochondrio, eaq; dixisse esse consideranda: Nunc vero eadem, vt malum aliquid significent, magis declarare. Itaque cum primum posuerit esse φλεγμαῖνον, id est, inflammatum, nunc similiter primum ponit pulsum, dicens, si pulsus insint in hypochondrio, significare aut tumultum, aut delirium. Nam σφυγμὸς, id est, pulsus siue sit vera inflammatio in hypochondrio, siue φλόγωσις, in partibus internis, semper adest, quoniam, vel partis inflammatæ arteria vehementer pulsat, vel arteria ipsa magna per spinam intus perreptās incensa, & flagraus; flatibusq; plena vehementi pulsatione agitatur: Ergo iure dicit, si pulsus, non autem, si palpitatio, vt in aliquibus contextibus legi solitum tradit Galenus: quamquam, si ue legatur pulsus, siue palpitatio, malum est, cum hæc fiat à flatibus, quos in febre, non dissipari pessima est, vt ait Stephanus. Dicit esse rationabiliter ἐνεῖν, id est, insit ad distinguendam pulsationem internam ab externa, quæ scilicet in arteriis musculorum concitatur, & quam haud verum est significare tumultum, aut delirium. Verum quod quoque ait Stephanus, haud est aspernandum, scilicet per pulsum intelligendum esse dolorem pulsatorium, qui fit, vbi arteria mota partem inflammatam contrectat.

Cæterum quid Hippocrati θόρυβος hic significet, video inter interpreres esse controuersum. Nam Galenus vult esse commune quoddam accidens cunctarum affectionum, quæ periculosæ sunt, quæque tam ægrum, quam medicum ipsum sollicitum babent. Et Stephanus Atheniensis, quasi Galenum interpretans dicit, θόρυβον esse δυσφορίαν τοῦ κάμνοντος, id est, inquietudinem ægrotantis, atque Medici

certamen

certamen, ac sollicitudine circa agenda. Verum alii recentiores putant significare ipsum delirium, atq; vocem delirii additam esse veluti particulam explicatiuam tumultus: Sed puto hos vehementer falli, quoniam hoc est omnino præter morem Hippocratis, vt verba multiplicet fine vllo vsu, aut necessitate: Ad hæc multū videtur esse remotum, vt θόρυβος significet παραφροσύνην, quod vbi delirium est, ibi quoque sit plerumq; tumultus. Quare potius mihi placet, vt θόρυβος significet corporis perturbationem, quam tumultum, quasi dicat Hippocrates, significare vel corporis, vel mentis ipsius perturbationem. Quomodo autem hoc fit facile intelligitur, si consideremus pulsum illum effici, à vehementia caloris illius arteriæ magnæ. Vbi vehemens calor in hypochondriis, vbi sunt succi necesse est ibi quoque fieri magnam ebullitionem. Magna ebullitio plane immensam agitationem, & consequenter perturbationem parit. Et animaduertēdum est, medicos dum contrectant hypochondrium, debere premere, vt explorent profundum: quia huiusmodi pulsus non superficietenus, sed in parte infima ineft; & Galen. in initio lib. de puls. ad Tyton. dicebat huiusmodi pulsum euidētissime animaduerti in corporib. extenuatis. Addo ego & in melancholicis, & maxime in iis, qui vocata hypochondriaca passione affecti sunt. In his non potest non fieri huiusmodi pulsus in hypochondrio, quia, vel circa pilorum, vel circa iecur fit maxima æstuatio.

Ἀλλὰ τοὺς ὀφθαλμοὺς.

Verum oculos.

SED ad quid Hippocr. vult considerandos esse oculos, vt cognoscantur an cui ex pulsu futurus sit tumultus vel delirium. Quæ quæso est communio inter hypochondria, & oculos? Hipp. 2. Epid. sect. 5. & Gal. 6. de placitis, c. 9. dicebat: Si in cubito vena pulset ita videatur pulsus tum ab ægrotante, tum à medico, μανικὸν esse, hoc est, significare maniam, & furorem esse futurum, siquidem arteriæ etiam magnæ per iugula feruntur in cerebrum, ita vt vbi in ipsis sit maximus feruor, & commotio facile quoque ipsi cerebro impertiatur. Vbi autem cerebrum afficitur, vehementer afficiuntur quoq; nerui, affecto principio, & consequenter nerui oculi compatiuntur. Motus autem praui oculorum fiunt, vel læsa imaginatione, vel ipso instrumento. In casu præsenti, cum adsit delirium, fit læsa imaginatione. Ideo timendum, ne adeo augeatur, vt fiat mania. Vnde cum oculi, vt alias diximus ex Aristot. & Galen. eiusdem sint substantiæ cum cerebro, & propter neruos, & propter huiusmodi substantiæ communionem, ipso affecto afficiuntur, & præsertim quando læsa est imaginatio, à qua errante necesse est quoque, vt errante motu oculi agitentur. Et certe melancholici insanientes, atque furiosi maxime ex ipsis oculis dignoscuntur, vt apud Palthemonem, Melentium, aliosq; Physiognomicos legitur.

Atque hinc est etiam, quod iratis maxime rubeant oculi, vt perhibet Aristot. 31. sect. problem. 3. id qui & Plautus lepidissime dixit, in Menæchmis, vbi mulier depingēs insanum Menæchmum, dicit illi virere, & scintillare oculos, quasi apud omnes maxima insaniæ nota ex ipsis oculis trahantur. Et ille medicus in eadem fabula Plaut. perductus ad insaniam, vt curet præ cæteris festiue petit, num oculos habeat duros. Quæ libenter attuli ad docendum ex oculis etiam vulgares sumere indicia furentis animi, vt præterea etiam Hippocr. ad confirmandum signum delirii, & furoris voluerit considerandos esse oculos, qui si moueantur frequenter indicant futurum furorem, non tantum propter lesionem neruorum, quantum propter imaginationes multiplices & erroneas, à quibus oculi mouentur. Quamq̃ etiam neruos lædi in furiosis scribat Arit. 31. partic. probl. 3. vbi scribit, furiosis conuelli nigras oculorū partes in extremos angulos, q; vitium, qui habent sani, solent esse valde truculenti, vt Etellinus Romanus Paduæ crudelissim. Tyrannus. Cæterum, si oculi nihil patiantur, neque secundum motum, neq; secundum aliud, dicit

Stephanus

Stephanus signum esse non futuri delirii, sed tumultus; quasi & ipse velit non modo tumultum esse quid diuersum à delirio, sed etiam pertinere ad corpus non ad animum: Aduertendum tamen est, dicere loco delirii inania, quoniam, vt vere ait Stephan. mania est intēsum delirium, quasi dicere velit Hipp. si oculi moriantur, & pulsus inflammatorius, seu dolor pulsatorius insit hypochondrio, non modo delirium simplex oportet expectare, verum etiam delirium magnū. Aliqui interpretes, vt notat Stephan. ex hoc loco colligunt secundum Hipp. Hegemonicam animæ partem esse à cerebro. Alii vero in corde: At disputare hac de re in præsenti esset superuacaneum, Sed cur Hipp. dicit ἐλπὶς μανιῶδ. Etenim Arist. 2. Rhet. 5. dicit, spem esse salutarium expectationem, ex imaginatione horribiliū, non existentium, vel remotorum, Metum autem expectationem malorum corruptiuorū propinquorum. Resp. vti abusiue voce, vt Virgilius & alii. Atq; potius voluit vti hac voce, quia significat metum quendam placidum: etenim furor non exitialis, imo 2. epid. sect. 5. dicit soluere morbum magnum, id est, epilepsiam.

οἴδημα δὲ ἐν τῷ ὑποχονδρίῳ.

Oedema in hypochond.

Dixerat Hipp. obseruare oportere has conditiones hypochondrii, si inflammatum, si dolens, si tensum, & si æqualiter molle: post docuit, quid præsagiat inflammatio, significata per pulsum, seu pulsatorium dolorem: Nunc autē atq; in sequenti demonstrare vult, quod tensum hypochondriū & inæquale indicet dicens, si œdema durum sit, & dolens secundum se totum κάκιον, si autem non secundum se totum, sed secundum partem, periculosius est secundum dexteram, q̄ secundum sinistram, Atq; hæc eadem præcise sententia habetur etiam in coacis. Pro cuius dictionis intellectione sciendum est id, q; omnes dicunt interpretes, hoc nomē œdema apud Hipp. significare quemlibet tumorem ἀπὸ τοῦ οἰδάω; q. est, in tumorem attolli. Apud recentiores aūt significare tumorem à pituita mollem, qui præmenti digito cedit. Cæterum neutro modo hic accipit Hipp. cum non similiter dicat œdema, sed addat durum, & dolens, quæ duo attributa sunt veluti proprii quidam characteres tumoris vere inflammatorii; seu magis dicere placeat, inflammationis veræ; quæ inflammatio, cum esse possit, tum in interiori parte, tum in exteriori, sane de interiori loquitur; tum quia hæc magis fit cum febribus acutis, tum quia periculosa est, secus quam externa. De qua loquens Hipp. in Aphorismis dicebat lib. 6. aphor. 25. & 1. de morbis, bonum si Erysipelas ab internis ad externas partes prodeat. Porro internæ inflammationes aut totum occupant hypochondriū aut partem dexteram aut sinistram, Si totum occupet, maximum impendet periculum. Si solum dexteram, minus: si solum sinistram, adhuc minus. Ratio vniuscuiusque euidentissima est: Etenim inflammata esse simul plura viscera in febre acuta, quis non exitiosissimum existimet? Porro cum in dextera parte collocatū, sit iecur, in sinistra lien, certissimum est, affectum eundem multo esse grauiorem in iocinore, q. est officina sanguinis, & succorum, quam lienem, sine quo etiam viuere posse hominem perhibet Plinius: Etenim Hipp. 4. de morbis dicit, cor cum substantia dura, & solida sit nullum humorem habere nullumq; morbum pati; cerebrum autem & lienem contra ob laxitatem, & inanitatem humores ebibere, ac propterea multis & magnis morbis subiacere, nihilominus qui iocinori contingunt morbi, sunt grauiores, quam qui contingunt lieni, quod viscus valde nobilius sit, nobilioresq; actiones habens, simulque calidius, merito eius caliditatis sit, vt subiiciatur morbis multo acutioribus, quam lien qui est viscus frigidum. Cæterum dubitatur, an verum sit semper dexteræ partis tumores esse periculosiores. Nam de pleuritide loquens Aristot. 10. 3. tract. 4. cap. 1. scribit, pleuritidem esse deteriorem in sinistro, quam in dextero latere: Præterea vbi virtus resistens est robustior ibi minores fiunt morbi. Sed latus dextrum est huiusmodi, cum Aristot. vbiq; dicat, & præsertim

Sine liene homo viuere potest.

fertim 31. sect. problem. 12. præter oculos omnes alias partes dexteras esse robustiores, &c. Nam hæc est ratio, propter quam Galen. 4. de præsag. ex puls. 4. & 9. dicebat in iecinore non fieri œdemata, sed tantum œdematosas quasdam affectiones, quas vocat Hippocr. in 4. Epidem. τὰ ἥπατος ξυμώσιας, quoniam nec colliguntur succi faciliter ob robur, & soliditatem visceris, vel si colliguntur, eius calore consumuntur. Dicimus verum esse, quod hic scribit Hippocr. scilicet, aliis rebus existentib. paribus semper effectus dexteræ partis in hypochōdriis esse grauiores ob rationes antedictas. Verumtamen multo facilius ægrotat lien, atq; etiam diutius quam iecur propter causas illas ex Hipp. 4. de morbis, f. propter cauitates magnas, laxitatē partis, atq; imbecillitatem. Quod autem dicit Auicen. non ita probatum est apud omnes. Et licet concedatur, tamen aliud est loqui de ventre inferiore; aliud vero de superiore, qui est hypochondrium.

Σημαίνει δὲ τὰ τοιαῦτα.

Significant vero hæc œdemata.

QVid œdemata dura, & tensa, hoc est, inflāmatorii tumores in vniuersum præmonstrent, docuit, nempe esse periculosos: Et quia huiusmodi prædicendi modi sunt admodum vulgares, nec medico honorifici, sicuti nec ægro vtiles: eapropter quid peculiare significent docere vult, non solum vt medicus prædicendo extimationem suam augeat, seq; à calumniis securum præstet, verumetiā vt posset quandocunq; licet, etiam curationē reperire atq; instituere. Quæ igitur dicit particulariter de inflammationib. cōplura sunt. Et Hipp. in hisce copiosior est forsan q̄ soleat, quam eius breuitatis studium deceat, quoniam frequentissime in morbis acutis, & prauis contingit, vt in aliquo viscerum sit inflammatorius affectus: qui vt est difficilis admodum curatu, ita quoq; non est facilis cognitu, multasq; præclaras considerationes & obseruationes habet. Dicit igitur, tales tumores apparentes initio morbis periculum afferre mortis breui futuræ. Quod Galenus falsum esse dicit, nisi aliqua pars intra hypochondrium compatiatur cuiusmodi ventriculus, hepar, lien, intestina, peritonæum, quoniam si soli musculi exteriores inflammati sint, haudquaquam apti sunt exitium afferre, nisi raro: Atque tunc, vel propter magnitudinem eximiæ inflammationis, vel propter facultatis imbecillitatem, vel propter medici male curantis, aut ipsiusmet ægri errores: Ex quo concludit, hanc Hippocr. dictionem confusam, & indeterminatam.

Verum hac in re non possum facere, quin mirer Galenum oblitum esse Hippocratem hic loqui de acutis morbis, cuiusmodi non sunt externæ vllæ inflammationes, de quibus dicit Hippocrates lib. 6. aphorism. 25. bonum esse Erysipelas ab internis ad externas partes prodire. Quæ verba dum ipse Galenus interpretaretur, dicebat id non modo esse de Erysipelate intelligendum, verum etiam de quolibet alio morbo. Quod si non potest Hippocrates loqui de externis inflammationibus nempe, quæ haud sint mortales, quomodo non est necesse, eum esse de internis locutum? proptereaque eius sententiam non minus claram & distinctam, quam veram esse: imo idem Galen. 1. prorrhet. 12. in 3. Epidem. & 2. prorrhet. 21. dicebat, febres ex cerebro, pulmone, & cor esse malignas, ex iocinore autem septo transuerso, ventriculo non posse dici malignas sed acutas.

Cæterum circa eam sententiam illud operæpretium est examinare, cur dixerit in principio, & cur dixerit periculum esse velocis interitus, non autem simpliciter, & absolute significare mortem, quemadmodum in Coacis; vbi absolute dixit significare velocem mortem.

Circa primum dixit, alias nomen principii significare tria in morbis, primum insultum, primos tres dies, & totum illud tempus quod contra distinguitur augmento, & in quo nihil nisi crudum apparet. *Principij significatio quotuplex.*

Modo

Modo in præsenti significat primum insultum, quasi docere velit Hipp. in 1. febris insultu, si appareat tumor hypochondrii inflammatorius, periculum imminere, ne cito pereat, cuiusmodi contigit illi sorori Coi relatæ ab Hipp. in Epid. lib. 2. sect. 2. cui iecur intumuit sphærico modo, & 2. die obiit, secusq; Herophonti, cui Hipp. 1. Epid. sect. 3. rex. 20. narrat, 5. die lienem intumuisse, atq; seruatū fuisse. Causa, cur mortem huiusmodi tumor in principio apparens significet, est, quia pars nobilis, ac magni momenti affecta, necnon magna inflammatio. Quod vero velocem mortem, est, quia motbus acutissimus est, nempe, qui vel cito finit hominem, vel cito finitur.

Cæterum sunt aliqui ingeniosi interpretes, qui existimāt vocem, ἐν ἀρχῇ, id est, in principio, non debere accipi vllo ex tribus modis prædictis, eo quod siue capiamus febris, siue principium inflammationis, & in illo, & in incremento, & in statu semper similes inflammationes sunt lethales. Quare ait in principio intelligendum esse pro (primum) quasi dicat: vbi apparent tumores inflammatorii quocunq; tempore appareant: primum quod significant est periculum mortis, deinde alia cætera. Sed pace huius viri, hanc subtilitatem probare neque possum; quia non est ea significatio vsitata Hipp. vt pro ἐν ἀρχῇ intelligat. Primum; deinde cum statim dicat, si vero viginti dies transgrediantur, manifeste indicat se etiam de eo principio morbi quod attenditur penes tempus, non autem quod attenditur penes ordinem significandi.

ἢν δὲ ὑπερβάλλῃ εἴκοσιν ἡμέρας.

Si autem superet vigesimum diem.

EX his verbis manifeste coniungendis cum superioribus non est difficile colligere Hippocratem retro esse locutum de principio febris, cum dicat (si autem febris superet vigesimum diem, &c.) Quod autem dicit, est, si febris transgrediatur vigesimum diem, neque tumor considat, morbum, id est, inflammationem ad suppurationem deuenturam.

Circa cuius dictionis explicationem sciendum est omnes tumores inflammatorios, vel discuti à natura, vel secundum locum, vel secundum qualitatem mutari. Discutiuntur enim vbi materia apta est, atque facultas robusta. Etenim id à natura comparatum est, vt semper humores, qui faciunt tumores, à calore in habitum conuersi dissipentur; quod, si fieri nequeat, manent quidem humores. Sed transmutantur secundum locum, cum ex alio in alium depellitur, aut nobiliorem, aut ignobiliorem: Vel qualitatem, vbi dissipandi. Id semper contingit ante vigesimū diem. Si vero non, aut facultas imbecillis est, aut robusta. Si sit facultas infirma, mutatur materia tumorum, vt ait Stephanus in humiditatem fœtidam, & morbosam: vel vt dicit Galenus, εἰς σαπεδονώδη, id est, in putrilaginosam qualitatem, quod fit calidirate naturali quasi emortua, & coctionem facere nequeunte, vt in gangrænis.

Quod si facultas robusta sit, & vehementia febris similiter maneat, post vigesimum diem tumores in suppurationem vertantur: vel desinente febre materia concrescit & induratur, sitque scirrhus. Dicit Galenus addidisse Hippocratem (si febris maneat, nec tumor subsideat) quoniam desinente febre suspicandum est potius scyrrhum esse successurum, qui sit, vbi à febris vehementia tenues tumores consumpti sunt crassioresque, ac viscidi relicti in spatiis partium affectarum compinguntur, & ibi indurati, randem tumorem scirrhosum faciunt. Sed pace Galeni vix possum credere Hippocratem hoc spectasse, quandoquidem cum loquatur de febribus acutis, & de inflammationibus, haudquaquam solent inflammationes in scirrbos conuerti: quoniam vel potius à calore dissipantur, vel in prauam putredinem, & gangrænam, vel in pus conuertuntur.

Itaque potius addit, illam particulam, vt doceret calorem febrilem eſſe aliquo pacto vtilem, atq; neceſſarium ad pueris generationem, ſicuti naturalis ad veram coctionem. Cur autem vigeſimam diem conſtituerit terminum ſuppurationis horum abſceſſuum, dicit Galenus, ſe reddere rationem 2. lib. de criſibus. Sed reuera hic non videtur Hipp. hoc dicere ſcilicet vigeſimam diem eſſe terminum ſuppurationis, verum potius quod tranſacta ea die, incipiat ſuppuratio, niſi dicamus etiam Gal. intelligere terminum, à quo non autem ad quem.

Γίνε) δὲ τετέοισιν ἐν τῇ πρώτῃ.

Accidit etiam his.

VVlt Galenus Hippocratem ſupra de inflammationibus internis hypochondriorum locutum, nihil diffiniuiſſe; nunc vero de quibus ſit locutus, nempe de liene, & iocinore inflammatis, determinare. Ego autem ſecus. Etenim tumores inflammatricios interdum ſolũ per criſim fieri certiſſimũ eſt. Ideo nõ antea docuiſſet Hippocrates, alios modos ſolutionis præter mortem, nunc addit quoq; criticam, eam ſcilicet, quę fit per ſanguinis è naribus fluorem, quæ omnium maxime ſolet in morbis acutis, & partim inflammatriciis laudari. Dicit igitur iis, quorum hypochondria ſunt inflammata, interdum contingere ſanguinis è naribus fluorem in primo circuitu, ac valde iuuare; vt hoc prænoſcatur, interrogandum eſſe ægrum num capite doleat, num videndi hebetudinem habuerit, quoniam ſi hæc fuerint, ſperandum eſt naturam eo eſſe inclinaturã, & lædentes humores depoſituram. Atq; huiuſmodi ſanguinis fluxum eſſe dicit expectandum in iunioribus, qui nondum ſint prætergreſſi trigeſimumquintum ætatis annum. Videamus autem ſigillatim, quid nos doceat Hippocrates in hiſce verbis. Dicit enim primum; Fit autem in prima periodo: Vult dicere Hippocrates, non hoc accidere, vt plerique vertunt, quia hoc nõ eſt per accidens, vt fiat hic ſanguinis fluxus, ſed potius vult dicere, hoc eſſe etiam ſine morbis conſuetum, & familiare, vt ſanguinis fluxu è naribus ſoluatur. Etenim licet etiam per ſedem intetdum, aut per pudendum, id tamen rariſſimum, nec adeo vtile, & optabile eſt. Dicit Galenus in aliquibus codicibus legi non ſingulariter, ſed pluraliter in primis circuitibus; ſed cum etiam in Coacis habeatur hæc ſententia ſingulorum, eam potius probo, quia, vt ait Galenus, rariſſime in 14. appatet, ſed frequenter ſeptima; eo quod morbus eſt acutiſſima inflammatio alicuius viſceris, & morbi acutiſſimi iudicantur prima criticorum periodo, quæ eſt ſeptima dies.

καὶ κάρτα ὠφελέει.

Et valde confert.

INflammatio omnis fit à ſanguine. Quare iure merito ſanguinis enacuatio valde confert, non quidem quælibet, ſed laborante iocinore à dextera nare, quæ eſt κατ' ἴξιν, laborante ſplene à ſiniſtra, non eſt conuerſio; quod Hippocrates dicit ἀνάπαλιν. Cauſa autem cur potiſſimum conferat, cum abſceſſus, vt dicebat Hippocrates ſecundo epidem. debeant eſſe infra morbum, & in partibus infernis, eſt, quia ſucci calidi facilius pellantur ſupra, quam infra. Vnde dicit, bilioſos per ſuperiora purgandos. Hippocrates autem intelligit de iis abſceſſibus, non qui fuerint per effluxionem, ſed per depoſitionem materiæ à loco ad locum, internum vel externum.

Ἀλλ' ἐπανερωτᾶν χρὴ, εἰ τὴν.

Interrogare.

HIppoctates ſepius in antea ctis, vt meminiſſe poteſtis, monuit Medicos, vt percontentur ægros; nec ſine magno conſilio, ſiquidem in rebus, quæ multi ſunt

momenti tum ad faciendam πρόγνωσιν, tum ad instituendam curationem oportet habere, quam possumus maximam certitudinem.

At hanc haud melius nancisci possumus, quam ab ipso ægrotante. Vnde dicit, interrogandum esse ægrum, num caput doleat, vel circa oculos, & visionem laboret, quoniam si id est, sperandum est, naturam eo esse deposituram morbi materiam: & ratio est, quoniam vbi ab aliqua parte natura per crisim est, humorem morbosum expulsura, semper ante perturbationem facit, in qua vapores in caput feruntur, & præsertim prope eam partem, in qua humor est mittendus. Vnde dolor capitis, marmariges ante oculos, pruritus narium, vertigines, & similia procedunt.

Sed consideratione dignum est, cur cum multa sint signa, quæ concurrunt ad præsignificationem futuri sanguinis fluxus è naribus, Hippocrates tamen duorum tantum meminit, scilicet doloris capitis, & ἀμβλυωπίας.

Sunt enim præter pruritus narium, lachrymæ inuoluntariæ, & rubor faciei, & alia ab Hippocrate commemorata alibi? Dicendum est, Hæc duo signa esse efficacia in acutis, & frequentia; vnde sola sufficiunt ad præsignificandum: Ratio est, quia alioquin acuti fiunt à succis feruidis, qui in ætate iuuenili facile sursum propelluntur à natura.

Μᾶλλον δὲ τοῖσιν νεωτέροισι.

Magis autem expectare oportet.

SI hoc signum coniungatur cum duobus superioribus, ita vt æger laboret morbo acuto, sit iuuenis, caput doleat, ac circa visionem afficiatur, iam certo licet concludere, futurum esse sanguinis è naribus fluxum. Nam tertio aphorism. vigesimoseptimo, loquens de morbis, qui sunt singulis ætatibus familiares, dicit à decimooctauo vsque ad trigesimumquintum ætatis annum fluxiones sanguinis homines exercere. Vnde etiam possumus colligere eadem ratione viros quam fœminas, calidos potius, quam frigidos, habitantes calidas regiones, & in tempestate calida magis huiusmodi fluores vrgere.

Τὰ δὲ μαλθακὰ τῶν οἰδημάτων.

Oedemata mollia.

DE aliis tumoribus, qui non sunt inflammatorii, sed œdematosi, hoc in loco Hippocrates habere sermonem, potest vnicuique esse prospectum. Sed cum de hypochondriis loquatur, atque hi possint etiam fieri tam in externis, quam internis partibus; Quod de externis loquatur, id videtur probare, quoniam de compressione manibus facta, & de manuum cessione meminit, quæ opiniones haud videntur locum habere nisi in externis.

Ceterum ex alia parte, cum hoc in loco iam sæpius dixerim, Hippocratem duntaxat morbos acutos tractare, nec vera œdemata faciant acutas febres, aut cum illis fiant; non parum dubii oritur, & eo maxime, quod, vt audietis, meminit sexagesimæ diei, quæ est dies iudicialis morborum diuturnorum, non autem acutorum.

Stephanus Atheniensis, qui vidit hanc difficultatem, Scriptores dicit interdum ordinem sibi propositum transgredi, ne prætermittant aliquid, quod vsui in arte esse queat: vel quia similitudine, & sequela quadam coniuncta sunt, quæ dicuntur iam dictis; quemadmodum contigit in præsenti dictione

dictione ipſi Hippocrati, qui, cum ſupra meminiſſet ſuppurationis, tumoris inflammatorii, inueniſſetque œdemata propria hypochondriorum, nonnunquam ad ſuppurationem deuenire, iure quodam videtur poſt ſuppurationem inflammationis, de œdematis ſuppuratione tractare. Vtcunque autem ſit Hippocratis præſens ſententia duas partes habet, œdemata mollia non dolentia, & quæ digito preſſa cednnt, diuturniores criſes facere, & minus periculoſa eſſe.

Secunda pars eſt; ſi autem febres tranſgrediantur ſexageſimum diem, & œdema non finiatur, ſuppnrationem eſſe expectandam, non tantum in hypochondriis, verum etiam in toto ventre. Vrantem more noſtro circa Hippocratis myſteria philoſophemur; primum illud ſciendum eſt, hoc in loco Hippocratem nomine œdematis non vti vt retro, pro omni tumore, ſed pro eo tantum, qui proprie vocatur œdema, atque fit à pituita: Verum huiuſmodi œdema aliud ſimplex ex pura, & ſola pituita, aliud commixtum, hoc eſt, ex pituita, & ſanguine commixtis conflatum de hoc, & non de priori, quod loquatur Hippocrates in præſenti, tria argumenta facere videntur.

Vnum eſt, quia œdema raro fit intra hypochondria, nunquam in iocinore, vt alias dixi retro.

Alterum eſt, quia purum œdema non facit febrem, imo vero à febre diſſoluitur.

Tertium eſt, quia pituitoſum œdema ad ſuppurationem vix vnquam, ant ne vix quidem peruenit.

Verum œdema inflammatorium, & vbique fit etiam in iecore, quod vocat œdematoſam affectionem Galen. Hippocrat. ξήμωσιν ἥπατος: & cum febre, & ad ſuppurationem venit, vt ob hæc omnia ſtaruendum ſit, hic loqui de eo ſolum, ac propterea veram continuationem cum ſuperioribus apparere, vbi de vera inflammatione locutus eſt, cum hic non de vera, ſed de œdematoſa loquatur. Deſcribens autem Hippocrates huiuſmodi œdema, tres conditiones tanquam tres characteres ſibi tribuit. Vnam quid ſit molle; alteram quid ſit indolens; tertiam, quid compreſſum manibus cedat. Mollities à pituita proficiſcitur. Indolentia vero à mollitie, cum qua nulla poteſt ſtare continui ſolutio, nempe cum præmentibus, & percutientibus corporibus ſemper cedat. *Oedematis quæ ſint conditiones.*

Ceterum de tertia conditione dubitant nonnulli, tanquam ſuperuacanea ſit, eo quod vbi mollities eſt, ibi quoque ſemper prementibus manibus cedatur, vnde etiam dicunt, hac ratione in Coacis prenotionibus eiuſmodi particulam non eſſe appoſitam.

Ceterum, quia non adeo temere eſt accnſandus de ſuperfluitate Hippocrates, qui ſemper fuit breuitatis amantiſſimus, propterea puto dicendum, duplicem eſſe mollitiem; alteram quæ cedit prementi, ſed veſtigia non conſeruat; alia vero, quæ, & cedit, & veſtigia compreſſionis ſeruat. Primam intellexit ſub ſimplici voce μαλθακά. Secundam vero ſub dictione (prementibus cedunt.)

Ceterum quid ſignificent hæc œdemata inflammatoria hypochondriorum, ſubinfert Hippocrates, dicens, duo ſignificare, & longitudinem, ſeu diuturnitatem iudicii, & minus periculi. Quod pertinet ad iudicium, certiſſimum eſt, morbos, qui fiunt à materia frigida cum calida commixta, tædius moueri, quam qui fiunt à materia tactu calida. Vnde comparans illos tumores cum his, dicit hos diuturniorem criſin ſignificare. Nam facti à ſola pituita, nunquam aut rariſſime iudicantur. Pari pacto tumores, qui ſunt ſine dolore, non ſunt vllo modo periculoſi. Si ſunt à ſola pituita, eo, quod dolor non diſſoluit vires, & benignitas materiæ nullam infert vim neque febrem acutam facit. Arqui factus tumor ex ſanguine & pituita non vacat periculo, eſt tamen minus periculoſus, quam factus ex ſolo ſanguine: Vnde ſummo iudicio Hippocrates non dicit, prorſus ſignificate vacationem periculi, ſed minus ſcilicet ἧσσον ὀξυότερα, minus grauia, ſiue vt in Coacis prænotionibus ſcribitur ἧσσον ἐπικίνδυνα.

Sequitur secunda pars, in qua dicit Hippocrates, si transgrediatur æger sexagesimam diem, & febris perduret, nec tumor subsideat, speranda est suppuratio non modo in hypochondrio, verum etiam in toto ventre.

Iam vero ad memoriam est reuocandum pro explicatione huiusce partis, Dum Hippocrates loqueretur de tumore inflammatorio, dixisse suppurari post vigesimam; nunc loquens de tumore œdematoso, dixit post sexagesimam; ita vt sit tripla proportio inter hos duos tumores: quod pertinet ad suppurationem. Nam in tumoribus inflammatoriis requiruntur viginti dies in œdematosis, non solum iidem viginti requiruntur, verum etiam amplius bis viginti.

Causa est caloris ad frigus proportio. Nam decies saltem calor est magis actiuus quam frigus, si vtrumque sit parum. At vbi miscetur calor cum frigore, vti in proposito œdemate, quemadmodum monstrauimus, multo minor est proportio ipsius caloris ad frigus.

Sed cur dixit non solum in hoc, sed in toto ventre? Id fecit, quoniam cum de hypochondriis sermonem haberet, potuisset quispiam dubitare, id solum de ipsis ob loci caliditatem esse intelligendum. Vnde, quia idem quoque contingit esse in locis non ita calidis, vt sunt partes infra vmbilicum, eapropter voluit hoc monere. Verum, vt intelligatur hæc tota theoria de suppuratione, primum sciendum est, vt alias dixi, naturam circa abscessus laborantem, primam omnium tentare discussionem; tum quia ea securior est, tum quia iucundior, cum sit absque dolore.

Qua natura circa abscessus operatio fit.

Addimus etiam, quia celerior. Vbi autem impeditur, vel proprio vitio, vel ob materiam, vel ob locum id præstare, etiam conuertitur ad eius mutationem non alia ratione, nisi vt melius, vel sensibiliter, vel insensibiliter euacuatur. Et quamquam hæc mutatio interdum fiat in deterius, vt vbi in febribus malignis corrumpitur perniciose; interdum autem in benigniorem materiam, quale est pus; nihilominus naturæ proprium est mutatio in pus; illa autem praua fit à morbo, non autem à natura. Iam vero huiusmodi conuersio in pus facta à natura, interdum serius, interdum maturius efficitur, atque hoc contingit propter tria genera causarum: aut scilicet propter ipsam facultatem, aut propter materiam, aut propter locum affectum.

Abscessus in iuuenib. citius maturans, quam in viris.

Fit propter facultatem, si calor naturalis, & facultas sint robusti, & magni, fit celerius suppuratio, quam par sit, si sint imbecilles, vnde in pueris & iuuenibus citius semper suppurantur abscessus, quam in senibus; similiter & in viris citius quam in fœminis, qua etiam ratione fit, vt vlcera in iuuenibus sanentur citius, quam in senioribus, non autem quod sint humidiores, vt sensit Aristoteles trigesimasecunda sectione, Problem. septimo. Nam siccitas ad cicatricem inducendam, non humiditas est necessaria, vt perhibet non solum schola Medicorum omnis, verum etiam ipsemet Aristoteles primo Problematum, sectione trigesimatertia.

Fit propter materiam tripliciter, vel ob copiam, quia vbi minus materiæ, ibi citius fit suppuratio; vbi plus, ibi tardius. Vel ob consistentiam, quoniam tenuis citius, quam crassa suppuratur; vel ob qualitatem, siquidem, calida maturius, frigida serius ad suppurationem peruenit. Ratione quoque loci hoc contingit quadrupliciter; vel propter dignitatem loci, vel propter situm, vel propter temperiem, vel propter constitutionem.

Ob dignitatem loci celerior, vel tardior est suppuratio, quoniam natura de partibus principalibus magis sollicita est, quam de ignobilibus. Si enim tumor sit in parte principe, studet ipsi natura, vt dicit Stephanus, atque satagit, vt quam celeriter ab ipsa succos molestantes remoueat; ac propterea tempestiue eos ad suppurationem deducit. Quod si ignobilis

bilis pars ſit, non adeo ſollicita eſt de ipſa, ſicque tardius materiam ipſi moleſtam ſupparat, vnde in iecinore citius, qnam in ventre fiunt ſuppurationes, & adhuc magis in ventre, quam in ſplene vel inteſtinis. Propter ſitum idem contingit, quandoquidem ea, quæ proxima ſunt partibus primariis tumores ad ſuppurationem citius deducunt; exempli gratia, quæ ſunt propinqua ſepto ttanſuerſo Iecinori, cordi; etenim magnam quoque gerit curam natura, ne à locis propinquis aliquid accedat detrimenti partibus principalibus, ac propterea ſollicitat maturationem noxiorum humorum ac depulſionem. Pari pacto, ſi pars vbi tumor longe diſtet à principalibus, tardius ad matutationem deducit. Propter temperiem ſimiliter fit tardius, aut citius ſuppuratio, quia calidioribus in partibus maturius fit ſuppuratio; contra autem in frigidioribus diutius moratur ſuppuratio ob conſtitutionem.

Mollia & rara citius ſuppurantur; contra vero quæ dura ſunt & denſa tardius ob frigiditatem maturantur, vt nerui, muſculi, atq; ſimilia. Ceterum ſunt nonnulli, qui huic contradicentes, putant denſa, atq; arcta, quoniam in ipſis calor magis cogitur, citius ſuppurari, maxime cum ſit dictum ab Hippocrate. Quæcunque oportet coquere, oportere etiam intro claudi, quod etiam in conſuetudine habemus, vt non diſſipantibus aut rarefacientibus ad inducẽdam ſuppurationem, ſed denſantibus vtamur.

Ὁκόσα μὲν ἦν ἐπώδυνα.

Quæcunq; igitur dura.

Videri ſane poſſet Hippocrates ſuperfluus, quippe qui etiam paulo ante hac eadem de re, hoc eſt, de tumoribus hypochondriorum duris atque dolentibus loquutus dixerit, tumorem durum, & dolentem in hypochondrio eſſe peſſimum in toro, peiorem in dextera, quam in ſiniſtra parte. Siquidem in principio indicant mortem breui aſſuturam. Molles vero indolentes, & tactui cedentes eſſe diuturniores. Et certe eſt pura eorundem repetitio, cum exigua atque nullius momenti varietate. Et quod dicit Galenus, hic addere magnitudinem tumoribus, ſcilicet vt ſint duri, dolentes, & magni, parum eſt, niſi dicamus valde magnos intelligere, quos certum eſt magis eſſe pernicioſos minoribus, ſiue ſit in dextera, ſiue in ſiniſtra. Velut in ſecundo epidem. ſectione ſecunda, ſorori accidit, cui eleuatum eſt iecur ſplenico modo, & ſecunda die obiit. Etenim omnis copia materiæ, quæ facit tumorem magnum, mala eſt, ſiue ſit maligna, ſiue benigna, quoniam illa mortem, hæc morbi longitudinem ſignificat. Hippocrates 2. aph. 51. nimium naturæ inimicum dicit.

At potius exiſtimo propterea repetiiſſe Hippocratem, quia erat magni momenti res. Vel forſan hæc poſtrema verba errore aliquo, aut vitio interſerta ſunt, atque eo maxime hac de re ſuſpicor, quoniam in Coacis prænotionibus, vbi hæc cuncta habentur huiuſmodi repetitio deeſt.

Τὰ ἐν τῇ γαστρὶ οἰδήματα.

Oedemata in ventre.

Dixi, ſi recordamini, maxime inter alia referre ad faciendam & accelerandam ſuppurationem ipſius loci temperiem, quia in calidioribus locis facilius, atque citius fiunt ſuppurationes, quam in frigidioribus. Id nunc docet Hippocrates, qui cum antea dixiſſet, tumores in ventre, ſi cum febre poſt vigeſimam diem perſeuerent ſuppurari, modo eandem rem diſtinctius definiens, dixit, tumores in ventre minus facere abſceſſus, hoc eſt, minus ſuppurari iis, qui fiunt in hypochondriis, & adhuc minus omnibus ii, qui fiunt ſubtus vmbilicum; ſicut enim hypochondriis, vbi ſunt viſcera, minus calidus eſt venter, ita ventre minus calent partes ſubtus vm-

bilicum locatæ, ita vt hac ratione iure dixerit Hippocrates hoc in loco, ea, quæ sunt in ventre œdemata minus hypochondriis facere abscessus, & quæ sunt subtus vmbilicum, omnibus suppurari minus.

Ceterum circa hanc partem dignum est contemplatione; primum cur Hippocrates dicat, Oedemata minus facere abscessus in ventre, quam in hypochondriis: Loquens vero de partibus infra vmbilicum dicat minime suppurari, cum tamen hoc in loco apud Hippocratem idem sit facere abscessum, & suppurari, vt testari videtur Galenus. Præterea examinandum, an verum sit minime suppurari partes subtus vmbilicum, vt dicit Hippocrates hic, atque etiam dicere videtur sexto Epidem. sectione secunda, text. quadragesimo, vbi ait, vmbilicum esse terminum suppurationis.

γαστὴρ vox quid significet apud Hippoc. Circa primum, sciendum est, hoc nomen (γαστὴρ) apud Hippocratem, interdum significare ventriculum, vt sexto epidem. vnde γαστρίμαργοι, gulosi dicti; interdum ventrem inferiorem, quem aliqui Latini vocarunt aqualiculum, vt quarto epidem. Aliquando significat eam corporis regionem, quæ septo transuerso, hypochondriis, & pube circumscribitur. Hoc autem loco capitur pro tota ea parte, quæ interiacet inter septum, hypochondria, & vmbilicum sub qua continentur ventriculus, omentum, mesenterium, & vocat in Coacis non γαστέρα, sed κοιλίην. Iam vero suppurationes aliquando faciunt abscessum, hoc est collectionem in loco cauo, aliquando non faciunt, sed ablato pure protinus sanantur. Itaque cum in hypochondriis sint plures cauitates, quam in ventre, iccirco à suppuratione sæpius in ipsis fiunt abscessus.

Contra autem in locis sub vmbilico, non sunt nisi vesica, & intestina inferiora, & crassiora, nec non pars illa peritonæi inferior, quæ omnia sunt suapte natura frigida; vnde fit, vt vel nunquam, vel raro tumores illius partis ad suppurationem peruenientes queant abscessum vllum relinquere. Propterea hoc cum intelligeret Hippocrat. non male in illis vsus est nomine ἀποστασίας; in hisce vero suppurationis. Atque hoc est etiam, quod dicebat Aristoteles, secundo Problem. decimoquarto, nempe nos minus sudare ventre, quam tergo, quoniam ibi sunt caua loca, vbi sese condat humor; in tergo non sunt, & ob id humor totus foras effluit; quæ etiam est ratio (addit Aristoteles) cur pectore magis sudamus, quam ipso ventre.

Circa secundum, videtur esse non parum dubium, quia non videtur ita esse, locos subtus vmbilicum ineptos ad suppurationem in tumorib. efficiendam, quemadmodum ait Hippocrates, qui dicit, ἥκιστα, id est, minime suppurari. Nam eæ partes magis producunt pilos, quam superiores; & clarum est pilos non fieri, vbi est frigus. Ad hæc Aristoteles secundo de part. animalium, capite tertio, scribit, ore non coqui cibum, sed tantum præparari ad concoctionem, fieri autem concoctionem tam in superiori, quam inferiori ventre, vnde pro superiori ventre intelligit stomachum, & pro inferiori alium intelligere non potest, vt optime Sueff. adnotauit, nisi eam intestinorum partem, vbi sunt venæ mesaraicæ, atque aliæ, quæ omnia sunt subtus vmbilicum. Iam vero si in hac parte coquitur alimentum, ac propterea solet multus fieri adipis prouentus, atque coctio fit à calore, eo pacto, quo suppuratio, vt iure Empedocles, atq; Aristoteles sæpe coctionem vocarint σῆψιν, id est, putrefactionem, per similitudinem agentis, videtur rationi cōsentaneum, ibi quoque facilius fieri posse suppurationem. Respondendum est, non Hippocratem negare penitus suppurationem in hisce partibus; siquidem quarto aphorism. octuagesimosecundo tradit, quibus in vrinaria fistula fiunt tubercula, eis suppuratione, & excretione facta liberari; sed comparatione facta ad ventrem supra vmbilicum, ait, illorum minime seu minus illis suppurari. Nam Galenus tertio de acut. notar dictionem ἥκιστα; non significare ὀυδαμῶς, id est, nullo modo, vt plerique putarunt, sed ἐλάχιστον, id est, ad minimum, & libro quarto, text. nonagesimoquinto, dicit, significare contrarium τῷ μάλιστα.

ἥκιστα vox diuersiis significat.

Iam

Iam vero cur minus venter subtus vmbilicum coquat, & minus ac tardius suppuret, in causa est minor, qui ibi est calor, & situs longinquus à partibus præcipuis, & calidioribus, necnon etiam laxitas eius loci. Etenim Aristoteles prima sectione Problem. sexagesimotertio, quærens rationem, propter quam illi, qui habent partes subtus vmbilicum maiores, quam supra, sint breuioris vitæ, & imbecilles viribus; ideo esse, inquit, quoniam qui habent partes supra vmbilicum ad pectus exiguas, habent ventriculum paruum, atque ideo frigidum, & diaphragmati minus proximum; vnde minus coquunt, & plus excrementi producunt, idq; facit eos esse morbosos.

Sed quid dicemus ad Hippocratem, dicentem sexto epidem. sectione secunda, textu quadragesimo. vmbilicum esse terminum suppurationis? Galenus exponens eum locum, nihil aliud dicit, quam Hippocratem voluisse ibi breuiter docere, quod hic habet paulo fusius, scilicet, vmbilicum esse terminum, quo discernuntur loca, vbi magis vel minus fiunt suppurationes. Nam Aristoteles decima sectione Problem. quadragesimoquinto, querens, cur hominis vmbilicus sit amplior quam brutorum, inquit ideo esse, quia cetera exeunt ab vtero perfectiora, vnde intus vmbilicus arescit homo vero cum exeat imperfectior, vt patet, quia illa statim viuunt proprio marte, homo indiget aliqua ope, habere iure vmbilicum humidiorem, & magis sanguineum, quo fit, vt ibi fiant suppurationes, ac propterea veluti terminus suppurationis ab Hippocrate vocetur.

αἵματ☉ δὲ ῥῆξιν.

Sanguinis fluxio.

QVod dicit Hippocrates, est, vbi tumores non suppurantur in hypochondriis, expectandum esse sanguinis fluxum à partibus supremis, hoc est, è naribus.

Ceterum si tumor sit in dextero à dextra, si in sinistro, à sinistra. Sed vnde hæc necessitas est? quia cum natura circa partes præcipuas non sustineat vllos humores noxios, atque illos nec dissipare, nec suppurare potest, alio amandat; potissimum autem in caput: tum quia id, vt alias dictum est, vt cucurbitula attrahit, quemadmodum ait Hippocrates quarto de morbis: tum quia humores iam calefacti sursum facilius feruntur, quam deorsum.

Απάντων δὲ χρὴ τῶν οἰδημάτων.

Omnium œdematum.

MVltus est Hippocrates in tumoribus hypochondriorum tractandis, quoniam, vt alias dixi, forsan nulla pars in medicina facienda magis est Medico spectanda, atque consideranda, quam ipsa hypochondria, de quorum suppuratione cum multa præclara docuerit, nunc in eadem pertractatione pergens, monstrat, quid circa ipsam suppurationem sit considerandum, vt ex eo deinde possit Medicus prognostica signa comparare.

Sunt autem, quæ debent considerari, complura scilicet, an suppurati sint, in qua parte suppurentur, & quomodo suppurentur, & qualis sit materia suppurata. An suppurati sint, dimittit nunc docere Hippocrates, vt cognoscatur forsan, quoniam internatum suppurationum non sunt signa admodum euidentia. Veruntamen vt etiam hanc partem non ignoretis, scire operæ pretium est id, quod docuit Hippocrates primo de morbis, scilicet ad explorandum, an abscessus sit suppuratus, terram figulinam esse supra locum tumentem ponendam, quæ si reficcetur, signum est, iam pus factum esse; sin autem non reficcetur, signum est, tumorem esse adhuc crudum. Ceterum Aristoteles 1. Problem. sect. Probl. 31. docet alium modum hoc cognoscendi, & est, vt abscessus aqua calida perfundatur, qui si colorem mutet, *Abscessus an suppuratus sit, vt noscendus.*

mutet, signum est esse suppuratum; sin minus, significatur esse crudum. Porro de aliis Hippocrates primum monstrat, per quem locum felicius suppurentur, & per quem peius. Sunt autem loci duo, externus scilicet & internus. De externo, vt de meliori prius docturus, ante cetera dicit, omnium tumorum diuturnorum circa hos locos, scilicet hypochondria, & subtus vmbilicum suppurationem esse considerandam. Sed statim video dubitari, cur Hippocrates dixit, diuturnorum tumorum, quasi vero eorum, qui sunt celetes, minime suppuratio sit considerandā. Atque res non ita se habet; imo si diuturnorum suppuratio est consideranda, tanto magis etiam eorum, qui non sunt diuturni, & qui periculosiores sint: Vel dicendum est, Hippocratem meminisse duntaxat diuturnorum, tum quia hi maxime omnium solent suppurari, cum alii potius vel dissipentur, vel materia alio traducta euanescat; tum quia suppuratio acutorum est magis fugax, diuturnorum vero magis permanens; vt propterea maiore etiam consideratione videatur indigere. Subdit Hippocrates considerationem in hunc modum esse faciendam, vt scilicet consideretur, an extra vertatur suppuratio, an intro, quia si extra vertatur optima est. Sed non simpliciter debet suppuratio esse extra, verum etiam parua, maxime extuberans, & in acutum curuata; sin vero magna sit, lata, nec minime acuta, praua est, imo pessima. Ex quo loco colligitur, tumores diuturnos extra suppurari, esse rem indifferentem, quod scilicet bona & mala esse queat.

Vt autem bona sit, necessarias esse tres conditiones, quemadmodum totidem requiruntur ad hoc, vt sit mala. Vt autem rationem huius exacte contemplari possimus; primum videndum, an verum sit suppurationem extra factam, esse rem indifferentem, quandoquidem Hippocrates sexto aphorism. vigesimoquinto scribit, Erysypelas foris intro conuerti, malum esse; intus vero foras extare bonum? Quem locum interpretans Galenus, inquit, nō solum Erysypelas, sed alium quemcunque affectum ex profundis & principalibus partibus ad cutem traduci, bonum signum, & bonam causam esse. Quod si verum est, ergo etiam verum erit, extra tuberantiam humorum non esse indifferentem, sed semper bonam; præterea videre conuenit, quare minores, acutiores, & exteriores sint meliores; imo vero optimæ: siquidem etsi hoc verum esse queat de paruis, respectu magnorum tumorum, quod materia paucior sit, non tamen videtur verum de ambabus aliis conditionibus, & præsertim de acutis: siquidem papulæ illę latæ Simonis commemorati ab Hippocrate sexto epidem. sectione tertia, magis salutares, quam acutæ aliorum relatorum.

Vt autem ad hæc dubia respondeatur, intelligendum est, id quod & Galenus, & Stephanus præclare docent, scilicet suppurationem nil aliud esse, nisi maturationem quandam, seu potius conuersionem materiæ tumorem facientis in pus, quæ interdum prope cutem fit, interdum in internis musculorum hypochondriorum partibus.

Vtramque suppurationem, quoniam natura protrudere foras nititur, id interdum facit cute disrupta, cum scilicet vias latas, & apertas reperit, ac materiam attenuatam. Interdum vero à via externa impeditur, sed initio pus deponit, scilicet vel ob ipsius materiæ crassitiem, & viscidítatem, vel ob viarum ipsarum angustias, & cutis duritiem.

Itaque quantum sit ex se, fieri pus in partes exteriores potest esse bonum, & malum, quoniam potest sisti ibi, nec facile propelli. Potest etiam disrupta cute materia suppurata euacuari. Veruntamen vt sit bona, opus est tres habeat conditiones, vt materia sit pauca, vnde fiunt parui tumores; vt non multum spacium occupet, latusque tumor sit, quoniam minus corrumpit, & minus detrimenti afferet parti affectæ.

Tertia est, vt in acumen tendat, quod quidem signum est facultatis roboris, quæ longe humorem protrudit, & quod facit calor suapte natura validus pyramidem efformat; contra autem significatur & fit, si tumor sit magnus, si latus non acutus.

acutus. Tunc enim pessimæ sunt suppurationes, quoniam facultas debilis, materia multa, locus patiens, amplus.

Sed quid dicemus ad Hippocratis locos? Ad locum 6. Epid. dicendum est, aliud esse loqui de papulis, seu maculis, aliud de suppurationibus: Vel possumus dicere, ibi Hippocratem non laudare, sed referre tantum historiam. Imo Herodotus apud Aetium libro quinto, capite centesimo vigesimo nono, inquit papulas latiores, semper esse deteriores angustioribus, quia à materia copiosiore, & viscidiore. De loco aphorismorum loquemur in sequentibus.

Ὁκόσα μὲν ἔξω τρέπε[τ]).

Optimæ sunt.

DE suppurationibus externis optimis & pessimis, postquam supra egit Hippocrates, nunc agit de iis, quæ intro rumpuntur, & vel bonæ vel malæ sunt. Quã rem, vt melius intelligere possimus, debemus scire id, quod Hippocrates hic innuit, & Stephanus clarissime docet, nimirum ruptiones apostematum hypochondriorum, vel extra cutem fieri, vel extra corpus, vel extra & intra. Si fiant extra, tantum optimæ sunt, cum illis conditionibus, quas affert Hippocrates. Atq; sic intelligitur aphorismus iam ante citatus. Si vero fiant extra corpus, tamen optimæ sunt, maxime si sine dolore, & locus externus concolor appareat; Si vero intra atque extra rumpantur, malæ sunt. Veruntamen ex Coacis prænotionibus sciendum est, aliquid etiam esse animaduersione dignum; siquidem, vbi viscera abscessus suppuratos habent, atque rumpuntur, maximum discrimen esse intra se, ne fiat ruptio, an extra, scilicet vel intra thoracem, vel intra abdomen, quoniam si inter seipsa rumpuntur, per venas & arterias fit securior expurgatio; sin autem intra abdomen, vel thoracem periculosior est, cum vel empyema, vel hydrops, aut quippiam aliud mali soleat assequi. Atq; hoc pacto intelligendum est, quod Hippocrates in Coacis prænotionibus ait, scilicet lethalia esse, quæ intro rumpuntur, hoc est, vel intra thoracem, vel intra abdomen.

Τὸ δὲ πῦον, ἄριστον λευκόν.

At vero pus optimum est.

SVppurationum bonitas, atq; prauitas nõ modo attenditur ex loco, vt Hactenus Hippocrates docuit, verum etiam ex ipsius puris confecti natura, bonitate, scilicet & prauitate; vt propterea summo iure Hip. ne quid desit ad cognoscendas probas, & malas supputationes, ex iisq; ferendũ iudicium, voluerit docere, quid sit bonum pus, ex cuius cognitione facile qnoq; intelligitur, quod à bono deficit. Et vt melius, quæ dicit Hipp, cognoscantur, quid sit pus, & quomodo efficiatur, prius declarandum est. Etenim hoc nomen πῦον, apud veteres, vt inuenio, duas potissimum significationes habet. Vna est, qua significat materiã seu humorẽ quemlibet transmutatum, & dealbatum, sicuti Empedocles, vt narrar Arist. vocauit lac pus, eo quod sit sanguis transmutatus atq; dealbatus, quo pacto etiam & Hipp. & alii veteres vocarunt πέψιν, seu concoctionem, σῆψιν, id est, putrefactiouem. Vnde postmodum & apud Gal. in expos. ling. & apud plerosq; alios Scriptores, vt Scholiastem Aristophanis, & Varinum, illud primum lac, quod mulgetur post partum colostraque, tam à Plinio, quam ab aliis & πῦος, & πῦον, & πύη, vocatum inuenitur. Proprie autem magis apud Hippoc. in lib. de vlcer. nuncupatur pus sanguis alteratus, & calefactus ita, vt putrefactus euadat pus. Et notandum est, pro sanguine intelligere Hippoc. non sanguinem purum ab aliis humorib. sequestratum, sed iis potius commistum, ita vt secundum humoris extuberantis appellationem, vocetur modo pituitosus, modo melancholicus, modo biliosus sanguis. Ex quo facile est colligere, caussam materialem ipsius puris, nullam esse aliam, quam huiusmodi sanguinem. Etenim, vt ait Galenus, vbi sanguis tumorem excitat, semel è propriis vasis

πῦον vel pus qua significet.

Puris quæ materia.

vasis exiuit amplius ad ea, ac proptérea ad propriam naturam redire non potest. Vnde fit, vt natura eum permutare, & ad aliquam formam deducere, qua possit, vel pelli totus è corpore, vel partim pelli, partim per coctionem partibus adsimilari.

Puris quæ causa efficiens. Ceterum causa efficiens duplex est, vt optime docet Galenus, tum in com. huiusce partis, tum 5. de simpl. med. cap. 6. nempe calor præternaturalis, & calor naturalis. Nam si eximie calor natiuus à propria temperatura excesserit sanguis totus putrescit, nec ad vllam bonam frugem deduci potest. Sin autem τινὰ δύναμιν, vt ait Galenus, seruet, non putrefactio, sed mixta quædam mutatio ex bona & mala efficitur, quæ suppuratio est. Etenim calor natiuus, quantum fit ex se, coquit; contra autem præternaturalis putrefacit. Atque hinc est, quod à Galeno huiusmodi suppuratio vocatur ἡ μεμόχθηρο-μεταβολή, secundo aphorism. commentar. 47. quemadmodum ab Hippocrate libro de vlceribus, & à Galeno hic vocatur σῆψις, At quinto de simpl. med. capite octauo, & libro primo de different. febr. capite septimo; necnon secundo de acut. vict. text. 45. vocatur πέψις, id est, coctio, sicuti πεπασμὸς, ptimo epid. sectione prima, text. 44. Etsi hoc cognouisset Aristoteles, haudquaquam damnasset Empedoclem, quasi lac, quod fit per solam coctionem, vocasset pus, quasi hoc sola putrefactione fiat. Itaque quod pertinet ad causam efficientem, est, vt dicebam, partim calor natiuus, partim præternaturalis.

Puris causa quæ finalis. Causa vero finalis est vel expulsio, vel assimilatio partibus nutriendis, vel potius vtraque simul, vt colligitur manifestissime in verbis, quæ habet Galenus in propos. comment. Causa vero formalis est illa perfectio, quæ cognoscitur iis conditionibus, quas tribuit Hippocrates optimo puri, vt iure, quod breuitati studebat, huiusmodi tantum conditiones attulerit, ex quibus licet omnes causas, atque totam ipsius puris naturam comprehendere. Nam cum fiat ex putrefactione, & coctione, multo melius est coctionem superare, quam puttefactionem, & ob id non penitus malo odore vacare debet, alioqui nulla esset puttefactio; sed quam minime ait Hippocrates: siquidem ita signum erit, maiorem esse coctionem, quam putrefactionem, & consequenter, magis natiuum, quam præternaturalem colorem dominari; id quod non solum debet esse, verum etiam apparere, & videri tale, quæ res efficitur colore albo, quippe qui coctionem sequatur, atque natiuum calorem dominari ostendat. Vnde etiam album pus debere esse magna cum ratione scribit Hippocrates, quæ tamen albedo, vt optime docet Galenus, haudquaquam esse debet exquisita vt nix, sed liuori quodammodo proxima, quandoquidem non tota ea materia assimilanda est, quemadmodum semen, quod tunicis vasorum assimilatur, sed partim expellenda est, partim assimilanda, neruis, ossibus, vasorum tunicis, mebranis, ligamentis, aliisque similibus partibus, quæ nutriuntur: haud secus, atque vrinæ sedimentum, quod puri proportione quadam respódet. Etenim & ipsum sedimentum partim à natiuo, partim à præternaturali calore elaboratum, mediam quandam naturam sortitur inter pus & succos naturales. Etenim quicqd in fabrica sanguinis actionem naturę fugit, subsidet in vrinis, nec vt sanguis ab ea mutatum, nec à præternaturali, vt pus redditum. Ceterum quid

Pus quodē qua re optimum. conditiones illæ duæ, ὁμαλὸν, & λεῖον, appositæ puri significent, haudquaquam à Galeno explicatur, imo nec vlla illorum memoria ab ipso fit. Res autem sic habet. Leue est contrarium aspero; asperum vero est, quod partes habet minime situ, & figura vniformes, ita vt & ad tactum, & ad visum huiusmodi deformitates appareant. Quare si leue est aspero contrarium, debet habere partes situ, & figura vniformes, ita vt & visu, & tactu manifestetur. Iam vero ęquale dicitur, quod colore, atque essentia per totum & omni tempore simile est, sicuti inæquale contrarium. Aequalitas & lenitas sequuntur actionem caloris naturalis supra materiam satis validam, seu vt dicit Stephanus, potentiæ robur, & caloris natiui symmetriam; sicuti contraria, & actionem caloris præternaturalis, & materiæ inobedientiam, vnde alterum optimum est, alterum vero pessimum. Ceterum Cardanus circa colorem puris album inuehitur contra Galenum pluribus argumentis

Cardani contra Gal. argumenta de pure.

probare

probate nitens, nequaquam fieri posse album pus, ob partes solidas. Primum argumentum est. In iecore & renibus fieri albissimum pus, cum tamen illæ partes minime sint albæ; & licet venæ inibi existant, tamen colorem puri non parum dissimilem habent, & actio, vt ipsemet Galenus scribit quarto de vsu part. duodecimo, non à venis, sed à carne iocinoris prodit, ob quod sanguis fit rubeus, id est, similis carni ipsius iocinoris. Alterum argumentum contra Galeni experimentum est, quod etsi lac sit magis album pure, non tamen est semen magis album, vt ait Galenus. Tertium argumentum est, quod si à solidis partibus fuerit actio, cato quoq; in vlceribus alba generaretur, atque fit rubra. Quartum est, mucorem fieri album à calore externo, non autem à calore membrorum. Quintum & postremum in carne musculorum putrescente nihil esse, quod possit dealbare, dum fit concoctio, aut admodum exiguum est proportione partis rubræ, quo fit vt potius hoc in casu pus debeat esse rubrum, quam album. His argumentis propositis addit Cardanus propriam opinionem quæ est, pus non alia ratione fieri album, quam quia materia illa à calore naturali, & præternaturali tractata, atque agitata repletur aere, ac veluti spumescens, eo pacto, quo spuma ipsa dealbatur.

Ceterum prius argumentis respondendum, deinde ipsius sententia examinanda. Ad argumenta, quorum magna pars à Stephano quoque proponitur, dicendum est, rem ita sese habere, quod vbi sanguis secundum qualitatem peccat à facultate expulsiua stimulata, traditur extra venas, atque in locos vacuos fertur, vbi non custoditus à calore natiuo putrescit, sicque putrefactus depascitur carnes. Quoniam vero ibi sunt fibræ, & membranæ quæ quod duræ sunt, nihil patiuntur, sed manentes, sanguinemque illum sibi assimilantes, pus album efficiunt, cum ipsæ albæ sint. Quamquam vt recte dicit Stephanus, pus factum ex inflammationibus iocinoris, haud vnquam ita est album, vt in aliis. Vnde & in iocinore, & in aliis partibus rubris, & carnosis, haud mirum est, album pus fieri. Neque valet actiones fieri à iocinoris carne, non autem à solidis, quandoquidem etsi id dixit quandoque Galenus, intellexit non de sola carne, sed de toto illo parenchymate collato, ex parte carnosa, fibris venis, & aliis partibus solidis. Alioquin sibi ipsi contradiceret, qui millies dixit, à solidis partibus fieri actiones. *Cardani rationes examinantur.*

Neque etiam quicquam valet, debere quoque in vlceribus fieri carnem albam, si à solidis fieret actio, quoniam caro in vlceribus sæpe consumitur, & remanent duntaxat solidæ partes, vel si quippiam remanet, haud assimilare sibi potest sanguinem putrefactum ob passibilitatem, sed id faciunt solida magis impassibilia, præterquam quod caro à solo calore natiuo generatur; pus autem, & à natiuo & à præternaturali. Quod Galenus dixit, semen esse magis album pure, verissimum est de optimo pure. Quod enim magis albet, quam par esset, id certe bonum iudicari non potest.

Iam vero de sententia Cardani dicere oportet, coctiones naturæ in corpore non fieri motu, quemadmodum elixatio externa, sed quiete. Quo fit, vt nequaquam res, quæ suppurantur, possint eo pacto spumam concipere, & cum spuma albedinem, sicuti videmus ex aquis motis, & liquoribus, feruentibus contingere, vnde fit, vt somnium potius quoddam sit hæc opinio, quam secus.

Οἱ δὲ ὑδρωπες, οἱ ἐκ.

Hydropes ex acutis morbis.

HIc omnes initium faciunt secundi libri prognosticorum, quoniam sic Galenus in suis commentariis diuisit. Quæ autem sit cum antecedentibus continuatio, pauci accommodate docuerunt, quod, vt millies dixi, hic liber careat exacto ordine. Si tamen vlla est afferenda connexio, hæc esse potest, etiam à Stephano significata, quod scilicet cum in antecedentibus locutus sit de statu

hypo-

hypochondriorum, deq; ipsius abscessibus, qui ad suppurationem veniunt; nunc loquatur de iis, qui nunquam ad suppurationem perueniunt, cuiusmodi est hydrops, qui quidem non modo est affectus hypochondriorum, verum etiam inter genera abscessuum iure connumerari potest, secundum Hippocratis appellationes. Nec quis dicat hydropem esse affectum chronicum, & Hippocratem loqui in his libris de acutis, quoniam non tãtum de acutis, sed etiam de iis morbis, qui fiunt ex acutis, sermonem habet, cuiusmodi est non omnis, sed aliquis hydrops, de quo solo, in præsenti sermo est. Præsens autem dictio duas partes habet; In prima ponit signum prognosticum, & rationem; In secunda vero initium & occasionem generationis ipsius; Dicebat enim 2. epid. deueniendum semper esse ad occasionem, atque occasionis initium. Prima igitur pars hæc est, hydropes qui fiunt ex morbis acutis, semper mali, quia febrem non sedant, dolorifici valde sunt, & lethales. Vt autem circa hanc partem, quæ maximi est momenti, diligenter philosophemur; primum videndum, quid sit hydrops; Deinde singulæ dictionis propositę partes examinandæ sunt. Hydropem omnem esse aquę collectionem, vel in ipso abdomine, vel intra cutem & musculos, & ratio nominis docet, vt dicebat Cælius Aurelianus libro de diut. 3. cap. 8. atq; etiam communis hominum notio, præsertim Stephanus. Etenim & si in Tympania flatus causa contentiua ipsius hydropis videatur, haudquaquam solus, sed cum ipsa mixtus est. Fit autem aqua propter caloris concoquentis impotentiam, quippe qui haud ex cibis sanguinem probum, aliosque succos generare valens, loco ipsorum aquam, vel saltem aquosum sanguinem facit. Itaque ex his apparet, hydropem esse morbum in magnitudine aucta, vt etiam testatus est Galenus decimotertio Meth. cap. quoniam hic minime nobis institutum est de morbis occurrentibus integras tractationes habere, nisi quantum interest ad declarandam Hipp. mentem, eiusq; signa prognostica explicanda. Ad verba expendenda conuertamur.

Hydrops ad, & quæ eius causa.

ὑδρωπες.

Hydropes.

Dixit in numero plurali Hippocrates, sicuti in Coacis, vbi hæc eadem habentur, quoniam plures sunt differentiæ. Etenim quinque facit Stephanus. Alii quatuor. Veritas autem est esse tres. Ergo, cum tres sint species hydropis, aqua inter cutem seu hyposarca aut leucophlegmatia, ascitis & tympanitis, non de vna tantum, sed de omnibus loquitur, quod etiam omnes aut fiunt à causis internis aut externis, vt potu aquæ frigidæ, &c. Et quæ à causis internis vel à morbis acutis fiunt, vel à diuturnis, qui tamen causæ sunt antecedentes, cum coniuncta sola sit frigida iocinoris intemperies, vt ratio, & veteres omnes docent, & nos magis docebimus. Verum cum hic de acutis loquatur Hippocrates, aut de diuturnis, qui fiunt ex acutis, de solis hydropis speciebus factis ex morbis acutis, sese sermonem habere dicit apertissime

Κακοὶ

Dicit simpliciter malos esse propter tres causas. Vna est, quia febrem non sedant; altera, quia dolorem faciunt; tertia quia mortales sunt. Ceterum videtur mirum, cur Hippocrates has tantum tres causas afferat, cur mali sint hydropes ex acutis, cum aliæ complures sint. Præterea cur non contentus fuit postrema, scilicet quod sit lethalis; quandoquidem hæc sufficere videtur ad testandam malitiam hydropis. Pręterea quis modus loquendi est, dicere, hæc est mala res, quia est lethalis? Videtur haud Hippocratis grauitate dignus. Igitur ad primum dicimus, res semper tanto esse deteriores, quanto magis videntur à ratione recedere. Cum enim nulla euidens ratio apparet, & tamen fit res, tunc valde metuendum est, tum à causa, quod ingens sit, tum à curatione, quod fieri non possint vsu, quæ ratione non fiunt. Quid magis videtur recedere à ratione, quam vt aqua non extinguat ignem?

quam

quam vt aqua faciat dolorem, vbi deberet, eum finire? quam vt aqua, quæ igni esse solet remedium, augeat illius periculum? Etenim dicebat Hippocrates 2. de morb. loquens de hac hydrope, vbi ignis non domatur aqua, nullam superesse spem. Itaq; cum Hippocrates vellet signa omnium maxima prauitatis hydropis proponere, nulla alia putauit accipienda, quam hæc. Iam vero cur non contentus sit attulisse duas priores rationes, adieceritque tertiam, causa fuit, vt magis prauitatem hydropis exaggeraret; simulque moneret Medicos posse libere hydropem malam esse dicere, quod non tantum febrem non sedat, sicuti deberet, ac dolorem inducit, verum etiam quia lethalis est. Porro modus iste loquendi haudquaquam incongruus est; siquidem esse lethale aliquid, potest dupliciter intelligi, vel quod periculum sit, nec mortem afferat, vel quod necessario mortem afferat. Hic Hippocrates secundo modo scripsit, & iccirco est, ac si diceret, hydropem ex morbis acutis esse malam, quia necessario interemit. Ceterum cum dicat Hippocrates, omnes hydropes esse malas, iure quæri potest, ex tribus, quæ sit deterior, & quæ deterrima. Mortem necessario afferre hydropem anasarcam, testatur Hippocrates primo de morbis circa initium, vbi diuidens morbos, in salutares, in dubios, atque eos, qui necessario occidunt, inter hoc postremos recenset hydropem hyposarcam. Eandem sententiam habet auctor libri quarti de acutis, & Aretæus, qui dicit, opus esse totum hominem reficere, qui vult curare anasarcam. Alii putant difficilimam omnium tympaniam. Ego vero ita puto diffiniendum, prauitatem morbi, aut penes curationes considerari, aut penes symptomata. Si penes curationem, sane difficilima omnium anasarca, quia totum laborat. Tympania vero curari potest discutientibus, si penes accidentia deterrima tympania, ob dolores, tensiones, sitim, & febrem sibi coniunctas, accedit, quod, vt ait Galenus quarto aphor. vndecimo, tympania fit à minori frigore, quam Ascitis, quippe cum flatus ab alieno calore fiat, aqua vero à nullo. Modo videamus quare hydrops fiat cum febre à morbis acutis, quare sit dolorifica, & quare necessario mortem afferat. Circa primum Stephanus dubitat, an id fieri possit; siquidem vbi est adeo ingens aquæ collectio, rationi consentaneum esse videtur, ignem non posse subsistere, & consequenter potius debere extingui, quam permanere: Ad quam dubitationem dicit, nonnullos respondere, ideo non extingui febrem in hydropicis, quoniam febris per vniuersum corpus propagatur, aqua autem in vna tantum corporis parte sistitur. Vnde particularis aquæ collectio, haud potest morbum vniuersalem, & totius corporis ignem delere. Verum ait, & recte idem Stephanus, huiusmodi responsionem esse superficiariam, quoniam aqua, & si in vno tantum loco sit collecta, attamen est in ea parte, vbi posita est causa febris, nempe in hypochondrio, atque in loco ipsi cordi proximo. Vnde potest facile ab aqua cordi accedere frigus, atque ita temperans feruorem cordis, quod est primaria febris sedes, simul ignem totius corporis mitigare, & extinguere.

Lethale duobus modis dicitur.

Addo ipse, & alia ratione, quod in hyposarca aqua est in vniuerso corpore, vnde si solida esset responsio allata, deberet saltem in hoc genere hydropis nulla febris fieri. Ergo affert Stephanus aliam responsionem, & meliorem, scilicet quod etsi aquæ collectio sit in hydrope, illa tamen aqua, & praua, atque actu quidem, & apparentia humida, verum cum sit salsa, est potius potentia sicca, & calida, quam humida, haud secus atque marina aqua. Vnde quia salsa, praua, & propterea putrescens, haudquaquam potest febrem extinguere. Imo vero ipsam conseruat, & auget. Etenim Theophrastus in libro de igne scribit, humidum quod habet lentorem commixtum, minus penetrare, ac propterea minus extinguere ignem, nisi quidpiam quod ipsum peruehat commisceatur, vt albumen oui non extinguit ignem per se solum, sed si acetum ipsi commisceatur.

Iam vero aquam marinam lentorem habere, ac propterea minus ignem extinguere posse, imo vero magis accendere, præ ceteris monstrant Aristoteles & Plutarchus. Aristoteles enim vigesima tertia sectione, Problem. septimo, quærens

rationem cur mare sit minus frigidum, quam potabilis aqua, duas affert rationes. Vna, quod marina aqua spissior, & corpulentior. Talis autem difficilius refrigeratur, & cum calefit diutius calorem retinet. Altera est, quia marina aqua pinguior est, vnde non potest flammam extinguere, quemadmodum aliæ aquæ, siquidem quod pingue est, calidius quoq; est; Plutarchus vero primo sympos. 9. docens, cur Homerus fingat, Nauticam pannos haud in mari, quod erat proximum, lauantem, sed in flumine, inquit aquam fluminis ob puritatem, & tenuitatem magis penetrare, ac propterea melius maculas eluere, quanquam marina, quæ crassior, terrestrior, pinguior, ac propterea minus penetrabilis est, multo magis ponderat, minusque maculas eluit, & ratione pinguedinis lucernas magis ardere facit. Addit quoque marinam aquam flammis aspersam, & ipsam accendi magis, quam omnes alias aquas. Ex quibus patet, Stephanum vere dixisse, aquam hydropicorum propterea quod sit salsa, haudquaquam posse febrilem calorem sedare. Quomodo autem post morbos acutos fiat hydrops, facile est intelligere, si ad memoriam repetamus inter causas extinguentes, ignem & calorem, ab Aristotele, Theophrasto, & Galeno libro de breuitate vitæ, & longit. nec non tertio Problem. vigesimoquinto, & vigesimosexto, connumerari calorem etiam maiorem. Sicut enim ignis paruus extinguitur à maiori; eo, quod hic alimentum sibi eripiat; sic vbi calor febrilis ingens, vt in febre ardenti, à qua Hippocrates septimo epid. dicit fieri hydropem, adiicitur calori natiuo præripiens illi proprium pabulum, quod est humidum, diminuit ipsum atq; extinguit, quo deinde in iocinore diminuto, cum nequeat fieri bonus sanguis, gignitur aquosus; imo vero aqua ipsa. Sic enim dicebat Aristoteles tertia sectione, Problem. quinto, eximio potu vini fieri hydropas, quemadmodum & Galenus primo de temperamentis.

Aqua marina cur flammam minus extinguat.

Fit quoque hydrops post alios morbos à fluxione, vt Hippocrates libro de loc. in homine à quattana; libro sexto de aere, aquis, & loc. atq; ab aliis acutis, quando in abdomen humor morbificus à natura mittitur, vt 1. epidem. 2. sect. dicit Hippocrates, ea tempestate contigisse. Etenim vbi à quantitate, & qualitate seri stimulata natura, id nec per sudorem, neq; per vrinam expellere potest, effractis vasis, aut emulgentibus, aut aliis effundit intra peritonæum, vbi statim hydropem creat. Potest etiam esse alia causa, quoniam in curatione febrium acutarum Medici plerunque, & frigida aqua, & aliis refrigerantibus rebus vtuntur, quibus fit, vt iecur impense refrigeratum hydropi gignendæ facilem occasionem præbeat, quemadmodum Auerrhoes quoque sese ex febre ardente, & valde acuta factum esse arthriticum ob vsum medicamentorum valde refrigerantium, testatur libro septimo collect. capite trigesimo primo.

Ceterum an hydrops sit dolorificus, similiter dubitatur, tum quia aqua paulatim colligitur, ac paulatim peritonæum distendens, haudquaquam dolorem infert, quippe qui, vt ex Platone in Timæo, & Philebo sæpe testatus est Galenus, fiat ex repentina mutatione à naturali ad preternaturalem statum. Veruntamen dicendum est, aliam esse hydropem, quæ fit cito; aliam, quæ fit lente. Fit cito ex morbis acutis, & quia fit cito, cito etiam peritonæum distensum, & dissolutum dolorem infert, vt ait Stephanus.

At vbi fit hydrops lente ex morbis dinturnis aliisue caussis, plane vel nullum vel fere insensibilem dolorem facit. Cur autem necessario mortem afferat, est quia calor natiuus ab hoc morbo, vbi potissimum fit ex acutis patitur grauissime, scilicet fere annihilatur, & in frigus commutatur quo fit, vt nequeat reparari, & licet, non ita cito interimat, id tamen verissimum est, non multum vitam protrahi. Quinimo etiam si interdum aqua illa euacuatur, facile tamen morbus redit, vt Traiano, atq; Hadriano contigisse perhibent historici. Atq; hęc de prima præsentis dictionis parte. Sequitur secunda, quæ est.

Ἄρχονται δὲ οἱ πλεῖστοι.

Incipiunt autem.

IN hac secunda parte docet Hippocrates, quodnam soleat esse hydropis, siue aquæ collectionis principium, & hoc facit, quia tam ad præcognoscendam, & prædicendam ipsam maxime conducit, quam ad ferendum euentus iudicium. Dicit ergo plurimos hydropas inchoare ab iliis, & lumbis: aliquos autem ab hepate. Κενεῶνες, quia ab Homero λαπάραι, à nostris ilia nuncupantur, sunt partes illæ, quæ vtrinque subtus costas velut vacuæ videntur, ibi est, vt dicit Galenus, quæ ab extrema costa thoracis vsque ad os ἐκ λαγόνος, id est, ilii complectuntur. Etenim si contrectentur prius quam stomachus, cibo & potu repletus sit, veluti vacuæ videntur. *Κενεῶνες quid.*

Cælius Aurel. secundo acutorum trigesimotertio, vocat inania, & celata loca, sicuti Celsus inania loca, aut ilia libro quinto, capite vigesimoseptimo, & libro secundo, capite septimo. Lumbi vero proprie dicuntur, pars totius spinæ quinque vertebris crassissimis, maximisque constans inter dorsum osque sacrum media; alias ἴξυς vocata. Intra lumbos autem atque ilia continentur potissimum, vt docet Galenus, ieiunum intestinum, mesenterium, atque tenuia ipsa intestina. Iam vero dubitatur, quo pacto nunc dicat Hippocrates, incipere hydropem ab hisce partibus, cum sexto de loc. affect. Galenus circa principium, & alibi dixerit, haud fieri posse hydropem, nisi refrigeretur iecur; quasi vero solum iecur, non alias partes hydropis originem esse voluerit. Sed respondendum est aliud esse initium collectionis aquæ, aliud generationis. Initium collectionis, de quo Hippocrates nunc sermonem habet, fit intra lumbos, & ilia, quoniam cum hæ partes sint veluti vacuæ, facile in ipsis aqua genita recipitur, & cumulatur. Sed fit etiam interdum circa iecur, de qua re loquens Hippocrates septimo aphorism. vndecimo, scribit, quibus iecur aqua refertum erupit in omentum, his venter aqua expletur, & moriuntur. *Lumbi quid.*

Ceterum generationis principium est semper iecur, & sic loquitur Galenus 6. de loc. affect. Etenim, vt dicit hic ipsemet, communis omnium hydropum generatio est sanguificationis frustratio, quæ fit vel iocinore principaliter affecto, id est, vel morbo similari, vel instrumentali affecto; vel per consensum. Fit autem consensus, aut propter partium propinquitatem, aut ob communionem insignem vasorũ, & neruorum. Potest etiam responderi, vt Stephanus, vbi Hippocrates dicit incipere ab iliis, loqui de principio generationis, per consensum. Dum autem dicit ab hepate, de eodem principio, loqui peridiopathiam. Sed dubitabit aliquis, cur ex frustratione sanguificationis in iocinore fit hydrops, non autem fit ex frustratione chylificationis in ventriculo, maxime cum ibi copiosa materia ad illius generationem suppetat. Præterea dubitatur, quænam sit dispositio seu intemperies iocinoris, à qua alteratrix facultas violatur, ita vt nequeat sanguificare, an scilicet frigida, an calida. Stephanus ad primam respondet, hoc non fieri, quia in ventriculo non potest materia illa imperfecta in vapores conuerti, nec ob densitatem tunicæ illius exire, sed ibi consistens, & ob grauitatem deorsum labens, diarrhœas facit. Verum hæc responsio est secundum placitum illius, qui putauit in hydrope fieri, & colligi aquã, instar pluuiæ, vel instar aquæ circa muros balneorum concrescentis. Verum cum & Hippocrates & Galenus aliter videantur sentire, dico primum fieri etiam aquam in stomacho, vt Galenus notat 7. aphor. ad aphorismum prææallegatum, & colligi interdum in omento per venas, sed cum multo facilius fit, tam vel per vomitum reiici, vel per aluum, quam in abdomen effundi, ad quod nulla est via, eapropter non fit hydrops à stomacho. Ad secundum dicendum est, vnam esse frigidam intemperiem, quæ hoc facit; sed vel inducitur à causa frigida, vel à calida. Causa autem calida dupliciter refrigerat, vel pabulum eripiendo, vt dicebam, vel calorem natiuum dissipando, atq; euentatione priuando. Cum enim duos motus habeat *Calida causa quomodo refrigeret.*

natiuus calor, vt docet Galenus libro de marasmo, alterum deorsum, alterum sursum, vbi vterque vel alter nimius est, calor marcescat necesse est. Iam vero calor præternaturalis, seu febrilis, facit minus calorem moueri sursum, & motum deorsum adimit ad pabulum, scilicet, vnde his necessario languescit, & frigiditas, hoc est caloris natiui diminutio, succedit. Atq; hæc est ratio, qua fit hydrops ex ardentibus febribus, interdum, vt dicit Hippocrates 7. epid. Ex quo patet, quam turpiter errauit Cardanus, qui aduersus vetustam omnium scriptorum & recētissimam sententiam, existimauit hydropem solum à causa calida fieri; ac propterea nō esse mirum, si ineuitabilis videat, cum incognita ipsius natura, haudquaquam recta curatio, sibi instititui queat, sicuti puto decipi Valesium, qui existimat; posse interdum etiam durante intemperie calida, & sicca in iocinore fieri hydropem. Etenim quomodo ab igne generari possit aqua, haud satis video, nisi eo pacto, quo dixi. Neq; valet, quod Galenus 6. de loc. aff. c. 1. id videatur asserere, quoniam si recte eius verba examinentur, videtur voluisse prædicere quidem aquæ generationem calidam, & siccam iocinoris intemperiem, à qua ita læditur ἰσχυρῶς, iecur, vt sanguinem non faciat. Sed quis modus læsionis sit, non dicit; imo cum infra in eodem capite dicat, si debet fieri hydropica dispositio, necesse esse refrigerari iecur, monstrat velle, læsionem factam à calida & sicca intemperie, esse quam diximus, nempe quod calor natiuus ab ea pene extinguitur, & frigiditas inducitur; siquidem semper causæ per se effectus est similis, non contrarius. Scio posse dici causam febris esse bilem, & principium febris in corde, proptereaque posse aquam intra peritonæum esse, nec contra agere bili, quæ est in venis aut corde, quod est valde remotum. Sed quamquam hoc sit verum, de permanentia vtriusque degeneratione, tamen ipsius aquæ à causa calida dubium est, quæ fieri nequit, nisi ipsius effectrix causa, hoc est iecur sit, frigidum, quemadmodum supra diximus, & quemadmodum ipsa rei natura postulare videtur.

Οἷσι μὲν ἐν ἀπὸ τῶν.

Quibuscunq; ergo ab.

Dixit Hippocrates in antecedentibus, incipere hydropas interdum ab iliis, & lumbis, interdum ab hepate. In præsenti autem docere vult, quid faciat vnaquęque hydrops, tam scilicet iliaca, quam hepatica. Et hoc facit Hippocrates, vt tradens effectus vtriusque, non solum eos præcognoscere possit Medicus, antequam adueniant, verum etiam ex iis cognitis, quid boni vel mali expectandum sit prædicere.

Diuiditur & hæc dictio in duas partes, in quarum prima loquitur de hydrope incipiente ab iliis, & lumbis; in secunda, de illa, quæ incipit à iocinore. Videamus vnamquamque partem singillatim, & diligenter. Et primo primam, quæ est hunc in modum.

ἀπὸ τῶν κενεώνων.

Ab iliis.

Hic dignum est contemplatione, quomodo quæ incipit ab iliis, lędat functionē iocinoris, an communicata prius intemperie, hoc est læsa ipsius facultate, an sine læsione facultatis. Ego enim puto id facere læsa facultate, hoc est, communicata intemperie frigida; siquidem vbi læditur actio sine lęsione facultatis, id fit, vt ait Gal. 3. de symp. caus. c. 1. ob aliquem errorem externum, cuiusmodi non est in proposito casu, nisi errorem externum libeat vocare humores frigidos, qui ab iliis cōmunicentur iocinori. Sed hi non possunt suppeditare tantam materiam, vt faciat hydropem, etsi suppedirat necessario inducet intēperiē, quā iteratæ impressiones ab externa causa factę, semper intemperiem inducunt, ac propterea facultatē lædunt.

Οἷσι

Οἵτε πόδες οἰδέουσι.

His pedes intumescunt.

DVo enumerat symptomata, quæ sequuntur hydropem ab iliis incipientem: Vnum est, quod iis pedes intumescunt, alterum quod profluuia ipsos detinent, quodque hæc profluuia nil afferunt euacuamenti. Secundo, quia nec dolorem ilium, & lumborum tollunt; atque postremum, tres conditiones habere, vnam nec ventrem molliunt, id est, tumorem ventris nihil deprimunt.

Circa primum symptoma inuestigandum est, quas ob causas in hac hydropis specie fiat pedum tumor. Galenus inquit, & vere quemadmodum, & Hippocrates omni hydropi, tam quæ fit per consensum, quam quæ per protopathiam iocinoris; veruntamen vbi fit ab iliis, cum vel ob inflammationem vel scyrrhum, vel aliquam insignem intemperiem, aut intestinorū, aut renum, aut lienis vitietur functio sanguificа ipsius iocinoris, vel læsa illius facultate, vel sine ipsius læsione fit, vt sanguis aquosus, atque adeo ipsa aqua gignatur, quæ ab expultrice omnium partium ad pedes potius propellitur; tum quia, vt dicit Stephanus, ipsi excarnes sunt, ossei, neruei, & à corde valde remoti; ita, vt facile patiantur, & suscipiant humores; tum, quia cum habent situm, qui non modo eos facit idoneos ad suscipiendum humores, verum etiam alias partes ad amandādum oneratia excremēta adeo facile inuitant; tum demum, quia cum circa partes patientes calor influens retineatur, eius illustratione pedes priuati, haud alimentum concoquunt, quo fit, vt hac ratione etiam ibi crudi succi gignantur, qui aliis mistis coniuncti, ac in vapores ex parte conuersi necessario in tumores attolluntur: quod haudquaquam manibus contingit, quæ tametsi non parum à corde sint remotæ, & osseę, nec non influente calore priuatæ, attamen tum propter materiam, tum propter situm, minime tument. Non propter materiam, quia spiritus crassi, & ichores suopte impetu feruntur deorsum. Non etiam propter situm, quoniam situm superiorem, ac pene pedibus contrarium habent. *Manus cur non æque prompte hydropicis tumescant, vt pedes.*

Itaq; propter has omnes rationes fit, vt in qualibet hydropis specie pedes semper tumidi fiant. Vtrum vero prius tumeant in hydrope ex sympathia, an ex protopathia, haudquaquam Hippocrates, aut Galenus diffinierunt. Puto tamen in facta prins ex iecore hoc fieri, quoniam, etsi quodammodo ilia videntur pedibus propiora, quam ipsum iecur, copiosior tamen succus aquosus, & grauior fit ipso primitus patiente, quam ab iliis, vnde fit, vt debeat etiam ocius deorsum ferri, atque tumorem inducere.

Pariter etiam vtra sit lethalior, an hydrops ex iliis, & lumbis, an ex hepate, dubitari potest iure merito, quandoquidem etiam quæ fit ab iliis originem ducit ab inflammatione aliqua, alioquin non sequeretur morbos, & febres acutas. Pro qua re diffinienda, inquiunt interpretes aliqui fieri non posse, hyposarcam ab iliis tanquam à prima occasione; alii vero dicunt per hydropem ab iliis Hippocratem intelligere duntaxat tympaniam, quasi ab illa parte sola hæc species fiat. Ego autem intelligo, æque omnes species fieri posse ab iliis; & ratio est, quoniam nullus hydrops fit, quin iecur afficiatur, vt hic dicit Galenus, sed clarius primo capite, sexti libri de loc. affect. Atque iecore affecto, hoc est, refrigerato vel priuatiue, vel positiue.

Fieri potest igitur etiam ab iliis quilibet hydrops, cum ab iis non aliter fiat, quam affecto iocinore, qui prout magis, vel minus læditur, sic modo ascitem, modo tympaniam, modo anasarcam patit. Iam vero diffinitum est vtra ex tribus sit exitialior, vt non oporteat amplius hac de re tractare.

Καὶ διάῤῥοιαι πολυχρόνιοι.

Et alui profluuia diuturna.

HOc est secundum symptoma, quod sequitur hydropem ab iliis, scilicet profluuium:

uium: quod quidem profluuium tres, vt dixi, conditiones, habet. Verũ cur fiãt profluuia, duplex causa est; vna, quia post inflammationem partis, vel partium iliorum, semper remanent aliqui cineres ex bile, & humoribus combustis, qui missi ad intestina, ea ad excretionem assiduam incitant. Altera causa est, quoniam laborantibus partibus iliorum vix fieri potest, quin venæ mesaraicæ, vel intemperiem, vel obstructionem incurrant, quibus fit, vt cum nequeant inseruire iocinori, qui per illas trahit chylum è ventriculo haud secus atque arbores succum à terra per radices, chylus recurrat ad intestina, atque ea mollia, & lubrica reddat.

Profluuii alui quæ causa

Fiunt autẽ diuturna profluuia, quæ est prima conditio, quoniam intemperies veluti habitus quidam prauus ex morbo acuto relinquitur in iliis, vt ait Galenus vndecimo aphorism. quarti libri, qui sicuti non nisi longo tempore finiri potest, sic mala, quæ ab ipso prodeunt necessario diu perdurant. Sed hic oritur dubitatio, quoniam Hippocrates quarto de morb. scribit, hydropicum, vbi alui fluxus accedunt, perire citissime, & sentientem, & loquentem. Nisi dicamus ibi loqui de nimio fluxu non de diarrhœa, quia inquit, κοιλίη ῥέῃ. Igitur dicendum loqui de hydrope, qui fit in hominibus iam alio morbo consumptis.

Haud secus etiam duas alias conditiones habent huiusmodi profluuia, scilicet, vt neque dolorem minuant, neq; ventris tumorẽ subsidere faciant; siquidem quicunque sit hydrops causa vel doloris, quæ est tensio, aut corrosio ab humore acri, vel tumoris, qui est flatus; aut aqua, aut vterque, qui non in iliis est, sed intra peritonæum, & intestina: vnde non patet via vlla, per quam possit materia ibi contenta, siue flatus sit, siue humor acris, siue aqua, in intestina euacuari.

Quod etiam dicendum est de anasarca, cuius materia intra cutem contenta, haudquaquam recedere amplius ad intestina potest, vt clarissime dixit Galenus sexto epidem. sectione tertia, in historia Simonis. Et notandum est, Hippocratem meminisse hydropis ventricosi duntaxat, quoniam illæ magis videtetur debere leuari à fluxu alui, quam anasarca, & tamen non leuatur. Vnde tanto minus, & hyposarca.

Sed dicet aliquis, si anasarcæ materia non potest recurrere ad intestina, & facere alui fluxum, quomodo igitur Hippocrates septimo aphorismorum vigesimo nono scribit, si laboranti leucophlegmatia alui fluor superueniat, morbum solui. Respondendum est, aliud esse leucophlegmatiam, aliud anasarcam. Etenim in leucophlegmatia sanguis pituitosus est, atque tota materia intra venas continetur. In anasarca vero, iam humor aquosus extra venas diffusus est subtus cutem in ipsas raritates carnis cuti subiectæ.

Leucophlegmatias & anasarca hydrops, quo differant.

Vnde in hac humor amplius recurrere ad intestina nequit, sed in leucophlegmatia potest quidem humor pituitosus, & aquosus euacuari per vrinam, & per aluum, scilicet venis effundentibus aquam sanguini commixtam in ipsa intestina. Atque hoc cognouisse quoque videtur, Horatius, quia de hac specie hydropis loquens, dixit, non posse tolli sitim, nisi causa mali fugerit venis, & aquosus albo corpore liquor. Tertia conditio est, quod non mollitur venter, id est, non subsidet. Id significat λαπάσσεσθαι. Et ratio est, quia nil euacuatur eius, quod facit tumorem. Vnde male faciunt Medici, qui putant sese aquam contentam in abdomine posse per intestina euacuare.

Ὁκόσοισι δὲ ἀπὸ ἥπατος ὕδρωπες.

Quibus autem ab hepate.

IN hac secunda parte, vt dicebam, dixit Hippoc. symptomata, quæ sequuntur hydropem ab hepate, atq; symptomatum conditiones. Dicit igitur quod quibus à iocinore fiunt hydropes, quatuor peculiariter contingunt, 1. tussis, & tussiendi cupiditas sine vlla effatu digna expuitione; 2. pedes tument; 3. venter non egerit nisi dura, & vi quadam; & 4. circa aluum fiunt tumores partim in dextra, partim in sinistra par-

Symptomata hydropis ab hepate.

stra parte, & modo consistentes, modo desinentes. Vt autem vniuscuiusq; symptomatis ratio diligenter inuestigetur, sciendum est illud perpetuum ante oculos haberi debere, quemlibet hydropem tam ab iliis, quam à iocinore factum esse lethalẽ; ac propterea cognitio accidentium ipsius ad prognosim, nil aliud conducit, quam vt ex iis cognoscatur vel modus mortis, vel celeritas, aut tarditas, vel maior, aut minor desperatio, Ergo primum symptoma, s. tussis, & tussiendi inanis, ac sine vlla expuitione cupiditas, quod ad causam pertinet Gal. circa illam discurrens, inquit, rumorem ventris diaphragma comprimere, quam læsionẽ quasi fugere cupiens natura, excitat motum illum, quem quoniam ægrotãtes experientia cognoscunt, nihil prodesse, iccirco statim ac incipiunt tussire desinunt, sicq; fit inanis tussiendi auiditas, ad quam etiam nullum sputum effatu dignum sequitur, quoniam nõ à materia asperã arteriam, aut pulmones irritante efficitur, sed à causa extra thoracem posita. Et inquit Hipp. nihil effatu dignum expui, quoniam si quippiam educitur id est succus aquosus, tenuis, & paucus in ipsam arteriam à vasis aquosum sanguinem continentibus instar sudoris cuiusdam expressus, & diffusus, qui illo deinde motu exit, & sputum quidem facit, sed admodum exiguũ, & nulla consideratione dignũ; aut ab ipso iocinore ichor aliquis communicatur thoraci, & septo, quod deinde irritat, & emittitur. Steph. Athen. inquit, huiusmodi signũ, siue symptoma fieri æque in hydrope ab hepate per sympathiam, atq; per idiopathiam, sed differre, quoniam in ea, quæ fit per sympathiam, tussis tardius fit, quam in ea, quæ per idiopathiam, nẽpe in qua statim fit tussis, eo, quod siue fit inflammatio, siue tumor alius in iocinore, statim diaphragma ab illo impellitur, & thorax coarctatur. Vnde sequitur tussis eo pacto, quo supra dixi; quæ tussis propterea fit tardius in hydrope ab iliis, quia nõ ita malum est diaphragmati proximum. Est autem hoc signum pessimum, quod significet vsq; adeo copia creuisse humorem, vt non sufficiat contineri intra peritonæũ, & intestina, sed etiam effundatur ad ilia. Verum antequam vlterius procedamus, oritur dubitatio, quomodo dictum sit ex Stephano, fieri statim, & semper tussim irritam in hydrope ex iecore proprie patiente, cum Hipp. 6. aph. 35. & 7. aph. 47. scripserit. vbi tussis superuenit hydropi, non solum esse pessimum signum, sed ægrum esse absq; vlla spe. Vnde colligitur, non statim fieri tussim, nisi dicamus, Hipp. ibi loqui de hydrope ab iliis, cui tarde superuenit tussis, vt dicebam, & tunc pessima est. Nam 2. epid. sect. 5. habetur, hydropico tumores crurũ habenti, si tussis superueniat, malũ esse. Est tamen illud aduertendum, q; habetur à Gal. in com. aph. 35. li. 6. nẽpe Hipp. sententias esse semper intelligendas de ea tussi, q̃ superuenit ratione morbi, quoniam si alia ratione superueniat, vt ob destillationem, vel aliqua alia de causa, tunc non est ita prauum signũ. Est etiam & aliud notandũ, Hip. illo aph. 7. li. dicere, si hydropicum tussis habeat, esse sine spe quidem, vbi continua est tussis, ita vt habeat ægrotantem signum malum vsq; adeo creuisse, vt periculum immineat, ne subito suffocetur. — 1. Tussis, & quæ eius causa.

καὶ οἱ πόδες οἰδέωσι.

Pedes tument.

CRurum tumorem, cum tussi in hydrope, dicebamus ex Hip. 2. epi. malum esse. Quomodo autem fiat pedum tumor, iam diximus; eadem .n. ratione in omni genere hydropis fit. Dicit Steph. esse differentiam, q; in hoc hydrope etiam manus & corpus totum tumescit, eo, q; frustrata sanguificatione aquoso sanguine nutriantur. Sed hoc nõ placet, quia in cunctis læditur sanguificatio. Vnde multo melius est dicere, quod sicuti magnitudinem naturalem iocinoris sequitur magnitudo digitorum, vt Rasis, & Auic. quemadmodũ retro dicebã; sic quoq; magnitudo præternaturalis. Quæri etiã potest, cur non semper in initio tumeant pedes, præsertim in tympania. Resp. ex Hip. 4. de morb. circa fin. quia spiritus tenentur circa ventrẽ cõclusi, ita vt nequeant transire ad crura, & pedes, quemadmodum contingit aquæ conclusæ in vase angustiori; quod inuersum non permittit exire aquam, nisi vel sursum, vel deorsum concedatur aliqua perspiratio. — 2. Pedum tumor.

καὶ ἡ γαστὴρ οὐ διαχωρέῃ.

Et venter non egerit.

3. Dura aluus: & huius quæ causa.

HOc est tertium accidens, hydropem ex iocinote sequens, scilicet, quod dura fiat aluus, nec nisi magna vi fœces reddat. Hippocrates quoque quarto de morbis, circa finem, dicebat, Hydropicis fieri aluum modo duram, modo mollem. Galenus inquit, hoc ideo fieri, quoniam intestina nihil patiuntur, neq; iocinore affecto corrumpitur cibus, ita vt in intestina restagnans ea irriter, vel partes ad sese expellendum trahat. Etenim in ipsis intestinis plurimum manent reliquiæ alimenti, atq; ichores partim mittuntur intra peritonæum, & intestina, partim ab inflammatione iocinoris assantur, atque absumuntur, ita vt solæ fœces remanentes in intestinis duræ euadant, diuturneque: & quia duræ sunt, non nisi ægre possunt extrudi. Sed non est verum, posse simul diu manere inflammationem iocinoris, & hydropes quia vt ait Hippocrates in fine quarti de morb. ταχέως, celer fit difficilis, & celeriter augetur. Stephanus autem dicit inflammationem existentem in iocinore humiditatem omnem ventriculi, & intestinorum consumere; vnde fœces exiccatæ non emittuntur, nec quicquam ad hoc iuuare potest humiditas illa copiosa, quæ continetur intra peritonæum, & intestina, quoniam etsi tangens ea deberet humectare, & mollia reddere, quia tamen humor ille salsus est, & potentia siccans, potius durat, quam emolliat. Nam salsam aquam alunm adstringere, & Hippocrates docuit in libro de aer. aqu. & locis, & experientia docet; siquidē dysenterias quotidie sanamus aquis salsis, & Galenus duodecimo meth. narrat, quendam immanes dysenterias consueuisse muria sanare, qui etiam septimo de medicamentis per genera dicit, habitus piscatornm esse duros & salsos. Nec valet quod Aristoteles dixit 23. Problem. circa finem, natantibus in mari fieri corpora λαπαρά, quoniam de corpore loquitur, non de aluo. Possumus etiam adiicere aliam causam duritiei alui, nimirum priuationem humoris biliosi, qui solet in duodenum penetrare, vt excitet facultatem expulsoriam. Hoc autem totum quoque malum esse, habemus secundo prorrhetic. sexto. Nam sic retinentur fœces diu, & retentæ siccantur, vt Aristoteles docet 13. Probl. 1.

Salsa aqua ventrem astringit.

καὶ περὶ τὴν κοιλίην γίνεται.

Et circa ventrem.

4. Tumores circa aluum & horum causa.

HOc est quartum, quod accidit hydropi hepaticæ, vt scilicet fiant tumores in vniuerso ventre: aliqui scilicet in dextra, aliqui in sinistra; aliqui consistentes, aliqui desinentes. Hoc autem fieri dicit Galenus, quoniam cutis toto pituitoso sanguine nutrita veluti œdematosa euadit, ita vt si digito comprimatur, subsideat quidem, sed illico releuetur; Vel principio quidem apparent isti tumores, sed postea delitescunt, atq; iterum reuertuntur. Hisce enim duobus modis interpretari posse illa verba, ἱσάρματα καὶ καταπαυόρματα, putat Galenus, qui etiam aliud animaduertit, non statim huiusmodi rumores neque simul fieri, sed prius pedes intumescere, quod sint frigidiores, & ob situm facile recipiant: deinde alias partes. Addit aliud, differre in hoc rumores hepaticos hydropis ab iliacis, quod iliaci, cū sint flatulenti haud cedunt pressi, sicut isti, qui fiunt à phlegmate molli. Sed Galenus nihil dicit cur Hippocrates dicens, fieri circa ventrem, tumores addit aliquos circa dexterā, aliquos circa sinistram partem fieri. Ego vero puto, hoc non sine aliqua ratione dixisse, siquidem (vt puto) hic Hippocrates œdemata vocat proprie tumores pituitosos, sic à Medicis vocatos, qui præter hydropicum tumorē totius ventris fiunt modo in sinistra, modo in dextera parte, prout s. vel ab vno, vel ab altero latere originē ducit morbus. Atq; isthæc œdemata initio fiunt, & dum calor natiuus valet, etiam dissoluuntur, atq; tandem renascuntur, & nunquā amplius dissoluuntur, q; s. calor naturalis iam fractus, haud amplius queat humorem illum pituitosum dissoluere.

κεφαλ

Κεφαλὴ δὲ καὶ χεῖρες, καὶ πόδες.

Caput autem & pedes.

Hic faciunt omnes interpretes secundum huiusce secundi libri caput. Atq; eadem est sententia, quam etiam habet Hippocrates quarto aphorism. 48. vbi scribit, interiora vri, & exteriora frigere mortale. Imo vero hæc sententia potest iure vocari illius explicatio, cum hic aperte declarentur, quæ partes sint extremæ, scilicet, manus, caput, & pedes, nec non internæ, scilicet, venter, & costæ, hoc est, vt ait Galenus, & Stephanus, thorax, venter, & viscera. Dicit itaque malum esse, vbi costis, & ventre calentibus, caput, pedes, & manus frigent, quæ sententia, quid commune habeat cum superiore, ita vt ipsi iure possit connecti, haud facile est perspicere. Vnde Stephanus de continuatione nil aliud dicit, nisi Hippocratem post signa, ab hydropicis capta, nunc pergere in aliis docendis. Posset etiam dici hæc pertinere ad affectus mutatos, ad quos etiam diximus pertinere hypochondriorum tractationem, adeo fuse traditam. Sed nil refert, vt sæpe diximus, siue afferatur ordo in hoc libro, siue non. Illud quærere vtile est, cur explicaturus extrema Hippocrates solum has tres partes nominauit, nares, cutim, atque alias tacuit. Præterea cur nominaturus internas partes, vt dixerat quarto aphorism. 48. nominauit solum ventrem, atque costas. Tertio, cur in aphoris. dixit, esse mortale, hic vero tantum dixit esse malum, non autem mortale.

Circa primum dicendum est, Hippocratem hic nomine κεφαλῆς, intelligere vniuersam faciem, & præsertim eas partes, quæ prominent, quæque frigori maxime sunt expositæ. Iam vero pedes & manus potius dixit & non cutem, quia vbi refrigerantur extrema, vel propter ætatem, vel propter frigus externi aeris, vel ob vitium febris, vel propter aliquam aliam causam externam, haud cutis totius corporis refrigeratur. Sed solæ hæ partes commemoratæ ab Hippocrate. Vnde, vt ostenderet, sese non loqui de huiusmodi causis externis, sed de febribus, & morbis acutis has solas recensuit, quasi dicere voluerit Hippocrates, vbi ex morbis acutis refrigeratur caput; non autem à causis externis, malum est. Veruntamen possumus etiam tuto dicere, Hippocratem hisce tribus enumeratis, voluisse etiam comprehendere totam cutem, quoniam si ibi non fit refrigeratio, à causa externa, sed ab acutis, malum est. Ergo etiam tanto deterius erit, si cum iis refrigeretur quoque cutis. Cur autem extrema huiusmodi facile refrigerentur, explicat rationem Aristot. octaua sectione, Problem. secundo, vbi quærens, cur extrema corporis facile rigeant, inquit esse, quoniam in extremis vasa admodum angusta atque patua sunt, quo fit, vt paucus sit sanguis, & consequenter paucus calor, qui resistat refrigerantibus causis. Etenim partes, quæ in summis frigoribus primo moriuntur, & nigrescunt, sunt nares, manus, & pedes.

Circa secundum, dicere possumus rationem, vt scribit Galen. in comment. & Steph. propter quam in acutis extrema refrigerantur, & interiora flagrant, esse, quia in aliquo viscere est inflammatio, ad quam trahitur calor totius corporis; vnde calor ille multiplicatus facit, vt non modo sedes inflammationis, verum etiam partes circumvicinæ incendantur; Atq; hoc fit, tum in thorace, tum in ipsis hypochondriis atq; toto abdomine.

In acutis nonullis cur, & quî extrema frigeant,

Quo circa, vt Hippocrates breuiter complecteretur omnia contenta, & in medio, & in imo ventre. Dixit, costas atque ventrem. Et certe calor, qui intus percipitur in acutis febribus, atque in Lypiria vocata, hic à Galeno & Epiala Aristotelis vigesima septima, Problem. secundo, in his duntaxat locis, vt plurimum percipitur. Quamquam etiam interdum communicatur capiti, sed non ita percipitur, quia remedia externa & interna ardorem illius partis magis mitigant.

Circa secundum dicendum est, Hippocratem in aphorismo maluisse dicere lethale, quia dixerat, Extrema, sub quibus comprehendebat totum corpus: & addiderat sitim; Etenim vbi omnia extrema, ac sitis adest,

adest, signum est, ingentem, atq; perniciosissimam esse intus inflammationem, quę morbum exitialem facit. Contra vbi solum adest incendium in ventre, & intra costas atq; caput, pedes & manus frigent, est quidem ingens malum, sed non ita exitiale, quoniam haud est signum tantæ inflammationis, quæ faciat sitim, & faciat totā extrema frigere.

Ἄριστον δὲ καὶ ὅλον τὸ σῶμα.

Optimum vero est.

PErgit Hippocrates tradere signa pertinentia ad effectus seu qualitates mutatas; & sicuti supra dixerat malum esse, extremas partes frigere, atque circa costas & ventrem calere; sic nunc dicit optimum esse totum corpus calidum, & æqualiter molle esse.

Ἄριστον

Duo adnotate operæ pretium est; vnum est Hippocratem hactenus pessima signa, & mala recensuisse, pertinentia ad qualitates mutatas. Modo vero, & in sequentibus esse locuturum de optimis, melioribus, & bonis, atq; iure incipere ab optimis, quoniam etiam incepit à pessimis, vt semper fecisse visus est. Alterum notandum est, eum huiusmodi diligenti signorum enarratione voluisse monere, Medicum debere accuratissimum esse in contrectando corpore ægrotantis, atque res ipsius diligenter examinando. Iam vero cur malum dixerit frigere extra, &c. & non bonum dixit totum calere, & æqualiter molle esse; siquidem sunt contraria, sed optimum dixit tanquam contrarium mala? Respondeo id fecisse, quoniam in acutis, quod pertinet ad calorem & frigus, nil melius reperitur, quam vt calor sit expansus per totum corpus æqualiter, & pariter molle æqualiter, cum in Coac. vbi hæc etiam habentur loco ὁμαλῶς, legatur ὁμοίως. Sic enim puto vocem ὁμαλῶς, ad vtrunque esse referendam; Ratio est, quia signum est, nullam esse internam inflammationem, aliamue malignitatem, & febrem esse puram, cuius natura est, vt per totum corpus sit expansus calor febrilis, vt ait Auicenna, initio primæ quarti.

Μαλθακόν.

Galenus exponit hanc vocem, tanquam molle sit contrarium mordaci & sicco, quasi Hippocrates excludat hac voce febres ardentissimas, in quibus est calor siccus, & mordax, non mollis. Verum potest etiam Hippocrates voluisse loqui de mollitie opposita duritiei, factæ vel à siccitate, vel à flatu, aut alia materia replente atq; indurante. Etenim optimum est præter calorem, vt etiam corpus æqualiter sit molle. Sed dicet aliquis, iam Hippocratem docuisse optimum ægrotantium statum esse eum, qui sit similis naturali. Iam vero naturaliter nullus habet totum corpus æqualiter molle, sed semper hypochondria molliora, alias vero partes magis, aut minus molles? Cui respondendum est, Hippocratem appellare æqualem mollitiem, scilicet illam, quæ seruata proportione fit, hoc est, æqualitatem, vt ita loquar geometricam, non arithmeticam.

Χρὴ ῥηϊδίως τὸν ἀλγῦντα καὶ τε.

Dolentem facile.

SEcundum signum tradit hic Hippocrates, bonum quod ab actionibus animalibus est acceptum, & est, bonum esse vbi æger faciliter sese vertit, atq; in eleuationibus corporis sese agilem & leuem præbet. Nam hęc superioribus coniuncta, scilicet vt æger habeat corpus æqualiter calidum, & molle, ac dolentem, sese facile vertat, & agiliter eleuet, faciunt eam dispositionem, quam dicit Galenus in comment. superiori vocari ἀρίστην διάθεσιν, id est, optimam dispositionem, nempe qua tres omnes facultates bene valent, animalis, vitalis, naturalis. Contra si grauis videatur sibi ipsi & reliquo corpori, & manibus, atq; pedibus, esse magis periculosum.

Quod

Quod vt rectius intelligatur, illud ſcire oportet, eſſe veriſſimum, quod ſcribit Galenus, nempe ſummam totius peritiæ prognoſticæ poſitam eſſe in comparatione facultatum & morbi, quia, ſi vincunt facultates, certa eſt ſalus: ſi morbus, mors, ſi vtræque pares, dubius eſt euentus.

Cum autem tres ſint facultates, animalis, vitalis, & naturalis vniuſcuiuſque ſtatus, ex ipſis actionibus dignoſcitur. Vnde iure hac in dictione Hippocrates docet, præcognoſcere ſtatum ægrotantis ex ipſis actionibus animalis facultatis, cuius eſt pars motrix voluntaria; ſiquidem vbi æger ſeſe facilitet huc atque illuc ſurſum vel deorſum mouet, ita vt ſibipſi leuis appareat bonum eſt, quia eſt certum iudicium facultatem motricem bene valere; ſin vero difficiliter, aut ſecundum totum corpus, aut ſecundum manus vel pedes moueatur, atque grauis ſibi appareat periculoſius, quod ſignificet eandem facultatem motricem, haud bene valere, res clara, & perſpicua eſt.

Verum enimuero dubitatur, cur Hippocrates potiſſimum à facultate motrice ſignum accepit, quam ab alia? Præterea quæſtione dignum eſt, cur in tradendo ſigno bono nullam corporis partem propoſuit: in tradendo vero ſigno malo apponit non ſolum corpus, ſed & manus, & pedes. Secundo cur Hippocrates dicit, dolentem, in Coacis, vbi hæc eadem habentur, ægrotantem? Poſtremo dubium eſt, quomodo dicat periculoſius eſſe, vbi æger ſibi ipſi in monendo corpus, vel aliquam partem, videtur grauis, quaſi etiam periculoſum ſit, quod dixerat ſupra nempe ſeſe vertere, & attollere faciliter, ac leuiter, quod tamen minime eſt.

Ad primum dicendum, cum loquatur de morbis acutis, ſatis clarum eſſe eum loqui de ægrotante. Verum quia non omnis æger dolet, & ſolet ob dolorem impediri motu; ideo voluit monere ægrotantem, & dolentem, vbi faciliter & agiliter mouetur, bonum eſſe; quia ſignum eſt dolorem non eſſe ingentem, neq; à motu augeri.

Ad ſecundum dicendum eſt, Hippocratem potius ſumere voluiſſe facultatem motricem in exemplum, eo, quod illius actiones melius & promptius comprehendantur à Medico, & ab adſtantibus, quam aliæ. Etenim quiſque iudicat bene valere eum, qui ſeſe prompte mouet, & econtra, qui ægre mouetur; non ſic autem eſt de pulſu, aut de aliis naturæ actionibus; quæ ſoli Medico ſunt perſpectæ, imo vero, nec ſemper Medico.

Poſſumus etiam aliter reſpondere, nimirum facultatem motricem, vbi patitur, vel bene agit, eſſe maximi omnium aliarum momenti, ad ſalutem vel mortem reſtandam, quoniam, donec illa bene valet, ſemper bene ſperari poteſt, ſicut vbi vehementer laborat vix vnquam ſeruantur ægti in morbis acutis; vel vt Galen. 4. de loc. aff. ad motricem maiore opus eſſe robore, ideo ea bene valente reliquas quoq; non poſſe proſtratas eſſe.

Ad tertium dicendum, neque id Hippocratem feciſſe abſque inſigni ratione, quandoquidem vt bonum ſignum ſit, neceſſe eſt omne corpus faciliter moueatur.

Vt vero ſit malum, etiam vna aliqua pars ſufficit, ſi male moueatur, præſertim manus & pedes, quæ partes cum deberent eſſe inſtrumenta motus voluntarii, ac propterea factæ ſint robuſtæ, & duræ, nunquam difficiliter mouentur, aut corpus mouent, niſi quando motricis facultatis aliqua ſit inſignis læſio, & ideo tremor manuum, pedum, ac totius corporis malus eſt in febribus acutis, quoniam non fit, niſi vbi minor eſt facultas onere, vt dicebat Galenus ſecundo, capite tertio de cauſis ſymptomatum. & Ariſtoteles tertio Problematum. Stephanus, qui vidit hoc dubium, ſcribit Hippocratem non contentum fuiſſe, dicere totum corpus, ſed voluiſſe particulariter adducere manus, & pedes per excellentiam, tanquam magis in iis appareat periculum, quæ magis mouentur, & euidentius ipſarum detrimentũ oculis obiicitur. Poſſumus etiã dicere, læſiones facultatis motricis

motricis, serius in manibus & pedibus, quam in reliquo eorpote manifestari in morbis acutis, & ob id nondum esse periculum ingens, nisi prius nocumentum motricis facultatis, in ipsis manibus, atque pedibus appareat.

Ad postremum dicendum est, vocem (ἐπικινδυνότερον) hic ab Hippocrate accipi potuisse non comparatiue, quasi dicere voluerit, esse valde periculosum: vel dicendum est, cum Hippocrates supta dixerit dolentem oportere, &c. voluisse demonstrare in morbis acutis salutaribus, quasi rem non tantum bonam, quam tum necessarium esse, vt facile moueatur. Res vero necessarias esse proximas periculosis: ideo facta comparatione has postremas posse dici periculosas.

Cardanus ingenii audacissimi. Non est hoc in loco prætermittendum, Cardani audacissimi ingenii dictum, scilicet hominem dum sanus est, posse triplum pondus sui corporis vertere, vbi vero præ motbo, neque etiam ptoprium corpus mouere potest, iam factum esse se ipso dodrante debiliorem, ac propterea in vitæ discrimine versari.

εἰ δὲ πρὸς τῷ βάρει ἐν οἱ ὄνυχες.

Si vero præter grauitatem.

PRopofuit primum Hippocrates signum, si non bonum saltem nec malum: postea tulit aliud periculosius. Nunc vero ponit exitialissimum, & est si præter grauitatem perceptam in motu vngues, & digiti fiant liuidi; mortem iam esse proximam. Sed dignum est consideratione, quo pacto grauitas, cum sit signum duntaxat peticulosum, si digitorum & vnguium liuor accesserit, ipsi non modo fieri signum mortale, verum etiam significare proximam esse mortem, imo eam esse expectandam αὐτίκα, id est, statim, sicut in Philisco, cui, vt narrat Hippocrates primo epidem. sectione tertia, text. decimooctauo, cum quinta partes extremæ factæ essent liuidæ, obiit sexta die. Ergo tanti est solus digitorum & vnguium liuor, vt subitam mortem ostendat? Dixi retro, vbi facultas animalis mortua, vel vehementer læsa est, maxime referre, & lethale esse.

Quod si cum hac etiam facultas naturalis penitus aboleatur, non modo exitiale signum est, verum etiam mortem proximam esse demonstratur. Itaque vbi signis emortuæ pene motricis facultatis, coniungantur signa quoque prostratæ naturalis, cuiusmodi digiti & vngues liuidi tuto præcognosci, & prædici potest mors citissime futura, quod de facultate vitali dici nequaquam potest: quia siue sola, siue simul cum aliqua alia aboleatur, non est opus præcognoscere, & prædicere mortem, quoniam est ipsa mors. Sed hoc in loco dubitare licet, qua ratione vngues & digiti liuidi potissimum hoc faciant, & non aliæ partes, atque eo magis, quoniam, vt dicebat Plotinus libro secundo de dubiis, animæ facultas naturalis omnium diutissime seruatur in corporibus, ita vt etiam in cadaueribus dixerit. Aristoteles tertio de histor. animalium, capite vndecimo, dixit, in defunctis interdum crescere vngues, & pilos. Plotinus libro secundo de dubiis animæ, per aliquod tempus seruari calorem vitalem quendam, seu vim viuificam in corporibus mortuis, quę facit crescere vngues, & pilos, expellendo scilicet excrementa per meatus cutis, vt docet Alexand. primo Problem. centesimo quadragesimo, haud secus atq; post ignem exemptum ab aliquo cubili, per aliquod tempus durat calor, qui diuersos effectus, scilicet minores facere possit. Præterea Alexand. secundo Problem. decimoseptimo, quærens, cur tabidis fiant vngues adunci, inquit, vngues, *Vngues cur adunci fiant* cum solidi sint, tabescere non posse, quod quæ solida sunt, difficiliter patiantur: ideo carne consumpta existente subtus ipsas, curuari. Ex quo loco videtur colligi posse vnguium liuorem, haud posse tanti esse, vt citam mortem ostendat. Pro resolutione huius nō ignobilis dubii, sciendum est, quod alias etiam diximus, liuorem esse effectum mortificationis caloris natiui, qui calor semper splēdorem quēdam affert, vbi integer est. Etenim Arist. 8. sect. Probl. 1. quærens, cur, qui rigent, fiāt liuidi, dicebat esse, quoniam sanguis ipsorum præ rigore veluti gelascit, & fit liuid°, si qui-

siquidem albus color fit ab igne, liuor vero à caloris diminutione, & senilia corpora docent, quæ simul & frigida, & liuida fiunt. Itaque vngues non alia ratione fiunt liuidi, nisi quia priuantur calore, qui ipsis albedinem, & fulgorem præstabat. Et hæc priuatio in ipsis citius quam in aliis apparet, quoniam cum sint perlucidi, & nitentes, quæuis macula in ipsis facile perspicitur, eo maxime, quod vt ait Hippo. lib. de nat. huma. ad ipsos vngues multæ venulæ conueniunt, & propterea multus sanguis ibi gelascit, & emoritur. Verumtamen quod dicit Hippoc. non intelligendum est de solis vnguibus, sed etiam de digitis, quasi vngues & digiti simul liuidi sint cũ grauitate corporis exitialissimum signum non autem soli vngues. Nam & Aristot. 10. problem. 65. quærens, cur dentes Æthiopum albi sint, & vngues nigri, ait, vngues sequi colorem cutis, ex qua emanant, quasi semper digitorum cutis colorem debeant referre. Has autem partes potissimum proponit Hippocr. quia in morbis acutis solum fere in iis liuor apparet, sicuti in marasmatis apparet in toto corpore. De Arist. autem, Plotino, atque Alexand. dicere possumus, quod ipsemet Alexan. dicit, scilicet, veram rationem, cur videantur augeri in cadaueribus vngues, non autem vere augeantur, est, quia carne subtus consumpta magis extuberant, sicque longiores videntur. Quod si vngues difficile patiuntur, quasi si necessaria magna causa, si id quod suapte natura difficulter patitur affectione aliqua insigni tentatur.

οἱ δάκτυλοι καὶ οἱ πόδες.

Ac si digiti ac pedes.

QVod dicit Hippocr. nunc, est quasi pars quædam suprascriptæ orationis, in qua dicebat vngues, & digitos liuidos grauitati corporis cõiunctos celerrimã mortem indicare. Dicit enim, si nigri penitus fiant digiti, & pedes, minus periculi imminere, & esse minus exitiale. Quæ sententia non caret insigni dubitatione, siquidem Hippocr. alibi semper solet maxime omnium damnare colorem nigrum, siue in excrementis, siue in ipsis corporibus. Adest & ratio, quoniam duo sunt contrarii colores, albus scilicet & niger: reliqui autem medii sunt ex iis varia proportione commixti, & prout alteri extremorum propius accedit, sic magis illius naturæ participare dicitur. Ex quo cum liuidus color maxime omnium propinquus sit colori nigro, propterea & ipse deterrimus putatur, ita tamen, vt semper prauitate niger ipsum antecedat. Galen. qui vidit difficultatem, eo deuenit, vt diceret Hippoc. optime quidem rem definiuisse, sed dictionem vsurpasse, cum deberet dicere colorem liuidum pedum, & digitorum aliquando nihil mali significare, interdum esse exitiale: scilicet interdum significare abscessum, quando scilicet si alia signa salutaria coniungantur: interdum mortificationem, quando nullum ex iis signis salutare sibi coniungitur. Verumetiam si hæc sit, attamen adhuc dubitari potest, cur de nigro colore non idem dixit, scil. consideranda esse alia, quia si leuiter ferat æger morbum, & aliud salutare signum appareat spem esse, vertendum morbum in abscessum, atque seruatum iri debere ægrotantem nigris abscedentibus. Stephan. qui & ipse vidit dubium, dicit, duplicem esse nigrefactionem, aliam, quæ fit per depositionem prauæ materiæ factam critice à facultate naturali expultrice: atque priorem pessimam esse, hanc vero postremam esse multo minus malam, atque de priori loqui, vbi eam maxime omnium vituperat: nunc vero loqui de postrema, ac ob id rationabiliter dicere esse minus exitialem, quasi nec penitus etiam hæc periculo careat. Itaq; vt hanc rem diffiniamus: Primo sciendum est, Hippoc. vbi loquitur de liuido colore, apposuisse vngues, & digitos. Vbi nunc loquitur de nigro colore, demisisse vngues, & loco ipsorum posuisse. Pedes, quoniam abscessus qui prædicuntur ex nigro colore, haud fiunt in vnguibus, sed vel in digitis, vel in toto pede. Tacuit autem manus, quoniam tarissime huiusmodi color fit in ipsis manibus: sæpius autem multo in pedibus, qui tum propter situm inferiotem, tum propter longinquitatem à fonte caloris maxime obnoxii sunt ad

Nigredo duobus modis inducitur corporis.

Liuidus & niger color, vt differant. vtramque nigredinem suscipiendā. Porro color liuidus, & niger, qui fiunt in acutis morbis, in causa differunt, & modo generationis. In causa, quoniam liuidus semper fit ab extinctione caloris, nunquam abscessu humoris, quippe cum nullus sit humor in corpore, qui eum colorem in cute informet. Niger autē fit & ab extinctione, & à depulsione humoris nigri ad partes infernas, & debiles. Differunt quoque modo generationis, quoniam liuidus fit à putredine summa, in qua fracto calore natiuo, præternaturalis dominatur.

Niger autem fit non modo cum putredine, & caloris extinctione, verumetiam cum summa exustione. Igitur vbi vterque color, liuidus, scilicet, & niger fit cum putredine, & exustione semper color niger est deterior quia fit à vehementiori causa. Vbi vero causæ sunt diuersæ, ita vt liuidus à putredine, & caloris extinctione fiat, niger vero ab humorum nigrorum expulsione, haudquaquam est deterior, sed minus prauus. Vtcumq; sit, semper liuidus color est exitialissimus in febrib. acutis: secus non est ita, quandoquidem ex percussione vt in sugillatis, fit liuor secundum Aristot. sententiam in problem. qui non est lethalis. Sic etiam à frigore fit liuor, & qui tandē liuor, nullus qui fiat à causa externa est exitiosus, sicuti nec qui fit in accessionibus febrium, quarū fere nullæ sunt, in quibus non fiant liuidi vngues, & digiti accedente accessione, cognoscitur autem niger esse ab hac vel illa causa, iis, quæ dixit Hippocrates, esse consideranda scilicet à tolerantia ægri. Nam icirco tolerarleuiter, quia expellitur humor, qui debebat, necnon ab aliis signis salutaribus, vt coctione, facili respiratione, somno, appetentia, aliisque similibus. Hac itaque de causa cum Hippocr. videret facile posse medicum, in prædicendo errare, si nigrum colorem semper liuido esse deteriorem putet, idcirco voluit hoc docere, ne scilicet præceps sit in putando, semper nigrum colorem esse liuido multo deteriorem. Quamquam id etiam sæpe accidat. Verum quid est, quod dicit Hippoct. in fine, ægrum seruari, partibus denigratis abscedentibus? Etenim quomodo seruantur? & quidnam boni contingit, si partes amittantur? Dico Hippocratem dupliciter intelligi posse, vel quod ipse nigror, facto, & finito abscessu decedat, vt interdū contingit: vel quod mortificatæ, & gangrænatæ partes decidant, aut sponte, aut opera medici, atque ita seruetur, quemadmodum in peste illa Atheniensi à Thucydide atque Lucretio disertissime enarrata contigit, in qua dicunt plurimos esse seruatos, quibus aut manu chirurgica amputabantur putrida, & gangrænata genitalia; aut pestifera putredine consumpta sponte abscedebant. Sic enim dicebat Lucilius apud Nonium, præcidi oportere digitum, ne gangræna ad brachium veniat. Et aduertendum est, Hippocratem dixisse, spem esse, victurum ægrum, & partes casuras, tum quia vix alia ratione possunt seruati ægrotantes, quam hunc in modum, scilicet, denigratis partibus, aut amputatis, aut decidentibus, tum quia etiamsi decidant vel amputentur, non est certum omnino de salute, sed tamen dubium minus, quam si nec signum vllum ex prædictis appareat. Alexand. 2. problem. 43. reddens rationem, cur partes extremæ vt pedes à frigore denigratæ decidant, inquit, quoniam cum sint penitus priuatæ calore, & emortuæ, à partibus vicinis viuentibus separantur, iis propter sui conseruationem id agentibus, atque ita decidunt.

ὄρχιες δὲ καὶ αἰδοῖα.

Genitalia testesq;

HOc quoq; signum prognosticum à qualitatib. mutatis desumptum est, nempe à figura testium quando s. ad modum dissimilis est figuræ sanorum. Etenim figura testium sanorum est, vt sint penduli moderate, nec nimium contracti cum scroto, nec nimium extensi, vt in senibus. Itaq; si quod dicit nunc Hipp. eueniat, vt scilicet, sint vehementer contracta, vt valde distent à figura naturali, malum est, &

est, & propterea dicit vel dolorem significare, vel non mortem, sed mortis periculum. In Coac. autem prænot. habetur significare validos dolores, aut conuulsionem lethalem, quasi illa verba sint explanatoria periculi, scilicet conuulsionis. Gal. inquit, non modo experientia constare tam dolentibus, quam morientibus huiusmodi partes contrahi, verumetiam & ratione: siquidem vbi facultas vitalis iam penè mortua est, ob id quod ad extremum corporis haudquaquam sese extendere valet, tardans atq; ad sui ipsius principium sese colliges necesse est partes ipsam facultatem sequi, & ad media corporis alligari. Quod similiter dolores contractionē facultatis in se ipsam faciant, didicimus iā sæpenumero, ita vt propter illos quoq; partes ad principium retrahi sit consentaneum. Sic quidem Galen. In quo vero paulo plus diligentiæ voluissem, quoniam neq; omnes causas attulit, neq; quas affert, satis explicuit.

Etenim duæ sunt potissimum causæ, quæ in laborantibus acute, solent testium contractionem facere: aut paupertas caloris & spirituum, aut conuulsio: Spiritus, & calor in moribundis faciunt contrahi testes, eo quod spiritus, qui eos tumentes, & prominentes faciunt, vbi cum calore ipsos deserūt, haud amplius tumidi, & prominentes esse possunt. Quo fit, vt contracti in sese maneant, quasiq; rursum attolli videantur, quemadmodum post coitum sæpe contingit. Sicut enim dicebat Aristot. morientibus oculos sursum tolli, quod calorem abeuntem sequantur, idem quoque de testibus dicere possumus, eos scilicet, calorem abeuntem, ac in cor se colligentem, quodammodo sequi, & rursum repere. Atque hæc est vna ex causis. Sic etiam dicebat 27. problem. 7. metuentibus testes contrahi, quasi fugiant quod extra timetur. *Testium cōtractorum quæ causæ.*

Conuulsio vero, manifestum est, quomodo fiat, nempe vel exsiccatis, & consumptis illis partibus morbi vehementia, vel neruis ipsis, qui deferuntur ad testes in sua exsiccatis origine, vel ab acribus, & prauis succis aut vaporibus acriter perculsis, ita vt nerui sextæ coniugationis, pertinentes ad ipsos testes, pro expellenda noxa contracti, simul quoq; ipsos contrahant testes. Differunt hæ duæ contractiones inter se, quod quæ fit ob consumptionem spirituum, mortē quidem significet, sed absque vllo dolore, Quæ vero fit ex conuulsione, quorumq; modo fit dolorem ingentem facit, & significat. Vnde iure Hippocr. complectens breuiter vtramque contractionem, dixit, testes contractos significare vehementes dolores, & mortis periculum, seu, vt in Coac. mortiferam conuulsionem. Nam 1. sect. 2. Epid. dicebat Hippoc. testes magnam habere communionem cum pectore, mammis, genitura, & voce, Sed cur Plin. lib. 11. cap. 48. dicat, vni homini siue sponte siue iniuria frangi testes, haud scio. Sed dubitabit aliquis, quomodo Hippocr. hoc documentum tradat, siquidem non videtur decorum medico inspicere genitalia, præsertim in aliquibus, qui pudore facile detrectant huiusmodi inspectionem. Sicuti enim dicebat Arist. in problem. nos non pudere cibum, & potum postulare, quia res necessariæ sunt: pudere autem postulare Veneris vsum, quin non est necessarius: sic plerique sunt, quos pudet, vt eæ partes conspiciantur, quæ ad vsum hunc venereum pertinent.

Respondendum est duas ob causas voluisse Hippocr. hoc quod ipse experientia obseruauerat, proponere. Vna fuit, quia sæpe hoc, vel ab adstantibus, vel casu aliquo ab ipsis medicis conspicitur, quod alioquin vel non consideraretur, vel negligeretur, nisi medicus prius didicisset. Imo quāto rariora & magis recondita cognoscit, & prædicit, tanto plus gloriæ sibi comparat. Altera est causa quoniam interdum contingit, vt ægri vehementer doleant vel delirantes, vel mente constantes, atque doloris causa ignoretur. Vnde ad peruestigandam eam optimum est, & has partes vel ipse inspiciat, vel adstantibus, & ipsi ægro caris inspiciendas mandet.

Περὶ δὲ ὕπνου.

De somno autem.

QVÆ hic de somno tractat Hippoc. haud vllam habent cum superioribus connexionem cum ea ad qualitates mutatas, hæc vero ad actiones animales pertineant, de quibus etiam & præsertim de mortricib. supra nonnihil dixit. Diuiditur hæc somni tractatio in plures partes: prima est in quit Hipp. somnum esse bonum, qui est naturæ, & consuetudini similis. Est autem à natura, & consuetudine cōparatum, vt nō modo homines, verum etiam animalia bruta, noctu dormiant, interdiu vigilent. Ergo bonum est noctu dormire, & interdiu vigilare. Si autem mutatio fiat, vt dormiatur interdiu, noctu vigiletur, deterius esse dicit. Circa quæ verba interpretanda Galenus admodum parcus fuit, nihilque pene aliud memoria dignū dixit, quam tempore Hipp. consuetudinem, & naturam idem fuisse: tempore autem suo, potiorem natura fuisse consuetudinem, quod s. tam mulieres, quam viri consueuerunt noctu vigilari, & interdiu dormire, quemadmodum hodie quoque apud plerasq; gentes, & præsertim Hispanos, in vsu habetur. Vnde neque in illis, neque in his verificatur Hipp. sententia, scilicet, malum esse diurnum somnum, & vigilias nocturnas, siquidem cum talis sit consuetudo, quæ sunt secundum ipsam, haudquaquam mala sunt. Verum circa hæc verba Hipp. operæpretium est paulisper philosophemur. Et primum videndum est, cur dormire noctu sit secundum naturam, & vigilare interdiu. Deinde, cur Hipp. non dicat hoc bonum, sed oportere sic facere, s. eum eum qui acute ægrotat. Tertium, cur dicat mutationem in contrarium, somnum, s. diurnum, & vigilias nocturnas esse deteriores, cum antea nō dixerit esse bonum, sed oportere dormire noctu, & vigilare interdiu. Quartū & postremum, cur hæc pauca dixerit de ipso, cum sint complures aliæ conditiones. Vt aūt ad primum quæsitum recte, & ex ratione respondeatur, videndū, quæ sint causæ ipsius somni. Nam certum est, vt ait Stephan. triplicem esse somnū, alium naturalem, aliū præternaturalem, & morbosum. Tertiū vero medium inter naturalē, & pternaturalē. De naturali aūt tantum loquendum est, de quo etiā loquitur Hipp. Hic aūt cum sit quies quædā sensuum particulariū, atq; sensus cōmunis, certum est non esse effectū animæ vegetantis, neq; alterius irrationalis facultatis, sed tantummodo illius partis animæ, q̄ sentit, atq; sensus iudicat, neq; valet videri ex insomniis phantasiā dormiētium operari, quoniā vt recte dicit Steph. in somno vere naturali haud somniamus, sed & memoria, & phantasia prorsus quiescūt, quemadmodum scribit Arist. contingere pueris ante quartū, & aliquib. qui nunq̄ somniant. Vbi vero somniamus, est somnus mixtus ex naturali, & pternaturali, seu vt Arist. 5. de gen. anim. c. 1. ex somno & vigilia. Cæterum cum dictum sit esse quietem atq; quies motum aliquē, seu actionem supponat, operæpretinm est actiones ipsas ab anima, seu à natura gubernante primo intendi, ob quas fabricata sunt instrumenta: secūdario vero intendi, & produci ipsam quietem atq; somnū, quando si semper facultates operentur absq; vlla quiete, & intermissione defatigarentur cito, & defatigatæ corruperētur. Vnde quo possint sufficere actionib. & alacrius atq; viuidius, ad eas obeundas surgere, secundario facta est hæc quies, quæ vocatur somnus. Vnde dicitur naturalis, quia fitā natura non primaria, sed secundaria actione, & quia tenebræ & frigus maxime ad somnum faciunt, vt lux ad vigilias. Ideo nocte dormiendum, nec obiiciendum est motum respirationis, & pulsationis cordis, atque arteriarum esse perennem, neq; tamen eas potentias defatigari, & corrumpi, quoniam cum vnaquæq; ex his actionib. constet ex duobus contrariis motibus, atque inter duos motus contrarios semper intercedat quies, colligendum est, huiusmodi facultates aliquam etiam habere quietem, medio cuius sufficiunt ad obeundas assidue actiones proprias.

Pulchra quædam de somno & eius tempore.

Cū igitur res hunc in modū sese habeat, vt somnus sit factus à natura ob actiones sensuū, & actiones huiusmodi egeāt luce, necesse ipsæ fiāt die, & somnus fiat noctu,

quo

quo tempore sensus operari vel nullo modo, vel non æque bene possunt. Ergo qui sic fit somnus, est naturæ instituto, & intentioni similis ac propterea bonus, quemadmodum huic cōtrarius haudquaquam bonus, quippe qui naturæ instituto contrariatur. Nec valet aliquas gentes absq; detrimento hoc facere, quia praua est, & præter naturalis consuetudo, & propterea nō admodum apta ad beatam faciendā vitam. Circa 2. dicendum est, alia esse bona simpliciter, alia vero bona atq; necessaria. In morbis bonum simpliciter est posse surgere: & ambulare actu non est necessarium: Contra faciliter respirare est bonum, & necessariū. Igitur cum somnus sit bonum & necessarium, Hippoc. maluit significare necessitatem dicens, oportere, quam bonitatem, vt magis inflammaret homines, qui potius necessitate quam bonitate ad actiones impelluntur. Quod autem dormire noctu sit res necessaria ægrotantib. satis perspectum est, cum somno recreentur facultates omnes, fiant coctiones, natiuus calor reficiatur, aliaq; bona præstentur, sine quibus res ægrotantium minime recte agi possunt. Et hoc est quod dicebat Hippoc. 6. Epid. sect. 5. somnum viscerib. esse cibum, sicuti artubus exercitationem, & carnib. Quæ omnia de somno nocturno sunt intelligenda, sicuti contrarium contingit de somno diurno, qui cum sit contrarius naturæ instituto, plane nocere, ant certe nihil boni præstare potest. Imo vero dicit Stepha, cum tot bona præstet somnus, s. egregiam concoctionem, & humorum expulsionem, ac discretionem, nonnullos medicos noluisse vocari eum quietem, sed potius intēsam facultatem naturalium motionem, & Plin. lib. 7. c. 2. ex Artemidoro scribit in Taprobana Insula homines sine vllo corporis languore longissime viuere, nec vnquam interdiu dormire, quasi ad longam, & sanam vitam conducat non dormire die. Ad 3. dicendum est, vocem illam κακίον id est, deterius, perinde esse Hipp. atq; κακὸν, id est, malū, quod eo magis credo, quoniam in Coac. præd. vbi hæc eadem habētur scriptum est simpliciter πονηρὸν, id est, prauum est, quasi sicuti bonum necessariū est noctu dormire, & vigilare interdiu, pariter malum sit contrarium facere, s. dormire die, & vigilare nocte. Cui etiā sententiæ adstipulantur ea, quæ à Cels. in 4. c. 2. lib. circa initium scripta, ex hocq; ipso loco deprompta sunt. Ad postremum dubium, nempe quare de somno adeo pauca proposuit, cum tamen circa ipsum considerentur multo plura, nempe quantitas tam excessus, quam defectus; qualitas, s. placiditas, aut molestia, cum alacritate, & iuuamento, aut tristitia, & labore?

Somnus viscerib. cibus.

Respondendum est Hipp. omnia breuiter esse complexum, q. s. sit secundnm naturam, die non noctu. Nam illa particula, secundnm naturam, complectitur & quantitatem, & qualitatem, & alias conditiones, quæ solent comitari naturales somnos, de quibus dicemus infra. Quamquam possumus dicere, alia ad somnum spectantia docuisse variis locis, & maxime in Aphorismis. Etenim vbi vtilis humiditas atq; blanda ad neruorum radices, appellit easq; impedit quominus possit spiritus transire ad vehendas facultates animales seu illius illustrationem, simulque ipsius actionib. famulandū, quæ est ratio vera generationis somni naturalis: tunc sequuntur somnum ea omnia commoda, quæ modo dicturi sumus. Et cum dico ab humiditate illa vtili, & blanda inhiberi spiritus animalis transitum, non est intelligendum, quod ex toto prohibeatur: Sed in parte, cum ea neruorum obstructio sit potius superficialis, quam integra, & profunda. Sicut enim, si subtus solem nubes aliqua clara posita est, illius radios prohibet, non autem prohibet lucem à qua dies fit, sin autem nubes crassa, & obscura sit, non modo radiorum, verum etiam ipsius lucis penetrationem aufert: Pari pacto si humiditas prædicta solum modum superficietenus, & parum obstruat neruos, adimit quidem ex parte spiritus animalis transitum, ex parte autem non adimit.

Noctis & somni comparatio.

Vnde fit vt interdum etiam dormientes audiamns quodam pacto loquentes, & cognoscamus quæ fiunt, moneamur, atqne ambulemus. Vbi vero illa humiditas crassa, & impura est; tunc penitus tollit spiritus animalis transitū, atq; ita fit somnus potius morbosus, & grauis, quam naturalis, vt coma, carus, apoplexia, lethargus.

Rursum si sol subtus terram vadit, & à terra impediatur eius lucis, & radiorum ad nos penetratio, fit nox; pariter si ab humore terrestri, & insuperabili fiat neruorum obstructio, mors succedit. Atque hæc de generatione somni.

ἥκιστα δὲ αὐ λυπέοιν.

Minus nocebit.

Circa somnũ consideradã. 1. Quātitas. QVatuor sunt quæ à Medico sunt consideranda circa somnum, quæque Hipp. alibi sparsim docuit: Primum quantitas scilicet, vt neq; breuior, neq; longior sit, quam cōueniat, sin autem longior fit, significat copiã humiditatis potius excrementitiæ, quam vtilis: sicuti si minor, haudquaquam adesse humiditatem illam vel exiguam admodum esse, vel ita tenuem, & aeream, vt ilico dissipetur. Vnde debet ea humiditas, neque crassa nimis, neq; tenuis esse, sed media. Atque hoc est, quod dicebat Hippocr. 2. aphor. 3. somnus, & vigilia vtraque, si modum excesserint ma-
2. Qualitas. lum. Qualitas somni boni ea est, vt non sit profundus nimis, neq; cataphoricus, quãdoquidem significat humiditatem esse crassam, & minime difflabilem: ac propterea malum esse. Debet humiditas, quæ factura est legitimum somnum, esse media inter crassam atque tenuem.

3. Tempus. Tempus somni debet esse nox, non dies, quoniam ita in omnibus animalibus est natura comparatum, atque tenue & frigus postulant, ac iuuant, vt bene adnotauit Stephanus. Vnde Theologi, vt ait Arist. 12. metaph. cap. 6. generabant cuncta ex nocte. Et vt rem hanc breuiter de tempore absoluamus, sciendum est, aut somnum fieri noctu & die, atque tunc malum; quia significat vel carum, vel apoplexiam vel interdum mortem, & propterea malum est. Aut non fit neque nocte neque die, & tunc potius est vigilia quam somnus, ac propterea malum & ipsum est, significat enim immensam siccitatem, nec non paucissimam, eamque tenuem & facile difflabilem humiditatem, propter quam non contingit somnus. Et vt dicit Hipp. in acutis, significat dolorem, & delirium. Vel fit nocte, & bonus est, & naturalis, ob causas ante dictas: vel in die fit tantum, qui si comparetur nocturno minus quidem illo bonus est, verum si comparetur aliis somnis, multo melior est, siquidem si ob curas vel dolores, vel quippiam aliud nocte non dormiatur, die compensatur, & sensitrices facultates veluti defatigatæ diurno somno aliquatenus recreantur.

Verumtamen id sciendum est inter somnos diurnos, illum esse meliorem, qui
4. Modus. fit matutino tempore, quippe quod frigidius sit, & ob id accommodatius. Postremo est modus. Vsus ipsius somni est, quemadmodum ait Stephanus, vt fiat continuatim, neque interturbetur, quia sic vtilis humiditatis dominium indicat, sicut interruptus significat tenuem esse nimis, atque difflabilem eam humiditatem, aut curas esse dolorémve quempiam aut aliquid aliud præternaturale, quod somnum rũpat. Sic etiam vbi finitur somnus, debet homo esse agilis, minime grauis & turbatus. Vnde dicebat iure Hippoc. 2. aph. 1. vbi somnus laborem facit, malum. Debet etiam, dum fit somnus, esse nulla turbatio, cum Hippocrat. dicat in Coacis, somnum turbulentum in morbo acuto nil boni prædicere.

Sed circa hæc oriuntur nonnulla dubia: Primũ, quia non videntur longi somni damnandi, siquidem dicit Hippocr. 1. aphor. 15. hyeme esse somnos longissimos, atque tunc etiam ventres esse calidissimos. Ergo non malum. Et in libro de salub. diæt. dicebat Hippocr. somnos longos iis conferre, qui tarde coquunt.

Præterea non videtur malum ita esse diurnum somnum, & nocturnas vigilias, quoniam multi artifices id faciunt, imo multæ gentes, vt hodie Hispani, & tamen bene valent, neque mali quicquam ob hoc ipsis videtur accidere. Imo relatum est
Quidã biennio non dormierunt. à Plinio & ab aliis, inuentos esse qui biennio nil dormierint, vt Mœcenati contigit: Et ego quoque habui præ manibus curandos aliquos, qui nil dormiebant. 3.

quid

quid Hippocrates dicat vsque ad tertiam horam diei productum somnum, esse bonum, vel minus malum.

Postremo de somnis profundis non videtur ita illos esse damnandos: quandoquidem Hippocrates in Coac. prænot. scribit, somnos profundos non turbulentos, firmam in morbis acutis iudicationem significare. Circa primum Alexan. Aphrodisiensis lib. 1. quæstio. naturalium, cap. 20. quærit, cur si somnus, est caloris ad internas recursus, æstate sumus somnolentiores, quãdo scilicet calor potius extra fertur, quam intro: Et respondet fieri somnum naturalem ab euaporatione humida, quæ calorem ipsum ad pectus cogit, & occupat, donec ipse idem calor tandem vincit atque dissipat eam euaporationem alioquin densam.

Cæterum hyeme fieri somnos breuiores, quoniam calor idem ob frigus externum, quod poros cutis coarctat, ad pectus atque cor amplius contractum haud facile ob robur ab illa euaporatione occupatur & vincitur, sed si forte vincitur, ipsam quoque cito reuincit, & attenuat, coquit ac dissipat, ex quo autem neque faciles hyeme somni sunt, neq; dinturni.

Contra autem æstate, cum idem calor ad cutim feratur, & exhalet, propterea que minus ad cor & pectus confluat, fit vt imbecillior sit, ac ideo ab euaporatione tunc vincatur magis, tum illam minus atque tardius superare, attenuare, & consumere queat. Dat aliam responsionem scilicet, ita non esse re uera, sed apparere æstate somnum longiorem, quod tunc sint noctes breuiotes. Et quia aliquam partem diei dormiamus, tunc videri nobis longiores somnos.

Addit & tertiam, nempe æstate ob aeris calorem, & siccitatem fieri sensoria admodum imbecilla, vnde cum præ defatigatione, & siccitate nequeant operari, facile in somnum labuntur. Ex quo Philosophi consummatissimi discursum, colligi potest, eum credidisse somnos æstate longiores esse, quam hyeme, secus quam Hippocr. crediderit, imo vero quam ipsa ratio, & experientia docent. Galenus autem exponens illum Aphorismum, dixit ab Hippoc. dici somnos hyeme fieri longissimos propter noctium longitudinem, quasi dicere velit, in noctes otiari sensus propter tenebras, & frigus, atque eum esse somnum, qui propterea naturaliter videtur esse debere conformis ipsis noctibus, & prout illæ sunt vel breues, vel longæ, sic esse somnos aut longos, aut breues.

Verum præterquam quod experientia & Hippocratis authoritas ipsi refragatur: Est etiam contra Aristotelem, & contra rationes. Aristoteles enim 11. section. problem. 17. scribit, hyeme fieri voces grauiores, quoniam tunc magis somnolenti sumus, & diutius dormimus, cum somnus grauiora corpora reddat. Contra rationes autem: Primum, quia vt scribit Arist. 25. sect. problem. 15, æstate noctes sunt molestæ, præsertim vsque ad mediam noctem ob diei feruorem antecedenrem. Deinde æstate abundat bilis, quæ est causa vigiliarum: postremo tunc minus corpora bene aluntur ob caloris natiui debilitatem, & consequenrer minor est humiditas illa alimentalis blanda, quæ somnum efficit. Etenim ea ratione videmus, qui minus edunt, & qui ventriculo infirmo sunt, ac cruditates frequentes producunt, eos esse magis vigiles.

Itaque verissima est sententia Hipp. somnos hyeme esse longissimos, quia tenebræ & frigus, quæ somnnm excitant, sunt dinturniores, & quia pituita abundat, coctionesque meliores fiunt. Vnde suppetit magis blanda illa humiditas somni effectrix: nec ptopter hoc non verum est, somnum naturalem non debere esse neq; nimium, neque paucum, sed medium: quandoquidem hęc mediocritas non mensuratur ratione horarum, sed tantum ratione naturalis indigentiæ, quæ quia maior est hyeme, ob cibotum copiam, & qualitatem, eapropter maior esse debet somnus, nec tamen naturæ terminos transcendere. Circa secundum dicendum est, vere naturalem, & bonum somnum, esse nocturnum, ob dictas causas: diutnum secus. *Somnus an melior diurnus an nocturnus.*

Attamen consuetudo, quæ facit vt dicebat Plinius durare in pestilenti, facit etiam, vt somnus diutnus, minus euidenter noceat. Et dico euidenter, quoniam vix fieri potest, quin tandem aliquid afferat detrimenti, siquidem, qui hanc vitam ducunt, decoloratiores, minusque viuaces esse consueuerunt. Quod autem dicit Hippocr. si interdiu dormiendum, præstare vsque ad tertiam horam dormire. Sciendum est veteres, tam Græcos, quam Romanos semper consueuisse diem naturalem in duodecim partes diuidere, quas partes appellabant horas. Itaque tertia hora erat quarta pars diei; & pars proxima auroræ, quo tempore est frigus maius, quam aliis diei partibus. Vnde hac ratione, & facilius tunc somnus obrepit, & qui fit, est multo minus noxius, quam reliquo die. Vnde patet errasse Antillum apud Oribasium, 6.coll.cap.5. qui etiam vsque ad meridiem laudat.

Attamen semper qui operam dabant, & sanitati, & negotiis, surgebant ante primam horam, vt habemus ex Martiale. Quinimo Aristot. in Oeconomicis dicebat, surgere circa auroram, conferre ad studium Philosophiæ, ad rem domesticam bene gubernandam, necnon ad sanitatem tuendam.

Cum igitur somnus matutinus facilor fiat, atque vtilior sit, nemini etiam dubium relinquetur, quin bonus sit, & vt causa, & vt signum. Ad postremum dicendum somnos profundos eos dici, ex quibus difficiliter expergiscimur, atque dupliciter considerari posse, vel secundum se ipsos, vel ratione subiecti. Secundum se ipsos, cum excedant à termino naturali, qui est metrum, & mensura omnium iudiciorum, haudquaquam possunt esse boni. Secundum vero subiectum considerati somni, aut sunt in sano corpore, aut in ægro. In corpore sano nunquam sunt boni iudicii, quia indicant humiditatem efficiētem somnum, esse nimium copiosam & crassam, ita vt nequeat faciliter à natiuo calore superari.

Cæterum in corpore ægro potest aliqua ratione somnus profundus esse bonus, nempe vbi humores, qui prius nimia acrimonia & calidirate lædebant, sunt mitigati & accommodati, adeo vt sint apti ad obediendum naturæ in crisi, expulsionē facturæ, similiter etiam vbi causæ dolorificæ pacatæ sunt.

Κάκιςον δὲ μὴ κοιμᾶσθαι.

Pessimum est.

QVatuor gradus fecit Hippocr. somni, dormire noctu, dormire die, dormire tribus horis ab orto sole, non dormire, neque die, neque nocte: sed cum hæc potius vigilia mereatur vocari, quam somnus, cur Hippocr. dicit esse pessimum? Præterea, quæ est ratio cur pessimum, cum inuenti sint, qui diu absque somno durarint? Vltimo quomodo vigiliam hanc assiduam ait Hippoc. significare dolorem & laborem, aut insaniam? Etenim à vigiliis fiunt cruditates, vt dicebat Galen. 3. de sympt. causis 1. & cruditates dicebat Auicenas, esse matres omnium ægritudinum. *Cruditas mater omnium ægritudinum.* Circa primū, vere, qui nec noctu nec die dormiunt, inter vigiles potius, q̄ dormientes sunt recensendi. Verum tamen Hippocr. tractat de iis, tanquam de priuatione, & vero somno contrario. Etenim vno contrariorum cognito, cognoscitur etiam aliud. Neque valet Hippocratem tacuisse verum contrarium eius, qui nec die nec nocte dormit, q. est dormire & die, & nocte, quoniam cū & hoc sit valde dissimile, & naturæ, & communi hominum consuetudini, facile est vnicuique intelligere, huiusmodi cōtinuum somnum esse pessimum, sicut pessimum est nunquam dormire. Cur autem pessimum sit nunquam dormire, est, quia non fiunt coctiones, non recreatur facultas animalis. Imo neque etiam vitalis. Vnde signum est aliquod malum ita graue intus latere, vt has facultates mirum in modum lædat, & læsiones graues vnius, vel plurium facultarum, omnes pessimæ sunt. Ad postremum dicere oportet, omnes vigilias immensas cerebrum calefacere ob continuas operationes, atq; exsiccare. Et quamquam vt docet Gal. lib. quod anim. mor. seq. siccitas augeat sapientiam & prudentiam, quia ex Heraclyto αὔη ψυχὴ σοφωτάτη: id tamen *Anima sicca prudentissima.* intelli-

intelligendum eſt de moderata, non autem de nimia, ſiquidem omnis operatio bona animæ à cõmoderata temperie cetebri proficiſcitur; vt ibi præclare docet Gal. Etenim cum ſpiritus nimium operantur, incaleſcunt nimis, & exſiccatur cerebrum: ex quo fit vt intellectus confundatur. Itaq; iure dicit Hipp. indicare vigilias continuas delirium. Sic etiam eædem indicant dolorẽ vel laborem, quia tantũ eſt naturæ ſtudium circa quietẽ ſenſuum pro ſalute animalium, vt nunq̃ debito tempore illud dimittat, niſi dolore aliquo, aut labore impediatur; atq; calorem ad locum dolentem non ad cor & pectus dirigere cogatur. Excipiendæ tamen ſunt curæ, & animi ſolicitudines, quia Hippoc. ſemper cauſas externas excipiendas vult, cum ipſe tantum de morbis acutis hic ſermonem habeat. Nam vt ait Plin. lib. 7. cap. 51. & Seneca lib. de prouidentia. Mœcenatem ob zelotypiam vxoris, quam decipiebat Auguſtus, tribus annis nil dormiuiſſe.

Διαχώρημα δὲ ἐστιν ἄριστον.

Deiectio optima eſt.

DE ſignis quæ capiuntur ab excrementis mutatis, egit quoque Hippocr. cum de ſudoribus tractauit. Nunc autem de iiſdem repetit: & ſicut tunc de excrementis tantum egit, ſic modo tractare vult de excrementis cibi, quæ à Græcis *διαχωρήματα*, à noſtris fœces; & deiectiones vocantur. Multa autem cum ſit dicturus, id facit, quod fere ſemper antea feciſſe viſus eſt, vt ſcilicet, ab optima fœce inchoauerit, eamque deſcribit à qualitate, ſiue *συστάσει*, vt Galen. à tempore, & copia.

Qualitas ea eſſe debet, vt fœx ſit mollis, & conſiſtens, hoc eſt, neque dura vt lapides, neque fluida vt humores, ſed media inter duram & liquidam, hoc eſt, conſiſtens & mollis.

Quantitas autem eſſe debet proportionata ipſis cibis. Pauca namque interdum eſt materia illa, quæ ex chylo per venas meſaraicas attrahitur, vt ob hoc parum etiam fœces deficere debeant à menſura ciborum ſumptorum. Nonnunquam vero multa, ſecundum rationem & menſuram illorum. Tempus vero dicit Hippocrates eſſe debere illud, quod conſuetum eſt in ſanitate. Etenim, vt ſæpius diximus, ſtatus ægrotantium, quanto ſimilior ſecundum actiones, excrementa, & qualitates ſtatui ſanitatis, tanto melior eſt. Atq; hoc eſt id totum, quod ſummatim docet Hippocr. pro cognitione optimarum fœcum, atq; ex ipſis prædictione, dicens, ſi huiuſmodi fuerint deiectiones, argumentum eſſe ventrem inferiorẽ bene valere. Iam circa vnamquamq; ex tribus conditionibus examinandam paulisper immorandum eſt. Verum prius quam id aggrediamur, illud perquirendum eſt, cur aliæ ſint fœcum optimarum conditiones, nimirum color, odor, & ſonus inter exeundum, ſiue vt ait Stephanus, excretionis modus. De iis nihil dicit, ſiquidem videri poſſet aliquibus defeciſſe, cum non exacte optimas deiectiones deſcripſerit, & eo maxime, quod in coacis prædictionib. omnes appoſuit. Galen. vt huic obiectioni occurreret, dixit non id feciſſe: quoniam quando peſſimas, quæ ſunt optimis contrariæ, commemorat, eas omnes adfert, & cum vnum contrariorum ex altero eluceat, ei qui breuitatis eſt amans, poteſt ſufficere, vt vnum tantũ modo cõtrariorum diligenter explicetur, quod ex ipſo deinde aliud cognoſci queat. Verum hæc reſponſio non mihi plene probatur, quoniam dato, id totum eſſe verum, quod ſcribit Gal. dicebat Hipp. potius in declarandis optimis fœcibus abundare in conditionib. tradendis, & deficere in peſſimis, quam ſecus: tum quia illæ priori loco declarantur, & multo melius poſtrema ex antecedentibus, quam antecedentia ex ſubſequentibus cognoſcuntur: tum quia optima, cum debeant eſſe metrum, & menſura aliarum, magis videtur neceſſarium, vt ipſius abſoluta, & integra deſcriptio habeatur. Quare magis mihi placet dicamus has tres conditiones ſufficere ad faciendas optimas fœces in morbis acutis, de quibus loquitur Hippocr. ſcilicet tempus, quantitas & conſiſtentia.

In excrementis quæ conſiderãda ſint.

Nam

Nam reliquæ aliæ tres, nempe color, odor, atq; modus exeũdi, non reperiuntur vnquam in acutis, siquidem vbi febris est, ibi putredo, & consequẽter prauus odor, qui est perpetuus comes putredinis, vt Galen. 5. de simpl. 15. & cum putredine modus exeundi, & color à naturali diuersus. Igitur iure Hippoc. eas tantum tres conditiones attulit, quæ reperiri possunt in acutis, & quæ faciunt optimas in iis fœces. Secus autem est de pessimis, vt suo loco docebimus. Imo vero etiam in naturalibus fœcibus humanis odor præ cæteris animalibus reperitur prauus, vt Alexan. scribit in problem. Iam vero de consistentia dicit Hippoc. debere esse fœces consistentes & molles. Διαχώρημα & ὑποχώρημα sunt voces Hippoc. vsitatæ: sed διαχώρημα semper significat deiectiones alui: ὑποχώρημα vero etiam alias. Sed cur in Coacis addit alui molles: hic vero vtitur hac voce διαχωρήματος & non potius ὑποχωρήματος. Respondeo vti voce διαχωρήματος, quoniam quæ sequuntur satis docet, eum de sola aluo loqui. In Coac. explicat ita aluum bene valere, vt hic.

Sed dubitabit aliquis quomodo in febribus acutis possint fieri fœces molles, quandoquidem calor febrilis non modo exsiccat, verumetiam adurit, adeo vt potius duræ sint semper fœces, quam molles. Imo semper eadem ratione in febrib. solet esse aluus adstricta, atq; dura, vt ob id necesse sit fere in omnibus, ad clysteres vel ad aliquod aliud citandi eas confugere ingenium. Sed respondetur id quidem verum esse. At Hippoc. non docere quales sint in acutis fœces, sed quales debent esse ad hoc, vt optimæ sint, quibus deinde cõparatæ febricitantium vrinæ, vel meliores, vel deteriores iudicantur. Porro quæ sit consistentia, & simul mollities, non est difficile iudicare. Etenim dicuntur consistentes ad differentiam earum, quæ liquidæ & fluidæ sunt, cuiusmodi habentur in alui fluoribus. Dicuntur deinde molles, quæ sunt contrariæ duris, quales sunt cyballaceæ, & caprinæ, adeo vt, quæ hic describuntur, sint mediæ inter nimium duras, & nimium liquidas, quas Hipp. 2. prorrhet. & Celsus lib. 2. vocant figuratas. Sic mollis aluus à Celso, & aliis Latinis medicis laudatur, sicut dura improbatur. Vtere lactucis (dicebat Martialis) & mollibus, vtere maluis: nam faciem duram Phœbe cacantis habes.

Καὶ τὴν ὥρην ἥνπερ ϗ,

Et eo tempore.

HÆc est conditio secunda deiectionis optimæ, vt excernatur eo tempore, quo in sanitate solitum est: quæ conditio neque facile in ægrotantibus acute reperitur, siquidem vt in iis mutata est victus ratio, ita quoque par est mutetur etiam fœcum, quæ excrementa sunt ciborum deiectio. Nam vt scribit Eusebius lib. de Euang. præpat. 9. cap. 1. Essæi Hebræorum Philosophi, cum ieiunarent frequenter, semel tantum in bebdomada deiiciebant. Præterea quod sit tempus deiiciendi sanis, non est firmiter constitutum, quandoquidem alii mane, alii meridie, alii vespere, alii nocte excernunt, vt propterea iure Hippoc. dixerit, prout vnicuiq; consuetum est. Stephanus tamen, nec male, ait, matutinum tempus omnibus commodum est, quando scilicet iam facta est coctio, atq; distributio. Hipp. tamen 4. lib. de morb. dicebat cibum assumptum sanis semper die sequenti, humorem tertia die exire, ita vt in ventriculo, & intestinis morentur excrementa naturaliter 24. horis, plus minusve, quod tamen nihil facit ad constituendam horam excernendi determinatam.

Πλῆθος δὲ πρὸς λόγον τῶν.

Multitudo autem.

TErtia conditio est, vt fœcum copia sit proportionata cibis, qui sumuntur: Et prudenter dixit Hippoc. κατὰ λόγον assumptorum, quoniam non tantum est spectanda mensura, & moles ciborum, verum etiam & natura. Exempli gratia, panis, multo plures facit fœces, quam oua, quam caro, vt dicebat Auerrh. pane herbacea

Ex quib. cibis fæces copiosiores.

bacea legumina omnia, & quæ parũ nutriunt faciunt adhuc plures, adeo vt ſi menſura ſolummodo aſſumptorum ſpectaretur deberent, qui parum panis, & plus o uorum ſumunt parum fœcum facere, cum tamen contra ſit: & qui ſumit librã carnis minus multo fœcum facit, q̃ qui panis, aliaq; ſimilia à nobis in lect. de excrem. propoſita. Sed cur Hipp. in poſtremis verbis dixit huiuſmodi conditiones in fœcibus, dum adſunt ſignum eſſe, infernum ventrem bene valere? Nonne bonæ etiã totius corporis valetudinis indicia ſunt, ſiquidem etiam Ariſt. initio 4. meteor. dicebat, ꝓpterea eſſe inſpectanda excrementa, quia indicãt coctionẽ, & conſequenter ſanitatem. Reſpond. non ſine ratione Hipp. ita eſſe locutum, quandoquidem fœces, quę ſunt ſecundaria ſymptomata, & opera, vt loquitur Gal. lib. de diff. ſympt. ſequuntur actiones proprie inteſtinorum, q; chylus exiens à ſtomacho exugatur à venis eorum, ſicq; ad formam fœcum redigatur: vnde ꝓprie, & immediate indicat ſtatum inteſtinorum, quorum locus ab Hipp. vocatur infernus venter, & à pleriſq; latinis aqualiculus. Veruntamẽ ſecundario, & mediate indicant, etiam fœces ſtatũ ventriculi, & conſequenter totius corporis. Vt n. dicebat 3. ſect. 6. Epid. Hipp. & eũ ſecutus Serenus, ſtomachus eſt rex totius corporis, & eo languente languet totum, eodem vero bene ſeſe habente ſimiliter bene valet totum. Veruntamen hic adnotandum eſt, quòd monuit Stephan. haud hoc cõuerti, vt ſ. vbi recte habent inteſtina debeant ſemper fœces eſſe optimæ, ſiquidem poſſunt inteſtina eſſe ſana, & tamẽ à toto corpore ad ipſa confluere praui humores, qui fœces malas reddant.

Ex quibus cibis fœces copioſiores.

εἰ δὲ εἴη, ὑγρὸν τὸ διαχώρημα.

Si vero ſit hum.

POſt optimas fœces propoſitas incipit Hipp. enarrare, quæ deficiant ab optimis, & quomodo ſingulæ lædãt: ac ſicuti in enarrãdis optimis inchoauit à cõſiſtentia ita nũc inchoat ab humidis & liquidiorib. q; eſt vnũ ex extremis, inter q̃ mediã eſſe conſiſtentiã diximus. Quod igitur dixit Hipp. eſt, ſi non cõſiſtentes ſint fœces, ſed humidæ, cõfert, vt in exeundo non emittant ſtrepitum, neq; crebro exeant, & parum pro qualibet vice; Siquidem vbi frequenter ægri exurgere conantur non modo delaſſantur verum etiam peruigilare coguntur: atq; inter exurgẽdum, & vigilandum periculum eſt, ne in animi deliquia incidant, maxime ſi confertim fiat excretio. Atque hæc tota eſt Hipp. præſens ſententia. Circa quam primo conſiderandum eſt, non Hippoc. laudare humidam deiectionem, vt videri poſſit aliquibus ob verbum illud συμφέρει, ſed dicere, tunc fœces humidas in primis obeſſe, quando neq; frequenter, & paulatim, neq; cum ſtrepitu exeunt. Galen. & recte, docens qua ratione in ægris fiant ſponte fœces humidæ, cauſas duas ꝓponit: ſ. impeditum per vniuerſum corpus ſucci alimentalis diſtributionem, vel ichoris alicuius à iocinore, liene, aliaue corporis parte ad ipſum ventrem confluxum; Addit, & prudenter, bonum eſſe, vt lien, iecur per aluum, atq; per ipſum iecur totum corpus euacuetur. Veruntamen haudquaquam bonum eſſe, quando id fit ſymptomatice, non critice, quoniam cõtingit vel ob fruſtratam ſuccorũ vtilium diſtributionem, vel ob aliquã iocinoris prauam diſpoſitionem, ob quam ichores ii ad ventrem feruntur. Cæterũ quomodo cognoſcendum ſit, an ſymptomatice, an vero critice id fiat, colligitur ex Hipp. ſ. ſi non ſtrepant, neq; paulatim & frequenter exeant. Nam quæ critice euacuantur vel purgantur, cõfertim exeunt, & vna, vel altera vice. Quæ vero ſymptomatice paulatim fluunt, & frequenter, eo q; neq; valida eſt facultas expultrix; neq; materia ſatis præparata. Cæterum quod facultates lædãtur ex frequenti ſurrectione, non videtur neceſſarium, quandoquidem ægri poſſunt, imo debent deiicere iacentes, nec exurgere? Verum Hippoc. hoc dixit propter multos ægros, qui ſemper volunt exſurgere, dum à ventre ſtimulãtur. Quod ſi aliqui id faciant iacentes, ſaltẽ habent, vt vigilare cogãtur, q; æque malũ eſt. Cæterũ id ſciendũ eſt, q; dicit apho. 4. eſſe cõplicationes, q̃ in fœcuũ excretione obſeruari ſolent. Vel. n. multæ fœces, & multoties reddantur vel multæ, ſed raro; vel paucæ, & ſæpe, vel paucæ, & raro.

Priores

Priores, quod pertinet ad quantitatem, sunt omnium pessimæ. Dicit.n.Hipp. hic,& in Coac.vigilias,& animi deliquia prædicere: posttemæ autem sunt omniū optimæ. At mediæ medio modo se habēt, ſneq; admodum bonæ sunt, neq; admodum malæ. Etenim de decoctione, in qua multa & sæpe excernuntur, dicit Hipp. periculū imminere. Et ratio est, quoniam tum à multitudine materiæ exeuntis, tū à frequenti exutrectione facultates omnes mirum in modum deiiciuntur: sicuti vbi rato, & pauca deiiciuntur à nullo facultates quicquam patiuntur. Sed cur Hipp. duas tantum proponit? Quia ſex his intelliguntur & aliæ. Iam vero, vt exacte quod scribit Hippoc.noscatur, videndum est, quibus de causis fœces fiant humidæ, fiant cum strepitu,& fiant multæ, atq; intempestiue, hoc est, frequētiores quam deceat. Hæc enim omnia genera conditionum significat nobis Hippoc. in præsenti contextu. Itaq; quod fœces nimium humidæ fiant,& aquosæ, vna causa est alteratricis facultatis imbecillitas, quæ cum nequeat alterare, chylificare & concoquere, sed expellere tantum, fit, vt stercus humidius remaneat, quemadmodum obseruatur in cœliacis dispositionib. Altera causa est retentricis facultatis læsio, quæ debito tempore nō continet, donec ſalteratrix ꝓprium opus perficiat, sed citius humiditates dimittit, q̃ expediret. Tertia causa est distributio parca & deficiens, ob quam humores,& chylus minime ad partes alendas distributi, in ventrem feruntur, sicq; fœces humidas reddunt. Quarta est cacochymia à toto corpore ad ventrem defluens, sicq; excrementis aliis permixta, consequenter ea humefaciens. Cur autem deiectiones non exeant debito modo, sed cum strepitu, in causa est, pituita in intestinis, ac præsertim in recto contenta, quę impediens fœcum exitum, dum illæ pelluntur ad exitum, eo in motu flatus ex ipsa excitantur, qui tandem cum fœcib. delati sonitum, qui τρυσμὸς vocatur edunt: vnde exitus fœcum cum flati b.indicat frigoris exubetantiam; vel in ipsis intestinis, vel in ventriculo. Cæterum copia fœcū, aut est maior, aut minor quam par sit. Maior fit vel propter caussas externas, vel ꝓpter ciborum qualitatem, & quantitatem, vel propter internas. De causis externis nunc minime cogitandum est, quoniam cum loquatur Hipp.de ægrotantib. acute semper supponere debetis omnes causas externas omitti, quippe quæ semper ante cuncta alia in curatione huiusmodi ægrotantium auferātur. Causæ porro internæ, quæ faciunt nimiam deiectionum copiam, sunt, vel ob vehemētiam expulsiuæ facultatis,& retentricis debilitatem, quibus fit, vt nil pene retineatur, sed expellatur & bona,& praua simul: Vel ob distributionis alimenti læsionem, quæ distributio læditur, vel ob attractricis facultatis iocinoris infirmitatem, quæ non potest, quod deberet attrahere: vel propter obstructionem vel inflammationem venarum mesaraicarū, ob quas distributione impedita chylus ad intestina flectitur, vnde copia deiectionū augetur necessario. Fit quoq; multa excretio ꝓpter humores ad ventrē confluxum à toto corpore, qui stercore commixti ipsius molem augent. Iam vero paucæ fiunt deiectiones, vel ꝓpter læsionem,& erratum facultatis, plusq̃ conueniret retinentis. Etenim cum fiat distributio maior æquo, tum chyli, tum aliorum fit, vt pauca ad intestina secedant: vel propter errorem, atq; læsione attractricis iocinoris facultatis, quæ plus debito attrahens priuat intestina fœcum materia, vel ꝓpter feruidam mesaraicarum intemperiem, qua fit vt tum chylus, aliaq; humiditas nimium attrahitur: vel incendio consumatur, atq; sic pauciores fœces gignātur. Porro q; tempestiuius quam oportet fœces exant, causa est contentrix facultas debilis, quæ cum nequeat debito tempore retinere fœces, permittit eas egredi. Fit autem retentrix debilis. vbi facultas expultrix valde stimulata properat excernere. Simulatur vero expultrix, aut à copia, aut à prauitate, & acrimonia succorum. Ergo hisce existentibus causis facile est colligere, fœces hic ab Hippocrate commemoratas esse prauas, ac propterea prædicendum esse potius malum quam bonum. Quod etsi ipse haudquaquam dicat, ex ipsius tamen loquendi ratione, atq; ex ipsomet instituto non est arduum intelligere.

Fœcum strepitus quæ causa.

Fœcum pauciorum aut copiosiorum causa.

Ἀλλὰ χρὴ κατὰ τὸ πλῆθος.
Quin & pro copia ciborum.

HIppocrat. vt audiuistis inter conditiones optimarum fœcum reposuit, vt sint κατὰ λόγον ingestorum: Nunc vero de bonis loquẽs, dicit esse debere κατὰ πλῆθος τῶν εἰσιόντων. Vnde manifestum, tunc respexisse totam naturam assumptorum: hic vero tantũ spectare copiam, seu quantitatẽ: Quæ cũ duplex sit, continua, & discreta, de continua nil aliud dicit, nisi vt sit secundũ quantitatẽ ingestorũ. De discreta vero dicit deiectiones debere fieri bis, aut ter in die, noctu vero semel, sed plura mane, quemadmodũ est consuetum homini. Circa quę verba sunt cõpluta discussione digna. Et primum illud est, quomodo intelligi debeat, q̃ fœces sint secundum multitudinem ingestorum: siquidem pondere hæc res æstimari non potest. Visu etiam difficile est iudicare, imo sæpe fit vt moles excremẽtorum videatur excedere molem assumptorum, nec sine aliqua ratione, quandoquidem vbi intestina calida sunt, atq; in iis fœces feruent, id ipsis cõtingit, quod leguminibus, quæ dum coquuntur in multo maiorem molẽ excrescunt, ita vt non capiantur à vase. Quod & Hipp. & Arist. in probl. appellant ἐκπαφλάζειν. Secundum est, videri mirum, quod Hipp. dicat debere optimas fœces bis excerni vel ter in die, semel autem in nocte. Etenim rarę sunt, etiam inculpata sanitate fruentib. qui toties deiiciant. Et ipsemet Hipp. lib. de aer. aq. & loc. dicit, septentrionales habere aluos duras. Quinimo si verum est, quod scribitur 4. de morbis, cibum sumptum postera die exire, non videtur necesse, vt exeat, nisi quoties sumitur. Tempore autem Hippoc. vt habemus ex secundo de acutis, prandebant tãtum, & cœnabant pleriq;. Ex quo bis tantum debebant deiicere, non ter, vel quater, vt hic videtur innuere Hipp. Et Eusebius lib. de demonst. Euang. narrat: Essæos consueuisse semel in hebdomada esse, & semel aluum exonerare. Imo vero non video, cur noctu sit necesse egerere, cum nec noctu comederent. Postremo videndum est, an verum sit esse homini consuetum plura mane deiicere, quam aliis diei partib. Siquidem videtur Hippocr. quasi voluisse hanc fuisse hominum consuetudinem.

Circa primum q̃ certe non est facile explicatu, & quod à Stephano præteritũ est silentio, dicendum est, hoc nequaquam docuisse Hipp. quoniam potius vsu, & discretione quadam diffiniri potest, quam vlla certa ratione, & lege, non quidem à vulgo & ab ipsis assidentibus, sed potius à medico, qui cum sciat paucum omnino esse, quod ex ipso chylo mesaraicæ exsugunt, dicente Ioanne Grammat. ad locum Arist. de gener. anim. 40. dierum spacio tantum alimenti accedere toti, quanta est digiti plus minusve latitudo: tum potestis coniicere an inspecta excrementa respondeant copiæ ciborum assumptorum, quamquam nec omnia semper exeãt, sed aliqua retineantur, ad tutelam ipsorum intestinorum, vt Hipp. docuit lib. 3. de victu acut. Quod spectat ad secundũ, fateor nonnullas gentes reperiri, quarũ alui sunt molles perpetuo, vt scribit Arist. de iis, qui loca paludosa incolunt: verũtamen, quod vel in locis vbi Hipp. vixit, vel alibi, homines toties aluum exonerarent, aut etiam nunc exonerent, nec ab vllo authore, nec vllo vsu vnquam didici. Nec valet, quod aliqui dicunt, hunc locum explanantes, nempe veteres quater consueuisse edere, quod apud Plutarch. Athenæum, aliosq; scriptores tam Græcos quã Latinos habeantur nomina ientaculi, prandii, cibi meridiani, & cœnæ, quãdo non est compertum aliquas gentes, id fecisse, sed aliæ solo ientaculo, & cœna, aliæ solo prandio, & cœna, aliæ tribus ex his interdum vtebantur, & maior pars aliis vicibus parum omnino edebant, vespere aũt in cœna plus multo comedebãt. Quid igitur de Hipp. dicemus? Gal. quasi reprehendit Hippoc. quod superflue dixerit bis vel ter, &c. cũ sufficeret dicere, si toties, quoties in sanitate consuetum est, tanquam nõ vniuersalem, sed particularem aliquorum consuetudinem respexerit. Verum neque sic defendere ipsum audeo; quoniam cum loquatur Hippocrates de laborantibus acute, qui semper in morbo multo minus edunt, quam in sanitate, tum mole, tum vi-

Dieb. 40. tãtum alimẽti accedit corpori, quanta latitudo est digiti.

cibus; quomodo fieri possit, vt quis egerat, quantum solebat in sanitate, nequaquã intueor. Itaq; placet mihi eorum sententia, qui putant Hippoct. hic non loqui de deiectionibus in vniuersum, sed solummodo de humidioribus quam par sit, vt etiam manifeste docet Galen. in comm. sequentis contextus: quæ deiectiones humidæ, cum soleant aluum sepe & noctu, & die citare, melius est simpliciter, vt plus die, quam nocte excitent, ne somno erepto status corporis totius confundatur, istud autem metiendum esse dicit Hipp. hoc numero, scilicet, bis vel ter in die, & semel in nocte, quasi hoc parum incommodare possit, si semel tãtum nocte, bis autem vel ter in die excernatur, & plus mane. Et addo ego. Hipp. haudquaquã voluisse diffinire numerũ deiectionum humidatum, quæ bonæ sint: siquidem hoc fieri non potest præsertim in ægrotãtibus: sed numerum pro exemplo attulisse, quomodo plus die, q̃ nocte melius sit signum, & causa, deiicere. Perinde ac, si hunc in modum loqueretur: si humidæ fœces sint melius, est, vt cum frequẽter exeant, plures die, quã nocte excernant. Exempli gratia, vt habita ratione ingestorũ semel nocte, bis, terue die, & plus mane excernatur. Atq; hæc sententia non modo rationi, verum etiam vsui respondet, quia noctu, vbi natura valet, semper plus retinet; & die magis expellit, prout s. plus minusve cibi sumitur: & qui laborant alui fluore, quo plura edunt, semper etiam solent plura egetere. Vnde medici præcipiunt parum edere, quo natura alimento priuata, succos magis retineat, quemadmodum dicunt coruos à natura edoctos facere, qui vbi aluum fluidiorem habent, æstate parum bibunt, & parum edunt. Ad 3. dicendum esse iudico, Hippo. pro homine hic intelligere voluisse maiorem hominum partem, quæ vere eam consuetudinem habet, vt fœces mane, dum lecto surgit, vel paulo post, reddat. At hoc multis de causis bonum signum est, vbi fit in laborantib. acuto morbo, si id sibi fit consuetum; tum, quia quæ secundum consuetudinem fiunt, quæ est altera natura, sunt quasi naturalia, quæ quanto minus in morbis mutãtur, tanto melius est, tum quia signum est distributionẽ succorum vtilium, & inutilium esse peractam, tum quia quæ fiunt corpore magis inaniro, atq; agiliore, gratiora, & conducibilia sunt, quam quæ pleno, graui, & adhuc turbato. Sic. n. videmus æque animi, atq; corporis actiones & faciliores, & meliores obiri mane, quam vllo alio diei, & noctis tempore. Quare vehementer falluntur, qui putant, particulam (quemadmodum consuetum homini) referendam esse ad totam orationem superiorem, non autem solum ad postremam, s. plura mane, quã mos fuerit veterum toties die, & nocte aluum exonerare, quod nec possibile est, nec ex historiis compertum.

Cornorum solertia in alui fluore.

Παχύνεσθαι δὲ χρὴ τὸ διαχώρ.

Crassescere autem.

PErgit Hippocr. enarrare fœces humidiores, quæ quidem etsi ab optimis decidunt, tamen malæ penitus non sunt, & sunt quæ accedente iudicatione crassescunt. Dicit autem Hippocr. (oportet crassescere) quia vere, vt humidæ fœces vnquam bonæ debeant esse, oportet ante cætera exuant illam humiditatem, atq; crassiores euadant, q. sic illi molli consistentiæ approximantur, quam optimarum fœcum indicium esse dicebat. Dicit (morbo ad iudicationem accedente) quoniam tunc, quando est proximus status, debent argumenta inspici coctionis saltem inchoatæ, qua coctione semper incrementa incrassantur, quæ prius erant fluida, siue sint sputa, siue vrinæ, siue fœces. Nam dicebat alias Hippocr. coctionem indicare securitatem, & iudicii celeritatem. Et dixit accedente iudicatione, non autem in ipsa iudicatione, propterea quod multo melius est ante iudicationem apparere coctionem: præterquam quod si ante apparet, multo magis etiam in ipsa crisi fit, quæ nil aliud est, quam materiæ coctio, & victoria à calore naturali supta materiam parta. Est autem animaduertendum, quod Galenus secundo acutor. quadragesimoquarto loquens de coctione, dicit, duo esse genera coctionis: alterum commune, alterum proprium.

Coctionis duo genera.

Commu-

Commune quidem est, quando materia superatur à natura, ita vt ipsa materia reducatur ad medio critatem, & huiusmodi coctionis genus omnibus excrementis conuenit, & in eis spectatur. Proprium vero coctionis genus non in excrementis, quæ in substantia corporis haud conuertuntur, sed in materia, quæ per coctionem assimilatur in id quod nutritur. Est etiam memoria repetendum id quod Arist. 4. meteor. cap. 6. docet, vbi optime de passionib. mixtorum philosophans, de crassitie inquit, ea crassefiunt, quæ communia sunt aquæ & terræ. Vnde aqua non crassefit, quia est sola aqua, quamuis habeat aliquid terrei. Et hac de causa noster Hippo. supra has deiectiones non appellauit aquosas sed humidas. Galen. & Stepha. duo adnotatione aliqua digna dicunt: Primum est dixisse Hipp. iure oportere fieri stercus humidum crassum, non autem durum, quoniã natura stercoris optimi, vt dicebat antea, est, vt sit crassum non autẽ durum. Alterũ est, quod sicuti fœces humidę fieri debent crassæ accedente morbo ad iudicationẽ; sicq; quæ prius erant humidæ, atq; tenues debent incrassari: siquidem coctio vt alias dixit Gal. est veluti quædam humorum adæquatio, atq; ad mediocritatem reductio. Hoc autem non dixisse Hippocr. explicate monet Galen. quoniam veteris breuitatis studiosus ex vno contrario vult, vt aliud subintelligatur. Nec dicat aliquis parui momenti huiusmodi bonum signum esse, quod fœces sint pura cibi excrementa, & quod morbi acuti plerumq; alibi, quam in intestinis sedem habeant, quotum solum iudicari statum supra dicebat Hippocrat. ex fœcibus, quoniam sæpe etiam morbifica materia à locis affectis truditur per intestina tanquam per cauitates potẽtiores, & securiores; præter quam quod in morbis acutis calor natiuus magnopere violatur vbiq; corporis, & consequenter coctio quæuis vitiatur. Vnde vbicunq; incipiat apparere coctio, signum est iam calorem natiuum exurgere, & paulatim incipere materiæ morbificę dominari, quod optimum est signum in quouis morbo siue vrina, siue stercus spectetur. Sed dicet aliquis, nonne etiam bona est deiectio crassescens extra iudicationem, vel iudicationis principium? Nam si naturalis est talis, ergo semper est bona: & si semper bona, cur ergo ad id Hipp. morbo eunte ad iudicationem? Respondendum, esse quidem semper bonam, sed non semper securam. Est secura in iudicatione, quo tempore fit tãtum per coctionem, quæ vt 2. epid. securitatem semper indicat: nam etsi πάχωσιν, vt docet Arist. 4. meteor. fiat à calido, potest tamen etiã fieri ob mixtionem crassæ materiæ, atq; hoc morbo non eunte ad iudicationem.

ὑπόπυῤῥον δὲ ἔστω καὶ μή.

Sit autem subruffum.

SEntentia præsens Hippoc. breuissima est, in qua deiectionem debere esse subruffam, & ἥκιστα δυσῶδες, id est, minime fœtidam, asserit. Sed dubitari potest, vtrũ hæc intelligantur de stercore in vniuersum, scilicet, quod debeat esse subruffum, & minime fœtidum, an vero de deiectione aquosa, eunte ad iudicationem, de qua etiam superius loquebatur Hippocrates, vt monstrauimus. Galenus videtur eius esse sententiæ, vt intelligatur de optima; imo quasi corrigens Hippocratem, dicit hæc non esse proprio loco posita, sed poni debere statim post tractationem optimę deiectionis, atque ipsi esse coniungendam.

Cui sententiæ videntur adstipulari ea, quæ scripta sunt in Coac. prænot. vbi de deiectione in vniuersum loquens, dicit optimam esse, quæ habet conditiones etiam antea in hoc libro præscriptas, & amplius, quæ subruffa est, & μὴ σφόδρα δυσῶδες, id est, valde fœtida.

Atque huius sententiæ videtur quoque fuisse Stephanus, qui diserta oratione omnes optimarum fœcum conditiones explicans, recenset quoque hanc, vt sint subruffæ, & minime fœtidæ.

Cæterum alii sunt præclarissimi interpretes, qui intelligunt hanc sententiam, vt superiora de deiectionibus aquosis, quæ si subruffæ fiant, & minime male olentes mor-

tes morbo eunte ad iudicationem, optimæ iudicantur, quoniam naturalibus æquantur. Verum puto ego vtroque modo intelligenda esse, scilicet quod deiectio aquosa, si crassescat circa iudicationem, atque subrussa fiat, & non valde fœtida, optima est, quia huiusmodi est deiectio firma vtentium valetudine, adeo vt hoc verissimum sit tam de optima simpliciter, quam de aquosa deiectione.

Cæterum discutere oportet, cur optima sit deiectio subrussa scilicet ὑπόπυῤῥος, & non valde fœtens. Circa colorem Galenus, & recte, dicit fœces hominum sanorum colorari ab ea bile, quæ à folliculo bilis per proprium ductum mittitur in duodenum intestinum ad excitandam facultatem expulsiuam. Quæ bilis aut sincerior, & copiosior mittitur, aut minus quam conuenit. Si plus, & sincerior mittitur, fit color πυῤῥὸς, siue fuluus, qui malus est, vt signum, & vt causa, quoniam efficit tormina, prauasque dysenterias. Sin autem minus mittatur debito, vt in ictericis, fit deiectio alba, quæ quoque mala est, quoniam significat contumacissimas esse in ductu à folliculo ad duodenum obstructiones, quę impediunt bilis transitum: Sin autem mediocriter mittatur bilis, fiunt fœces subrussæ, quæ ideo bonæ sunt, quoniam significant, neque obstructiones, neque nimium iocinoris feruorem adesse, verum bilis tantum, & talis mitti, quantum, & qualis à natura fuit institutum.

Cæterum cur Hippoc. hic, & in Coacis dicit, stercus non debere esse valde fœtidum? Omnes fere in hoc conueniunt deiectiones etiam optimas debere alicuius fœtoris esse participes. Verum quæ admodum fœteant esse prauas.

Ego autem circa examen horum verborum duo esse consideranda duco, vnum est, cur fœces sanorum debeant fœtere. Nam omnis fœtor malus. Quod malum sit in bono, videtur à ratione penitus alienum. Alterum est cur fœces debeant non valde fœtere, vt ait Hippocr.

Circa primum Galen. in hoc commentario nihil dixit, verum Stephanus videtur putasse propterea non debere stercus carere fœtore, quoniam si exeat εὐώδες, id est, boni odoris, signum esse bonos succos cum deterioribus misceri, qui fœtorem prohibeant.

Sed pace Stephani ipsius sententia mihi nequaquam probatur, quoniam boni succi in corpore nostro nullum bonum odorem habent, quo possint odoratas fœces reddere. Imo vero etiam si odorem haberent, deberent potius quoniam odorati sunt, augere fœtorem: quoniam Aristotel. decimatertia problem. 9. quærens rationem, cur si alæ fœteant, & adhibeatur vnguentum, odor fit peior, inquit hoc esse, quia dilatat magis fœtorem: quare si succi odorati essent, augerent potius fœtorem.

Odorata fœtentib. addita, fœtorem augent.

Clarius Theophrast. libello de odoribus scribit, quod si in stercoribus immisceantur odorata, augetur fœtor, quia magis dilatant. Ideo grauior redditur fœtor. Præterea res etiam bonæ fœdis permixtæ potius deteriorem odorem faciunt. Siquidem scribit Hippocrat. lib. de affect. cibos bonos corruptos facere deteriores succos. Imo ex pane fit fœtidius stercus, quam ex aliis cibis, & si sit boni succi.

Panthera stercoribus humanis gaudet.

Neque valet quod Panthera delectetur odore stercoris humani, quasi odoratum sit: quandoquidem 9. de Histor. anim. cap. 6. scribit Pantheram non prosequi stercus humanum gratia odoris, sed quia à natura sit edocta, habere vim contra venenum pardalianches. Alii dicunt propterea fœces malo odore carentes esse malas, quia fiunt ex magna cruditate: Sed neque hæc responsio penitus satisfacit, si quidem cruditas est potius causa fœtoris, quam carentię odoris, vt Aristoteles decimatertia sect. probl. 4. multis argumentis probat. Nam crudi succi in intestinis necessario putrescunt, & fœtent.

Itaque dicendum est debere ægrotantium fœces fœtere, quia fœces sanorum tales sunt.

Huius

Huius rei causæ duæ sunt: vna est, quia homo inter omnia animalia vescitur melioribus nutrimentis, & ne alicui hoc videatur portentum, audiat Hippocrat. dicentem lib. de affect. cibos quanto meliores, vbi acquirunt aliquam alteratione, semper peiores esse, quam alios, quod etiam Celsus, & Auicenna fatentur peiorem esse repletionem carnis, & panis, quam pomorum: quapropter cum necessarium sit excrementa acquirere putredinem in intestinis, si boni sint succi, hinc fit, vt semper debeant esse fœtida aliquãtum. Et hinc est, quod viris Illustribus, qui fasianis, perdicibus, sturnis, & huiusmodi vescuntur & copiose, tales cibi in intestinis acquirentes putredinem grauius oleant, vt vulgaribus quoque notum est.

Altera huius rei causa est in promptu. Nam Alexand. 1. problem. 17. tradens rationem propter quam fiat, vt hominum excrementa deterius fœteant, quam brutorum, dicit hoc esse, quia homo vtitur variis cibis, & humidioribus: bruta paucioribus, & siccis. ea propter deteriores fiunt putredines in hominibus. Circa secundum dicendum est summum fœtorem esse putredinis ingẽtis comitem, vt Galen. 5. simplic. 15. quare vbi fœces, siue liquidæ siue siccæ valde fœtent, in intestinis quoque sit ingens putredo necesse est, quam esse malam nemo dubitat. Ideo iure mediocris fœtor probatur, nimius damnatur, sicut & nullus: quamquam neque ego prorsus nego fœces interdum fieri inodoras ob ingentem cruditatem, vt in lienteria, quando scilicet nihil cibi moratur in intestinis, sed exeunt quasi, imo nec quasi immutati. Verum proprie non sunt fœces, neque stercora. Et notandum est hoc in loco Hippocratem meminisse inter alias conditiones deiectionum odoris, vt Medicus non debeat dedignari etiam fœces odorari. Nam si vt scribit Galen. 7. meth. factionum Romanarum professores singulo mane odorabantur stercora equorum, vt possent eorum valetudinem explorare, quanto magis Medicus, cui salus hominum committitur, debet etiam ex fœcum odoribus peruestigare ipsorum valetudinis statum.

Ἐπιτήδειον ἢ καὶ ἕλμινθας.

Commodum est vermes.

QVod in præsenti dictione nos docet Hippoc. est hoc, commodum esse vermes rotundos exire cum fœcibus, eunte morbo ad iudicationem. In Coacis prænotionibus vbi hæc eadem sententia scripta est, loco dictionis ἐπιτήδειον, habetur χρήσιμον, id est vtile. Verum hoc nil refert. Illud est mirandũ, quomodo dicat Hippocrates vtile esse exire, &c. Nam multo plus præstat, non exire, neque esse in corpore vllos vermes in quouis morbo, siquidem sunt mala signa, & malæ causæ. Etenim significant ingentem putredinem esse in intestinis, quam fugere coguntur. Significant etiam crudorum succorum copiam, ex qua fiunt. Iam vero quot mala pariant, quilibet vermis in corpore, nempe cruciatus, vomitus, epilepsias, capitis dolores, atque similes, nemo est qui ignorat. Imo verminationum nomine solent latini authores intelligere ingentia intestinorum tormenta; propter quod non male Paulus lib. 4. cap. 57. & Aet. serm. ex cap. 39. dixerunt nunquam bonum esse prodire vermes, nisi in declinatione.

A vermibus quæ dãna

Galenus, qui paucissima dicit, exponit, quasi Hippocrates non dicat simpliciter, bonum esse helminthas exire, sed melius alno quam ore, & vomitu prodire. Sed non mihi videtur hæc interpretatio tollere dubium, tum quia non satis accommodatur verbis Hippocratis, tum quia cum helminthes fiant in superioribus intestinis, facilius est, vt ore exeant præterea dato, quod sit melius exire cum deiectionibus vermes, quam vomitu, illud tamen est omni morbi tempore, non tantum in fine augumenti scilicet inchoante statu, & iudicatione, vt expresse dicit Hippocrates.

Alii existimarunt intelligendum ita esse Hippocratem, quod vbi fœces humidæ sunt crassefactæ, subrussæ, & non multum fœtidæ, optimum etiam vt exeant

vermes dum indicatur morbus; quoniam, cum fiant vermes per coctionem, signum est optimam iudicationem futuram, & secutam, iuxta id quod alias diximus ex secundo Epidem. coctionem significare securitatem, & iudicii celeritatem. Verum ego puto huiusmodi interpretationem haudquaquam posse conuenire: Primo, quia sat sunt signa iam proposita ab Hippocrate ad docendam deiectionum bonitatem, nempe quæ sequuntur res perpetuo inexistentes fœcibus, nempe consistentiam, colorem, fœtorem, & cætera. Cum vermes non solum non sint ex iis rebus perpetuo sequentibus, verum potius raro appareant. Præterea fateor vermes non gigni posse ex praua, & venenosa materia, cum non fiat in corporibus à fulmine tactis vt docuimus alias sed gignuntur ex crudis ciborum excrementis, vt optime Stephanus, & nos alias in propria tractatione monstrauimus. Non ergo dicunt, materiæ morbificæ correctionem, & coctionem monstrare possunt.

Postremo nugæ sunt, vermes, qui prodeunt in morbis acutis, & aliis, recenter genitos esse, siquidem interdum exeunt grandes, neque credibile est statim genitos, & statim auctos esse. Etenim videmus lumbricos extrinsecus ex putri materia genitos prius fieri exiguos, deinde paulatim, atque tempore incrementum suscipere, & fieri grandiores, vt idem quoque existimandum sit de iis, qui in corpore humano, & brutorum gignuntur. Quare iuraret Hippocratem ita esse intelligendum, si vermes sint in corpore, vtile & commodum esse, vt cum fœcibus exeant, aduentante iudicatione, tum quia vt dicit Stephanus sunt bona signa, tum quia sunt bonæ causæ. Etenim bona signa sunt, quia indicant vim validam esse quæ materiam malam excernat.

Causæ vero bonæ sunt, quoniam causa, quæ in corpore nocebat, exit, quæ si cruda existente materia, hoc est, in principio, & augmento exeat, nō bonum, quod significetur summam putredinem esse propter quam excernuntur lumbrici rotundi. Igitur vtile est exire cum fœcibus lumbricos rotundos in iudicatione. Vtrum autem deterius sit viuos exire, vt crediderunt apud Cœlium Aurelian. 4. diutut. cap. 8. Diocles, & post Paulus & Aetius locis citatis, an mortuos, vt Hippocrites alibi, Apollonius, Glaucus, & Memphites, Chrysippus, Razes, & Auizenna, nunc non est subtiliter disputandum. Illud certum est, dum viui excernuntur, magis ægrotantes torquere, dum vero mortui prodeunt, signum esse vehementis putredinis, quibus necantur prius quam exeant.

Cæterum duo sunt quærenda, cur solum lumbricorum rotundorum meminit Hippocrates, non item aliorum? præterea cur dixit cum deiectione? Etenim etiam sæpe exeunt soli per aluum; & tamen etiam iuuant.

Lumbricorū, quæ genera, & vnde generentur. Ad primum dicit Stephanus, quod, cum tria sint lumbricorum genera rotundi, lati, & ascarides, si duo postremi fiunt à materia valde crassa: rotundi autem à minus crassa. Porro Hippocr. hic loquitur de morbis acutis, in quibus nunquam tanta materiæ crassæ copia reperiri potest, vt ex ea fiant hæc duo postrema genera; sed reperitur solum, quæ sufficiat ad rotundorum generationem, ac ob id fecem horum duntaxat mentionem fecisse. Alii dicunt latos lumbricos rarissime apparere, fierique ex intestinorum superficie discussa. Ascaridis vero fieri in postremis intestinis, ob idq; nullam pene vim habere ad quicquam boni significandum. Ex quo non potuisse Hippocratem proponere nisi rotundos, quippe qui, & frequenter apparent, & non exiguam habent facultatem ad significandum. Ego vero addo Ascaridas, & latos lumbricos fere solum fieri in pueris, ac lumbricos latos vix exire, sed abrumpi, vt scribit Hippocrates, 4. de morb. eiusque frusta male ab Arist. 5. de hist. 19. vocari partus ipsorum.

Cæterum lumbrici rotundi fiunt in omni ætate, & ob id dum loqueretur Hippocrates de prognosticis in morbis acutis, æquum erat vt communia omni ætati, non peculiaria pueris, alterius ætate sumeret.

Ad secundum dicendum est, sic locutum fuisse Hippocratem non absque ratione,

tione, quandoquidem multo melius est exire cum stercore quam sine, eo quod vbi exeunt per vomitum, lædunt stomachum. Vbi autem fœcibus inuoluti, minime lædere possunt, intestina inter exeundum, vt faciunt vbi nudi transeunt, & egrediuntur. Ad hæc exeuntes lumbrici vna cum stercore significant, materiã fœcum esse malignam admodum, cum in ea viuant, & versentur animalia. Vnde non placet Antiphanes, qui apud Cœlium citato loco scribit, melius esse per inferiora, quam per vomitum lumbricos excludere, & solos magis, quam cum stercoribus. Cum tamen Hippocrates 4. Epidem. narret, Tersandri vxorem laborantem febre acuta vomitu reiecisse vermem, & fuisse seruatam.

Sed dubium adhuc est, quomodo si vera est hæc sententia, mortuus est languens 12. primo Epidem. qui septima die vermem deiecerat.

Respond. in eo non fuisse fœces figuratas subruffas, & cum aliis conditionibus commemoratis, imò vero adfuisse alia signa lethalia. Neque verò Hippocrates, hanc sententiam nobis reliquit, vt probaret semper exitum vermium esse bonum, sed potius vt doceret minime malum semper esse vermes exire, vt plerique vulgares putant, & vt Herophylus videtur existimasse apud Cœlium, necnon Apollonius Memphites.

Δεῖ δὲ ἐν πᾶσι τοῖς νοσήμασι.

Oportet omnibus ægrotantibus.

POst conditiones optimæ deiectionis, atque etiam earum, quæ non adeo sunt bonæ, tractationem, nunc Hippocr. quandam aliam proponit, quæ quasi summa quædam est cunctarum aliarum; & est, vt aluus in cunctis morbis sit λαπαρὴ, id est, mollis, & εὔογκος, id est, bonæ molis. Cum enim supra liquidas deiectiones, & consistentia, & numero, & copia constituisset, vt esse debeant in acutis, in hac sententia dicit, tandem id optimum esse, vt aluus neque sit nimis plena, aut flatu, aut fœcibus, aut vtrisque, sed λαπαρὴ, hoc est, laxa, & mollis, neque nimis exinanita & consumpta, sed bonæ molis. Stephanus autem & ipse cum Galeno exponit λαπαρὸν, id est, æqualem, & mollem ventrem tenso contrarium: εὔογκον, id est, εὔσαρκον, seu bene carnosum opponi tabefacto & colliquato.

Hoc enim etiam in morbis esse considerandum mandat, quemadmodum & in Aphorismis, vbi scribit. Quibus circa vmbilicum & pectinem crassities est, melius est. Valde autem eas partes graciles & tabefactas esse malum. Ratio vero huius est satis aperta, quandoquidem nisi mollis sit venter, sed tensus & durus, signum est aliquam ibi repletionem noxiam reperiri, aut humorem, aut flatus, aut fœtum, quæ repletio febribus semper mirum in modum incommodat. Pariter, si non sit carnosus, siue bonæ, & iustæ molis, sed tabidus, & inanis, signum est vel ingentis incendii colliquantis, vel extremæ imbecillitatis nutritoriæ facultatis; siquidem id à natura comparatum est, vt venter primus omnium nutriatur, atque inde postmodum in alias partes nutrimentum distribuatur, quo fit vt primum aliæ partes nutrimento priuatæ contabescant, & omnium postremus venter.

Atque ob hæc fit, vt vbi hæ partes sunt graciles, & consumptæ, signum sit summæ infirmitatis facultatis naturalis nutritoriæ. Est etiam hoc mala causa, quoniam stomachus & viscere pene denudata calorem proprium perdunt, sicque nullam bonam coctionem facere queunt. Aristot. enim 5. sect. problem. 5. & 14. quærens rationem, propter quam venter celerrime omnium partium opimatur, & tardissime extenuatur duas affert causas; Vnam, quod hæc pars est vicina cibo, scilicet stomacho, & iecinori: Alterum, quod est in perpetua quiete nullis motionibus, nullis flexibus agitata:

ὑδατώδεα χλωρὰ ἢ λευκά.

Aquosam valde, aut albam.

POstquam Hippocr. de optimis & de non malis deiectionibus verba fecit: nunc de malis tractare inchoat; & quia vt sæpe dixi res ab optimis decidentes fere innumeræ sunt, propterea & hic, & in Coacis prænotionibus copiosus est in tradendis prauis fœcibus, atque ex ipsis iudiciis, quæ omnia ipse quoque vt facit Gal. sigillatim interpretari conabor. Sed prius sciendum est Hippocratem in docendis optimis excrementis accepisse conditiones à consistentia, à tempore, colore, odore & copia: Eodem pacto differentias omnes, quas prauis excrementis attribuit, sumit ab illis. Dicit ergo malas deiectiones habere quatuor conditiones: Vel enim sunt valde aquosæ, aut χλωρὰ, id est, virides; vel rubræ vehementer; vel spumantes. Et animaduertendum est aquosis addidisse illud *valde*, propterea quod in antecedenti etiam de deiectionibus humidis egit. Vnde cum aquosæ sint etiam humidæ, ideo vt has ab illis distingueret, addidit illud valde. Cornel. Celsus libro 2. cap. 4. traducens, vt elegantissime facit, Hippocratem, quo loco Hippocrates dicit (valde) ipse dicit perliquidum. Sed nil ad rem nostram.

Videamus quomodo dicat valde aquosas esse malas. Galenus docturus causam huius rei inquit, propterea esse malas, quia apepsiam iudicant: Sed dubitatum, vtrum pura cruditas possit esse causa, cur sint malæ? Nam cruditas nil aliud facit, nisi quod dimittit incoctum excrementum, & vt Stephanus inquit, cruditas est, quando excrementum non acquirit debitum ornamentum, vt in lientericis, qui non solum aquosa, & cruda deiiciunt, verum etiam cibos ipsos, ac solidos.

Cruditas duplex. Respondendum est duplicem esse differentiam cruditatis. Nam alia est consummata, in qua cibi nec alteratur quidē vt in lienteria: alia est, in qua cibi non solū alterantur, sed etiam corrumpuntur, vt quando nidorosa, aut acida percipiuntur. Gale. hoc in loco non potest intelligere de cōsummata cruditate qualis est in lienteria, quoniam in hac non fiunt excrementa, nec fœces, sed ipsi cibi redduntur. Iam vero cruditas, quæ non ita consummata est, siue fiat ab acore, siue à nidore, facit excrementa aquosa, & valde: id quod experientia ostendit, in nidore quidem, quia cum fiat à calore chylus imperfectus, ab illo calore vsque adeo tenuatur, vt aquescat. Sic in acida, ratione frigiditatis fit, vt chylus nullo modo coalescat, ideo fluidus est.

ἢ λευκά.

Albam.

Deiectio alba & aquosa, vt differunt. ALBA, & aquosa deiectio in eo potissimum differunt, quod aquosa fluida necessario est, atque tenuis: alba non item, sed potius crassa, alioquin albus color non appareret, quemadmodum aqua non apparet, lac, nix, & quicquid album vere est, necessario etiam corpulentiam aliquam habet. Sed cur est, quod albæ deiectiones sint damnandæ? Galen. inquit, hoc esse, quia signum est, bilem non ferri ad intestina. Quasi vero absentia bilis sit causa albedinis, quod quidem fieri nullo pacto posse videtur, quandoquidē priuatio non potest esse causa rei positiuæ. Sed vt intelligatur quid sibi velit Galē. animaduertendum est, quod omnes Philosophi dicunt, solis absentiam facere frigus: non tamen sequitur priuationem esse causam rei positiuæ. Nam aer, & terra sua natura frigidæ sunt: vbi vero incalescunt, fit ratione solis, quo ablato regrediuntur ad propriam naturam. Idem fit in albis deiectionibus.

Alii fœces sunt sua natura albæ propter tunicas intestinorum, & propter chylum. Vnde subtracta bile remanet in propria natura. Vbi vero bilis adest, deiectiones colorat, & fiunt subrufæ. Quare verum est, quod dixit Galenus. Sed quid mali est, bilem non ferri ad intestina? Dico propter duas causas in morbis acutis malum esse. *Bilis in aluū non effusa, noxa.*

Vna est, quia bilis est humor feruidus, & cum impeditur, recedit, & ad partes nobiles fertur. Hinc fit, quod vbi albæ sunt deiectiones signum est futuræ phrenitidis, vel alicuius magni mali. Alia causa est, quod vbi retinetur bilis fiunt icteritiæ, vnde in ictericis deiectiones sunt albæ. Sed qui mali est icteritia? In febre acuta ante septimam lethale est, inquit Hippocrates 4. aphorismor. 62. Sed dubitatur apud Galenum, vtrum ante septimam sit exitiale. Nam Plinius loc. 26. cap. 12. citans hanc Hippocr. sententiam dicit, vsu quotidiano sæpe fieri, vt ante septimam diem sint seruati. Præterea Auenzoar lib. suæ Medicinæ tractat. 13. cap. vltim. de hoc dicit, fieri posse ratione crisis, & hac de causa esse bonum. Auerrh. 3. collig. vt tolleret hanc controuersiam, dixit Hippocratem vera dicere, quoniam in Græcia verum erat, sed in Asia & Arabia secus se habebat.

Veruntamen hæc Auerrh. sententia non mihi placet. Et multo melius est dicere, verum esse non semper exire, sed quando hypochondria sunt dura propter aliquam inflammationem, & sic intellexit Hippocrat. Aliqui putant fieri albas fœces in hydropicis quoque eo, quod nulla bilis in ipsis gignatur. Sed duplex falsitas: primum, quia in hydropicis rarissime fiunt fœces albæ, sed plerunque coloratæ. Et si fiunt albæ, est ratione obstructionis prædictæ, non ipsius morbi hydropicis. Deinde falsum est in hydrope non generari bilem, imo interdum fit, & præsertim quando obstructo iecinore præternaturalis calor in ipso augetur, quomodo etiam dicebat Hippocrates secundo Epidem. in hydropicis quoque fieri pruritum. Verum hoc loco notandum est, quandoque fieri albas fœces ob cibos, vt etiam adnotauit Galen. primo prorrhet. text. 13. veluti à lacte, & ptisana. Verum huiusmodi albedo exigua est si transeat bilis ad intestina, cuius color superat ciborum colorem.

ἢ χλωρὸν.

Chlora.

Τὸ χλωρὸν διαχώρημα duos colores significare & Galen. & Stephan. docent, pallidum scilicet, & viridem. Pallidus à flaua bile saturata; viridis ab æruginea efficitur: vtraque autem mala est, tum quia significat insignem feruorem, tum quia petens intestina solet ea fauciare, atque deterrimas dysenterias inducere. Est tamen deterior viridis, sicut deterior est bilis æruginea, siue fiat per ingentem ardorem, siue fiat vt putauit Auerrhoes tertio collect. 3. ex permixtione bilis flauæ, & atræ. — χλωρὸν quid significet.

ἢ ἐρυθρὸν ἰσχυρῶς.

Vel rubram valde.

Aliqui existimant Hippocratem voluisse intelligere illas, quæ fiunt à bile: videmus enim mixtam facere colorem rubrum. Sed non puto hanc esse mentem Hippocr. quia huiusmodi deiectiones sub chloron comprehendit. Cornel. Cels. hanc partem dimittit: verum puto ego hanc partem esse legitimam, & habere suas rationes: siquidem fit à sanguine, quia si sint moderate sanguineæ, non ita malæ sunt vt in hæmorrhoidibus; sed si multum sint, malæ. Neque obstat, quod Galen. 6. Epidem. comment. 3. in fine dicat, affectus omnes à sanguine esse mitissimos, quoniam alia ratio est de affectibus internis à sanguine, alia de sanguine, qui exit: quia fœces rubræ non simpliciter à sanguine fiunt, sed propter vulnus, & exulcerationem, ideo pessimæ.

ἢ ἀφρῶ-

ἢ ἀφρώδης.
Aut spumans.

Spumæ generatio.

GALENVS fieri spumam tum à flatu materiæ viscidæ incluso, quemadmodum in mari contingit, tum à calore agitante, & permiscente vt in lebetibus scribit. Verum nulla spuma fit absq; flatu, imo vero ipsamet spuma nil aliud est quam ventus humido viscoso insertus, qui nitens exire, eleuat illud, atq; bullas facit, quibus deinde multiplicatis suboritur spuma. Ad quid igitur Gal. & alii eum sequentes diuidunt has duas species spumæ, quasi altera non sit à flatu, sed à calore tātum? Itaque res ita se habet, quod vere nulla spuma est sine flatu: sed flatus interdum cōcitatur, & includitur humido per solum motum, quemadmodum vbi agitātur res viscidæ, vt ouorum albumina, lac, & similia. Vel per motum cum calore, vt in lebetibus feruentibus. Nam in his motus à calore factus excitat flatus ex humido, qui illi inclusi efficiunt spumam. Nam nunquam aqua, aut quicquam aliud facit spumam nisi moueatur, eo quo per motum flatus inseritur humido. Iam vero spuma in deiectionibus acute laborantium fit ob feruorem in intestinis existentem, atque mouentem. Vnde mala est, quoniam si in intestinis tantus est ardor, putandum est multo maiorem quoque esse in ipsis vasis, atque visceribus. Sed animaduertendum non modo ab ipsis cibis, quorum natura est apta ad producendos flatus fieri interdum spumam, verumetiam ab externo calore, qui idem facit atq; internus, scilicet agitat, flatus concitat, eosq; humido includit. Vnde æstate sæpenumero cōspiciuntur ftercora haud secus feruere, & spumescere, atq; mustum, quod vulgares sæpe admirantur, & in admiratione decipiuntur.

Πονηρὰ πάντα πάντα.
Praua etiam.

PErgit Hippocr. de malis deiectionibus verba facere: Et cum supra de consistentia, ad quam pertinet aquosa & spumosa, necnon de colore locutus esset, modo de quantitate aliis qualitatibus iuncta sermonem facit: Nam exigua deiectio sola non adeo mala est, quanquam dixerit supra debere esse secundum ingestorum proportionem, & 4. de morbis dixerit non posse quemquam esse sanum, nisi externum cibum reddat: Sed mala est dicit Hippoc. si sit lenta, & alba, & subpallida, & læuis. Vtrum autem ex omnibus his faciat Hippocr. vnam tantum differentiam, & ideā prauæ deiectionis, an plures dubitabile est. Etenim si spectetur ipse loquēdi modus videtur vna, quia quælibet particula est cum copulatiua. Ex alia parte nō videntur tot conditiones simul reperiri posse.

Quomodo namque poterit esse simul alba, & subpallida? Itaque summo iure, & Galen. & Stepha. voluerunt duas quantitatis exiguæ differentias his nobis proponere Hippocratem. Vnam quæ sit exigua, viscida alba: alteram quæ sit exigua subpallida, & læuis: quorum vnaquæque vt videatur, qua ratione praua dicatur, operæpretium est videre illius causas: Etenim semper ad naturam ipsius rei confugiendum est, vbi iudicium, & prædictionem alicuius facere optamus.

Dicit igitur Galenus vtramque hanc fœcum differentiam sequi colliquationem pinguedinis, quæ quoniam fit ab ignea caliditate non admodum maligna, vel à vehementiore, atque ipsius pinguedinis vetustæ, & quasi semiputridæ, vt videmus in seuo, & adipe vetustate rancidis, & consumptis factam huiusmodi colliquationem, ac colorem mutatum ad subpallidum. Ideo si huiusmodi colliquatio fiat à solo calore igneo non ita vehementi nec putrefaciente fiunt deiectiones exiguæ viscidæ, & albæ.

Pinguedinis colliquatio vnde.

Sin autem à vehementiori, & cum putredine ipsius pinguedinis veluti rancidæ, & ob malignitatem semiputridæ fit deiectio subpallida, & læuis: Fit enim v-

traque

traque primum exigua, quoniam pinguedo haud potest tota affatim liquefieri, & exire, cum sit concreta valde à frigido, sed paulatim eliquatur, & paulatim ad intestina, & ab ipsis foras pellitur: porro fit viscida, quoniam ipsa pinguedo fit ex humore aereo calido, & viscido, vt dicebat Hippocrates lib. de principiis, & Plato in Timæo: Verum, quia etiam interdum fit viscidità à cibis, differentia est, quia tunc non pauca, sed multa est. Fit etiam alba, quoniam pinguedo ob aerem inclusum, tum concreta, tum liquata albescit, & maxime quando minimum est nimium ab igne tractata, & veluti combusta: fit deinde subpallida, seu subuitidis, quando nimium pinguedo crematur, aut ipsa semiputrida, & vetusta ab igne vincitur. Etenim ingenti combustione, & putredine multum aeris consumitur, sed non totus, & propterea aliquid certe splendoris relinquitur, sed non tantum vt pristinam retineat albedinem.

Verum quod aliquid læue, & politum euadat, fit vel ob æqualem omnium ipsius partium concoctionem, vel ob vehementem colliquationem, ita vt nulla ipsius materiæ pars sit, quæ non patiatur. Vnde sicut, quæ bona sunt, tanto dicuntur meliora, quanto magis singulæ partes sunt æqualiter concoctæ: sic quæ praua sunt eo deteriora habentur, quo magis æqualiter sunt ab igneo, & febrili calore tractata, & consumpta: si quidem vtraq; per tota seipsa videntur mutata, illa quidem per coctionem ad bonum, hæc vero per colliquationem ad malum. Verum dubitabit aliquis quate Hippocrates sic dimiserit fœtorem, siquidem soleat esse comes colliquationum, & præsertim magnarum, vt ipsemet in Epidem. testatur, & vt experientia probatur? Dicendum est cum Galen. fœtorem consequi non exiguas, sed magnas colliquationes, quæ fœtore distinguuntur à copia crudorum succorum, & consequenter putredine.

Hic autem sermonem habere de moderatis, hoc est, neque copiosis, neque à vehementi, & putrefaciente calore factis. Ex his ergo apparet has duas deiectionum differentias esse malas, quoniam indicant febres deurentes, & colliquantes. Sic etiam Hippocrates in Coac. prænot. dicebat deiectionem viscidam, sinceram, & albam esse malam.

Τούτων δὲ θανατωδέστερα.

His magis lethalia.

TErtiam ideam deiectionum prauarum hic describere Hippocratem merito Stephanus putat. Prima enim fuit malarum simpliciter. Secunda deteriorum, atque lethalium; hæc autem tertia magis lethalium. Etenim secundas lethales etsi non dixerit Hippocrates, vox tamen θανατωδέστερα hic vsurpata satis docet. Igitur dicit Hippocrates. His, hoc est, prædictis magis lethales sunt nigræ deiectiones, vel pingues, vel liuidæ, vel æruginosæ & fœtidæ.

Quæ deiectionum conditiones partim sunt accipiendæ copulatiue, partim vero disiunctiue. Copulatiue sic sunt accipiendæ, vt dicantur omnes fœtidæ: disiunctiue autem, vt quæ tales sunt, hæ etiam fœtidæ sint vel pingues, vel liuidæ, vel æruginea.

Etenim ad faciendas fæces exitiales non sufficit solus fœtor, quandoquidē corpora humida, & calida, & si sint alioqui sana, faciunt excrementa admodum fœtentia, vt dicebat Gal. 7. meth. 8. & sæpe in morbis salutaribus stercorum fœtor inuenitur, ac requiruntur alia scilicet nigredo, vel pinguedo, vel liuiditas, vel æruginositas. Ex quo colligitur supra quādo locutus est de pinguedine deiectionum, intellexisse de ea, quæ est sine putredine, & sine fœtore.

Quod autem ita sit exponendus Hippocrates probari potest ex Coacis prænotionibus, vbi dicit deiectiones nigras, pingues, liuidas, cum fœtore esse lethales.

Modo

Modo videamus, quæ sint causæ harum conditionum, vt simul intelligamus, quamobrem dixerit Hipp. esse mortales. Dicit Galen. nigras fœces fieri à sincera melācholia sibi mixta, liuidas à moderata, & moderatè commixta. Pingues autem ob pinguedinem ab igneo calore colliquatam. Fœtorem autem fieri à putredine, quæ omnia plane sunt verissima. Attamen multa etiam alia in ipsis desiderantur. Primum de æruginco colore nil dicit. Deinde nigræ fœces licet tantum à sincera melancholia fiant, non sunt tamen semper lethales, quandoquidem interdum tales fiunt ratione crisis, sicuti liuidæ, & æruginosæ. Ergo fœtidæ fœces, nigræ, vel liuidæ, vel æruginosæ, quæ fiunt à bile æruginea, nisi fiant cum signis coctionis, & die critica vere lethales sunt, tum quia significant pernitiosissimos humores dominari & putrescere, tum quia solent dysenterias exitiales inter exeundum producere. Etenim dicebat Hippoc. 4. aph. 24. dysenteriam, si incipiat ab atra bile, esse mortalem, quem locum exponens Gal, dicebat dysenteriam à flaua bile sæpe sanari, factā vero ab atra bile, plane incurabilem esse, nihilque ab exulcerato cancro differre, quem scimus ex Hippocrat. non modo esse irremediabilem, verum etiam inferre citam mortem si curatio ipsis adhibeatur. Et Galen. lib. de atra bile, cap. 3. testatur se neminem vidisse seruatum ex iis, qui nigram bilem deiecissent.

Τὰ δὲ ποίκιλα χρονιώτερα.

Variæ autem diuturniores.

DE lethalibus deiectionibus, quæ sint vnius coloris & vnius generis, egit superius Hippocrates, & quia gradatim à malis ad peiora semper processit, vt adhuc aliquas deteriores, & magis lethales esse doceret, accipit easdem simul complicatas, easq; dicit prædictis esse diuturniores, neque minus lethales. Sed dicetis quis modus loquendi est, esse diuturniores, nec minus lethales? Dico Hippocrat. voluisse his verbis docere, esse varias species prædictis deteriores, quia si non sunt minus lethales, & præter hoc habeant etiam id, vt plus durent, certum est has habere plus mali, quam illas: etenim idem malum quo diuturnius, eo semper peius. Quæ sint variæ deiectiones, ipse Hippocr. satis explicat dicens tales esse ramentosas, biliosas, cruētas, porraceas, & liuidas; quæ dupliciter possunt esse variæ; aut quia vnica deiectione oēs, vel aliquæ ex hisce excernantur, vel q; plurib. ita vt vna exsurrectione porracea altera eructa, altera ramentosa deiiciantur. Elegantissimus Cor. Cels. lib. 2. cap. 6. habet hanc eandem sententiam. Cæterum in Celsi contextu forte duo verba deerant, scilicet liuidæ, & æruginosæ Hippoc. in Coac. idem sed breuissimis verbis tradidit. Sed vtcunque sit, videamus cur hoc sit lethale. Iam dictū est, quia scilicet à summa succorum prauitate, & ab ingenti febre producuntur, qui succi quanto sunt plures, tanto magis lethales, etiam si vnus in maiori mole esset. Verum cur fiant diuturniores ab hisce affectus non ita certum & cōstitutum est. Galenus dicit propterea esse diuturniores, quoniam significant varias affectiones, & variam cacochymiam: vnde quemadmodum diutius durat luctatori pugna vbi aduersus plures antagonistas sibi certandū est, sic vbi natura pugnat aduersus plures, & varias affectiones, diutius laborat.

Deiectiones variæ quæ sint.

Sed hæc ratio non videtur accommodata: Primum, quia vt dicit Stephanus, haudquaquā necesse est fieri ob diuersas dispositiones, quandoquidem hic Hippocrates agit de vna febre acuta, quæ vna manens potest varios & diuersos prauos succos facere.

Vt enim, quemadmodum ait Stephanus, ab vno igne pharmaca excocta diuersos colores suscipiunt tum simul ob diuersitatem materiæ, tum vicissim ob variā ignis actionem: haud secus fieri potest vt vnus ingens calor febrilis pro varietate humorum varios colores, & effectus efficiat, aut in vno, & eodem succo pro varietate actionis.

Vnus calor varios colores gignit.

Adeo vt non sit necessarium dicere, quemadmodum Galen. varietatem deiectionum sequi varietatem dispositionum.

Præterea

Præterea non videtur verum, etiam si sint plures, & variæ dispositiones, quod propter hoc debeat malum esse diuturnius. Imo vero secus est, cum extrinsecus videamus, homines citius à pluribus inimicis ferientibus, quam ab vno trucidati. Vetus namque prouerbium est, vnum Herculem non sufficere aduersus duos. Ad primum dicendum est, aliud esse morbum, aliud esse dispositionem. Nam varia excrementa haud necessario sequuntur varium morbum. Sed sequuntur varias operationes, quæ à variis dispositionibus prodeunt. Etenim, vt alias dixi ex Gal. li. de diff. sympt. excrementa sunt secundaria symptomata, quæ sequuntur operationes, & operationes sequuntur dispositiones. Vnde sicuti varia excrementa sequuntur varias naturæ operationes; Sic hæ sequuntur varias dispositiones, quæ cum vno principali morbo possunt manere. Circa secundum dicēdum, duplicem esse diuturnū morbum, alium per se, alium ex decidentia ab acuto. De primo hic non loquitur Hipp. sed de secundo. Iam vero morbus hic diuturnus factus ex acuto, potest esse magis, & minus diuturnus intra quadragesimū diem. Si enim dispositiones sint variæ, & lethales, quod ostenditur ex varietate excrementorum fieri potest, vt vel singulæ sint debiliores, quam vbi vna tantum est, vel vt sint æque, plusue validæ. Si sint debiliores, morbus fit diuturnior, quia virtus magis durat aduersus multas debiles causas, etsi tandem succumbat, quam aduersus vnam validam. Nam & hoc idem dicit Hipp. in Coac. prænot. vbi hanc eandem sententiam tradens, dicit, varietatem deiectionum esse ipsammet morbi diuturnitatem. Si vero sint æque, aut plus validæ, manifestum est citius esse ægrum occubiturum, & propterea morbum non futurum diuturniorem. Habetis ergo, quomodo variæ deiectiones simul, & diuturniores, & non minus exitiosæ sint aliis prædictis.

Morbi diuturni duplices.

Ξυσματώδεα.

Ramentosæ.

Cornelius Celsus has nuncupauit strigmentosas. Dicuntur autem ramentosæ deiectiones illæ, in quibus veluti intestinorum ramenta conspiciuntur, de quibus mirum est nihil dixisse Ga. Fiunt autē ab ingenti erosione facta ab humore acri, & propterea mala signa sunt, de quibus etiam 4. aph. 26. sermonem habet. Nam licet quandoq; erosiones intestinorum curentur, vbi tamen fiunt in morbo, & febre acuta, multo deteriores sunt. Sed dubitatur, quare Hipp. tradens differentias varietatis deiectionum, quinq; differentias proponit, quarum vna sumitur à substantiæ varietate, aliæ autem omnes à calore? Respondendum est, Hipp. hoc fecisse, qa hæc differentia ramentosarum deiectionū non indicatur à calore, semper est vnius coloris, cum intestina sint alba, & eructa. Quare cum huiusmodi deiectiones semper albę, vel subeructæ sint, nil emolumēti à colore nanciscimur. Ceterum aliæ quatuor differentiæ à solis coloribus dignoscuntur, quia si bilis, pituita, vel sanguis sint, viridia, vel liuida, solo colore distinguuntur.

Ramentosæ deiectiones quid, & quo modo fiant.

καὶ χολώδεα.

Et biliosæ.

Biliosę deiectiones, vel sunt permixtę, vel sinceræ. Si permixtæ sint, & maxime à pituita, non adeo malæ sunt, imo castigantur inuicem. Quare Hipp. hoc in loco non potest intelligere istas. Et vt hoc verum esse, quilibet videre possit, legantur ea, quæ in Coac. scripta sunt, vbi videtur Hipp. eandem sententiam habere, & dicit variæ, & sinceræ (quas saturatas ibi appellat) deiectiones omnes prauę sunt. Quo fit, intelligendum esse de sinceris, & impermixtis. Sed si simul exeant nō videtur appellari posse sinceras. Nam, si, ex. gr. vna excernatur bilis, & sanguis, non amplius appellari poterit impermixta. Dicendum est, varietatem istam sic esse accipiendam, vt si simul appareant bilis, & pituita, colores liuidi, æruginosi, & cetera, separatim, ita vt prius bilis, mox pituita, deinde alii appareāt. Ideo variæ, & sinceræ erunt. Causæ vero propter quas hæ deiectiones biliosæ malæ sunt alias dictæ sunt: primū, quia malæ sunt vt causa, cum necessario exulcerent intestina. Vnde 7. aph. 23. dicebat Hippoc.

à deiectionibus sinceris fieri difficultates intestinotum; sunt etiam malæ vt signum quia maximum indicant intestinorum incendium, quod maxime exitiale est.

καὶ πελιδνά.

Liuida, &c.

DE liuidis & æruginosis deiectionibus iam locuti sumus. Ceterum de cruentis, quoniam neq; Ga. quicquam dixit, & res non videtur ita clara, paulisper disputandũ est. Ita cruentæ deiectiones appellantur, quæcunq; colore, ac substantia ipsa teferunt sanguinem. Vnde, vt perhibet Gal. 2. in 1. prorrh. vel sanguis prodit sincer vel mixtus, aut aquosæ saniei, aut alicui alteri humori. Vtrunq; sit in febr. acut. semper cruentę deiectiones malæ, & lethales sunt. Imo & excreationes etiam cruentas esse malas dicebat Hip. 4. aph. 47. Ratio cur malæ sint est, quoniam in feb. acut. sanguis protumpens ob ipsius feruorem, & acrimoniam, quibus natura irritatur, prorumpit, & cum vires alioquin debiles sint exitu sanguinis, multo magis læduntur. Nec valet q; Gal. 6. epid. comm. 3. tex. vlt. dixerit, affectus à sanguine est mitissimos, quoniã aliud est, loq; de affect. q; fiunt à sanguine, aliud de sanguinis è corpore exitu.

Deiectiones quæ liuidæ & cruentæ.

φῦσαν δὲ ἄνευ ψόφου.

Flatum autem sine.

CErte res mira videtur, Hip. initio, dum tractaturus esset de deiectionib. inchoasse ab optimis, vt in aliis sæpius fecit, deinde ad malas, & pessimas transiisse. Nunc autem iterum de optimis sermonẽ habere, & nisi hæc verborum ipsius dispositio apud omnes fuisset receptissima, iutarem hæc transposita fuisse à loco proprio, atq; reponenda esse in bonarum fæcum enarratione. Veruntamen, vt etiam hunc Hip. ordinem tueamur, dico hãc tractatiunculam, non esse proprie de fæcib. seu deiectionib. sed potius de flatu, & crepitu ventris. Etenim eum flatus hypochõdriorum vel per intestina exeat eum crepitu, vel sine; &, vel retentus faciat, aut tumorem, aut dolorẽ, aut quippiam aliud: De priore loquit in præsenti contextu, de posteriore vero locutus est in sequenti. Nisi. n. ita intelligamus, videbit superuacanea repetitio de hypochondriis, de quib. est abunde locutus. Vnde non assentior Steph. qui putat hic ab Hip. quartam differẽtiam fæcum proponi. Nec quicquam obstat, q; multa etiam interserantur pertinentia ad fæces, quoniam vix fieri potest, vt de flatu ventris vlla mentio habeatur, quin etiam commemorent aliquo pacto fæces, cum quib. vel ante, aut post quas exeunt. Loquitur autem Hipp. de crepitu, & flatu, quoniam ex odore, ex copia, & ex sonitu, aliisq; ipsius conditionib. maxima argumenta capiuntur in morbis acutis, tum præsentis ægritudinis, tum futuræ salutis, & mortis. Diuiditur autem hæc prima pats in tres particulas; quaŕ prima est, optimum esse flatum sine sono, & crepitu exire; secunda est melius esse cum crepitu exire, quam isthic reuolui; tertia particula est flatum huiusmodi significare, aut aliquid hominem dolere, aut delirare, nisi sua sponte homo flatum emiserit. Iam vero vt more nostro philosophemur circa primam particulam, primo sciendum est, flatum vbicunq; fiat in corpore nostro, semper à debili calore generationem habere, vt & Arist. & Gal. perhibent. At in febre acuta generari flatum malũ signum est, qa significat calorem natiuum esse valde debilem, tanto magis si fœtidus sit. Porto flatus in intestinis genitus aut emittit, aut retinet: Et, si emittit, vel id fit cum sono & crepitu, vel sine. Iam vero exire flatũ quomodocunq; melius est, q̃ retineri in intestinis, & reuolui, ob q ferunt Claud. Imp. constituisse, vt cuilibet liceret etiam corã Senatu, & Imp. crepitum ventris edere, q; eum retinere malũ sit, non minus vt causa, quam vt signum. Vt causa, quoniam facit dolores, & capitis læsiones, & tumores. Vt signum, q; significat crassitiem flatus, viarum angustiam, & expultricis facultatis debilitatem. Exire vero sine crepitu melius est, quam retineri, quoniam s. signum est flatum esse tenuem, ac vias latas: etenim sonus est collisio ipsius aeris. Colliditur vero aer ibi flatus cum aliquo ab angustiis viis eliditur; sic dicit Hip. 1. epi. facere sonum flatum, vbi cogitur exire per angustum. Atq; hæc de secunda particula.

Flatus à debilitate caloris.

Claudii Medicum imperium.

Sonus quid.

Circa

Circa vero ſecundum, ſciendum eſt, aliquos eſſe, vt ait Gal. qui vſq; adeo impudentes ſunt, vt nullam quantumuis eximiam perſonam reuereantur, quin flatus & ore, & aluo coram emittant. Alios vero admodum pudibundos, quique potius, quoduis periculum ſubirent, quam vt coram aliis crepitum vllum ederent. De prioribus non loquitur Hipp. à quibus nullum certum ſignum comparari poteſt, ſed duntaxat de poſterioribus, de quibus etiam in Coacis loquens, dicebat, hominis morati reſponſa proterua eſſe mali ominis; qui cum poſſint, & bene, & male valere; vbi optime valent, aut nullus fit flatus, aut ſi quis generatur, illico etiam ſoluitur, niſi tamen aut pluribus cibis, aut flatulentis, cuiuſmodi legumina, & herbacea ſunt, veſcantur. Etenim narrat Xenophon 4. de Pædia Cyri apud Perſas ingens dedecus habitum, ſi quiſpiam flatum ſupra, aut infra emiſiſſet, aut expuiſſet, aut nares emunxiſſet, quod inde colligerent, eum non exercuiſſe ſeſe, & plus ediſſe, quam par fuiſſet. *Perſæ mundiſſimi.* Vbi vero ægrotant, vt illi, de quibus modo ſermonem habet Hipp. ſi flatum ſine ſonitu emittant, aut dolere eum grauiter, aut delirare ſignificatur. Cum namq; ob pudorem conſueti ſint omnia pati, ne flatum cum crepitu edant, ſi quandoq; à conſuetudine recedant, id contingit, vel quia neſciunt, quid faciant, vel quia aliter facere nequeunt. Primum fit quando delirant. Secundum, quando immani aliquo dolore vrgentur. Vnde non abſq; ſumma ratione dicit, ægros, qui flatum cũ ſonitu emittunt, aut dolere aliquid, aut delirare, niſi homo ſua ſponte id egerit, hoc eſt, ob impudentiam atq; prauos mores; Hi enim neq; delirio, neq; dolore acti id faciunt, ſed ob ſolam animi prauitatem: Vel econtra ſua ſponte, id eſt, cum ſolus eſt, nec vlla occaſio pudoris in nocte, aut alio tempore id faciat. In Coacis prẹnot. hæc ſententia pauliſper diſperſa reperitur, quæ tamen eadem fere continet. Sed hoc in loco quærendum eſt, cur Hipp. nihil dicat de iis, qui inuiti crepitus edunt tam noctu dormientes, quàm diu vigilantes. Cui reſpondendum eſt Hipp. intelligere eos ſub iis, qui cum bonorum ſint morum, id faciunt. Nam quæ facimus inuiti, aliquam ob neceſſitatem facimus, vt dolorem, aut flatus multitudinem; atq; hos quoq; melius eſt facere flatum ſine ſtrepitu. Aut dicere poſſimus ab inuito illud facientibus, nullum vtile ſignum capi pro facienda prænotione, & prædictione. Etenim, quod ait Ariſt. 10. ſect. Prob. 43. Bruta minus eructare quàm hominem ob ſiccitatem, diſtantiamq; maiorem oris à ventriculo, à quo flatus in os directus prius diſſoluitur, quam eo perueniat, eſt quidem verum, ſed non videtur ita verum, quod ait 10. ſect. Probl. 5. nempe, quod ſit illis homo magis flatuoſus, ac propterea ſolus inter animalia vitiliginem patiatur, quandoquidem & ratio, & experientia ſecus docet. Ratio quoniam homo eſt calidiſs. omnium animalium, vt idem Ariſt. teſtatur 4. Problem. ſect. 7. & 10. 26. & 11. ac minus flatuoſa ſumit, quam ipſa, quæ fabis, herbis, aliiſq; huiuſmodi veſcuntur. Experientia, quoniam bruta & pluries, & plus crepitus edunt, præſertim iumenta, niſi tamen aliquos voraces, & intemperatos producamus, qui non vitio ſpeciei, ſed proprio, flatus multiplicant, & ſæpiſſimum crepitus, atq; ſonos edunt. Præterea Ariſt. 30. ſect. Probl. 9. quærens, cur ſternutamentum ſit vocatum ſanctum, & ſacrum, non autem ructus & crepitus alui, inquit tres eſſe partes præcipuas, caput, thoracem, & aluum. *Sternutamentum cur ſacrum.* Et ſicuti crepitu ventris intelligitur, aluum bene valere, ſic & caput, quod eſt ſacrum, ſternutamento. Ex quibus verbis colligitur, crepitum ventris non debere eſſe malum ſignum, cum ſignificet aluum bene valer. Ad primum dicendum eſt, eſſe flatuoſum, intelligi poſſe dupliciter, vel per ſe, vel per accidens. *Flatuoſi duplices.* Per ſe, non eſt verum hominem eſſe flatuoſum, cũ ſit calidiſſimus, vt dixi: Sed per accidens, hoc eſt, ratione vitæ, qua vtuntur. Etſi enim aliqua bruta multum flatum aluo emittant, ceteris tamen paribus homo plus emittit, ſi vtatur mala viuendi ratione. Ad ſecundum dicendum, aliud eſſe loqui de ſanis, aliud de ægris. Atq; Ariſt. de illis, Hipp. vero de his ſermonem habere. Vel reſponderi poteſt, quod ſicuti melius non ſternuere, quia ſignum eſt flatus, non eſſe in cerebro, ſed vbi adeſt flatus, melius eſſe, vt exeat per ſternutamentum, quoniam ſignum eſt facultatem illius expulſiuam eſſe admodũ validam; ſic melius eſt aluum carere. Sed

vbi in ipso fit flatus melius est, vt exeat. Atq; in hoc concordant Hipp. & Arist. Verum in hoc videntur differre, quia Arist. an eum sonitu, vel sine exeat, non videtur curasse. Hipp. autem melius putauit exire flatum cum strepitu, quam sine.

Ὀδύναι δὲ ἐκ τῶν ὑποχονδρίων πόνους.

Dolores ex hypochondriis.

DIximus Hipp. in hac tractatione de deiectionib. proposuisse sibi de flatu quoq; tractare, quia flatus inter ea recensendus est, quæ à corpore excernuntur. Sed quia vel exit, vel retinetur in hypochődriis, ideo postquam egit de flatu, prout exit de corpore, superest nunc, vt de eo verba faciat, qui retinet in hypochondriis. Qui quidem flatus, quia duplex est, s. vel purus, vel permixtus humiditati, Hipp. in hoc contextu non de puro, sed de permixto loquitur. Diuiditur hæc pars in duas partes Prima hæc est: *Dolores, &c.* In qua Hippoc. docet, quomodo comparanda sint signa prognostica ex flatu, qui in hypochondriis continetur. Secunda est, *Si vero non exierit, &c.* Circa primam notate, vt etiam Gal. in com. monet, hanc vocem *κύρτωμα* esse Hipp. familiarem, & nihil aliud significare quam *οἴδημα*, id est, tumor pręter naturam. Atq; hic tumor potest esse cum inflammatione, vel sine; & recens, aut vetustus. Dicit ergo, si dolor vel tumor sit sine inflammatione, & recens, hoc est, si flatus retentus faciat dolorem, aut hypochondrii tumorem (nam vbi huiusmodi tumor, vel dolor sine inflammatione atq; recens est, necessario fit à flatu) murmur factus in hypochondrio soluit, & maxime exiens cum stercore, vrina, & flatu. Si vero nő exeat, confert, si reuoluatur ad intestina. Sed antequam vlterius progrediamur, videndum est, quid apud Hipp. *βορβορυγμὸς* significet, quam vocem vertunt omnes murmur. Gal. hic, & *4.* aphoris. *73.* & *3.* de causis symptomat. *2.* declarans quid sit borborigmos, inquit, nihil aliud esse, nisi sonitum quendam flatus, & humiditatis simul, neq; magnum, neq; multum; adeo, vt ad efficiendum borborigmum hæc requirantur, nimirum flatus & humiditas. Vt autem perfecte totam hanc sententiam intelligatis, sunt nonnulla paulo diligenter expendenda. Et primo dignum est contemplatione, cur Hippocrates volens indicare dolorem, & tumorem hypochondriorum à flatu ortum, non id dixit explicite, sed voluit potius significare his verbis (*Si sine inflammatione, & recens sit.*) Secundo videndum est, quomodo murmur possit soluere dolorem, & tumorem, quasi morbus morbű soluat; siquidē murmur est purus motus, vel solius flatus in ipsis intestinis, vel flatus simul, & aquosi humoris, vt dicit Galenus; Etenim quomodo murmur possit soluere prædictas dispositiones haudquaquam est perspicere. Tertio videndum est, quomodo possit flatus cum vrina exire, atq; ea ratione dolores, & tumores hypochondriorum sedare. Etenim haud patet via, & ratio, quibus hoc fieri possit. Circa primum dicendum, non absq; optimo consilio Hip. ita fuisse locutum, quandoquidem ad demonstrandum similem affectum esse à puro flatu, nullum solidius argumentű, quam vbi sit recens, & sine inflammatione tam dolor, quam tumor. Etenim vbi fit à materia humorosa, diu potest perseuerare, à flatu nunquam diuturni sunt, sed repente fiunt, & repente soluuntur. Similiter qui recens, & sine inflammatione est, non potest fieri nisi à flatu. Inflammatio cum à sanguine, & materia calida fiat, potest & ipsa fieri repente, quare si non sit inflămatio, & recens sit, necesse est esse à flatu solo. Ex quo loco colligere possumus dolores, & tumores à puro flatu non posse durare, nec inueterascere, sed cito finiri. Ad secundum dicendum est, hanc vocem *λύειν*, seu soluere ab Hip. vsurpari dupliciter, vel proprie, vel improprie. Proprie significat integram, & absolutam ipsius morbi solutionem, siue crisim ipsam, quemadmodum sæpe Gal. docet primo & secundo de crisi: Improprie vero adhuc dupliciter vsurpatur: Vel enim significat morbi in alterum morbum transmutationem, vt quando dicit, Varices superuenientes, vel hæmorrhoidas soluere maniam, 6. aph. 21. & lib. 7. aph. 5. Sic etiam dicit 6. aph. 40. febrem soluere dolorem hypochondriorum; vel significat alterius morbi alteri successionem. Nam Galenus sexto aphorismorum 26. scribit, improprie Hippocratem dixisse, febrem ardentem à delirio solui, quod quæ succedunt

Κύρτωμα quid apud Hippocratē.

βορβορυγμὸς q̃d.

Murmur quid.

Λύειν soluere quæ significet.

ſuccedunt nonnullis, conſueuerit dicere ſoluere illorum conſtitutionem. Si igitur hoc in loco dixit Hipp. impropriè ſolui dolores, & tumores hypochondriorum à murmure, eo, quod hic illis ſuccedat, ſ. quando flatus, qui immotus tantum extédebat, & eleuabat huc, atq; illuc agi incipit, quod etiam bonum ſignum eſt, quaſi ſignificetur, iam non ita multos eſſe flatus, atq; naturam ipſam aggredi eorum ſolutionem, quæ per motum fieri incipit. Eſt igitur perinde, ac ſi dicat Hip. flatuoſo dolori, & tumori hypochondriorum ſuccedere murmur, qui ſolutionis futuræ morbi eſt ſignum, præſertim ſi vna cum ſtercore, vrina, & flatu exeat, aut ſaltem circa inferna alui partes reuoluatur. Ad tertium, quomodo ſ. murmur per vrinam exeat, dicendum, dupliciter poſſe dici cum vrina exire murmur; vel quod exeat, quando mingimus. Nam experientia quotidie probamus, nó modo homines ipſos, verum etiam bruta ſæpiſſime vbi mingunt, ingentes quoq; ventris crepitus edere. Et ratio eſt, quoniam euacuata veſica, magis inteſtina, quæ ante coarctabantur, relaxantur: Vnde fit, vt flatui magis locus cedat, atq; à facultate, propellente vrinas, ipſe etiam foras trudatur. Vel quod vna cum ipſa vrina aliquis flatus exeat, & cum flatu murmur, qui morbum leniat ſaltem, & imminuat. Sicut enim dicit Ariſt. 8. ſect. Pr. 9. vbi mingimus, extrema mictione inhorreſcere, quod aer frigidus veſicam ingrediatur & calidi flatus egrediantur: ſic rationi conſentaneum eſt, vbi flatus in veſica continetur, qui eam diſtendens dolorem, & ſtrepitum faciat, eum per mictionem egredi, atq; ſic iuuate. Atq; hoc in loco placet oſcitantiam quandam ipſius Ariſt. notare, qui 10. ſect. Pr. 22. niſi probe intelligitur, duos videtur commiſiſſe errores. Vnum quando dicit omnes fœminas corporis συντασῇ, id eſt, contentione mingere, quod quidem in mulieribus minime apparet, licet in aliquibus brutis veriſſimum ſit. Alterum quando reddens rationem, dicit veſicam fœminarũ eſſe longius, & profundius ſitam, quam in viris, cuius contrarium apparet in mulieribus, in quibus licet vterus inter inteſtina, & veſicam ſit poſitus, multo propior ſita eſt veſica; ita, vt calculi in ipſis abſq; inciſione, & ſola forcipe, ſeu tenacula poſſint extrahi. Atq; hæc eſt prima pars.

Cur mingẽtes plerunq; pedant.

Ariſtoteles notatur.

Veſica fœminis foras magis propẽdet quam viris.

Secunda pars dupliciter legitur in Græcis; vno modo, ſi murmur non exeat cum vrina, vel ſtercore, vel flatu, ſed ſolum & purum per ſe, prodeſt. Prodeſt etiam, ſi non exeat, ſed retineat in partibus inferiorib. Alius modus eſt, ſi autem nó exeat flatus, ſed retineat in partib. inferiorib. prodeſt. Vtcũq; ſit, veriſſima eſt Hip. ſententia; primo modo quidem, quia vbi murmur ſolum exit, iuuat; ratio eſt, quia vbi exit per ſeſe, deſinit motus flatus, & humiditatis in partib. internis. Ergo dolor & tumor deſinit. Eſt etiam veriſſima, ſi ſecundo modo legatur, quod quamuis flatus retineatur, proſit. Nam ſi retentus ſemper malus eſt, vt retro dictum eſt, igitur multo melius eſt, vt exeat, quam ſi retineatur. Sed dubitat quomodo non exeunte cum prædictis murmure, vtile ſaltem ſit eum deſcendere ad inferiores regiones? Dicendum eſt propter duas cauſas prodeſſe. Primo, quia quoties murmur retinet in partib. inferiorib. ſignificat inteſtina ſuperiora, recte valere, & liberata eſſe. Iam vero inteſtina ſuperiora nobiliora ſunt, maximeq; ad vitam neceſſaria. Hæc autem optime valere, maxime prodeſt. Alia cauſa eſt, quia inteſtina inferiora non tantum habent, q; ſint ignobiliora, & ideo minus neceſſaria ad vitam; ſed etiam, quia cum latiora ſint, & ampliora, ibi factus tumor à flatu non modo minus lædit, minusq; doloris infert, verum etiam ſignum eſt iam proximum eſſe, vt flatus extra corpus prodeat, ſicq; ſymptomata finiantur.

Τὸ δὲ ἄριϛον ἀρεϛόν ἐϛι.

Optima eſt vrina.

CLara eſt continuatio præſentis de vrina tractatus cum ſuperioribus; quia cum de excrementis tractaret (qui eſt fons, vnde ſigna cuiusq; generis capiuntur) atque iam deiectionibus, quæ ſiunt ſtercore humoribus & flatibus finem impoſuerit, reliquum erat, vt de vrinis tractaret, quod modo facere incipit. Neq; enim contradicit Gal. qui putat Hipp. ſupra egiſſe de ſignis cognoſcendi facultaté animalem; nunc

nunc autem agere de iis, quæ significant facultatem naturalem, eiusq; actiones. Diuiditur autem huiusmodi tractatus in duas partes principales, in quarum prima docet, quæ sit optima vrina eo pacto, quo fecit in ceteris, in quibus semper ab optimo inchoauit. In alia autem tradit gradatim, quæ deficiũt ab ea optima. Atq; hæc quoniam plura sunt, cum semper res prauæ sint plures optimis; ideo plures quoq; particulę illins sunt. Vt autem more nostro perspicue, & ordinate prodeamus, ab optima vrina incipiemus, illud prius ad memoriam reuocantes, quod alias in lectionibus de excrementis disputauimus, nempe vrinam nil aliud esse, quam materiã potulentam, quæ quia in iecinore, & vasis alterarut, sibiq; materia alimentalis excrementitia, morbifica, variiq; aliis humores permiscentur, inde fit, vt varia indicia tã salutis, quam mortis ab ea capiantur, pertinentia ad iecur, & vasa, vt ait Gal. qui etiam summo iure dicit, in morbis febrilibus tantum valere vrinarum indicia. Verũtamen 3. epid. 2. hist. 6. dicebat etiam in aliis morbis vrinas esse inspiciendas, quoniam vbi bonæ sunt magnum habent ad salurem momentum, sicut & ad perniciem, vbi malæ sunt. Et Stephanus dicebat, in aliis etiam morbis valere vrinarum considerationem, quotiescunq; partes naturales consentiunt in affectu cum iis. Quinimo Gal. prætulit cognitionem vrinarum cognitioni pulsuum, vt in 1. de crisi, eo q; totius status facultatis naturalis maiora ab hac capiuntur argumenta, quam à quoquã alio. Et Plin. lib. 28. c. 6. dicebat, Auguria valetudinis ex hac capi. Dicit itaque Hipp. optimam vrinam esse, in qua sedimentum fuerit album, læue, & æquale, per totum tempus, donec iudicatus fuerit morbus. Et tradens rationem, ptopter quam huiusmodi vrina sit optima, inquit significare duo, & securitatem & breuitatem morbi. Circa quæ verba paulo diligentius est versandum, quod contineant dogmata non minus vtilia, quam pulchra, & difficilia. Et primum illud quærẽdum est, cur cum vrina constet ex liquore (quem Steph. & Actuarius vocant χῦμα, & contentis, atq; ambo hæc, colores suos habeant, Hipp. de solo sedimento loquitur, dicẽs, illud debere esse album, læue, & æquale; de liquore, & colore non loquit̃. Auget difficultatem, quod Gal. in 1. de crisi, & alibi proponẽs vrinam optimam, vult eam esse substantiam, id est, liquore media inter tenuem, & crassam, nec non coloris flaui, & paleari similis. Arist. etiam 1. sect. Pr. 53. declatans, qua ratione sit inspicienda vrina potius intercepre, quam continue emissa, totum videtur tribuere cognitioni coloris substantiæ, tanquam ex colore potissimum habeat notitia coctæ, vel non coctæ vrinæ. Secundo considerandum est, quomodo Hipp. dicit debere vrinam esse, qualem describit, per totum tempus, donec morbus fuerit iudicatus. Etenim hoc neq; rationi, neq; experientiæ consonat. Nõ quidem rationi, quoniam si tempora morborum vsq; ad iudicationem varia sunt secundum varietatis actionis naturæ aduersus morbificam materiam, fieri nequaquam potest, vt semper vrina sit optima cuiusmodi describitur. Experientiæ nihilo magis consentit, quandoquidem quotidie videre est in quibusuis morbis, & præsertim acutis febribus, similes vrinas non apparere, nisi quando est facta coctio materiæ morbificæ, quæ tantum in statu & iudicatione ipsa consumatur. Postremo videndum est, quo consilio admirabilis hic autor dixit, propter duo tantum, & non plura esse vrinam præscriptam optimam. Etenim tria oprantur ab ægris, vt curentur tuto, cito, & iucunde, quemadmodum omnes Medici perhibent. Circa primum Gal. qui subodoratus est obiectionem, dixit propterea siluisse Hipp. substantiam, seu liquorem vrinæ, & colorem, quoniam vbi sedimentum est cuiusmodi ab Hipp. describitur, vel saltem nebula, necesse etiã esse, vt liquor sit medius inter nimis tenuem, & aquosum, nec non crassum nimis, qualis est iumentorum, nec non color quoq; sit flauus moderate, quasi Hipp. breuitatis amantissimus voluerit eam tacere, q̃ necessario dicta sequuntur, queq; ab ingenioso lectore possunt comprehendi; Et vt hanc rem percipiatis, scire debetis, quẽadmodũ Steph. quoq; docet, Vrinam diuidi in substantiam, seu liquorem, quẽ vocant χῦμα, & qui est materia potulenta, siue vt plerię dicunt pars illa serosa, q̃ postq̃ perduxit sanguinem in venas, trudit ad vesicam, omnino diuersa ab ea pituita, siue crudo

Prauæ semper plura optimis.

Vrina quid.

Vrina in qb. morbis indicent.

Vrina qua optima.

Vrina duas partes: substantia & contenta.

crudo succo, q similiter cum sanguine mittit̃ in venas, vt tẽpore famis, & nutrimẽti penuriæ possit loco alimenti sufficere: nec non in contenta, q̃ vocant παρεγχύματα; & quæ, si in parte superioris superficiei appareat νεφέλη, seu nubecula à Ga. dicit̃, si in medio ἐναιώρημα siue suspensum, si in fundo ὑπόστασις, seu sedimentum, quod quidẽ & ipsum debet pendere in fundo non adhærere; alioquin humor crudus, & crassus non sedimentum esset. Et notate, me dixisse secundum Gal. quoniam tam id q, in medio apparet, quam q, in summo vocat̃ cõmuni nomine ab Hip. sæpe νεφέλη, imo interdum etiam ipsam hypostasin vocat nebulam, vt videbitis infra in hac eadem tractatione tex. 36. & in Coa. similiter, vbi dicit Albæ, & versus fundũ nebulæ vtiles.

Contenta triplicia.

Nebula in vrinis aliquando Galen. tria notat.

ἐναιώρημα autem vox est ipsi Gal. vsurpata, q scribit, sanis vere nullum fieri contentũ in vrina, iis, q tenuiss. victu vtunt̃ non fieri vllum in vrina sedimentũ, sicuti qui crasso victu, & plurimo vescunt̃, multũ fit, & mediocriter viuentib. mediocre, ac biliosis paucum, vel nullum fit, atq; id flauum, pituitosis, & crudo succo abundantib. ad album vergit. His ergo hunc in modum sese habentib. vidẽdum est, quomodo dicat Gal. vbi sedimentum est album, æquale, & læue, necessatio etiam & substantiã & colorem esse cõmoderatos. Vtq; hoc facilius cõprehendi possit, videndum est, qua ratione sedimentum fiat album, æquale, & læue. Etenim sedimentum in vrinis laborantium morbo, de quib. nunc sermo est, esse portiunculã materię morbificæ, ex eo potissimum intelligitur, q, nisi res ita esset, haudquaquam valeret ad significandam salutem, vel mortem ægrotantium. Porro, q, hæc materia in morbis alba fit, à nullo alio fit, quã à calore natiuo in partib. solidis, atq; in ipsis vasis, & viscerib. naturalib. cito materiam morbificam concoquente, & eam cõplanante, & æqualiter perficiẽte, sibiq; colore, ac substãtia assimilante, vt præ ceteris disertissime disputauit Alex. 2. Pr. med. 19. Vnde si has tres cõditiones habeat, semper talis est, & vt ait Gal. est coctionis ipsius certũ argumentũ, sicuti, si modo sedimentum tale fiat, modo crudius, modo vnius, modo alterius coloris, haud certam & firmam esse coctionem significat̃. Steph. inquit, fieri sedimentum album propter duas causas, vel ꝓpter cõmixtionem pituitæ albę, vel quia cum sit excrementum tertiæ solidiorum coctionis, atq; ipsa solida nutriantur semine, q, album est, huiusmodi excrementum huc, atq; illuc agitur, & errat donec reliquum natura vna cum vrina excernat. Sed vt hæc possint esse de sanis corporib. vera, alia tamen ratio est in ægris febricitantib. Imo q, solida nutriant̃ semine, q, album sit, haud videt̃ rationi consentaneũ; siquidem semen, vt apparet ex anatome, nunq̃ albescit, nisi in vasis spermaticis; Sat est, sedimẽtũ, & q cq d cõtinet̃ in vrina, esse portionẽ morbosæ materiæ elaboratæ & cõcoctæ beneficio natiui caloris morbũ superantis, q calor est in iocinore, & venis, quæ int⁹ albæ sunt, & ꝓpterea dealbant sedimentũ. Quod cũ ita sit, certe verũ dicit Gal. necessario statim sequi, vt & substantia, & color sint moderati, quia qui calor facit sedimẽtũ optimũ, prius optime disponit totã substantiã, tũ quoad colorẽ, tũ quoad consistentiã; deinde sedimentũ; siquidẽ facilius est ipsi naturæ substantiã, & colorẽ vrinæ, q̃ contenta perficere. Atq; hoc est, q, prudẽter dixit Gal. 1. de cris. coctionẽ vrinæ incipere à coloris mutatione. In postrema parte Coac. præd. habet̃ hæc sentẽtia breuior, vbi scriptũ est, vrinã in febricitantib. q̃ habeat albã & læuẽ subsidentiã, significare celerẽ remissionẽ. Sed nil refert. Circa secundũ, Steph. q vidit difficultatem, scribit, nonnullos existimasse Hip. nolle talẽ vrinã debere esse toto morbi tẽpore, quos refellit hac ratione, quoniã nil valeret vrina ad significandũ principiũ, augmẽtũ & statum. Igit̃ dicendũ est, Hip. sententiã esse, nõ q, toto tẽpore morbi vsq; ad iudicationẽ vrina sit talis, quãdoq dẽ hoc fieri neq t; sed q, ex quo cœpit huiusmodi sedimentũ habere, illud semper habeat vsq; ad crisim. Etenim vt ait Steph. in morbo salutari in principio solẽt aliqua vestigia apparere coctionis; in augmento solet maior coctio, atq; huiusmodi sedimẽta apparere, sed nõ semper ita apparere, sed vt ait Gal. modo aliq d crassiusculæ, & crudę materiæ inesse, modo diuersitatẽ, & asperitatẽ subesse, & 2. die bonã, 3. malã, 4. iterũ bonã mingi, quæ certe varietas indicat nõdũ calorẽ natiuũ esse morbo superiorẽ, nec dũ firmã, & certã esse materiæ morbificæ coctionẽ. Ad tert. & postrem. dicendũ, duo sola potissimũ esse, q̃ in omni curatione exigant̃,

ἐναιώρημα quid.

Sanorum vrinis naturaliter nullum sedimẽtum inest.

Pulchra de sedimentis vrinarum. Cur album.

Viuere quisque naturaliter desiderat: deinde bene viuere. vt secure, & cito ægri à mala valetudine liberent. Primum enim vnusquisque viuere desiderat, atque hoc naturaliter etiam animalibus insitum est, imo vero & plantis, si sensum aliquem habeant, vt plerisque ex schola Pythagorica placuit. Secundo, bene viuere omnes optamus, id quod sine valetudine facere non possumus. Atque hoc est, quod Sycionius ille Ariphron in fine 15. lib. Athen. dipnosoph. lepidissimo illi pæane appellat Sanitatem Deam, absque qua nihil mortalibus felicitatis, & iucunditatis esse potest. Iam vero sine hoc bono cum nulla re frui liceat, fit vt omnes nunquam eo carere, aut saltem citissime absens recuperare expetamus. Atque hoc mysterium cum intelligeret Hipp. non solum hic, verum etiam 2. epid. dixit coctionem significare securitatem, & iudicii celeritatem. Iucunditatis autem nullam fecit mentionem, quod non semper eam neque primo, sed sæpenumero & consequenter cupiamus, & persequamur. Voluit igitur simul & docere, quid optima vrina præstet, & quid curare potissimum debeat Medicus, nempe vt tuto, & cito in primis restituat sanitatem. Addendum est etiam nihil optimum esse, nisi cuius possessio continua, vel saltem velox, & secura est.

εἰ δὲ διαλείποι ἐ ποτὲ μὲν.

Si vero deficiat.

Mala que vrina. 2. Sedimento æquali carēs

Hinc incipit secunda pars vrinæ tractationis, scilicet illius, quæ non est optima, sed paulo minus, s. quæ album & leue sedimentum habet, sed non æquale: Etenim cum sint optimæ vrinæ conditiones tres, ad hoc, vt non sit optima sufficit vna deficiat, atque etiam ea minus ceteris digna, eiusmodi esse æqualem, hoc est, habere partes omnes æqualiter, & omni tempore. Vnde vbi hæc deficit conditio, scil. quod non sit æqualis, vel omni tempore talis, sed interdum pura, hoc est, sine sedimento mingatur, interdum cum ipso; etsi non sit optima, est tamen bona, & minus ceteris mala. Causa autem cur ita sit, est cōtraria causæ optimæ, s. quia nec ita securam, nec ita celerem sanitatem promittit, & ratio est, quoniam significat totam materiam morbificam nondum esse penitus à natura superatam, atque victam. Sed video esse aliquem dicturum; ergo poterit aliquis interire cum vrinæ sedimento albo, & leui? Respondeo id quidem esse rarissimū, veruntamen fieri posse videtur asserere Hipp. De febribus loquor. Nam de aliis morbis non est dubitandum, quandoquidem potest extra venas in aliquibus partibus, & visceribus esse morbus exitialis, & tamen in vrinis nō apparere, sed contrarium signum inesse. Ratio autem est, quoniam vbi nondum est penitus euicta materia à natura, possunt, & errores contingere, qui augeant morbum, & minuant vires; potest etiam in pugna succumbere natura. Sed hoc in loco dubitatio est, an sola nubecula aut enæorema possit sufficere ad reddēdam optimam vrinam; Nam de biliosis morbis videtur probabile, cum materia morbifica sit suapte natura tenuis, etiam superata à natura propriam substantiam conseruat, & propterea petit alta. Imo videtur etiam idem esse debere, & de omni alio humore, vt s. concoctus fiat leuior, & sua leuitate coquatur. Nam oua cruda in aqua posita, manent in fundo cum sunt cruda. Vbi autem cocta sunt, petunt summā aquæ superficiem. Et Arist. de iisdem ouis sermonem habens in Probl. sect. 6. Pro. 4. dicebat, oua cruda non posse verti in gyrum, quemadmodum cocta, quoniam humidum eorum non est complanatum, & in vna parte firmatum, sed huc, atque illuc vagans, & partes oui inæqualiter efficiens, impedit quo minus possint in gyrū verti, vt ob hæc omnia probabile videatur, haudquaquam necesse esse, vt in vrina optima sit sedimentum, sed potius debere esse, vel enæorema, vel nebulam. Verum ad hoc dicendum est, ratam & sempiternam esse Hip. sententiam, vt vrina optima habeat semper sedimentum, quale sic describitur, & in Coacis prænotionibus; Ratio est, quoniam cum sit pars materiæ morbificæ, si debet esse concocta, & à calore natiuo victa, & complanata, operæ pretium est, vt etiam careat omni flatu, omnique cruditate. Vnde quia caret omni eo, quod sursum tollit, atque sustinet, necesse petat fundum, atque hoc totum intelligendum de humore iam prorsus concocto. Secus autem de humore, qui adhuc perficitur, & in quo pars cruda, & flatuosa est, quæ

Oua cruda fundum: cocta sublime petunt.

Vrinam optimam etiā sedimentum habere.

eleuat

eleuat partem coctam, eamq; ſuſtinet, donec ſit exacte victa & cocta. Atq; de hac intelligendum eſt illud, quod ſcriptum eſt ab Hipp. 4. aph. 71. vbi ſcribit, quibus futura eſt ſeptima die criſis, iis in vrina apparere quarta die nubeculam rubram.

εἰ δὲ εἴη τότε οὖρον ὑπέρυθρον &

Si vero fuerit vrina ſubrubra.

PErgit Hipp. de vrina docere, quæ & ipſa deficit ab optima, at nihilo deterior eſt priore; quia licet minetur diuturniorem morbum, promittit tamen ſalubriorẽ. Inquit igitur, ſi vrina fuerit ſubrubra, & ſedimentum illius ſimile, ac læue, morbum quidem quam prædictam diuturniorem ſignificare, ſed valde ſalutatem. Ex quibus verbis colligitur, hanc, & priorem in vno differre, ſcilicet in colore liquoris & ſedimenti; quia, & liquorem habet ſubrubrum ſimiliter, & ſedimentum. Ceterum opus eſt intelligatur, qua ratione hæc vrinæ diuerſitas coloris tam in ſubſtantia, quã in contento faciat diuerſitatem, tum in conſtitutione morbi, quæ attenditur penes acutiem & diuturnitatem, tum in ſalubritate. Præterea ſcire oportet, quamobrem Hipp. non apponit tempus, quo huiuſmodi vrina apparens id ſignificet. Etenim certiſſimum eſt, huiuſmodi vrinam poſſe apparere, non minus in ſtatu, quam in augmento, atq; in principio; & prout diuerſis temporibus apparet, ſic quoq; diuerſa ſignificare. Nam in Coacis prænot. dicit, Vrina ſubrubra cum ſedimento ſubrubro & æquali; ſi appareat ante ſeptimum morbum ſoluit. Si poſt ſeptimum longiorem facit, imo plane longum. Tertium & poſtremum eſt, vtrum Hipp. velit vrinam modo deſcriptam eſſe magis an minus ſalutarem. Etenim ex vna parte videtur voluiſſe magis ſalutarem eſſe, quia de ſuperiori dicit eam eſſe minus ſecuram optima; de hac vero loquens, ait eſſe κάρτα σωτήριον, id eſt, valde ſalutatem. Ex altera parte, ſi ſic eſſet, ſequeretur Hipp. receedere ab ordine iam conſtituto, proficiſcendi ſemper à minus ad magis praua. Circa primum Galenus breuiter quidem, ſed perſpicue ſatis monſtrat vrinam ſubrubram non alia fieri ratione, quam quod ſerum ipſius ſanguinis vrinæ commixtum, eam ita colorat; & quia indicat abundantiam materiæ ſanguineæ crudę, quæ opus habet tempore vt concoquatur; propterea ſignificat morbum futurum eſſe diuturnum, ſicut ſignificat nullum adeſſe periculum, quoniam indicium eſt abundantiæ humoris vtiliſſimi omnium. Sic etiam dicebat 3. in ſextum epid. com. vlt. atq; etiam in com. lib. de humoribus pleuritidem à ſanguine omnium eſſe mitiſſimam; ac propterea non egere ſanguinis miſſione, quæ eſt magnum præſidium, & conſequenter magnis morbis debetur. Sed hic dubitationem facit Stephanus Athenienſis, cur, ſi ſerum ſanguinis commixtum vrinæ eam ſubrubram facit, & bilis flauam, ſimiliter melancholia commixta eam non reddit nigrã, vt in quartana febre, ac aliis factis à melancholia. Et reſpondens, duas cauſas afferre videtur, vnam quod melancholia pauca ſit, & ob ſui terreſtreitatem, ac grauitatem non perferatur ad vrinam, ſed retineatur intra vaſa, vbi reperitur. Alteram, quod etſi perferatur, non tamen optime ipſi vrinæ permiſceri queat; ita, vt liquorem colorer, ſed potius perinde ac cinis fundum petat. Etenim videmus ſemper, vbi ad faciendum lixiuium cinerem aquæ imponimus eam non colorare aquam, ſed fundũ petere; ſic veriſimile eſt, melancholiam, quę eſt veluti cinis quidam, non permiſceri vrinæ poſſe, & propterea eam non colorare. Circa ſecundum dicendum eſt, Hip. etſi explicite & euidenter temporis vrinæ, haudquaquam meminerit, latenter tamen illud inſinuaſſe; ſiquidem color ſubrubeus cũ ſedimento ſubrubro in augmẽti fine tantum, vel circa initia ſtatus apparere poteſt; ſiquidem in principio ſola ſigna cruditatis conſpiciuntur. Sedimentũ autẽ apparens qualecunq; ſit indicat ſemper aliquã coctionẽ inchoatam ſaltẽ eſſe, atq; hoc eſt, q̃ dicebat Hip. 4. aph. 71. in quarta die apparere nubeculã rubrã in vrina, q. b. criſis futura eſt in ſeptima; quemadmodũ etiã in Coac. ait, vrinã rubrã cũ hypoſtaſi rubra, & læui; ſi autẽ 7. appareat febrẽ 7. die ſoluere. Si vero poſt ſeptimam febrem facere longiorem, vel omnino longã; & hoc patet exemplo luculentiſſimo Cleonactidis, qui 3. in 1. epid. ægroto. 6. habuit vrinam in 40. rubram, & illius morbus fuit adeo longus, vt non niſi 80. iudicatus ſit.

2. Subrubra cum ſedimẽto inæquali.

Vrina vnde ſubrubra ſiat.

Vena ſectio magnũ præſidium, magnis ſaltem morbis debetur.

Cur à melancholico humore vrina non nigreſcat.

Circa tertium & postremum, Galenus nihil diffiniuit, imo hanc partem non tetigit. Alii interpretes putarunt, fuisse Hipp. sententiam, q. hæc tertia vrinæ idea sit minus priore salutatis, & propterea deterior, tum quia indicat morbum valde diuturniorem, tum quia in illa priore sunt maiora coctionis indicia, quã in hac posteriore. Ceterum ipse quoq; sum eius sententiæ, Hipp. s. voluisse hanc vrinam esse deteriorem, quoad diuturnitatem, verum quoad salubritatem esse æque bonam; & quamquam secundam comparans cum prima dicat eam esse minus securam, de tertia vero loquẽs, dicat simpliciter, esse valde salutarem, id tamen (valde salutarẽ) intelligendum est, non vt ad optimam, sed vt ad antecedentem, quæ licet non sit ita secura vt optima, est tamen & ipsa multum secura. Hoc in loco dubitat rursus Step. vtrum hæc, quæ dicit Hipp. sint vera in omni tempore, ætate & regione, quandoquidem vnaquæq; ex his causis non naturalibus appellatis, potens est variare corporum affectiones. Et respondet, ac bene huiusmodi vrinas ex rei natura semper tales esse, atq; talia significare. Veruntamẽ posse variare secundum magis & minus etsi vlla est ętas, in qua hæc vera sint, potissimum esse florentem & consistentem. Dicit autem Hipp. in calce totius huius prognosticorum tractationis, oportere scire de indiciis, & aliis signis, quod quouis anno, & quouis tempore mala signa malũ significant, & bona bonum, quandoquidem, & in Lybia, & in Delo, & Scythia, quæ in hoc libro præscribuntur, vera comperiuntur, quasi dicat, in toto orbe est veriss.

Κριμνώδεες δὲ ἐν τοῖσι.

Farinacea in vrinis.

Optimum vnum, praua plura.

IS videtur perpetuo ab Hip. mos seruatus, vt in tractandis rebus vnã tantum optimi differentiã fecerit, prauarum plures; quandoquidem optimum est vnum, praua autem pene infinita. In prauarum autem differẽtiarum tractatione eundem etiam fere semper inuenitur ordinem seruasse; vt ad deteriores continuo progrederetur, & propterea cum supra duas differentias ab optima quidem deficientes, nec ita malas proposuerit, nunc alias quatuor satis peiores proponit, quę tamen omnes fiunt à variis atq; diuersis sedimentis. Et notandum est, Hipp. multa de vrinarũ sedimento tradidisse, de liquore autem pauca, quia liquor parum valet ad pręcognoscendum; sedimentum vero multum, quia est pars materiæ morbificæ. Diuiditur hæc tota dictio in quatuor particulas, prout quatuor horum sedimentorum ideas docet. In quarum prima agit de sedimẽto farinaceo; in secunda de lamineo; in tertia de albo & tenui; in quarta de furfuraceo. Hæc autem omnia sedimenta illud habent commune, quod fiunt à materia morbifica non alimentali; differuntq; in cõsistentia. Sed animaduertendum est id, quod Gal. etiam significauit, s. in harum vrinarum ideis tradendis interruptum fuisse ordinem, quod quidem, an culpa Hipp. factum sit, an scriptoris, valde dubium est. Gal. putauit esse Hipp. vt s. posuerit tertio loco, quod quarto, & postremo ponendum erat. Sed magis proprium est grauitatis Hippocraticæ, si hoc vitium Scriptoribus (vt sæpe fit) condonemus. Ordo igitur in vulgatis contextibus corruptus est, quia postquam Hip. de farinacea, laminea egit, dicebat tertio loco de furfuracea tractare, quia est eiusdem generis cum illa, & tandem de alba, & tenui subsidentia dicere. Sed vnamquamq; differentiam expendere aggrediamur. De prima dicit farinacea sedimenta mala. Græce est *κριμνώδεες*; *Κρίμνον* apud Hip. frequentissime vsurpatum inuenitur pro farina, siue triticea, siue ex zea, crasso modo molita. Et hoc in loco Gal. dicit, farinaceas subsidentias esse illas, quæ adsimilantur crassioribus partibus hordei, frixi, & moliti; illas scilicet, quæ subterfugerent molituram, atq; has alibi Hipp. vocauit Orobina. Auic. secunda quarti tr. 1. c. 38. mentionem huius facit. Sed siue hoc, siue illo modo intelligat parum refert, sat est appellari eas subsidentias, quæ ęmulantur crassiores farinæ partes. Secunda est

3. Farinacea Κρίμνον quid.

πεταλω-

Πεταλώδεες.
Laminea.

EST vrina, in qua sedimentum excernitur laminosum. Quam differentiam Auic. fin. 2. 4. tr. 1. c. 88. squamosam appellauit, quia inquit assimilatur squamis piscium. Actuarius, quam Hipp. furfuraceam, ipse Orobiam vocauit. *4. Laminea.*

Αἱ πιτυρώδεες.
Furfuracea.

EA autem est, in qua vrinæ minguntur cum sedimentis formæ furfuris; addo q; in eodē genere sint farinacea, laminea, & furfuracea. De his Hip. scribit, farinaceam esse malam, lamineam, deteriorem, furfuraceam vero adhuc deteriorem. Perquiramus modo rationes, & verum modum à natura rei sumptum, quo istæ vrinæ malæ, ac deteriores dicantur; quod facile erit, si perquiramus causas efficientes, & materiales harum vrinarum. De efficiente verba faciens Gal. 1. de cris. 11. & 6. epi. 5. 15. & in hoc comment. dicit esse calorem immensum, liquantem, & exurentem, adeo vt in hoc omnes istæ vrinæ conueniant, aut habeant pro causa efficiente calorem illum ingentem; pro materiali vero pinguedinem recentem, aut vetustam, vel carnem recentem, aut vetustam. Vbi enim calor vstiuus agit in partes solidas, primum pinguedinem recentem aggreditur, mox vetustiorem; & vbi omnis pinguedo est colliquata, & consumpta, tum aggreditur primum carnem teneriorem, & recenter concretam, postremo carnem vetustiorem, atq; solidiorem, & tandem partes solidas. Ex pinguedine itaq; recenti ab ingenti febris calore colliquata fiunt oleagineæ. Ex pinguedine rursus vetustiori colliquata, nec non à carnibus inæqualiter liquatis, aut etiam ab hepate consumpto, vt 6. epid. 5. text. 15. dicit Gal. fieri vrinas farinaceas, ac propterea malas esse. Ex solidis vero inæqualiter eliquatis fieri vrinas πεταλώδεις, id est, lamineas, in quibus scilicet sedimenta veluti laminulæ quædam apparent, quas dicit Hip. esse κακίους prioribus, id est, deteriores, quoniam multo peius est eliquari solida, quam solam pinguedinem, & carnem, cum & diuturniorem, & multo vehementiorem esse calorem febrilem testentur. Imo ait alibi Gal. huiusmodi vrinas extremum portendere exitium, & variatos ab Hipp. 7, aph. 31. cū talibus vrinis, aut fuisse extinctos, aut morbum maxime diuturnum incurrisse. Exemplum de Farinaceo est in Sileno 1. epid. 3. text. 19. quem ait habuisse in vrina sedimentum album, simile farinæ crassiori, & 11. die periisse. Et in primo tertii epid. Aegro 3. de eo, qui habitabat in hortis Dealcis. Ceterum hoc in loco videtur conradictio in Ga. q̄ hic dicit vrinas farinaceas fieri vel ex afflato sanguine crasso, vel ex colliquatis carnibus. At 1. lib. de crisib. cap. 12. scribit, vrinas farinaceas, lamineas, furfureas, nigras, a comne tale simile esse ἄπεπλον. Nisi dicamus hic ἄπεπλον accipi communiter pro eo, quod est contrarium coctioni, siue sit contrarium vt defectus, siue vt excessus, perinde ac si diceret, nullas ex cōmemoratis vrinis habere aliquid coctionis, quod ideo dixit Gal. ne deciperentur Medici putantes huiusmodi sedimentum significare coctionem. Itaq; vrinæ furfuraceæ malæ sunt, quia significant dispositionem colliquantem, & calorem sanguinem vrentem, & indicare non solum morbi longitudinem, sed etiam mortem. Quod, si hoc statutum est de farinaceis, quid de squamosis dicendum, quæ deteriores sunt? Certe nil aliud, nisi quod exitiosissimæ sint, siquidem non solum comburunt partes adiposas & carneas, sed etiā solidas, quas neq; Medicus, nec ipsa (vt ita dicam) natura resarcire potest. Addo Hip. in Coac. prænot. & 1. prorrh. 5. com. 20. commemorare vrinas membranaceas, & sub his (quantum ego puto) has omnes vrinas, vel maiorem partem continet. Et dicit, huiusmodi vrinas significare connulsionem, quia cum contrectantur partes solidæ, quæ cum neruorum principio consentiunt, necessarium est, vt ipsum quoq; principium patiatur, & sic fiat conuulsio. Quare manifestum est, has omnes vrinas deterrimas. Tertia differentia in ordine, quam diximus quarto loco ponendam esse, est.

4. Furfuracea.
Harum vrinarū qua causa efficiens.
Qua materia.
Calor vstiuus quibus gradibus agat.
Qua quibus peiores vrinæ.

Αἱ λευκαὶ

Αἱ λευκαὶ καὶ λεπταί.

Vrinas tenues & albas, esse valde malas.

4. Tenues & albæ. QVæ dicantur hic vrinæ tenues, & albæ, nemo est etiam non Medicus, qui ignoret; siquidem sunt quæ habent sedimenta alba, & tenuia. Et animaduertendū est, huiusmodi vrinas fieri sæpe in prospera quoq; valetudine, vel ratione sexus, vt in mulieribus, vel ratione ætatis, vt in pueris, vel ratione temperamenti, vt in frigidis, & pituitosis corporibus, vel ratione cibi, aut potus, vt qui frigida multa edunt, atq; plurimum bibunt; sed de his haud loquitur Hip. verum de laborantibus febre acuta, qui cum ratione caloris febrilis eximii deberent flaua, atq; ruffa vrinarum sedimenta reddere; certum est valde à natura morbi esse discrepātia, ac propterea esse valde mala, vt ait Hipp. Ceterum quid sit illud ingens malū quod significant, & cur ita sit locutus Hip. non autem dixerit esse tales vrinas peiores prædictis, vt fecit supra, & vt faciet in sequenti quarta differentia est considerandum. Gal. multus est in huiusce partis explicatione. Verum summa est tenuia sedimenta dici, quæ non sunt crassa, verum instar spumæ vento repleta, ac propterea alba, quia splendorem aereū recipit per se totam. *Cur admodum praua.* Adeo vt secundum Gal. huiusmodi vrinæ habeant à flatu generationem commixto indissolubiliter crudorum succorum partibus, quæ prout diuersæ, & variæ sunt, ita vrinæ hypostasis modo æqualis, modo inæqualis vocatur. Cum igitur fiat à flatu, & flatus à debili calore natiuo, certissimum est valde malum esse in summo incendio calorem natiuum esse valde debilem, quod signū sit à calore immenso febris esse natiuum hebetatum. Non desunt, qui putant hæc quoq; sedimēta fieri à calore valde colliquāte, sed falluntur, quia aliud est loqui de liquore vrinæ, aliud de sedimento. Nam verissimū illud est in magnis febribus colliquantibus fieri interdum copiosas vrinas albas, & tenues, ipso sanguine colliquato, vt sit in alembico, sed substantia, & liquor est eiusmodi sedimentum sæpenumero nullū est. Cur vero ita loquatur Hip. non autem comparatiue, vt fecit supra, & vt mox faciet, ea fuit ratio, quoniā hæc differentia est alterius, aut certe diuersi generis à trib. aliis, vt mox dicam, vnde non conuenit comparatio. Dubitat hoc in loco Stephan. qua ratione possit fieri, vt liquor vrinæ ruber fiat à sanguine colorāte, & flauus à bile, non item sedimentum coloretur, sed in substantia ruffa & flaua conspiciantur sedimenta alba, atq; tenuia. Atq; respondet iccirco fieri, quoniam sanguis ichorosus, & bilis ob sui tenuitatem miscentur faciliter, & exactè ipsi liquori, ita vt illum colorent. Sedimentum autem crassum non ita poreft, sed illud ita vt est in fundum labitur coloris liquoris expers. Dubium iterum est, si hoc verum est in hypostasi, nō tamen debere contingere in nebula, & enæoremate; siquidem hæc subtilia, & tenuia, atq; per medium aut summum liquorem feruntur, attamē fiunt & ipsa in vrinis russis & flauis alba. Ad quod iterum respondet, quælibet contenta esse crassiora ipso liquore, qui quidem tenuis & aquosus est. Vnde fit, vt humores colorantes non ita possint ob crassitiem petmeare, misceri, & inficere contenta, quemadmodum humorem serosum; Verum potius mihi videtur dicendum, fieri sedimenta diuersorū colorum ab ipso liquore propter alias duas causas. Vnam, quia contenta magis alterantur à vasis, quæ intus sunt alba, quam ipse liquor, vnde fit albus in iis color, vt alias docuimus. Alteram, quia ipsa sedimenta possunt esse materiæ diuersæ ab ipso liquore. Ex. gr. pituitosa, quo in casu bilis colorabit liquorem, & contentum permanens in sui natura album erit. Sequitur quarta differentia, scilicet vrina *Furfuracea*, siue πιτυρώδης, quam dicit Hip. esse prædictis deteriorem, Ga. nec male putauit hanc debuisse collocari in tertio loco, quemadmodum dictum, & tertiam in hoc, siquidem furfuracea est, tertius quidam gradus colliquationis, alba vero, & tenuis, haud à colliquante magno calore fit, sed potius à calore natiuo debilitato à febrili calore. *Caloris vsbi-ui qualis ratio.* *Quomodo singula genera contentorum fiant.* Et certe iurarem, si cab Hippocrate fuisse dispositam hanc partem, verum ab ipsis exscriptoribus fuisse mutatam. Verum vteumq; sit hæc quarta differentia est tertius gradus colliquationis, ita vt primū sanguis affetur, pinguedoq; & caro colliquentur,

quentur, ac fiant vrinæ farinaceæ, ſiue orobinæ. Secundus gradus eſt, quando depaſcitur non modo carnes, verum & ipſa ſolida, quæ ſi non profunde, nec vehementer concidantur, fiunt laminææ vrinæ, ſiue foliaceæ, nempe, quibus ſubſident veluti lamillæ, & folia. Sin autem profunde, & minutius proſcindantur à calore exeunt, ac ſubſident cum vrina veluti furfures. Quocirca iure Hippoc. dicit, has eſſe prædictis duabus prioribus, ſcilicet deteriores, quoniam partes ſolidæ ab eodem calore ingeniti febrili penitius, & deterius tractantur atq; conſumuntur. Verum cum huiuſmodi vrinæ poſſint à toto ſeceerni, vt in febribus magnis & prauis, nec non à partibus, vt in renum, & veſicæ vitiis, quæ eſt ratio has diſcernendi? Reſpondeo duobus potiſſimum dignoſci, nempe coctione, quæ non apparet, vbi à toto proficiſcitur, ſed tantum vbi à parte, nec non aliis ſignis, aut praua febre, aut affectu renum, & veſicæ denunciantibus.

Νεφέλαι ἐμφερόμεναι.

Nubeculæ, quæ inuehuntur.

TRactaturus Hipp. de contentis vrinarum, primum de ſedimentis, hoc eſt, de iis, quæ verſus fundum locantur egit, quoniam ea maioris ſunt momenti, magisq; accedunt ad optimarum ſtatum. Et quamquam non etiam de ipſis hoc in loco ſit proſequutus, egit tamen de iis, quæ maximi ſunt momenti, & ex quorum cognitione facile poſſunt cuncta ſciri, ſi ingenium, & induſtria adhibeantur. Nunc de nebula tractat, dicens nubeculas, quæ inuehuntur in vrinis albas eſſe bonas, at nigras eſſe malas; adeò, vt de nubecula nil aliud tradat, niſi quod ad colores pertinet, & iure quidem, tum quia, vt Gal. 3. in 3. epid. 8. dicit, quæcunq; de extremis colorib. dicuntur, eadem de mediis valent, tum quia, vt dictum eſt, dogmata de ſedimento, etiam de nubecula ſunt. Sed quãuis pauca ſint verba, quæ protulit Hip. habent tamen contemplationem; & propterea tria conſideranda ſunt; Primum quid nebula ſignificet; Deinde cur alba bona ſit, nigra vero mala; Vltimo cur vtatur Hipp. hac formula dicendi bonum, malum, non optimum, peſſimum. Circa primum νεφέλη, à noſtris interdum nubecula, interdum nubes dicitur, ſed hoc nil refert. Ceterum vt quidnam ſit nebula ſciamus, notandum eſt, vrinam componi ex duobus, ſcilicet ex liquore, hoc eſt, ex ſubſtantia, & ex contentis. Liquor dicitur totum id, q̃ ſplendoris, aut obſcuritatis eſt particeps, & quod animaduertitur circum vas. Contenta vero ſunt ea omnia, quæ intra corpus vrinæ continentur, & oculis conſpiciuntur. Et hoc, quod in vrinæ liquore continetur, vel eſt in ſummo, q̃ proprie apud Hipp. nebula dicitur, vel in fundo manet ὑπόστασις, latine autem ſedimentum dicitur; vel in medio enæorema græce, latine ſuſpenſio. Gal. in comm. docet Hippo. interdum pro nebula intelligere non tantum, quod eſt in ſummo, ſed etiam quod eſt in medio. Vnde autem ſumpſerit hoc nomen Hipp. docuit diligenter Gal. 3. epid. comm. 1. cont. 3. ſcilicet à ſimilitudine illius nebulæ, quæ colligitur in aere ex vaporib. craſſis, & ſuſpenditur in aere; ſic nebula in vrina. De qua vero nubecula loquatur Hip. ſi credimus Gal. & Steph. dicendum eſt, Hipp. ſic, vt etiam infra pro nebula intelligere non tantum id, quod in ſummo continetur, ſed etiam id quod in medio. Secundũ conſiderandum eſt, cur nubeculæ albæ ſint bonæ, nigræ vero malæ. Gal. cur albæ ſint bonæ, tacuit forſan, quod alias docuit albedinem comparari per coctionem factam in vaſis, quæ cum per illam morbi materiam ſibi aſſimilare conentur eam, vt ſunt, ipſam intus dealbant. Verum de nigris dicit, dupliciter fieri nubeculas nigras, vel propter frigus immẽſum, quo ſicut videmus ſanguinem congelatum nigreſcere, atq; etiam particulas corporis extremas mortificatas nigrere, ſic contingit ſubſidentias frigore interno veluti congelatas euadere atras. Vel propter immenſum ardorem, quo combuſta materia morbifica, haud aliter nigra euadit, atq; ſanguis, & alia corpora deuſta, ſic enim ait, videmus homines diu ſub ſole æſtiuo moram trahentes, nigros fieri. Ceterum quod ſcribit Gal. de frigore, haudquaquam aſſentiri

Vrinæ duæ partes.

Nubeculæ vnde albæ, & nigræ fiant.

possum. Vt etiam alias in tractatu de vrinis docui, quod in corpore viuente nequeat tanta frigiditas esse, quæ possit nigredinem facere. Siquidem in externis videmus, nigra non fieri corpora, nisi à vehementissimo frigore, quod nunquam in viuo, imo vero, neq; in cadauere posse reperiri certum est. Quod si in mortuis, & morientib, atq; in refrigeratis corporibus, sępe videmus corpora euadere nigra, alia est ratio, si ipsius sanguinis congelatio, præterquam quod aliud est, loqui de partibus adhuc viuentibus & internis, aliud de mortuis atq; externis. Quod vero à summo incendio vrente fiant hæc contenta nigra, verissimum est, quemadmodum probat Arist. vlt. sect. Pr. 1. & vlt. corpora sub sole nigrescri. Nisi velimus dicere, quod sicuti carbones vbi sunt combusti refrigerantur, ac simul nigrescunt, sic etiam dici humores combustos, & refrigeratos nigrescri, non quod ob frigiditatem facta sit nigredo, sed ob antecedentem combustionem, quemadmodū diserte docet ex Gal. & Ruffo, Aet. Erat vltimo considerandum, cur Hipp. dixit bonum, & malum; non autem optimū & pessimum. Respondendum est, res optimas illas dici, quę nil mali in se continent; pessimas, quæ nil boni, sed in nubecula vrinæ alba semper est aliquid boni; in nigra semper aliquid mali. Quare non potest simpliciter dicere, optimum, pessimū; Nam in nebula, quemadmodum in omnib. contentis duo consideranda sunt, f. & locus, & essentia, vel natura rei. Si spectemus locum, nebula est mala, quia pura, vera, & exquisita coctio non iudicatur à nubecula, sed à sedimēto; sed ratione suæ naturæ bona est, quia cum alba, læuis, & æqualis sit, coctionem significat. Nebula nigra similiter habet aliquid boni, & aliquid mali. Nam ratione loci certe habet aliquid boni, quia multo deterius esset, si in fundo esset, quam si in summo, quandoquidem multo deterius sit, vt humor niger, qui lethalis est, sit grauis, quam læuis. Et quod hoc verum sit, habetis exemplum apud Hipp. 1. epid. Aegroto 7. Cuius vrina in 4. die habuit enæorema nigrum, & tamen 6. die iudicatus est. Hipp. hanc eandem, sed copiosiorem sententiam nobis reliquit in Coac. prænot. vbi scriptum est, nebulas in vrinis albas, & versus fundū vtiles esse, rubras autē & nigras, & liuidas esse difficiles. Quanquam hoc in loco potius videatur loqui de enæoremate, quod vocare solet, vt infra textū 36. nebulam infra vergentem.

ἐς αὖ δὲ πυῤῥόν τε εἴη τό.

Cum est vrina ruffa, &c.

Hippocrates post contenta agit de liquore, & potissimum de ruffo; quia hic in acutis, qui fiunt à bile, vt Hipp. 2. de acutis, quod voluit dicere Anaxagoras, quādo scripsit, fel esse causam morborum acutorum, quanquam male damnetur ab Aristotele 4. de partib. animal. cap. 2. Imo Hippocrates in fine libri de natura humanā, videtur facere febres à bile plurimas fieri. Diuiditur hic textus in duas partes, vt Galeno placuit, etsi etiam possit quodammodo esse vna; prima est, vrinam ruffam, & tenuem significare morbum esse crudum. Secunda est, quod si tali existente vrina morbus duret, periculum esse ne æger impotens sit sufficere, donec sit cocta. Vrina vnde ruffa reddatur. Vnaquæq; examinanda est πυῤῥὸν οὖρον, siue vrina ruffa coloratur, vt bene docet Galenus à bile, quæ sero sanguinis, siue materiæ in iecinore, & vasis misceri potest copia vel minori vel maiori; & vel sincerior, vel minus sinceræ. Si in pauca quantitate misceatur, efficitur vrina mediocriter flaua, cuiusmodi esse solet vrina sanorum; Sin autem vel sincera, vel in maiori copia misceatur, fit vrina ruffa.

Sed huiusmodi colorata vrina, adhuc plures differentias habere potest. Vel enim est liquoris, seu substantiæ tenuis, vel substantiæ crassę, vt iumentorum, vel mediæ.

Coctio crassa attenuat: tenuia incrassat. Si enim vt colorem, ita consistentiam mediam habeat, est laudata veluti sanorum. Sin crassior sit, ac veluti iumentorum, mala est. Sin vero tenuis, crudum esse morbum significat; siquidem coctio semper incrassat tenuia, & nimis crassa ad mediocritatem reducit. Neq; miremini, Gal. appellare vrinas iumentorum crassas, nempe

nempe quas, & ipse, & alii solent vocare turbidas, seu turbatas, quoniam secundum aliquos crassities & turbatio sunt idem genere, differentes solummodo secundum magis & minus, quod turbiditas nil aliud esse videatur, quam ipsa crassities maior seu magis condensata. Ceterum dubitatur, quando Hippoc. dicat, ruffam vrinam, & tenuem significare morbum crudum, cum vrina alba, & tenuis proprie crudum morbum significet: Ruffa autem, vt dicebant Celsus lib. 1. ca. 2. & Plinius lib. 28. c. 6. bona sit, ac naturam coxisse significet. Cui responsioni satisfacere conantur nonnulli, dicentes propterea Hipp. nil dixisse de vrina alba tenui, quoniam id erat apud omnes compertissimum, scilicet vrinam tenuem, & albam indicare cruditatem. Ceterum non ita manifestum esse de vrina tenui, ac ruffa, & propterea voluisse Hipp. huiusmodi dubietatem ingeniis lectorum eximere. Verum puto ego multo melius esse dicere, vrinam propositam hic ab Hipp. malam esse, & iccirco inter malas maluisse eam recensere: Et quanquam ratione coloris posset videri non ita mala, est tamen vere mala, tum ratione consistentiæ, tum ratione coloris; siquidem vt color ruffus sit vel à sincera, vel à copiosa bile, sic tenuitas liquoris sit, aut ab insignibus obstructionibus, aut quia non recte liquor elaboratur tam in iocinore, quam in venis, quorum vtrumq; per se malũ, ambo vero simul coniuncta multo deteriora sunt. Sed cum vrina alba, & tenuis, nec non vrina ruffa, ac tenuis significet vtraq; morbũ crudum, posset quispiam percunctari vtra sit deterior ceteris parib. Aliqui putant deteriorem esse albam, atq; tenuem, eo quod nullam, neq; inchoatam indicet coctionem, secus quam ruffa, quę videtur indicare coctionem saltem incipientem. Ego autem secus sentio, quia vrina alba, & tenuis solam cruditatem: ruffa autem, & tenuis, non solum cruditatem, sed bilis abundantiam indicat; quæ in acutis pessima est. Et Hipp. dicit, tantum monstrare crudum morbum, quoniam hoc est minus euidens, & præcipuum, cum alioqui clarum sit ruffum colorem copiosam, & saturatam bilem ostendere. Vnde quod scribit Arist. 1. sect. Pr. 53. non est ita credendũ, vbi quærens, cur spectanda sit vrina interpolate micta, & exigua, inquit, sic colorē magis discerni, vt αἱματῶδες magis copiosa atq; πυῤῥὸν ἧσσον signum esse, q; iam materia sit concocta. Quod porro addit Hipp. si vrina diu ita perduret, atq; morbus diuturnus sit, periculum imminere, ne æger non possit sufficere, donec sit concocta vrina, satis clarum est, quod ad sensum Hipp. verborum. Sed quod ad sententiæ veritatem dubitari posse, quare Hipp. non contentus dixisse morbum diuturnum, addit vrinæ quoq; cruditatis perseuerantiam. Præterea, si morbus sit diuturnus, vnde nascatur periculum debilitatis virium; siquidem vbi diu morbus durat, fieri nequaquam sine virium sufficientia. Ad primum dicendum est, Hipp. vbi facit hic mentionem diuturnorum morborum, id agere, vel propter cognitionem acutorum, vel de iis diuturnis habere sermonem, qui ex acutis fiunt, vt hoc in loco vbi loquens de morbo diuturno ex acuto. Hic potest esse & cum cruditate vrinæ, & sine cruditate: cum cruditate, si initio semper cruda fuerit, vsq; ad decidentiam: Sine cruditate, si febris & morbus naturam mutans propter effusionem materiæ, vel abscessum, vrina, quæ erat cocta, perduret, aut longo morbo coquatur, nec tamen morbus remittat. Ergo Hipp. potuit diuturnitati morbi iure addidisse etiam vrinæ cruditatem. Quamquã etiam potest nomine diuturni intellexisse acutũ, qui paulo plus duret. Porro, quod & morbo, & vrina hunc in modum sese habentibus periculum sit, ne vires sint suffecturæ vsq; ad vrinæ coctionem, ita vt intereat; quemadmodũ ait Gal. non est absq; ratione; siquidem morbus quamdiu durat semper cum facultate contendit, omne autem agens cum agendo repatiatur, fieri vix potest, quin semper aliquid viribus detrahatur, ita vt quotidie facta paulatim aliqua detractione, & diu perseuerante pugna morbi, & facultatis tandem multo superior morbus remaneat, sicq; æger extinguatur; quocirca dicebat Gal. hoc fere necessario euenire, nisi æger robustissimã habeat facultatem, cui etiamsi detrahatur semper aliquid, semper tamen multum relinquatur, quod queat demi. Vnde qui vult recte, & secure his in casibus præcognoscere & prædicere, opus est, vt ait Hipp. expendat diligenter virium quantita-

 tem,

tem,& mensuram temporis, qua eget coctio, quod cruditas per se sit indifferens signum. His enim probe cognitis, non ita arduum est postmodum de futuro euentu, & coniicere & pronunciare.

θανατωδέστερα δὲ τῶν οὔρων.

Magis autem exitiales.

QVia, vt alias dixi, solet Hip. in enarrandis prauorum signorum differētiis, semper à minus prauis, ad deteriora ꝑcedere, ob id nunc quoq; deteriores vrinas quam antea recenset. Est autem, quod ait Hip. apertissimum, nempe vrinas magis omnib. esse exitiales, quib. insunt quatuor conditiones, s. vt sint fœtidæ, aquosæ, nigræ & crassæ. Stephanus Atheniensis putat in his verbis Hip. non intelligere, quod vna vrina tot simul coniunctas habeat conditiones.

Sed quod his duas doceat συζυγίας, id est, coniugationes vrinarum; vnam quæ sit albarum, seu aquosarum, & fœtentium; aliam quæ sit nigrarum, & crassarum. Ceterum Gal. videtur habere diuersam opinionem, s. sententiam Hipp. posse intelligi tum de aquosis solis, quæ cum sint tenues secundum consistentiam, & albæ, secundum colorem, summam humorum cruditatem, & facultatis imbecillitatē indicāt: id, quod letbale dicit. Hipp. semper s. materia cruda egregie existente, & viribus debilibus. Quanquam etiam alia ratione possunt dici prauæ, s. bilis causa, quæ ad vrinas deferri deberet, vt in caput feratur, & faciat phrenitim, vt Hip. 4. aph. 72. vel ad intestina, & faciat dysenteriam; quemadmodum contigisse, Hipp. narrat, Brioni, qui iacebat apud Silenum: Cratiæ apud Xenophanem: & vxori Mnesistrati. Tum de fœtidis, quę semper pessimæ sunt, tum de nigris, quas etiam in Coacis dicit lethales. Ceterum de crassis dubitat, tandemq; in eam deliberationem venit, vt dicat sese obseruasse vrinas nigras, quanto sunt crassiores, tanto deteriores esse; crassas autem absq; nigredine duplicem exitum habere, alterum ad interitum, alterum ad salutem declinantem; quemadmodum plerisq; præternaturalibus contingit, per quas expurgatur à prauis humoribus corpus. Sed addit Gal. Hipp. sententiam, intelligi debere de valde crassis, nō autem de mediocriter, nempe quæ haud ita sunt lethales; Atq; ex his colligere licet apud Hipp. & Gal. proprie subcrassis vrinis eas intelligi, quæ turbatæ sunt, ac iumentorum vrinas æmulantur. Itaq; videtur sentire, Gal. singulas quoq; has vrinarum posse per sese accipi, atq; sic etiam exitiales esse nimium fœtidas, aquosas, nigras crassas; siquidem fœtidæ summā putredinem in venis & arteriis existentem indicant; albæ & tenues cuiusmodi sunt aquosæ, q̃ indicēt summam (vt antea dictum est) cruditatem, naturalisq; facultatis imbecillitatē; nigræ, q̃ significent caloris natiui ab exigua combustione factam extinctionem, q̃ à summo frigore per se fieri nequeat nigredo in corpore viuo, vt alias in lectionib. de excrementis disputaui. Vnde Gal. 12. c. 1. de crisib. dicit, huiusmodi vrinis neminem vnquam vidisse seruatum; Crassę. q̃ ostendant magnam in vasis efferuescentiam, & agitationem. Sed vt optime innuit Gal. fœtidæ, & aquosæ per se semper sunt in acutis letbales, non item nigræ, & crassæ, quoniam per ipsas potest corpus ab humorib: malis depurari, quod dignoscitur ex regula Hippocratis, nempe, si reliqua signa attendantur, aut bonum aut malum attestantia. Atq; hæc, quoad Hippocratis sententiæ explicationem. Modo dubitationes non ignobiles oriuntur, & primo vtrum Stephanus bene sentiat, qui putat crassas vrinas simpliciter monstrare abundantiam humorum, & flatuum copiam, quę quidem sola, haudquaquam facere possunt vrinas exitiales. Secundo dubitatur, vtrum impossibile sit, reperiri vrinam tenuem, & nigram, vel nigram & fœtidam; Sed hæ omnes simulatim sint mortales, vt placet Stephano. Tertio, an vrinæ fœtidę simpliciter sint lethales, similiter & nigræ, vt statuit Galenus. Quarto & vltimo, an crassæ quoque sint per se lethales. Ad primum dicendum, etsi crassæ fiant ex abundantia flatuum, quæ tantum in acutis fiunt ex efferuescentia, & ebullitione oriuntur.

Vnde sequitur, vt vapores inde multi, & feruidi in caput lati laborem capitis pariant: atq; hoc est, quod dicebat Hipp. 4. aph. 70. Quib. vrinæ perturbatæ, &c. Ad secund. & tertium dicendum, non esse simpliciter mortales; quia contingere potest, vt tẽpore facultates naturales corroborentur, sicq; crudi succi coquantur, succi boni fiant, & ad salutem tendatur. Et illud verum est, neq; enim Hip. mortales intelligit, q̃ necessario ostendant mortem, sed mortis periculum. Vnde in Coa. dicit albas, & aquosas difficiles, non boni iudicii esse in vetustis. Nisi etiam dicamus Hip. loqui de iis, quæ cruditatem summam sequuntur, nec spes est, posse naturã coquere, vt Gal. 1. de crisib. quod item de albis, & crassis dici potest. Præterea non bene quoq; Steph. nec huic loco accommodate dicit, vrinas crassas, quæ flatuum & crassorum succorum copiam indicant, haud esse mortales, sed tantummodo longitudinem morbi significare, quemadmodum sanitatem vbi excernuntur tales in vigore morbi, quoniam, vt optime notat Gal. haudquaquam de his loquitur Hipp. sed de iis, quæ valde crassæ cum sint, haud tamen fiant tales per viam crisis, vt quæ fiunt in statu, & declinatione morbi, natura s. per huiusmodi excretionem corpus expurgãte. Ad tertium dicendum est, fœtidas vrinas vel fieri à causis externis, vt de alliis narrat Arist. 13. Pr. 6. & Theophr. lib. de odorib. vel ex nimia retentione, vt ibidem Arist. Probl. 1. vel mixtione putridorum humorum; vel ipsius putrefactione. Si à causa externa, vel nimia retentione fiat, haudquaquam exitialis est. Sin autem ob mixtionem putridorum in principio morbi lethalis, quia magnam putredinẽ initio morbi indicat, quæ difficiliter superatur. Sin autem in iudicatione, vel declinatione, nullo modo lethales, quemadmodum nec vbi talis fit ob aliquod vlcus, vel renũ, vel vesicæ. Ad quartum & postremum dicere oportet, crassas quoq; vrinas fieri ob commixtionẽ crassorum humorum, qui initio morbi, si misceantur, pessimum est, sin in statu, vel declinatione totius, bonum est, quemadmodnm haud malum est, si ob nimiam retentionem fiant tales, quod contingere docet Arist. loco citato, & Theophr. in lib. de odoribus; Aut ob cruditates ventriculi, ob quas par est, vt dicit Arist. 8. de hist. 5. & ob nimiam cruditatem, & ob retentionem diuturnam excrementorum eam fœtentem leones reddere. Steph. mortalium vrinarum differentiis prædictis addit; & aliam, nempe quando pingues, & oleosæ sunt, quas summam putredinem, incẽsionem, & colliquationem significare scribit. Verum etsi id verum sit, attamen in nullis aliis codicib. proposita habetur hoc loco, sed paulo infra, de innatante pinguedine nonnulla dicit Hipp. quæ forsan hisce coniungenda esse putauit.

Fœtidarum vrinarum causæ.

Vrinæ vnde crassescant.

Leonum vrina quare fœteat.

ἐπὶ δὲ τοῖσι μὲν ἀνδράσι καὶ.

Sunt autem viris.

HVius sententiæ cum superioribus connexionem. Stephanus cum videret difficilem esse, existimare Hipp. in hac, & in sequenti docere quasdam appendices προσθήκας, quasi additiones; & esse quatuor, inter quas prima sit hæc. Sed puto aliam esse rationem connexionis; & est q; Hip. cum supra dixisset vrinas nigras, crassas, aquosas, & fœtidas esse malas, voluit modo quasi limitare hanc sententiam, & vult docere, non esse semper veram in omnib. sed cũ limitatione, & differentia est, ratione sexus, & ætatum. Dicit itaq; vrinas nigras in mulierib. & viris esse exitiosissimas, in pueris vero pessimas esse aquosam. Hanc eandem sententiam habet in Coa. sed aliquantisper diuersã. Scribit ibi vrinas nigras esse exitiales, & in pueris aquosas, de mulierib. ac viris ibi altum silentium habet. Sed præsentem sententiam expendamus, & videamus, quænam sit ratio, propter quam Hipp. dicit, vrinas nigras pessimas viris, & mulierib. &c. Ex eo magis debemus laborare in tradenda hac causa, quia Gal. 1. de cris. c. 12. commendat hanc admirabilem sententiam. Quod vt intelligatur, sciendum est, causas effectuum preternaturalium maxime adiuuari à causis naturalib. s. ab habitu corporis, ætate, ac temperamento; & à non naturalib. vt sunt regio, tempus anni, vitæ studium, & sex res non naturales appellatæ. Igitur quoties

Vrinæ nigræ cur ita exitiosæ.

affectus preternaturalis oritur sine causa coniuncta, debemus vtrumq; genus causarum spectare. Vera autem radix, propter quam illæ causæ adiuuent immediatas est, quia temperamentum immutant, à quo naturales operationes peraguntur; & propterea non putandum est, Hip. voluisse dicere ratione sexus, vel ætatis, sed propter temperamentum, quod ab illis mutat. His constitutis indagandũ est, quomodo ab hoc temperamento variæ efficiantur vrinæ; quo quidem inuento, facile patebit; quare vrinæ dicantur magis vel minus lethales, & quæ magis & minus deteriores. Deteriores autem sunt, quæ magis recedunt à statu naturali, per regulam perpetuam in Medicina. De peculiari Mulierum temperamento dubitatur inter Medicos. Parmenides, & Democrites videntes quotidie sanguinem abundare in mulierib. & quia in sanguine calidũ manet, idcirco putãt mulieres esse calidiores viris. Et noster Hipp. videt 1. de morb. mul. hanc sententiam amplexus. Hæc igitur fuit multorum veterum sententia, quam Arist. 2. de partib. anim. 2. repudiat, & iure quidem. Sed quid ad Hipp. dicendum? Nonnulli eruditissimi viri dicunt, librum de morbis mul. non esse inter Germanos Hipp. Ea propter nõ curandum, q in eo scriptum reperiatur. Sed hæc responsio non mihi placet, primo, quia licet ille liber non sit in prima classe, tamen est antiqua, & graui doctrina refertus. Quare melius est dicere Hipp. ibi non loqui simpliciter de mulierib. q habeant calorem maiorem viris, sed q si retineatur ille sanguis, tunc solum, quia abundant plurimo sanguine, essent calidiores, quare virorum superant caliditatem non naturaliter. Et certe, si expendatis verba Hipp. eo in loco, videbitis hanc expositionem illi quadrare. Quapropter hoc verissimum est, mulierem frigido & humido esse temperamento, viros autem calido & sicco; pueros infra 14. annos esse calido & humido. Hoc constituto, si æstimemus mulierum temperamentum, vrinæ ipsarum debent esse semper albæ, & maxime etiam crassæ, propter meatuum amplitudinem, viris vtpote calidis, & biliosis ruffæ; pueris semper crassę, quia cum calidi sint, & humidi, necessario coquunt: coctio autem omnes incrassat humores, & quia coctæ ideo potius coloratæ, quam aquosæ. Gal. addit aliam rationem huius sententiæ, & est, quia pueri deuorant inordinate, vnde multas efficiunt cruditates, quæ vrinæ coniunctæ, reddunt eam crassam. Quod cum ita sit, facile patet, cur Hipp. dicat in mulierib. & viris nigras vrinas esse pessimas. Nam, si verum est, vrinas tanto esse meliores, quanto magis accedunt ad naturalem statum, & econtra hinc fit, q cum maxime recedant vrinæ nigræ à naturalib. mulierum, ideo sint pessimæ, & etiam quia, vt dictũ est, lethales sunt, ergo exitiosissimæ. Similiter in viris, cum naturaliter eorum vrinæ sint ruffæ & tenues, in ipsis nigræ sunt omnino exitiosæ; siquidem maxime recedunt à naturalibus vrinis illius ætatis. Sic de puerorum vrinis, aquosæ in ipsis sunt exitiosæ, qa cum mortale sit, summam esse cruditatem in febrib. acutis, certe si huic etiam accedat, q vrinæ similes fiant in ætate, q̃ bene concoquit, necessario sunt exitiosissimæ. Hæc est Hip. sententia, eiusq; pbatio. Circa q̃ tria consideranda sunt: Primũ de vrina nigra, si quidem in pueris videt magis exitialis, q̃ alba & aquosa, quoniã hæc tantũ cruditatẽ significat, nigra vero summã intensionẽ, & putredinẽ. Iam vero cruditas non est adeo contraria naturæ puerorũ, q immoderate edunt, & exercent, sicut est ingens incendium, & valde exiccans. Præterea habemus ab Hip. pueros habere semen, vt viros, sed in pueris non apparere, quia meatus habent angustos (nã putat semen excidere à toto corpore.) Si igitur meatus habent angustos, necessariũ est, vt reddant vrinas admodũ percoloratas, & aquosas; quare tales vrinæ in pueris non erunt tam exitiales. Aliud disquirendũ est, an vrinæ nigræ in mulierib. sint adeo exitiales. Nã hoc nõ videt rationi consentaneũ, tũ qa ob sanguinẽ menstruũ possunt colorari, siue retineat, siue fluat: tũ qa cũ habeant vrinarios duct⁹ admodũ amplos; faciunt plerunq; vrinas crassas, & multo sedimento oppletas, q̃ ꝓpterea vident nigricare. Etenim eadẽ etiã ratione, multo minus mulieres viris cõsueuerunt lapide vesicæ tentari, quoniã cũ habeant vesicã breuioris, & latioris colli facile excrementa crassa, ex quib. conglobant calculi, per ipsam foras educuntur. Tertio dignum est discus-

An mulier viro calidior.

Mulieres cur vesicæ calculo rarius prehendantur.

discussione, cur supra dixit, vrinas nigras, & aquosas esse θανατωδέστερα, .i. lethaliores; nunc autē dicit κάκιστα, .i. pessimas, quasi q; pessimū est, si deterius lethali. Ad primū respōdent nōnulli, Hip. hic non de vrina simpliciter nigra, sed simul etiā crassa esse intelligendū, q̃ vrina ob crassitiē est familiaris ætati puerili, vt diximus: ob nigredinem vero neq; est admodum longinqua ab illa ætate, q̃ valde calida est; & ꝓpterea facile adurit. Et certe mihi hoc placet, quoniā, vt dicebā ex Steph. Athen. vix potest esse vrina nigra, quin etiā sit crassa, cū crassa materia copiosa in vrina semper nigricet. Possumus etiā respondere ex Arist. siue Theophr. in lib. de colorib. duplicē esse nigrū, aliud verum, aliud apparēs, & in pueris esse apparentē, q̃ caret luciditate ob crassitiem, vt dicit Arist. 23. Pr. 15. contingere aquæ dulci ob admixtionē terræ. Quāquam etiam possumus dicere agitationem vrinarum in pueris esse maiorem, & ob id fieri nigram, .i. obscuram, vt mare agitatum euadit atrum. Ceterum vrina alba, aquosa, magis est lethalis, quoniam pueri ob calorem multum coquunt. Vnde vrinæ eius coloratæ sint oportet, multū etiam & inordinate edunt, atq; mouenť, vnde crassæ debent esse, & iccirco si contrariæ sint, signum multum fuisse in ipsis factum recessū à naturali statu, ac ob id vrinas huiusmodi in ipsis valde exitiales esse. Quod autē dicit Hip. meatus in pueris esse coarctatos, vnde secundū naturā vrinas deberent reddere aquosas; dicimus ob caliditatē, q̃ in ipsis est ingens, fit, vt fucei linqueť, vnde facile per angustos meatus pertranseunt, & vrinæ tenues exeant, retineať autem multa materia, ex quo exitiales erunt. Præterea q̃ decoloratæ sunt, significant calorem natiuum esse extinctum, & debilem, q; in acutis morb. pessimū est. Ad secundum de mulierib. eas naturaliter & per se, cū sint frigidiores, q̃ viri facere vrinas albas & crudas; ac ꝓpterea non nisi à summo incendio in eis humores cōburi, atq; nigrescere. Vnde si quando fiunt, indicant summā exustionē, valde ipsarum naturis contrariā; Dicit autē Hip. 2. aph. 34. In morbis minus periclitari &c. Verum per accidens, f. ob menstrua fieri interdum in ipsis nigras, atq; tunc non esse adeo prauas, ꝓpterea q; opus esse industrio, ac solerti medico, q; sciat alterutras inter sese discernere. Exemplū. n. habemus apud Hip. 1. epid. illius mulieris Thasiæ, in qua vrinæ nigræ apparuerunt, & sub crisim muliebria copiosa profluxerunt, quē locū exponens Gal. dixit, vrinam nigram in ea muliere nullum periculum significasse, q̃ tum aderat menstruorū melancholicorum suppressio. Ad tertium & vltimum dicendum in signis mortalib. vt plerisq; in aliis suos esse gradus, ita vt alia sint minus, alia sint magis lethalia; propterea cum Hipp. supra dixisset nigras, nec non aquosas vrinas esse exitiosas, voluit docere inter has quoq; esse quosdam gradus secundum ætates, ita vt in aliqua ætate sint minus, in alia magis lethales: Et iccirco vox κάκιστα, refertur ad superiorem, scilicet θανατωδέστερα, tanquam dicat, in omni ętate nigras, & valde aquosas vrinas esse mortales, verum pessimas, hoc est, maxime omnium mortales esse in viris, & mulieribus adultis nigras, in pueris autem, & puellis albas, & aquosas; quæ tamen haudquaquam simpliciter sunt tales in morbis, sed si διατελέως, id est, per totum morbi tempus appareant, quemadmodū præclare scriptum est in Coacis prænotionibus. Si enim initio appareant, haud statim formidandum est, cum possint beneficio ætatis concoqui, quod nisi fiat, augmento, & status initio, signum est vsque adeo natiuum calorem esse hebetatum, vt amplius nequeat restitui.

Puerorum vrinæ cur naturaliter crassæ.

Ὁκόσοισι δ᾽ ἂν οὖρα λεπτὰ ἔῃ.

Quicunq; vrinas tenues.

SI credendum est Stephano, Hippocrates in præsenti sententia proponit nobis secundam additionem, seu appendicem, seu corollarium. Alii aliam continuationis rationem excogitarunt.

Prognosticos finis, prædicere exitum morbi.

Vt autem, quid sentio, libere dicam, res altius repetēda est. Totius artis prædicendi munus est ꝓdicere finē mali ægroto, vel ipsis assidētib. Finis autē mali ex Hip. in initio 1. de morb. est triplex. vnus est sanitas; secūdus mors; tertius est permutatio

Morbi finiuntur trib. modis.

morbi. Hipp. in ſuperiorib. contextib. cum de vrinis tractaret, nil aliud fere docuit, niſi vt ex ipſis vrinis ſalutem, vel mortem prædiceremus. Supererat ad perfectã cognitionem ex vrinis, vt doceret modum prædicendi tranſmutationem morbi, q̃ facit in præſenti contextu. Ceterum artificium Hipp. non adhuc notum eſt. Igitur ſciendum eſt, permutationem morborum tribus modis effici: vna eſt ſecundũ diuturnitatem, vel breuitatem, quando ſ. ex acutis mutantur in diuturnos; vel quando ex diuturnis tranſeunt in acutos, & huius primæ permutationis præclariſſima exẽpla habemus in Hip. & in tota medicina. Alia permutatio eſt, quando morbi ꝓpriã ideam, & formam mutant, exemplum eſt 1. de morb. phrenitis in pleuritidem mutatur, & pleuritis in phrenitidem. Sic leucophlegmatia in alterum morbum tranſit. Habemus etiam aliud exemplum 2. epid. vbi habemus maniam in epilepſiam mutari, & epilepſiam in maniam. 6. autem epid. 7. ex epilepſia, melancholia, & ex melãcholia, epilepſia. Tertia permutatio eſt ſecundũ locũ, & eſt quando materia morbifica permutatur à loco ad locum, vnde 6. aph. 21. habemus in inſanientibus, ſi varices, vel hæmorrhoides ſuperuenerint, inſaniæ ſolutio. Hæc ſolutio nõ eſt vera, ſed mutatio materię de loco ad locum: Materia enim, quæ prius in capite continebatᷣ, ad locum inferiorem deſcendit. Sic habemus hiſtoriam 1. epid. de eo, qui apud Lariſſam permanebat, tumor tertia die delituit, & in phrenitidem raptus eſt; non alia ratione, niſi hac mutatione materiæ de loco ad locum. Cum igitur tres ſint morborum permutationes, has omnes Hipp. breuiſſimis verbis prædicere docet. Vt autẽ ipſius ſententiam colligere poſſitis, tria videnda ſunt; vnum erit, quæ conditiones in vrina requirantur, vt poſſit fieri hæc prædictio. Secundum erit, quomodo ex his conditionib. neceſſario debeamus inferre abſceſſum futurum. Tertium, quanam ratione abſceſſus potius expectandus ſit infra ſeptum, quam alibi. Quod igitur ad primum attinet, tres conditiones affert Hipp. prima eſt, vt vrinæ ſint tenues, & crudæ; ſecunda, vt iſtæ vrinæ perdurẽt multo tempore non breui; tertia eſt, vt ſimul adſint ſigna ſalutaria. Videamus primum, cur dixit primam? Vult tenues & crudas eſſe vrinas. Tenuitas demonſtrat anguſtiã venarum, quia ex anguſtis venis, tenuis vrina percolatᷣ. Ergo neceſſario ſignificat adeſſe obſtructionẽ, q̃ ſit à craſſis, & crudis humorib. vt oppilatio ſit à frigiditate externa. Quare ex tenuitate vrinarũ habemus copiam adeſſe crudorũ, & craſſorũ ſuccorũ; ſed quia interdum hæ vrinæ poſſunt etiam fieri tenues ob elaborationẽ caloris ſuper materiam morbificã, ideo ipſi tenuitati additᷣ etiam, ſi fuerint crudæ. Cruditas igitur, & tenuitas ſunt neceſſarium argumentum morbi futuri diuturni, quantum ſit ex ſe; ratio eſt, q̃a vbi opus eſt coctione multæ materiæ, neceſſario reqritᷣ multũ tẽporis, vnde diuturnitas ſit; ſin antem materia ſit cocta, nunq̃ ſignificat morbi diuturnitatẽ. Secunda conditio eſt, vt durent multo tempore. Sed quanto? vltra 14. diem, quemadmodũ Hipp. exempla declarãt. Nã Pythioni abſceſſus in 40. die factus eſt in ſubiudicatione, ideo merito dixit Hip. multo tẽpore iſtas vrinas perdurare debere. Tertia conditio eſt, vt adſint alia ſigna ſalutaria; Sed quænam ſunt iſta ſigna, & quare debent adeſſe? Signa ſalutaria, q̃ apparent in morb. acut. vt Steph. docet, cõplura ſunt, ſ. facilis ſpiratio, tollerantia, carentia ſitis, vacatio ab omni anguſtia, & moleſtia, quoniã autẽ fieri poteſt, vt crudis exiſtentib. vrinis, & ſic perdurãtib. vires ſint debiles, & mors ſequatᷣ; idcirco oportet vt vires ſint fortes. Iam vero facultatis firmæ nullũ aliud eſt ſignũ, q̃ vnum, vel plura ex citatis, q̃ vbi aderunt, ſignũ eſt, vires eſſe validas, vnde neceſſario morbꝰ ex acuto in diuturnũ permutabitᷣ. Videamus ſecundũ, ſ. quomodo poſſimus prædicere permutationẽ ideæ, & formæ ipſius morbi. Hipp. 6. epid. loquens de ſuppurationib. q̃ id, q̃ ſuppuratᷣ, non facit recidiuã. Nam in ea eſt coctio, criſis, & per abſceſſum; morbi .n. ſoluuntᷣ per criſim, per expulſionẽ, vel per coctionẽ, per difflationẽ, vel per abſceſſum. Vbi igitur vrinę ſunt crudæ, ac perdurantes, non poteſt eſſe criſis; & ratio eſt, quia vera criſis non poteſt fieri niſi per coctionẽ; in diuturnis autẽ morbis raro expectatᷣ criſis. Quod etiã difflatio nõ ſit expectanda, ꝓbatᷣ; quandoquidem diſcuſſio eſt actus caloris diſcutientis materiã, ad q̃ reqritur, vt materia ſit tenuis, difflabilis,

Morborum permutatio trib. modis fit: Secundum tempus. Secundum ideam. Secundum locum.

Signa in acutis quæ ſalutaria.

Morbi criſi quot modis ſoluantur.

& ca-

& calor natiuus robustus. In hoc casu licet vires sint validæ, materia tamen est cruda, & copiosa, quare non potest difflari. Iam vero cum neq; crisis, neq; difflatio expectandæ sint, necessarium est, vt tertium fiat. Sed sciendũ est, abscessum apud Hip. varia significare. Hic tamen, vt dictum est, significat solummodo morbi de loco ad locum mutationem. Cum igitur habeamus hic vires validas, materia autẽ sit cruda necesse est, vt natura certet semper ad uersus materiam illam, in quo certamine vnus aduersarius nititur expellere alterum. Vnde fit, vt vbi materia est cruda, & vires sunt validæ, semper expellat, & ita faciat transmutationem. Sed videamus, cur magis infra thoracem abscessus sit expectandus, q̃ supra, vel alio in loco, & cur non doceat locum præcisum. Quod debeat abscessus prædici infra, tres sunt potissimũ rationes prima est vicinitas loci, quia semper ita cõparatum est à natura, vt pars depellat materiam noxiam ad vicinam. In acutis morbis, quia focus febris est thorax, pectus, tota vis peteret hanc arcem. Cordi ptoxima omnino est pars, quæ sub septo existit. Ergo ratione vicinitatis æquum est, vt abscessus fiat sub septo. Sed est & alia causa, s. laxitas partis. Scio omnes abscessus fieri ob repulsionem à parte densa ad laxam. At sub septo continet iecur, lien, & hypochondria, quæ partes laxæ sunt, qua de causa aptæ sunt ad recipiendum. Eapropter necessarium est, abscessum futurum infra septum. Tertia causa est, situs; q̃ a cũ facillimũ sit materias graues ad inferiores partes pellere & partes sub septo sint, huiusmodi ergo facile trudit materia in his morbis inferius. Cur autem Hip. non dixerit locum præcisum, quantũ ego puto, est, q̃ a semper studuit relinquere locũ ingenio hominũ, vt sese exerceant. Et forte noluit hoc docere quia 4. aph. 33. dixerat. q̃ si ante morbum aliqua parte doluerint. Sic morbus sitmatur, ita, vt si iecur, vel lien, vel hypochondria, vel crura ptius affecta erant, tunc certe prædici potest abscessum futurum in aliquo ex illis. Sed dicet aliquis: nonne videmus abscessum interdum etiam fieri infra, & etiam interdum supra? vt parotides, hæmorrhagiæ, delitia? Dicendum hoc fieri in morbis acutis, nõ in diuturnis, de q. b. loquitur nunc, in quibus materia est cruda, frigida, & crassa: In acutis autem ecõtra materia est calida, tenuis, vnde facile attollitur sursum, & eo magis hoc fit, quando aliqua pars ante morbum fuerit affecta.

καὶ τὰς λιπαρότητας δὲ τὰς.

Et pinguia innatantia.

VT dicebamus antea, Steph. videtur legisse hæc coniuncta superioribus, vbi s. de lethalibus vrinis loquebatur, quasi hæc differentia quædam sit vrinarum pravarum, quando mingitur cum pinguedine innatante. Dicit. n. huiusmodi vrinas oleosas, & pingues esse damnandas, quoniam fiunt à colliquatione. Est autem omnis colliquatio indicium febris deurentis, vt marasmus torridus, & febris ardens pestilens, de qua Gal. 10. meth. c. vlt. de med. loc. & alibi. Sed ad quid addit Araneis similia? Pinguedo aut est continuata, & diuisa, seu discissa, vt araneæ telæ. Si sit discissa, est à febre colliquante, de qua hic; sin cumulata, & continua, fit à renum feruore, de quo 7. aph. 35. Ceterum dubiũ est, an huiusmodi vrinæ sint adeo lethales. Nam pinguedo est, quid superfluum, non necessarium, vt caro (ait Arist. 5. Pr. 14. & 1. de gen. anim. c. 18.) Et cum sit plenum spiritu, & aere, vt ait Aristoteles idem 2. de gen. anim. cap. 2. ac sine sanguine, non videtur eius consumptio esse ita exitiosa. Quod autem pinguedo, non caro colliquetur. Idem Arist. sect. Probl. 5. 4. testatur, qui scribit, laborantium pinguedinem liquefieri, non carnem, quoniam calefacta pinguedo liquatur, non caro? Resp. quod Galen. 3. in 3. epid. calorem, vel modicum esse, vel immensum, à modico sola pinguedo liquatur ab immenso, & igneo etiam caro. Vnde febrilis calor, cum sit eximius, atq; igneus, non mirum si colliquat etiam carnes, vt experientia docet. Preterea Hip. in Coac. dicit, vrinam, quæ ex confusa ostendit aliquam pinguedinẽ ostendere citã febris dimissionẽ. Ergo non videt ita damnãda. Pro responsione dicunt nõnulli, locũ illũ Coacatũ esse intelligẽdũ ironice, quasi nõ dimissionẽ febris, sed vitæ significet; & adducunt hist. 11. 1. epi. vbi Dromeadai vxor cum

Abscessus quæ significet apud Hippoc.

Quando pinguedo & quando caro liquetur.

cum vrinis primum crassis, & turbidis, deinde tenuibus, & oleosis obiit; sed quod ironice loquatur Hipp. adduci non possum. Alii dicunt, intelligendum esse, non q, vrina, sed æger pinguedinem habeat. Ego vero puto, satius esse, vt dicatur Hip. non intelligere de vera pinguedine, sed de crassa vrina, quæ quidē ęmulať pinguedinē. Nam vera pinguedo nunquam aquescit, sed crassa materia. Et Hipp. dicit, ibi vrina habens aliquid pingue ὑδατέρ͂ον; vel melius dicit, vt Gal. loco citato Hip. loqui nō de pinguedine ex carne colliquata, sed ex adipe, quam dicit, non esse lethalem, & cum ipsa sæpe seruari ægros, quia fit à minori calore, quam vbi caro liquatur. Quatuor dicit Auic. de vrina pingui. 2. 4. tr. 1. c. 89. vnum est vrinam pinguem, quam vocant oleagineam, non esse semper malam, nisi alia signa mala ad sint. Alterum est sedimen pinguem esse valde malum. Tertium est ex Ruffi sententia, vrinam oleagineam esse bonam, quando nigræ succedit. Quartum est, vrinam oleaginosam cum aliis prauis signis, si appareat in quarta, ægrum perire in sexta.

Σκοπεῖν δὲ χρὴ τῶν ἔρων.
Speculari autem oportet.

SEquitur tertium corollarium, siue προσδιορισμὸς, quod est, vrinas oportere considerare, quæ habent nubeculas, an scilicet illæ sint sursum, hoc est, vel in superficie, vel in medio, an vero sint deorsum, & quales colores habeant, quoniam si in fundo sint, colores habeant, quales dixit, nimirum albos esse bonas; sin vero sint in fundo cum coloribus nigris, aut liuidis, quemadmodum fuit dictum, huiusmodi vrinas esse malas, atq; damnandas. Sed ad quid Hipp. hæc repetitio. Etenim est pura, & veluti summaria eorum, quæ iam vberius docuit retro sententia, vt nihil amplius docere videatur. Respondendum est, iccirco repetiisse, tum vt quæ sparsim, & confusius dixerat, in vnum redigens clarius redderet, tum maxime vt moneret esse rē, & consideratione, & memoria dignam. Iam vero, quod Hip. vt alias dictum est nomine nebularum, intelligat quicquid in vrinis continetur siue supra, siue in medio, siue etiam in fundo, & alias indicauimus, vt ex hac dictione satis patet: quemadmodum etiam euidentissimum est ex contentis meliora esse, quæ infra subsidet in vrina, quam quæ supta, & quo magis fundum petunt, cum careant flatu, qui ipsa sursum eleuet coctionem ostendunt. Contra quæ sursum ferunt ob flatum inclusum id cum habeant, plane cruditatem monstrant coctionis, aut cuiusuis signa cruditatis signis semper esse anteponenda omnibus compertissimum est. Veruntamē hic locus non ita simpliciter indicat: Vnde merito Hipp. iubet, vt simul etiam colores considerentur tam eorum, quæ infra, quam quæ supra cōtinētur. Siquidem, si prauos colores sedimentum habeat, non modo malum est, verum etiam deterius nebula etiam prauo colore infecta, quoniam signum est, prauam materiā esse copiosam, & crassam, quæ semper deterior est pauciore & tenuiore, quæ facit nebulam. Contra si colores sint boni in sedimētō bonum est, non tamen melius nebula simili; Pari pacto dicendum est, si nebula habeat colorem bonum, esse bonam, sin malum, malam. Ceterum dubitat hic Stephanus, quomodo sic Hipp. hypostasin confert nebulæ bonitati, cum alias dixerit in vigentibus ætate fieri nubeculas, & enęoremata, non sedimenta, quasi hæc sint minus naturalia. Et respondet, posse considerari hominem vel simpliciter, vel secundum communem statum. Si simpliciter consideretur, melior est nubecula. Sin autem communis status hominum, qui vtplurimum vescuntur cibis crassioribus, sane melius est sedimentum, atq; hoc postremo modo ait intelligendum esse Hipp.

μὴ ἐξαπατάτω δ᾽ ὅσε.
Nec te percipiat.

HIc est quartus & postremus προσδιορισμὸς, siue quartum notandum, f. ne fallatur Medicus in diiudicandis prædictis vrinis, quoniam interdū contingit, vt tales

fiant ſolius veſicæ vitio, quæ ob id nihil, aut parũ omnino ſuper totius corporis ſtatum, quod enim fiant vrinæ purulentæ, adipoſæ, furfuraceæ, aut carunculis ſimilia habentes, aut ſimiles laborante veſica, vel renib. & iure Hipp. & Gal. docēt, & quotidiana experimenta teſtantur. Hip. quoq; deceptus eſt, & cõfeſſus errorem 5. epid. laudatur à Celſo li. 8. c. 4. & à Plut. in lib. de morum profect. Ceterum cum res ita ſit, cur ergo Hipp. ſic duntaxat meminit veſicæ, renum autem nullam facit mentionē? Præterea cur Hipp. non docuit modum dignoſcendi, & prædicendi an à toto, an à parte affecta vrinæ tales prodeant. Nam hæc maxime facit ad totum pręcognoſcēdi, & prædicendi negocium. Ad primum nil aliud puto melius poſſe reſponderi, q̃ id q; aliis quoq; video placuiſſe, ſ. Hipp. breuitatis ſtudioſum nomine veſicæ complecti voluiſſe cuncta ad vrinæ exitum & fabricā pertinentia, vt renes, vreteras, imo etiam ipſum vterum; etenim vitio vteri mulierum quoq; vrinas non parum mutari, atq; infici quotidie ſatis experimur. Et primo de morb. mulieb. dicebat in ſuppreſſione menſtruorum, fieri vrinas craſſas, & cruentas, quemadmodum 1. epid. in muliere Thaſia factæ ſunt nigræ; ſic etiam lib. de atra bile, ca. 8. Eraſiſtratus tradit apud Gal. mulieri menſtrua retenta ad veſicam eſſe conuerſa, & feciſſe vrinam nigram. Meminit autem potius veſicę, q̃ aliarum mictioni famulantium partium, quoniam omnium euidentiſs. hanc functionem obire perſpectum eſt; delectatur Hip. per ea, quæ magis omnib. ſunt nota, etiam ignotiora comprehendere. De modo autē dignoſcendi vitia vrinæ, an à toto, an ab ipſis mictionis inſtrumentis proficiſcantur, nihil dixit, quoniā hoc potius voluit induſtriæ, ac Medici ipſius peritiæ permittere. Vnde etiam dixit laborandum eſſe, ne decipiatur, quaſi dicere voluerit, huic potiſſimum omni ſtudio atq; diligentia incumbendum eſſe, vt diſtinguat vtraq; vitia, ſ. totius, & inſtrumentorum, ac diſtinguens deinde prædictionē ſuam prudenter faciat. Quanquam dicere poſſumus, cũ hic agat de acutis vrinas ſimiles in iis vitio totius ꝓficiſci vtplurimũ, raro autem vitio inſtrumentorum, quæ potius diuturnas, q̃ acutas febres faciunt. Ceterum ne in hac parte à vobis quicquam deſideret̃, ſciendũ eſt, ſigna diſtinctiua horũ, vel ſumi à ꝑteritis, vel à pſentib. A ꝑteritis ſumunt̃, aut conſuetis, aut inſuetis. Nam ſi ante morbum conſueuerit q̃s laborare renib. aut veſica, aut vtero iure ſuſpicandũ eſt in morbo, ea quoq; ratione fieri; Sic. n. ſunt mulieres, quæ vbi menſtrua habent, aut pariunt, aut gerunt vtero vrinas prauas, & ſecundũ ſubſtantiā, & ſecundũ colorem habent; pari pacto, ſi nunquam alias conſueuerit quicquā tale pati, tunc videndũ eſt, an nuper ceciderit ab alto ſupra renes, an aſparagis ſilueſtrib. quos veſicam, & renes ſauciare ſcribit Gal. diu ederit, an ve quid aliud paſſus ſit, q potuerit violare mictionis inſtrumenta, quando ſi nullũ horũ adſit, ſuſpicandũ eſt, ne vitio totius corporis vrina prodeat contaminata. A pſentib. capiuntur etiā ſigna diſtinctiua; vt ſi dolor infeſtet lumbos, aut grauitas, vel veſicę collũ; aut ipſum penem; quoniam ſic ſignum eſt ibi eſſe morbum. Aut ſi criſis facta ſit perfecta, vel imperfecta abſq; vllo alio partiũ affectarũ indicio, quoniā ſic ex toto emanare vitiũ certũ eſt. Aut ſi exeat vrina permixta valde cum prauis contentis, aut nõ; quãdoq nidē ſi impermixta exeat, ita vt prius carunculæ, ſanies, ſanguis, capillamēta, & ſimilia exeant, deinde vrina, ſignũ eſt ab aliquo ex inſtrumentis id contingere q ſit excoriatũ, vel exulceratũ, vel aliud tale patiat̃. Si vero valde ſint permixta, quæ exeunt cum ipſa vrina, ſentiendum eſt non in inſtrumentis, ſed in ipſis vaſis ſimilē eſſe factam mixtionē. Pariter ſi adminiſtrēt̃ remedia, quæ poſſint peculiariter violare veſicam, id potius illi tribuendum eſt. Quemadmodũ vbi veſicantia ex cantharidib. adminiſtrat̃, ſolent fieri vrinæ doloſæ, cruētæ, ramētaceæ, q̃ Med. indoctos, atq; ipſos adſtantes ſæpe terrere atq; fallere ſolēt. Et aduertendũ eſt, vrinas tũ colore, tũ ſubſtantia, tũ cõtentis vitioſas vel durare, vel nõ durare. Si. n. nõ durent, fiunt à toto; ſi vero durent poſt à parte affecta fiunt, nõ q dē leuiter laborāre, ſed grauiter, ob q Hip. dixit, ſi veſica aliquē morbũ habeat; nõ ſi τῷ πάθει, h. e. affectione aliqua leuiter patiat̃, vrinæ prauæ diu poſſũt perſeuerare; ſed ſi morbo, h. e. graui affect. tēteat̃.

Vesica nomine quæ complectantur.

ἐμετὸς δὲ ὠφελιμώτατος. *Vomitus vtiliſſimus eſt.*

POſt vrinæ tractationem pergens Hip. docere modum cõparandi ſigna ꝓgnoſt. ex fonte excrementorũ mutatorũ; nunc de vomitu agit; ſiq dē pet ipſum etiam

non

non pauca excrementa euacuantur, quæ mirum in modum ad prædicendum tam de interitu, quā de salute conducunt. Sed illud ante cetera quærere non iniucundū est, cur natura non ita cunctis animalibus, sed paucissimis hanc excretionem concesserit, cum, vt Plinius dicit lib. 11. cap. 37. canibus ob pylori angustiam, aliis vero ob sudoris, s. fœcum, vrinæ, excernendæ carentiam tradiderit. Hominem autem, & canes omnium maxime vomere fecit, & præsertim hominem, qui etiam non coactus id facit. Præterea cur Hippocrates morem sibi institutum, atq; constanter in aliis obseruatum nunc deserit; scilicet vt primū, optimus quis sit vomitus declaret, quo s. eo cognito tanquam regula, & metro vti possimus ad alios deficientes ab optimo dignoscendos. Circa primum dicendum est, quod alias dixit Gal. lib. de diff. sympt. cap. vlt. vomitum esse toto genere præter naturam, & esse prauum facultatis expultricis motum, vt 3 de sympt. causis, cap. 2. homini, imo neq; alteri animali, eo quod ventriculus in huiusmodi functione mouetur violenter, cum id, quod est, deorsum, moueatur sursum, & concauum fiat conuexum, vt etiam dicit Gal. 2. de sympt. caus. contingere vtero dum fit partus: attamen vtitur natura huiusmodi operatione ad expurgandum ventriculum à copia, & prauitate excrementorum, præcipue vero à cruditatibus, ob quas Plinius eodem libro cap. 52. dicebat, vomitiones esse excogitatas, quemadmodum etiam Seneca, quod Gal. eodem cap. lib. differ. sympt. dicebat; si vomitus fiat tempestiue, non esse præternaturam. Atq; hinc est, quod vsum vomendi veterum nunquam potui laudare; etsi Soranus Medicus in libro de Med. dixerat, qui frequenter vomunt eos, esse solere sanos, quoniam vt dicebat Plutarchus, prẹstat exercitationibus, & victus temperantia vti, quam cruditates nimio cibo & ocio accumulare; sicq; vomitu egere, quo breuis, & inutilis consolatio comparatur. Igitur iis solis animalibus, vt canibus, felibus, aliisq; similibus datus est vomitus, qui nimia voracitate copiosos & minus præparatos cibos deglutiunt, quibus deinde oneratus stomachus, cum infra nequit depellere, quod grauat, sursum vertit, vt omni ratione appareat vomitu naturam nisi coactam vti, propterea q̄ nullum vomitum simpliciter bonum, aut optimum esse; sed duntaxat vtilem, s. ad leuandū stomachum à copiosis, crudis, atq; prauis humorib. Quam rem optime intelligens Hipp. non est mirum, si more suo vomitum optimū haudquaquam proposuit, sed duntaxat quis vtilis sit docere voluit. Secus autem est de aliis excretionibus, quę cū naturales sint ad expurganda quotidiana, & necessaria excrementa factæ, in iis est aliquid optimum, quo tanquam metro quodam Medici vtuntur ad cognoscendas & iudicandas excretionum differentias. Diuiditur pręsens de vomitu tractatio in duas partes, in quarum prima docet, quis vomitus sit vtilis. In secunda vero, qui sint inutiles, & praui. Dicit ergo primum vomitum esse vtilissimum, &c. Hipp. sic loqui de vomitu, qui fit in acutis, non de alio, omnibus puto esse compertum. In his certū est, vt sæpe dixi, bilem abundare, nec vllum vomitum acutorum posse esse à sola pituita. Cum igitur ita sit, atque bilis euomatur, vel sola vel mixta aliis humoribus, iure Hippocrates dicit, vtilissimum esse vomere bilem mixtam pituita, quoniam sinceræ vomitiones deteriores. Quare videndum, cur sinceræ deteriores, & cur potissimum vtiles sint, quæ miscentur pituita, non aliis. Gal. dicit; vomitus sinceros si à bile sint multum incendium indicare, quod affet, & incrasset, bilemq; vitellinam vocatam faciat. Si vero ab alio humore, indicare ingētem frigiditatem, quæ omnia sunt mala. Sin autem misceatur aquoso humori eum bilem diluisse, & fieri pallidā. Verum præter hanc causam à Galeno allatam, est etiam alia, quia sinceri humores valde perniciosi sunt, vt causa præsertim vero, qui acutam febrem faciunt, quiue calidi, & acres existentes, non modo dysenterias, verum etiam phrenitidas, aliaq; ingentia mala producere consueuerunt; & Galenus 2. in 1. epid. 54. dicit, Phreniticis accidere solere vomitus virulentos, & eos paulo post mori. Iam vero cur potissimum vtilis sit, vbi pituita miscetur, est, quia commoditatem affert sine vllo detrimento.: Est enim commodus huiusmodi vomitus, quia humor perniciosus euacuatur per viam breuiorem; quo euacuato morbi vis dubio procul valde frangitur, & æger

Cur homo & canis præ ceteris animalibus vomant.

Vomitus creber non valde commodus.

Vomitus qui quando prosit.

& æger leuatur. Non est etiã damnosus, quia bilis feruor, & acrimonia pituitæ mixtione ita temperantur, atque mitigantur, vt in exitu nullam læsionẽ afferre queat, præterquam quod alia bilis, nigra scilicet, suapte natura cum perniciosa bili misceatur, auget potius quam imminuat illius prauitatem, cuius contrarium contingit de pituita, quæ post sanguinem blandissimus omnium est humorum, quæue si quapiam de causa frigidior, & crassior euadat à bile attenuatur, & calefit, ita vt omnem lædendi potentiam, & ipsa ex hac mixtione amittat. Nec valet quod Hippocrat. 3. de acutis 39. dicat, quod aceto bilis φλεγμαλέσῃ quasi, & melancholia, quæ acida est, debeat similiter pituitescere, quoniam aliud est de aceto, & aliud de melancholia. Modo videamus verba.

ἔμετος ὁ φλέγματος καὶ χολῆς.

Vomitus.

ID est, ἔμετος dicitur excretio humorum, aut ibi genitorum, aut aliunde missorum, è ventriculi concussione per os facta, ad differentiam nauseæ, & singultus, quibus nulla fit excretio, sed appetitus & nixtus excernendi. Licet enim hic motus fiat à natura, non est tamen κατὰ φύσιν. Et dicit Stephanus, quia fit ab ipsa coacta, non sponte operante: sicq; Hippoc. vocat aliquos vomitus spontaneos sic eos vocat, qui nulla arte fiunt: Et quamquam Hippocr. 5. aph. 13. in Coac. in Prorrhet. & alibi vsurpet vomitum etiam in reiectatione sanguinis ab ore, haud tamen propriè loquitur, sed vocat communiter vomitum cuiuslibet materiæ per os, excretionem. *Vomitus quid.* *Vomitus qui spontanei.*

Dicit (Mixtus maxime.) Nam si mixtio fiat superficietenus, non vtilis est, quia vterq; humor parum est refractus, ita vt quisque secundum sui facultatem agat, & propterea lædat: Contra autem accidit, si maxima fiat mixtio, adeo vt minimum vnius humoris minimo alterius misceatur, sic enim vterque refrangitur, ac mitigatur, neque vllum, aut certe exiguum læsionis periculum imminet. Quod si Hippocr. alibi videtur varias excretionum omnium mixtiones improbasse, non de exactis mixtionibus loquebatur, sed de iis, in quibus varii quidem humores simul excernuntur, sed vel separati, vel tantum superficietenus commixti.

Καὶ μὴ παχὺς κάρτα.

Neque crassus valde.

SEcunda conditio vomitus vtilissimi est, vt non sit valde crassus, sed mediocriter. Nam qui subtilis & tenuis est humor, effugit motum naturæ, nec propterea feliciter educitur. Similiter multum crassus, qualis solet esse bilis vitellina, vel à pituita vitrea, difficiliter educitur, & laborem parit; contra autem si medius sit inter valde crassum, & tenuem, de quo loquens Hippocrates primo aphorism. 2. dicebat, in purgationibus alui, & vomitibus, qui sponte fiunt, si talia purgentur, &c.

Μήδε πολύς.

Multus.

TErtia conditio, vt non sit multus: Sed dicetis, nonne multus maiorem educit prauorum humorum copiam, ac propterea debet melior censeri? Respondetur Hippocratem hic de vomitu potius vt causa, quam vt de signo loquitur. Vnde dicit vtilissimum esse, & in Coacis addit ἀλυσιτελὴς, hoc est, vtilitatis, & commodi maximi nulliusque molestiæ productiuum. Certe multus vomitus cum copiosam excernit materiam valde mixtam, nec valde crassam, negari nequit, quin magnam vtilitatem afferat, ita vt sæpe eo solo aut finiantur morbi, quemadmodum in crisi, aut quam maxime leniantur etiam in symptomatica euacuatione.

Ooo Ime

Imo Galen.6.cap.lib.de diff.sympt.videtur hunc vomitum solum quodammodo vocare naturalem. Verum si non sit multus præter minorem molestiam, indicat esse minorem copiam. In pestilente febre, vt ait Razes, & Paulus, licet sint vomitus, & nauseæ, parum tamen quid vomitur: Sique multum vomitur seruantur, vt apud Hippocratem primo & tertio Epid. Epicratis vxor, Cleonactis, Chetion, Eropytus, & Nicodemus Aderitanus.

Οἱ γὰρ ἀκρητέστεροι

Sinceri.

HÆc particula in Coac. separata ab antecedentibus habetur, sed melius coniungitur, quandoquidem est veluti probano quædam superioris sententiæ, tanq̃ Hippo. dicat, propterea mixtum vomitum esse vtilissimum, quoniam sinceri sunt deteriores per regulam contrariorum. Iam vero sinceri dicuntur humores, non modo qui ab omni alio humore sunt separati, verum etiam, qui absq; proprio ichore sunt. Etenim quoslibet humores habere proprios ichores & Plato, & Gale. docuerunt. Quod aũt huiusmodi sint deteriores præsertim in acutis, quam mixti, clarum est, quia vis bilis à nullo frangitur: & cum sit potens, atq; maligna, plane ingentia detrimenta affert, præterquam quod bilis intestina pura ingens indicat incendium: si quo omnis pars seto est consumpta, solumq; crassa remansit.

εἰδὲ εἴη τὸ ἐμέμενον.

Si vero id quod.

Quæ praui vomitus species sint.

POstquam Hippoc. quis vomitus sit vtilissimus, & minime molestus abunde docuit, modo eius varias differentias docet, scilicet qui nec vtilis, ne sine molestia est. Inter quas differentias cum sint varii gradus, scilicet malus, peior, pessimus, sigillatim & ordinatim, vt solet vnumquemque gradum proponit, inchoans ab eo, qui cæteris minus malus videtur. Itaque dicit, prauum vomitum esse eum, quo educuntur porracea, aut liuida, aut nigra separatim, atque hæc prima est differentia seu primus gradus praui, & inutilis vomitus. Circa quam primum versandum est, deinde sigillatim circa alias duas versabor.

Πρασοειδὲς.

Si porracea, &c.

Bilis genera & species quæ.

BIlis varia sunt genera, quæ etiam secundum varios colores dignoscuntur. Prior est naturalis, quæ vt ait Galen. 2. de potentiis naturalib. generatur in iocinore, & est veluti spuma supereminens in ipsius sanguinis fabrica, quæ aut permiscetur pituitæ, & fit ὠχρὰ bilis; aut humoribus ventriculi crudis nõ putrescentibus, & fit porracea, aut iisdem putrescentibus, & fit æruginosa, ab Auerrh. in Collect. vocata lesraria, & valde damnata. De qua præclare Galen.1. in 1. Prorrhetic. 10. aut nulli humori miscetur, sed ab igneo calore tantum vario modo afficitur. Si enim tãtum incrassetur ita vt solus ichor ipsius consumatur, fit bilis vitellina. Si adhuc magis comburatur, fit bilis atra; quæ prout magis vel minus vritur, sic modo liuidum modo nigrum induit colorem.

Itaque cum hæ sint causæ talium humorum, iure merito dicit Hipp. vbi vomitur aliquis ex his, malum esse. Nam est malum signũ propter tres rationes. Vna est, quia indicat, vt ait Galenus magnum in corpore incendium, & humoris tetram intemperiem, ac proprietatem. Altera est, quia signum est ventriculum male valere, postquam prompte recipit prauos humores aliunde ad se amandatos.

Etsi enim Hipocrat. quoque ipsum mari assimilauit, quasi instar illius toti

corpori humores communicet, atque ab illo recipiat; tamen multo melius est in quouis morbo eum bene valere, qui cunctis membris alimentum suppeditat, & quo infirmo, vt ait Serenus cuncta membra franguntur. Tertia ratio est, quoniam significat abundare in toto prauos humores, postquam ipsorum pars etiam ad stomachum restagnat. Imo prædicit etiam fore vt os ventriculi lædatur, sicque cardiogmi, lipothymiæ, aliaque praua symptomata sequantur. Sed dubium est de porracea, quoniam Hippocrates 6. Epidem. sect. 5. & eodem lib. sect. 6. tex. 3. scribit linguas virides fieri à bile, & bilem à pingui. Vnde non videtur porraceam bilem; quæ ad æmulationem foliorum viridium porri sic appellata est, fieri ex mixtione crudorum, & bilis putrefacturum.

Præterea Aristot. quarto, de part. animal. cap. secundo, vbi multa habet scitu digna de bile scribit, bilem generari vbique: cuius contrarium habet Galenus libro de atra bile, & secundo de temper. ac de fact. natural. qui negat fieri in stomacho. Imo Auerrh. 3. collect. cap. 3. videtur eam secutus sententiam, vbi scribit bilem præternaturalem eodem in loco generari, vbi naturalis: quæ cum in iecinore gignatur, ibi quoque eam fieri, est rationi consentaneum.

Bilis præternaturalis vbinam gignatur.

Circa hæc Auerrh. loco citato scribit. Porraceam, & æruginosam bilem, haudquaquam esse veram bilem, sed æquiuoce sic esse vocatas, quoniam fiunt ex vera bile aliis humoribus, & præsertim melancholicis mixta, qui simul putrescentes eam prauam naturam, ac proprietatem retinent.

Verum aliter videtur sensisse Galenus. Itaque dicit bilem porraceam & æruginosam, posse fieri dupliciter, & ex maiori adustione bilis flauæ, & vitellinæ, necnon ex promixtione aliorum simul putrium. Si primo modo, non fit in stomacho, sed secundo modo, atq; sic locutus est Hippocrates, vbi dixit, bilem quod facit virides linguas, id est, porraceam fieri à pingui, siquidem cibi pingues corrupti, & in nidorem conuersi suntilli, qui flauæ bili mixti, vel vitellinæ, & aliquam putrefactionem adepti faciunt huiusmodi bilem porraceam, vel æruginosam.

Etenim videmus pictores, dum colorem viridem componunt, accipere ochram, vel auripigmentum, quod flauum est, atque ex illo aqua, & oui albumine simul mixtis facere viridem colorem. Haud secus etiam contingit in ventriculo, vt scilicet pituita, vel humores crudi, & atri flauæ bili commixti, simulque quodammodo putrescentes colorem viridem, & porraceum producant.

Pictoriũ ars, in pigmento viridi faciendo.

Ἄν ἦ ἰσατίων τῶν χρωμάτων.

Quicunq; horum humorum.

Sententia est Hippocratis quicunque humor euomatur siue viridis, siue liuidus, siue niger malum esse. Quod autem ita sit, manifestum est, quia cum bilis porracea, & isatodis, siue glastodis ab Arabibus vocata, siue æruginosa, & colorem liuidum æmulans, necnon nigra fiunt ob calorem præternaturalem ingentem, qui vel putrefacit, vel comburit, vtrumque malum est in acutis.

Et notate iure Hippocratem posuisse ordinate hos vomitus, scilicet primo loco porraceum, secundo liuidum, tertio nigrum, quoniam ita quoque sese habent ii in prauitate, vt scilicet à magno calore crudos succos putrefaciente fiat porraceus, à maiori liuidus, siue isatodis, siue æruginosus, à maximo autem niger. Vnde minus probandus est, hac in re Auicenna, qui libro primo cap. de humoribus, videtur existimasse bilem flauam, & vitellinam esse calidiores porracea, & atra. Quamquam bilis atra naturalis, non autem per exustionem, vere frigida sit, ita vt Aristoteles etiam in libro de somno & vigilia dixerit, partes quas attingit, refrigerare, & coctiones impedire.

Sed dicet aliquis: non videri deteriorem bilem atram ex adustione, æruginosa, quoniam Auerrh. 3. collect. cap. 3. loquens de bile æruginosa scribit huiusmodi humores assimilari veneno, ac propterea ægritudines, quæ fiunt ab iis, fieri incurabiles,

biles, quoniam non recipiunt digestionem, nec permutantur à calore naturali, imo corrumpunt formam specificam ipsius, sicut corrumpit venenum. Et Hippocr. 3. epid. sect. 2. hist. 1. narrat est Philistea, vbi euomuit æruginosa statim esse factum valde insanum. Dicendum Auerrh. loqui de ea, quæ fit ex mixtione bilis, & melancholiæ simul à calore præternaturali corruptarum, quæ quoque inter species nigræ bilis potest recenseri. Quamquam etiam quicquid dicat Auerrh. bilis puta nigra vbi comburitur, & putrescit exitiosissima est, & incurabiles morbos facit, vt videmus in cancro. Sed dubitatur, an etiam fiat liuidus color extinctione caloris natiui, vt Galen. quoniam in febre acuta in tres vix videtur posse esse tanta frigiditas, quæ faciat liquorem. Respondendum fieri frigiditatem, quæ sequitur vstionem exstinguentem calorem, non autem ex frigiditate positiua.

εἰ δὲ καὶ πάντα τὰ χρώματα.

Si vero omnes.

HIc est est secundus gradus illius vomitus deficientis ab vtili, & deterior priori: Etenim, si singuli prædicti vomitus per se praui sunt, manifestum est, quod simul omnes, vel saltem plures erunt deteriores: Nec valet, quod aqua tepida calidæ admixta remittat calidiorem, quoniam secus est vbi feruens feruenti miscetur. Nam tepida habet secum frigiditatis gradus, qui retundunt calorem feruentis, quos non habet ipsa feruens. Sic contingit in his humoribus. Etenim nullus ex his tepotem habet, aut vllum frigiditatis gradum, qui retundat, sed omnes feruorem habent, licet vnus maiorem & alter minorem. Ad hæc varietas illa non modo indicat varios incrementi caloris præternaturalis gradus, verum etiam variæ materię variam prauitatem, quę tanto minus superari potest, quanto plures locos, à quibus fit, esse affectos indicat, vel vt ait Galen. diuersas dispositiones. Atque hoc est, quod dicit Hippoc. 4. aph. 21. quanto plures colores fuerint, eo est peius.

Τάχιστα γὰρ θάνατον.

Celerrimam.

HIppocrates vt dicebam, solet semper à minus deterioribus ad deteriores progredi. Et iccirco nunc tertium gradum prauitatis ponit, quem dicit omnium antecedentium esse θανατωδέστερον, id est, exitialissimum scilicet, si id quod liuidum euomitur, simul etiam graueolens fit. Nam liuorem indicare bilem ærugineam dicimus, quæ vbi putrefit insignitur, non modo fœtorem contrahit, vt omnia quæ insigniter putrescunt, verumetiam vt dicebat Auerrh. veneni naturam contrahit, quo fit vt iute dixerit Hippoc. esse θανατωδέστερον. Sed dicet aliquis, si niger quoque putrescat, & fœteat, nonne exitialissimus est?

Respondeo verum id esse, quod etiam niger summe putrescens, & fœtidus, sit maxime lethalis, vt cancri ostēdunt exulcerati, quorum fœtor est quoque intolerabilis. Veruntamen Hippocrat. potius æruginosum commemorare voluit, quoniam frequentius hic apparet, quam niger fœtidus, siquidem tanta est ipsius prauitas, quod vbi intus retinetur, nec foras vel in cutē mittitur, statim interimat, priusquam ad stomachum pulsus per vomitum reiiciatur. Similiter non nominauit porraceum fœtidum, quoniam hic cum ex miscella bilis, & crudi humoris atque herbacei, vt betarum, ceparum, porrorum efficiatur: aut ob exustionem, vel in ventriculo, vel in venis, vnde postmodum in stomachum fertur paruam putredinem concipit, adeo vt etiam fœtorem, vel nullum, vel exiguum admodum, atque insensibilem contrahat.

Nam vt etiam ait Stephan. quæ male olent, maximam putredinem significant. Possumus etiam dicere Hippoc. non nominasse nigrum humorem, quia non semper fit ex melancholia adusta, sed interdum ex naturali, quo valde deterior est æruginosus,

ruginosus, semper factus est adustione bilis, aut porraceæ, aut flauæ, aut vitellinæ, quam propterea dicit lethalissimam, quia non solum mortem, sed acerbam, & citam mortem indicat.

Πάσαι δὲ ὑπόσαπροι.

Omnes quidem subputres.

Dixerat Hippocr. fœtidum vomitum æruginosum esse exitialissimum. Et quia poterat quispiam dubitare, an alii vomitus fœtentes mali sint. Ideo quasi huic dubitationi respondens Hippocr. inquit, non modo alios humores vomitu reiectos, si valde fœteant, esse malos: verum etiam si modice putreant, & fœteant; quoniam quod in ventriculo, qui est focus coctionis, fiat putredo, signum est malum, quia significat ibi esse calorem putredinalem. Est etiam mala causa, quoniam corruptus cibus vel protinus reiiciatur, vnde corpus alimento frustratur vel in iecur, & venas raptus, & succos bonos, & viscera naturalia contaminat. Sequitur vt de sputo agamus.

Πτύελον χρὴ ἐπὶ πᾶσι.

Sputum autem oportet.

Pergit Hippocr. de signis ab excrementis mutatis tractare; & post vomitum tractat de sputo, quoniam cum vtraque hæc excrementa ore mittantur, similia, & quodammodo congenea videntur: imo vt ante docui reperitur. Hippoc. etiam non raro expuitionem ipsam vocasse communiter vomitum, vt primo de morbis, sanguinis reiectationem per sputum vocat vomitum, sic etiam in Coac. prænotionibus, & Galen. 5. aphor. 13. & 7. aphor. 37. & 80. Cuius sputi cum plures differentias sit docturus ab eo inchoat, quod cæteris melius secundum morem sibi propositum. Deinde plura docet de iis, quæ deficiunt à bonitate.

Prima autem pars in plures particulas diuiditur: in vna boni conditiones à tempore capit, in altera vero à modo exeundi. Etenim vt optime Stephanus docet, quinque sunt, à quibus sputi differentiæ capiuntur, tempus, modus, coloris temperamentum, consistentia, figura. Sed dubitatur statim, quare ab hisce duabus conditionibus inchoat boni sputi differentiam, & quare loquens de sputo nominatim exprimit morbum pulmonum, & lateralem.

Ad quod dicendum, nullum sputum esse optimum, nec sanorum sputum posse, vt in aliis esse metrum, & mensuram aliorum: Siquidem corpora sana vere nihil expuunt, & vere multi homines reperiuntur, qui nil expuunt, etiamsi perfecta illa sanitate handquaquam fruantur.

Imo narrat Xenophon, in primo de pædia Cyri, apud Persas ignominiosum fuisse expuere, quod id signum esset tum crapulæ nimiæ, tum otii. Meminit vero pulmonis, & laterum morbi, quoniam hi affectus acuti sunt, de quibus hoc in loco. Imo cum Hippocrates in libro de ration. vict. loqueretur, semper in exemplum hæc duo genera affectuum accepit. *Apud Persas expuere ignominiosū.*

Ad hæc potissimum indicia, & iudicia in his morbis à sputo capiuntur, siquidem vterque affectus est tumor inflammatorius pleuritis pleuræ à sanguine bilioso, & peripneumonia pulmonis à sanguine piruitoso. Quomodo autem hoc fiat, cum secus debetet esse, monstrat optime Stephan. dicens, quod etsi à sanguine bilioso nutriatur pulmo, bilis tamen elabitur illius anfractibus, nec colligi potest in tumorem, sicut colligitur pituita, quæ partim à capite, partim à vicinis partibus eo mittitur, vel in ipso ob alimenti incoctionem gignitur; sic etiam pituita ad membranam penetrante nō potest ob crassitiem, vt facit bilis, quæ à vicinis partib. ad eam mittitur, vel in ipsa gignitur. Etenim vbique generati bilem posse putant medici quicquid dixerint Aristoteles & Auerrh. quasi vero Hippocrat. non sim-

 plicites

pliciter de bono sputo loquatur, quod nuspiã est, sed duntaxat de eo quod in morbis propriis bonum habetur. Dicit itaque oportere sputum, &c. Hæc enim phrasis est admodum familiaris Hippocrati, vt cum aliquod bonum non simpliciter, sed secundum quid proponere vult, dicat oportere tale esse, ita enim audiuistis ipsum esse locutum in retro enarratis sæpenumero. Iam vero videndum est, quid sit sputum, quomodo excernatur, & quid sit ταχέως, καὶ εὐπετέως, hoc est, cito & faciliter excerni, Sputum vt inuenio apud Scriptores duo generaliter significat materiam, quamque ex ore siue tussi deductam, & humorẽ ex ore per tussim deductum:

Sputũ quid & vnde fiat.

primum, vel fit à materia descendente à capite, aut ab humiditate oris ventriculi, de quo Galen. 1. Prorrh. 12. & dicitur πτύσμα, à nonnullis, quamquam vt optime dicit Stephan. apud Hippocratem, idem sit πτύελον καὶ πτύσμα; vel fit ab humiditate genita in ipsis faucibus ad eas irrigandas, ne exiccetur à natura excogitata, & hæc propriè à Latinis sputum, & saliua nuncupatur, qua veteres, vt narrat Plinius superstitiose nimis ad morbos curandos, aliaque magica opera vterentur, & nonnulli copiosissime hoc sputo abundant, ita vt Antimachus Poeta melius sit appellatus psecas, quod eo sputo eos quib. cum loqueretur, instar paruæ pluuiæ perfunderet. Sed de hoc sputo minime loquitur Hippocrates, verum de eo, quod per tussim reiicitur, & ἀνακάθαρσιν, sæpe ab Hippocrate vocari scribit Galen. 5. aphor. 8. quodq; duplex est, vel purum, vel permixtum cruori, aut alteri alicui humori. Hoc autem sputum reiicitur per motum thoracis factum ope facultatis motricis à cerebro per neruos eius musculis communicatæ.

Vbi enim copia, vel qualitate ipsius materiæ læduntur pulmones, facultas expultrix excitata, quasi imaginatrix, & motrix inuitatæ simul surgunt ad eam expellendam per bronchia, & asperam arteriam.

Atque hoc totum est illud expuitionis opus, de quo nunc loquitur Hippocrates. Quod opus aut cito, vel tardo, aut faciliter, vel difficulter fieri potest. Dicitur enim, vt recte notat Galen. fieri cito sputum in morbis acutis; vt pleuritide, peripneumonia, id est, in principio ipsorum non in breui tempore ipsam actionem mensurante, vt colligitur ex Hippocrate 2. aphorism. 12. vbi scribit: in pleuriticis si sputum appareat incipiente morbo breuem facit, si vero post, producit. Dicitur vero fieri, εὐπετέως, siue ῥαδίως, scilicet faciliter, quando celeriter, & absque vllo dolore fit. Nam dolor retardat actionem ipsius thoracis, cuius facultas ne dolorem percipiat etiam in medio ipsius actionis ab opere cessat.

Ad tussim quæ concurrant.

Porro vt hæc facilitas, vel difficultas, vnde oriatur, à vobis exacte intelligatur, id scire debetis, quod præclare admodum proponit Galen. nempe ad expuitionem, quæ fit per tussim concurrere duo potissimum vim motricem thoracis, & ipsius materiæ expellendæ conditiones. Vis potest esse vel robusta, vel infirma, & materia vel est viscida, & crassa valde, vel tenuis, & aquosa vel moderate crassa. Si vis sit imbecilla, & materia viscida, & crassa valde aut tenuis, & aquosa expuitur omnino difficiliter, quoniam illa tenaciter anfractibus pulmonis adhærens, haud potest euelli: hæc vero diffugiens per pulmones, elabitur. Sin autem sit vis robusta, & materia qualis dicta est, aut econtra, fit quidem aliquantisper difficilis expuitio, sed non vt in superiore.

Quæ facilius, quæ contra expectorentur.

Aut si vis valida sit, atque mediocriter crassa, tunc admodum faciliter expuitur. Itaque recte dicit Hippocrates oportere in morbis acutis thoracis sputum fieri initio, & faciliter, quoniam cum huiusmodi morbi fiant à materia, tolli nequeũt nisi illa tollatur.

Non tollitur autem recte, & salubriter, nisi faciliter, & in principio. Etenim ea est optima curatio, quæ fit tuto, cito, & iucunde. Itaque vbi sputum initio appareat, & faciliter, non solum iucundam esse curationem monstrat, verum etiam breuem morbum necessario futurum.

Si namque coctio monstrat iudicii celeritatem, & securitatem, vt dixit Hippocrates

crates 2. Epidem. facilitas expuitionis monstrat coctionem, quia vt diximus, fit quando vis motrix valida est, & sputum mediocriter crassum. Crassities autem mediocris est opus ipsius coctionis, vt Auicen. 1. 4. cap. de curat. putrid. in vniuersali: quod enim impulsu est euacuandum difficiliter impellitur, si vel nil resistat, vt festuca, & tenuis liquor; vel nimis crassum, & adhærens sit, vnde vt possit impelli natura ad mediocritatem reducit.

Cæterum dubitatio oritur, quomodo possit initio sputum coctum apparere, siquidem principium vt sæpissime dixit Galen. metitur ex ipsius materiæ cruditate. Dicendum loqui non de principio pro primo insultu, sed pro primis tribus diebus. Sic enim & lib. 3. de morb. & in Coacis prænot. dicebat Hippocrat. in pleuriticis si tertia die sputum appareat, fore morbum breuem, vnde pro particula ταχέως vtaliqui recte interpretantur, intelligendum est vsque ad quartum diem. Et notandum est, Hippocratem supponere sputum debere apparere cum dicat oportere esse facile, & cito, quoniam vt in Coac. prænot. siccæ pleuritides, atque sputi expertes grauissimæ sunt. Quod autem hic dicat dolores circa pectus, & latus; in Coacis vero, vbi hæc eadem sententia habetur, dicat in pleuritide, & peripneumonia fere idem est, siquidem in acutis vbi dolor est in vna, vel altera ex prædictis partibus vix fieri potest, quin simul adsit inflammatio, cum adsit acuta febris.

ξυμμεμιγμένον τι φαίνεσθαι.

Et permixtum.

HÆc est tertia cōditio sputi capta à colore, scilicet, vt illud habeat flauum, fortiter ἰσχυρῶς mixtum sputo. Et notandum dixisse in genere neutro flauum, quia nō solum voluit denotare ipsum colorem, sed rem coloratam, hoc est, humorem flauum. Etenim Hippocr. fuit primus in 1. de nat. hum. qui sic appellauit elementorum corpora, scilicet calidum, frigidum, &c. quem deinde secutus est Arist. 2. de part. animal. Sed dubitabit aliquis, cur Hippocrates dicat solum debere apparere sputum flauum. Nam loquitur de peripneumonia, & pleuritide: Et quamquam pleuritis fiat à sanguine bilioso, peripneumonia tamen fit à pituitoso. Dicendum non meminisse Hippocratem coloris pituitæ, quia non est differens à colore sputi, & quamquam inflammatio costæ fiat potissimum à sanguine bilioso, vt pulmonis à pituitoso, attamen non inconuenit in pleuritide, etiam aliquid pituitæ misceri, sicut in peripneumonia aliquid bilis; quæ cum flaua, & atra sit, melius est vt flaua misceatur valde ipsi sputo, quia sic facta mixtione cōsummata omnis mordacitas, & acrimonia ipsi bili adimitur.

Quare sputum flauum pituitæ maxime commixtum in pleuritide, & peripneumonia erit bonum, vt signum, & vt caussa. Vt signum, quia significat euacuari materiam, quæ debet euacuari, & eam coctam, ac castigatam. Vt causa, quoniam materia huiusmodi educta, & dolorem lenit, & anhelitus difficultatem mitigat. Et aduertendum Hippocratem hic non loqui de optimo acute laborantium sputo, quod debet esse album, leue, & æquale, sed de bono tantum respectiue, scilicet in pleuritide, & peripneumonia.

Nam si purum sputum appareat, nil boni significat, quia non euacuatur morbifica materia. Sin autem humor sincerus vel biliosus, aut quispiam alter malum est, quoniam significat copiosum, & crudum esse humorem peccantem.

Itaque opus est, vt sit permixtum non quidem superficialiter, sed valde.

εἰ γὰρ πολλῷ ὕστερον.

Si autem multo post principium.

MOre suo Hippocr. vtili sputo proposito per contrarias conditiones scilicet à tempore, & à colore, seu temperatura coloris acceptas, docet nō bonum sputum. Sicut enim dicebat oportere sputum cito, id est, circa principium apparere faciliter, & valde permixtum flauo, ita nunc dicit malum sputum esse quod longe à principio morbi fit, nec faciliter, sed cū tussi multa, nec valde permixtū sed ruffum vel flauum. Cuncta enim quæ sincera, & impermixta euacuantur mala sunt, & vbi opus est multa tussi, signum est materiam esse viscidam crassam, crudam, ac minime sequacem, quemadmodum etiam vbi sputum tarde apparet, ac longe à principio morbum futurum longum significat?

Cur autem impermixti succi præsertim bilis flaua, & melancholia per sputum educti sint mali, docet Stephan. scilicet, quia bilis flaua cum non sit castigata, mordet, & exulcerat partes, per quas fertur. Melancholia vero cum sit succus terrestris, significat morbum longum futurum, cui ne facultas sufficere possit imminet periculum: contra autem sanguis & pituita, cum sint humores blandi, si exeant soli, nil mali faciunt, vt ob id Galen. 3. in 6. epidem. vlt. dixerit pleuritidem, aliosq; morbos sanguineos esse mitissimos. Si vero misceantur flauæ bili, aut alteri humori acri, atque mordaci, ipsius vim mordentem placant, & obtundunt, ita vt minime noceāt. Iure igitur dicit Hippocr. malum esse sputum flatum, aut ruffum impermixtum nempe quod tale fiat à flaua, & ruffa bile, quæ calida, acris, & mordax est.

Τότε γὰρ ξανθὸν ἄκρητον ἐόν.

Nam flauum sincerum.

Flauum sputum vnde. PErgit Hippoc. tractare differentias praui sputi, & sicut in antecedente capiebat à tempore, & à mixtione, ita nunc capit à colore, dicens, &c. Quod enim flauum sit non aliunde habet, quam ex mixtione bilis, sicut quod album, & viscidum, & rotundum à pituita excocta. Etenim sicut vbi succi crassi, & crudi coquuntur albidiores fiunt, & viscidi, ac concreti, adeo vt quodammodo rotundi euadant. Sic etiam contingit pituitæ intra corpus. Sed dignum est consideratione quare Hipp. loquēs de flauo sputo impermixto, dicit ipsum esse, κινδυνῶδες, id est, periculosum: de albo vero dicit esse ἀλυσιτελές.

Respondendum est non sine ratione hoc dixisse, quia cum exerementa sequātur naturam succorum, ex quibus fiunt, vel cum quibus miscentur, sicut illi sunt praui, aut boni, pariter sint excrementa necesse est. Iam vero inter humores omnibus benignitate antecedit sanguis, atq; pituita, prauitate vero vtraq; bilis, imo vero cuncta bilis genera: Dixit autem Hippoc. de flauo esse periculosum propterea, quod fiat à bili flaua cum febre acuta, quæ, & ratione humoris, & ratione magnitudinis, & continuitatis semper est periculosa, vt dicit Hipp. 2. aph. Febres non intermittentes, &c. De albo autem non dicit esse periculosum, quia non admodum fit in valde acuto morbo: etsi fiat quantum sit ex se, nullam vtilitatem adfert pro faciēdo iudicio, neq; etiā periculosum est. Sed dicet aliquis quomodo ergo Hipp. 6. epid. com. 3. inquit sputa rotunda indicare delirium? quem locum exponens Gal. inquit sputi rotundi materialem causam esse humorem crassam. Efficientem vero immensum æstum? Cui respondendum est, Hipp. ibi loqui de sputo rotundo nulla

Pituita omnium humorum prauitatem mitigat. addita alia coloris differentia. Hic vero sermonem habere de sputo quidem rotūdo, sed quod simul album, & viscidum sit, quodq; haud immensum vllum feruorem albedinis ratione demonstrare potest, imo vt recte dicit Stephan. bonum est semper aliis succis misceri pituitam; nempe quæ sua blanda humiditate feruidorum, & acrium humorum prauitatem corrigit. Sed dicet iterum aliquis, quo pacto possunt rotunda sputa esse, & pessima, vt Hippocr. loco citato, & inutilia tantum.

Cui

Cui respondendum sputa fieri dupliciter rotunda. Vno modo fit, quando in thorace materia veluti assata vi tussis huc, atque illuc impulsa veluti frangitur, sicq; in minutas partes concisa rotundam figuram adipiscitur; vel fit quando phlegma à calore non ita magno veluti frangitur, atq; huc & illuc motus acquirit ex vario illo appulsu rotunditatem, absque quo frangatur: Et sicuti prior, quæ à maiore calore fit deterior est, ac ob feruorem pectoris indicat cerebrum quoque lædi ab inferno incendio; ita, & hæc posterior à minore calore facta non est bona, sed tamen alia minus praua.

Atq; si sic intelligatur Hippocr. haudquaquam habebunt occasionem aliqui Hippocratem quasi reprehendendi, quod nimis remisse dixerit ἀλυσιτελὲς, quasi omne sputum rotundum sit pessimum. Et quoniam posset aliquis optare modum intelligere, quo fit ex fractura sputi rotunditas, adeundus est Arist. liber quæst. mechanicarum, vbi docens, quomodo κρόκαι vocatæ in littoribus maris fiant rotundę, inquit esse, quoniam dum à medio maris ad littora impetu celeriter feruntur, inter sese secundum extrema assiduo collisæ, & confractæ rotundam formam acquirunt, quæ necessario surgit, vbi anguli omnes circumquaq; franguntur, atq; etiam simili ratione possumus dicere, saxa illa parua, quæ à motibus per flumina præcipitantur, figuram habere rotundam.

Κακὸν δὲ καὶ τὸ χλωρὸν ἐὸν.

Malum est & quod viride.

PErgit Hippocr. sputorum malas à colore ipsorum proponere differentias, atq; eas deteriores secundum ipsius morem, qui semper à minus prauis ad deteriores, atque pessimas progredi consueuit. Dicit enim, malum autem est, quod viride est valde, & spumosum. Quo in loco citatur Hippoc. voce sibi familiari χλωρὸν, quæ cum significet viride, & pallidum, fuerunt interpretes, qui eam vt est, posuerut græce: alii vero traduxerunt, viride, & pallidum, alii viride tantum: sed quemadmodum ait Galen. vtro modo accipiamus, malum est, quod signum sit immodici caloris bilem, eiusve serum comburentis. Præter enim sanguinem, quisuis alius humor sincerus exiens, valde malus est. Quod si non solum sincerus, verum etiam multum exustus, vt est valde viridis, aut pallidus, aut niger plane deterrimus. Verum dicet aliquis, nonne iam alias dictum est, quodlibet excrementum viride, aut pallidum esse deterrimum. Cur igitur nūc addat particulā κάρτα id est, valde, quasi vero simpliciter viride sputū haudquaquam sit malum? Aliqui dicunt hanc particulam valde esse coniungendam cum particula malum, tanquam dicat Hippocra. sputum viride esse valde malum: Ac Galen. & Srepha. velut sub nomine χλωρὸν κάρτα voluisse Hippocr. denotare bilem ærugineam: & potius quantum puto, vsus est hac voce, quam ἰώδη, vt simul complecteretur flauam bilem. Addit Hippoc.

Viride sputū malum.

Καὶ ἀφρῶδες.

Et spumosum.

AN vero particula (κάρτα) id est, valde, sit etiam huic addenda, vt s. dicat Hippo. valde spumosum, an vero simpliciter sit accipienda, Galen. minime diffiniuit. Ego autem puto esse coniungendam, quoniam quodlibet sputum spumosum minime malum est, sed id quod est valde tale. Nam si vt locupletissime docet Gale. fit qualibet spuma ex aere, seu spiritu crasso, ab humido viscido, & glutinoso comprehenso, atque elabi nitente, facile est videre spumam per se nihil aliud indicare, quā huiusmodi spiritum generari, vel à motu, vel à feruore pulmonum, vt in lebetibus feruentibus, atque simul humidum viscidum esse. Verum vbi quoque valde spumosum est, non modo ingentem agitationem, atque calorem indicat, verum etiam copiosum humidum viscidum, & pingue, quod aliunde nequit p-

Spuma vnde generet.

fisci

ficisci, quam in colliquationem partium carnosarum, ac pinguium ipsius thoracis. Quamquam vere etiam ego dubito, an in ægris aliis pręterquam epilepticis vnquã possit fieri tanta agitatio, vt faciat spumam, qualem videmus fieri ab equis valde anhelantibus. Summa autem sententiæ totius est, sputum valde viride, & spumosum malum, hoc est, valde malum esse, quoniam indicat vehementiam caloris, agitationem, & colliquationem in partibus ad pectus attinentibus.

εἰ δὲ εἴη οὕτως ἄκρητον.

Si vero ita sincerum.

Ordo succorum biliosorum. DIximus sæpe cum Galen. eum esse ordinem in succis biliosis, qui exeoquuntur, vt primum fiant virides, post liuidi seu æruginosi, demum fiant nigri, qui omnium deterrimi sunt, quoniam à maiore adustione facti fomitem quendam tetrum, & vrentem seruant, merito cuius exedunt quicquid tangunt, & pessima sorditie afficiunt. Et quamquam Galen. putauerit humores atros etiam fieri ob mortificationem à frigore inductam, tamen quicquid sit, haudquaquam de ea loquitur in præsenti Hippocr. Sed de ea, quæ grauior est prædictis: Nam duplici ratione *Omnia excrementa sincera mala.* sputum, de quo nunc loquitur Hippocrat. pessimum est existimandum, vna quod purum, & sincerum est. Iam enim omnia sincera excrementa esse mala, sæpius diximus; altera quod nigrum, idque ob ingentem adustionem, quæ vbique exitialis est, sed potissimum in pectoris regione.

Κακὸν δὲ καὶ ἢ μηδὲν ἀνακαθαίρηται.

Malum etiam si nihil expurgatur.

TRIA in sputi eductione mala considerantur: Vnum est, vt non exeat debito tempore: alterum, vt exeat prauum: tertium, vt nullo modo exeat. De primo in principio dixit, quod minus sit malum. Nam exire tardius sputum, modo cæteris nil peccet, solum iudicationis tarditatem significat. De alio, quod est deterius, quando s. peccat non modo in tempore, verum etiam in substantia, & qualitate hactenus locutus est. De tertio autem in præsenti sermonẽ habet, dum dicit, malũ etiam esse, si nihil expurgetur à pulmone, sed plenus is existens, veluti feruorem quendam in gutture pariat. Nam nihil expuere, quod in pectore nil sit expuendũ, non solum nihil mali significat: verum potius bonum est: Nihil etiam spuere quod materia benigna retineatur in pulmone & pectore, est quidem malum, sed non adeo exitiale: at non spuere, quod copiosa simul & praua feruidaq; materia cohibeatur, est omnium lethalissimum, à quo nemo seruatur & cito, ac misere strangulati intereunt ægrotantes. De hoc igitur iure postremo loco sermonem habere voluit, vt progrederetur, quemadmodum semper facit à malo ad peius, à peiori ad pessimum: sed dicetis, cur ergo Hippocr. non dicit, hoc pessimum sed tantummodo malum esse? Præterea quid est quod dicit Hippocr. quasi ænygmatice, plenum esse pulmonem, & in gutture feruere.

Ad primum respondemus Hippocratem hanc vocem κακὸν, solere duplici modo vsurpare: Vel enim in principio, vel post alia mala, vtitur. Si in principio vtatur semper significare malum simpliciter cuiusmodi innumera exempla habere potestis. Sin autem vtatur post alia praua, & exitialia, vel ipsi significat æque malum & exitiale eum prædictis, vel deterius, vt cum supra dixit malum etiam sputum viride, certum est illud esse peius antedictis. Sic item nunc dicit, malum esse si nihil expuatur, & tamen pulmo plenus ferueat in gutture. Etenim hoc omnibus aliis deterius, quanto melius est praua excrementa educi à præcipuis, quales sunt pulmones quam in iis retineri.

Ad secundum vero dicendum est, Hippocratem iis verbis nil aliud voluisse scribere, quam sonitum illum qui fit in faucibus ex materia in pulmonibus vel

aspera arteria retenta, quique frequentissime ab Hippocrate vocatur modo κέρχνος, modo κερχὸς, & fit, vbi spiritus ab humore viscido, & crasso retento cohibitus, ne exeat, cum eo colluctatur, atque in eo motu & colluctatione sonus is asper, & stridulus editur, qui veluti stertorem, & fragorem quendam æmulatur, vt ex Galeno in Exegesi, & tertio de diffic. respir. liquet. Hic etenim licet in tussi rebelli, nec non in difficultatibus anhelitus, vt asthmate & orthopnœa, quæ non adeo exitiales sunt affectiones, sępenumero fiat, quemadmodum etiam Pisistrato contigit in 7. Epid. vbi tamen fit in pleuritide vel peripneumonia, aliisq; acutis passionibus pleno existente pulmone, praua materia, non solum mortifera sunt, verum etiam citissime exitium afferunt, cum significent facultatem expultricem esse extreme imbecillem, materiamque morbidam & tetram in partibus spiritualibus copiose abundare, & quod omnem malitiam excedit, spiritus egressum & ingressum prohiberi, vt propter hoc qui morti propinqui sunt, & ex materia in pulmonibus retenta obeunt, similem strepitum habeant, quem vulgares appellant oregmonem. Et cum vident etiam ipsi omnem spem abiiciant, quamquam etiam interdum aliqui durent diutius, vt in septimo Epidemiorum narratur de vxore Polycratis, & de Posidonio, qui aliquanto diutius cum eo strepitu gutturis, sed non adeo graui vitam protraxerunt.

Κορύζας δὲ καὶ πταρμοὺς.
Coryzas & sternutamenta.

CVR Hippocrates interseruerit tractationem de sputo acutorum morborum pauca hæc, quædam verba de coryza & sternutatione, nemo satis explicuit. Imo Galenus miratur, cur Hippocrates tractans de coryza, meminerit potius sternutationis quam catarrhi seu defluxionis, quæ magis congenea est ipsi coryzæ, nempe, quæ est tenuis materiæ ad nares delapsus, cum catarrhus sit similis ad palatum defluxus. *Coryza & Catharrus quid sint.*

Et quo ad Hippocratis à Galeno defensionem, respondet Stephanus, eum sub nomine κορύζα fuisse complexum etiam catharrum, quemadmodum κορυζώδεις ἀπὸ κεφαλῆς vocat sexto Epidemiorum, comm. 3. textu decimo, illos, quibus catarrhus in fauces, atque asperam arteriam delabitur: De altero vero puto Hippocratem interseсuisse, quoniam vna cum morbis acutis solent interdum & hęc symptomata fieri, quæ siue cum iis initio fiant, siue postea, ipsis iam factis superueniant, semper mala sunt. Initio enim indicant ingentem copiam materiæ, quæ non modo partes spirituales, verum etiam ipsum cerebrum occupant. Posterius autem apparentia ostendunt facultatem naturalem pulmonum haud esse ita validam, vt possit consumere vapores, ne petant cerebrum, atque inde partim ad nares missi faciant sternutationes, partim ibi in humores tenues concreti, ac ad easdem nares missi faciant coryzam, seu vt vertit Celsus lib. 4. cap. 2. grauedinem: partim magis crassefacti & per palatum in faucem & arteriam missi faciant destinationem, sicq; affectus ipsius pectoris grauiores faciant, atq; periculū augeant. Atq; hoc illud totū quod in præsenti voluit Hippocrates docere, dicens granedines, & sternutationes in cunctis pulmonum morbis, siue antecedant, siue sequātur malum esse. Sed illud magis dubium est, quod addit Hippoc. in aliis morbis lethalissimis sternutationes prodesse. Nam cum pulmonum morbi, etiam sint lethalissimi, ita vt Hippocr. 1. de morbis dixerit necessario perire granidas, cum ab hac ægritudine capiuntur: quomodo potest in his sternutatio esse mala; & in aliis exitialissimis prodesse? Circa quod dubium eo maius mihi videtur, quoniam ab ipso Hippoc. in nullo alio affectu habemus explicatam, quod sternutatio sit, præterquam in singultu, quod etiam Plato in Conuiuio, & Aristot. in problem. atque in muliere vtero laborante, ac difficulter pariente, vt scriptum est 6. aphor. 13. & 5. aphor. 35. necnon 2. epidem. Atq; huiusmodi affectus haud lethalissimi, imo vero neq; lethales. Stephan. dicit, propter-

propterea in aliis febrilibus affectibus catharrum, coryzam, & sternutamentum esse bona, quoniam cum fiant in declinatione solum lethalium morborum significat naturam iam robustam ad expellendum excitari. Verum hoc non tollit dubium, quia Hippocr. non loquitur de declinatione morborum, sed de omni tempore, & loquitur de letalissimis, non simpliciter febrilibus. Itaque de coryza, & catharro id respondendum, quod Galen. 6. Epidem. comment. 2. tex. 42. vbi docens, quomodo laborantibus coryza non fiat lien grandis, & tumidus vt ait Hippocrat. dicit quod illis, quibus fiunt coryzæ, & catharri, non fiunt morbi à crassis, & melancholicis succis: & vbi vna pars grauiter laborat ad eam confluunt cuncta excrementa. De sternutamento autem sciendum est id, quod scribit Galen. 7. aphor. 51. nempe sternutamentum moueri ex capite cerebro excalfacto, aut perhumectato spatio in capite inani. Aerem enim intus contentum foras erumpere, strepitumque oriri, quia per angustum locum ipsi est exitus. Quem aph. Galen. interpretās multa præclara dicit, & inter alia sternutamentum fieri tum à causa externa vt penna, & acribus suffitibus, tum ab interna, atq; hanc interdum esse in ipso capite, interdū vero in pulmonibus, qui exæstuantes, calidosq;, & acres vapores in cerebrum mittentes, dum ii huc atq; illuc in cerebro mori ad nares tandem pertingunt, facultatem expultricem excitant, quæ repente illos per narium angustos meatus protrudens motum, & strepitum eiusmodi facit, quemadmodum etiam contingit, vbi in ipsomet capite à cerebro calefacto eleuantur similes vapores ex humido sibi inexistente. Etenim maximum esse consensum naribus cum pulmone docet Aristot. 1. probl. sect. 33. Itaq; hoc constituto iam apparet sternutamentum in vitiis pulmonū, vt & in pleuritide summo iure esse malum, tum vt signum, tum vt causam: Vt signū quia quando fit à pulmone, tunc signum est illum esse valde incensum, quippe qui vapores illos feruidos, & mordaces producat. Ad hæc concussione illa non modo latera, verum etiam ipsi pulmones pessime agitantur, & diuelluntur, vnde affectio mirum in modum augetur. Vnde nunquam probare potui Dioclem, qui apud Cœlium Aurelianum lib. 2. acut. passion. cap. 29. peripneumonia, & pleuritide curandis acria auxilia adhibebat naribus, & capiti, quæ vim sternutamentum ciendi habent.

Sternutationis modus.

Sternutationis causa.

Cæterum quomodo exitialissimis aliis dicat Hippoc. conferre sternntationes, vix possum intelligere, nisi ipsum esse locutum de apoplexia, cataphora, epilepsia, aliisq; similibus dicamus, in quibus sternutamentū est optimum signum, tum quia robustam esse facultatem expulsiuam indicatur, tum quia eam veluti exurgere, & propterea mali causam euacuari docet. Est etiam optima caussa, quoniam per crisin eiusmodi ingentem concussionem muccus, & humor excluditur, qui erat minera morbi. Verumtamen scire oportet sternutamentum multo magis tunc prodesse, quando iam aliqua est facta capitis euacuatio, vnde nec medici debent illud prouocare, priusquam euacuarint aliqua saltem ex parte ipsum cerebrū, alioquin periculū immineret, ne si plenum existens ita cōcutiatur, vt ventriculi ipsius mucco repleti subitaneum exitium afferant; quemadmodū relatum est, in quadā pestifera cōstitutione accidisse, in qua, sternuentes statim mortui concidebant, vt propter hoc, & publicæ processiones, quæ obseruantur hactenus factæ sint, & vsus inoluerit optimum omen precandi sternuentibus, quod etiam factitatum antiquitus reor, cum dixerit Arist. sternutamētum esse putatum augurale signum, & sacrum, Pliniusq; lib. 28. c. 2. dicat Tiberium tristissimum omninm hominum, voluisse sternuentem se ipsum salutari etiam in vehiculo, quasi vero vbi Imperatores veherentur vehiculo, nemini liceret alloqui. Sic etiam Auic. importunum sternutamentū facere vertigines docuit. Cæterum hoc loco dignum, est contemplatione, quomodo dixerimus singultum finiri sternumento, quod & à Crysimacho medico in Platonis conuiuio fuisse confirmatum habetur. Etenim si pro singultu accipiamus illum ventriculi conuulsorium motum, possumus quidem dicere ex illo concussu humorem ventriculo infixum & lædētem elidi. Verum non correspondet naturæ

Singultus quomodo finiatur sternutamento.

rei quoniã ventriculus in vomitu tantũ mouetur, & in singultu, in sternutamento nõ mouetur. Itaq; pro singultu eum motũ esse capiẽdum, qui si à pueris plorantib. & à Græcis Latinisq; Poetis singultus, & singultire, dicitur manifeste videtur Arist. docuisse prædicta probl. sect. 33. 1. & 5. & 17. dum scribit, ructum esse ventriculi passionem singultum vero pulmonis atq; coniunctissimi spiritus, & humoris, atq; magnam esse communionem pulmonib. cum cerebro, & naribus. Vbi cum etiam dicat sternutamentum pro numine fuisse solitum adorari, videtur significasse Socratem, quem scribit Rhodig. nescio quo authore sternutamẽtum habuisse pro Deo.

Αἵματι δὲ ξυμμεμιγμένον.

Sputum autem.

PAucis quibusdam de sternutatione & grauedine, quasi per parenthesin dictis, redit Hipp. ad finiendum sermonem de sputo, & quia simpliciter de sputo tam bono, quam malo locutus est, nunc sermonem de sanguineo instituit eo, q. in morbis pleuriticis, & pulmonatiis sæpe huiusmodi sputũ apparere soleat. Quoniã vero sputum eruentum interdum solet esse purum, interdum permixtum non loquitur de puro, quoniam vix fieri solet, & vbi fit non est morbus acutus quantum fit ex eo, vt testatur Gal. 6. epid. 3. vlt. & lib. de hum. sed mitis & salutaris. Igitur de mixto tantum verba facit, dicens sputum sanguine permixtum, &c. Quæ sententia breuior est in Coac. prænot. & magis vniuersalis; sed vt clare cõprehendatur, videndũ est, qua ratione dicat sputũ flauum permixtum sanguini si primis dieb. appareat bonũ esse & prodesse: sin aut serius, esse minus securum. Gal. quod pertinet ad sputi naturam, dicit iccirco bonum esse huiusmodi sputum in peripneumonia 1. & pleuritide, quoniam proximũ est sputo sinceto sanguinis, quasi vbi sincerus sanguis expuitur, sit tutum, & salutare, quemadmodum sæpius diximus ex eod. Gal. quomodo aũt fiat permixtio, vt sciatur, repetendum est memoria quemlibet humorem in se habere quandam partem tenuiorem, & crudiorem, quæ ab Hipp. Plato. Arist. & omnib. vocata est ichor, vt in variis lectionib. mõstraui, quiq; semper humoris proprii naturam refert. Iam vero interdum totus humor exit, interdum solus ichor. Vbi in partib. inflammatis magnus aliquis sit hiatus, exit totus humor: vbi vero ipsarum duntaxat membra ob extensionem atq; humiditatem dirarantur, ichor duntaxat exit: Itaq; in pulmonis inflammationib. cum exit sputum flauum sanguini haud multum permixtum duo signantur: vnum est sanguinem exire, & bilem, hoc est, ipsorum ichores per dirata tos meatus, quæ resudatio nuncupatur, non vlcete, vel vlla magna apertura facta: Alterum est nullum prauum humorem facere morbum, sed duntaxat vel sanguinem biliosum, qui familiaris est ipsis pulmonib. eo nutritis: vel sanguinẽ & bilem, qui in ipsis pulmonib. sunt omniũ benignissimi. Vnde quantum spectat ad ipsius sputi naturam, verum est, vt ait Hipp. huiusmodi esse salutare, atq; valde iuuare. Siquidem ex sputo partes inflammatæ, & tensæ relaxãtur, dolor mitigatur, & respiratio redditur facilior. Quantum aũt ad tempus quo exit, si primis dieb. id fiat, multo magis tale est, sin aũt serius, hoc est, circa septimã sputũ id appareat, inquit Hipp. minus esse securũ. Igitur videndum est, qua ratione posterioribus diebus apparens non adeo securum sit vt priorib. Gal. videtur hoc totum tribuere coctioni, & cruditati, quasi vbi primis tantum dieb. apparet, & abscedit significet morbum cito coctum iri. Vbi vero perdurat vltra septimam, signũ sit coctionem serius esse faciendam. Et propterea diuturniorem fore morbũ, cuius diuturnitati semper coniungitur aliquod periculũ: vel ꝑpter errores ægrotãtis, ministrorum, exteriorum, ipsius medici: vel propter ipsam virtutem, quæ in longa cum morbo pugna vix fieri potest quin fatiscat, & detrimentum aliquod patiatur: vnde postmodum aut ægri suffocantur, aut inflammatio in suppurationem cõuersa, empyema producit. Quocirca iure dicit Hipp. minus securũ, quia non ex ipsius morbi natura, qui alioquin bono ex humore factus est, periculosus esse potest, sed ob diuturnitatem, q. tamen periculum licet prouidẽtia, atq; industria effugere. Quomodo autem

do aũt cognoſcatur an ſputum pdictũ fiat à totis humorib. an vero à ſolis ichorib. docet Gal. quoniam ſcilicet vbi fit ab ichore ſputum, neq; multũ, neq; conſiſtentia craſſum eſt, ſed tenue, & exiguum. Nonnulli interpretes, vt tuerentur Hippocratẽ, à ſuſpicione ordinis ſibi propoſiti, & obſeruati hactenus peruerſi, dixerunt Hippocratem hic loqui de ſputo non ad reſolutionem inflammationis, ſed ad ſuppurationem habito reſpectu, ac propterea non peruertere ordinem: etſi poſt praua & deterrima ſputa nunc iterum loquatur de bonis, ſed præterquã quod eiuſmodi interpretatio admodũ à Galeni mente differt, habet etiam eam difficultatem, quod cum paullo infra ſit Hippoc. locuturus de ſuppuratione nullam rationem huiuſce ſententiæ connexionis habere videtur, cum alia etiam nonnulla interponat, vt videbitis cras.

Πάντα δὲ πτύελα πονηρά.
Omnia ſputa mala.

QVæ ſint ſputa bona, quæve mala hactenus docuit Hippoc. à ſubſtantia, à colore, à tempore. Nunc breuiter à conferentia. Etenim certior omnib. aliis videtur is modus, quando aut detrimentũ, aut vtilitas ab exitu excrementorũ conſpicitur, vt Hippoc. initio libri Aphoriſmorũ docuit, adeo, vt vere dicat Galen. hunc ſermonem eſſe communẽ cunctis excrementis. Igitur iure Hippoc. dicit ſputa quę dolorem non leuant, eſſe mala, etſi nigra ſint deterrima: Ea vero quib. dolor ſedatur eſſe bona. Et dicit omnia, quia quocumq; tempore, quocumq; modo, & cuiuſcũq; coloris exeant, ſi dolorem nõ ſedent mala ſunt, quoniã ſignum eſt non educi materiam quæ dolorem facit, aut plus eſſe quod remanet quam illud q educitur. Circa quod duo ſunt notanda, alterũ, quod dicit Gal. ſc. ad ferendũ ſecurũ iudiciũ non oportere vni ſigno confidere, ſed cuncta, vel ſaltem plura alia conferre, vt certius ferri iudiciũ queat. Nã ſputum non ſedare dolorem, eſt quidem malum, atqui nõ exitiale, quia poteſt materiæ copia, & cruditas ſuperari, ſed ſi ſputũ etiã nigrum ſit, iã deterrimum, & lethale eſt putandum, quia ſignificat caloris incendiũ ingens, aut caloris mortificationem, quæ omnia in acutis, atq; adeo in ipſa pleuritide mortalia ſunt. Alterũ eſt notandũ, quod ſcribit Stephanus, his Hippocratem vti, vt doceat vniuerſalem propoſitionem, ſcilicet nullã excretionem bonam eſſe, quæ ἀνώδυνον aut εὐφορίαν nõ faciat. Sumit exemplũ doloris pleuritidis, in qua ſicut & in alliis excretio vel fit ratione criſis, & eſt bona: vel ratione ſymptomatis, & eſt non bona: Si per criſim dolorem leuat, ſin minus dolorem tollat, eam excretionem eſſe ſymptomaticã: Ac propterea malã: ſed hoc in loco examinare oportet cur Hippo. docturus prædicendi modum, ex euphoria excretionis exemplo pleuritidis acceperit præ omnib. aliis dolorem cur non tuſſim nõ ſpirandi difficultatem, nõ febrem? Hæc .n. quoq; ſymptomata pathognomonica ſunt ipſius pleuritidis: etſi leuentur vel non leuentur expuitione multum faciunt ad ferendum beni, vel mali euentus iudicium. Præterea videndum, cur Hippoc. inter alia ſigna, quæ cõiuncta ſputo nõ leuanti dolorẽ, poſſunt eius prauitatem augere, potiſſimum ſumpſit colorẽ, eumq; nigrum, non autẽ odorem, figuram, conſiſtentiam, aliaq; ſimilia, quæ & ipſa procul dubio maliriam ſputi non auferentis dolorẽ augere apta ſunt. Poſtremo diſcutiendum eſt, cur loquens de ſputo dolorẽ non leuãte dicit tantum eſſe malum, loquens vero de leuante dicit omnium eſſe melius. Nam ſi leuare & non leuare contraria ſunt, effectus quoq; debent eſſe contrarii, vt malum & bonum, non autem malum, & melius. Circa primum eſt dicendum, ſignorum pleuritidis alia eſſe, quę medicus propria induſtria, & ſenſu comparare poteſt, alia quæ tantum ipſius ægri habentur relatione. Induſtria, & ſenſu proprio medicus intelligit, febrem cõtinuam, tuſſim, anhelandi difficultatem, pulſus inæqualitatem ſerrinam: ſola vero ipſius ægroti relatione dolor cognoſcitur. Iam vero Hippo. potius ſumpſit ſignum ex ſenſu ægrotantis, tum quia hoc eſt quod maxime perturbat ipſum, & quod tolli magnopere expetit; tum quia cum hoc ſignum non ſit cõmune, vt alia, ſed tantummodo ipſius partis affectæ proprium, iure ipſius morbi ſtatum, & conditionem indicare poteſt.

Omnis excretio mala, niſi tollat nomnib. dolorẽ, & corpus leuet.

Quan-

Quanquam licet etiam dicere Hippocratem hoc sermone voluisse medicum monere, vt tam in aliis morbis dolori coniunctis, quam in ipsa, de qua loquitur, pleuride semper habeat doloris maximam rationem; vtpote quo vires prosternuntur, & ægri vehementer sollicitantur, nunquam tamen suatum bonam spem capientes, nisi cum sese liberos à dolore sentiunt. Quanquam nec hoc est perpetuum, vt sedato dolore sit spes certa salutis, nisi quoque alia bona adsint, quemadmodum nec mali habetur vlla certitudo, ex præsentia doloris cum hic possit esse ablatus, transmutata causa dolorifica in aliam partem, vt ad pulmonem, ad caput, quemadmodum Hippoc. 2. de morbis; sicut potest morbus grauis esse finitus, tamen durare aliqua capitis destillatio, quæ conseruet dolorem, vt vtriusq; exempla habentur in Epidemiis. Vnde tanto minus est certa Hippocratis sententia in Coacis, vbi simpliciter dicit sputum esse bonum quod sedat dolorem, & malum quod non sedat. *Dolore vires maxime atteruntur.*

Circa secundum dicendum est colorem potissimum esse acceptum ab Hippoc. quia hic semper sputum comitatur, & facilime omnium cognoscitur, quod certe neq; in odore, neque in figura, neque in consistentia æque animaduertitur, quoniam vel non semper sputo adsunt, vel minime ea facilitate noscuntur, qua colores. Circa postremum dicere oportet Hippoc. non sine aliqua ratione eum in modum fuisse locutum, quoniam sputum non leuans dolorem simpliciter, & quantum fit ex sui ratione est malum signum, non ita tamen vt exitium vllum certum afferat. At vbi leuat dolorem, est valde melius omnibus aliis sputis, scilicet secundum colorem, fœtorem & substantiam cõsideratis. Et ratio est, quia sputa quæcumq; sint etiam cocta, modo sui ratione dolorem non finiant, valde bona esse nequeunt: cõtra autem, si sui ratione finiant, sunt meliora aliis, quia indicant materiam morbi effectricem excerni.

Ὁκόσα δὲ τῶν ἀλγημάτων.

Quicumq; porro dolore.

HIc interpretes complures nouum inchoant caput, quasi noua aliqua tractatio ab Hippocrate instituatur, verum manifeste decipiuntur: quia hæc ita superioribus sunt coniuncta vt nullo pacto queant separari. Et propterea Galen. in interpretanda hac sententia admodum ieiunus fuit. Ratio autem coniunctionis est, quia cum superius dixit sputa, quæ non tollunt dolorem, esse mala, quæ vero tollunt, esse optima, huius postremi non erat vlla probatio allatu necessaria, siquidem id perspicuum est bona esse sputa dolorẽ leuantia, quia morbi & symptomatis causam excerni significant. At cur non leuantia sint mala, non est perspicuum: Ea propter in præsenti dictione vult monstrare, quomodo sit malum, quasi dicere velit in hunc modũ: Sunt mala sputa quæ in pleuritide, & peripneumonia non tollunt dolorẽ, quoniam etsi non significent necessario mortem, significant tamen morbi in aliũ prauum morbũ, nempe empyema seu suppurationis affectum permutationẽ, & præsertim, quando prætet sputam sit tentatum omne auxiliũ, q; finiendis dolorib. conferat, vt alui subductio, venæ sectio, victus ratio, ac medicamenta. Circa quã sententiam satis claram sunt nonnulla examinanda: illud primum, quomodo fiat permutatio peripneumoniæ potius in empyema, quã in alium morbum. Nam etsi Hippoc. etiam in primo de morbis idem dicat, attamen dicit etiam pleuritidem in causum permutari. Præterea videndum est, cur Hippoc. seruauerit eum ordinem, vt in recensendis remediis, quæ adhibentur ad sedandum dolorem in huiusmodi affectionib. primo loco ponat alui subductionem: secũdo loco sanguinis missionẽ, tertio victus rationẽ, quarto medicamenta; fomentorum autem nullã faciat mentionem, eũ tamen 1. lib. de morbis acutis videatur antepõsuisse in curandis iis morbis fomentorũ adhibitionem cunctis aliis præsidiis. Et Gal. dicat 1. aphor. ad dolorem tollendũ esse primum remediũ sanguinis missionem etiam vsq; ad animi defectum. Tertium erit quomodo Hippoc. videatur velle, q; quæ sunt in pectore, & per aluum possint expurgari, cum tamen nulla pateat via, qua istud fieri posse conijci queat. Ad primum dicendũ verum esse, in febrem ardentem interdum cõmutari

Pleuritis quomodo in febrem abeat.

pleuritidem, vel q; cum ea fiat: vel quod materia biliosa, quę iam cœperat colligi in lateribus, retrocedat in venas cordi proximas, atq; ibi putrefcens faciat ardentem febrem; attamen vel in hac dolor non durat translata materia in alium locum, vel statim intetimit. Cæterum secus est durante dolore, nec debitis remediis cedente, quia cum eo in casu signum sit materiam copiosam esse & pertinacem, nec vllum aliud sit indicium, quo de morte sit metuendum, necesse est suppurari, & eum suppurata à loco intra membranam, & costas capi nequeant, in cauum thoracis effundi, vbi empyema faciat, quod nil aliud est quam copiosi puris in thotace collectio.

Pleuritis quomodo in empyema abeat.

Circa secundum, primo scire oportet in affectibus pleuriticis, & pulmoniis Hipp. consueuisse initio fomentationes adhibere, quemadmodum 2. de acut. propter duas causas, vel vt exploraret morbi naturam, vel vt materiam flatulentam discuteret, quorum neutrum in præsenti casu locum habet, quoniam de pleuritide & peripneumonia iam certis & factis sermonem habet, in quibus, nec opus est exploratione vlla, neq; vaporum discussione. Iam vero in aliis morbi temporibus fomentationū vsus, aut minime necessarius est, aut pernitiosus, vel saltē inutilis, cū pſertim adhibenrut auxilia grauiora: Quod aūt aliqui dicunt Hipp. hoc in loco sub nomine pharmaciæ complexum etiam fuisse fomentationem, multum abest à dictione, & vsu Hipp. qui hoc nominē φαρμακείας; & τῆ φαρμακεύειν solet tantum vti per medicamenti purgantis administratione, quemadmodum diserte Galen. compluribus in locis testatur, & maxime 1. aph. 22. 4. de acut. 4. aph. 1. 7. aph. 25. Porro cur eū ordinem seruauerit, ea fuit ratio, vt simul doceret in curandis morbis acutis, eum esse seruādum, vt plurimum leniatur aluus, vel clystere, vel leni aliquo medicamēto, deinde mittatur sanguis, tum victus instituatur, postremo purgantia medicamenta, administrentur, præcedente prius tamen purgatione, quā semper ab Hipp. præsupponi regulæ eius traditæ, 2. aph. 9. purganda corpora esse prius fluida facienda, & alibi, satis docent. Etenim in 3. de morbis, quisquis fuerit author, in curatione pleuritidis habetur similiter antecedere prius debere solui aluum: Et dixi quisquis fuerit author, quoniam vere curationes morborum traditæ in iis libris nō sunt Hippocr. dignæ. Quinimo videntur sapere doctrinam illam Cnidiotum tam in victu, quam in reliqua curatione ab Hippocr. in libris de victu acutorum vsq; adeo damnatam. Nec negare oportet, quin, vt dixi, Hippocr. voluerit nos hisce verbis docere ordinem, quo medicus in curando progredi debeat, quoniam id solet facere tanquam breuitatis & grauitatis, studiosissimus, sicut fecit sexto Epidem. sect. 6. circa principium, vbi cum scribat labor, cibus, potus, somnus, venus, omnia moderata. Galen. cuius commentaria ad eum locum desiderantur, 2. de tuen. val. cap. 2. dicit eum ordinem in loquendo seruasse, quem etiam voluit in viuendo obseruari, cuiusmodi exempla al a nō pauca reperiuntur, & apud ipsum, & apud alios antiquos authores. Circa tertium, quamquam Galen. dicat interdum quæ sunt in thorace euacuari per vrinam, & per aluum, natura, scarcanas vias sibi parante, vt dicit Hippoc. 6. Epid. attamen non Hippocr. initio hic mouet aluum, vt euacuet materiam thoracis, sed, ne febris augeatur, ac dolor, inflammatiove ex fœcum retentione, quemadmodum alibi dicit idem Hippoct. & vt tutius deinde possit venæ sectio administrari, quod faciendum etiam lib. meth. præcipit Galen. ne si quis succus crudus in primis venis reperiatur, in venas maiores missione sanguinis trahatur.

Thorax, quibus viis per aluum expurgetur & vrinas.

ὧ δὲ ἐκπυμάτων.

Suppurationes quæ.

POstquam supra, quomodo prædicenda suppuratio sit, quæ iure sequebatur sputorum tractationem, nunc quæ signa prognostica ex ipsa suppuratione comparari possint docere aggreditur: Et notandum est Hippocratem sic nō facere, quod alias consueuit, scilicet vt doceat primo, quæ sit optima in suppuratis materia, quoniam nulla in hoc genere excretionis bona materia habetur, quæ possit esse aliorū regula,

regula, sed semper praua est, sicut affectus semper est prauus, vt videre licet ex 2. atque 3. de morbis, vbi copiose de suppuratis tractatur: imo cum apud Hippocr. frequentissima mentio huius ægritudinis habeatur, in eam sententiam sæpe veni ætate illa consueuisse similem ægritudinem multo frequentius vagari, quam tempestate nostra. Sed vtcumq; sit primum signum prognosticum de suppuratis ab Hipp. propositum est, suppurationes, quæ cum bilioso adhuc sputo excreantur esse admodū lethales, siue separatim excreatur materia biliosa cum sputo, siue simul. Circa quā sententiam, vt optime vniuersa materia suppurationis à nobis cognosci queat, tria sunt declaranda, quæ etiam satis perspicue, & diserte à Stephano proponuntur; Primū erit quomodo cognosci debeat quādo morbus cōuertitur in suppuratione: Secundū erit vt cognoscamus quo tempore iam facto pure ruptio, & in thoracem effusio fiat. Tertium & postremum quomodo cognoscatur, quæ sit minus mala suppuratio, & quæ pessima, non quod vlla suppuratio inueniatur, quæ possit signū esse, vel causa alicuius boni, sed quod inter prauas aliqua est minus, aliqua est magis talis. Hisce breuiter declaratis, iam strata erit via optime intelligendi, quæ Hippocrates in hac tractatione docere nos vult.

Primum itaque caput aggredientes dicimus principium suppurationis ex duobus potissimum intelligi ex irrationali rigore, quem sequitur febris, nec nō ex sensu grauitatis. Voco enim irrationalem rigorem illum, qui minime vlla seruata periodo, & ratione fit, sed vt sic dicam, temere, atque sine vlla temporis proportione. Fit porro rigor, quia dum incipit suppuratio, copiosi vapores acres, & mordaces à materia, quæ suppuratur, eleuantur, qui percutientes partes sensu, & motu prædi- tas duo, faciunt, scilicet expulsiuam facultatem excitant, & calorem natiuum intro cogunt, qui nitens exurgere, & aduersus eos vapores veluti colluctans, tamdiu motum illum cum frigoris sensu, qui rigor dicitur, efficit, donec illis vaporibus dissipatis & euictis, calor tandem superior euadit, sicque in lucta maior effectus, & per vniuersum corpus propagatus febrem inducit. Sensus autem grauitatis icirco percipitur, quoniam priusquam materia incipiat suppurari, distributa est, non solum per partes affectas, verum etiam per proximas. Vbi autem putrefit, & suppuratur in vnum locum colligitur, quem tota distendens, & veluti onerans, facit vt ibi grauitatis, & oneris cuiusdam sensus percipiatur. *Rigor in suppurationis initio vnde.*

Rem autem ita sese habere ex eo facile intelligitur, quod vbi locum suppuratū, aperire vult chirurgus, statim materia affatim exit, tamquam in locum pertunsum tota sit collecta, quod si cruda sit necdum collecta in vnum, sed distributa adhuc cuiusmodi est, vbi nondum cœpit inflammatio suppurari, tunc etiam si fiat sectio, haud exit materia statim, sed exigua & lente, non autem velociter.

Secundum caput erat, quo tempore fiant suppurationum ruptiones: quā de re Hippocrates dicit fieri septima, sed raro; vel in vigesima, vel quadragesima; aliquas autem in sexagesima; aliquas vero etiam vltra rumpi. *Suppurationes quo tempore rumpantur.*

Cæterum scire oportet duo esse, quæ tempus suppurationum variare faciant, nempe locum atque ipsam materiam: Locus enim inflammationis si calidus sit, atque humidior, & carnosior, celerrime fit suppuratio. Si autem frigidior, atque neruosior sit, absque dubio, tardius fit pari pacto, si materia sit calida, vt sanguis, & bilis, ocius fit suppuratio, atque ruptio: contra si frigida vt pituita, serius fit vtraq;. Summatim, si omnia concurrant simul, scilicet locus, materia, tempus, regio, constitutio, ætas, temperamentum, calidissime fiunt suppurationes, & ruptiones, atque adhæc facultas robusta sit, ac pars principalis. Contra si omnia frigida simul concurrant, virtusq; imbecilla, & pars ignobilis sit.

Tertium caput erat, quæ nam suppurationes minus malæ sint, & quæ pessimæ, atque hoc potissimum à sex rebus cognoscitur, quarum prima est facilis & difficilis respiratio. Secunda est facilis, & difficilis toleratio. Tertia facilitas, vel difficultas eductionis ipsius puris. Quarta est carentia, vel præsentia sitis. Quinta est

æqualis vel inæqualis temperatio corporis. Sexta & vltima excrementorum qualitas scilicet an naturalis, an præternaturalis sit.

Ad hæc vt integra totius rei habeatur notitia, oportet vt diligenter id totum consideretur, quod educitur. Si enim pus sit purum, bonum est, sin autem ipsi commixtum sit aliquid biliosum aut flauum, perniciosa est suppuratio, quemadmodum perniciosissima & lethalissima est, si quippiam liuidum, aut nigrum sibi misceatur, si vero subrustum, aut subflauum sit quod miscetur, mediæ quodam pacto naturæ est. Atque hæc media prout iuncta, vel disiuncta sunt sex illis superioribus bonis, vel malis propositis, sic bona vel mala sunt. Verum ad cognoscendam, & mortem, & mortis tempus non oportet hic sisti, verum vlterius est examinandum, nunquid materiæ bonæ vel malæ copulentur, aut cuncta sex prædicta bona, vel mala, aut aliqua ex iis; quoniam si materiæ malæ coniungantur cuncta sex illa mala, non modo est mors timenda, verum etiam illa velox est expectanda. Contra si bonæ materiæ bona cuncta iungantur, & salus, & cito est expectanda, sin vero aliqua tantum ex iisdem bona, aut mala iungantur materiæ bonæ, malæve pro dignitate, & magnitudine ipsorum est expectandus exitus bonus, aut malus, sed non ita cito.

Nam pus faciliter educi significat non tantum materiam esse sequacem, verum etiam expultricem validam esse. Bonum quoque est faciliter ferre morbum, quoniam significat non tantum vitalem facultatem, verum etiam animalem, & presertim motricem thoracis esse recte dispositam. Carentia quoque doloris haud secus & ipsa bona est, quod indicet inflammationem haudquaquam esse ingentem neque multos esse prauos succos.

Porro æqualiter corpus totum esse temperatum, bonum est, quia monstrat robustum esse natiuum calorem, postquam omnibus partibus æqualiter irradiatur, & illucet, sicut contra si inæqualiter sit temperatum, malum est. Exempli gratia, si extrema frigida sint, simulque interiora flagrent, signum est magnam esse internam inflammationem, caloremque natiuum debilem, qui nequeat ad extrema pertingere, sed intro totus cogatur. Siti carere ægrum bonum est, quippe cum signum sit, neque multam incensionem, neque multam cacochymiam intus esse, quæ sitim faciat.

Sed video hic dubitari, quomodo cum Hippocrates loquatur de pleuritide, eaque graui, cui semper coniuncta est febris acuta, fieri potest, vt non adsit sitis, præsertim cum sciatur à pulmonibus calidis maxime omnium proficisci sitim, vt propterea dixerit Aristoteles animalia pulmonibus carentia non sitire.

Cui dubitationi respondet Galenus & Stephanus, adiungendam esse Hippocratis dictioni κάρτα quasi ita dicat non valde sitire esse bonum: Sed hæc responsio mihi non placet, quia etiam ratio, & experientia satis docent pleuriticos valde sitire. Vnde satius mihi videtur esse vt dicamus, Hippocratem loqui ex suppositione, quasi sit bonum esse, non autem affirmare, ita rem sese habere.

Postremo vrinam, aliaque alui excrementa bona esse in pleuritide bonum est, quoniam etsi principaliter supra ipsam inflammationem nihil doceant, attamen ostendunt reliquum corpus, & præsertim venas, atque arterias esse bene constitutas, quod sane semper, quantum sit ex se, bonum est.

Atque hæc vniuersaliter, & methodo dicta sint de toto suppurationis negotio ab Hippocrate, non ita ordinatim proposito. Reliquum est modo, vt sigillatim vnamquamque dictionem ipsius percurramus.

ἐκπυήματα.

ἐκπυήματα.

Suppurationes.

QVod dicit Hippocrates, est, suppurationum, quæcunque suppurantur, adhuc sputo bilioso existente, eas esse valde pernitiosas, siue bilis exeat, simul cum pure, siue separatim, atque eo maxime, si eiusmodi exeat in die morbi septima. Cur Hippocrates vtatur hac phrasi suppurationum quæ suppurantur ea est ratio, quia loquitur de iis, qui certo suppurari quidem debent, sed cruda existente materia vix incipiunt suppurari; vnde materiam quæ exit non vocat πύον, sed πτύαλον. Hi enim duo habent, tum quod materia est biliosa, quæ suapte natura pessima est, cum corrosiones efficiat & vlcera praua, vt dicit Stephanus, ac propterea vomicam, antequam sit matura, aperiat; tum quod fiat septima die, quæ iudicatoria est, vnde iure merito Hippocrates dicit esse valde pernitiosa, siquidem quæ apparenr in die iudicatoria si bona sint, bonum augetur, sin mala, augetur etiam malum. Quamquam vt recte monet Galenus, non hoc sufficit ad ferendum firmum iudicium, sed opus est etiam considerare, vtrum sputo exeunte leuetur æger, an non: quia si leuatur, plane bonum est: sin minus malum, etiam si excretio sputi cum bile fiar die iudicatoria. Quod vero dicit (siue exeat simul, siue separatim) est quoniam æque materiæ cruditas, atque prauitas indicatur.

Vt enim humor quispiam ad aliquam perueniat maturationem, necesse est propriam exuat naturam, colorem, atque alias qualitates, quas omnes dum seruat, plane immaturus, atque crudus est reputandus. Nec valet adesse aliquam partem puris, quia & hoc pessimum est, vbi inæquale est, quod exscreatur, cum significet aliquas esse partes, quæ suppurant, aliquas vero, quæ nequeunt suppurare. Porro cur huiusmodi pus crudum & prauum sit lethale aut pernitiosum valde, dicit esse, quoniam spes est ipsum esse periturum decimaquarta die, & dicit Hippocrates suo more (spes est) quoniam licet non sit integra certitudo, est tamen quædam suspicio, quæ ad certitudinem valde proxime accedit. Vnde in Coacis dicit, vt plurimum interire hoc tempore, præsertim nisi interim aliquod bonum signum superueniat. Etenim sicut superuenientia signa si mala sint, morbum esse malignum ostendunt, vt docet Galenus primo & tertio libro de Crisib. sic vbi bona sunt eum benignum indicant, & propterea haudquaquam exitium protinus esse proximum indicant.

Cæterum cur dicat Hippocrates, sputo prauo apparente in septima die, spem esse ægrum in decimaquarta periturum, ea est ratio, quæ sola quadam firma obseruatione ab Hippocrate notata fuit, scilicet quod vt in seruandis ab ea die, qua incipit apparere coctio rantum temporis intercurrit vsque ad iudicationem, quasi tum à principio ad illud fluxit; pari pacto in morituris semper tantum spatii à prima apparitione signi lethalis vsque ad mortem intercedit, quantum inter ipsum, & initium, quod tamen in morbis, qui regulariter procedunt, est intelligendum, non autem in cunctis.

ἐστὶ δὲ τὰ μὲν ἀγαθὰ.

Sunt autem verissima.

DIxerat Hippocrates pus biliosum siue separatim exiens septima die, seu vsque ad septimam diem, siue coniunctim, indicare decimaquarta futuram mortem, nisi tamen bona signa appareant, quippe, quę fallant malum iudicium, vt mala signa superapparentia fallunt bonum; Et quia hoc maxime refert in toto iudicii ferendi negotio, eapropter quæ sint illa bona signa in præsenti senrentia docere vult, vt scilicet iis cognitis, & diligenter à Medico consideratis certius iudicium & prognosticum ferre queat.

Suppurationis quæ bona signa. Atque huiusmodi signorum cognitio non modo in præsenti conducit, verum etiam in cunctis aliis morborum generibus. Sunt vero hæc signa numero sex, facile ferre morbum, facile spirare, carere dolore, sputum faciliter educere, corpus æqualiter affectum apparere, scilicet calidum, & molle siti carere. Præterea vrinæ, fœces, somnus, sudores si supeueniant, vt dictum fuit, singula bona esse existimandum. Iam videndum breuiter, qua ratione singula hæc signa bona sint in suppurationibus, quod facere hoc in loco prætermittit Galenus.

Et primum facile ferre morbum est in cunctis ægritudinibus bonum, sed maxime in pectoris affectibus, in quibus ob pulmones & cor solent cuncti affectus esse grauissimi, ac pene intolerabiles, cum in quolibet morbo debeat expendi virtus, materia & locus affectus. *Quæ in quolibet morbo attendenda.* Vbi ægrotantes facile ferunt suos morbos, ita vt nullis angustiis, ac molestiis premantur, signum est non modo robustam esse facultatem, quæ nihil patitur in pugna aduersus morbum, verum etiam materiam esse benignam, atque ipsum locum affectum insigni omni labe carere. Itaque dignitate primum hoc signum antecedit cuncta alia bona.

Secundo autem loco est facilis spiratio, quæ cunctis aliis signis à primo iure optimo est præferenda, quoniam in affectibus pectoris, de quibus modo agit Hippocrates, nihil est melius, quam ipsius statum bonum cognoscere, qui cum cognoscatur ex operatione, & operatio pectoris præcipua sit respirationis famulatus, vbi hæc est bona & facilis, videtur etiam necessario debere esse pectoris statum bonum.

Pulmones per quod sentiant. Tertio loco est doloris carentia. Nam etsi pulmones careant quasi sensu, ac propterea quantum sit ex sese, nunquam dolorem sustineant, habent tamen interdum ratione membranarum, quibus alligatur, & quemadmodum etiam membranæ totum thoracem intus vestientes vbi grauiter afficiuntur, dolore affici solent, quare vbi dolor nullus est, significatur inflammationes recessisse, neque vllam caussam continui solutricem superesse, quæ faciat tristem sensum, & dolorem.

Sed dubitari potest, quomodo in affectu thoracis, & in suppuratione quando est collectum pus in thorace possit esse facilitas respirationis & carentia doloris, cum semper fiat dolor, vbi fit pus, vt ait Hippocr. 2. aphor. atque affecto thorace, & pulmone haud queat adeo bona fieri respiratio?

Cui respondendum est Hippocratem haudquaquam loqui absolute, sed respectiue, scilicet cum difficilis fuerit spiratio aut cum dolore, si vterque ita leniatur, vt respectu anteacti temporis nullus videatur, atque valde exiguus. Nam vere durante affectu graui, atque periculoso, quemadmodum loquitur Hippocrates fieri non potest vt omnis spirandi difficultas omnisq; dolor prorsus abscedant.

Quartum signum est facile sputum extussire, seu per tussim reiicere. Etenim postquam nulla alia ratione potest educi nisi sola tussi, si ea faciliter fiat, atque faciliter ipsa facta simul etiam faciliter sputum educatur, bonum signum est in omni pectoris affectu, præsertim in suppuratione, in qua si quid est spei, tota est collocata in puris intra thoracem contenti expurgatione.

Quintum signum est corpus æqualiter calidum, & molle, & quod ita signum sit, nullam peculiariter affectam esse partem, atque eum, qui reperitur affectus vniuersalis, haud esse admodum grauem. Et notandum iure Hippocratem calido adiunxisse molle, quoniam sæpe empyematicis iunguntur febres hecticæ, in quibus corpora æqualiter calent, attamen sicca sunt & aspera, nullamque mollitiem habentia, vt ob hoc quando mollities adsit, simul etiam certitudo adsit nullam febris hecticæ adesse suspitionem.

Sextum & postremũ signum est sitis carentia. Nam sitis tam naturalis q̃ præternaturalis à pulmonib. calidioribus vt alias ex Arist. dixi, certo oritur: Itaq; vbi non adest vere sitis, consentaneũ est rationi à pulmonib. abesse omne magnũ incendiũ & con-

& consequenter affectum pectoris esse exiguum, alioquin esset necesse ingentem aliquam noxam ipsis communicari, & consequenter plus iusto incalescere, sicque sitim fieri.

Atque hæc sunt signa super apparentia bona, ab actionum integritate, & à non mutatis qualitatib. accepta, quibus etiã similia ab excrementis mutatis adiiciantur, vt sunt bonæ fæces, vrinæ, sudores, vna cum somno, certum est non esse periturum ægrum, quibus non apponit vomitum vt supra posuit, quoniam vere in suppuratis nunquam fit vomitus, & si fit, per accidens contingit, non propria ipsius morbi ratione. Et dicit Hippoc. (non peribit) non autẽ dicit vt solet (spes est ipsum victurum) quia quotiescunque cuncta signa sunt in morbis, nec vllum malum adest, fieri non potest, vt æger moriatur, quippe quod nemo in morbis acutis, atque etiam aliis pereat, nisi aliquod lethale signum appareat. Imo vero etiam in febribus pestilentissimis, & malignis, in quibus solent compluta signa, quæ incautos fallant medicos apparere, fieri nequit, quin aliquod signum malum videatur, si perire ægrotantes debent. Et propterea Hippocrates iure merito prædictis addit, si aliqua ex bonis signis prædictis appareant, aliqua vero mala, fore vt æger intereat decimaquarta die. Et vt hoc monstret certo euenturum, non viuere plus quatuor diebus, peribit homo.

Sed dicet aliquis, vnde nam Hippocrates tantam fiduciam, tantamque securitatem accipit, vt dicat periturum esse omnino decimaquarta die? Cui respondendum est Hippocratem nolle dicere, quod præcise debeat mori in ea sola die, sed quod non debeat eam diem decimamquattam pertransire quin moriatur? Deinde adnotandum id, quod in commentario scribit Galen. nempe ad hoc, vt sit certo seruandus homo laborans empyemate, necessarium esse, vt cuncta bona signa concurrant, sufficere vero vnum prauum ad hoc, vt illius interitus significetur, q; si plura mala adsint, non modo mors significatur, verumetiã illius breue tempus, atq; quanto plura erunt illa, tanto etiam celerius mors erit expectanda, sicuti quanto pauciora illa erunt, tanto etiam tardius mors sequetur. Vnde cum Hipp. loquatur de plurib. malis signis apparentibus, quin si phrasis ipsius attendatur diligenter, dicere videatur, si tot mala superuenientia sint quot bona, necessario concludi debet intra 14. dies, qui est vltimus vere acutorum terminus, periturum esse.

Cum enim Hippocrates loquatur de signis quæ superapparent die septima morbi siue bona, siue mala; & constitutum sit semper quota die ab initio morbi ea apparet totidem etiam eum esse bene vel male finiendum, dubio procul colligendum id esse verissimum quod ait Hippocra. scilicet necessario futurum interitum decimaquarta die.

Cæterum dubitatur hoc loco, vtrum necessarium sit in seruando cuncta signa bona sint, atque cæteris bonis existentibus, vnum tantum malum sufficiat ad significandam mortem. Nam hoc videtur contrarium esse regulæ, alias ab Hippocr. & Galen. datæ, qui volunt ad iudicium ferẽdum, vt semper expendantur signa bona, & mala, scilicet vtra præualeant, ac plura sint, quia præualentibus bonis salus est prædicenda præualentibus autem malis mors est prænuntianda.

Ad quod respondendum ex ipso met Galen. 1. de cris. cap. 13. signorum comparationem, aut fieri posse secundum numerum, aut secundum virturem, seu vehementiam, aut secundum vtrumque. Si fiat secundum numerum tantum, incerta est iudicatio ex pluribus signis, quia possunt esse æqualia in numero, inæqualia autem in virtute.

Itaque duo vel plura vehementia plus valebunt ad significandum, quam plura alia minus valentia. Sin autem expendantur signa secũdũ robur, & numerum, certior multo est significatio, quia certe vbi plura sunt signa, & plus valentia bona, certam salutem promittunt, sicut econtra. Sin autem robur tantum expendatur, tunc vel morbus est magnus, vel non magnus.

In morbo

In morbo non magno, etsi sit vnum vel alterum signum prauum validum, haud vincit plura bona, quoniam cum in hoc morbo facultates nullę sint valde læsę, possunt faciliter morbũ tandem superare. Cæterum in morbo magno secus est, in quo cum facultates sint omnes læsæ, vbi vna ex iis est valde violata, quod intelligi potest ex vno tantum malo signo apparēte, cæteræ nequeunt exurgere cum sibi ipsis subministrent, atq; famulentur, quo sit vt necesse sit tandem cunctas succunbere, ac propterea infirmum perire.

Κατὰ δὲ τὰ ἐναντία τούτων.

Secundum contraria autem.

POstquam docuit signa bona, quæ sint mala consequenter declarat, s. ea esse dicens, quæ prædictis contraria sunt, s. difficulter ferre morbum, &c. Hæc enim omnia mala sunt contraria ratione, qua diximus bona esse bona. Vnde etiam contrarios effectus ea portendere dicit Hipp. nempe esse ægtum his signis sputo malo superuenientibus periturum ante decimam quartam, videlicet nona aut vndecima die. Concludit demum Hippocr. oportere Medicum contemplantem sputũ simul atq; superuenientia signa prædictionem facere, ex quib. veritatem inueniens minime errat.

αἱ δὲ ἄλλαι ἐκπυήσιες.

Suppurationum aliæ.

AD exactam suppurationum notitiam, quam Hippocr. tradere in hoc libro intendit, inter cætera requiritur, vt præcognoscatur, quando futura sit suppuratio. Hoc enim tum ad gloriam medici, tum ad obedientiam ægri consequendam, tum maxime ad instituendam curationem confert. Itaq; Hippocr. cum docuisset quando futura sit suppuratio in iis, quæ celeriter fiunt; nunc idem quomodo sit in aliis prænoscendum docere vult. Et quoniam haud certum est, quomodo sint dies numerandi, eapropter simul etiam monstrare conatur, vt certus dies suppurationis noscatur, à quo principio sit sumenda numeratio.

Adeo vt præsens contextus in duas partes secetur: In prima enim docet, quo tempore in morbis non ita acutis fiant suppurationes: In altera, vnde sit principium enumerationis dierum sumendum. Dicit itaque in prima: Alias suppurationes fieri vigesima, &c.

Quid intelligat Hippocrates per (aliæ suppurationes) In Coacis prænotionibus non habetur particula (aliæ) sed dicit plurima πλεῖσαι. Verum quomodo sit totum intelligendum dubitat Galenus, quandoquidem primo modo potest intelligi ea particula tũm de suppurationibus, quæ fiunt in aliis partibus à thorace, & pulmone, de quibus locutus est; Secundo modo potest intelligi de suppurationibus quidem in thorace, & pulmone factis, sed haud quaquã prædictis similibus: Tertio modo potest intelligi de vtrisq; simul.

Verumtamen placet magis Galeno, vt cum antea Hippocrates verba fecerit de suppurationibus, in quibus biliosi aliquid mixtum sit, neque de iis omnibus, sed tantum de illis, quæ septima die rumpuntur, quæve rarius contingunt: modo loquatur de illis, quæ fiunt frequentius, hoc est, quæ vigesima die, atque etiam vltra rumpuntur.

Suppurationũ vel celerioris vel tardioris causæ. Cæterum cur aliquæ ocius, aliquæ serius fiant suppurationes, causæ sunt tres, vel materia ipsa, vel locus, vel vtraque simul. Materia, quoniam vbi calida est semper citius, quam frigida fit, & rumpitur suppuratio. Similiter locus quanto calidior est, & mollior, tanto magis accelerat rupturam, & fractionem, quam frigidior & dutior, sicut etiam adhuc magis vbi simul & locus & materia calida conueniunt. Verum vt optime notat Stephan. haud Hippocratis pro aliis suppurationibus intelligit, quæ differunt à prædictis loco, sed potius à differentibus materia.

Etenim

Etenim in pueris citius, in senibus tardius, sic in calidis & humidis citius, contra in frigidis & siccis. Atq; hæ sunt internæ, & immediatæ causæ celeris, vel tardæ suppurationis. Hisce causis etiam famulantur, & coadiuuant tum internæ mediatæ, vt ætas & temperamentum ægrotantis, tum externæ, vt regio, tempus anni, constitutio, ac similia: Hæ enim causæ, prout augent calorem, vel frigus in ægrotante, sic iuuant ad accelerandam, vel tardandam suppurationem: Ita enim natura comparatum est, vt semper externæ causæ cooperentur internis, nec aliam propriam habeant actionem, quam quod augent, vel minuunt actiones internarum, & continentium causarum.

Cæterum hic dignum est inquisitione, cur Hippocr. facit mentionem suppurationum, quæ rumpuntur septima, & vigesima, ac vltra die; non meminit autem illius, quæ fit decimaquarta. Nam rationi consentaneum est, sicut fiunt ruptiones in aliis diebus criticis, multo magis fieri in decimaquarta, quæ solet etiam precipua inter dies iudicatorios esse, quibus acuti morbi iudicantur: Nisi dicamus vt nonnullis placuit, Hippocr. non meminisse decimiquarti, vel quia id satis manifestum est: vel quia Hippocr. locuturus de acutis decidentibus in diuturnos, atq; adeo de iis, in quibus nil rubri, vel flaui admixtum est, haud poterat commemorare, decimamquartam, nempe quæ sit iudicatoria vere acutorum, & propterea cum materia calida vti biliosa, & sanguinea.

Σκοπέεσθαι δὲ χρὴ τὴν ἀρχήν.

Considerare autem.

QVoniam ad prædicēdas suppurationes maxime conducit scire dies, in quibus solent fieri: ad cognoscendos autem dies oportet etiā cognoscere ipsas inchoationes, vt recta & secura dierū enumeratio, & prædictio fieri queat; idcirco Hipp. modo solita diligentia docere vult, quo pacto possint ipsius suppurationis initia, & præcognosci, & prædici, vt iis cognitis certior dierum, in quib. expectanda sit suppuratio enumeratio fiat. Tria autem proponit signa, quibus huiusmodi principiū cognosci potest: vnum est febris acuta, alterum est rigor, tertium est pōdus in parte dolente prius; & quamquam in Coacis prænotionib. apportat dolorem serium, hoc est, acutiorem factum, sic tamen etiam ipsum intelligit sub nomine grauitatis, quæ idem est ac dolor grauis. Etenim cum incipiente suppuratione, atq; suppurationis ruptura in qualibet inflāmatione febris solet vel augeri si prius adsit, vel fieri si non adsit; similiter & rigor, nec nō pondus dubio procul multo magis, sit in pleuritide, & peripneumonia, in qua inflammatio est in partib. corporis cum febre continua dierum enumeratio ab illa, in qua hæc incipiunt apparere, est facienda. Iam vero contemplandū est, qua ratione vnumquodq; ex signis prædictis fiat; & primo de febre idem dictum est ab Hippoc. 2. aph. 47. scilicet dum pus conficitur febres, & dolores fieri maiores. Causa vero cur augeatur est, quia humor, qui prius coactus, & veluti congelatus erat, incalescit, atque funditur: vnde vapores acriores, & copiosiores in cor elati febrem augent. *Principij suppurationis quæ signa.*

Similiter & rigores dixit Galenus fieri, quod materia suppurata cum acris sit, membranas, quibus tegitur, ferit, vnde calor natiuus modo refugit, modo reuertitur, quæ lucta facit rigorem. Sed difficile est intelligere, quomodo vna tantum pars percussa faciat rigorem, qui est effectus, & passio vniuersalis: nisi dicamus ab suppurata materia si sit copiosa, vapores complures similiter acres eleuari, qui in varias corporis partes tributi, easque percellentes, rigores faciunt, qui semel tantum fiunt, bis ve, quod huiusmodi vapores cito finiantur, & vbi in spaciorum locum est effusa materia; minime vapores tantos, talesq; reddat, qui generando rigori sufficere queant. *Rigoris modus.*

Quomodo aūt ruptura vomicæ fiat, qua pus effunditur, non est quoq; difficile comprehendere, siquidem materia cōtenta, & suppurata duo facit, nempe aucta, & dilatata membranam attenuat, atq; rarat, ob acrimoniam vero eam perforat, & diuellit, *Vomica, vt rumpatur.*

diuellit, vt paulatim effracta & aperta materiam exite in cauum, vt facit omne humidum, permittat. Sed hoc in loco dignum est consideratione, cur Hippocrates dicat considerandum esse, quando primum febricitauit. Nam primum febricitant pleuritici, & peripneumoniaci, quando inchoat inflammatio: ergo deberent hac ratione supputari dies ab initio morbi, quod tamen falsum est. Galenus, vt dicebam, exponit quasi pro febre intelligenda sit σφοδρότερος πυρετὸς, quæ fit circa vigorem. Et Stephanus interpretatur πυρετὸν ἄλογον. Vnde qui dicunt febrem initio suppurationis, de qua Hippocrates loquitur, esse diariam, falluntur, quoniam non esset vehementior. Sed nec in Coacis prædictionibus, vbi eadem sententia est, aliud habetur, quam ἢ ἐπύρεξεν, id est, vel febricitauit.

Præterea in pleuritide & peripneumonia semper febris est magna. Igitur dicendum est hanc esse Hippocratis sententiam, & consilium, vt habita cognitione, qua primum die febricitauerit, perspiciatur, an post rigor inuaserit, quia si iam febre facta rigor inuadat, non potest esse ab initio febris. Ergo ab initio suppurationis, vnde particula aduersatiua (vel) ante rigorem, si deleatur, vt est deleta in aliquibus, & in Coacis clarissima erit sententia Hippocratis, tanquam dicat, vt recta fiat supputatio dierum, in quibus expectanda est suppuratio, & ruptura, considerandum esse primum diem, quo febricitauit & doluit: Ac deinde videndum, num post aliquando sit rigore tentatus, & grauitas loco doloris, aut cum ipso dolore successerit, quia sic ab ipsa rigoris, & grauitatis post febrem apparitione numerandi sunt dies, quibus expectatur ruptio. Et miror nullum interpretem hunc verum, & lucidissimum sensum propositæ sententiæ cognouisse. Sed dicet aliquis, si forte febres ex iis sint, quæ solent habere horrores, & rigores, quomodo cognoscetur initium suppurationis?

Respondendum est, quia quando concipiet, multo maior fiet rigor, & subsequenter maior febris: quod vero dicunt aliqui effusa materia suppurata in thoracem suo pondere ibi grauitatis sensum parit; atque ponderis, minime verbis accommodatur Hippocratis, qui diserte dicit grauitatem & rigorem fieri in principiis suppurationum, non autem quando effusa iam est materia. Itaque satius est dicere, grauitatem intelligere Hippocratem illum sensum extensiuum, & grauem, qui percipitur vbi incipiens materia suppurari locum distendit, & in ea parte percipitur, vbi inchoauit dolor: Sic enim dicit Hippocrates, si loco doloris in eadem parte, quæ doluit, grauitas etiam accedat. Etsi enim maior grauitas sentiatur, vbi tota materia suppurata in cauum thoracis simul collecta est, non est tamen negandum, quin etiam initio vbi suppurari incipit, prout fit pus, sic illud veluti onus quoddam partem, in qua tenebatur & dolorem faciebat, aggrauet. In Coacis prænotionibus dicit Hippocrates, antequam rumpatur vomica, & pus effundatur, adesse dyspnœam, & ptyalismum.

εἰ δὲ εἴη τὸ ἐμπύημα ἐπὶ θάτερα.

Si autem pus in altero.

QVomodo supputatio, ruptio, & puris collectio in thorace cognoscatur supra docuit Hippocrates. Et quoniam vt præclare dicit Galenus in comment. totum thoracis cauum disterminatur membranis in duas partes, dexteram scilicet atque sinistram, ac interdum pus colligitur in vtrasque, vt in peripneumonia, quando pulmo ita situs est, vt possit pus in vtramque partem effundere, interdum in alteram tantum, vt in pleuritide: Eapropter nunc Hippocrates docere vult, quo pacto cognoscendum sit, quando pus est in vna tantum parte: Tribus autem signis id esse cognoscendum docet, dolore nempe, & calore, & pondere, seu grauitate. Etenim si decumbens æger vertatur in latus, atque grauis dolor percipiatur in parte supraposita, ibi est vomica. Sin autem in parte super quam iacet, ibi esse existimandum est. Vbi enim continetur pus ibi grauans dolorem inducit.

Pus, an in vtroque, an tantum, an vtroq; latere sit, vt nosciendum sit.

Haud secus est etiam vbi est pus, ibi maiorem calorem, & (vt ait Stephanus) maiorem δυσωρωσίαν facit, merito cuius, si terra rubra cretias vocata ibi ponatur, vt dicebat Hipp. 5. de morb. vel aqua, vt ait Arist. 2. Pr. citius exiccatur. Sed dicet aliquis, cur Hippocrates, qui hoc in libro propositū habet signa prognostica docere, nunc etiam docet diagnostica, quibus scilicet loca patientia inter sese discernātur. Nam hoc nihil videtur facere ad prædictionem docendam, nisi dicamus, vt alias, & vt Hippocrates significauit initio primi libri, Medicum debere etiam præcognoscere, & prędicere præsentia, maxime cum ex iis quoq; pendeat aliquorum futurorum prænotio; quemadmodum in proposito casu, in quo aliquid refert ad salutem, vel interitum prędicendum, si sciatur vtrum pus collectum sit in vtraq; parte thoracis, an in vna tantum, & in qua. In libro de locis in homine, habent pleraq; alia signa, tū ad cognoscendam puris in thorace collectionem, tum in qua parte collectum sit, veluti genu, aut pedis tumorem. Nam qua parte collectum est pus, eadem fieri tumores, testatur Hipp. qui etiam addit eadem in parte curuari thoracem. Sed hæc dimittit nunc Hipp. tum quia non sunt ita propria, & perpetua signa, quemadmodum antecedentia; tum quia non id intendit Hipp. hoc in loco principaliter, vt doceat cognoscere locos affectos, sed præcognoscere, & prædicere.

τοὺς δὲ ξύμπαντας ἐμπύους.

Ceterum omnes suppuratos.

Si animaduertistis hactenus ab Hipp. hic ordo fuit obseruatus, vt primo docuerit, quando fit ruptio vomicæ. Secundo, quomodo sint numerandi suppurationis dies. Tertio, quomodo sit cognoscendus locus, vbi rupta vomica pus colligitur. Nūc autem docere vult, quomodo ipsa suppuratio, seu ipsum empyema sit cognoscendum. Circa quam continuationem videtur dubitari posse, an hic sit legitimus ordo, quoniam si quæstio, Si est, semper cunctas alias iuxta rei naturam, & ipsius Aristotelis placita debet præcedere, videtur id, quod modo facturus est Hip. debuisse ante omnia alia facere. Verum respondere possumus, cognitionem suppurationis iam factæ, quam vt assequi debeamus, si docturus est Hipp. parum pertinere ad præcognitionis institutum, & prædictionis. Veruntamen eam tradere, quoniam vix antecedentia clara esse possunt, nisi hęc quoq; scirentur, præterquam quod indiciū futurorum magis confirmatur, si subsequens effectus illi attestetur.

Sed vtrumq; sit, videndum est iam, quæ sint signa suppurationis, de quibus alibi Hipp. & præsertim 2. & 3. de morbis. Dicit autem Hipp. oportere cognoscere, quia certe nisi hæc cognitio habeatur prædictio aliorum ad suppurationem spectātium, maxime infirma erit. Dicit etiam omnes suppurationes, non factas qualibet ex causa vel interna, vel externa, sed eas, quæ ex morbis acutis, præsertim pleuritide & peripneumonia originem ducunt, Itaq; ex decem signis, quæ proponit primū signum esse dicit, si febris nunquam dimittat. Et dicit (dimittat) vt intelligatur debere febrem antecessisse, tum propter morbum acutum, tum propter ipsam suppurationem, quæ dum fit, vt inquit Hipp. in aph. maior fit febris, tum quia ceteris suppurationis aliorum locorum factis, solent febres desinere, aut saltem multo mitiores euadere. Nam, vt præclare inquit Gal. communi quadam appellatione empyici, siue suppurati solent nuncupari, quib. aceruatim qualibet in corporis parte pus colligitur: Proprie tamen vocant sic, quibus colligitur pus, vel in pulmone, vel in ipso thorace, quod nisi statim extra reiiciatur, ibi contentum solet calorem præternaturalem solidis cordis, & consequenter aliis partibus communicare. Vnde oritur febris hectica, quam Hipp. intelligit illis vocibus (ὁ πυρετὸς οὐκ ἀφίησιν (& consequenter fit phthisis, & à phthisi mors. Nec possum satis videre Cardani loquacitatem, simul & nugacitatem, hoc in loco, vbi contendit probare febrem Empyicorū, nō esse neq; diariam, neq; putridam, neq; hecticam; sed sui generis esse Empyicam. Nam Hippocrates, qui & in epid. & secundo ac tertio de morbis plurimas febrium diffe-

Hectica à suppuratione facta, decem signa.
1. Febris remissiuncula.
Et causa eius.
Empyici qui.
Cardanus notatur.

differentias propoſuit, nunquam Empyicæ mentionem fecit. In Coac. dicit Hipp. febres ſuppuratorum ſequaces die eſſe λεπτὰς, nocte vero συντονωτέρας, quaſi eadem ſint ſecundum ideam, ſicut prius. Hanc febrem dicit Hipp. eſſe interdiu tenuem, & noctu maiorem, non quidem propria eſſentia, vt exponit Gal. cum ſemper alioqui ſit ęqualis ob corpora ſolida, in quib. eſt calor febrilis poſitus, ſed per accidens, hoc eſt gratia cibi. Vt enim calx, quæ contrectantibus alioquin eſt tepida, ſi ipſi aqua inſpergatur, fer[illegible]da euadit; haud ſecus inquit Gal. contingit corporibus hectica febre detentis, quæ irrigata alimenti madore, veluti accenduntur, & feruent; vnde calor febrilis multo maior euadit. Verum hæc Gal. expoſitio non leues patitur dubitationes, quarum prima eſt, quod ſi cibus id faceret, æque die, atq; nocte deberet, maior febris apparere, cùm tamen Hipp. ſolummodo noctis meminerit, quaſi id ſit ꝓpter noctis naturam, quod negant Gal. & Steph. Præterea non videtur exemplum calcis quadrare, quia calx priuſquam aqua maceretur, tactui admodum mitis eſt, calor vero hecticorum ſemper mordax, præſertim ſecundum arterias.

Hecticorum febres cur noctu maiores.

Ad primum aliqui reſpondent, conſueuiſſe veteres parum edere mane, multum veſpere; eapropter nocte magis effectum prædictum ratione copioſioris cibi contingere. Sed vt hoc verum eſſet in pleriſq; ſanis, minime tamen verum erit in ægris, & præſertim acute laborantib. de quorum victu loquens Hipp. ſæpe in libro ad id dicato, monſtrat, ſolitum apud Medicos nutriri tam pleuriticos, quã peripneumonicos bis in die. Stephanus Athenienſis dicens, quomodo calor in hecticis augeatur noctu, non gratia naturæ noctis, ſed ob alimentum inquit eos, qui febre hectica tenentur totum corpus ob colliquationem exiccatum habere. Vnde cum bibunt partes exiccatæ non quidem omnes ab humiditate potulenta irrigantur, ſicq; vapores mittant, qui febrilem caliditatem veluti elucere faciunt, donec potus in ventriculo contineatur.

Vbi autem alimentum iocinori, venis, atq; ambitui corporis diſtributum, & vnitum ſimiliter partes contrectatas irrigat ſimiles vapores excitans feruidos, & acres calorem febrilem intendi magis facit, atq; hoc rotum potius noctu contingit, quoniam tunc naturales facultates efficaciter operantur, nec nõ coctiones, & chylificationes proportionabiliter perficiuntur, quemadmodum & ſanguificatio, appoſitio, diſtributio, aſſimilatio, vnio, & ſimiles; haud ſecus ac in calce accidit, quæ cum habeat in ſeſe occluſam caliditatem, haudquaquam ab ea lædimur, ſi tangamus, & premamus, verum irrorata ea humido aliquo, & præſertim aqua, tunc caliditas, veluti religatur, & explicatur, ita vt ſine offenſa tractari nequeat.

Calx affusa aqua cur efferueſcat.

Verum quamquam hæc, quæ dicit Stephanus ſint veriſſima, haudquaquam tamen dubium omne tollunt; ſiquidem vbi quiſpiam, vt faciunt omnes ægrotantes, bis cibum capiant, æque tamen die, atq; nocte ſit nutritio, quam aliæ operationes naturales antecedentes, debent ſimiliter exiccatas partes irrigare, & propterea calorem febrilem intendere. Itaq; dicendum aliquam eſſe proprietatem in nocte, cur Hipp. dicat, tunc magis intendi in hecticis calorem febrilem. Et eſt, quia, vt dicit Ariſt. 25. ſect. Pr. 15. medium noctis ob maximam à ſole longinquitatem frigidiſſimum, & propterea etiam humidiſſimum eſt, ob quod clauſi corporis tunc magis, & veluti cohibiti vapores, qui eleuantur à cibo ſimul calorem maiorem efficiunt febrilem, haud aliter ac videmus noctu corpora ſana magis calere intus, quam die. Et propterea non ſolum meliorem coctionem, & nutritionem fieri, verum etiam animum ipſum magis valere, vt propterea veteres appellarint noctem Euphronē, non ob potationes, vt male apud Plutarchum ſeptimo ſympoſ. nono explicatur. Sed quia tunc à ſenſibus magis liber animus, & robuſtiores ſpiritus habens, valentius diſcurrere, & cogitare poteſt; vt etiam hac ratione, quemadmodum ait Ariſtoteles vndecima ſectione, Problematum trigeſimotertio, melius noctu, quam interdiu audiamus.

Nox Euphrone veterib. cur dicta.

Et quanquam pus perpetuo ſit cordi proximum, quia tamen ſatis benignum eſt, vt colligitur ex 2. aph. 47. cũ factũ pus minores dolores, & febres faciat, haud lædi

niſi

nisi vapores ipsius cohibeantur, vt ob id die etiam à cibo incalescant ægri, sed multo magis noctu, quam die ob retentos vapores, & ob animi magis tunc sentientis tranquillitatem.

Secundum signum suppurationis est sudor continuus, seu potius totius corporis mador, qui ipsis contingit suppuratis. In Coacis dicit Hippocrates, circa collum & iugulum. Et quanquam hic dicat, multi sudores, intelligendum est tamen de frequentia, & continuatione non copia, quia vere sunt exigui. Duplicem autem huius sudoris causam proponit Galenus, nempe facultatis retentricis debilitatem, nec non alimenti distributi dissolutionem. Quomodo autem hoc fiat, declarans Stephanus, ait, nutrimentum totum haudquaquam à facultate retineri posse, sed illius partem abscedere in cutem, ibiq; sudorem inducere. Verum hæc non potest esse Galeni sententia, quoniam pars alimenti per halitum potius insensibilem consumitur. Sudor autem fit, vt alias docuimus, & vt dicunt Aristoteles & Galenus ex eadem materia, ex qua vrina, scilicet ex materia potabili, quæ in hecticis ob exiccatorum membrorum raritatem non potest in vasis contineri. Sed præterlabitur atq; id assidue, quoniam semper eadem materia, & eadem vasorum dira ratio perdurat, nisi dicamus quoq; ex nutrimento vltimo vapores assiduo educi, qui ad cutim peruenientes, aeresq; frigore condensati in aquam, & sudorem vertuntur, vt dicebat Theophrastus initio libelli de sudoribus. Quod enim moribundi, & quod syncoptici sudent, est propterea, quia corpus patiatur. Alioquin omnes morientes sudarent, quia mors est passio cordis. Sed, quia virtus retentrix languida, humor copiosus, & vasa dirarata, aut reclusa.

2. Sudor eiusque, & huius causa.

Sudoris eadem quæ vrinæ materia.

Tertium signum est tussicula, seu, vt loquitur Hippocrates, tussiculi appetitus, & promptitudo absq; vlla sputi eductione. Etenim vt ait Galenus, si pus educeretur, haudquaquam empyemate consumerentur. Causa autem cur cupiant frequenter tussire, est exiccatio asperæ arteriæ molestans, & vaporum acrium à pure eleuatio, nec non ipsius pulmonis à pure læsio. Cur autem nihil expuant, aut adeo paucum, vt nihilo melius agant, quemadmodum ait Stephanus, triplicem dicit Galenus, esse causam, vna est puris viscidítas, & crassities; altera est densitas membranæ pulmonem succingentis; tertia est facultatis expultricis infirmitas; Et miror quomodo aliqui interpretes somniarunt, legendum esse apud Hippocratem βῆχες, καὶ θύμ@, id est, vt ipsi interpretantur, tussis fortis fit. Nam nec ipsorum interpretatio vllo pacto accommodatur verbis, quæ proponunt, græcis, nec etiam verum est, fortem esse empyicorum tussim; Imo in Coacis prænotionibus nil meminit tussis, cum alioquin cetera signa, vt hic apponat, forsan quod tussis contemptibilis sit, solaq; tussiendi cupiditas.

3. Tussicula, & huius ratio.

Quartum signum est oculorum cauitas, quæ cum sit exitialissimum signum, fecit nonnullos opinari Hippocratem. Sic loqui de Empyicis moribundis, cum alii secus, & melius existimarint, Hippocratem de quolibet empyemate post pleuritidem & peripneumoniam tam salutari, quam lethali verba facere. Causa porro; cur fiant oculi caui, est cõsumptio humorum, & spirituum vitalium facta ab assiduo calore febrili, & ab alimenti viuifici paupertate. Etsi enim, vt ait Galenus, hoc sit commune omnibus febribus colliquatiuis, & exiccantibus, vt hac ratione simul vniuersum corpus exiccetur, & consumatur, attamen magis, & citius apparet tabes in oculis, quod eæ partes molliores, & tumidiores ob spirituum vitalium abundantiam in iis apparentem citius, & promptius contabescant. Accedit etiam, & aliud, quod vt scribit Galenus 10. de vsu part. ca. 8. musculi mouentes oculos, ne agitatione irrequieta nimium exiccarentur, à natura fuerunt donati multa pinguedine, ob quam dicebat Aristoteles in Probl. oculos non rigere, quæ, vbi consumitur, musculi, & oculi, velut corrugati considunt, sicq; cauantur. Cur autem in suppuratis huiusmodi adeps colliquetur, & exiccetur est, quia ob communionem pectoris cum cerebro, & oculis, vt tussis docet, quæ ad fricatum oculorum oboritur, vapores à pure calidi, & tetri in cerebrum, & inde in oculos mittantur, ii contrectantes, & spiritus,

4. Oculorum cauitas, & horum causa.

& pinguedines, vttosq; facile violant, & violatos consumi faciunt; qua etiam ratione in sanis corporib. oculi caui, malorũ morum, & malæ valetudinis argumẽta sunt.

5. Genarum rubor, & causa. Quintum signum est genarum rubor, qui fit, vt ait Gal. tum ob tussiendi violentiam, tum ob cacochymiam, & ob pulmonis affectum, qui cum vapores in vultũ mittat calidos, hi attrahentes secum sanguinem ruborem inducunt circa partẽ carnosam, i. genas; cum tamen mirum, quantum ceteræ corporis partes, ob sanguinis exiguitatem palleant, cũm sint osseæ, vt docet Stephanus. Et Nicander hac ratione in Theriacis ponit inter signa veneni lepotis marini ruborem genarum; q peculiariter id veneni genus ipsos pulmones sauciare soleat. Sed dubitat Cardanus hoc in loco aduersus Gal. vt frequentissime solet, cur si hoc verum est, non etiam in pleur. vbi & tussis, & pulmonis feruor est, apparent genæ rubræ, hoc est, acuties illa malarum, quæ dicitur pomum. Et quanquam is aliam causam inuenire satagat, s. tenuitatem cutis illius partis, & corruptionem sanguinis, nihilominus quicquid dicit, reducitur ad vapores, & sanguinem tenuem, & feruidũ eo à pulmonib. affectis transmissum, quo pacto etiam in pudibundis solet similis rubor fieri.

Pomum, acuties est mala. um.

6. Curuatio unguium, & caussa. Tabes ferina, quid Hipp. Cardanus notatur. Sextum signum est, quod vngues manuum curui fiunt, propter q, solet Hipp. huiusmodi tabem vocare ferinam; causa est, quoniam caro supposita ipsis ad eos tectos sustentandos, cõsumpta, haudquaquam muneri sufficit, sed permittit inclinari & consequenter euruari; siue, vt dicit Hipp. lib. de loc. in homine, circumtendunt. Quod autem Cardanus in Gal. deblaterat de calore incuruante vngues, aut est merum somnium, aut calor non alia ratione facit ad inflectendos vngues, quam quod natiuo abeunte, & fibuli dominantur consumitur caro, cui adhærens vnguis manebat rectus.

7. Calor in summis digitorum, & caussa. Septimum signum est, secundum Steph. calor, qui in digitis, atq; adeo in ipsorum summitate percipitur. Etenim licet in morbis diuturnis calor natiuus extendi ad extrema nequeat, & propterea digiti potius refrigerentur, attamen in Empyemate summitates digitorum calidæ apparent, vt ait Steph. vel quoniam ibi adest humidus vapor ob carnem, quo magis calor manifestatur, vel quia motu illarum partium calor fouetur, & conseruatur; vel quia ibi ora venarum & arteriarum à iocinore & corde pertingentium, quę sunt caloris vehicula terminantur. Iam vero iecur & cor, cum maxime caleant in Empyicis ob vicinitatem puris putrescentis, non est mirum, si magis mittunt fuligines ad manus, quam in hecticis.

8. Pedum tumor, & huius causa. Octauum signum est, pedum tumor. In Coacis additur frigus, sed idem est, sicut in lib. de locis in homine dicit, genuum tumor, qui fit, quoniam totius corporis mortificatio semper & iure ab extremis, & ab corde remotiorib. partib. inchoat. Etenim enim calor imbecillus nequeat conficere proprium alimentum, fit vt illud crudum manens, atq; in flatum cõuersum, in pedibusq; retentum eos in tumorem eleuet, præterquam quod corpus humoribus prauis scatens eos ad pedes alioquin frigidos, infirmos, & ad suscipiendum aptos mittit, qui ibi retẽti faciunt tumorem, quod idem dicebat Aristoteles 1. sect. Probl. 6. contingere iis, qui diutina fame laborant, aut vitioso vtuntur alimento. In libro de locis in homine dicitur modo frigus, modo calorem percipi, & aluum calidam esse.

9. Ciborum inappetentia, & huius caussa. Nonum signum est inappetentia ciborum, q Gal. & Steph. dicunt contingere, q facultas appetitoria vna cũ aliis pene emortua est, nõ q, facultas animalis læsa sit, cuius est appetere, sed q non fit exuctio ob caloris extinctionẽ, à qua exuctione vis appetitoria solet excitari, q̃ tamẽ extinctio haud ea est, q̃ solet in moribũd. fieri, q̃ pxima morti accedit, sed fit ob vapores prauos ex pure vicino eleuatos, ipsiq; calori maxime aduersarios. Sic. n. Parium sine empyemate cum perpetua inappetentia plurimos dies vitã traduxisse, narrat Hip. 7. epid. sect. 3. hist. 1. Decimũ atq; vltimũ signũ faciunt pustulæ toto corpore efflorescẽtes, quas dicit Gal. fieri ex mordentib. ichoribus in corpore accumulatis, quemadmodum etiam Hippocrates initio 2. epid. dicens, fieri phlyctenas, vbi ichores circa cutim collecti incalescunt, sicque ipsam alioquin rationem effectam penetrantes, qua vero densior est firmati, & ipsam

10. Pustula totius corporis.

Phlyctenæ vnde & qui generentur.

ipsam à parte interna diuellentes huiusmodi papulas producunt. Atq; tunc magis vt dicit in Coacis, quando retinetur sputum, ac tussis cessat. Stephanus vult etiam à vaporibus acribus fieri posse phlyctenas. Verum (vt puto) alterius generis sunt, quã propositæ hoc in loco; siquidem vbi fiunt à simili materia cito accedunt, & recedunt, latiores fiunt, atq; ὑδρῶα, siue sudamina alibi vocantur ab Hippocrate. Idem Stephanus alia esse scribit signa, quibus cognoscuntur suppurati, vt defluuium capillorum, ventris profluuium, & eorum, quæ expuuntur fœtor. Nam diffluunt capilli, vel quia ipsorum radices à prauis, & mordacibus vaporibus, & ichoribus exeduntur, vel quia siccata cutis, haud permittit vapores, ex quibus pili fiunt, exire, & simul continuatos coniungi. Alui autem fluxus fit, nullum facultate naturali suum munus obeunte, scilicet nec attrahente, vel alterante, nec retinente. *Cur suppuratis capilli defluant.*

Ceterum fœtorem à putredine ipsius puris retenti fieri certum est: qui licet non statim prodatur, tamen vbi supra carbones inijcitur, facile percipitur. Sed Hippocrates non apposuit hæc postrema signa, quoniam sequuntur suppuratos iam penitus desperatos, atq; cadauerosos. Quanquam etiam ab ipso relata, sequantur etiam affectum difficilimum.

Ὁκόσα μὲν ὦν ἐγχρονίζῃ τῶν.

Suppurationes ergo diuturnæ.

QVod hoc in loco docet Hippocrates, satis perspicuum est, scilicet signa proposita partim indicare vetustam suppurationem, partim vero recentem. Vetustam significant signa posteriora, vt oculorum cauitas, inappetentia, tumores pedum, maculæ. Recentem vero significant priora signa, vt febris, tussis, rigor, grauitas, & præsertim, si his coniungatur spirandi difficultas, quę, vt ait Galenus, tunc oritur, quoniam pus occupans vacuas thoracis partes angustiam in pulmone facit. Sed cur dicit Hippocrates, oportere credere signis antiquam suppurationem ostẽdentibus. Certe hoc ait Hippocrates, quoniam adeo certa, & firma sunt signa cuncta antiquorum affectuum, & maxime empyematis, vt nullam relinquãt dubitationem, quemadmodum recentium indicia semper incertiora, & infirmiora sunt. Quod enim dicunt nonnulli pro difficultate spirandi hoc in loco debere intelligi, vt sit maior, non simpliciter, sed facta ad sanitatis tempus collatione, meræ nugæ sunt, sed totum intelligendum est facta ad antecedentem morbum comparatione, siquidem etsi semper sit difficultas anhelandi in pleuritide & peripneumonia, tunc tamen maior fit, quando nuper factum pus, & effusum, in caua thoracis, pulmonib. angustiam maiorem parit.

Ὁκόσαι δὲ ὀλιγοχρόνια.

Quæ autem celerius.

POstquam in vniuersum Hippocrates docuit rationem cognoscendi, & præcognoscendi suppurationes tam inueteratas, quam recentes, cum sibi proposuerit suppurationum doctrinam, nempe quæ præcipue acutos morbos, de quibus hoc in libro, & tractatu de vict. acut. agit, exactam satis tradere; nunc quoq; vult indicia tradere, quibus dignoscatur, quando cito, & quando tarde futura est suppuratio, id quod non parum habet momenti, tum ad præcognitionem, tum etiam ad prædictionem faciendam. Dicit autem Galenus signa, quæ conferunt ad præcognoscendum ruptionis suppuratæ partis periculum, ex iisdem etiam licere, quod cito fit subsecutura ruptio. Sunt autem quatuor signa, quæ ab Hippocrate proponuntur: dolor, difficultas anhelitus, tussis, expuitio siue πτυαλισμός, atq; hæc eodem ordine ab Hippocrate enarrantur, quo fiunt; siquidem primo dolor apparet: mox anhelãdi difficultas, rum tussis demum expuitio per tussim facta. *Signa cito futuræ ruptionis, quæ sint.*

Hæc enim si continuatim, hoc est, statim alterum post alterum fiant, atq; valida

 sint,

sint, breui, hoc est intra viginti dies futuram ruptionem est expectandum, si vero non continuatim, sed interposito aliquo tempore fiant, neq; fortia, & vehementia sint, tardius est expectanda ruptio. Addit necesse esse semper ante ruptionem adesse relata signa, nempe dolorem, difficultatem anhelitus, & ptyalismum.

Causa autem horum omnium, vt ait Stephanus & Galen. refertur ad ichores acres, & mordaces à pure emanantes, qui dum membranas, & thoracem, & pulmonem vestientes pungunt, dolorem faciunt, sicut iidem ichores ob tenuitatem easdem pertranseuntes, velutiq; ait Stephanus percolati, & ad asperam atteriam, ac laryngem pertingentes, nec non ad pharyngem, ad epiglottidam, & linguam, expuitionem producunt; tussim autem, quæ nihil aliud est, quam pugna spiritus, & humoris, facit spiritus vna cum illis ichoribus per asperam arteriam propulsi; quam deinde sequitur necessariæ difficultatis anhelandi augmentum, scilicet, quod vbi dolor vehemens est natura, eum veluti refugiens renuit multum dilatare thoracem, quo fit, vt crebro id facere cogatur; vnde post spirandi succedit difficultas, quæ etiam fieri potest, ob phlegmonosum tumorem thoracis spacium nimis occupantem, ita vt nequeat spiritus, vt deberet libere excurrere.

Circa hæc signa occurrunt quædam consideratione digna, vnum est, cur Hippocrates dicat, necesse esse ante ruptionem puris, fieri dolorem, excretionem, & anhelandi difficultatem. Alterum, cur proponens prius quatuor signa, in his postremis verbis dimittit tussim.

Circa primum dicendum est, Hippocratem vsum esse verbo (ἀνάγκη) vt significaret, nullam esse maiorem certitudinem puris cito exituri; quam vbi vehementior fit dolor, anhelandi difficultas, & expuitio. Primo de dolore certum est, quoniam cum pus fit materia, quæ veluti congelata erat, magis dilatata, & ampliorem locum exigens, non modo sua acrimonia magis rodit, verum etiam membranas, quibus complectitur distendens, acerbiores dolores inducit. Atq; hoc est, quod alias dicebat Hippocrates in aphorismis. Dum pus conficitur maiores fieri dolores, quam iam confecto pure. Sic quoq; maior fit difficultas spirandi, quoniam tunc magis arctatur spacium thoracis, ob auctam tumoris molem, ac ob dolorem minus audet natura longe, lateq; thoracem dilatare. Ceterum de expuitione, quod tunc fiat magis videtur dubium, quoniam si adhuc pus fit, & intra membranas continetur, quomodo potest quicquam illius excreatione educi? Nisi dicamus, vbi materia in pus conuertitur partem aquosiorem, & tenuiorem ipsius per mẽbranas iam distensas, & consequenter dirarata exsudare, ac per asperam arteriam in os peruenire.

Sed si ita est, quomodo fieri potest absq; tussi, etsi fieri nequit, quare igitur Hippocrates, (quod secundo loco quærebatur) dimittit dicere, necesse esse etiam tussis fiat, nisi hic quoq; dicatur, vel Hippocratem eam intellexisse sub excretione, quæ absq; tussi fieri non potest, vel potius eam dimisisse, quoniam reliqua tria certe maiora fiunt, quam prius erant, sola tussis non fit maior, quam antea, licet etiam & ipsa adsit.

Cur autem non fiat, maior est, quia tussis semper valida est, licet à principio sicca, proxime vero eruptionem puris humida, id est, cum expuitione est.

Quod vero dicunt aliqui de tussi, eam quanto maior est, esse magis salutare signum: quod indicet pulmonum robur: Exiguam vero, & instar sacci vitris fractis pleni, & concussi esse exitialem, non damno; quanquam certum est, vbi fiunt tusses validæ, si durent tandem ipsas vires labefactare, & tandem perdere; præterquam quod à vehementi tussi pendet, periculum pendet fractionis vasorum pulmonis alioquin debilium, & ad suscipiendas iniurias maxime obnoxiorum.

περιγί-

περιγίνονται δὲ τουτέων μάλιστα.

Seruantur autem.

TOtus hic contextus à Gal. prætermittitur, quod dicat esse satis per se manifestum. Etenim in ipso nil aliud facit Hippocrates, quam docet rationem præcognoscendi, atq; prædicendi, qui sint ex suppuratis seruandi, & qui non; vel vt dicit Stephanus, quæ sit bona ruptio apostematis, & quæ pessima; adeo vt quatuor ordines faciat. Vnum eorum, qui cito seruantur: alterum, eorum, qui tardo: tertium cito morientium: quartum tardo morientium. Sunt autem signa, quæ proponit Hippocrates, pro hoc toto cognoscendo sex, febris, dolor, sitis, appetentia, & natura puris, quod exscreatur, & alui status. Nam si bona futura sit ruptio, & celeriter liberandi eadem qua fit die statim fiunt sine febre, similiter fiant absq; dolore, hoc est, cum exscreant parum doloris, parum tussis habet; fiunt sine siti, & cum bono appetitu. Pari pacto, quod pus exscreatur, album est, consistens, læue, æquale, sine pituita, fœtore, aluus pauca, & compacta excernit. Sed si rupta vomica febris nihilo remittatur, aut videatur remitti; deinde increscat, dolor intendatur, simulq; sitis, & maneat inappetentia, aluus liquida sit, nec non pus fœteat valde, varium sit, atq; diuersam habeat cacochymiam, nempe viride, siue pallidum, & liuidum, vel pituitosum, & spumosum. Sciendum est, malam esse ruptionem, atq; moriturum cito ægrum; verum si ex prædictis signis aliqua adsint bona, aliqua vero mala, prout hæc, vel illa superant; sic bonum, aut malum euentum expectandum est, sed tardo.

Addit Hippocrates, omnino ex his, & ex aliis signis super euentum capere significationem oportere. Nam dicit ex his, quoniam licet alia signa adesse possint, prædicta tamen potissima habentur: Vel possumus accipere sententiam Hipp. tanquam moneat in omnium rerum iudiciis ferendis, haud aliqua tantum, sed omnia signa esse spectanda. Libro secundo de morbis, modum cognoscendi, an suppuratus sit euasurus, nec ne, à puris natura tantum videtur sumere, scilicet, si pus album, & purum fuerit, ac fibræ sanguinis insint, vt plurimum ægrum euadere sanum, quemadmodum si prima die profluat lutei oui speciem habens, aut secunda die defluat crassum cum virore sub pallidum, & fœtens dicit mori, vbi pus effluxerit. Nisi dicamus, Hippocratem loqui de pure, quod exit post sectionem, seu de iudicio, quod tunc fit; siquidem vniuersum capitur à natura puris exeuntis; secus autem est de pure per excreationem exeunte, quod minime sufficit ad significandam salutem, vel interitum. Atq; hæc est legitima sententia, & sententiæ interpretatio, quã proponit Hippocrates, & quam Galenus, sicco admodum pede, tanquam satis per se manifestum transgreditur.

Verum de causis, propter quas prædicta sex signa, si simul adsint, bonum sint, & cita sanitas speratur, quemadmodum econtra, si contraria sint, est, quia sex illis signis præsentibus bonis cognoscitur omnes facultates bene valere, sicut malis indicatur eas male habere, & aliquibus bonis, aliquibus malis existentibus, similiter aliquas bene, aliquas male habere.

Iam vero, vbi omnes facultates valent, quis nescit cito morbum expugnatum iri, nempe, qui valde superatur à facultatum robore; similiter, quando omnes collapsę sunt, & admodum fractæ, nemo est, qui non desperet, & citam mortem timeat, perinde atque vbi aliquæ bene, & aliquæ male habent, expectanda est tardius vel mors, vel salus, prout plures, vel male, vel recte habuerint.

Vt autem ex prædictis signis facultatum status cognoscatur, hinc intelligere licet; Nam aluus sana similis, hoc est, pauca egerens, & compacta, nec non pus laudabile, cum sint excrementa indicantia actiones concoctricis, & naturalis facultatis bonas fieri, eam similiter optime valere docet.

Pariter tussis, quę est functio animalis facultatis cum ope musculorum fiat, animalis facultatis bonum statum indicat facta faciliter, & absq; vlla molestia vel dolore, quemadmodũ quoq; appetentia, & sitis carentia. Iam vero febrem desinere, q̃

est passio cordis, vbi vitalis facultas domicilium habet, est quoq; argumentum, facultatem vitalem non posse male habere, sed potius magis reuiuiscere, & inualescere. Igitur si his omnibus iure significatur cunctarum facultatum robur, non ab re quoq; erit, vt contrariis signis contrarius status ipsarum significetur. Sed non sine ratione ab aliquibus dubitatur, vtrum verum sit, quod scribit Hippocrat. ægros cum illis bonis signis eadem die, qua apparent, sanari; etsi mala sint moti, quandoquidem cum suppuratio sit affectus potius diuturnus, non videtur eum posse habere, adeo subitas mutationes. Imo experientia etiam comprobatur, qui sani fiunt, non nisi longo tempore ad sanitatem peruenire, & qui perire debent non perire, nisi vere, aut autumno, quod tempus fatale constituit Hippocrates omnibus tabidis.

Ver & autumnus tabidis fatales

Dicendum est, Hippocratis sententiam ita esse intelligendam, vt qua die cum prædictis bonis signis, vel malis fit ruptio vomicæ, eadem fieri certum indicium, & concipi certam spem futuri interitus, vel salutis, non quod tunc vere sequatur effectus, cum vix id fit in acutis possibile, ne dum in valde diuturnis. Vnde in secundo libro de morbis, Hippocrates non dicit eum bonis signis statim euadere suppuratos, sed vel euasuros, vel morituros esse: id quod etiam dicendum de febre, quæ dicitur eadem die cessare, quoniam licet effuso pure in thoracem, vere penitus non cesset, attamen fit multo mitior, cum pus à corde sit remotius redditum, atq; inde certo speratur ipsam esse cito desituram. Nam hoc est quod dicebat Hippocrates 3. de morbis, vbi ex peripneumonia est facta suppuratio, adhuc febrem detinere.

Ὁκόσοισι δὲ ἀποστάσιες γίγνον[ται].
Quibuscunq; abscessus fiunt.

HActenus Hippocrates satis diserte docuit, quomodo cognoscendum sit, quando inflammationes pulmonis, & membranæ succingentis, costas vertitur in Empyema, & quando huiusmodi conuersiones sunt exitiosæ, vel salutares.

Ceterum, quia non solum fit conuersio horum morborum in pus, verum etiam fieri solet ipsorum conuersio frequenter in abscessus, raro autem fit per crisim, eapropter in sequentibus docere vult, & iudicium ferendum ex huiusmodi conuersione in abscessum, & modum id cognoscendi.

Primum autem de iudicio tractat, vt monstret magnam vtilitatem, quæ speratur ex præcognitione huiusmodi abscessuum. Sic enim ingenia magis disponuntur ad comparandas rerum cognitiones, vbi quampiam ex illis insignem vtilitatem expectant.

Peripneumonia succedentes abscessus iuxta aures boni.

Dicit itaq; eos, quibus ex peripneumonia abscessus fiunt circa aures, & suppurant, & fiunt ad infernas sedes & fistulantur, euadere. Quæ sententia, quoniam grauis est, & non exiguas dubitationes habet, exacte examinanda, & discutienda est. Dicit autem primo ἀποστάσιες, & non ἀπυοποιήσιες, seu ἐμπυήματα, quoniam ἀπόστασις, quandoq; ad suppurationem peruenit, quandoq; vero non suppuratur: Est enim apostasis, id est, abscessus, vt loquitur Celsus, vomica, recessus materiæ à parte ad partem, qui vt scribit Galenus primo epid. comment. 2. text. 3. & sexto epid. 3. text. 39. dupliciter fit, vel per ῥύσιν, seu per effluxum, vel per ἀπόθεσιν: atq; hæc vel tota materia deposita in alium locum, quæ est vera conuersio morbi, vt optime animaduertit Galenus tum primo epidem. commentar. secundo, text. vigesimoprimo; tum 4. de acut. text. 67. vel tantum parte, qui simpliciter dicitur abscessus, atq; vterq; vel ad suppurationem venit, vel crudus manet. Itaq; Hipp. loquitur hoc in loco de abscessu, qui fit per transmissionem totius materiæ, & ad suppurationem venit.

Abscessus seu vomica quid.

Eius duplex modus generandi.

ἐς τὰ κάτω χωρία.

Vel ad infernas.

HIc duplex est Lectio, altera cum particula copulatiua, perinde ac si dicat, &c. Altera cum aduersatiua, veluti dicat, &c. Sed postrema hæc melior, & verisimilior; quemadmodum etiam habetur in Coacis prænotionibus, quasi hæc sit germana Hippocratis sententia, eos seruari peripneumonicos, quibus morbi materia vel ad aures fertur, & suppuratur, aut ad infernas partes, & fistulantur. Συριγγοῦνται, dicit Hippocrates sua lingua, quæ vox etiam alibi sæpe inuenitur, ab ipso vsurpata; imo etiam librum περὶ συρίγγων proprium fecit. Est autē fistula, vt definierunt Celsus, Galenus, & Paulus, vlcus cauum, oblongum, anfractuosum, & callosum ad imitationem musicorum instrumentorum, quæ præter longitudinem, etiam spiras, & anfractus habent. Vlcera autem, quæ sequuntur abscessus, solent sæpenumero in huiusmodi fistulas conuerti, presertim si durent, ac diuturna sint; quemadmodum clare docet Hippocrates libro proprio de fistulis, atque etiam ex hoc loco colligitur. *Fistula quid.*

ἤτοι περιγίνονται.

Hi superstites.

ORitur hoc in loco non leuis difficultas, quomodo Hippocrates dicat, seruari peripneumonicos, quibus fiunt abscessus circa aures. Nam quod seruentur abscessibus ad infernas partes, & rationi consentaneum est, & ab Hippocrate significatum, qui secundo epid. scripsit, abscessus salutares debere fieri in partes infernas, & infra morbum. Sed quod iuuent abscessus circa aures, non modo videtur contra commemoratam Hippocratis sententiam, verum etiam à ratione prorsus; siquidem humor biliosus, qui facit pulmonum inflammationem præter naturam sursum ascendens, atq; adeo proxime ad cerebrum, æquum videtur, vt id eximie lædat.

Pro resolutione dicendum est, Hippocratem hoc in loco non dicere parotidas, seu abscessus circa aures esse suapte natura salutares, sed si fiant, nulla alia ratione, posse ægrotantes seruari, nisi per suppurationem, & diuturnam puris emanationem, quæ fistulis contingit, alioquin omnes aliæ mortales sunt, & præsertim quæ fiunt à succo calido, & propterea rubræ, ac dolorificæ sunt, quemadmodum ab eodē Hippocrate habetur in Coacis prænotionibus. Nec valet quod Hipp. in Coacis dicat, aliam esse rationem euadendi ab parotidibus, scilicet largum sanguinis profluuium, vrinæ crassitiem, & alui fluorem; quoniam parotides, quæ fiunt alia ratione, & præsertim à capitis repletione possunt sic esse salutares; sed quę sequuntur peripneumoniam nulla alia ratione, quam supputatione possunt suppurari. Primum, quia si per aluum, & vrinam natura posset humorem noxium euacuare, aut etiam per sanguinis fluorem; certe id faceret prius, quam contra naturę propensionem illum sursum mitteret; Vnde cum sursum iam missus sit, atq; firmatus, non alia ratione nisi per coctionem, & in pus laudabile conuersionem, eiusq; longam eductionem superari potest.

Etenim, vt optime monent Galenus & Stephanus, materia, quæ à pulmonib. inflammatis sursum mittitur, necesse vt cruda sit, alioquin si esset cocta, non sursum mitteretur, sed per excretionem euacuaretur, aut paulatim cocta in flatus conuerteretur sicq; dissiparetur. Sed quid dicemus de zoilo, commemorato ab Hipp. li. 2. epid. sect. 3. qui in peripn. cum parotide, & puris exitu iudicatus est 14. die sine rigore, quasi vero haud necesse sit, vt suppuratus abscessus diu duret, & fistulam faciat? Respondeo, zoilo præter puris exitum contigisse etiam sudorem, atq; incipiente dolore vētrem fluxisse: vnde colligitur magnā partem morbificæ materiæ aliis viis fuisse

fuisse euacuatam, quanquam & particulam illam (fistulati) posse tantum referri ad abscessus inferiores, ac de iis solis intelligi. Quod porro abscessus ad infernas partes iure possint peripneumonicos seruare, satis clarum est; siquidem materia à pulmone in cor transmissa, atq; inde venam cauam ingressam facile ad inferna loca, hoc est, ad crura procumbit, vbi suppurata, atq; diu sinens ab omni periculo liberat; quæ est etiam ratio, cur cauteria in cruribus parata possint, non modo iocinoris & lienis, verum etiam pulmonum vitia finire.

ἐπισκέπτεσθαι δὲ χρὴ.

Considerare autem.

HÆc est altera pars sententiæ, secundum Stephanum, in qua Hippocrates post iudicium de abscessibus in peripneumonia docere vult, quomodo sit cognoscendum, esse futurum abscessum, & in qua parte. Atq; primum docet, prædicendū & præcognoscendum esse futurum abscessum, si signa salutaria adsint, antea narrata, & nihilominus febris, atq; dolor durent, sputum non excernatur pro ægritudinis ratione, non fiant deiectiones biliosæ ex ventre, neq; faciles solutionis, neq; sinceræ, neq; vrina multa, & crassa, & cum multo sedimento exeat. Etenim cum morbus non est lethalis, & tamen producit cum acutie, necesse est, vel coctione, vel crisi, vel abscessu finiatur. Si enim sunt modi, quibus acuti morbi solent finiri. Iam vero vbi dolor; & febris est, non potest esse coctio, quia, vt habetur in aphorismis, desinunt, aut valde minuuntur dolores, & febres, facta coctione, neq; etiam crisis esse potest, quod materia sit cruda, & quod non fiat debita excretio; neq; per sputum, neq; per aluum, neq; per vrinā. Vnde necessario sequitur, vt per abscessum sit morbi finis expectandus. Quod absentia vrinæ copiosę, & crassę, cum nullo sedimento sit signum futuri abscessus, videtur Galen. putare rationem, quia similis vrina sit coctionis indicium, qua solent morbi finiri. Sed puto ego potius esse, quia eiusmodi vrinæ excretio euacuat eam materiam, quæ alioquin abscessus causa esse posset, idque ab Hip. dictum est 4. aph. 74. quando scripsit eos, quibus futuri sunt abscessus in articulis, liberari vrina multa, & crassa, & alba. Cur similiter deiectiones biliosæ, & sinceræ non prædicant abscessum futurum arbitrantur Gal. & Steph. esse, quoniam abscessus fiunt non à biliosa, sed à materia frigida, & crassa, quam non adesse mōstrant deiectiones biliosæ.

An abscessus sit futurus, vnde noscatur.

Omnes acuti morbi tribus modis terminātur.

Verum hæc ratio haudquaquam mihi placet, quoniam cum hic agatur de inflammatione pulmonis, quæ est soboles sanguinis biliosi cum pituita mixti, nō potest in ea fieri abscessus à materia pura, frigida, & crassa, quæ non adest; sed necesse est, fiant à biliosa, saltem per superabundantiam, hoc est, à frigida, & crassa multa bile admixta. Alioquin si tota esset frigida, & crassa, quomodo posset suppurari, præsertim in partibus infernis, aut prope cerebrum, quæ sunt membra frigida? Itaque multo satius videtur esse dicere, propterea excretiones biliosas non indicare abscessum, quia prohibent, cum materia, quæ pituitæ mixta, facere posset abscessum, per eam partem alui euacuetur. Imo vero etiā abscessus factos, vt parotides superueniente alui fluxu scimus curari, cum Hip. scripserit 1. epid. sect. 2. turbercula iuxta aures, quæ nec sedantur, nec in suppurationem deueniunt ex biliosis profluuiis, aut dysenteriis, aut crassarum vrinarum sedimento sanari. Inueniendus locus male citatus à Cardano.

De alio, quod ait Hippoc. nisi sint εὔλυτοι καὶ ἄκρητοι, exponent nonnulli, vt ait Galen. pro (εὔλυτοι) aluos moderate fluentes: pro ἄκρητοι vero aquosas, & immixtas deiectiones, quasi aluum ita dispositam habentes, non debeant expectare futurum abscessum. Sed verissimum est, atq; sæpe à Gal. significatum, præsertim autem libro 7. aph. 6. & 23. nec non 1. in 1. epid. & 2. in 3. ab Hippo crate deiectiones ἀκρήτους vocari, seu sinceras, quæ mere biliosæ sunt, nullamq; secum humiditatem habeant cōmixtam. Etenim vbi in inflammatione pulmonis, quæ fit à sanguine pituitoso, & biliosó,

bilioso, fiunt excretiones biliosę, nullam crudam humiditatem habentes, soluitur morbus per excretionem, non autem per abscessus, qui potius fiunt crudis succis existentibus.

Notandum, Hippocratem dixisse (attendere oportet) quoniam valde interest, ne Medicus in hoc decipiatur, & propter humorem, & propter ægti salutem.

Γίνονται δὲ αἱ μὲν ἐς τὰ κάτω.

Fiunt autem.

CLara est præsentis dictionis cum antecedente connexio. Nam supra docuit Hippocrates, quomodo in peripneumonia salutari sit præcognoscendus futurus in vniuersum abscessus. Sed quia id non satis ad existimationem Medici conseruandam, & ad prospiciendum pro curatione, nisi peculiariter sciatur, in quem præcise locum sit materia decubitura; iccirco nunc docet modum, & rationem, quibus possit locus pręcognosci abscessus futuri, an scilicet supra thoracem, an infra thoracem, hoc est, in cruribus sit futurus abscessus. Sic enim supra dixerat retro futurum abscessum in altera harum partium, & rationabiliter, quoniam cum morbus sit in ipso thorace, hoc est, in medio corporis, & facienda sit humoris translatio in alias partes, necesse est vel in superas vel in inferas efficiatur.

Quod igitur dicit Hippocrates, in pręsenti sententia est fieri abscessum in partibus infernis, seu sperandum esse fore, si quid phlegmonis circa ipsa hypochondria appareat; Econtra expectandum esse in partibus supernis, si prius repente, aut exiguo aliquo tempore facta respirationis difficultas, repente quoq; desinat absq; vlla manifesta causa, sed ipso hypochondrio molli existente, & sine dolore. *Abscessus quando supra vel infra futuri sint.*

Dicit Hippocrates, τοῦ φλέγματος, quo in loco notare licet, hoc nomen φλέγμα ἀπὸ τοῦ φλέγεσθαι, hoc est, incendi, deriuari, ita vt propria sit ipsius φλέγματος significatio, incensio. Imo fuerunt, qui hac eadem ratione φλέγμα, quod est humor pituitosus esse calidum putarint. Itaque Hippocrates vera significatione vsus hic, vt omnes interpretes conueniunt nomine φλέγματος, intelligit inflammationem, siue propriam, siue erysipelaceam vocatam, cuiusmodi loqui solet sæpissime Hippocrates, vt libro de affect. 2. de morb. septimo epid. atque alibi sępe. Sic etiam in libro de aër. aqu. & loc. & in Coacis prænotionibus vocat vlcera phlegmatodea, quibus iuncta est inflammatio. *φλέγμα quod sunt Hipp.*

Est igitur Hippocratis sententia, vbi in peripneumonia fit ardor, & inflammatio, ac dolor circa hypochondria, abscessus esse expectandos in partibus infernis: & ratio est, quoniam calor, & dolor ibi geniti aliunde nequeunt proficisci, quam à materia calida eo delapsa, seu depulsa à natura. Vnde quarto de acutis, & secundo in pleuritide dolore ad hypochondria descendente, iure canet, ne sanguis mittatur à partibus superioribus, ne scilicet materia, quæ salubrius fertur ad inferiora male, & cum graui periculo retrahatur ad superiora.

Cur autem in Coacis prænotionibus, vbi hæc eadem sententia habetur, non vsus sit voce φλέγματος, sed φλεγμόνης, nulla alia ratio potest afferri, nisi quia id Auctori placuit, postquam perinde erat vtroque modo loqueretur.

Atque hoc modo præcognoscendum est, an abscessus futurus sit in infernis partibus.

Præcognoscitur autem in supernis, si hypochondria mollia, & indolorosa sint, atque respiratio aliquo tempore difficilis facta sit absque vlla causa manifesta.

Dicit Hippocrates, si hypochondrium molle, & absque dolore διατελέει, id est, perduret, quoniam opus est vt hypochondrium, quod antea erat durum, atque cum dolore, non modo fiat molle, & vacuum dolore aliquo tempore, verum etiam perduret: alioquin si abiret, & rediret, vt faciebat Heropyto dolor ischiadicus, & parotis, minime firmum esset iudici-

iudicium. Dicit ſpiratio difficilis aliquo tempore fiat per contrapoſitionem durationis mollitiei hypochondriorum. Nam ſi duraret etiam difficultas anhelitus, ſignum eſſe in pectore firmari materiam, quemadmodum ea parum durãte, ſignum materiam non firmari, ſed tranſire tantum à pectore, & hypochondriis per pulmonem, & aſperam arteriam ad partes ſuperiores; Propterea: expectandum eſſe materiam ibi firmatam iri, atq; abſceſſum eſſe ſecuturum. Sic etiam in Coacis dicebat, tumore hypochondriorum euaneſcente ſpirationem frequentem biliosis in febre acuta parotidem euomere.

Ἀδὲ ἀποστάσιες αἱ ἐς τὰ σκέλεα.

Verum abſceſſus.

POſtquam docuit Hippocrates, quomodo præcognoſci queat futurus abſceſſus, vel in ſuperis, vel in inferis partibus; Nunc docere intendit, quod iudiciũ vtriuſque abſceſſus ſit ferendum de ipſorum euentu.

Et notandum eſt, licet Hippocrates tantum de abſceſſu inferiorum partium loquatur; attamen ex huiuſmodi iudicio poſſe etiam iudicari de abſceſſu ſuperiorum partium. Declarat autem primum, qui ſint abſceſſus vtiles; deinde, qui optimi, qui neceſſario ſalutares. Sic etiam loquitur Hippocrates primo de morbis; Poſtremo, qui ſint mali, quos omnes gradus vocat Stephanus προσδιορισμὸς. Nos ſigillatim vnumquemq; perſequemur eodem ordine, quem Hippocrates obſeruauit. Dicit itaq; eos abſceſſus, qui in cruribus fiunt in peripneumoniis fortibus, & periculoſis eſſe λυσιτελέας, id eſt, vtiles; eodem pacto, quo dicit in 2. epid. ſect. 1. abſceſſus, qui fiunt infra morbum, & in partibus infernis eſſe bonos; Ratio eſt, quia quanto longius à ſede morbi pellitur materia, eo melius eſt, & præſertim quando à nobilibus partibus ad ignobiles truditur.

Alius gradus, ſeu προσδιορισμὸς abſceſſus eſt eos eſſe optimos, qui non modo fiunt in crurib. ſed apparente coctione in ſputo, quæ cognoſcitur, vbi ex flauo permutatur in purulentum. Quod ſi tumor, & dolor adhuc ſunt, cum fiant ſymptomata maiora, cum pus conficitur, vt dicit Hippocrates 2. aph. vbi ea adſunt; atq; ſimul ſputum exeat cum ſignis puris, id eſt, coctionis, tunc ſecuriſſima eſt ſalus, atq; ſpes cito deſituri, & doloris & totius morbi. Nam eſt irrefutabilis ſententia Hippocratis, coctionem ſemper indicare ſecuritatem, & celeritatem iudicii, ſcilicet quantũ pertinet ad illum morbum, qui oſtenditur ab ipſa coctione, vt propter hanc rationem hoc etiam in loco dicat Hipp. apparente coctione in ſputo ſecuriſſimam eſſe ſalutem, citoq; & dolorem, & abſceſſum eſſe finiendum; quemadmodum econtra inquit, ſi ſputum non exeat recte, neq; vrina appareat bonam ſubſidentiam habẽs, periculum eſt, vel articulum futurum claudum, vel multam difficultatem eſſe paſſurum. Igitur ex his clariſſime patet, quod Hippocrates doceat eſſe expectandum, & prædicendum, vbi peripneumonia in abſceſſum partium inferiorum terminatur, vt ex his æſtimare quoq; liceat, cum ſit abſceſſus in partibus ſuperioribus, ſi ſuppuretur, & reliqua coctionis, atq; ſecuritatis indicia coniungãtur, ægrum ſeruatum iri debere. Sin vero neq; ſuppuretur, neq; vlla coctio appareat expectandum eſſe loco claudicationis interitum, quod malum ſit prope membrum principale.

Ceterum circa hanc totam ſententiam nonnulla ſunt non inutilia examinãda: Primum eſt, cur Hippocrates dixit, in cruribus potius, quam in aliis infernis partibus; Secundum quærendum eſt, cur dicat in peripneumoniis fortibus & periculoſis; quandoquidem quælibet peripneumonia eſt morbus acutus, & propterea periculoſus, cum character morbi acuti ſit vt celeriter, & cum periculo moueatur; Tertium eſt, cur Hippocrates indicia ſalutaris abſceſſus proponens, dimittit vrinæ coctionem. Praui autem ſigna referens cruditatis vrinæ, ſigna quoq; adiicit; Quartum eſt, quare abſceſſus inferni cum cruditate euentum dicit eſſe articuli claudicationem, aut multas moleſtias.

Ad

Ad primum puto, causam fuisse, quod crura tam propter situm, quam propter motum sint aptiora, non modo ad suscipiendam materiam influentem, verum etiam, vt dicit Stephanus, πρὸς τὸ συριγγοῦσθαι, hoc est, ad fistularum generationem, quæ fistulę, cum diu durent recipiendo, & effundendo materiam morbificam, vero possunt omnes graues morbos finire, præterquam quod etiam ratione illius figuræ cauæ, & anfractuosæ non potest materia, quæ eo semel fit delapsa in alias partes diffundi, sed necessario vel ibi consumitur, & dissipatur, vel extra funditur.

Ad secundum, cur dixerit in pulmoniis fortibus, & periculosis, dicendum est, vel eas duas particulas esse positas, vt explicatiuas, quasi dicat, in peripneumoniis, quæ sunt morbi fortes, & periculosi; vel dicendum, peripneumoniarum quoq; sicut aliarum inflammationum aliquas esse grauiores, aliquas vero minus graues, & ideo Hippocratem voluisse illas duas particulas addere, vt doceret, quantumuis magnæ, & periculosæ sint pulmonum inflammationes; attamen semper in iis bonos, & vtiles esse abscessus in partibus inferioribus obortos, quod etiam debet intelligi, & de aliis cunctis vehementibus partium superiorum inflammationibus.

Ad tertium, cur dimittat vrinæ coctionem, respondet Galenus, in salutari abscessu apposuisse signa coctionis sputi, quæ necessaria sunt, vt bonum fit. In pernicioso vero sat fuisse ipsi dicere, si non procedat sputum recte, quoniam ad iudicandam morbi prauitatem sufficit, dicere non exire recte, non quemadmodum dicere tantum, quod sputum exeat, vel quod sit concoctum, neutrum sufficiens signum est; siquidem sæpenumero expuitur abundanter, & tamen morbus crudus est, vel vti vice versa non raro morbo existente cocto, nihil tamē expuitur effatu dignum, aut saltem non pro ratione morbi; atq; id vel ob facultatis thoracem mouentis imbecillitatem, vel ob materiæ crassitiem & viscoditatem, vel propter vtramq; simul. Ex quo patet, oportere si morbus debet esse salutaris, non modo coctionem apparere, verum etiam sputa rationabiliter prodire, quemadmodum econtra ad testandam ægritudinis prauitatem sufficit, si vel non videatur coctio, vel non expuatur. Vnde ait Galenus, ab Hippocrate signum coctionis vrinæ appositum fuisse ἐκ τῆς περιουσίας, id est, ex superabundanti, quoniam certissimum est, multo difficiliorem esse pulmonum inflammationem, in qua nil expuitur, vbi ipsi coniungitur aliorum succorum in venis existentium, cruditas esse vero moderatiorem, in qua est coctio, licet nil expuatur, nec recte expurgetur pectus.

Possumus etiam respondere, vt aliis placuit, quod in pulmonia sputi signum primarium, coctio vero vrinæ secundarium, & quod signa secundaria ad afferendā salutem parum valent; verum ad periculum significandum valde possunt; Sed forsan melius est dicamus, propterea adiecisse Hippocratem signum vrinæ, quoniam cum de abscessibus futuris circa articulos loqueretur, ad eos significandos magnopere valet vrina, quæ sedimentum quidem habeat, sed non bonum iuxta eum aphorismum 74. lib. 4. vbi Hippocrates inquit, quibus futurus est in articulos abscessus, liberare vrinam multam, & crassam, & albam. Etenim hæc vrina indicat crudos succos in venis, qui iuncti cum materia thoracis cruda, sed non adeo multa, tanto magis ad claudicationem inducendam faciunt.

Ad quartum respondendum est, Hippocratem supra nominasse crura, & nunc nominare articulum maximo enim iudicio. Siquidem res ita sese habet, vt abscessus fiant circa inferiora, & inferiorum circa crura, & crurum maxime circa articulum.

Nam primum natura nititur humores noxios, quam longissime à pectore, & corde propellere, nec non ad ignobiles partes cuiusmodi sunt inferiora: Inter inferiora autem potissimum crura suscipiunt humores, tum ob horum crassitiem, & grauitatem, tum maxime extrema sunt crura & capacia.

In cruribus vero, vt ait Galenus, potissimum circa articulos fiunt abscessus, tum quia hæc pars caua & spaciosa est, tum quia ipsa præcipue mouetur, adeo vt ratione spacii facile suscipiat; ratione motus incalescat, & calefacta attrahat.

Cur porro claudicationem succedere periculum sit, non ob aliud est, quam quod materia propulsa cum sit cruda, & in partibus à caloris sede remotis, propterea; frigidis sistatur, haud coqui faciliter, & consumi potest, sed potius cruda permanens, atq; indurata motum ipsius articuli non parum impedit, quamquam hoc non semper fiat, vt bene notat Galenus, sed aliquando. Sic enim podagricos videmus claudicare ob similes abscessus, sic Auerrh. in Collect. scribit, se ex grauissimo & acutissimo morbo arthriticum, atq; impeditum remansisse. Sic quoq; Hippocrates 2. sect. 2. & 4. epid. testatur, abscessus, & claudicationes oriri. Veruntamen id habent huiusmodi abscessus, vt quanquam graues sint, & claudicare faciant, liberent tamen à morte, ac propterea semper ab Hippocrate commendentur, quasi hæc ipsius germana sit hoc in loco sententia, abscessus infernos cum signis coctionis cito finire morbum, & finiri. Qui vero fiunt cum cruditate, finiri quidem acutos morbos, sed non ipsos desinere, nisi vel cum impedimento, vel cum aliqua alia molestia.

Vnde patet, quam mirabilis Hippocratis sit, & quantum gloriæ possit medicus comparare, si his Hippocrates obseruationibus instructi ad prædicendum sese prudenter componant.

Quæ porro sint aliæ molestię, quas dicit Hippocrates, subire eos, qui euadunt cum signis cruditatis præter abscessus, nemo videtur proposuisse. In Coacis pręnotionibus, vbi hęc eadem sententia habetur, scriptum est, non cum particula aduersatiua, sed copulatiua, ita scilicet κινδυνεύειν χωλωθῆναι τὸν ἄνθρωπον, καὶ πολλὰ πρήγματα παρέχειν, quo pacto, si hic quoq; legatur, nulla dubitatio esse potest; siquidem ipsam claudicare complures habet secum molestias, & difficultates.

Verum si cum aduersatiua particula legatur, dicendum est, quod vbi materia cruda existente non succedit claudicatio, alia mala succedere, nempe dolores podagricos, vlcera, tumores, aliosq; similes affectus.

ἢν δὲ ἀφανίζωνται καὶ.

Si vero euanescente.

HVnc dicit Stephanus, esse quartum προσδιορισμὸν, in quo Hippocrates docet, quid sit predicendum, vbi statim abscessus facti disparent. Sed vera continuatio est, quod cum Hippocrates retro docuerit, quid portendat abscessus superiorum, & inferiorum partium permanentes; nunc docet, quid portendant, vbi non permanent, sed disparent, & quia disparentia, vt dicit Hippocrates secundo epid. vel disparent sine signo, ἀσήμως, inquit ille, vel cum signo, id est, coctione: Ideo quid disparens absque signo significet perspicue docet, dicens, si abscessus facti occultentur, & recurrant sputo non exeunte, & febre perdurante, graue est, quoniam periculum imminet, ne deliret, & intereat æger, quasi dicat Hippocrates, si dispareant sputo exeunte, & febre abeunte bonum esse: Id enim est in more positum Hippocrat. vt breuitatis studiosus vno tantum contrariorum apposito, simul etiam & alterum intelligatur. Iam videamus, quid pro vsu artis in hac dictione contineatur; Si repente euanescant, & recurrant. Cur Hippocrates his duabus vocibus sit vsus, nititur Galenus demonstrare ex vtriusq; verbi significatu proprio; siquidē ἀφανίζεσθαι, non est idem quod παύεσθαι, sed hoc generalius est comprehendens cuncta ea, quæ quomodolibet desinunt, cum illud f. disparere significet celeriter, & ex improuiso desinere. Quod autem aliqua desinant repente, dupliciter fieri potest, vel succis tenuib. rara parte, ambiente feruido, facultate pexpultrice robusta, & adhibito pharmaco valido existentibus, vel succis iisdem alioquin prauis existentibus ad locum vnde abscesserunt recurrentibus, vel sese intro ad loca principaliora recipientibus. Vnde & Hippocrates demonstraret, se loqui non de quouis modo disparentibus, sed de iis, quorum humores reuertuntur intro, vsus est, nō solum voce ἀφανίζεσθαι, verum etiam παλινδρομέειν, quæ proprie significat recursum humo-

Quid sit disparens ἀσήμως.

humorum intro, & in Coacis prænotionibus hac sola voce vsus est, quoniam idem significat. Dicit sputo non &c. quod Hippocrates 2. epid. vocabat disparere ἀσήμως, id nunc signat per particulam, non exeunte sputo, nec desinente febre. Etenim vt sæpe diximus ex Hippocrate 6. epid. suppuratum non reuertitur, quia adest coctio crisis & abscessus. Vbi autem est facta coctio, febres desinunt, & materia cocta excernitur. Quare idem est dicere, sputo non exeunte, & febre perdurante, siue vt habetur in Coac. febre comitante παρακολουθοῦντος, atq; dicere sine signo coctionis. Subiungit Hippocrates, hoc esse δεινόν, id est, graue, & horrendum, seu timendum. Cur ita sit, exponit causam, scilicet, quia periculum est, ne deliret & intereat æger. Videndum est autem, quomodo hoc periculum adsit, qua de re neq; Galenus, neq; Stephanus quicquam dixerunt. Vt autem veritas huiusce problematis intelligatur, illud supponendum est, quod ab aliquibus minime fuit suppositum, nempe Hippocratis sententiam, non modo de superioribus abscessibus, verum etiam, quod minus videtur, de inferioribus esse intelligendam, scilicet, si euanescant, & repente recurrant absq; signo, imo cum cruditatis signis, & delirium, & mortem minari. Atq; vt de superiori loquar, certum est, vel parotidas, vel alios abscessus, vbi occultantur, & retrocedunt, humores iam & ibi, & in pectore putrefactos, & corruptos, vel relabi in cerebrum, vel in pulmones, hoc est, in locū, vnde discesserunt, vbi adhuc prauitatē, & corruptelam maiorem adipiscentes dum cerebrum, aut pulmones violant, & delirium, & post delirium, necem afferunt, aut consūmtione, aut suffocatione. *Quomodo delirium à vanescētib. abscessibus partium superiorum.*

De abscessibus autem inferiorum partium, vel disparentium, vel retrocedentium, maius est negotium reperire, quomodo possint delirium facere, & mortem. Narrat Hippocrates 1. epid. comm. 3. text. 23. Critonem quendam cum tumore pedis delirasse, & secunda die obiisse, quam historiam cum examinaret Galenus, duo dixit memoranda; vnum est, naturam in Critone esse conatam humores malignos in partes extremas deponere, sed cum non potuerit pars totam suscipere illius magnam partem relictam recurrisse in caput, ibiq; propter prauitatem statim delirium peperisse. *Quomodo delirium à vanescētib. abscessibus inferiorum.*

Alterum, quod dicit, est, se mirari, cur Hippocrates non secuerit venam. Veruntamen forsan id fecisse, quoniam sero ad ægros adsciscebatur. Ceterum Galeno in primo quod dicit assentior, imo non alia ratione, puto etiam in peripneumonia materiam recurrentem facere delirium, & mortem, nisi quia sæpius corrupta malignitatem acquirunt, cuius merito, & delirium, & mors sequuntur, vt in Critone. Sed quod secundo loco dicit, Hippocratem non secuisse venam, quia tardo fit vocatus; haud mihi persuadere possum, quia si secunda die morbi interiit, & affuit, quomodo potuit sero esse vocatus. Itaq; magis mihi placet, dicatur non secuisse venam, quia immensa aderat malignitas, vt ipsemet colligit ex subita apparentia nigrarum phlyctenarum.

Vbi autem est huiusmodi ingens prauitas, haudquaquam possunt vires ita esse robustæ, vt queant sectionem venæ sustinere; præterquam quod cum Hippocrates statim atq; vidit ægrum, potuerit præcognoscere ipsum fuisse cito periturum, haudquaquam voluit, & seipsum, & remedium infamare. Est & aliud accommodatissimum huius sententiæ exemplum ab Hippocrat. propositum, tertio in tertium epid. 76. vbi narrat, quidam Calno in Laryssa dextrum crus subito doluisse, cumq; nullum remediū conferret, hoc est, vt puto, nec sectio venæ, nec localia, sibi omnia fuisse exacerbata, doloreq; cruris desinente, mentem sibi turbatam, atq; ad insaniam fuisse deductum, tandemq; quarta die obiisse; ita, vt abscessus à partibus infernis disparens, & recurrens pepererit delirium, atq; mortem, vt sic monet Hippocrates. Galenus autem eam historiam interpretans præclaram, atq; vtilissimam theoriam circa dolores proponit, 1. vbi dolor & abscessus fit in aliqua parte, si sint manifesta plenitudinis indicia, prius quam deueniatur ad localia medicamenta, siue repercutientia, siue dolorem sedantia, siue discutientia, esse per sanguinis missionem euacuandum.

cuandam. Sin vero nulla adsint plenitudinis indicia, vtendum esse iis, quę calida, & humida moderate existentia dolorem leniunt, quibus nil iuuātibus ad euacuationem esse accedendum, quod sæpe adsit vel vniuersalis, vel particularis aliqua plenitudo, quæ latens non sinat alia remedia fructum afferre. Addit deinde Galenus, in eo Caluo, etsi Hippocrates dixerit, remedia sine vtilitate fuisse adhibita, nihilominus haud constitisse sibi, num adhibuerit missionem sanguinis. Possumus etiam dicere, idem Caluo contigisse, quod alteri enatrato, vt cum praui succi copia non potuerit à crure suscipi, facto recursu ad superiora, vbi & mentis alienationem, & mortem celerem attulit. Itaq; ex his exemplis, veluti ex quadam praxi, facile intelligi potest, verissimum esse, quod in pręsenti, nec non 2. epid. 2. de acutis, & alibi affert documenrum Hippocrates, nimirum vbi recurrunt inferiores abscessus, & absq; coctionis signo delitescunt, esse prædicendum, & mortem, & delirium, quod succi maligni non modo in thorace, verum etiam in ipsis eturibus corrupti rertocedant eo, vnde discesserunt: atq; vel ibi denuo firmentur, vel iterum depellantur, & cum nequeat natura amplius depellere inferius ad superna tanquam propiora deferantur. Et hæc est causa, quod melius multo est, vt non fiant abscessus, quam vt fiant, & statim delitescant, atq; recurrant: quo nomine possumus pariter dicere omnem recidiuam iure merito, vt dicebat Auic. esse deteriorem sua radice. Quanquam non semper materiam iam in partibus infernis depositam recurrere, sed interdum fatemur. Quo in casu etiam pessimum est, quia signum est, naturam non pergere posse in depellenda à partibus nobilibus materia noxia, neq; etiam posse ipsam in affecta parte concoquere.

Omnis recidiua peior sua radice.

Τῶν δὲ ἐμπύων τῶν ἀπὸ.

Empyicorum ex morbis.

Quæ sit huius partis cum antecedenti continuatio, iure dubitari potest, q. Hippocrates, ibi ageret de ratione ferendi iudicii in abscessibus ex peripn. hic vero agar de ratione iudicandi Empyicos ex ætate. Verum si teste res examinetur, non ita hæc seiuncta, & inter sese dissentanea videntur. Nam primo in eo conueniunt, quod prima origo vtrorumq; scilicet tam abscessuum, quā empyicorum est eadem, nempe peripneumonia. Adhæc dici potest, Hipp. cum paulo ante de empyemate tractasset, atq; iudicii ferendi ex ætate omisisset rationem, nunc voluisse repetere. Sed forsan is melior est connectendi modus, si dicamus hic Hip. meminisse empyicorum non per se, & primo, sed secundario s. ob alios abscessus, quasi hæc sit ipsius sententia, in empyematis quibusq; aliis, de quib. loquebatur antea periclitari iuniores, quam in empyemate ex peripneumonia, contra seniores magis in empyemate ex peripneumonia. Adeo vt satis accommodata videatur cum superiori præsentis dictionis connexio, quę in duas partes diuisa est. In prima dicit Hipp. seniores magis mori, si suppurentur ex peripneumonia. In altera dicit, in aliis suppurationib. iuniores magis perire. Iam vero vnamquamq; partem examinemus; & primo videndum, quid intelligat Hipp. per (γεραίτεροι) Gal. dicit, hanc vocem cōparatiuā haudquaquam significare senes simpliciter, sed in comparatione ad iuuenes, hoc est, illos, qui virilitatem excessere, atq; in cruda senectute positi sunt. Et certe si aliter intelligeretur Hippocrates, à falsitate defendi non posset, cum & experientia, & ratione, & ipsiusmet Hippocratis, & Galeni testimonio comperrissimum sit, valde senes, non modo in peripneumonico empyemate, verum etiam in quacunq; alia graui ægritudine ob virium & naturę imbecillitatē promptius interire. Vnde Emped. vt est apud Arist. in poetica solebat vocare senium vitæ occasum. Est itaq; illud verissimum, senes valde simpliciter in omnibus morbis iunioribus facilius interire, quoniam si in morbis diuturnis hoc verum est, vt ipsemet Hipp. restatur 2. aph. multo magis in acutis verum esse debet, qui suapte natura sunt periculosi. Quod autem seniores q̄libet magis intereāt in suppuratione, p̄sertim ex perip. euidētiss. est ratio, quia

quia difficultatem anhelandi, quæ maxima est in hoc empyemate neqneunt sustinere; vnde valde consumpti in peripneumonia, à suppuratione postmodum facilius necantur.

Ceterum cur, vt ait hic Hippocrates, crudiores senes minus intereant iunioribus ex suppnrationibus, quæ non fiunt à peripneumonia (quæ est secunda pars) alia ratio est. Galenus enim putauit pro aliis suppurationibus, intelligendas esse aurium suppurationes, de quibus loquens idem Hippocrates 3. huius libr. text. 14. dicit, iuniores ex aurium doloribus citius interire, quam senes, eo quod delirio, & febribus grauioribus magis capiuntur, à quibus etiam occiduntur, priusquam ad suppurationem deneniant. Sed quanquam hoc verissimum sit, haud quaquam tamen præsenti sententiæ accommodatur, quoniam Hippocrates non loquitur de quibusuis suppurationibus, sed de ea proprie, quæ Empyema vocatur, & est collectio puris in thorace, quæ potest oriri ex peripneumonia, ex pleuritide, ex destillatione pituitæ à capite, vt primo de morb. 7. aphor. 38. ex angina, vt 5. aphor. 10. & 2. de morb. & in primo de morbis lib. Hippocrates mentionem facit aliatum suppurationum, qnæ fiunt ex rupta vena ob laborem, & exercitium ex pituita ad latus agglutinata: præterea si intereunt, vt ait Galenus, iuuenes ex dolore auris priusquam ad suppurationem veniat. Ergo de hac non potest loqui Hippocrates, qui dicit, ex alia suppnratione perire facilius iuuenes. Non enim pereunt ex suppuratione qui intereunt, antequam illa fiat. *Empyema fit ex variis.*

Quamobrem multo satius est dicere, Hippocratis sententiam intelligendam esse de aliis speciebus empyematis veri, de quo locutus est antea, hoc est, factis ab alia causa, quam à peripneumonia, in quibus cur iuniores magis pereant senioribus esse causa potest, non modo sanguinis, atq; adeo temperamenti totius maior caliditas, quæ morbos grauiores, & acerbiores reddit, verum etiam, quia iuuenes sunt impatientiores ad tolleranda longa diuturnorum morbornm tædia. Cōtra autem seniores, & præsertim in cruda senectute positi, quorum & prudentia, & vires maiores, quam decrepitorum. Sed dicetis, verum quidem hoc esse potest, de aliis empyematum generibus, atqui non ita debet esse de illo, quod fit post pleuritidem, quādoquidem cum pleuritis, & peripnenmonia magnitudine, & grauitate parum differant, debent quoq; empyemata ex alterutra facta parum differre.

Ad quod respondendum, quod scribit Hippocrates 3. de morb. scilicet suppurationem ex pleuritide non esse multum lethalem, & multo minus hoc debemus existimare in senibus, in quibus ob sanguinis frigiditatem pleuritidis, quæ fiunt non sunt adeo acutæ, & perniciosæ, vt in iuuenibus. Vnde & empyemata non sunt ita grauia, & periculosa. Accedit & illud, quod vt Hippocrates dicebat in Coacis prænotionibus, exercitata, & coacta corpora facilius ociosis consumi plenritide & peripneumonia: Sic etiam dicere possimus iuuenes, vt pote exercitatiores in aliis empyematibus magis consumi, quam senes, qui sunt magis ociosi.

Αι δὲ ξὺν πυρετῷ γινόμεναι.

Dolores cum febre.

Galenus & Stephanus diuidentes hanc totam tractationem, hinc tertium librū fecerunt: Et quamquam dicat Stephanus, sic diuisisse Hippocratem; id tamē falsum est, quia ipse non consueuit sic partiri, vel saltem non sic in Græcis codicib. reperitur. Alii non hic tertii libri initium esse sumendum putarunt, sed inferius vbi de febribus loqnitur, eo quod illa magis disiuncta, quam hæc videantur. Sed vtrum hoc vel illud sit, parum refert. Multo autem cōducibilius est inuestigare, & sententiæ intelligentiam, & ipsius ad artis vsum vtilitatem. Illud primum est sciendum, hanc distinctionem in Græcis codicibus esse confusam, quia quædam interposita sunt, quæ vltimo loco poni debent. Et propterea magis mihi placent illorum sententia, qui diuidunt totam sententiam in duas partes; quarum primam faciunt eam, in

qua Hippoc. docet, quid sit præsagiendum, vbi dolores, & abscessus, vel mortem, vel suppurationem indicant; aliam vero vbi & suppurationis curationem, vel potius ex curatione, quæ πεόγνωσις facienda sit. Quomodo autem coniungatur prima pars cum antecedentibus, non admodum est obscurum; siquidem supra locutus fuerat de abscessibus recurrentibus à partibus longinquis ad superiora. Et qa poterat quispiam dubitare, num ita quoq; sit iudicandum vbi dolorum, & abscessuum sit recursus, non à partibus adeo infimis, sed à proximioribus; ideo nunc ad integram cognitionem decernit, quid sit in huiusmodi casibus prædicendum, ac ppterea dicit, si dolores, siue abscessus, qui erant circa lumbos, & infernas partes septum transuersum attingant inferioribus partibus relictis, eos esse valde perniciosos ex se. Veruntamen alia quoq; signa spectari debere, quoniam si mala sint, vt febris, difficultas anhelitus, & similia, nulla spes superest; quod si alia signa mala non adsint, neq; res vsq; adeo sine spe est; sed metuendum est, ne suppuratus æger fiat. Atq; hæc sententia satis perspicue ex ipsius Hipp. verbis colligitur, quoad primam partem. Quod vero ad secundam spectat, dicit Hipp. si per vstionem suppuratus curetur, intuendum est ipsum pus; quoniam vbi exit purum, album, ac minime fœtēs, seruatur æger; Si vero subcruentum sit, atq; lurulentum, pereunt. Atq; hæc est vniuersa Hipp. sententia, ex confusa ad ordinem redacta. Circa cuius partes sigillatim, & breuiter nonnulla vtilia contemplabimur. Et primum videndum est, cur Hipp. qui ante loquebatur de abscessibus, nunc non abscessuum, sed dolorum meminit, dicens &c. Secundo examinandum, cur cũ multæ partes sint subtus septum transuersum, quarum dolores perniciosi sunt, meminit tantummodo lumborum. Tertio considerare oportet, quare cum dixerit huiusmodi dolores valde perniciosos esse; addit tamen alia quoq; signa spectari debere siue bona, siue mala sint. Quarto videndum, quomodo, si mala sint signa cum doloribus desperationem salutis indicant; sin vero bona haud salutem, sed suppurationem futuram esse significant. Postremo videbimus, cur Hipp. loquens de vstione empyicorum, damnat pus subcruentum, & βορϐορώδες. Circa primum dupliciter responderi potest. Vno modo, Hip. sub nomine dolorum cum febre intellexisse abscessum, siquidē vbi quæpiam pars dolorem facit, & febrem, semperq; dolor ille inflammatorius est; omnem autem inflammationem esse abscessum apud omnes compertissimum est. Quod vero vbi dolor est cum febre sit inflammationis indicium, ratio est, quoniam dolor attrahit, & propterea fluxionis causa est, quæ fluxio si frigida sit, nec putrescat, nil accendat, febrem nequaquam facit. Sed si calorem præternaturalem concipiat circa partem dolentem collecta tumorem inflammatorium, & febrem inducit. Et veteres etiam qui dicebant, omnem dolorem esse vlcus, non male existimarunt, vt alicubi dixit Galenus. Alio modo responderi potest, abscessus, vel sensui visus & tactus apparere, vel non. Qui sensibus apparent, iis facile produntur, & cognoscuntur; qui vero sensibus tactus, & visus non cognoscuntur, ipso dolore comprehenduntur, qui licet quoq; ad tactum pertineat, non tamen ad contractum manus, quemadmodum is, de quo loquimur. Vt igitur Hipp. doceret, eandem esse prædicendi, & præcognoscendi disciplinam, tam in internis, & sensui incognitis abscessibus, quam in externis; voluit abscessus quoq; dolore significare, qui est signum eorum abscessuum, qui non facile manu, & visu cognoscuntur. Ad secundum dicendum est, hanc vocem ὀσφὺν (ὀσφὺς) proprie significare partem eam, qua cingimur dorso, quæue quinq; maximis, & crassissimis vertebris inter dorsum, & os sacrum cōprehenditur. Corn. Cels. lib. 2. c. 7. transferens in Romanam linguam præsentem sententiam, non lumbos, quemadmodum ceteri, vocauit, sed coxas; nec scio, qua ratione, cum admodum differentes sint lumbi, & coxæ. De hoc eodem lumborum dolore Hipp. 4. aph. 11. sermonem habens, dicebat, si non soluatur neq; medicamentis, neq; alio modo, in hydropem desinere siccam; Quanquam non de dolore inflammatorio, vt hic, & cum febre, sed flatuoso loquatur. Iam vero Hipp. vt ego puto, lumborum potius, q̃ aliarum partium meminit, tum quia ea pars thoracis parti posteriori connectitur, atq;

Omnis inflammatio est abscessus.

ὀσφὺς quid intelligatur.

atq; septum transuersum facile afficit, & consequenter ab ea in ipsum thoracẽ materia reuertitur, de qua reuersione modo loquitur; tum quia etiam simili ratione facilius ceteris partibus proximis ab ipso thorace recipit lumborum tota regio. Nã thorax, vt videre licet, facilius semper sese exonerat per partes posteriores, quam per anteriores, non modo ratione spinæ, & neruorum, verum etiam ob magnã venam, & arteriam, quæ in partem interiorem ipsius dorsi longe, lateq; est propagata: quæ etiam vasa cum per femora, & tibias disseminentur, fit, vt sicut per hæc materia à partibus pectoris mittitur in infernas, sic per easdem reuertatur in superiores. Et hæc etiam est ratio, qua Polybius medicus apud Arist. 3. de hist. anim. c. 3. in doloribus lumborum sanguinem mitti à poplitibus, & malleolis dicebat.

Ad tertium respondendum est, non sine ratione Hip. dixisse, præter dolores, & febres esse quoq; alia signa spectanda, vtrum mala vel bona sint; quoniam etsi suapte natura omnis recidiua, vt dicebat Auic. sit sua radice deterior, attamen eo magis praua, atq; perniciosa euadit, si (quod cognoscitur aliis signis) in corpore aliæ quoq; sint prauæ dispositiones. Sic enim fit, vt nequeat affecta pars aliunde auxiliũ à facultatibus partium expectare, quemadmodum econtra, vbi sola aliqua pars laborat, quamquam grauiter, & alia corporis membra recte valeant, sperari potest, vt facultates omnes ad parti affectæ succurrendum concurrere queant, & salutem communem procurare; præterquam quod non est periculum, vt ad affectum locũ amplius excremẽta aliunde mittantur, si nuspiam reperiãtur, vel saltem si alio mittantur.

Quapropter non solum in proposito nunc ab Hipp. casu, verum etiam in omnibus semper est totius corporis status attendendus, licet affectus sit particularis, atq; in particulari loco tantum sedem habeat. Atque hoc est, quod fere semper Hippocrates solet nos monere.

Ad quartum, cur scilicet mala signa desperationem significent; bona vero non salutem, sed permutationem morbi in empyema, seu suppurationem dicere oportet, septum transuersum, quod est pars admodum nobilis, vbi læditur semper affectum esse periculosissimum, ita vt etiam mens sæpenumero cooffendatur. Imo vero vt recte animaduertit Galenus, fuerunt nonnulli, qui arbitrati sunt, Hippocratem hoc in loco pro læsione diaphragmatis intelligendum esse, pro mentis offensione.

Quare existente huius partis affectu per se grauissimo, atq; affecto pulmone ob inflammationem, si accedant etiam alia corporis mala, non est arduum comprehendere nullam spem relinqui posse salutis. Verum non existente alio vitio in corpore, haud quidem mors certa est, sed neq; etiam certa salus, tum ob affectæ partis excellentiam, tum ob ipsius affectus magnitudinem. Vnde superest, vt cum nequeat morbus desinere, neq; etiam interimere, neque similiter in eodem statu consistere, in alium permutetur.

Nulla autem est regio, quæ tam ratione vicinitatis, quam ratione capacitatis æque possit materiam recurrentem ab inferioribus partibus, atq; etiam ab ipsis pulmonibus transmissam suscipere, atq; thorax, qui vbi materiam, vel putridam, vel semiputridam, atq; eam copiosam vndecunq; suscipit, empyema sequi omnes Medici intelligunt.

Circa quintum & vltimum scire oportet, veteres in curando empyemate, vbi cetera auxilia nil iuuabant, ad vstionem thoracis deuenire consueuisse, & hæc operatio vsque adeo facilis, atq; longo vsu ipsis erat probata, vt nil fere frequentius audiatur apud Hippocratem, quam sectio & vstio empyicorum.

Quomodo autem fieret, etiam monumentis apud Scriptores, consignatum est, quanquam hodierna die ob neglectum à maioribus nostris remedium, nullus pene sit, qui tale remedium audeat tentare. Igitur Hippocrates supponens hic post alia præsidia adhibita, deueniendum esse ad vstionem, vult docere modum, quomo-

quomodo euentus in huiusmodi graui, & periculosa curatione sit præcognoscendus, atq; prædicendus. Est autem modus ex consideratione illius materiæ, quæ facta sectione, vel vstione exit; quoniam si sit laudabile, signū est materiam haud esse malignam, & calorem natiuum minime ita fuisse labefactatum, quin possit coquere, & bonam saniem producere; sicuti econtra vbi sanies praua est, non tantum significat prauam esse materiam in thorace collectam, verum etiam ipsam facultatem alteratricem, quæ calore naturali, vt instrumento vtitur vna cum ipso admodum esse violatam, ac propterea tristem euentum in graui alioquin affectu esse expectandum. Porro, cur Hippocrates bonis saniei conditionibus, nempe puritati candori, & fœtotis carentiæ opposuerit subcruentum esse, & βορβορῶδες, ratio est, quoniam sicuti nil est, quod magis declaret naturam boni humoris, quam puritas ipsius substantiæ, color, & odor, quæ sunt qualitates optimam mixtionem sequentes; sic ad testandam illius prauitatem maxime conducit, & impuritas, & coloris praui, atq; fœtotis præsentia; quas omnes qualitates ideo voluit significare Hippocrates, per subcruentum, & lutulentum pus, quoniam vsu venit, vt pus prauum tunc fiat, quando sanguis non potest totus in pus conuerti, sed pars remanet imperfecta, & veluti incocta, vnde subcruentum apparet, quemadmodum etiā vbi sit lutulentum, & color, & odor deprauatur, perinde ac in luto conspicimus. Vnde nil refert, quod dicit Hippocrates 7. aphor. 44. vbi hanc eandem sententiā habet in conditionibus boni puris tacuerit odorem, & in mali apposuerit fœtorem, quoniam vbi pus album & purum caret fœtore, ibi subcruentum, & lutulentum fœtidum quoq; est. Sic etiam dicebat in Coacis, quibus conquassatis exit pus lutulentum, & fœtidum, vt plurimum intereunt.

Vstione quæ pus ex thorace exeat.

Κύστιες δὲ σκληραὶ τε καὶ ἐπώδυνοι.

Vesicæ duræ & dol.

QVo scopo Hippocrates sermoni de Empyemate statim connectat sermonem de vesicæ affectibus; nulla est apparens ratio, nisi dicatur, eum esse paulo supra locutum, de inferiorum partium doloribus, & inter hos adnumerari quoq; vesicæ dolores, de quibus in præsenti Hippocrates duo proponit, & iudicium, & iudicii rationem; Iudicium, est dolores & durities vesicarum graues omnino, & lethales esse, sed lethalissimas esse, si cum febre iungantur. Ratio vero iudicii est, quoniam dolores huiusmodi non modo propria natura apti sunt ad homines interimendos, verum etiam, quoniam cum huiusmodi doloribus ventres aut nihil egerunt, aut nō nisi dura, & cum magna violentia.

Vrina an à vesica tantum excipiatur, an vero etiam trahatur.

Vtrum autem vesica potum, seu vrinam tantum recipiat à renibus expulsam, an etiam attrahat, disputatum inuenio. Hippocrates certe libro de veter. medicina differens de attrahendi facultate, eamq; multam figuræ cauæ, ob longæ, & ab amplo in acutum coarctatæ tribuens, dicit propterea vesicam, caput, & vterum in mulieribus attrahere, semperq; attracta humiditate esse referta; At vterum, minime verum est, esse perpetuo repletum humiditate, cum, dum non gerit fœtum, totus coarctatus, & collectus sit. Caput semper habere humiditatem, est verum. At non est eius figuræ cuiusmodi dicit valere ad attrahendum. Quanquam libro de morb. manifeste dicit, vt cucurbitam attrahere à stomacho pituitam. Postremo vesica, etsi sit eius figuræ, & semper habeat humidum, non tamen apparet ipsam attrahere, cum nec locus, per quem feratur vrina in vesicā, appareat. Ob quod forsan Heraclytus, vt est in Probl. Arist. & Asclepiades existimarunt vrinam colligi in vesica per vapores, vt alembicum, quos multis argumentis confutauit Galenus; qui & ipse 5. de vsu part. ca. 11. sensisse videtur, vesicam attrahere opera villorum longorū, ex quibus & aliis conflata est. Auicennas etiam 19. 3. 1. tr. 1. c. 1. cum dicat, Creatorem subtiliatum esse sapienter, in attrahendo aquositatem ad vesicam, videtur minime attractionem illius fieri à [vesica]. Ex altera parte Galenus nusquam alias mentionem

Caput, vt cucurbita ex ventriculo trahit.

fecit

fecit attractionis vesicæ, cum tamen sæpennmero sibi occasio sit oblata. Imo vero primo de valer. tuend. & vbiq; dicit, renes serum aquosum trahere, deinde in vesicã depellere, vt stomachus chylum ad inrestina. Et quanquam 6. de admin. anatom. & 4. de vsu part. circa finem, tribuit villos longos vesicæ, eos tamen traditos ob firmitudinem ait. Nonnulli dicunt in hac quæstione, virtutem attractricem non habere nisi ex accidente, quando renes expellere nequeunt, atq; ob hoc habuisse villos cõpositos. Atq; hoc non tollit auctoritatem Hipp. & Auic. Itaq; dicendum est, habere exiguam facultatem ob figuram, & villos, sed eam superari ab expultrice renum. Neq; tamen dicendum est, naturam abundare in non necessariis, quoniam cum vrina sit expellenda intra duas tunicas, ne retrocedat, & per foramina exigua, & inuisibilia ingredi vesicam, opus fuit aliquali attractione, quæ auxiliaretur expultrici renum factæ per vreteras. Iam circa vnamquamque textus partem more nostro parum discurramus.

Κύστιες.

Vesicæ.

QVodnam vas vesica sit, quomodoq; eius functio musculis agatur, quæ est vrinæ exeretio, notum est, atq; ad alium locum tractare pertinet. Videamus autem quid intelligat Hipp. per vesicam duram, & dolentem. Durities duplex est, alia à siccitate, alia à plenitndine, & tensione, quæ plenitudo tam à potulenta materia, q̃ ab humorosa originem ducere potest. Iam vero hic de duritie, non à siccitate, sed à plenitudine sermonem facere Hipp. certum est, cum addat dolorem. Etenim vbi corpora exiccantur, & exiccata durescunt, aut nullum, aut exiguum dolorem ducunt, quia id paulatim fit. Repletio vero, & præsertim vasorum capacium, cnm fiat subito, ac propterea partes valde, & subito contendat, & diuellat, dubio procul dolorem ingentem facit. At vbi partes duræ sunt tumidæ, & dolentes, vt optime Galenus docet, inflammationem aliquam siue rumorem inflammatorium subesse indicant.

Verum scire oportet, duritiem ipsam vesicæ dolorosam fieri posse dupliciter, vel quia spacinm vesicæ nimis repletum, nimis distenditur, vel quia corpus ipsius vesicæ tumorem durum patiatur, de quo postremo potius existimo senem loqui, cum dicat, ab eo vrinam supprimi. Nam absurdum esset, si fieret ab vrina retenta dicere, quod faciat vrinæ retentionem.

Cur autem vesica complures affectus patiente de eius potissimum duritie, & dolore lo quereturs, ratio fuit, quod hoc sit vitium aliorum cunctorum maleficentissimum, non modo ob cessationem officii, & actionis ipsius vesicæ, verum etiam ob cruciatus magnitudinem tam vi tumoris, quam retẽtæ vrinę. Nam dicunt, Caium Imperatorem truculentissimum inter alia rormenta illud excogitasse, vt copiose potus daret, deinde colligato præputio mictionem impediret. *Caii imperatoris saeuitia, fontibus potum dantis, & præputium religantis.*

HORR. AC PERNIC. δάνοις, graues sunt, ob molestiam, letbales, hoc est, periculum mortis inferentes. Letbalissimas dicit, si cum febre continua fianr. Sed quæret aliquis, cur Hippocrates addiderit hanc particulam (Si febris sit continua) quasi vero possit esse morbus vllus acutus, de quo solo hæc tractantur, sine febre cõtinua, quod tamen falsum est. Galenus, qui forsan odoratus est difficultatem, interpretatus est febrem continuam, id est, acutam. Nam potest morbus aliquis acutus, vt pleuritis, lethargus, & similes acuti esse cum febre mitiori, & cum acuta.

Verum pnto intelligendũ esse de vere continua, quia huiusmodi dolores non modo non possunt esse cum febre interpolata, verum etiam prorsus sine febre: Verum vbi habent febrem continuam, id fit ratione inflammationis magnæ, ac propterea affectus maxime perniciosus est.

Atq; hactenus de ipso iudicio. Causæ autem cur ita sit iudicandum de tumoribus duris, & dolorosis vesicæ, duæ proponuntur ab Hipp. vna est magnitudo doloris,

doloris, quę fit in vesica potissimum, quoniam est pars maxime neruosa, & consequenter valde sensibilis. Vbi autem huiusmodi partes patiuntur, solent non modo cruciatus intolerabiles producere, verum etiam partes vicinas, imo vero remotissimas, vtpote cerebrum, quemadmodum ait Stephanus, in consensum adducere, ac valde afficere. Altera est, quod alui hoc tempore, vel nil egerunt, vel dura tantum, & cum summa vi; ratio est, quia vesica inflammata contrectat ipsa intestina inferiora, in quibus fœces magnitudine feruoris exiccatæ durantur, imo, & ipsum intestinum veluti corrugatum, haudquaquam facultati expulsiuę obedit, quo fit, vt opus maxima violentia, tum ex parte ipsarum fœcum, tum ex parte ipsius instrumenti. Accedit etiam, quod in conatu fœcum egerendarum vesica compressa auget dolorem, quem refugiens natura etiam fœces egerere repudiat. Itaq; cum impedita vrina spes vnica superfit, vt per aluum ex parte salrem possit euacuari, ea spe sublata certum est, pessimum esse tanto magis, quod fœces ipsæ retentæ in febribus, vt sæpe docui sua sponte malæ sunt.

Quæret aliquis, quomodo Hippocrates dicat, dolorem hunc sat esse ad necandum hominem, quandoquidem acerbissimum omnium dolorem videntur fecisse, vt Plinius libro 25, cap. 3. & Galenus dolores capitis, stomachi, & renū, ob quos solos præ magnitudine fugiendos, dicit Plinius, homines sese necare. Dicendum dolorem perducere ad Gangrænam, quæ est mortificatio vbi excedit, & ob dolorē non posse ea remedia vt catatherim, & alia adhibere, quæ vrinam ducant. Quærere autem, num Hippocrates cognouerit catatheris vsum, vt disputant nonnulli est ingenii ocio abutentis opus. Addit Stephanus, & vere inflammata vesica ipsam quoq; vrinam impediri, vt vacuatione vtraq; sublata spes exigua, aut potius nulla videatur superesse. Fit autem impedimentum vrinæ, tum ob compressionem ipsius oris vesicæ factam ab inflammatorio tumore, tum quia vbi volunt ægri mingere, aut egerere dolor magis excitatur, quem natura ipsa refugiens, simul etiam mingere renuit, cum mictione vero impedita hominem diu superuiuere non posse, apud omnes compertum est, & præsertim inflammata vesica, cuius dolor eo magis augetur, quo ipsa vrinæ copia magis distenditur, præterquam quod ipsa vrina sæpenumero distribuitur per venas, in quibus sanguis corrumpitur, & consequenter exitium accelerant.

Λύει δὲ οὖρον πυῶδες.

Soluit vero morbum.

Dixit Hippocrates, dolorosas, & duras vesicas cū febre acuta esse funestissimas. Verum quia nullum pene genus morbi tam lethale est, quin possit aliqua fortuna interdum bene terminari; iccirco in præsenti docet Hippocrates, quomodo si spes vlla est euadendi à prædicta affectione, id fieri possit, dicens, quando soluitur prædictus grauis vesicæ morbus, id accedere cum vrina mingitur, purulenta vnà cū sedimento albo, & læui. Dicit Hippocrates, λύει, id est, soluit, quia hic turior est omnibus aliis modus solutionis verę morborum, quando per coctionem, crisim, & abscessum mala finiuntur, vt contingit in legitima suppuratione, de qua loquens Hippocrates 6. epid. dicebat, suppuratum non reuerti, quod in eo sit coctio, crisis, & abscessus; vt ob hoc in proposito casu maxime speranda sit ægrotantis salus, quia suppurata vesicæ inflammatione pus exit, non quidem prauum, sed album, & lęue, hoc est optimum, quod in vrina subsidet, ita vt adsit abscessus, hoc est, materiæ expulsio; coctio, quæ sedimento albo, & leui indicatur, crisis, q̄ & ipsa monstratur excretione cum signis coctionis facta. In Coacis prænotionibus scribit λύει τοὺς, id est, soluit hos numero plurali, quia vere huiusmodi vrina soluit dolores, & febres, & alia mala. Sed hic duo quærunrur: Vnum est, an quando Hipp. dicit, hypostasim albam, intelligat de pure exeunte cum vrina, an de ipso vrinæ sedimento. Alterum est, cur hic Hipp. non apponat tertiam puris boni conditionem, s. fœtoris carentiā,

quem-

quemadmodum alias, atq; etiam in hoc eodem libro apposuit. Ad primum dicendum, quod licet Galenus 6. de loc. affect. cap. 4. dicat, pus è vesica plerumq; separatum prodire ab vrina, id tamen intelligendum, vbi pus aliunde in ipsam vesicam defluit: alioquin laborante ipsa vesica, & pus mittente solet vna cum vrina excerni, eo quod pus contentum in corpore vesicæ facilius erumpit in eam, quam extra ipsam, quod ad exteriora non pateat exitus sicut ad interiora.

Excipitur tamen, vt ait Paulus, tumor pudendorum, in quo pus excernitur, ab vrina separatum. Ergo cum pus misceatur vrinę, quod subsidet in ipsa, potius pus ipsum esse, existimandum est; quam proprium vrinæ sedimentum. Quamquã non inconuenit vtrumq; simul esse, ac propterea Hippocratis sententiam de vtroq; esse interpretandam. Siquidem ad perfectam ęgrotantis salutem requiruntur signa non alicuius partis salutaria, sed totius corporis, quæ habentur ex vrinæ sedimento; quod vero possit sedimentum vrinæ dignosci à pure, sciunt Medici periti.

Ad secundum, dicunt aliqui non apposuisse Hippocratem carentiam fœtoris, quia semper vrina huiusmodi fœtet, ratione vlceris ex inflammatione suppurata facti. Ego vero puto non apposuisse, quoniam non est fœtor verum indicium prauitatis puris; siquidem sola retentio vrinę potest fœtorem facere. Nam Aristoteles decima tertia sectione, Problematum primo, scribit, vrinam quanto magis retinetur, eo fœtidiorem euadere; contra vero stercora magis deponere fœtorem, quia illa corrumpitur, & putrescit, hæc vero exiccantur.

Igitur ex fœtore, qui potest accedere ob retentionem, non arguitur putis malitia.

ἢν δὲ μήτε τῷ οὔρῳ μηδὲν.

Si vero vrina.

HÆc dictio variis & diuersis modis legebatur apud veteres, vt adnotauit Galenus; atq; etiamnum legitur in codicibus græcis; quo fit, vt ipse Galenus disputauerit de dictione hac, ἢν δὲ μήτε τὸ οὖρον μηδὲν ἐνδιδῷ. Sed vt dimittamus huiusmodi superuacaneas speculationes; dicendum puto hanc esse verissimam Hippocratis sententiam, scilicet si in vrinæ affectio nil remittatur, hoc est, si impedimentum eius non tollatur, vel si vrina, quæ erat impedita exiens nil malum remittat, nec ipsa vesica molliesiat, atq; febris perduret continua, in primis morbi circuitibus expectandus est ægrotantis interitus. Cur expectandus sit interitus, causa est functionis, necessariæ nimirum mictionis, & egestionis ablatio, & magni morbi contumacia. Cur autem in primis periodis, hoc est, in primo quaternario, vel septenario est ipsius affectionis acuties? Solent enim acuti morbi, vt perspectissimum est, septem diebus terminari. Inflammatio vero vesicæ, solet, aut suppurari, & sæpe feliciter finit, aut conuertitur in scyrrhum, aut discutitur, quod rarissimum est; aut in gangrænam abit, quæ citissime perimit; Quamquam non diffiteor, aliquos etiam perire vltra septimam, & intra vigesimam, sed qui nec adeo acerbis doloribus, nec tanta febre, nec aliis tam magnis symptomatibus occupantur.

ὁ δὲ τρόπος οὗτος ἀπῆς.

Hic autem modus.

QVod in præsenti dictione nos docere vult Hipp. est, hunc ægritudinis modum, hoc est, inflammationem vesicæ cum febre acuta, maxime exercere pueros septennes, aut adolescentes annos quindecim natos, quem locum dimittit Steph. At Gal. enim exponens, inquit, pueros ob voracitatem, & ingluuiem complures succos crudos congregare, q. quotidie per renes expurgati, & per vreteres in vesicã delapsi interdum calculos faciunt, sæpenumero autem vesicæ inflammationes, quando scilicet vesica nimium fit vitiata ab assiduo crudorum succorum illapsu. Quod enim

enim interdum in pueris hac ratione fiant calculi, & sane rationi, & vsui consentaneum; imo Hip. 5. epid. id testatur, vbi dicit, in pueris post mictum concretio; quod & Aetius lib. 3. sermone 3. cap. de calculo vesicæ.

Quod vero sæpe fiant inflammationes, neq; experientia probatur, nec ratione; Non experientia, quia rarissimi pueri obseruantur tentari vesicę inflammatione. Imo nec Hipp. alibi, & præsertim tertio aph. inter morbos pueriles hunc recenset; Non etiam rationi consonat, quia inflammatio non fit à succis crudis, sed à sanguine; imo quod vesica inflammatione tenetur rarissimum est, quia est corp⁹ nerueum, & minime venis conflatum. Quid igitur dicendum est de Hippocrate? Aliqui dicunt, id fuisse verum ætate Hippocratis, nostro autem tempore minime, neque inconuenire, quod aliqui morbi, vt Hippocrates testatur libro de aer. aq. & loc. magis in vno, aliqui magis in alio loco, & tempore vagentur.

Alii putant id, quod dicit Hippocrates, intelligendum esse de solo calculo vesicæ, quem in pueris frequenter vbiq; videri quotidiana experimenta docent. Sed hæc opinio non mihi placet, quoniam etiam ante septimum annum frequenter pueri calculo vesicę tentantur. Quinimo Hippocrates 4. lib. de morbis circa finem longo, & graui discursu monstrat in ipsis lactentibus fieri vesicæ calculos, quando scilicet nutricis lac impurum atq; terreum sit, venæ autem à ventriculo ad vesicam latæ, atq; amplæ sint. Itaq; in hac graui difficultate dicerem, Hippocratem sic loqui de vesicæ inflammatione, eiusq; sententiã esse, hunc affectum ætatem teneriorem attingere, non quidem illam ante septimum annum, in qua frequenter calculus vesicæ gignitur, sed potius à septimo, vsq; ad 15. quando scilicet motu, calore, & mictionis raritate potest facile incalescere vesica, atq; inflammari.

Et animaduertendum est, Hippocratem voluisse sapienter hoc nos docere, & monere, quoniam rarissimus est morbus, atq; eadem pæne symptomata inferens, quæ calculus, scilicet retentionem vrinæ, & fœcum, doloremq;. Vnde nisi ætatis consideratione distinguatur, potest Medicus faciliter decipi tum in iudicio ferendo, tum maxime in curatione suscipienda.

εἱ δὲ πυρετοὶ κρίνονται ἐν τῇσιν.

Febres iudicantur.

QVemadmodum alias dixi, cõplures sunt interpretes, qui tertium librum hinc auspicantur, quod tractatio hæc de febribus, & de iudiciis videatur penitus ab antecedentibus separata; Galeni autem codices greci secus habent, licet latini aliqui, & hinc incipiant. Sed hoc diffinire ad vsum artis nil plane pertinet. Est autem hæc perspicua Hippocratis sententia febres iudicari eisdem numero diebus, quibus, vel seruantur, vel extinguuntur homines. Cur autem & seruentur homines, & pereant diebus imparibus, 4. de morbis longa oratione conatus est Hipp. siue alius eius libri author demonstrare; cuius summa est, diebus imparibus fieri expulsiones à natura, sicut paribus attractiones. Fieri vero iudicationes, siue malas, siue bonas, plerumq; euacuatione Gal. & in libris de crisibus, & in presenti commentario satis diserte monstrat. Sed cur fiant impari die expulsiones, illud est, quod ignoratur ab omnibus. Modo singula verba expendamus.

Diebus imparibus natura expellit: paribus attrahit.

Οἱ πυρετοὶ.

Febres,

DE acutis febribus hoc in libro sermonem habere Hippocratem sæpiu docui. Verum, quod nunc docer non modo in acutis, verum etiam in diuturnis, imo vero in cunctis morbis est probatissimum, quamuis crises vere potius in acutis, quã in chronicis manifeste animaduertantur.

κρίνον).

Iudicantur.

HIc locus posthac, vt aliqua breuiter, & dilucide, de crisi dicamus, de qua primũ omniũ Scriptorũ Hipp. tractasse, obseruasse, atq; verisimiliora saltem docuisse, testatur Galenus, vt omittamus nugas Asclepiadis apud Celsum lib. 3. cap. 4. qui cũ ignarus medicinę esset, & ex Rhetore, vt scribit Plinius, statim Medicus euasisset, non est mirum, si quod non intelligebat, carpebat. Erunt autem, quæ de iudicatione differemus tria; primum, quid sit crisis, siue iudicium, & vnde nomen eius emanarit; secundum, quotupliciter fiant crises, & secundum quot modos; tertium, qui, & quales sint dies iudicatorii. Quod pertinet ad primum, Galen. non modo in hoc commento, verum etiam libro de crisi. 2. aphor. 23. & alibi, sæpe communi notione scribit, crisim esse subitam quandam morbi mutationem ad bonum, vel malum, quæ mutatio, quoniam plerumq; fit in morbi vigore, hinc est, quod sæpe Medici vocarent vigorem crisim, vt testatur Galenus expresse 1. aph. 19. Verum proprie, & frequentius solent dici, morbi iudicari, quando in bonum iudicantur, sicut dicuntur male iudicari, & malę crises, quando finiuntur in mortem; Ratio vero huius appellationis, vt testatur Galenus & Stephanus, capta est à iudicum sententia, quia quemadmodum vbi reus constituitur ad audiendam sententiam necis, vel vitæ, dicitur, iudicari, quasi inter vitam & mortem sit positus. Pariter & æger veluti constitutus reus, ac in mortis & vitæ confinio positus, dicitur iudicari; quemadmodum & Medici natura duce dicuntur iudicare, seu sententiam ferre de morte & salute ipsius infirmi. Cornelius Celsus maluit dicere morbos finiri, quam iudicari, vt sępe est videre apud ipsum. Ad secundum, idem Galenus hic, & in libris de crisibus, quatuor esse genera crisis, seu iudicationis docet: Vel enim sanitas fit, vel mors, vel maxima mutatio ad bonum, vel ad malum; Modi autem, quibus fiunt iudicationes, duos potissimum, ac fere solos esse dicit Galenus, nempe effluxionem seu euacuationem, nec non abscessum. Euacuationes multæ cum sint, quæ potissimum facere solent iudicationes, sunt sanguinis fluxus potissimum è naribus, euacuationes alui, sudores. Quod enim in pueris maxime propter somnum longum, & profundum, vt ait Stephanus, fiat magna ad melius mutatio morbi, & vsu, & ratione prospectum est; verum haudquaquam proprie eiusmodi mutatio vocatur crisis, cum raro fiat, atq; in solis pueris illud obseruetur.

Pulchra de crisi.

Crisis quid, & vnde dicta.

Crisũ quot genera ac modi sunt.

Ceterum de diebus criticis (quod erat tertium propositum) q, & quales sint librum integrum, composuit Galenus potius in gratiam amicorum, vt ipsemet fatetur, quam vt ederetur. Veruntamen & editus, & vt legatur, dignus est: Nam solemus eas dies iudicatorias nuncupare, in quibus plurimæ, firmę, & perfectæ iudicationes fiunt; quę licet ratione aliqua, & discursu queant esse compertę; attamen potius longa obseruatione, & certa, quam ex rei ipsius natura habentur.

Qui & quales sint dies critici.

Iam vero horum dierum enumeratio, aut fit per quartanarium numerum, aut per septenarium. Sed differentia est, quia iudicationes factæ per septimanas multo firmiores habentur, quam quæ fiunt per quartanarios dies. Iam vero vtræq; tam septimanæ, quam quartanæ dupliciter enumerantur, vel vt dicit Gal. κατὰ διάζευξιν, & κατὰ συνάφειαν, vel vt ait Stephanus, κατὰ διάχεσιν, & κατὰ συνέχειαν. Κατὰ διεχίαν, seu διάζευξιν, est quando ita fit enumeratio dierum, in vna septimana sit integra ab alia discreta, tametsi continua sit; exempli gratia, decima quarta dies constat ex duabus septimanis, quæ totæ integræ sunt, licet continuæ, hoc est, quæ habent & principia, & fines distinctos & separatos: ceterum vigesima dicitur iudicatoria, ex septimanis constans partim, per disiunctionem, partim per copulationem. Nam decimaquarta, vt diximus, habet duas septimanas per disiunctionem continuas, tertiam vero per copulationem, siquidem decimaquarta, vt est finis antecedentium duarum, sic est initium subsequentis.

Ceterum vigesimaprima quoq; dicitur critica, per διάζευξιν; quia constat ex

tribus integris, & disiunctis septimanis. Vnde non est mirum, si Hippocrates, quandoque vigesimam, quandoque vigesimam primam faciat criticam.

Iam vero quarta dicitur iudicatoria, & ipsa per copulationem, quia est finis vnius quartæ, & est principium alterius, quæ pertingit vsq; ad septimam; similiter vndecima est iudicatoria per disiunctionem, quia est quarta disiuncta à septima. Verum dicitur principium alterius quartæ pertingentis ad decimamquartam; ita vt sit decima quarta, & ipsa non solum septima, verum etiam quarta ab vndecima per copulatinem.

Sic quoque si à septima faciamus initinm quartum diem decimam habebimus iudiciariam, κατὰ συνάφ(ε)ιαν, id est, per copulationem. Itaque ex his constat secundum Hippocratem, & Galenum, duos tantum esse dierum vere criticorum ordines, quartum scilicet, & septimum, in quibus nempe, & frequentes, & firmæ fiunt iudicationes. Verum quartus ab Hippocrate, solet potius indicatorius, & contemplabilis vocari, quam criticus, quoniam is indicat, quid futurum sit in septima, & hac ratione est contemplabilis.

Quartus & septimus dies soli vere critici.

Sunt vero alii dies non vere decretorii, sed intercidentes nuncupati sicuti tertia, & quinta, & nona, quas male Celsus libro tertio, capite quarto, dicit, veteres posuisse inter decretorios: imo etiam aliquando sexta iudicat, sed semper ad malum, propter quod inquit Galenus, hanc diem esse vocatam tyrannum, in qua etiam si interdum bona iudicatio videatur fieri, morbus tamen reuertitur, quod insida sit penitus huiusmodi iudicatio.

Sextus dies tyrannus.

ἐν τῇσιν αὐτῇσιν ἡμέρῃσι.

Iisdem diebus.

QVod iisdem diebus secundum numerum seruētur, & intereant homines, nempe imparibus iam est allata ratio. Atq; illud adnotari debet, dixisse Hippocratem secundum numerum, vt doceret, debere Medicum numerare dies, atq; secundum eos deinde prognosticum suum instituere. Sed dubitabit aliquis, quomodo ergo Galenus vocat sextam diem tyrannicam, in qua pereant multi, & nemo seruetur. Nam si verum esset, quod Hippocrates dicit, sicut in sexta pereunt, sic quoque deberent seruari.

Sextus dies cur sit tyrannicus dicatur.

Ad quod respondendum est, quod qui pereunt sexta, non propter eam diem moriuntur, sed quia in quinta, vel quarta, quæ est dies impar facta est mala crisis. Nam Philiscus, qui est primus languens, enarratus ab Hippocrate primo epid. obiit in sexta, quia in quinta facta est mala crisis, scilicet, pauci sanguinis vacuatio, nec non sudor frigidus. Et ideo Galenus secundo in primum epid. septuagesimo quinto, scribit, eos periisse in sexta, quorum morbi exacerbati sunt in quarta. Est tamen illud aduertendum interdum contingere, vt aliqui morbi exacerbentur diebus paribus; quemadmodum Hippocrates & Galenus adnotarunt, in quibus dies sexta potest dici iudicatoria, in qua interdum etiam seruantur ægri, vt in virgine, & Metone ab Hippocrate relatis, qui iudicati sexta die seruati sunt.

Et hæc est vera, & Hippocratica sententia, cur potissimum in die critica moriantur ægrotātes, quia in iisdem fiunt morborum exacerbationes, in quibus contendens natura aduersus materiam, atq; ex ea vapores ducens prauas, & mortiferos ab iis interimitur, adeo vt sibi ipsi causa mortis esse videtur, non sponte, sed coacta; siquidem ideo agit in materiam, quia ab eo cogitur, quemadmodum in eadem exacerbatione, si natura vel expellit foras materiam, vel in aliquem ignobilem locum deponat, ita vt vapores ex ea eleuati petere cor, atq; illud lacessere nequeant, æger seruatur.

Sed percunctabitur aliquis, nunquid possit perire æger absq; crisi mala: cui respondendum est, in morbis longis non esse necesse, vt per crisim vel seruentur, vel interimantur ægrotantes; quandoquidem vel paulatim vires franguntur, vel humo-

humores consumuntur. Sic etiam vbi morbus valde superauit naturam, ita vt nequeat aduersus eum contendere sine pugna, & consequenter sine crisi perit infirmus; quemadmodum contigit Philini vxori, Erasino, & Critoni, quos omnes absq; manifesta crisi fuisse extinctos, narrat Hippocrates. Sed illud compertissimum est, omnes crises etiam bonas haudquaquam fieri absq; vitæ periculo, quandoquidem natura vi in eam pugnam cogitur, vnde magnæ mutationes, quæ cognoscuntur ex grauibus, & horrendis symptomatibus ipsam crisim antecedentibus, dicente Hippocrate, noctem quæ antecedit, crisim solere esse grauissimam.

Οἵτε γὰρ εὐηθέστατοι τῶν.

Benignissimæ enim febres.

SVperius in vniuersum dies criticos in febribus magnam vim habere, tū ad mortem, tum ad salutem docuit. Nunc vero ad particulares febres, & ad particulares dies criticos descendens, monstrat quomodo ferendum sit prognosticum, vnius exemplo contentus febrium maxime malignarum, & maxime benignarum, dicens, benignissimas febres, & securissimis signis firmatas, vel quarta die finiri, vel ante. Quemadmodum & malignissimas, & cum signis periculosissimis factas, vel quarta, vel ptius occidere. Quæ sint febres benignæ, & malignæ, conatur docere Galenus, & certe potius grammatice, & nimis profuse. Illud satis est, benignas esse febres, quæ prorsus simplices sunt, omni periculoso signo carent, ac ob id securissimæ sunt: sicut è contrario malignissimæ. Itaq; cum tales sint, statim natura, vel superat, vel superatur; Vnde in 4. ant finiunt, aut finiuntur, vel etiam ante quartam, hoc est in tertia; Hæc enim cum sit prima dies impar vim quandam habet decretoriam, merito cuius possit homo in ipsa aut seruari, aut perire. Secunda certe & ipsa est ante quartam, sed quia par est, à nemine vis decretoria illi fuit tributa. *Quæ benignæ & quæ malignæ febres.*

Quæ autem sint signa in febribus securissima, & grauissima, docet diserte Stephanus, priora scilicet esse bene spirare ægrotantem, bene appetere, bene concoquere, dormire noctu, faciliter verti huc, & illuc, quę omnia si in febribus benignissimis quarta die, vel tertia compareant, plane seruantur.

Posteriora autem esse hisce contraria, scilicet difficile spirare, male appetere, male coquere, vigilare, dolere secundum hypochondria, delirare, quæ in quarta, aut tertia solent mortem ostendere in febribus maxime malignis.

Sed dicet aliquis, quomodo secunda dies non meretur, & ipsa vocari decretoria, cum ab Hippocrate relatum sit Coi sororem, hepatis inflammatione laborantem, secunda die obiisse. Cui respondetur, decretoriam esse diem, in qua frequenter obseruantur ægrotantes vel perire, vel seruari. Iam verò, etsi quempiam interiisse secunda die ob insignem vim morbi reperiertur, non inuenietur tamen à quoquam memoriæ proditum, quod quis secunda die sit feliciter iudicatus.

Sed notandum est hoc in loco, Hippocratem non fine ratione in febribus benignissimis, & malignissimis non vsi voce criseos, sed solum salutis, aut mortis, quoniam vt benignissimæ finiuntur absq; crisi, hoc est, absq; illo vehementi motu; sic in malignissimis, & cum signis deterrimis sit mors sine aliqua crisi, quod sufficiat per se sola febris statim interimere; & natura secundum suam extremam potentiam agens, potest materiam benignam, tenuem, & paucam statim superare, & finire.

ἡ μὲν ὦν πρώτη ἔφοδος.

Primus igitur illorum.

PErgit docere peculiares dies criticos in morbis acutis, de quibus est in præsenti sibi sermo, & enumerat eos per quartas partim διὰ συνάφειαν, id est, copulatione,

partim per διάζευξιν, id eſt, per coniunctionem. Primus ordo eſt quartus, ſecundus, ſeptimus, quia quarta dies principium alterius quartę, vndecimus vero eſt διάζευξιν, id eſt, per coniunctionem. Primus ordo eſt quartus, ſecundus, ſeptimus, quia quarta dies principium alterius quartæ, vndecimus vero eſt διάζευξιν, decimus quartus copulatione, & decimus ſeptimus, & vigeſimus. Vigeſimumquartum, & vigeſimum ſeptimum non ponit Hippocrates, quia vere acuti ad eos numeros non perueniunt. Vnde Nicodemus in Abderis liberatus vigeſimaquarta; & Anaxion trigeſima quarta, vt eſt in 3. epidem. haudquaquam laborarunt morbo vere, & ſimpliciter acuto.

Dierũ criticorum natura vnde dependeat. Cuius varietatis cauſa, etſi lunę tribuatur ſecundum Aſtrologos, quorum ſententia, & Galeno, & compluribus aliis placuit; attamen non deſunt etiam, qui firmiſſimis argumentis eam refutare ſunt aggreſſi, vt inter ceteros Picus Mirandulanus in libro ſuo aduerſus Aſtrologos; Et certe ſi luna eſt cauſa iudicationis mirum eſt, quod vigeſimaoctaua dies, in qua perficit motum ſuum haudquaquam ſit decretoria.

Ceterum in pręſenti haudquaquam hae de re diſputare volo, contentus illud vobis ſtatuere, Hippocratem inter alia mirabilia artis monumenta, quæ nobis reliquit ex longis, & certiſſimis ſuis obſeruationibus hanc fuiſſe non minus iucundam, quam vtilem de diebus decretoriis, & de ipſis criſibus diſciplinam. Notat Galenus, hanc vocem ἔφοδον, ſiue inſultum Hippocratem tranſtuliſſe ab inimicis, vel latronibus, quando quempiam magno impetu aggrediuntur. Sic enim in diebus criticis morbus videtur aggredi naturam, & eam ſeſe certando tueri.

οὐ δύναται δὲ ῥηιδίως οὐδέν.

Fieri vero non poteſt.

A Deo ſtudioſus fuit Hippocrates vtilitatis hominum, & integritatis artis, vt voluerit quamlibet errandi occaſionem remouere, quod quoq; in pręſenti facit. Siquidem cum in numerandis criticis diebus nequeat ſumma illa ἀκρίβεια ſeruari; ne quiſpiam in hac quærenda ab euentu, & difficultate abducatur, monet non eſſe poſſibile, vt integris diebus fiat firmiter ἀτρεκέως huiuſmodi enumeratio, quoniam neque annum, neque menſes contingit diebus integris numerari, quaſi dicere velit, ſi in numerandis annis, & menſibus non ſeruantur integri dies, ſed in vtriſque ſunt etiam aliquæ horæ, quæ computantur: in numerandis quoq; diebus decretoriis, qui ex anno, & menſe demuntur, idem contingat neceſſe eſt.

Ex quo licet manifeſte colligere, enumerationem illam non poſſe exactam eſſe; & hic non raro falli pleroſque Medicos, dum ex falſa enumeratione, aut ſaltem non exacta veros criſis dies minime reperiunt.

Μετὰ δὲ ταῦτα ἐν τῷ αὐτέῳ.

Poſt hæc autem.

ENumerauit Hippocrates dies decretorios in acutis ſimplicibus, & veris vſque ad vigeſimum, qui complectitur tres hebdomadas aliquibus horis demptis, nunc vero enumerat alios dies decretorios, qui ſpectantur in morbis acutis non veris, & ſimplicibus, ſed ex decidentia ſcilicet trigeſimumquartum, & quadrageſimum.

At dicet aliquis, ſi res ita ſe habet, cur omittit vigeſimamſeptimam, quam ſcimus, eſſe primam, ſeptimam, poſt vigeſimam per διάζευξιν, non per συνάφειαν? cur adiicit ſexageſimum, quem ſcimus non ad acutos, ſed ad diuturnos pertinere.

Quod

Quod spectat ad vigesimamseptimam, Hippocrates 4. sect. aph. 36. manifeste inter decretorios numerat. Verum hic omittit, vt ego puto, tanquam certissimum, & omnibus notum; siquidem cum sit prima septimana post vigesimam, certum est inter decretorios in acutis decidentibus primum locum habere. Apponit sexagesimum, vt demonstret vltra quadragesimum in acutis, non amplius numerari quartas, aut septimanas, sed vigesimas, & adhuc longiora interualla.

τουτέων δὲ ἐν ἀρχῇσιν ἐστὶν χαλεπώτατον.

At in horum principiis.

QVæ hactenus Hippocrates de diebus decretoriis proposuit, omnia eo spectat, vt ex iis cognitis, & prospectis Medicus possit præcognoscere tum salutem, & mortem, tum maxime tempus vtriusq;. Iccirco quantum in hoc valeat eiusmodi cognitio, nunc vult docere, vt scilicet sciat, quantum sibi ipsi inde polliceri queat. Dicit igitur in iis morbis, qui sunt acuti ex decidentia, difficilimum esse certo discernere, qui longo tempore sint soluendi, & qui breuius, quoniam omnium principia sunt similia. Vt tamen aliqua cognitio habeatur, oportere à primo animaduertere, & ab eo singulos quaterniones numerando, eos considerare, quoniam sic euentus morbi non latebit. Est tamen, quemadmodum Galenus proponit hæc Hippocratis sententia, quod in morbis vere acutis, facile est statim prædicere vel salutem, vel mortem, quoniam cum morbi acuti statim, vt dicit Hippocrates, 1. aph. habeant magnos labores, facile est intelligere, an natura superet, an morbus. Quo intellecto facile etiam intelligitur, vtrum salus, an interitus sit secuturus; quemadmodum si duorum colluctantium alter sit valde superior, alter valde inferior, facile est non modo luctæ præfectis, verum etiam aliis spectatoribus prædicere, quis futurus sit victor.

Ceterum in morbis acutis non veris, cum à principio non fiant magni labores, nec propterea discernatur vter sit maior, morbus ne an virtus arduum est quoq; præcognoscere, cuiusnam sit futura victoria; sicut vbi colluctantes sunt parium virium, nec præfectus luctæ peritus, potest firmiter iudicare, quis alterum sit superaturus: Ex quo sicut præfectus singulos actus, & momenta considerat, vt præcognoscat victoriam, haud secus Medicus debet singulos quaterniones, & septimanas diligenter considerare, quidq; in iis eueniat considerare, vt sibi liceat, quo se vertat morbus præcognoscere.

Sed hoc in loco illud est obseruandum, quod tametsi non cito liceat in acutis non veris præcognoscere statim, attamen quando fit præcognitio, tunc certior est, quam quæ fit in acutis, quoniam in acutis fit iudicium accidentibus, quæ siue mala, bona sint, haud tamen sunt firma.

In diuturnioribus autem, cum fiat præcognitio ex signis coctionis, vel cruditatis, atq; hæc sint certiora, plane minus in iis erratur, quam in acutis veris. Atq; hoc est, quod dicebat Hippocrates 2. aph. 19. Acutorum morborum non omnino sunt certas esse prænunciationes saluris, aut mortis.

Quamquam Rhasi videatur contrarium placuisse, scilicet in acutis certiores esse prædictiones, quæ prædictiones totæ, quemadmodum ait Galenus 4. de præsag. ex puls. cap. 11. in eo sunt positæ, vt prædicetur salus, aut interitus, modus vtriusque, & tandem tempus, quæ omnia obtinentur; quomodo patitur artis nostræ incertitudo, si signa tam indicantia, vt præcipit Hipp. quam iudicantia diligenter considerentur; atq; praxis huiusce rei facile haberi potest ex contemplatione ægrotorum, quos Hipp. descriptos nobis reliquit in Epidemiorum libris.

Γίνε͂) δὲ ἡ τῶν τεταρτεῶν.

Fit autem & quartanarum.

DIxit Hippocrates in superioribus, quomodo sese gerere debet Medicus, enumerando dies criticos in acutis, ac proinde in continuis febribus. Nunc vero docere vult, quomodo numerare debeat in intermittentibus. In exemplum autem assumit febres quartanas, quoniã cum hæ sint longissimæ, quod verum erit in ipsis, multo magis verificabitur in breuioribus. Nec dicat quispiam Hipp. institutum hic esse de acutis, non de diuturnis morbis, cuiusmodi est quartana, tractare, quoniam quæ scribit de hac totum dirigitur ad exactiorem enumerationem dierum criticorum, nec per se consideratur, sed in respectu ad acutos. Quanquam & dici possit, vt alias diximus, sermonem de longis morbis esse, prout fiunt ex acutis. Ergo quod dicit Hippocrates, est, eundem esse ordinem in quartanis, hoc est, in numerandis diebus, quartanarum, id est, intermittentium seruandum, atq; in continuis, nempe vt quaterniones, & septimanæ considerantur, illi vt iudicatorii potissimum septimanarum, hæ vero vt decretoriæ. Illud autem interest, vt bene notat Galenus ex Hippocrate, quod quemadmodum in continuis dies soli considerantur, sic in intermittentibus considerantur solæ periodi, adeo vt eandem vim habeat quarta periodus ad se, & ad septimam, & vndecimam ad decimamquartam, quam habent dies similes in acutis. Et hic est ille ordinatus ambitus, quem vocat Hipp. κόσμον, id est, mundum, ad imitationem huius mundi sapientissime, & felicissime ordinati, quemadmodum Galenus & Erotianus docent. Sic etiam libro de morbis mul. 2. dicebat, vterum è loco motum non esse ἐν τῷ κόσμῳ, id est, in suo ordine. Non placet autem eorum expositio, qui putant, Hippocratem hic velle docere etiam in quartanis posse ex obseruatione dierum à principio cognosci, quo tendat morbus, quoniam iam dictum est in omnibus diuturnis id non esse facile, præterquam quod cũ securissima sit quartana, vt dicebat Hipp. non est opus de euentu statuere, aut prædicere quicquam, sed tantum de tempore, quod tamen difficilimũ est. Vnde Hipp. 2. aph. non ausus est aliud dicere de quartanis, quam æstiuas esse breues, autumnales vero longas. Addo & ego longiores adhuc esse hyemales, cum Hipp. dicat, præsertim quæ hyemem attingunt, quasi non nisi vere finiri quotidiana monet experientia. Imo vero dicebat Auic. prima quarti, tr. 2. cap. 61. quartanam perdurasse ad 12. annum, & quandoq; plures, vt de Vido Grammatico Trasimeno, qui 24. annis laborauit.

Quidã quartanarii annis 12. quidã 24.

Τὰ δὲ ἐν ἐλαχίστῳ χρόνῳ.

Quæ vero sunt iudicanda.

HÆc sententia quicquid dicat Galenus, potius coniungenda videtur alteri sententiæ superiori, qua dicebat, difficile esse præcognoscere, quę longo post tẽpore sunt iudicanda, quoniam principia ipsarum sunt similia. Nunc enim dicit facilius prædici, quæ breuissimo tempore sunt iudicanda, quoniam principia differunt. Et certe si pauca illa verba de quartana, tanquam per parenthesin interposita intelligantur, facilis & accommodatissima erit ambarum sentẽtiarum coniunctio, ita, vt hunc in modum integra fiat. In principiis difficile est præcognoscere, quæ lõgo tempore sunt iudicanda, quoniam principia sunt similia. Contra vero, quæ breuissimo tempore iudicanda sunt, facile est præcognoscere initio, quoniam à principio valde differunt; siquidem seruandi signa euidentia salutis statim habent, scilicet facilem spirationem sine dolore sunt, noctu dormiunt, aliaq; signa securissima habent. Morituri vero contra difficiliter respirant, non dormiunt, delirant, aliaq; signa pessima habent. Sed dignum est consideratione, quare in enumerandis bonis signis tria tantum ponit facilem respirationem, doloris carentiam, & somnum: in recensendis vero pessimis numerat difficilem respirationem, delirium, & vigilias.

Dicen-

Dicendum eſt breuiter, iccirco feciſſe, quia nil peius eſt in morbis, quam omnes facultates male valere, ſicut nil melius, quam omnes robuſtas, & integras eſſe. Iam vero ex his tribus hoc maxime intelligitur, ex facili reſpiratione facultatis vitalis robur: ex carentia doloris animalis; ex ſomno naturalis. Econtra ex difficultate reſpirationis intelligitur, vitalem male valere; ex delirio animalem, ex vigiliis naturalem. Quomodo autem vnumquodq; horum ita ſit, non difficiliter intelligitur, ſi conſideretur, vt vnaquæq; facultas valeat, atq; proprias actiones edat, cum enim reſpiratio facilis fiat, vbi pulſatrix facultas vitalis non eſt impedita, nec vſus auctus, manifeſtum eſt ea facili exiſtente conſequenter facultatem vitalem bene ſe habere, & à nulla re inimica cogi. Pariter vbi nec dolor eſt, & ſomnus naturaliter fit, id non modo eſt ſignum, verum etiam cauſa bonæ valetudinis facultatis tam naturalis quam animalis. Concludit tamen Hippocrates, quod etiam ſuperius dixit, debere Medicum conſiderare ſemper tempora morborum, atq; ſingulas adiectiones, præſertim quando ipſi morbi ad iudicationem eunt. Nam ſiue in acutis, ſiue in diuturnis morbis ſemper ſymptomata euenientia conſideranda ſunt, nempe qua die, vel indicatoria, vel iudicatoria accidant. Ex his enim intelligi poterit, qua die futura ſit criſis, modo tamen nullus committatur error. Etenim certiſſimum eſt, errata, quæ committuntur, vel ab ægrotantibus, vel à medico, vel ab adſtantibus omnia interturbare, ac propterea incertum ſemper iudicium Medici reddere. *Error leuis, criſis iudicium peruertit.*

Κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν λόγον καὶ τῇσι.

Secundum autem eandem rationem.

DOcuit, quomodo in acutis, quomodo in continuis morbis, quomodo in febribus continuis, & quomodo in intermittentibus doctrina dierum criticorum valeat, & quomodo ſit exercenda. Sed quia partus eſt quidam morbus, vel ſaltem coniunctus ſæpe febribus, atq; aliis morbis. Deq; eo poſſet dubitari, an ſit eadem ratio ſeruanda; proptereain præſenti dictione id voluit Hippocrates etiam diffinire. Vnde ait ſeruandum eandem rationem in mulieribus, quæ pepererunt, dies eſſe adnumerandos; poſtquam in iis haud alio pacto, neq; aliis dieb. fiunt iudicationes. Nam etſi febres interdum ſecunda, vel tertia die poſt partum aggrediantur mulieres, vult Galenus tamen dies, ſeu principium dierum iudicantium, & decernentiũ, haudquaquam eſſe capiendum ab initio febris, ſed potius à die partus. *Pulchra quædam de febrib. parturientium.*

Ceterum, vt hæc res, quæ admodum controuerſa inter Medicos eſſe ſolet, optime intelligatur, videndum eſt, quid nomine partus intelligat Hippocrates, & an verum ſit, ſemper eſſe numerandos dies à partus initio, vt videtur ſentire Galen. an potius ab initio morbi, vt aliquibus aliis placuit, & vt videtur feciſſe Hipp. in lib. epid. in hiſtoriis Philini, Epycratis, & Dromeadæ vxorum τίκτειν, ſeu τέκειν, vnde dicitur τόκος vox, hic ab Hipp. vſurpata, apud Hipp. accipitur in libro de paſſionibus mul. pro concipere, & parere. Ex quo nonnulli volunt, hoc in loco Hipp. pro partu intelligere non ipſum fœtum iam in lucem editum, ſed adhuc in vtero exiſtentem, & mox edendum. Ego vero ſentio, potius pro ipſo partu in lucem miſſo, vel potius pro ipſa parturitione, quaſi dicat, tunc eſſe incipiendum dierum numerationem, cum mulier parturit, & doloribus angitur, quaſi tunc inchoent labores & febres, aliiq; morbi, quib. poſtea puerperæ valde afficiuntur. Iam vero, quod vbi vna cum doloribus partus incipiunt febres, vel alii morbi ſit numeratio facienda ab initio parturitionis, cum ſimul inchoent nemo dubitare debet. Sed quando inuadunt febres, aut inflammationes, aliiq; affectus tertia, aut quarta die poſt partum, tunc dubitatur, an numeratio ſit facienda à primo die partus, an vero à primo die febris vel alterius morbi; & quod peperit huiuſmodi dubium, fuit varietas Hippocratis, qui in recenſendis puerperis, quæ ægrotauerunt, & in libro Epidemiorum ſunt commemoratæ, modo ab initio morbi, modo ab initio partus videtur cœpiſſe numerare. *τίκτειν & concipere & parere Hipp. ſignificat.*

In hac difficultate enodanda, aliqui dixerunt numerationem dierum fieri, aut propter præcognitionem futuræ crisis, & salutis, vel mortis, aut ob præcognoscendam breuitatem, vel longitudinem vitæ; Si primo, inquiunt semper ab initio partus esse auspicandum connumerationem dierum. Si vero secundo, ab initio febris. Sed hæc sententia mihi non placet; quoniam prædictio vna est, quæ vel salutem, aut mortem, vel tempus, vel modum, vel omnes prædicit: ideo ab vna radice proficisci debet. Præterea longitudo, & breuitas dependet, & sæpe à laboribus partus, vnde ab iis numerari debent dies. Itaq; vt dicebat Hippocrates 2. epid. semper deueniendum est ad occasionem, & occasionis initium. Nam si morbo data est occasio à partu, siue initium occasionis fuit ab ipso, similiter ab eadem incipienda est dierum numeratio, quasi tunc etiam inceperit morbus. Principium enim morbi morbus est. Sin autem neq; occasio, neq; occasionis initium fuerit à partu, vel parturitione, sed sponte, aut alia de causa morbus sit obortus, tunc nullo modo à partu, sed à principio morbi facienda est supputatio, atq; sic intelligendus Hippocrates, quando modo ab vno, modo ab altero numerat dies.

Etenim licet mulieres statim à partu nunquam possent dici sanæ, ac propterea sapientes Medici regant eas semper vt ægras, attamen fit etiam sæpenumero, vt nouus aliquis morbus ab affectu partus admodum diuersus oboriatur, qui cum nullam habeat cum ipso partu communionem, quomodo potest progressus morbi metiri secundum id tempus, quando nondum erat.

Κεφαλῆς δὲ ὀδύναι ἰσχυραί.

Capitis dolores.

MErito hic omnes Interpretes nouum caput faciunt; siquidem nulla est ratio continuandi præsentia cum superioribus. Quæ enim est connexio doctrinæ dierum criticorum cum dolore capitis. Itaq; nimis ocio abutuntur, qui quærunt in hoc libro rationalem cunctarum sententiarum conuenientiam, & copulationem.

Sicut etiam Cardanus, qui à longe nimis conatus est continuationem harum afferre. Transit itaque Hippocrates ad docendum, quo pacto in affectibus capitis sit prædicendum. Et quamquam retro etiam aliqua sparsim dixerit, hactenus tamen non habuit tractationem, quemadmodum habiturus est.

Quod autem modo dicit, quatuor partes habet; prior pars est, dolores fortes & continuos cum febre esse lethales, si simul alia signa exitialia extent; secunda est, si non adsint huiusmodi signa, & tamen dolor pertranseat vigesimam diem cum febre continua expectari oportere fluxum sanguinis è naribus, aut quempiam alium abscessum ad partes inferiores; tertia pars est, quod etiam si dolor sit recens, hoc est, nondum præterierit vigesimam diem, nihilominus expectandum sanguinis è naribus fluxum; vel si dolor sit circa tempora, & frontem, supputationem; quarta & vltima pars est, quod in iunioribus triginta quinq; annis expectandus est potius sanguinis fluxus; in senioribus vero suppuratio.

Atq; hoc est id totum, quod Hippocrates in præsenti docet de præcognitione, & prædictione facienda in doloribus capitis cum febre acuta.

Circa quam sententiam, vt more nostro aliquid pro vsu artis dilucide, & breuiter discatis, nonnulla examinabo.

Et circa primam partem sciendum est, Hippocratem, vt dolor capitis sit in morbis acutis lethalis, velle eum quatuor conditiones habere: Vna est, vt sint ἰσχυραὶ, id est, fortes, seu vehementes; altera, vt sit cótinuus; tertia, vt sit cum febre; quarta, vt sit cum signis aliis lethalibus. Galenus in interpretanda hac sententia, quæ est maximi momenti, certe mihi non satisfacit, siquidem nil aliud ad partem pertinēs adducit, quam quod totam Hippocratis dictionem inordinatam esse nititur monstrare; Capitis dolorem, vt habemus apud Plinium lib. 25. c. 3. Veteres inter acerbissimos

ſimos poſuere, & adeo graues, vt aliqui pro his fugiendis manus ſibiipſis attulerint. Nam cum cerebrum, quod eſt pars nobiliſſima in capite contineatur, facile contingit, vt cerebrum coaſficiatur, maxime tunc cum dolor vehemens eſt, & continuus. Affectum autem cerebrum phrenitidas, aliaq; exitialia mala inducere ſolere cunctis perſpectiſſimum eſt. Et puto vehementer eos errare, qui, quod Hippocrates, & Galenus, aliiq; Medici in phrenitide tractanda ſæpe doloris capitis non meminerunt, dixerunt, phrenitidem eſſe abſq; dolore, cum fieri nequaquam poſſit, quin vbi phrenitis fiat ex inflammatione membranarum cerebri acerrimo dolore afficiantur, licet ob mentis errorem de eo non quærantur.

Ceterum cum dolor ſit ipſa continui ſolutio, atq; hæc fiat ab aliqua materia diſſoluente, eam non eſſe flatuoſam, quæ facit propoſitum ab Hippocrate dolorē, iure dicit Stephanus, ſiquidem haudquaquam eſſet continuus, neq; etiam poteſt eſſe pituiroſus, & frigidus, quoniam haudquaquam ab hoc humore fiunt morbi acuti, nec dolores fortes. Ergo relinquitur, ſit ab humore calido, qui cum ſit vel ſanguis, vel bilis, putat Stephanus, hunc dolorem, de quo loquitur Hippocrates, fieri à ſanguinis obſtruentis copia; ſiquidem ſanguis in vaſis exiſtens, facit continuitatem, & durationem doloris, præterquam quod Hippocrat. dicens, finiri exitu ſanguinis è naribus, vel ſuppuratione monſtrat conſequenter fieri à ſanguine. Verum non defuerunt, qui crediderẽ Hippocratem de dolore à bile loqui, tum, quia morbi acuti, de quibus Hippocrates loquitur, omnes ſiunt à bile, vt Hippocrates lib. de nat. hum. & Ariſtoteles 4. de part. animal. cap. 2. ex Anaxagora docent: Tum, quia dolores acutiſſimi ab humore acutiſſimo, feruidiſſimo, & mobiliſſimo, cuiuſmodi bilis neceſſario producuntur. Ego vero ſum in ea ſententia propoſitum dolorem à ſanguine bilioſo fieri, qui intra vaſa contentus, membranaſq; incendens, & diuellens continui diſſolutionem, ac ſubinde moleſtiæ perceptionem facit. Igitur iure dicit, dolorem fortem continuum.

Sed quæritur, quare Hippocrat. dicat cum febre. Nam hoc ſuperuacaneum videtur; ſiquidem, vt ſæpe diximus ex Galeno nullus eſt morbus acutus ſine febre, nec valet, quod dicunt nonnulli, pro febre intellexiſſe acutam, vt appoſuit in Coacis prænotionibus, non appoſuiſſe autem vocem illam (acutam) quoniam euidentiſſimum erat, cum loquentem in acutis de febre, neceſſario loqui de acuta. Non valet, inquam, quoniam ſimiliter, vt nuper dicebam, debebat tacere febrem, quia neceſſario ſequitur morbos acutos. Itaq; ſatius eſt dicere, Hippocratem appoſuiſſe febrem, quia etſi ſemper comitetur hunc dolorem in acutis febribus, non tamen ſemper æſtimatur, quandoquidem acerbitas ſolet alios comites affectus obſcurare. Vnde vult dicere Hippocrates, ſi adſit febris non accidens, & ſequens dolorem, nec quæ contemnatur, ſed quæ ſit morbus per ſe, & proinde vt febris etiam lædat, dicit, (Si quid lethalium ſignorum acceſſerit.) Lethalia ſigna quæ ſint, dixit ſupra ſcilicet difficilis reſpiratio, inappetentia, deliria, vigilia, & dicit (Si quid ſignorum) quoniam haud eſt neceſſe, vt plura ſigna lethalia ſint, ſed dolor capitis vehemens, continuus cum febre eſt tanti ex ſeſe momenti, vt ſi vnum tantum aliorum ſignorum exitialium ſibi coniungatur, ſufficiat ad afferendam inſignem perniciem. Et dicit Hippocrates, non abſq; ratione huiuſmodi dolorem eſſe valde pernicioſum, quandoquidem vel phrenitidem portendit, vel eſt cum ipſa phrenitide, quæ morbus exitialis eſt, vt ob hoc in Coacis prænotionibus, dicat eſſe θανάσιμον. Sic enim Polyphanes relatus ab Hippocrate 2. epidem. in immani cephalalgia, cum importune vſus eſſet ſternutatoriis incidit in conuulſionem, ſicq; extinctus eſt. Atq; hæc de prima parte.

Secunda eſt, ſi abſque talibus ſignis dolor viginti dies exceſſerit, & febris habet, ſuſpicandum eſſe, vel quod ſanguis è naribus erumpat, vel quod abſceſſus aliquis ad infernas partes fiat.

In Coac. præn. tota hæc pars paulo diuerſa, & certe dilucidior habetur, vbi ſcriptum eſt: Sin autem abſq; ſigno prauo dies viginti exceſſerit, ſanguinis profluuium

aut

aut ſuppuratum è naribus, aut partium infernarum abſceſſum denunciat. Cęterum circa hanc partem videndum eſt, cur Hippocrates potiſſimum dicat, vigeſimum diem. Secundo, cur dicat expectandum eſſe vel ſanguinis, vel puris profluuium è naribus. Tertium, quomodo affecto capite abſceſſus partium inferiorum debeat expectari. Ad primum autem reſpondemus, dolorem capitis quamuis acerbiſſimum continuum, & cum febre, haud poſſe ex ſeſe quidem exitium afferre. Veruntamen ſi perdurat, neceſſe eſt; finiatur. Dicebat enim Seneca, nullum dolorem magnum eſſe poſſe diuturnum, quoniam vel finit, vel finitur; huius autem terminus potiſſimum poſitus eſt ab Hippocrate vigeſimus dies, quia hic conſtat ex tribus hebdomadibus, & vt dicebamus retro, eſt vltimus acutorum dies criticus.

Nullus dolor magnus, diuturnus: vt qui aut finiat, aut finiatur.

Narium hæmorrhagia vt fiat.

Cur autem, quod ſecundo loco quærebamus, ſit potius ſanguinis è naribus eruptio, vel abſceſſus circa infernas partes expectandus, cauſa eſt, quoniam durante febre, & dolore ingenti, ſignum eſt, cauſam eſſe permanentem, atq; in venis capitis; vbi niſi cerebrum offendat, & vitium tollat, neceſſe eſt, vel ob feruorem, & copiam aperiens oſcula venarum, ſibi viam ad exitum paret, vel putreſcat, & ſuppuretur, atq; ſic per nares ſuppuratus exeat. Sic enim intelligendus eſt Hippocrates, vt loquatur de profluuio ſanguinis tam non ſuppurati, quam ſuppurati, quemadmodum perſpicuis verbis ſcriptum eſt in Coacis prænot.

Quod ſi naturæ id non ſuccedat (& eſt tertium quæſitum) vt per nares ſeſe leuet, ſanguinem grauantem in partes infernas propellit, vbi abſceſſu facto ſequitur ſanitas; Et ipſe quoq; ſum in ea ſententia, hic Hippocratem per εἰς τὰ κάτω χωρία, intelligere non partes capitis infernas, vt nonnulli putarunt, ſed partes infra ſeptum tranſuerſum. Sic enim ſolet appellare, τὰ κάτω χώρια, vt nunc facit. Et dicebat 2. epi. huiuſmodi abſceſſus, qui fiunt infra morbum, atq; in partibus inferioribus, eſſe ſalutares. Neque vero hoc nouum eſt, vt morbus capitis tollatur per abſceſſus ad inferiora, cum ſic Hippocrates in aphoriſmis dixerit affectus oculorum, & aurium ſuperuenientibus alui fluxibus ſedari, & virgo Abderitana à ſurditate liberata eſt dolore pedum. Tertia pars eſt, quod etiam ſi recens ſit dolor, ita vt non pertranſierit vigeſimam, expectare oportet vel ſanguinis, vel puris eruptionem, præſertim quando dolor circa tempora, & frontem fuerit. Stephanus, vbi Hippocrates dicit, expectandam eſſe ſuppurationem, ἐκπύησιν, intelligit, non tantum conuerſionem in pus materiæ in capite exiſtentis, verum etiam ἐμπύημα thoracis, quaſi interdum quoq; materiam natura depellat in thoracem, ibiq; faciat empyema. Sed vt ego nõ inficior hoc quoq; poſſe contingere, ita adduci non poſſum, vt credam Hippocratem, hoc intellexiſſe primum, quia in Coac. prænot. de ſuppuratione facta in capite tantum loquitur, non in pectore. Deinde, quia cum Hippocrates dicat, maxime id eſſe expectandum, ſi dolor maneat circa tempora, & frontem, manifeſte innuit, ſe loqui de ea ſuppuratione, quæ fit proxime iis partibus, quibus dum pus conficitur, vapores continuo à materia putreſcente ſuggeruntur, qui copia, & calore eas partes diſtendentes, & vellicantes dolorem faciunt, & conſeruant. De ſimili dolore, vnde pus effluit, locutus eſt Hipp. 2. de morb.

Et aduertendum, non ocioſe Hippocratem dixiſſe circa tempora, & circa frontem, quoniam in doloribus capitis eæ partes maxime omnium torquentur, tum ratione venarum, & arteriarum, quæ copioſæ & inſignes ſunt in iis partibus, vt conſpicitur ex pulſatione; tum quia hæ partes immediate ſubiiciuntur cerebro, à quo facile ipſis ſuggeritur humidum; ſic enim dicebat Ariſt. 2. Probl. 17. in fine, maxime nos ſudare fronte.

Totam hanc rem videtur Hippocrates accommodate complexus ſexto libro aphoriſmorum decimo, vbi dicit, dolenti caput ſi pus, vel aqua, vel ſanguis fluens è naribus, aure, vel ore leuationem adhibet, q; etiam ſecundo de morbis confirmat.

Quarta pars eſt, quod vt iudicium tutum fieri poſſit, num ſanguinis, an materiæ ſuppuratæ magis fluxus ſit expectandus conſideranda eſt ætas, quoniam ſi ægrotans ſit intra 35. ætatis annum, magis expectandus eſt ſanguinis fluxus.

Sin autem senior potius materiæ suppuratæ. Cur autem ita contingat de sanguine, ratio est, quoniam ea in ætate sanguis copiosus, & feruidus, quæ conditiones valde conferunt ad aperiendas venas, & ad motum ciendum; propter quod etiam Hippocrates dicebat 3. aph. sanguinis fluxum maxime fieri à decimooctauo anno, vsq; ad trigesimumquintum. Adhæc in iuuenibus facultas expultrix valida est, & meatus magis ampli, magisq; liberi. Seniores vero, cum non ita calidi sint, neq; expulsiuam habeant adeo validam; si quando corripiuntur talibus doloribus, & affectibus nequeuntibus ita expellere deducit natura ad suppurationem; siquidem materia suppurata multo facilius excernitur; quia magis aduersa est ipsi naturæ, ac proinde magis eam ad sui depulsionem concitat. Et notandum est, prudenter dixisse Hippocratem magis, quoniam potest etiam in senioribus exire sanguis, & in iunioribus pus; sed hoc propter dictas causas rarius contingit. Imo (quod magis contrarium huic sententiæ videtur) Hippocrates dicet infra context. 33. iis, qui annum trigesimum excesserint in abscessus raros febres terminari, vt hic ad comparationem iuniorum locutus sit, ibi vero simpliciter. Sed dicetis, cum sint alia signa cognoscendi futuram crisim, per sanguinis fluxum è naribus, vt narium pruritus, oculi emissitii, flammarum ante oculos apparitiones, cur non attulit Hippocrates? Respondendum est, nimis vulgaria esse, quę tardissime solet Hippocrates proponere.

ὠτὸς δὲ ὀξείη ὀδύνη.

Auris dolor.

Capitis dolori admodum, & loco, & natura, proximus est aurium dolor, vnde accommodate post eius tractationem modo de hoc in præsenti sermonem habet. Stephanus Atheniensis, qui tractationem pertinentem ad caput in plura capita diuisit; fecit hic secundum caput. Sed hoc nihil refert. Illud certum est, quod etiam ipse significat, Hippocratem tractantem de morbis acutis, qui fiunt à materia calida, & mordaci, & ipsum de hac intelligere, quę prout varios locos petit, sic mordens, & continuum soluens, varios dolores facit. Vbi enim in cerebri membranas fertur, κεφαλαλγίας, seu dolorem capitis parit, de qua iam egimus. Si in aurium meandros, ὠταλγίαν seu dolorem aurium, de quo nunc loquitur: sin in guttur, & fauces ibi quoq;, & dolores, & vlcera parit, de quibus mox est acturus. *Eadem materia variot locos petens, varijs morbis erit.*

Videamus modo, quid de aurium dolore nos doceat sapientissimus senex. Quod autē docere vult, est, quid præcognoscere, & prædicere Medicus debeat, vbi aures dolore exerceantur. Hoc autem totum in duas potissimū diuiditur parres. In prima docet, ex natura ipsius doloris quid præsagiendum sit. In secunda nititur, idē docere ex ipsa ætate ęgrotantium, quæ omnia habentur quoq; in Coac. prænot. sed & breuiora, & magis ordinata. In prima itaq; parte affert sententiam, rationem sententiæ, & documentum, dicens, aurium dolorem acutum cum febre continua, ac vehementi ὀξὺν, seu grauem esse; quoniam periculū est, ne deliret homo, ac pereat. Vnde cum hic modus minime securus sit, mentem esse adhibendā aliis signis à primo die, quasi dicat, si bona erunt alia signa, erit bene sperandum; sin minus, mala. Atq; hæc est integra sententia prioris partis, circa quam, vt discurramus parumper illud ad memoriam reuocandum est, dolorem acutum aurium cum febre acuta, & vehemēti necessario esse inflammatorium. Inflammatio autem aurium, vt optime docet Gal. 3. de med. loc. c. 1. vel ipsa meatus auditorii cute inflammata, vel profundiore, & intimiore parte, s. neruo auditorio inflammatoriam dispositionē patiente. De quo autem intelligendus sit Hipp. dubitari posset, verum clarissime patet esse intelligendum de intima parte, quoniam si in cute tantum meatus esset inflammatio, haud periculum delirii ita immineret, quemadmodum Hipp. dicit. Imo vero Gal. in com. dicit proprie ὠταλγίαν nuncupati à veteribus, quando partes aurium profundiores laborant.

Ὀξείη ὀδύνη ξὺν πυρετῷ.
Acutus dolor cum.

QVæti posset hoc in loco, cum Hippocrates hic loquatur de acutis, cur etiam hic vt retro de dolore capitis nominat febrem continuam, & vehementem, nam sat erat dicere cum febre, quia statim necessario intelligendum erat de febre continua, quæ est comes acutorum. Sed respondendum est, particulas illas, continuam, & vehementem esse interpretandam copulatiue, febrem coniunctam cum dolore autium, vel posse pendere ab ipso dolore, vel ipsam facere dolorem, quæ facit dolorem, non est necessario continua, licet vehemens, quia ob vapores acres, qui eleuātur etiam in tertianis possunt fieri dolores magni aurium, vnde vt intelligeremus eum loqui de dolore, qui est primarius affectus, & quem consequitur febris continua, sicut ipse continuus est, habens fomitem in ipso capite; imo vero in ipsis auribus, iure merito addidit febrem continuam, perinde ac si diceret, dolor aurium acutus factus ex primatio capitis affectu; quanquam etiam dicere possimus addidisse febrem, vt monstraret se loqui de inflammatorio dolore, & non flatuoso, vel seroso, vel ab animalculo alio simili, graui quidem, & acuto.

Κίνδυνος γὰρ παραφρονῆσαι.
Periculum.

CVr periculum sit, ne in hoc dolore æger deliret, & peteat, manifesta est ratio, scilicet, quoniam locus affectus est valde proximus cerebro (ab eoq; in id patet aditus contra Aristotelem primo de historia animalium, capite vndecimo, vbi negat esse aditum, secus quam posteriores Anatomici inuenerunt.) Materia est valde calida mordax, & mobilis dolor agitat, & attrahit; ob quæ facile contingere potest, vt statim afficiatur magnopere cerebrum. Quod cum sit præcipua, & nobilissima pars, facile est videre, omnem illius grauem ægritudinem esse exitiosam, vt etiam dixit Plato in Timæo, vbi morbum medullæ grauissimum facit, medullam vocans ipsum cerebrum, vt ego puto. Quinimo affectis auribus grauiter etiam afficiuntur pulmones, quemadmodum scribit Aristoteles 33. Probl. 1. ob sedem, quam habent communem cum cerebro.

ὡς ἐυ τητέον ξ τρόπε
Hic modus.

SVnt qui legunt non τρόπος, sed τόπος, id est, locus, quasi dicat Hippocrates, locum aurium affectum non esse securum. Sed siue hoc, siue illo pacto legatur, nil refert. Sat est, hanc esse sententiam Hippocratis, quod cum dolor aurium sit valde periculosus, & propterea ex se incertus an occisurus sit, vt Medicus ex re incerta certum iudicium, & prædictionē facere queat, attendere debere alia signa ipsi coniuncta; quæ si multa sint, & lethalia perdetur. Sin salutaria seruabitur. Quæ autem sint alia signa praua, & bona in acutis iam ab Hipp. & à nobis dictum est. Sic etiam Hipp. 6. epid. com. 5. text. 13. dum dolorem aurium curandum esse docebat, in finē addidit vocem (dolus) quasi & ibi monere vellet, esse industria, & diligentia vtendū, q locus aurium sit fallax; & ratio, quia à quacunq; causa siue leui, siue graui solet in aure ingens dolor excitari ob neruorum sensibilium copiam, vt sæpe, q nia leuis est puter grauis; & contra, q a grauis causa putet leuis, ac pp terea Medicus & æger decipiantur. Est tamen, vt dixi, auriū dolor acerbissimus, ita vt Gal. 2. de med. loc. aduersus Plinii sentētiam secundo loco hunc dolorem post colicum posuerit, doloti capitis, & aliis magnitudine & acerbitate, ac periculo longo prætulerit. Cur autem cum dolore aurium sequantur vigiliæ, conuulsiones, aliaq; mala, solius delirii mentionem faciat, causa fuit, quia hic affectus est omnium maxime difficilis, & ad ipsum sequuntur vigiliæ, conuulsiones, & alia.

Ἀπόλλυνται δὲ οἱ μὲν νεώτεροι.

Moriuntur autem iuniores.

HÆc est secunda pars totius sententiæ, in qua docet Hippocrates prædicere in dolore aurium salutem, vel mortem ex ipsa ætate, scilicet senectute, atque iuuentute. In Coacis prædictionibus expendit totam hanc partem paucis verbis, vbi dicit, iuuenes septimo die hunc dolorem tollere, aut etiam celerius, nisi pus copiosum ex ipsa aure effluat, aut sanguis e naribus fluat, aut quodpiam aliud salutare signum appareat: seniores veros, & serius, & rarius perdi, quoniam cum suppurationes tardent, neq; ita sint acutæ, minus delirant. Quamquam compluribus morbus reuertatur, ac postintereant. Nunc autem plura dicit, eaq; non sine examine. Sed prius quam hæc sententia expendatur, dubium quod occurrit est examinandum, cur scilicet cum sint complures ætates solummodo iuuentutem, atque senectutem accipit hic Hippocr. quod etiam alibi sæpe in hoc libro, atq; etiam in aliis eum fecisse inuenitur. Certe veteres omnes, atq; ipsum Hippocratem, plerumq; omnem hominis ætatem in duas tantum partes diuiserunt, in vnam scilicet ab ortu ad trigesimumquintum annum, in alteram à trigesimoquinto ad finem, priorem vocarunt νεότητα, posteriorem γῆρας, bene verum est, quod etiam vt audietis has duas partes in alias diuiserunt.

Sed quæ fuit causa, propter quam sic vitam humanam diuiserunt, audite pulcherrima. Hęc fuit causa, quia vita nostra metitur annis, mensibus, & diebus, vt habemus apud omnes. Iam vero annus diuiditur apud veteres proprie in duas partes æstatem, & hyemem; similiter mensis in lunæ augmentum, & decrementum: dies in noctem & diem; vnde æstati, Lunæ incremento & diei correspondet iuuentus: alteri vero parti horum trium senectus. Atque hinc est quod Theophrastus hyemem vocat anni senectutem. *Anni & ætatum pulchra comparatio.*

Causa porro ob quam moti sunt veteres ad sic partiendum annum, mensem & diem, fuerunt duo luminaria nimirum Sol & Luna, quæ sola vniuersum tempus, & proinde ætatem hominis gubernant. Nam sol suo ad nos accessu æstatem inducit, recessu vero hyemem, sicque annum facit: similiter suo ortu facit diem, occasu noctem. Luna porro suo ad solem coitu priorem mensis partem facit, sua vero oppositione facit posteriorem. Hæc porro duo luminaria non alia ratione faciunt annum, mensem, diem, & ætatem, nisi duabus illis qualitatibus scilicet frigore, & calore. Etenim licet sit humidum, & siccum, hæc tamen non concurrunt, tamquam principalia agentia, sed potius vt consequentia ad illas, aut certe vt disponentia, quemadmodum colligitur ex Hippocrate lib. de natur. human. ex Aristot. lib. de cœlo, de gener. & corr. & ex Anerrh. lib. contra Algazelem. Quare videre potestis, cur Hippocrates sæpenumero mentionem faciat solius æstatis, & hyemis, nec non solius iuuentutis, & senectutis: Atque hæc est illa mirabilis dichotomia vsque adeo celebrata ab Aristotele vigesimasexta problem. sect. & à Theophrast. lib. de ventis, & ventorum & pluuiarum signis.

Illud bene verum est eosdem veteres, & præsertim Hippocr. propter ingeniorum docilitatem, atque commoditatem quandam has duas partes anni singulas in tres diuisisse, similiter & ætates ipsis correspondentes, nempe æstatem in principium quod vocarunt ver, in medium quod proprie æstatem, & in finem, quem dixerunt ὀπώραν Græci, hyemem scilicet in metoporam seu autumnum: in hyemem seu brumam, & in finem; sic ætates iuuentutem in pueritiam, adolescentiam, & iuuentutem; senectutem in consistentiam, primum senium, & vltimum senium.

Veruntamen si rei ipsius naturam sequamur ac duas illas qualitates, quas huic mundo tribuunt duo illa luminaria, vere tantum duas partes anni, mensis, diei, atque ætatis facere debemus. Sunt autem quæ Hippocrates dicit quinque. Primum est iuniores septimo die, atque etiam citius ex hoc morbo perire (citius) quia vt

dicit 6. in sextum epidem. dolores aurium tertia die sæpe perimunt, quos iuniores intelligat, neque hic, neque in Coacis explicat. Veruntamen intelligendum non est vt retro à decimooctauo vsque trigesimumquintum annum, cum experientia constet, pueros sæpe laborare hoc dolore, & vel perdi, vel suppurari. Secundum, quod dicit est, seniores longe tardius perire, quoniam febres, & deliria minus accidunt iis, vnde tempus habet natura suppurandi, pro senibus autem intelligendi sunt ii, non qui in iam confecta, sed qui in cruda senectute sunt.

Sed dicet aliquis, cum Hippocrates loquatur de dolore aurium inflammatorio, ad quid loquitur de dolore seniorum, qui nō est acutus, non cum febre, & propterea sine inflammatione.

Respondendum est, prudenter Hippocratem hunc sermonem immiscuisse, ne medicus fallatur in iudicio æquali faciendo, tam de iunioribus quam seniorib. & non dicit Hippocrates fieri hos dolores sine febre, & delirio prorsus in senibus; sed minus id est cum minoribus, & non ita acutis febribus ac delitiis. Tertio dicit Hippocr. prædictis senibus recidiuas contingere, ac propterea mori: Nam dicebat Auicen. recidiuam esse peiorem sua radice.

Sed dicet aliquis, si in senib. suppurantur aures, quia non habent febres, aut deliria, quæ præuertant suppurationem, & ptius occidant, quomodo possunt recidiuas habere, siue vt est in fragmentis Erinii remorbescere; siquidem dicit Hippo. 6. epid. suppuratum non reuerti, quoniam in eo est abscessus, crisis, & coctio.

Suppurationes sunt vel perfecta vel imperfecta. Respond. est suppurationes esse, duplices alias perfectas, in quib. tota materia in pus cōuertitur, alias imperfectas; in quib. nō tota materia suppuratur, sed pars cruda remanet. De priore locutus est Hipp. 6. epid. De posteriore vero loquitur hic. Nam in senioribus certe ob caloris paupertatem haud tota materia suppuratur, Atq; inde fit, vt pars cruda remanens, iterum putredinem concipiens morbum renouet, qui inueniens vires senum à priore morbo iam fractas, non est mirum, si penitus eas atterit, sicq; exitium affert. Et hoc est quod ait Hipp. 2. aph. 12. quæ relinquuntur in morbis facere recidiuas, quæ postea vt ait Auicen. est deterior priore morbo. Quamquam hoc non omnib. senibus contingit, sed debilioribus. Nam robusti etiam à recidiua euadunt, de quibus loquens Cels. dicebat interdum robustos senes melius ferre sanguinis missionem, quam infirmos iuuenes.

Quartum Hippocratis dictum est, iuuenes, priusquam suppuret auris perire: Nam in ipsis ob calorem natiuum, & bilis copiam, ac consequenter inflammationis magnitudinem fiunt sæua symptomata, quæ perdunt vires & naturam, tertia vel septima die, priusquam possit inflammatio in pus conuerti. Solet enim fieri suppuratio septimo die, atque etiam tardius, præsertim vbi loca sunt frigidiora, quemadmodum sunt intimæ aures cerebro, vtpote frigidissimo omnium partium propinquæ. Etenim valde interest ad accelerandam, vel tardandam suppurationem, ad quam faciendam natiuum calorem conuenire suo loco iam diximus, vtrū locus, vbi est facienda sit frigidus, an calidus.

Quintum & postremum est, iuuenum salutem in his doloribus spem esse, si ex aure pus album effluxerit, & aliquod aliud bonum signum accesserit. Et certe sentio hac in te cum Cardano hanc particulam melius connecti cum ea, vbi de iuuenibus loquitur: & eo maxime, quod ita in Coacis prænotionibus est eadem sententia disposita.

Verum hoc in loco dignum est inquisitione, cur Hippoc. non dixerit si suppuratum sit, sed si pus exierit. Secundo, cur cum pus laudabile tres habeat conditiones, albedinem, leuitatem, & fœtoris carētiam, hic tantummodo albedinis meminit, non autem aliarum qualitatum. Tertio cur addiderit, si aliquod optimum signum sit. Ergo bonum pus non est sufficiens signum? Quarto, cur meminit tantū iuuenum, quasi etiam senes non possint seruari vbi est coctio, quia dicit Hippoc. 1. epidem. semper indicare securitatem.

Ad primum respondendū est in iuuenib. vel non fieri suppurationē præueniēte mortes

morte; vel si fiat, consummatam fieri ob magnam naturalis facultatis vim. Itaq; nil aliud in ea spectandum, quam puris ipsius qualitatem. Eapropter Hipp. supposita suppuratione vult duntaxat spectati qualitates, & conditiones ipsius puris: Cæterum solius albedinis puris meminit, quoniam in aurium pure sola ea qualitas sufficit ad bonitatem testandam: Etenim non modo in ægris, verumetiã in alioqui sanis semper fœtent purulenta aurium excrementa, eò, quod in loco angustissimo conclusõ putredinem concipiunt, & fœtorem. Etenim quanto intimius, & in loco angustiori pus generatur, semper tanto fœtidius euadit, vt habemus apud Theophrastrum in lib. de odoribus: Similiter leuitas & æqualitas non ita attenditur in pure laudabili aurium, quoniam transcolatum per angustos meatus, non potest eam seruare. Atqui albedo sufficit, quæ nil ab angustia locorum immutatur, & caloris natiui, partiumq; continentium optimum statum, atq; victoriam ostendunt. *Aurium pus cur semper fœteat.*

Ad tertium dicendum est, inflammationẽ aurium vsq; adeo grauem affectum esse, vt sæpe alios quoque morbos inducat, nempe affectus pulmonis, vt dicebam, febres, morbos, non accidentia, qui affectus etiam post suppuratas, & curatas aures possunt remanere, quemadmodum quoque potest pars puris in cerebrum deflectere, & ibi nonas affectiones facere, quæ hominem perdant. Vnde prudenter Hippocrat. monet medicum, vt attendat quoque alia signa priusquam pronunciet de salute ad cognoscendum statum totius corporis, nempe vrinam, sputum, respirationem, & reliqua, ne scilicet nimium confisus puri albo exeunti, temere de salute pronunciet, ac deinde succedente morte ob alium affectum ipse detrimentum existimationis apud homines patiatur. Etenim non solum in his, verumetiam in aliis abscessibus contingit interdum, vt bene suppurentur, pus exeat album, tamen quia alius morbus crudus sit, vt febris, intereant: quod contigit Cratistonactæ, & pistoris ancillæ, quam Hippocr. 1. epidem. sect. 2. tex. 34. ait interiisse, cum tamen parotides essent suppuratæ. Ad postremum dicendum, vel non fieri pus album in senibus, vel si fiat non seruati ob alios morbos, quibus connectitur dolor aurium.

φάρυγξ δὲ ἑλκωμένη.

Fauces exulceratæ.

A Capite ad aures, ab auribus ad fauces accommodato ordine progreditur; & sicut semper grauiorem, & acutiorem affectum in exemplum accepit, pariter nunc sumit faucium affectum grauissimum, & factum ab eadem materia, à qua superiores, s. humorem feruidum biliosum & acrem, qui in fauces missus non modo inflammat, dolorem facit, verumetiam exulcerat, imo vero quia exulcerat, consequenter inflammat, & dolorem parit. Itaq; de vlceratis faucib. nunc agit, hocq; exemplo quid sit præsagiendum in iis, ac prædicendum docet. Habet aũt sententia Hipp. duas particulas: vna est, fauces exulceratæ cum febre δεινά, id est, graues, & horrendæ sunt: Altera est, si quod aliud signum accedat, malum esse prædicendum in periculo ægrotantem versari. In Coacis prænot. tota hæc sententia multo breuior habetur, vbi scriptum est hunc in modum: Fauces exulceratæ in febre cum alio ex signis difficilibus periculosæ. Stephanus Atheniensis vocat hoc totum tertiũ caput: & certe enarrationis capitis tertia pars, & propterea tertium caput vere est. Galenus admodum ieiunus est in huiusce sententiæ explicatione. Et quamquam per se satis clara sit, non tamen caret aliqua vtili speculatione. Igitur circa priorem partem, primo sciendum est φάρυγγα seu fauces apud Homerum, Hipp. atq; alios veteres significare totam illam regionem, quæ aperto ore & manu compressa lingua oculis conspicua fit, & vbi gulæ, & gutturis extremę partes conueniunt, quemadmodum millies docuit Gal. & præsertim in sequentis textus comment. 4. de loc. affect. 4. aphor. 34. Huiusmodi autem pars propter situm non modo exposita est ad suscipiendas à capite influxiones quaslibet, verum etiam ad eos vapores & succos sumendos, qui feruntur vel à stomacho, vel à pectore, quibus superstat.

Vnde etiam fit, vt faciliter à cunctis prædictis lædatur, si quando aut copia, aut aliqua peregrina, & perniciosa qualitate, tam succi, q̃ vapores sint infecti. Quemadmodum exulceratur vbi succi, aut vapores, aut vtrique acres & mordaces in ipsa figuntur, sicuti obseruari licet, tum in febribus magnis, & ardentibus aliquam viscerum inflammationem sequẽtibus, tum etiam in pestiferis, in quibus vlcera frequenter, & quandoq; praua & exedentia fiunt; quæ cum impediant deglutitionẽ, respirationẽ, febresq; acutas, & graues inducãt, pculdubio vt ait Hipp. & grauia, & visu horrenda sunt. Dicit hic Hippoc. fauces vlceratæ cum febre; in Coacis autem in febre, quoniã siue febris anteeedat, siue sequatur, semper est malum, cum signũ sit vel malæ fluxionis à capite, vel febris magnæ, & malignæ. Itaq; vbi simpliciter cũ febre hæc vlcera sunt, grauia duntaxat ab Hipp. dicuntur. Sed si ipsis aliud signum malum coniungatur, etiam periculosa sunt, hoc est, possunt ægri seruari, & possunt etiam interire. Et dicit Hipp. (si aliquod signum malum) quoniam in febre acuta vna cum vlcerib. sufficit vnum signum malum ad reddẽdum euentũ periculo plenum. Sed si plura mala signa cum iis conueniant, certa mors prædici potest, & in ipso actu practico comperietis in febribus, in quibus valde exulcerantur fauces plerosq; consumi, & perire.

Vnde quotiescunq; vlcerantur in febrib. fauces diligenter considerandum est cuius naturæ sint vlcera an simplicia, an maligna, an serpẽtia, an alba, vel nigra; quia si maligna, aut exedentia sint, aut nigra, omnia mala sunt, nõ modo vt signa, cum significent prauas, & graues febres, verum etiam vt causæ, cum faciant sitim inappetentiam, fœtorem, difficultatem deglutiendi, anhelandi, aliaque non exigua mala. Sin autem simplicia, vt dicebam non ita mala. Sed dubitabit aliquis, quare in hoc affectu non posuit differentiam ætatis, quemadmodum supra fecit tractans de aurium dolore, atque eo maxime, quod omnis ætas, & præsertim pueriliis eidem est obnoxia, nec parum refert ad salutem, siue mortem prædicendam in qua ætate fiant.

Nisi dicamus in pueris diuersa esse vlcera, quæ vocatur ἄφθαι, ab his, de quib. loquitur Hippocr. quæ primum differunt loco, quia palatum & labra interiora, & lingua non fauces in pueris afficiuntur. Deinde materia, quia si sint lactentes, fiunt à lacte putrefacto, seu feruido: Si sint grandiores, à destillationibus salsis, calidis, atque acribus. Ergo cum non de his loqueretur Hippoc. non est mirum, si nullam ætatis differentiam iudicauit apponendam.

Αἱ δὲ κυνάγχαι δειν[ό]τ[α]ται.

Anginæ grauissimæ sunt.

Fauces ex vna parte excipit Oesophagus siue gula, ex altera autem sequitur larynx, seu guttur, & arteria aspera vocata: propterea has quoque partes sicut & fauces solent infestare destillationes à capite humores, vel vapores, vel ex ventriculo, vel ex pulmonibus sublati: qui si sint calidi, & mordaces easdem similiter partes exulcerant; sin autem humores circa eas partes colligantur, ac tumores aliquos faciant συνάγχαι à Græcis, à nostris anginæ vocantur: quæ variæ sunt pro vt varios locos occupant, ex variaque materia originem ducunt. De his autem omnibus non loquitur Hippocrates in præsenti, quas quatuor faciunt interpretes, sed tantum de tribus, vt communib. magis, & grauioribus; & docet quomodo medicus prædicens in vnoquoq; genere ipsarũ sese gerere debeat. Et quia angina est inflammatio partium, ad laryngam pertinentium, inquit, eam esse omniũ letbalissimam, in qua dolor quidẽ est, & febris, vt in cunctis aliis inflãmationib. prædictis, & spirandi difficultas, sed in faucib. nil apparet, f. neq; tumor, neq; rubedo, nec quippiam aliud, similiter nec in collo quicq̃ videtur: In hac. n. cum sint inflammati interiores, vt ait Gal. laryngis musculi, fit vt transitus spiritus ob auctam magnitudinẽ illius magnopere impediatur, q; impedimentũ, quia omniũ maximũ est ad mortẽ celerem

Angina quot spiritus sint. *Prima.* *Anginà quæ pessima.*

celerem faciedam, homine tamdiu viuēte, quamdiu spirat, hinc fit, vt hunc in modum affecti, vel prima, vel secunda, vel tertia, vel ad summum quarta die strangulentur, perinde ac vbi laqueo circa collum quis à recta cingitur. Et hinc est, quod isti coguntur donec viuunt erecti manere, quia iacentibus locus affectus magis supra colli spondylum demittitur, sicque arcta respirandi via magis reddita suffocat; quo pacto etiam secundum spondylium collidens ab Hippocr. nuncupatum suffocat, vbi luxatur intro, sicut manifeste habemus ex eodem Hippo. 2. epid. 2. constit. Quamquam hæc non habeat semper febrem comitem, vt relata hic ab Hippocr. Nam & ea cum febre lethali, vt Hippocr. 4. aph. 34. Atque hoc est id totum, quod Hippocr. docet de iudicio faciendo primi anginæ generis, in qua dolor est ingens cum febre, impedita deglutitio, ingens strangulatio, vt in Coacis; nec tamen quicquam intra fauces, vel in collo apparet, aut oculis, aut tactui mutatum. Vocatur autem proprie κυνάγχη, quod ea laborent canes, sicut aliqui vocant λυκάγχην, quia etiam lupi tentantur ea.

Duo hoc in loco occurrunt dubia. Vnum est, quod hic Hippoc. dicat Anginosos interire prima die, vel ad summum quarta, cum tamen 3. de morbis loquens de hac prima specie anginæ, eiusq; signa copiose proponens, inquit, quinta aut septima, aut nona perire die. Aliud dubium est, quomodo Hipp. 3. aph. dicat modo anginas fieri vere, vt aph. 20. modo autumno, vt aph. 22. Circa primum quod videtur maxima contrarietas in Hippoc. dicendum est aliam esse cum febre, & dolore, aliā sine febre & dolore. De angina sine febre & dolore, est locutus 3. de morb. quandoquidem nullam febris & doloris mentionem facit; attamen 2. de morbis, in tradendis aliis signis semper meminerit febris. Atq; hoc in loco sermonem habet de ea angina, quæ fit cum febre & dolore. Morbum vero quemlibet esse deteriorem cum febre, quam sine febre nulla indiget ꝓbatione. Fieri aūt posse absq; febre anginam, & graui dolore, præsertim si à sanguine pituitoso non inconuenit. Nisi potius dicere placeat loqui 3. de morbis, non de priori, sed de secunda specie anginæ, quam dicet hic & ipsam esse lethalem, sed diuturniorem. Ad secundum dicendum est, duplicem esse materiam anginæ, vel sanguinem pituitosum, vel biliosum: Pituitosa angina fit magis vere, biliosa vero fit magis autumno. Et ratio est, quoniā in hyeme genita pituita eliquatur vere, sicq; facile funditur à capite in fauces, quemadmodum bile genita, & cumulata in æstate, autumno agitatur, & si fauces debiliores sint, facile ab illis suscepta in tumorem colligitur, & anginam producit. *Angina materia duplex*

ὅσαι δὲ τὸ μὲν ἄλλα ϖ⁹ξαπλησίως.

Quæ vero.

HÆc secunda species anginæ, quæ siue parasynanche, vt pleriq; interpretes, siue cynanche, siue alio modo dicatur, non pertinet ad hunc locum longe disputare, siquidem Hipp. qui nomina minime omnium curauit, solius vtilitatis hominum studiosus omnes species vno nomine συνάγχης videtur appellasse. Dicit igitur Hipp. eas anginas, quę similiter prædictæ dolorem exhibent, verum tumorem, & ruborem in faucib. spectabilem habent, esse quidem perniciosas valde, sed prioribus magis diuturnas, si rubor fuerit magnus: Circa quam sententiam primum videndum cur in hac secunda specie fiat rubor, & tumor apparētes in faucib. Secundum cur hæ sint magis diuturnæ prioribus, si rubor fuerit magnus. *Secunda.*

Circa primum, quod appareat tumor, & rubor, duo faciunt nempe copia ipsius sanguinis, & locus: Cum enim sanguinis collectio, siue pituitosi, siue biliosi facta sit in faucibus, continuo, quæ partes conspicuæ sunt eleuatio cutis facta à materia inter ipsam, & subiectas partes collecta reddit magnitudinē illam aspectabilē, quemadmodum etiam color rubens, qui à sanguine producitur. Quod autem huiusmodi rubor, si sit magnus, indicet perniciosam valde anginam, verum diuturniorem, ratio est, quoniam tumor non est ita internus ab humore benigniore, quæ omnia faciunt, vt difficultas deglutiendi, atque respirandi sit paulo minus. Vnde cum non

adeo suffocentur, possunt diutius morbi impetum sustinere; eo quod non adeo difficiliter respirant sicuti priores: Nam quod exigua penitus, vel nulla sit anhelandi difficultas, quemadmodum imaginantur nonnulli, falsum est; quandoquidem etsi nil aliud esset, certe vicinitas inflammationis partibus spiritualibus, & calore, & tumore necessario non exiguam dyspnœam facere debet, licet orthopnœa non sit necessaria, vt in prima specie, cum musculi laryngis tantum per consensum afficiantur. Hæc sententia paulo est diuersa in Goacis prædiction. vbi loco φάρυγγος, habetur τράχηλος. Sed dicet aliquis, si visibilis est inflammatio, si non impedit multum deglutitionem, & respirationem, quomodo ergo possunt esse æque exitiales, atque primæ? Præterea cur est, quod Hippocr. 2. epidem. sect. 2. recensens anginosos eius pestilentis constitutionis, dicit illos mitius habuisse, quibus sola erat impedita deglutitio, prius vero illos fuisse tractatos, qui etiam obscurius loquebantur.

Ad primum respondendum est, licet non sit adeo impedita respiratio, & deglutitio: attamen periculum æquale esse mortis, tum ob magnitudinem doloris æqualem, tum ob perpetuæ materiæ vitiosæ, & calidæ à capite defluxum, tum ob laryngis oppressionem; denique quoniam facile contingit, vt hæc secunda species in primam conuertatur: Sic quinto die periit illa Pythonis anginosa.

Ad secundũ dicendum est difficultatem, deglutiendi solam non ita exitialem, nempe, quæ ex sola œsophagi constrictione potest oriri. Atqui vbi etiam larynx, & aspera arteria est affecta, vt in iis qui obscure loquebantur, sane multo maius periculum imminet, & multo facilius mors sequitur.

Ὁκόσοισι δὲ ξυνεξερεύθει.

Quibus autem simul.

SEquitur anginæ tertia species, in qua non modo fauces internæ, verum etiam collum extrinsecus tument, quam Hippocrates dicit esse diuturniorem, eosq; omnium maxime seruari, quibus rubor in pectus, & in collum extenditur, neque erysipelas intro reuertitur. Hanc anginam ab aliquibus συνάγχην, per σ, non per κ, appellari scribit Galen. quasi hic morbus maxime sues exerceat, de quibus loquebatur Plautus, quando introducit quendam agrum vicini damnantem, quasi in eo præter alia mala sues maxuma angina perirent.

Iam vero, vt huius etiam tertiæ speciei tota natura intelligatur, videndum quæ sit materia, quis locus, & quod iudicium. Materiam enim esse sanguinem biliosum & tenuem, demonstrat id quod dicit Hippocr. vocans affectum erysipelas; etenim si à pituita originem duceret, vt ait Galen. haudquaquam inter acutos morbos esset recensendus; præterea quod rubor dilatetur in pectus & collum, facit tenuitas materiæ, quemadmodum fere videmus contingere in cunctis erysipelatibus. Nec quicquam obstat, quod appellet Hippocrates ruborem: quia etsi verum erysipelas præseferat potius colorem flauum, vbi tamen est mixta affectio ex phlegmone, & erysipelate seu ex sanguine & bile, qualis hæc, rubor & color sanguinis superat flauitiem à bile. De loco constat esse cutim colli, atque exteriores illos musculos, nec non partem faucium interiorem, alioquin non esset facile materiam à collo transfundi in partem pectoris exteriorem, ita vt ibi ruborem induceret. Sed cur si ita est Hippocr. non meminit doloris? Nam quantucumque extra sit erysipelas semper dolorem facit, non minus ob calidam intemperiem, quam ob continui solutionem. Dicendum est Hippocratem siluisse, quia præ aliis admodum exiguus, & despicabilis est, nec quicquam confert ad iudicium, vel bonum, vel malum euentus faciundum. Dicit autem Hippocr. huiusmodi anginas esse diuturniores, non tamen omni periculo vacare, quia vere & ipsæ periculosæ sunt, si non ob aliud saltem, quia possunt ab externa parte, in internam deflecti, atq; ita interimere, quod significare voluit Hipp. quando in aph. dicit optimũ esse erysipelas ab interiorib. ad exteriora prodire, quemadmodum pessimum est si ab externis, ad interiora vertatur.

tatur. Dicit postremo aliquos maxime ex hac tertia specie seruari, quibus rubor ad pectus & collum extenditur, nec erysipelas intro redit. Etenim rubor circa pectus indicat malum extra esse, & icciroo salutare; sed vbi ita est, quomodo timendum ne redeat, & quomodo simul esse extra & intro conuerti potest, vt videntur verba ipsius Hippocr. significare?

Respondendum est duplici modo posse erysipelas intro redire; vel quod materia adhuc fluens nō ad locū exteriorem, vt antea, sed vel tota, vel pars saltē ipsius ad interiora conuertat. Alio modo hoc contingere potest, quia materia, quæ erat in cute, & in corporis superficie aliqua ratione vel attracta, vel impulsa deserens exteriorem regionem in interiore sese cōdat, vel tota, vel secundum partem: quod cum hunc in modum sese habeat, patet, & posse erysipelas intro totum redire, & secundum partem; quæcunq; autem sit huiusmodi reuersio, semper est damnanda, vt Hippocra. dixit, tum 2. epid. tum etiam in aphor. neq; semper lætandum est medico, quod videat erysipelas in exterioribus, nisi etiam alia bona signa coniungantur, & præsertim respiratio facilis, facilitas deglutitionis, vocisque detrimenta sublata. Sic enim signum est totam materiam extra prodiisse, internasque partes fuisse liberas relictas, sicuti econtra etiamsi erysipelas extrinsecus quoque sit durantibus spirandi deglutiendi & loquendi difficultatibus maxime metuendum est, ne malum omnino non minus sit intus, quam extra. Sed percunctabitur aliquis quæ est ratio potissima, cur in hac anginæ specie maxime seruantur, qui in ceruice, & pectore habent inflammationem erysipelaceam, & quibus non fit recursus ad interiora? Cui respondendum est, tres esse rationes, vna est materiæ coctio: altera est expulsio à nobilibus ad ignobiliora; tertia est facilitas adhibendorum remediorum, tum quia morbus dat inducias, quia locus affectus est in promptu. Hactenus itaq; habemus tres species anginæ: vnam, in qua nec intus, nec extra quicquam spectatur: alteram, in qua intus aliquid conspicitur: tertium, in qua intus & foris videtur malum; in omnibus tamen difficultas respirādi, dolor, & difficultas deglutiendi: Prior lethalissima, secunda lethalis & ipsa, sed diuturnior: tertia vero salutaris. Duæ priores vere anginæ sunt, tertia minus, ac propterea παρασυνάγχη, vocatur proprie ab interpretibus Hippoc. & de hac loquens Hippoc. 7. aph. 49. dicebat ab angina habito tumor & rubor in pectore superueniens bonum, extra enim vertitur morbus; sicut etiam 6. aphor. 37. vbi dicit Angina correpto, si tumor appareat in collo bonum, foris enim morbus existit. Nec valet quod in Anginosa muliere commemorata ab Hippocr. 3. epidem. fuerit tumor in collo subruber, & in vtraq; parte, & tamen sexta die perierit, quoniam constitutio illa erat pestifera, tumor durus, ac factus ob perniciosam materiam, & pestiferā, quę intus adeo naturam stimulabat, vt fuerit coacta parte illius extra protrudere importune.

ἢν δὲ μήτε ἐν ἡμέρῃσι κρισίμῃσι.

Si vero neq; in diebus.

Locutus est Hippoc. in postremis verbis de reditu morbi ad interiora, damnans eum simpliciter, quemadmodum etiam fecit alibi, & quia eiusmodi reditus potest esse verus reditus, ac propterea malus; ita vt vere affectus ab exterioribus recedat ad interiora vnde discessit; potest etiam nō verus, sed potius morbi dissolutio, atq; tunc bonus. Ideo cū hoc intelligere, & scire discernere magnopere ad iudic. ū rectum faciendum referat, nunc Hippocrates vult docere, quando sit verus reditus, & quando non verus, sed potius morbi dissolutio. Summam iudicii huius faciendi, seu potius semen quoddam reliquit nobis 2. epidem. quando scripsit (quæ disparent sine signo esse infida) modo clarius & exactius hoc tradit: quod vt recte cognosci queat, illud verissimum est supponendum, in diebus decretoriis æque fieri malas, atque bonas iudicatorias, propterea que dictum esse ab Hippocrate, & sæpe à Galen. confirmatum ægros in iisdem seruari, in quibus pereunt. Sed possunt etiam malæ fieri in non decretoriis diebus, bonæ autem non.

Hoc itaq; supposito dicit Hipp. si erysipelas euanuerit in diebus non decretoriis, neq; tumor in extrema parte fuerit collectus, neq; pus per tussim sit reiectum, neque facile, ac sine dolore viuat timendam esse, aut mortem, aut recidiuam ruboris, seu erypelatis.

ἡμέρῃσι.

Diebus.

CVm æque fiat mala crisis in decretoriis diebus, atq; in non decretoriis, vt modo dicebamus, quæri posset, deterius ne sit eam fieri in non decretoriis, an decretoriis. Sed ipse sentio ad testandam crisem esse malam, & propterea metuendũ ad sinistrum euentum magis posse dies non decretorios, quam decretorios: Et ratio est, quia vera & bona crisis nunquam fieri potest in die non critica, sed mala potest etiam in die decretoria fieri. Itaq; deterius est in die non critica fieri mali dissolutionem, quia nunquam potest esse bona, quam in critica, in qua potest esse bona.

ἀφανίζηται.

Euanescat.

Ἀφανίζηται vox Hippoc. familiarissima, tum maxime in Epid. tum alibi, dum loquitur de his morbis, qui statim aut saltem breui tempore videtur finiri, aut potius occultari; id quod nõ raro in praxi obseruatur tam scilicet in internis, quam in externis affectibus, vt in iis euanescant modo sine signis, modo cum signis prauis aut bonis, aut mediocrib. Quamquam Gal. 2. lib. huius tex. 63. dicat, quando cum bonis signis disparent affectus potius dici, παύσασθαι. quam ἀφανίζεσθαι.

Μήτε φῦμα τι.

Neq; tuberculum.

QVatuor signa enumerat, quæ, si vel non appareant simul omnia, vel saltem aliqua ex ipsis, malum est occultari. Vnum est in diebus criticis: Secundum est tumor externus perdurans: Tertium pus per tussim reiectum: Quartum facile ac sine dolore sese habere. Sed dicet aliquis, quomodo pus reiectum tussi potest esse bonum? Potest, quia suppuratus sit tumor in larynge, vel faucibus, & deinde in internam partem fusus pus tussi reiiciatur: quod etsi non sit vsquequaq; probandum solum, tamen coniunctũ cum aliis, & præsertim cum facili respiratione, doloris carentia, ac facili morbi tolerantia bonum est; quia materia superuacanea & vitiosa excernitur absque vlla partium spiritualium graui affectione.

Θάνατον σημαίνη.

Mortem significat.

QVod hic Hippocr. dicit θάνατον σημαίνη, in Coacis dicit ὀλέθρια; sed hoc nil refert, quemadmodum etiam parum refert, quod ibidem omiserit eam particulam, vel reditum ruboris. Illud autẽ magis præstat videre, quid Hipp. intelligat per reditum ruboris: Ego.n. puto intelligere totum illum morbum seu tumorem, qui rubore significatur; & huius rei ratio est, quoniam vbi materia illa morbifica ab externis partibus ad interiora vertitur, vt dicitur in Coacis opprimit pectus, auget difficultatẽ anhelandi, deglutiendi dolorẽ, aliaq; mala, ita vt nisi denuo mittatur ad partes externas, & rubor qui euanuerat iterum circa ceruicem, & pectus appareat, necessario mors sequatur. Vnde vere dixit significare vel mortem, vel materiæ reuocationem ab internis ad exteriora, & consequenter salutem. Et hoc est, quod dicebat in Aphorismis, iis, qui sine ratione melius habere videntur, fidere non oportere, quoniam plurima horum stabilia non sunt, sed vel redeunt, vel occidunt.

Reditus ruboris quid.

Ἀσφαλέστερον δὲ τὸ οἴδημα.

Securius eſt autem.

CVM Hippoc. dixerit ſupra, ſi ſit eryſipelas intus, vel ſi ab externis intro vertitur, mortale eſſe, niſi denuo malum extra vertatur, quis nõ ex his collegit ſecurius eſſe, quam maxime eryſipelas, aliudve malũ extra ferri? Et ſi ita eſt, cur igitur Hipp. nunc rem iam ab ipſo clare ſignificatam proponit dicens, ſecurius eſſe tumorem & ruborem, quam maxime foras verti? Nam de altera parte præſentis ſententiæ, quę eſt ſi vertatur materia ad pulmonem periculum eſſe, vel delirii, vel ſuppurationis; ſeu empyematis, aliud plane eſt, & nouum quid, nec inutile docet Hipp. Itaq; de vtraq; parte ſeorſum ſpectandum eſt. Et quoad primum in Coac. prænot. paulo diuerſa tota hæc ſententia habetur, & inter cætera habet ibi nõ ſecurius, ſed ἀσφαλέστατον, id eſt, tutiſſimum eſſe. Et vere res tutiſſima ſimpliciter eſt, vbi non modo eryſipelas, verum etiam quoduis malum ab internis partibus ad exteriores vertitur, quãdoquidem cutis omnium partium ignobiliſſima eſt, nempe qua vtitur natura, perinde ac ſentina quadam ad deponenda ibi cunctas ſordes, & inquinamenta. Vnde quando morbus à partibus nobilibus ad ignobiles vertitur, quo ad vitam pertinet, ſemper tutum eſt: dico quo ad vitam, quoniam ſæpe contingit, vt partes externæ, vbi malum decumbit, conſummantur, quemadmodum narrant Thucidides & Lucretius in peſte Athenienſi contigiſſe, in qua ii ſeruabantur, quibus peſtifer ille tabus ad extrema propulſus genitalia, manus, pedes, aliaque exteriora in perpetuum vitiabat.

Cauſa autem cur Hippoc. voluerit hoc quaſi repetere, quantum ipſe puto, fuit, quoniam poterat dubium eſſe, an ſimpliciter verum illud eſt, cum, vt dixi, interdũ contingat ob hoc magna pernicies in exteriorib. Vnde ad tollẽdum hoc dubium, dixit, non modo tutum eſſe hoc ſimpliciter, verum etiam, vt quam maxime ad exteriora vertatur. Et notandum eſt particulam illam ὡς μάλιστα, id eſt, quam maxime intelligendam eſſe non tantum de ſpatio hoc ad maxime longinqua à corde & aliis nobilibus partibus, verumetiam de duratione, vt ſ. quam maxime vbi extra prodierunt ibi perdurent, quoniam ſic certum eſt non reuerſurum, ac propterea futurum omni cum ſecuritate. Atq; etiam hac ratione factum eſt ab Hipp. cũ ſupra ſæpius ſolius ruboris, nunc rubori tumorem quoq; adiecerit. Siquidẽ poteſt craſſior materia, quæ facit tumorem intus retineri, & tenuior quæ facit ruborem, extra ad cutem propelli, quo in caſu nihil magis tutum eſſet. Vnde vt integra ſecuritas habeatur, opus eſt non minus craſſa materia, quam tenuis extra protrudatur.

Circa vero ſecundam partem, & hæc non parum diuerſa in Coacis habetur, vbi ſcriptum eſt. Quibus angina in pulmonem vertitur, eos ſeptima die perire, vel ſi mortem effugiant fieri empyicos, niſi materia pituitoſa reiiciatur. Cum hic ſcriptũ ſit: Si vero ad pulmonẽ verſus fuerit, & delirium inducit, & quidã ex ipſis ſuppurati plerumq; fiunt.) Adeo vt in tribus differant hæ duæ ſententiæ. Primo quod vna habet tempus mortis nempe ſeptimam diem, alia non. Secũdo, quod in vna fit delirii expectandi mentio, in alia non. Tertio, quod in vna excipitur pituitæ excretio pro futuro empyemate præcognoſcendo, & prædicendo, in alia nihil. Sed vtcunq; ſit, omnia vera ſunt, & nihil falſi, nihil abſurdi in iis continetur. Nam, quod ſi vertatur morbus in pulmonem, æger pereat, atq; intra ſeptimam diem rationi conſentaneum eſt, quoniam cum bilioſa, & praua ſit materia, quæ in extimis partibus facit eryſipelas, ea in pulmones traducta multo magis faciet cum ipſi pulmones ſuapte natura ſanguine tenui, & bilioſo abundent nempe quo aluntur. Hippoc. 1. lib. de morbis tradens generationem eryſipelatis pulmonis, ſcribit fieri vbi reſiccatus pulmo, & calefactus attrahit ſanguinẽ bilioſum à partib. vicinis, ſic; duob. tribus, quatuorve ad ſummum dieb. id quod intus eſt diffuſum fuerit, ac foras tranſierit, plerumque ſanari: Si vero non diffundatur, nec foras tranſeat, intus putreſcere, ſuppurari, ac perire breui tempore non tantum pulmone putrefacto, verum etiam

Eryſipelas vt generetur.

propter viciniã cordis, & quia acutiſſimus morbus ſuccedens alteri, qui iã vires debilitarit haud poteſt differre mortẽ. Addit, ſi foras diffuſus humor intro vertatur, & pulmonem corripiat, huic nullam amplius ſalutis ſpem ſupereſſe. Quod porro conuerſo malo in pulmones metuere oporteat delirium, & hoc ſatis rationi eſt cõſentaneum, quandoquidem pulmoni cum cerebro eſſe ingentem communionem præ cæteris Ariſtot. etiam & in lib. de gener. anim. & in problem. ſect. 36. luculentiſſimis exemplis demonſtrauit. Exiſtente autem hac communione, & pulmonibus à materia calida, & feruente affectis, quis non videt quam facile ſit, cerebri temperamentum à vaporibus calidis corrumpi, & conſequenter principe illius facultate læſa delirium produci: Haud ſecus quoq; licet intelligere materiam, quæ conuerſa ad pulmonem facit eryſipelas putreſcere, & in pus redactam niſi prius interimat in thoracem effundi, ibiq; empyema, ſiue ſuppurationem facere.

Vtrum autem poſſit hoc periculum auertere pituitoſæ materię reiectio, quemadmodum in Coacis habetur, merito dubitari poſſet, cum præſertim iiſdem verbis ſententia prædicta Coacorum habetur 5. aph. 10. nec ibi vllum de pituitæ reiectione habeatur verbum: Niſi dicere velimus, ibi de angina ea loqui, non quæ à bilioſo, ſed potius pituitoſo ſanguine originem habet; quæq; vbi conuertitur in pulmones ibi putreſcere, & empyema facere nequit, ſi modo priuſquam ibi putredinem concipiat tuſſi à pulmonibus extra reiiciatur.

Οἱ δὲ γαργαρεῶνες.

Gurgulionem ſecari.

IN nulla alia parte huius libri tanta ordinis alicuius probati lumina ſeſe offerunt, quanta in hac. Etenim inter partes oris internas gurgulio quoq; connumeratur, ac poſt fauces proximum locum habet, vtiure Hippocr. poſt præcognitiones ex ipſarum affectibus faciendas ſubiungit etiam modum præcognoſcendi, atq; prædicendi ex gurgulionis affectibus, ſed diuerſo modo aliis. Nam in aliis nihil, aut ſane pauciſſima ad curationem ſpectantia poſuit; nunc vero non ſolum vt dicunt Gale. & Stephan. miſcet curaticam partem ſimioticæ, imo vero tota curatoria eſt. Cur autem ita fecerit Galen. qui hoc in loco nimium ieiunus fuit, dicit fuiſſe, quoniam ſine curatione non poterat tradi prædictionis ratio. Alii dicunt, quæ hic ſcribit de curatione eſſe omnia capta ab occaſione prædicendi, quaſi præcipuus ſcopus fuerit prædicere, non curare. Alii videntes Hipp. hic præter conſuetudinem curationem miſcere, & omittere præcipuum detrimentum, ex præciſo importune gargareone, nimirum vocis læſionem, auſi ſunt aſſerere totam hanc partem de gargareone eſſe adulterinam, nec Hipp. germanam. Verum, quia in omnibus codicibus reperitur, & à nemine interpretum reiicitur, ea propter ipſorũ ſententiæ adhærere nequeo; quamquam in Coacis prænotionib. ipſa non habeatur.

Non diſplicet aũt mihi pro continuatione huius partis cum ſuperiore, dicere hanc partem eſſe veluti appendicem tractationis anginæ, quoniam cum in deſperata pene angina, interdum conſueuerint medici deuenire ad præciſionem gurgulionis, quo ſ ægri non ſuffocentur, ſed liberius ſpirare queant, quid præſagiendum ſit in huiuſmodi curatione docere vult; qua cum occaſione etiam docet tempus & rationem breuem adhibendi huiuſmodi remedium.

Itaq; tota præſens ſentẽtia, vt facilius & diſtinctius intelligatur, in quatnor partes à nobis diuidetur. Prima eſt hæc gargulionés nõ abſq; periculo ſecari, & ſcarificari quamdiu rubicundi fuerint, & magni, quoniã inflammationes inde oriuntur, & ſanguinis profuſiones. Ab hac parte priuſquam diſcedamus pauliſper ſiſtẽdum eſt, & quinque docenda. Vnum eſt, quæ ſit ſubſtantia ipſius gargareonis. Secundum quæ ſit actio. Tertium quis ſit vſus. Quartum quibus affectibus ſubiiciatur. Quintum quæ ſit curatio. Gargareonem, vt hinc initium ſumamus, Hippocrates & veteres omnes, quemadmodum notat Galen. 6. de medicament. loc

Gargareon quid & quæ eius ſubſtantia

Erotianu-

Erotianus, Aretæus, Paulus, vocant eam partem totam, quæ appensa in extremo palato propendit, ita vt saltem ad linguæ depressionem conspicua reddatur, substantia cuius carnea est crassior, quæ palato inhæret, acuminatior autem in extremo apice.

Aliqui vocarunt vuulam, seu σταφυλὴν, qualis fuit inter alios Ruffus Ephesius. Sed ii refutantur à Gale. loco citato. Arist. 1. de hist. animal. cap. 11. in fine eam vocauit columellam; & Alexan. 2. probl. 3. scribit vocatam esse chonin, quasi chonion, id est, infundibulum. Est enim instar infundibili supra latior, & infra angustior. Latini vocant nomine Græco gargalionem, gurgulionem Theodorus in problem. Alex. transfert gargar. nescio qua ratione populus Italiæ vocat vuulam. Nomen autem gargalionis, vt perhibet Alex. deductum est à sono, quem facit ea pars, dum liquore contrectatur, vnde vox γαργαρίζειν deducta est à nostro gargarizare. Aretæ libro 1. de acutis, cap. 8. scribit, hanc partem esse neruum humidum, ratione loci, sed fallitur, quoniam vt inquit Arist. loco citato est neruosa, & vt apparet ipso sensu potius caruncula quædam est, non tamen absq; neruulis facta. Alioquin sensum ea non haberet, quod manifeste percipitur dum, vel incéditur, vel etiam cótrectatur. Itaq; vt inquit Galen. 11. de vs. part. cap. 11. est caruncula potius, aut saltem pars carnosa, non modo similaris, verumetiam instrumentalis, vt monstrat figura & quantitas. Circa actionem, & vsum ipsius est aliqua Scriptorū diuersitas. Ruffus Ephes. lib. 2. de appel. partium hominis, scribit hanc partem esse pene nullius vsus, eo quod tota abscissa nullam actionē lædi. Sed vehementer fallitur, quoniā manifestissime vox læditur, vt quotidiana experimenta docēt, in eis præsertim, quib. ea pars à morbo gallico consumpta est, in quib. vox certe, atq; etiam ipsa loquela non parum vitiatur. Et Alex. loco citato probl. monstrat eos, qui hanc partem abscissam habent rabidos fieri, eo q; aer frigidus, nec calefactus ab ea parte ingrediens pulmones, venas veluti congelat, ob q; cum pulmones vehementius in motu nitantur, fit vt venæ ex frangantur, sicq; phthisis sequatur. Vnde sapientissime Gal. 11. de vsu partiū, c. 11. tres vsus huius partis proponere voluit: Vnus est, vt ab ea aer externus frigidus moderetur, vt paulisper incalescat: Alter vt impediatur puluis, & fumus in aerē externum ingressus: Tertius vero, vt vox ad ipsam tanq̄ ad plectrum elisa reddatur elegantior, & magis sonora. Addo etiam eam interdum iuuare, vt vapores putridi, & acriores magno impetu in palatū irruentes illud violent. Affectus quos patitur hæc particula multiplices sunt; scribit. n. Stephan. Athen. non modo pati similares morbos, verumetiā instrumentales. Sed certe morbi similares, siue simplices, siue compositi, vel in ea raro fiunt soli, vel si fiunt minimū incómodant. Verum instrumentales morbi, qui ipsi contingunt cóplures vere sunt secundū vnitatis solutionē quantitatē tam excedentem, q̄ diminutā, nec non figurā. Etenim si minuatur eius quantitas, ita vt exiccetur, fit affectus, qui appellatur ἱμὰ à Græcis: Latini vocant lorum. Si vero augeatur tam supra, q̄ infra, vocatur chion, seu columella. Si vero in parte infima solum augeatur, vocatur vua, eo q; videatur veluti vuæ granū pendens, modo rubra, modo nigra. Addunt aliqui alium affectum, quem appellāt chrospedion, ad similitudinem radicis montis. Quamq̄ potius dicendum esset sic vocari ad similitudinem fimbriæ, quia videtur veluti quædam fimbria ipsi appensa. Atq; si sunt organici affectus, quibus subiicitur gargareon. Hipp. autem mentionem facit tantūmodo columellæ, quando s. tota ea pars tumescit & inflammatur, columellaq; vocatur, necnon vua, quando scilicet extrema pars in tumorem attollitur. Cur aūt nil dixerit de nimia extenuatione, seu de loco, manifestissima est ratio, quoniā susceptus sermo de gargareone vt diximus fuit gratia anginæ, quæ est tumor inflammatorius, vt propter hoc de solo tumore, & inflammatione gargareonis fuerit sibi loquendum. Detrimenta autem, quæ afferunt hæc affectuum genera, sunt duorum generum: Primum enim impeditur tam respiratio, quam deglutitio, deinde ob vicinitatem, & continuitatem quam habet hæc pars cum cerebro communicat ipsi affectiones; vnde & delitia & conuulsiones inducit.

Gargareonis quæ propria actio & quis vsus.

Gargareonis qui morbi sint.

Postre-

Postremo de curatione complura dicit Stephan. Sed quia hic non est locus curationem instituere, cum scopus sit Hippocr. præcognitionem, & prædictionem docere: videamus sigillatim quid doceat. Vbi gurguliones toti sunt magni, & rubicũdi, id est, inflammati; quæ proprie est columella vocata, si secetur, vel scarificetur, periculosum esse, tum ratione inflãmationis quæ superuenit, tum ratione profusionis sanguinis, quasi dicat Hippoc. quamdiu sunt tumentes gargareones, & rubri, hoc est, inflammati, nullo modo oportere secari, aut scarificari, quoniã superueniunt nouæ inflammationes, & sanguinis profusiones, quæ vbi ægro iam ab alio morbo pene fracto superueniunt plane eum ad interitum perducunt. Ex quo loco potestis colligere cõsuetudinem vetustis medicis fuisse, vt facile in affectib. gargareonis ad sectionem, & scarificationem deuenirent, quam audaciam voluit cõpescere medio prædictionis, s. mouens id esse periculosum, quando s. fiunt nouæ inflammationes, & sanguinis profusiones sectis, aut scarificatis in columella gargareonibus, & hæc de prima parte. Secunda est hæc q; laborantes columella nõ scarificatione, & sectione, sed aliis machinamentis conandum est extenuare hoc tempore. Circa quam partem, quę sint machinamenta, videamus, quę Hipp. particulariter non nominat, deinde cur dicit conandum esse extenuare, nõ autem dicit extenuanda esse: Postremo cur addiderit eam particulam (hoc tempore.) Circa primum Hippoc. vsus voce μηχανήμασι, quoniam vocare consueuit machinamenta, quæ mechanico modo fiunt, & adhibentur, vt sunt complura instrumenta, quæ proposuit in libris chirurgicis scil. de offic. med. de artic. & fractur. Cum igitur damnasset incisionem & scarificationem, dicit adhibendas esse alias machinas, quib. præsidia parti affectæ queant adhiberi, vt sunt cochlearia quibus liquores affundimus, fistulæ quibus pulueres inspergimus, vel alia, quibus tangimus. Sunt autẽ medicamenta conuenientia in hoc casu, vt optime docuit Stephan. quæ vim habent adstringendi, refrigerandi, atque moderate exiccandi, siue pulueres sint, siue succi, siue decocta. Nam olea, & vnguenta non adhibentur ob inflammationem. Sunt autem summach, cupressus nux, galla, granatorum cortices, rosarum folia, & similia, quæ vel in puluerem redacta insufflantur per fistulam, vel decocta in aqua vsurpantur gargarizatione.

Gargareonis inflammati, quæ idonea remedia.

Et notandum est, hanc vocem γαργαρίζειν, & nostrum gargarizare, quantũ ipse puto, acceptum ex hac parte, quæ inter colluendum contrectatur; nisi enim contrectetur haudquaquam gargarizatio, sed simplex collutio oris nuncupatur. Dixit aũt tentandum, seu experiundũ esse extenuare, vt doceret, hanc partẽ non imprudenter neq; vehementer, sed quodammodo blando, & vt sic dicam, tentatiuo potius esse medicamentis tractandam, alioquin inflammatæ omnes partes grauiter contactæ magis irritari, atq; exacerbari consueuerunt. Etenim Stephan. & ipse animaduertit Hippoc. non dixisse χειρεχεῖν, sed διαχειρίζειν, quasi voluerit monere, non esse vtendum chyrurgia, id est, manuũ operatione, sed aliis prędictis remediis.

Addidit autem particulã illam (hoc tempore) vt doceret interdum etiam columellæ posse adhibere remedia sectionis, vstionis & scarificationis, sed non quando valde tumet & rubet, hoc est, quando in summo est inflãmatio, verum quando aut inclinata inflãmatione adhuc tumor durus & magn⁹ permanet, ita vt impediat vsum & actionem: aut quando nõ à sanguine fit tumor, nec à calido aliquo humore, sed à pituita crassa, & contumaci. Sequitur tertia pars, in qua videtur Hippo. ita dicere, quod cum secretum fuerit id totum, quod vua vocatur, & factum sit summũ gurgulionis maius, & rotundum supra vero tenuius, tunc tempus esse, tunc tutum esse manus admouere, hoc est, secare, vel scarificare, vel vrere. Verum obscurũ est, quid Hippoc. significare voluerit per illam particulam (si id totum fuerit secretũ, quod vua appellatur.) Nam loquitur de parte sana, non vocatur vua, vt audiuistis, sed gargareon: Si de ea tota tumente, appellatur columella; præterea quid vult dicere, si totum secretum fuerit. Nam purum ænygma videtur, & vere aliqui expositores habuerunt hunc locum pro valde difficili, miror q; Galen. alto silentio ipsum præter-

Sectio aut vstio columella quando tentãda.

præteriisse, quemadmodũ & alii præterierunt. Quidam interpretãtur quasi Hipp. dixerit, vbi non amplius æqualiter totus gurgulio tumet, sed pars superior magis extenuata est, quasiq; separata videtur ab inferiore vtpote tumidiore existente; hęc expositio rei ipsi valde consona certe est, atqui Hipp. verbo haudquaquam plene accommodatur. Itaq; suspicor verbum illud ἀποκεχωρισθῇ esse deprauatum, locoq; illius ἀποκαθέσῃ, quasi dicat, si totum extenuetur, fiatq; morbi genus, quod vuam vocant, quando s. minor est infima pars, suprema vero maior. Sic enim sententia perspicua & maxime verissima euadet. Vel ita legendum. Cum vero totum iam fuerit compressum, &(quod vuulam vocant) extrema gurgulionis pars, &c.

Quarta pars est maxime perspicua, & maxime vera, non modo in hac, verum etiam in qualibet alia affectione, scilicet non deueniendum vnquam esse ad vllam grauem chirurgicam, & localem operationem, nisi sit euacuatum corpus, vel sanguinis missione, si opus sit, vel purgatione, vel vtrisque. Hippoc. 2. de morb. habet duo capita gurgulionis, vnde accepit sua Aristot. 1. de Histor. animal. cap. 11. in fine. sed Hippocr. addit, si tempus concesserit, & non suffocetur homo? Et hoc est etiam præclarum documentum, quoniam cum purgatio requirat tempus, & interdum contingat morbum non ferre vllam moram, sed periculum immineat, ne suffocetur priusquam adhibeatur remedium, tunc non est expectanda vlla purgatio, sed statim deueniendum ad maximum remedium, potiusq;, vt dicebat Cels. anceps remedium est amplectendum, quam vt æger certæ morti dimittatur. Atqui est cura illa coacta, non regularis, quam interdum necessitate coacti medici suscipiunt. Iam igitur habetis explicatissimam atq; vtilissimam, sed breuem curandi, & consequenter prædicendi rationem, tum in qualibet angina, tum etiam in ea, quæ est anginæ proxima gurgulionis inflammatione.

Anceps remedium potius ferendũ quam æger relinquẽdus

ἐκλείπουσι δὲ ἂν οἱ πυρετοὶ.

Quibus febres cessant.

Dixi alias si recte recordamini, bonas crises fieri cum signis bonis, & in die critica; malas vero, & sine signis, siue cum malis, & in die non critica. Quæ vero fit sine signis sed die critica, nec penitus bona, nec mala. Vnde Hippocr. in præsenti dictione, inquit, febres esse malas, quæ soluuntur sine signo; & in die non critica. Et vult dicere malas, quia non est vera solutio, sed reuertuntur. Nam & in aph. lib. 2. 27. dicebat, quæ sine ratione leuant, solere reuerti, & 2. Epid. sine signo disparentia esse infida. Sic etiam 1. Prorrh. 17. dicebat lethalia, quæ sine signis soluunt, mortem significare.

Cæterum quamquam sententia perspicua sit, habet tamen difficultatem; primo circa continuationem; deinde circa locutionem, scilicet, quomodo intelligendum sit neq; cũ signis, neq; in decretoria, an scilicet coniunctim, an separatim sit intelligenda dictio. Circa continuationem Stephan. vult Hippocrat. hic breuiter repetere, quam retro tractationem de abscessibus attulit. Sed hoc quidem licet existimare de sequenti capite: ceterum de nunc proposito haudquaq̃ licet quoniam nullum verbũ habet de abscessu vllo, sed duntaxat de febrib. quæ male soluuntur. Itaq; potius existimo, si vlla est afferenda connexio, hanc esse, vt non loquatur simpliciter de febribus in vniuersum, sed de his quæ coniunctæ sunt cum prædictis inflammationibus, quæque si soluantur absque vllis signis, hoc est, sine vlla euacuatione insigni coctione, atque in die non decretoria, expectanda est recidiua. Et ratio est apertissima, quoniam vti nil horum fit, signum est causam mali, & efficientem non esse sublatas, aut materialem saltem, ac propterea facile fieri posse, vt ea accedente causa efficiente nimirum calore, morbus reuertatur, sicque fiat recidiua, ὑποστροφὴ, siue ὑποστροπὴ, (vtraque enim hæc vox apud Hippocratem vsitatissima reperitur.) Est & alia causa recidiuæ nimitum error vel medici, vel ægrotantis, vel adsistentium.

Et hoc est, quod vult docere Hippocr. lib. de Humoribus, Dicit namque fieri recidiuas, si quid importune seu ante debitum tempus rumpatur, si excernatur, si quid relinquatur. Illud enim significant voces προεκρηγνυμένα, & προεκκρινόμενα, id est, ante tempus rupta, & excreta; seu quæ ante tempus effranguntur, & excernuntur. In Coacis prænotion. habetur hæc eadem sententia; sed habetur & alia, vbi solum dicitur febres, quæ soluuntur in diebus non criticis facere recidiuam. Ex quo loco clare colligitur non coniunctim, sed separatim hanc esse intelligendam; ita, vt hæc sit veritas; morbus solutus sine signis in die critica & non critica, recidiuam indicat sicut mortē, sicum signis prauis solutus videatur, cuiusmodi etiam habetur exempla in Epid. & 6. & apud Galen. lib. de præcognitione ad Posthumum.

Circa aliam placet mihi vt legatur apud Galen. quemadmodum Vega admonuit, vt sæpe dixi, etiam si aliqua signa coctionis, aut salutaria in die non critica appareant, nihilominus recidiua est expectanda. Et dixi aliqua, quoniam omnia signa, aut plurima salutaria apparere nequeunt alia die, quam decretoria. Itaq; sententia est Galen. sic accipienda, vt dicat etiam recidiuam expectari, si vnum tātum duorū adsit, videlicet aut absentia signorum, aut dies non decretoria. Et si vnum tantum sufficit ad faciendam recidiuæ suspitionem, multo magis eam facient, vbi vtraque aderunt. Sed dicet aliquis ad quid Hippocr. hanc tractationem recidiuæ febrium interposuit?

Respondeo, propter duas causas hoc fecisse: vna fuit, quia cum febris omnium inflammationum, vt pote faucium & gurgulionis symptoma sit, potest contingere, vt interdum hæc videatur soluta, & nihilominus causa morbi, vel materialis, vel efficiens, vel vtraque sint relictæ, ac propterea suspicandum maxime sit, ne morbus reuertatur. Alia autem causa fuit, quoniam vt scribit Galen. 1. de crisi cap. 13. præcognitio recidiuæ maximi est momenti, tum ad ipsius ægri salutem, tum præcipue ad medici gloriam, & existimationem. Ad salutem ægri, quoniam cum videtur solui morbus, sæpe medicus magis indulgens fit & ægri liberalius viuunt. Vnde fit vt redennte morbo grauior fiat, & periculosior status; quod quoque voluit intelligere Auicen. quando dixit recidiuam esse priorem sua radice: Ad existimationem quoque medici, quoniam sæpe vsuuenit, vt facta morbi falsa solutione, eaq; à medico ignorata, ipse prænuntiet certam salutem, sicque victum omnem immutet, vnde postmodum succedente recidiua, non parum existimationis amittat, quemadmodum, & honoris sui, & salutis ægrotantis rationem habens, cognitaque recidiuæ suspicione, eam prædicens nec victum mutans simul, & vitæ ægrotātis consulit, & propriæ famæ.

ὅσῃς δὲ ἂν τῶν πυρετῶν.

Quæcunq; febris.

HAc forsan in parte dici posset Hippocratem repetere sermonem de abscessibus, quem etiam habuit supra. Sed neque hoc puto verum, quandoquidem quicquid de abscessu loquitur, est potius scopus, & finis prædictionis, quam initium, & causa. Multo autem accommodatior mihi videtur, si dicatur in superiori dictione locutum esse de febribus inflammationum sequentibus, quæ videntur intermittere, & solui: Nunc vero sermonem habere de iis, quæ nec habent solutiones vllas.

Habet autem tota hæc tractatiuncula plures partes, quarum vnamquamque sigillatim discutiemus, prout Galen. & alii Interpretes faciunt. Est ergo sententia talis. Quæcunque febris diu durat, salutariter alioquin disposito homine, ita vt neque ob inflammationem, neo ob aliquam aliam dolor affligat, huic expectandum abscessum cum dolore, ac tumore ad aliquem articulum, & maxime inferNum. Modo verba & sensum expendamus.

Quæcunq;

Quæcunq; febris prolongatur.

Febrium nota est diuisio in acutas, & chronicas: quę omnes, vel initio sunt tales, vel fiunt per commutationem inter sese: Sicut enim videmus, febres diuturnas interdum in acutas cõmutari, sic contingit non raro, vt febres & alii acuti morbi in chronicos degenerent. Causa vero huiusce commutationis triplex à Gal. in comment. & alibi proponitur, vel vitium partis affectæ, vel vitium humorum, vel etrata aut ægrotantis, aut medici, aut extrinsecus occurrentium. Et quamquam Gale. has causas tantum in diuturnis recenseat, exacte tamẽ res ipsas considerantibus, etiam in acutis locum habent. Itaq; ex acutis fiunt diuturni morbi, vbicunq; humoribus tenuibus, & calidis consumptis, remanent succi crudi, crassi, frigidi, & viscidi: Vel vbi pars affecta difficile medicationem habet, vel vbi errat æger, aut medicus in curando, vel aliqua extrinsecus occurrentia id præstant, nempe tempus anni, constitutio, locus, animi passiones, praua habitatio, & similia. Itaq; si in morbo diuturno materia sit copiosa, contumax, & virtus debilis, mors sequitur: Sin autem facultas sit robusta, aut concoquit materiam, & concoctam per vrinam frequenter, per aluum licet raro excernit, aut ita crudam, & crassam in aliquem peculiarem locum pellit, vbi abscessum facit. *Febrium diuisio.* *Febriũ commutatarum quæ causæ.*

Περιεστικῶς διακειμένε τῆ ἀνθρώπε.

Homine ad salutem disposito.

Vox περιεστικῶς vsitatissima est ipsi Hipp. & proprie dicitur morbus, in quo seruantur ægrotantes, quiq; mortali opponitur. Et in lib. definit. medic. dicitur morbus περιεστικὸς, qui nunquam interimit. Vnde certum est hic Hippoc. loqui de morbo, & febre quidem diuturna, sed quæ ex sese occidere nequeat, nisi tamen errores fiant. Hoc enim semper supponendum est, quia errata etiam saluberrimos morbos exitiales reddunt. Vnde in Coacis dicit ἀσφαλέως loco περιεστικῶς.

Μηκέτι ὀδύνης ἐχέσης διά.

Ita vt dolor neq; ob inflammationem.

Qvod hic loquitur Hipp. vt initio dicebam, de febribus, quæ sequuntur inflammationem partium superiorum, facile coniici potest eo, quod dolorem commemorat inflammationis sequacem, atq; abscessum ad partes infernas. Nam intelligit Hippocr. eas febres, quæ fiunt cum inflammatione; & cum initio acutæ sint, fiunt tamen diuturnæ, quando abeunte inflammatione ipsæ adhuc perdurant, atq; has dicit significare abscessum futurum rationabiliter, quoniam cum materia non potuerit coqui & attenuari, dum erat febris acuta, sed tenuiore & calidiore consumpta, remanserit ipsa cruda, & viscida, atq; crassa, haudquaquam spetandũ ipsam amplius posse coqui & excerni per vrinam, aut alio modo. Sed cum virtus valida sit, quæ intelligitur ex eo, quod æger dispositus est ad salutem consequendam, hinc speratur eam esse materiam in aliam partem non proximam, quia hoc facit virtus imbecilla, sed valde remotam, vt sunt articuli, & præsertim infernarum partiũ. Sed percunctabitur aliquis cur potius in articulos depellat hanc materiam natura, quã in alias partes?

Cui respondeo ob plures causas id facere. Prima est, quia articuli partes sunt ignobiles, & maxime apti ad suscipiendos in sese humores, & excrementa corporis. Alia est, qui in morbis acutis maxime articuli redduntur debiles, & præsertim in febribus, tum ob calorem febrilem, tum quia illæ partes valde exagitantur, dum lacerti omnes huc atq; illuc iactantur.

Vnde ob debilitatem quoq; facile suscipiunt humores. Tertia, quia natura humores crudos, & crassos ad partes proximas mittat, illæ tamen missos in alias partes debiliores, & illæ adhuc in debilissimas, cuiusmodi sunt articuli depellant: Vnde cum nullę sint ipsis articulis debiliores, in iis tandẽ firmãtur, ibiq; faciunt abscessũ.

Dicit autem præsertim huiusmodi abscessum fieri ad aliquem articulum infernum, quoniam hæc materia non tantum vi acta à facultate expultrice mouetur, verum etiam proprio impetu, & natura, quæ eum sit grauitas, summo iure ad ima tendit. Itaq; recte etiam Hippocr. 4. aphor. 44. & 45. dicebat: Quibus febres longæ fiunt iis tubercula, vel dolores in articulis fieri. Et quibus fiunt huiusmodi tubercula, pluribus cibis vti. Et vere hoc sæpe contingit, vt in morbis longis fiant articulorum impedimenta, eo quod ægri vtantur copiosioribus cibis, ex quibus cruditates, & crassi succi cumulantur. Attamen non id semper verum est. Atq; debetis obseruare Hippocr. alia etiam ratione dixisse fieri abscessus ad infernum articulum, quoniam in salutaribus morbis fieri nequaquā possunt abscessus in supernis, quandoquidem dicebat Hippoc. 2. epid. vt sæpe citaui abscessus eos esse probandos, qui fiunt infra morbum, atq; in partib. infernis. Etenim abscessus superiorū vt sunt parotides, scimus quam facile perdat ægrotantes, & quam difficiliter ex iis euadant.

Notandum est tamen in Coacis dicere Hipp. expectandum esse abscessum ἐς τὰ κάτω χώρια. Et certe fiunt etiam in alias partes inferiores abscessus, quam in articulis, veluti Pythione, cui abscessus factus est ad sedem. Et notandum vocem Græcam ἐκ τ᾿ κάτω corrigendam esse, ἐς τὰ κάτω, vt in Coacis. Superest aliud videndum, cur Hipp. addit tumorem abscessus & dolorem, dicens expectandum esse abscessum cum tumore & dolore. Ad quod dicendum puto, abscessus, qui fiunt in febribus longis fieri à materia cruda, crassa, & copiosa. Quæ cum nequeat capi ab articulorum locis cauis, extuberant foras, atque tumorem faciunt, cui extuberationi, & tumori, quia non modo coniungitur intemperies, verum etiam continui solutio, ea propter fit dolor, qui est vel ipsamet continui solutio, vel saltem solutionis perceptio.

Μᾶλλον δὲ γίνονται καὶ.

Fiunt autem magis.

Dixit Hippocr. in febribus diuturnis abscessus esse expectandos, abscessus, cum dolore, & tumore: In partes, scilicet articulos infernos: Modo ad perfectā prægcognitionem comparandam docet, in quibus corporib. sint expectandi, nempe in calidis, & robustis, quales sunt constituti in ætate triginta annorum. Tunc. n. corpora valde calida sunt, facultatemq; expulsiuam robustam habēt; ita, vt si coquere crudos & crassos humores nequeant eos, saltem apta sint in aliquas partes ignobiles, vt sunt infernæ deponere. Iure itaq; dicit magis fieri, & citius abscessus in iuuenib. triginta annorum. Nam cum ad faciendos abscessus tria requirantur nimirum naturæ expellentis robur, viarum amplitudo, & libertas, nec non materiæ ad motem dispositio, sane hac in ætate cuncta hæc reperiri compertissimum est, quemadmodum ex altera parte senes crassis, & lentis humoribus abundant quidem, qui apti sunt ad abscessum, angustiorum tamen sunt meatuum, & facultatem imbecillam habent: Iuniores vero etsi facultatis expultricis sint validæ, habeantq; meatus ita latos, & materiam mobilem, nihilominus potius excretiones faciunt, quam abscessus. Atqui in pueris alia ratione non fiunt, quod vt ait Hipp. in libello de natura pueri, propterea nō excernere semen, quoniam eorū meatus admodum arcti, & angusti sunt. Quod si aliquib. pueris fiunt abscessus, id non est in febribus, sed spōte propter ingluuiem. At videtur in Hippocr. contradictio, quoniam in hoc eodē lib. retro constituebat ætatem iuuenilem vsq; ad 35. annos; hic vero ad triginta. Præterea in Coacis prænotionib. vbi hanc eandem habet sententiam dicit eos, qui excesserunt 30. annos, facilius exponi faciendis abscessibus: hic vero dicit eos, qui iuniores sunt triginta annis natis.

Ad abscessus faciendos quæ requiruntur.

Dicendum est pro solutione, non vt aliqui Hippocr. dicunt hac diuersitate ostendere, non posse certos ætatum terminos poni; quandoquidem, etsi in aliquib. varietas est, tamen in vniuerso hominū genere certus terminus, qui si nō in cunctis certe in plurimis spectatur; & est 35. annus, neque hic ponit terminum vllum, imo

vero

vero videtur secus facere, siquidem intra iuuentutis metas dicit iuniores triginta annis abscessus citius, & facilius incurrere. De alia vero contradictione non placet mihi, quod nonnulli dicunt magis amplexandam esse Coacarum, quam hanc sententiam, verum satius puto respondere hic pro iuniorib. non esse intelligendos comparatos ad annos, sed ad seniores tanquam dicat iuniores, qui sunt annorum triginta, Vel dicere possumus in Coacis posuisse terminum extremum scil. vltra trigesimum, hic vero non summum terminum, sed ordinarium, vel frequentius saltem contingentem proponere.

Notandum autem est hoc in loco, verum etiam esse quod abscessus in iuuenib. citius fiant circa articulos, quoniā calor maior, expultrix validior, & materiæ mobilitas maxime conducunt ad expulsionis celeritatem. Sic enim videmus omnes expulsiones etiam naturales vrinarum, fœcum, multo celerius fieri à iunioribus, quam à senioribus.

Σκοπεῖσθαι δὲ χρὴ εὐθέως.

Considerare autem oportet.

DIxit Hippocr. prædicendum esse abscessum in febrib. longis ab ætate, à carentia doloris, & inflammationis. Nunc autem monet non esse soli ætati fidendū, sed spectanda etiam alia abscessuū signa esse, vbi febris pertransit viginti dies, quasi dicat in iuuenibus vbi febris transit vigesimam diem, suspicandum est successurū aliquem abscessum ob rationes iam dictas, scil. quia morbus est diuturnus. Verum vt certior fiat prædictio, considerandum est an alia quoq; signa adsint, quæ abscessus præcedere consueuerunt, quoniam si adsint plane prædicēdum est fore abscessum, si non adsint hærendum est, quandoquidem sola ætas, & ætatem consequens corporis dispositio minime potest certam prædictionem abscessus futuri præstare. Notat Gal. & recte Hipp. nominasse vigesimam diem, quoniam ea est postremus terminus vere acutorum, & quam vbi febris pertransierit, iam non amplius acuta vere, sed per decidentiam, aut etiam diuturna dicitur. In hac igitur febre statim suspicandum est de abscessu, & tanto magis dum alia signa adsint abscessui attestātia.

Τοῖσι δὲ γεραιτέροισι.

Senioribus vero.

HÆc sane pars multo melius connecteretur superiori, quando dixit iuniorib. triginta annis fieri abscessus in febrib. longe facilius, & citius: Sic. n. bene conuenit subiungere (seniorib. autem minus in febre diuturna.) Et interposita verba tanquam parenthesin quandam facere. Vtcumq; vero sit, sententia Hipp. legitima hæc est, seniorib. quam triginta annis natis, minus, hoc est, neq; ita cito, nec adeo faciliter fiunt abscessus, etiam si febres diu duret. Etenim res ita sese habet, febres diuturnæ siue ex acutis ortæ, siue ex se ipsis fiūt à crassis succis, & frigidis sunt, qui si inueniant vires debiles, vt in senib. plane eos prosternunt. Vnde dicebat Hipp. 2. aph. Senes iuuenib. ratius ægrotant, sed qui ipsis contingunt morbi longi; vt plurimum eos perducunt ad mortem. Sin inueniant vires validiores, vt in iunioribus faciunt abscessus. Neq;. n. per excretionem ducuntur cum sint crassi, tenues autē sint, qui per excretionem iudicantur, neq; etiam cō coquuntur, quia nimium crassi sunt, & frigidi: contra in pueris etiam crudi, & crassi succi ob caloris natiui vbertatē coquūtur, & per vrinam, vel per halitū insensibilem euacuantur, ita vt raro in febre iis cōtingant abscessus. Duæ aūt hoc in loco occurrunt dubitationes, vna est, quia Gal. 2. huius tract. contex. 34. scribit in morbis valde diuturnis fieri abscessus ad partes inferas ob vires longitudine morbi valde languidas, & materiæ crassitiem, quod vel non verum est, quia vis debilis non potest longe expellere materiam: vel si est verū, non videtur ad faciendos abscessus requiri virium robur, secus quam dicit in superiori hoc comment. vbi dicit si sint humores frigidi, opus esse valida virtute, vt fiat abscessus. Aliā dubitatio est, quoniam 2. progn. dicit Hippo. in iuuenib. 35. annum agentibus

Senum morbi cur longiores.

agentibus expectandas esse sanguinis è natibus eruptiones, in seniorib. vero suppurationes. In Coacis autem dicit in iis, qui excesserunt 30. annum expectandos esse abscessus: Et hic licet dicat seniorib. 30. annis minus fieri, non tamen negat quin fiant; id q. etiam adnotatum est à Stephan. qui scribit in iuuenib. Hipp. non dicere μάλιστα ἢ ὅπως, sed μᾶλλον: In senib. vero voce ἧσσον vti, vt denotaret non semper in iuuenibus, & solis fieri, sed magis ob calorem abscessus, neq; in senibus nunquam, sed minus, & raro ob caloris paupertatem. Pro primæ dubitationis solutione dicendum est Gal. in 2. progn. 34. comparare abscessum, qui fit ad infernas partes cum eo, qui fit ad aures, & dicere ad faciendas parotidas opus esse virtute valida, quoniã humores sunt ferendi sursum contra naturalẽ propensionem: Ad faciendos vero abscessus partium inferiorũ non requiri adeo validam facultatem, sed etiam debilẽ id facere, cum materia cruda, & crassa sua grauitate expulsionem ad inferas partes adiuuet, modo tamen non sit ita debilis, vt in senibus languentibus, sed ipsi materię expellendæ superior sit. Ad secundam dubitationem dicere oportet Hippocr. eo loco 2. prognosticorum loqui de inflammationibus internis, non autem de abscessu ad articulos. Eaprópter dicit in illis inflammatiõib. si æger sit 30. quinq; annorũ expectandum esse solutionem inflammationis per sanguinis excretionem. Si vero senior per suppurationem. Arqui aliud est loqui de inflammationib. internis, quæ fiunt à succis calidis, aliud de abscessibus ad articulos, qui fiunt à succis frigidis, quique non expulsione, sed vel abscessu, vel coctione superantur.

Χρὴ δὲ τὴν μὲν τοιαύτην.

At vero huiusmodi abscessus.

DIxit Hippocr. superius in febre diuturna expectandum esse abscessum in iunioribus magis, in senioribus minus. Sed quia febris diuturna duplex est continua, & interpolata, potuisset aliquis dubitare, an hoc sit intelligendum de vtra q; an vero de altera tantum; Iccirco vt hunc ex animis legentium eximeret scrupulũ, certamq; prædicendi rationem edoceret, nunc dicit si febris sit continua, expectãdum omnino esse abscessum: sin vero interpolata sit, ac erratico quodam pacto inuadat, sicq; inuadens autumno appropinquetur, expectandã esse quartanam. Quo in loco, & ipse sentio Hipp. loqui de intetpolata, quæ fit ex cõtinua, & acuta. Circa autem hanc dictionem pro vsu prædictionis vtilissimã, nõnulla sunt paulo diligentius, & accuratius expendenda, quorũ illud primum est: Cur in continua febre, nõ autem in interpolata fiant abscessus: Nam & hoc idem Hipp. significasse videtur in Coacis, vbi de continuis tacens, dicit interpolatas febres præsertim πεπλανημένως λαμβανούσας degenerare in quartanas. Secunda dubitatio est mota etiam à Stephan. cur febres inuadentes erratico modo potius in quartanas, quã in tertianas, vel quotidianas desinant. Tertia, & vlt. dubitatio est, cur dicat Hipp. potissimum hoc contingere circa autumnum, siue vt ipse dicit, dum febris ita erratica autumno approximatur.

Ad primam dubitationem respondendum est abscessus fieri ex collectione materiæ, quæ siue in parte congregetur, siue eo aliunde influat, semper necesse alicubi colligatur, atq; collecta, & copia, & qualitate facultatem expulsiuam stimulans eam ad sese inde trudendam, atq; in alium locum demittendam cogat. Cæterũ in febribus interpolatis, vt dicit Gal. 2. de diff. febr. in fine, qualibet accessione materia putrefacta euacuatur; vnde non potest fieri ea collectio, quæ stimulet naturam. Imo idem etiam voluit significare Hipp. 4. aph. 63. quando dixit, quibus quotidie fiunt rigores, quotidie febres solui. At in febribus continuis secus est. Cum enim putredo sit in vasis, continuoq; materia subministretur calore febrili, & putredinali, quolibet momento putrescit, sed non consumitur nec euacuatur, ita vt fiat collectio, ac propterea expulsio, & abscessus. Id quod etiam Auicen. 4. significauit dicens, neminem euadere à morbo acuto, sine morbi contractione, quæ fit deposita materia articulos, vt sibi contigisse narrat Auerrhoes: quoniam quæ dicit Hippocr. de abscessi-

scessibus manifeste dicit de febribus quæ protrahuntur: & diuturna ex acutis fiunt, non autem de acutis. Sed hæc res non monstrat cur potissimum desinant in quartanam. Itaq; vt hoc sciatur deueniendum est ad secundum.

Ad secundum respondit Stephanus dupliciter, vno modo, quod febres erraticæ in diuersis partibus fomitem habeant, modoq; à bile, modo à pituita, modo à sanguine fœcali originem habent, vnde lata, & transmissa materia à diuersis locis, diuersos quoque insultus parit, cumque in his tardius consumatur humor melancholicus, hinc fieri vt aliis consumptis ipseque pene solus certe copiosus relictus quartanam pariat. Hanc esse probabilem solutionem dicit Stephanus non tamen veram, quoniam si humor melancholicus in diuersis locis putrescens faceret quartanam, plures fieri possent quartanæ, scilicet locorum pluralitatem, nō autem duæ solæ vel tres, quemadmodum experientia docet. Itaq; aliam affert solutionem ab humoris melancholici generatione: siquidem fœx sanguinis vbi feruet, manens fœx diariam producit, & tandē melancholia fit: sic etiam bilis flaua accensa donec manet flaua bilis tertianam facit, tandemque combusta melancholia euadit, haud secus, atque pituita quæ putrescens donec pituita manet, producit quotidianam tandemque & ipsa fiat melancholia, adeo vt vbi procedunt febres variæ semper aggregetur; & multiplicetur succus melancholicus qui postea quartanam facit, Sed & hanc quoque solutionem dicit Stephan. habere πιθανόν, id est, persuasibile tantū, quoniam in erraticis sæpe primum fit quartana, deinde tertiana superaccensa bile & quotidiano phlegmate combusto.

Atq; hoc diuersis, & plurib. vicib. fit, nec inordinata, & vicissitudine quadam cōfusa. Vnde tertiam solutionem dicit nonnullos afferre à consistentia succi melancholica acceptam, nempe, quod quamdiu succus melancholicus tenuior est, penetrans modo in profundum, modo in superficiem, errantes febres facit vbi ex diuturna assatione remanet crassus ac vere melancholicus: tunc facit quartanam, quæ interdum vno, duobus, tribus, & quatuor mensibus durat, quemadmodum etiam aliqui vno vel duobus annis eâ laborarunt, & aliqui etiam mortui sunt. Sed multo melior responsio est, febres erraticas fieri à variis succis, qui in æstate, & in autumno generantur, qui variis in locis, & vario modo putrescentes febres erraticas faciunt semperque aliquid veluti cineris, vt ait Galenus, relinquunt, qui post modum cumulatus, & à calore febrili tentatus, atq; melancholiæ naturam adeptus, tandem quartanam febrem producit. *Febres erraticæ vnde fiant.*

Circa tertiam, primo sciendum est, Autumnum diuerso modo à latinis, & Græcis esse definitum. Nam inter Romanos Varro, Plinius, Columella, imo & Ptholomæus initium autumni faciunt ab occasu matutino fidiculæ, qui incidit sub idus Augusti. At Hippocrates & Galenus eorumque sectatores inchoant autumnum ortu Arcturi, hoc est, paulo ante idus Septembris plus minusve pro varietate regionum. *Autumni apud diuersos diuersa definitio.*

Verū hodie obseruari solet à Medicis, vt tunc dicatur autumn⁹ esse, cum incipit initio, & fine diei frigere, meridie vero incalescere. Quoniam igitur æstate præcedente fiunt febres acutæ, & tertianæ, aliiq; calidi morbi, consequitur vt ex combustis variis humoribus humor melancholicus & terrestris accumuletur, qui autumno putrescens ferinas ægritudines parit. Ob quæ omnia Hippocrates initio 2. Epidem. non modo vocat Autumnum ferinum, verum etiam inquit, in ipso generari morbos ferinos, vt cardialgias Ascaridas, morbos acutissimos & lethalissimos, addens etiam ita sese habere Autumnum ad totum annum, quemadmodum vespertinum tempus ad totam diem. *Autumnus quo tempore à medicis statuatur.*

Itaque non absque ratione dixit Hippocrates maxime expectandas esse quartanas, si febres durent ad Autumnum, quoniam in Autumno potissimum succus melancholicus æstate genitus, cum à frigore superueniente corpora constringantur feruet, & putrescit, sique quartanas aliasque melancholicas ægritudines producit.

Vnde eur Euripides vocarit ὀπώραν φιλὴν, id est, amicam, vt narrat Plutarchus libro de animæ procre. Ex Platone haud scio, nisi ita vocet ob fructus varios, quos profert, quamquam ab his potius videatur damnandus. Nam Plutarch. idem 8. sympos. 10. disputans, cur autumno insomnia sint confusa, & incerta ex Aristotele refert causam in fructus, qui recentes & humore turgidi existentes multum & turbulentum in corpore flatum gignunt. Quamquam hac repudiata sententia videatur aliam potius commendasse, quæ est autumno, qui est veluti senium totius anni ob frigus, & siccitatem corpora ægrotare vnaq; cum iis etiam animos, vt hac ratione insomnia minime bona esse queant. Sed ad Arist. redeuntes opinionem de fructib. autumnalib. etiam Hippoc. damnasse hos fructus videtur, à quibus 3, de diæta abstinendum eo tempore calidisque & siccis vtendum esse cibis, mandabat, & potibus.

ὥσπερ δὲ τοῖσι νεωτέροισι Ἰῶν.

Quemadmodum autem.

Sicut supra dixerat, abscessus magis esse expectandos in iunioribus triginta annorum, ita nunc eadem repetens, & comparans abscessus cum quartana quoad ætatem, inquit, quod sicuti abscessus fiunt in iuniorib. triginta annis, ita quartanã magis fieri in his, qui iam trigesimum annum attingunt, & adhuc senioribus. Quo in loco animaduertendum est vocem γεραιτέροισι Hippoc. vsurpasse non pro simpliciter senioribus seu in ætate iam senili constitutis, sed pro iis, qui non multum excesserunt trigesimum annum. Nam Galen. & recte fuse satis hunc locum interpretans, scribit Hippoc. statuisse primum terminum mutationis humani corporis ad frigus trigesimum annum, & postremum trigemumquintum. Inter hos autem varietatem contingere, prout variæ sunt ab initio singularũ naturæ variæ quasi annorum professionum aliarumq; circumstantiarum conditiones. Ergo vbi corpora incipiunt remittere paulisper calorem, tum maxime in ipsis fit succus melãcholicus ob adustiones bilis, quæ antecesserunt, haud secus atq; in autumno diximus colligi melancholiam ex humoribus, qui in æstate antecedenti sunt assati. Iam vero quemadmodum in autumno ob frigus nec dissipari, nec euacuari potest huiusmodi humor, sed retentus feruet & putrescit sicq; lepras, cancros, quartanas aliosque melancholicos succos profert; pari pacto in æstate consistente facta melancholia, nec optime expurgata, aut dissipata, iisdem morbis egregiam occasionem præstat. Sed hoc in loco oritur dubitatio, quomodo dicant Hipp. & Galen. à trigesimo vsq; ad trigesimumquintum annum homines præ cæteris maxime quartana tentari, cum certa experimenta doceant multo frequentius tentari tum iuniores his, tum etiam seniores.

Ex triplici melancholia, triplex genus quartanarum.

Pro solutione huius dubitationis nõnulli faciunt triplex genus quartanæ, prout triplex genus quartanæ, pro vt triplex est melancholiæ genus. Aliud q; fit ex fœce sanguinis, quæ & succus melancholicus est. Atq; hoc dicunt esse familiare pueris, qui scilicet, vt ait Galen. deberent ætatis & temperamenti ratione abundare solo sanguine: attamẽ ob ingluuiem inordinatosq; motus crudos, & crassos succos, vna cum sanguine accumulant. Vnde fit sanguis fœculentus, qui putrescens quartanas facit. Aliud genus quartanæ est ex melancholia naturali, quæ cum frequenter post ætatem consistentem in corporib. abundet, hinc fit vt & hæc putrescens quartanæ generationi occasionem præbeat. Tertium genus est, quod fit ex aliis humoribus, & præsertim biliosis combustis, & in nigram bilem conuersis, de qua hic loquitur Hippocr. & quæ hac ratione tum fit in natis triginta annis, tum in autumno, tum potissimum κατὰ τὴν μετάστασιν, seu transmutatione aliarum febrium acutarum adeo vt omnes verum dixerint, quando modo pueros, modo omnes, modo in ætate media constitutos tentari quartana scripserunt.

Cur autem veteres, vt est apud Priscian. medicum, siue Octauium Horatianum quartanas Saturni filias nuncuparint, causa fuit quia humor melancholicus natu-

ralis gubernatur à Saturno, à quo etiam senectutem gubernari perhibent Astrologi.

Τὰς δὲ ἀποστασίας εἰδέναι χρή.

Abscessus autem scire oportet.

VT plenior & absolutior esset ratio prædicendi abscessus futuros, supererant signa à tempore anni quæ ordine sequuntur signa sumpta ab ætate, quæ & ipsa est tempus quoddam seu mensuratio fluxus, & vitæ hominum. Igitur non sine ordine Hippocrates de huiusmodi tractat in præsente breuissima dictione, quæ est: Sciendum esse abscessus magis fieri hyeme, tardius finiri, & minus recurrere, quæ sententia, quoniam satis prægnans est, necnon ad vsum prædicendi maxime vtilis, singula verba examinabimus, & primo, cur Hippocrates vtitur hac docendi forma, scilicet, εἰδέναι χρή, id est, scire oportet. Puto Hippocr. ita esse locutum vt monstraret non solum hanc esse veluti certam quandam scientiam, verum etiam esse maxime conducibilem & pene necessariam in tuta abscessuum futurorum prædictione facienda.

Μᾶλλον.

Magis.

HÆc vox μᾶλλον solet significare vel intensionem, vt quando dicit Aristot. in probl. hyeme magis fieri ardentes, hoc est quæ fiunt, esse ardentiores scribit: Vel extensionem perinde ac si dicatur frequentius euiusmodi sæpe inuenietis vsurpatum ab Hippocrate & Galeno, vel vtramque simul: Hoc autem in loco puto significare frequentiam, quod scilicet frequentius hyeme fiant abscessus, quam aliis temporibus. Caussa vero huiusmodi est vna, quam dicit Galenus. scilicet, frigidorum succorum abundantia. Cum enim abscessus, vt sæpe dictum est, fiant ab hisce humoribus, atque hi potissimum in hyeme abundent, sequitur vt eo tempore frequentius fiant. Nec valet tunc temporis facultatem expultricem esse robustiorem, ac propterea debere potius fieri excretiones, quam abscessus, quoniam materia minus est sequax, & meatus magis sunt adstricti ob frigus ambientis. Quod si Hipp. in Epidemiis, quandoq; dixit, abscessus fieri rarius in rigoribus, non intelligit de rigorib. à causa externa, sed de morbis qui fiunt rigoribus, à quibus rigoribus, quoniam vehementes & quotidianæ fiunt expulsiones, inde fit vt materia faciendis abscessibus idonea minime colligatur: Sed dicer aliquis cur ergo Hippo. 3. aphor. 20. dixit abscessus ad articulos fieri magis vere, sicut & tubercula, & 6. aph. 55. addit autumnum. *Cur hyeme abscessus frequentiores.*

Respond. Vere abscessus qui fiunt, esse genitos hyeme atq; tunc duntaxat apparere, 6. autem aphor. non loquitur de abscessibus in genere, sed tantum de doloribus podagricis. Quod si Arist. 1. sect. probl. 6. dicit, hyeme fieri acutos magis morbos, & calidos atque humidos, id est, per accidens, scilicet ob antiperistasin, non ex propria ipsius hyemis natura.

Χρονιώτερόν τε παυομένας.

Tardiusq;.

QVod febres quartanæ tardius cessent hyeme, compertissimum est, & alias ab Hippocr. scriptum 2. aphor. dum dixit æstiuæ quartanæ breues, autumnales vero longæ, præsertim quæ hyemem attingunt. Imo dicebat Plin. bruna nunquam curari quartanam.

Cæterum hoc idem & de abscessibus dicit Hipp. tardius finiri hyeme. Causa vero huius proponitur à Galen. duplex, & viscididitas, atq; crassitas humoris & aeris ambientis frigus. Cum enim quæ dissipantur, & consumuntur prius debeant extenuari & incidi, manifestum crassos crudos, & lentos humores à quibus fiunt

abscessus

abſceſſus hyeme, difficillime poſſe tunc temporis attenuari, & incidi, & cõſequenter conſumi. Præterea cum difflatione etiam opus ſit ad conſumendos humores, certum eſt hyeme valde impeditam eſſe huiuſmodi difflationem, & propterea humores, & habitus intra corpora cohibitos, abſceſſibus æternum pabulum ſuppeditare, ſicq; eos durare. Quod autem hyeme quoq; minus reuertantur, Galen. putat cauſam eſſe, quoniam ad faciendam recidiuam opus eſt, vt humores in motu ponantur, hyeme aũt humores frigidi, difficiliter mobiles redduntur. Ego autẽ puto aliud intellexiſſe Hipp. Nam abſceſſus hyeme aut non ſanantur, aut per integram ſuppurationem ſanantur, eo quod coactus intra calor ad ſuppurationem abſoluendam magnopere valet. Iam vero dicebat Hipp. 6. epid. quod ſuppuratum eſt, non reuerti, quoniam in eo eſt abſceſſus criſis, & coctio. Sed obſtabit aliquis, ſi hoc verum ſit, debere potius hyeme beneficio caloris ſolui quam ſupputari. Siquidem vt ait Hipp. 1. aphor. ventres hyeme, & vere ſunt calidiores. Natura, ſi poteſt, prius tentat in abſceſſib. diſſipationem, deinde ſuppurationem. Dicendum eſt aliud eſſe loqui de ventre, aliud de partib. extremis. Nam corpora hyeme & vere, ſunt quidem calidiora, ſecundum partes internas, ſecundum vero partes externas minus. Vnde cum hic Hippocrates loquatur de abſceſſibus, qui in extimis partibus fiunt, non eſt mirum ſi eos dixit hyeme tardius finiri, & minus παλινδρομέειν.

ὅσις δὲ αὖ ἐν πυρέτῳ.

Quicunq; autem in febre.

AN hic ſermo, quem modo Hippoc. inſtituit, ſit veluti quædam febrium tractationis, & doloris capitis continuatio, an vero vomitum criticum prædicendi doctrina, dubitari ab aliquo poſſet. Galen. certe exiſtimat docere hic Hippocrat. præcognitionis & prædictionis ſpontaneæ criſis ratione faciendæ modum. At Stephan. putat Hippocr. nunc etiam de acutis morbis loquentem velle docere ſigna, quibus prænoſcatur an criſis κατ᾽ ἐκρῆξιν, id eſt, per effluxum futura ſit per vomitum, an per ſanguinis fluxum. Et certe hæc Stepha. ſententia mihi admodum placet eo maxime, quod non repugnat Galeni interpretationi. Neq; valet non apparere ſi ita ſentiamus, legitimã vllam cum ſuperiorib. connexionem, quoniã vt ſæpe diximus, hoc non eſt exacte in lib. Prognoſt. requirendum, quam quã etiam poſſumus quoq; ſic reperire aliquam continuationem, ſi dicamus ſuperius Hipp. locutum eſſe de ſignis futuræ per abſceſſus iudicationis; modo loqui de ſignis eiuſdem criſis futuræ κατ᾽ ἐκρῆξιν ſiue per effluxionem. Neq; valet quod Hippo. etiam retro ſit locutus de vomitu, quoniã tunc egit de cognoſcendo bono, vel malo vomitu: nunc vero de criſi præcognoſcenda per vomitum futura. Ita primũ Hipp. ponit ſigna cõmunia vtriſq; effluxionib. ſanguinis fluori, & vomitui, deinde ponit particularia. Sunt aũt ſigna communia duo, nempe capitis dolor, & obtenebratio, particularia autem, vomitus eſt καρδιαλγία: q̃q̃ alibi Hipp. vt notat Gal. adiicit etiam inferni labii, tremorem: Præterea eſt rigor cum frigore partium infra hypochondrium. In Coacis addit ſaliuationem antecedentem, quæ omnia cum aliis Galen. 3. de criſib. ex Hipp. 1. prorrh. 30. recenſet. Quod ergo hic dicit Hipp. eſt. Quicunq; in febre non lethali, &c. Cuius dictionis verus ſenſus, vt pro vſu artis eliciatur, ſingula pedetentim examinabimus. Primum enim dicit, ſi quis in febre non lethali. At quærendum eſt cur Hippocr. dicat in febre non lethali, Hippoc. loquitur de criſi futura per vomitum: vbi criſis eſt, non ſuccedit mors, propterea iure dicit non mortali; & hoc facit vt intelligatur, ſe quidem ſermonem habere de febre graui, & acuta, ſed non lethali, alioquin non eſſet conſentaneum edocere ſigna futuræ bonæ criſis in morbo lethali. Etenim vbi hæc ſigna, quæ narrat, ſunt cum febre lethali non criſim, ſed mortem ſignificant.

φῇ τὴν κεφαλὴν ἀλγέειν.

Dixerit sibi caput dolere.

DOlores vt alias dixi, non cognoscuntur à Medicis, nisi per ipsorumet ægrotantium relationẽ. Relatio vero non modo docet ipsum dolorẽ esse, verumetiam abesse deliriũ, quia vbi quispiam delirat, haud percipit dolorem, vt dicebat Hipp. in aphoris. vt si percipit non manifestat; cum autem κεφαλαλγία fiat, vel per essentiã vel per consensum, aut à partib. aut à toto, hic certum est loqui Hipp. de eo dolore, qui fit per consensum à ventriculo, quandoquidẽ habet os ventriculi simul læsum, hoc est, καρδιαλγίαν: Notissimum est veteres vt millies docuit Gal. os ventriculi ob sensus præstantiam καρδίαν siue cor vocasse. Fit hic affectus vbi vel à succis biliosis, tenuibus, & calidis os vẽtriculi mordetur, & tũc emplasticis, & frigidis succurritur, vt Hipp. 2. Epid. narrat se mulierem illam curasse cardialgicã polenta, & succo granatorum; vel à frigidis & crassis, quo in casu curat Hipp. in aphor. vino fastidia oris. Nunc autem cum loquatur Hipp. de febrib. acut. par est etiam loquatur de ea καρδιαλγία quæ fit à calidis tenuibus & biliosis succis, qui vbi in ventriculum à iecinore, vel aliunde effunduntur, supernatantes os eius vellicãt, ad quam vellicationem cerebri membranæ ob substantiam nerueam cum ventriculo communem veluti tenduntur, quemadmodum etiam à vaporib. biliosis ex ipso ventriculo à bile calefacta sursum elatis punguntur, sicq; dolor modo tensiuus, modo pungitiuus succedit, quemadmodum etiam ab iisdem vaporib. sursum ad oculos elatis, fiunt veluti tenebræ quædam, aut imagines tenebricosæ, tum quia ex assata bile afferuntur halitus atri in oculos, tum quia vbi vapores quicunq; ante oculos, id est, ante pupillam collocantur, fit priuatio transmissionis radiorum, & receptionis specierum. Vnde sequitur obscuritas, quæ est lucis priuatio, haud secus atq; iis contingit, qui suffusionem patiuntur. Neq; mirum esse ait Stephan. quod ex flaua bile possint vapores nigri induci, cum etiam ex igne qui tubeus est, efferatur fumus niger, quæ est pars magis terrestris ipsius ignis, quasi dicat ex ipsa bile terrestriorem partem ad oculos ferri, quæ nigredinem patiat. Galen. recte adnotauit apposuisse καρδιαλγίαν, quia dicit à pulmone posse efferri vapores in cerebrum, qui faciant dolorem & tenebras, sed non erit morsus ventriculi, & ob id non expectandus vomitus. Quãdo igitur ex dolore capitis, obscuritate oculorũ, & dolore oris vẽtriculi in febrib. acut. intelligitur in ipso ventriculi summo reperiri bilẽ tenuẽ, iure merito, & quasi certo expectãdus est vomit⁹ ob duas causas: vnam q. hic humor suapte natura sursum fertur potius q̃ infra. Et hinc est quod Hipp. scribit biliosos, & graciles melius, ac æstate, q̃ hyeme vomitu purgari: aliam, quia excitata facultas expultrix ab humore mordente, nisi penitus languida sit (q. in febre salutari non contingit) expellit, atq; tunc per vias quæ sunt & proximiores, & faciliores, cuiusmodi est os, adeo videantur hæc tria signa sufficere ad testãdum futurum vomitum, propterea q; non apposuisse, neq; saliuationem, vt in Coac. neg. labri inferioris tremorem vt in prorrhet. Nam salinatio, & labri inferioris tremor nõ semper antecedit, de quo Hipp. 2. acut. text. 44. vomitum biliosum, sed potius pituitosum. Hipp. autem biliosi tantum vomitus futuri signa proponit. Atq; hoc est etiam quod dicit 4. aph. 17. si quis febrem non habens abstineat à cibo, & cordis morsum, ac tenebricosã vertiginem patitur, & oris amaritudinem sentit purgationem per superiora indigere significat.

ἢν δὲ ϗ̀ ῥῖγος πϱοσγένηται.

Si vero etiam rigor accesserit.

NON contentus Hippocr. docuisse quomodo medicus prædicere possit futurum vomitum biliosum, noluit etiam docere quo pacto eum quoq; citro futurum prædicere queat, & hoc facit, quia non modo pertinet ad ægrotantium salutẽ, verum etiam ad ipsius existimationem, qui quanto magis in prædicendo ad particularia descendit, & præsertim ad tempus, eo magis iudicio pollere putatur, & confe-

consequenter ægri atque ministri magis sese præparant. Cur autem & rigor, & refrigeratio partium circa hypochondria indicent celerem vomitum, causa est, quoniam bilis vbi fertur à iecinore in ventriculum transiens, per musculos, eosq; pertundens vehementer, rigorem facit, simulque indicat bilem magno impetu, in stomachum ferri, ac ideireo futurum esse, vt cito facultas expultrix stimulata, & læsa sit omnem conatum factura, vt humorem à quo vehementer offenditur deponat, per viam expeditiorem, & faciliorem, qualis est per os euacuatio. Similiter etiam frigus circa hypochondria signum est eam partem esse iam desertam ab humore calido bilioso in ventriculum effuso, qui multus existens vehementer stimulat ad celerem sui expulsionem.

ἢν δὲ ἤ πίῃ ἢ φάγῃ.
Quod si quid biberit.

DVbium est, an hæc particula pertineat ad prognosin, an potius ad curationem, scilicet potus & cibos exhibitos, vbi promptus est vomitus, eum magis accelerare. Et ipse puto potius ad curationem pertinere, vt etiam Stephano placuisse videtur. Nam vidistis retro etiam alias nonnulla Hippocr. signis prognosticis immiscuisse facientia ad curationem potius; id, quod facere consueuit quando vel curatio est magni momenti vt hic, vel confert ad præcognitionem. Etenim vbi est cardialgia tanta est molestia animiq; defectionis periculum, vt præstet valde vomitũ accelerare, quo citius ingens illa molestia finiatur. Neq; est vllus, qui in his casibus sumat cibum & potum, nisi qui consilio medici speret, se citius vomiturum, & liberatum iri dolore. Itaque curationem quandam ad modum parenthesis, siue appendicis potius, quam signum prognoseos Hippocrates his verbis tradere intendebat.

Cæterum circa causam, qua cibi, & potus assumpti vomitum accelerent, haudquaquam mihi placet Galen. qui scribit, ideo hoc facere, quoniam corrumpuntur, & corrupti stimulant expulsiuam facultatem. Non placet inquam mihi, primo, quia non ita cito possunt corrumpi cibi & potus, vt faciant certissime vomitũ: Deinde, quia, & si corrumperentur, multo tamen magis stimulat succus biliosus, & mordax quam cibi, & potus corrupti.

Cibus in morsu ventriculi quomodo vomitum creat. Potior igitur ratio est, quoniam ventriculi vis concitata à morsu humoris, onus cibi, & potus substinere nequit, vnde velocissime ad id deponendum surgit, & eo magis, quando cibus & potus, à bile fluitante, & ipsi in summo stomachi tenentur. Atq; hęc est causa cur Hippoc. lib. de salub. diæta, & 3. de diæta. Galen. & Auicen. 4. primi voluerint eos qui debent vomere, & copiosos, & graues, & supernatantes cibos, & præ cæteris ficus præsumere vomereq; donec exeant ficus, quemadmodum dixi in meis variis lectionib. vt s. facilius, & citius ad vomitum prouocarentur, quod fecisse plerosq, & inter cæteros Caium Iul. Cæsar. perhibent non pauci scriptores. Neq; etiã adhærere possum Stephan. qui videtur censuisse, cibos & potus ꝓpterea accelerare vomitũ, quia ipsis & humores magis ꝑparantur, & facultas robustior fit. Non adhæreo inq̃, quoniã difficile est intelligere quomodo possit ita cito cibus, & vinũ in stomacho alioqui languidissimo confici, & ad eam frugem deduci, vt q̃ citissime alat, & alendo corroboret. Multo aũt magis illũ laudo, quando inquit vinũ optime aqua castigarũ conferre ad deducendam bilẽ in contumaci vomitu, haud secus atq; cũ volumus dolia purgare à fœce affundimus aquã. vt ipsi fœx cõmixta, & confusa, facilius cum aqua exeat. Sic inquit Stephan. medicos vinum quã maxime aqua temperatum offerre, vt bilis alioquin instar fœcis contumax vna cum ipso vino facilius exeat, quamquã Hipp. locis supra dictis laudet aquã cum aceto, sale, & hyssopo ad facilitandum vomitum, sicut Gale. 7. meth, cap. 11. & 1. de alim. facul. 12. laudat ptisanam, & 1. ad Glauc. c. 12. oleum. Atq; hoc est q, Arist. scripsit 3. sect. probl. 18. quando dixit, vinũ valde dilutũ, magis excitare vomitum, quã aquam, aut merũ per se sola. Quamquã ipse huiusce rei diuersam non tamen malam causam afferat.

Sed

Sed diceris, quæ est causa, cur vomituris inferius labrum tremit? Galenus & Stephanus dicunt, hoc fieri, quoniam tunica eadem vestit, & labrum & os stomachi, vnde hoc perculso ab humore mordente simul etiam percutitur tunica labri, quæ offensa facultas motum cit tremulum ad noxam expellēdam, qui propriè nō est tremor, sed potius motus quidam conuulsiuus. Sed dubitatur adhuc, cur Galenus ex Hippocrate 3. de crisi proponit quinq; signa, saliuationem, dolorem, capitis, obtenebrationem oculorum, labii inferioris tremorem, vētriculi oris morsum, dimittit vero rigorem, & frigus hypochondriorum, quod hic Hippocrates ponit, sicut Hippocrates dimittit hic saliuationem, & labii tremorem, quem ponit 2. acut. 44. dixi. Et est verum, Hippocratem hic loqui de vomitu bilioso, in quo non fit saliuatio, quæ potius antecedit vomitum pituitosum, neq; etiam semper tremor labii. Galenus autem 3. de crisi, cum loqueretur de signis futuri vomitus, magis communibus apposuit saliuationem, quanquam etiam interdum apud Galenum inueniuntur quædam ἁμαρτήματα μνημονικὰ, quæ ipsi sunt condonanda. *Vomituris cur labrum inferius tremat.* *Ἁμαρτήματα μνημονικὰ æque condonanda.*

Τουτέων δὲ οἷσιν ἂν ἄρξῃ.

Horum autem quibus.

LOquens Hippocrates de febribus, vt dixi, acutis, in quibus fit interdum iudicatio, & solutio per vomitum, signa futuri vomitus docuit, inter quę primo loco posuit capitis dolorem symptomaticum, s. & non criticum, quia, vt notat Stephanus, criticus vix vna die durat. Hic autem, de quo loquitur Hippocrates, vltra extenditur, vt inferius videbitur. Et quia non solet semper vomitu hic dolor sedari, sed interdum durat, & sponte, & cum vomitu, vtpote qui sit frequentissimum symptoma febrium acutarum; Eapropter nunc docere vult, ex dierum ipsorum enumeratione, quo pacto præcognoscenda & prædicenda sit doloris capitis solutio. Quæ tota sententia, quoniam longiuscula est, vt ordinatius, & facilius complectatur, in tres particulas diuidetur, prout Galenus quoq; videtur in commento diuidere ipsam in tres doloris capitis differentias, quarum prima hæc erit. Quod quicunq; ex his scilicet, assiduo febrientib. prima die incipiunt capite dolere, hi quarto & quinto maxime affliguntur, septima vero liberantur. Galenus hanc dicit esse primam doloris capitis differentiam, quādo scilicet prima die febris inchoat, quasi velit hic Hippocrates scopum esse de capitis dolore præcognitiones, & prædictiones docere. Causa porro, ob quam dolor capitis ita procedat, firma nulla assignari potest, qnoniam, vt alias dixi, primus Hippocrates dies criticos obseruauit, neque causam vllam firmam nobis reliquit, nisi admirabiles suas obseruationes. Galenus autem refert omnia ad quaternitates, & hebdomadas, in quib. semper natura corporis insignes mutationes facere obseruatur, tum in coctionibus, tum etiam in aliis symptomatibus. Itaq; si in prima die incipit dolor, in quarta fit veluti status, & propterea exacerbatur, vbi autem in quarta dolor in summo consistit, necesse est in consistentia permanear, donec dies iudicatoria, quæ est septima adueniens, symptoma soluatur. Sed cur quintam apponit, quæ nec indicatoria, nec iudicatoria est? Galenus diceret esse ex intercidentibus, quemadmodum & tertiam. Quanquam Cardanus, vir subtilissimi ingenii, & multæ eruditionis, profitetur Galenum, haudquaqnam ne per vmbram quidem hanc sententiam Hippocratis intellexisse. Illud certe verum est, cum loquarur Hippocrates de febre biliosa acuta, quæ septem diebus solet iudicari; ptimum tractat de valde acura, in qua statim incipiunt grauia accidentia, quæ vna cum morbo celeriter mota, in quarta die vigorem adipiscuntur, & consequenter in septima iudicantur. Quandoquidem acutissimarum febrium, vt sæpe dixit Hippocrates, solet septima dies esse decretoria. *Quæ capitis doloris differentia sunt.*

οἱ μὲν τοι πλείονες αὐτῶν.

Pleriq; autem.

HÆc est secunda pars, seu, vt Galenus loquitur, secunda doloris capitis differentia, quæ non ita acuta est, & in qua non statim prima die febris fit dolor capitis, sed tertia, & inquir, in hac exacerbare quinta die, nona vero aut vndecima liberari. Quemadmodum dixi, si ἀκριβῶς horum omnium rationem perquirere conemur, operam ludemus. Sat est aliquid probabile afferre, & est id, quod sæpe diximus ex Hippocrate, plerunq; diebus imparibus morborum mutationes fieri. Vnde si numeremus à tertia die vsq; ad quintam, erit numerus primus impar, nempe ternarius; quod si à primo doloris insultu scilicet ab eadem tertia accipiamus septimam, quæ est iudicatorii terminus, proculdubio erit nona febris, sicut si vndecimam accipiamus, erit nona, quæ quoniam & ipsa impar est, aliquam vim in symptomatibus iudicandis est sortita. Sed cur dicit compluribus hoc contingere, vt tertia die febris oriantur dolores capitis? Certe acutæ simpliciter febres, multo crebrius contingunt, quam acutissimæ. Et certe male ageretur nobiscum, nisi mitiores morbi, frequentius quam immanes nos exercerent. Natura enim nos fecit non ad morbos, sed ad sanitatem, & vitæ longitudinem. Nos ipsi sumus, qui erroribus vitæ, ocio, crapulis, morbos graues, & vitam breuem, vt dicebat Seneca, nobis facimus. Multo plures autem sunt, qui non eos errores graues committunt, vt ob id etiam pauciores acutissimis febribus detineantur. Hoc autem cum sit, atq; febribus acutissimis statim grauia symptomata coniungantur, vt sunt capitis dolores, mitiorib. vero paulo post, iure Hippocrates dixit, pluribus incipere dolores capitis tertia die.

οἱ δ' ἂν ἄρξωνται περιπλεῖσι.

Qui vero inceperint.

HÆc est tertia pars, seu tertia, vt loquitur Galenus, doloris capitis cum febre differentia, ab Hippocrate proposita, scilicet quod qui inceperint quinta die capite dolere, aliaq; iuxta rationem priorum ipsis fiant, decimoquarto die morbū iudicari. Esse enim decimamquartam diem terminum morborum simpliciter acutorum, non acutissimorum. Et hoc sępe ab Hippocrate dictum fuit.

Ceterum videndum est, quomodo in his incipiat dolor quinta die? Quid velit significare illis verbis (Si alia pro ratione dicta?) Cur hic statuat iudicatoriam doloris capitis decimam. Nam à numerante à quinta ad decimamquartam, capiuntur decem dies. Dicimus primo supponi debere gradus in ipsis acutis tres, vt fere apud omnes compertissimum est, primus gradus acutissimorum; secundus acutorum; tertius minus acutorum. Vt autem in primo gradu symptomata incipiunt statim ob morbi magnitudinem; sic in secundo, vt mitiori paulo post, nempe numero priore pari; in tertio adhuc posterius, scilicet secundo numero impari, qui est quintus.

Acutorum tres gradus.

Secundo dicunt aliqui, Hippocratem iis verbis intelligere, quod similiter diebus imparibus fiat incrementum symptomatis, vt dicebat de aliis. Alii potius intelligendum esse dicunt, vt vna cum dolore capitis fiat oculorum obtenebratio, necnon cardialgia. Ceterum Stephanus vult intelligendum esse, si non committatur error, nec à Medico, nec ab ægro, & alia bona signa iam multo ante commemorata adsint, nempe optimus decubitus, bonæ vrinæ, & fœces, bona & facilis spiratio; Vbi enim hæc omnia adsint, vera esse, quæ nunc dicit.

Quod vero pertinet ad decimamquartam, verum est, eam esse decimam à quinta, veruntamen, quia ratione prædicta in his morbis, qui sunt tertii ordinis, fiunt etiam in tertio numero impari, nempe septimo, exacerbationes: hinc fit, vt iure fiat iudicatio in decimaquarta, quæ est hebdomada ab ipsa septima. Scio vnumquemq;

quemq; ingeniosum, & eruditum interpretem in his rebus summa caligine sepultis proprium quendam sensum sequi. Iccirco etiam mihi licebit meam sententiam attulisse.

Γίνε) δὲ ταῦτα τοῖσι μὲν ἄνδρασι.

Fiunt autem hæc & viris.

COnnexio præsentis dictionis cum superiori satis videtur manifesta. Etenim q Hippocrates supra dixit de diebus decretoriis in dolore capitis, ait tam in viris, quam mulietibus fieri in tertianis. Sed iunioribus, licet fiant quoq; in his, s. tertianis; attamen fieri magis in continuis febribus, atq; in exquisitis tertianis. Pro cuius sententiæ intellectione illud supponendum est, Hippocratem loquentem de acutis, consequenter de biliosis esse locutum, quandoquidem, vt sæpe ostendimus, fiunt à bile. Quare etiam de dolore capitis à bile, atq; de bilioso vomitu loquebatur. Quod si verum est, videtur etiam consequens esse, vt omnia prædicta præcipue fiant, tum in ætate, tum in febribus, quæ sunt omnium biliosissimę, vt in perfecta ætate, atq; in iuuentute. Attamen illud verum est, quod ait Stephanus, hic esse intelligendum de vomitu bilis mixtæ cum pituita, non autem de mera bile; quoniam huiusmodi vomitus valde periculosus est, vt retro dictum est. Et Hipp. hic loquitur de febre non lethali.

Ἀνδρασι καὶ γυναιξὶ.

In viris & mulieribus.

NOtat Galenus, Hippocratem consueuisse ἄνδρας & γυναῖκας vocare τελείους, id est, perfectos, siue, vt exponit Stephanus, positos ἐν τῇ ἀκμαστικῇ ἡλικίᾳ. Et quia hæc ætas est biliosissima, similiterq; febres tertianæ biliosæ, inde fieri, vt prædicta s. dolor capitis, cardialgia, obtenebratio oculorum, vomitus biliosus fiant, & in hac ætate; & in prædictis morbis, nempe tertianis. Ceterum dubitatur hoc in loco, quomodo Gal. dicat, homines perfectos biliosissimos esse; cum iuuenes ipsis sint biliosiores? Præterea ad quid Hipp. hic de tertiana? Nonnulli videntes hanc difficultatem voluerunt pro τριταίοις, non intelligendas esse febres tertianas, sed agentes trigesimum annum, quasi Hipp. dicat, fieri prædicta viris, & mulieribus annum trigesimum maxime agentibus, sed hæc interpretatio, preterquam quod contradicit verbis Galeni; est etiam præter vsum Hipp. qui vbi τριταίους nominat, semper tertianas febres intelligit. Itaq; dicendum est, pro viris & mulieribus intelligere in ea ætate constitutos, in qua maxime bilis abundat. Est autem ætas iuuentutis, vt 2. de temperament. scilicet à vigesimoquinto ad trigesimumquintum annum. Appellat autem hic Gal. perfectos, & Stephanus ἀκμαστικὴν ἡλικίαν ἔχοντας, qui sunt in fine iuuentutis. Nominat autem hic tertianas, gratia exempli. Et quia vere in tertianis solet hic dolor fieri, & maxime in ea ætate.

Τοῖσι δὲ νεωτέροισι.

Iunioribus autem.

DIcit fieri etiam iunioribus, hoc est, infra 30. annum, & maxime in acutis, seu vt Steph. in synochis, quia cum ætas illa non sit biliosa, nisi morbus sit aliqua extranea causa biliosus, certum est, non posse in ipsis fieri biliosa symptomata nimirũ cephalalgiam, &c. Dicit postremo, fieri iunioribus, id est, vt exponit Steph. μειρακίσκοις, seu adolescentib. in quib. cum abundet sanguis, raro fiunt biliosi vomitus, atq; tantũ in tertianis exquisitis. Nam qua ratione fiunt in acutis, quia biliosi sunt morbi, eadẽ fieri etiã par est in tertianis exq sitis, q̃ fiunt à pura bile. Quamq̃ Auic. 4. 1. & Gal. quandoq; visus est, tertianas exq sitas recensere inter acutas, eoq; si non habent periculum, habent tamen celeres, & vehementissimos motus, vt acuti omnes.

Οἷσι δὲ ἀν τοιούτῳ τρόπῳ.

Qui in huiusmodi febre.

Diximus, Hippocratem sibi proposuisse ea præcipua docere signa, quibus crisis futura per vomitum biliosum, & quibus futura per sanguinis è naribus fluxum præcognosci, & præcognita potest prædici. Vnde cum hactenus absoluerit de vomitu sermonem, modo sequitur de sanguinis fluxu verba facere. Quæ tractatio nõ admodum longa, quoniam retro etiam nonnulla eadem de re dixit. Diuiditur autem sententia tota in duas partes, in quarum prima dat signa ex symptomatib. propriis; In altera proponit signa ab ætate: Quoniam inter signa, quæ non sunt propria ætas, sub qua complectitur temperamentum, maximam habet potentiam ad prænotionem faciendam. Quod itaq; dicit, in prima est; Quibus in febribus acutis non tamen lethalibus, capite dolentibus, pro tenebrositate apparent ante oculos scintillæ, & quod ait Stephanus, cristæ gallorum, sitq; visus hebetudo, & pro morsu in hypochondriis, ea vel in dextra, vel in sinistra parte intenduntur, absq; dolore tamen & inflammatione, hisce pro vomitu sanguinem è naribus fluxurum esse, sperandum est. Hæc prima est pars satis perspicua, ita vt nulla videatur egere diligenti excussione. Veruntamen etiam in ipsa sunt nonnulla, quæ silentio minime licet præterire.

De dolore capitis notat Galenus, & bene, eum esse communem crisi febrium acutarum, sed alias iudicari per vomitum biliosum, cuius prognostica signa attulit, alias per sanguinis è naribus fluxionem, cuius signa modo proponit diuersa quidẽ, sed quodammodo proportione correspondẽtia; & quanquam vtriusq; crisis commune signum sit dolor capitis. Est tamen differentiæ nonnihil, quoniam qui fit à bile est mordax, & tensiuus, qui fit à sanguine tensiuus, & grauatiuus, cum lædat potius copia, quam qualitate.

Sunt vero, quæ sanguinis fluxionem proprie significant eiusdem pene generis, cuius biliosi vomitus; Nam quibus imagines obscuræ circa oculos, morsus oris ventriculi, rigor, & hypochondriorum frigus prædicunt vomitum biliosum, hoc est, impetum bilis motæ ad ventriculum; sic scintillæ circa oculos, & visionis hebetudo pro obscuritate, nec non pro morsu ventriculi, hypochondriorum, vel in dextera, vel in sinistra parte tensio sine inflammatione, & dolore maxima sunt indicia, ait Galenus, humorum ad superiores partes ascendentium.

Oculi quomodo à vaporibus afficiantur. Iam vero videndum est, quomodo fiant à sanguinis è naribus fluxu scintillæ, & oculorum hebetudo? Etenim, vt ait Stephanus, vapores, qui in febribus acutis ab humoribus motis sursum ad oculos feruntur, aut crassi esse solent, aut tenues. Si crassi sunt, obstruentes meatus visorios, cæcitatem afferunt; sin autem tenues sint, *Scintillæ, quomodo oculis obueniant.* aut à bile combusta, vel non combusta attolluntur; aut à sanguine. Si à bile, cum ex toto non claudant opticos neruos, non cæcitatem faciunt, sed fiunt obscuritates, vt supra dictum fuit, nec non phantasmata ignea, atq; visionis hebetudo. Sed dicet aliquis, cur non apponit Hippocrates narium etiam pruritum, qui fluxum per ipsas sanguinis solet esse magnum argumentum, & quem alias inter huiusmodi signa recensuit? Respond. non apposuisse, quia non ita proprium est, vt alia. Etenim neq; omni, neq; semper conuenit, sed alicui tantum, & aliquando. Hippocrates autem non solet huiusmodi signa admodum curare. Nam malæ etiam rubræ solent præcedere sanguinis fluxum, attamen, quia eædem in plerisq; aliis quoq; morbis conspiciuntur, atq; alia occasione, ob id, nec tale signum apponendum Hippocrat. iudicauit. Pro morsu oris ventriculi ad vomitum biliosum significandum, dicit esse ξυντασιν, siue contentionem, aut intentionem hypochondrii dexteri, vel sinistri sine inflammatione, & dolore. Steph. pro ξυντείνεσθαι, intelligit ἀνασπᾶσθαι, id est, pro intentum esse, reuulsum esse. Et certe res ita se habet, quod vbi sanguis peccans in hypochondriis reperitur, atq; à natura sursum ad nares pellitur, exinanita quodammodo ipsa remanent. Vnde, vt cõtingit exinanitis, in se ipsa videntur contrahi, atq;

contracta

cõtracta extendi. Sed si ita est, quomodo igitur dicebat retro inflammationes iecinoris, & lienis iudicari per sanguinis narium effluxionem, nam in inflammatione est dolor, febris & tensio. Nunc autem dicit, fluxum sanguinis fieri è naribus, cum dicat sine dolore, & inflammatione, videtur aliquo pacto sibi contrarius esse. Atqui haudquaquam ita est, siquidem nunc loquitur non de inflammatione, seu febre inflammationem sequente, sed de febre pura acuta, tamen nec exitiali, ab omniq; inflammatione separata, quasi dicat, non modo expectanda est narium hęmorrhagia cum inflammatio est in hypochondriis, verum etiam sine inflammatione & dolore, vbi tamen prædicta adsint signa. Capito interpres Hippocratis, vt est apud Galenum 1. epid. sect. 2. text. 55. legebat sine particula negatiua, quasi diceret Hipp. cum inflammatione & dolore, vt concors redderetur cum iis, quæ retro sunt dicta. Verũ vtroq; modo legi potest; imo magis placet, vt legatur, quemadmodum omnes contextus habent, quia sic doctrina est amplior, nempe qua ostenditur in febribus non lethalibus, æque atq; in lethalibus, vt sunt, quę cum inflammatione posse prædictis signis præcognosci narium hæmorrhagiam futuram.

Μᾶλλον δὲ ἐνταῦθα τοῖσι νέοισι.

Magis autem hic, & iuuenibus.

HÆc est secunda pars, in qua proponit aliud signum futuri sanguinis fluxus, nõ à re præternaturali, vt sunt prædicta, sed à re naturali, cuiusmodi est ætas, de qua dicit multo magis expectandum esse in tali febre, & cum talibus signis fluxum sanguinis, si æger iuuenis sit triginta annorum, quemadmodum in senioribus hisce potius biliosus vomitus est expectandus. Habet vero vtrumq; hoc satis euidentem rationem, quoniam in ætate iuuenili plus sanguis abundant. Ob quod Hippocrat. 3. aph. loquens de vitiis cuiuslibet ætatis, dicebat, iuuenibus, id est, à decimooctauo anno, vsq; ad trigesimumquintum, fieri sanguinis expuitiones. Ceterum post trigesimum annum, cum iam ætas consistere incipiat, bilis magis abundat imminuente se sanguine. Imo, vt audiuistis, dicebat Gal. ætatem perfectam, siue consistentem esse biliosissimam, ob quod vere nunc minus expectandum sanguinis fluxum, & potius bilis vomitum. Et notandum est, Hippocratem non contentum dicere, potius vomitum esse expectandum, voluit etiam addere, minus expectari debere sanguinis fluxum, quoniam etiam interdum in ætate consistente, vbi prædicta adsunt signa, videtur narium hæmorrhagiæ in acutis, quemadmodum è conuerso etiam in iuuenibus quandoq; fiunt vomitus biliosi, sed plerunq; sanguinis fluxiones à dextra nare, si tensio sit in hypochondrio, & à sinistra, si in sinistro. Natura enim, vt dicit Srephanus, facit id, quod robustus, & peritus sagittarius, qui semper directe ad scopum, non hinc, & inde sagittas pellit; ita enim ipsa, vbi robusta est, nec aliquo impedimento detenta, semper sanguinem per rectitudinem extra propellit. Sed diceris, cur præter signa prædicta sanguinis è naribus fluxuri, proponat Hipp. 1. epi. sect. 2. text. 55. etiam lachrymas spontaneas; & Gal. 3. de crisi oculorum, & genarum rubores, temporum tensiones, pulsus celeres, & contractos, cur nullius hic meminit, sed solum trium prædictorum? Rẽspondeo, vt etiam alias non hæc ita propria, & perpetua, atq; essentialia esse, vt mereantur ab Hippocrate, nunc proponi, quando magis essentialia, & propria duntaxat, proponere intendit.

Natura sagittario similis, semper vitam ferit.

Τοῖσι δὲ παιδίοισι σπασμοί.

Pueris conuulsiones.

INstitutum ab initio fuit Hipp. præcognoscendi, & prædicendi rationem edocere in acutis morbis, quibus, quoniam febres acutę semper coniunguntur, aut saltem plerumq; iccirco de iis agere etiam voluit, qui, quoniam propter symptomata, vel lethales, vel non lethales sunt, ea propter ad præcognoscendos ipsorum euentus

maximi intetest symptomata ipsa speculati, quod paulo ante cœpit Hippoctates facere exorsus à capite, & à capitis dolote, qui omnium aliorum symptomatũ frequentissime exetcet fehticitantes acute. Sed quia Hippoctati studiosissimo breuitatis sufficit in vno vel altero genere symptomatum ingenia lectorum exercere, nec singula nimis prolixe prosequi, proptetea duo tantum contentus fuit ptoponete, altetum particulare, altetum vniuersale. De particulari egit, nempe capitis dolore; modo post dolorem capitis, de conuulsione in præsenti sibi tractandum proposuit. Sed quia hæc vel alicuius partis, vel totins corporis est, potius de vniuetsali, quam de particulati voluit agere; tum, quia sicut inter particularia acutarũ fehtium symptomata frequentius apparet capitis dolor, sic inter vniuersalia conuulsio, vtpote quæ sequitur acutas febres, tum maxime, quia hæc euidentissime ab ipso capite, hoc est, à neruotum principio ducit originem, adeo vt vere dicat Galenus in comment. Hippocratem hic agete de spasmo, seu conuulsione vninersali, prout est symptoma febrium acutarum. Et notandum, loqui de conuulsione, quæ fit in ipsa febte, non post fehrem, nempe quã dicit in Coacis, ratissime fieri in puerulis. Vnde apparet eos decipi, qui putant vtramq; conuulsionem æque fieri in pueris, nimitum ex repletione, & inanitione. Tota autem hæc tractatiuncula duas partes summatim hahet; Vnam, in qua docet præcognoscere futuram in febrib. conuulsionem ab ætate; Altetam, in qua docet breuiter signa præcognoscendæ in spasmo salutis, aut mortis. Prima pars in duas adhuc diuidi potest, in vnam, qua de puerili ætate vsq; ad septimum annum loquitur; alteram, in qua de ętate extra pueritiam setmonem habet. Dicit ergo ptimum puetis spasmi, id est, conuulsiones fiunt, si febtis acuta sit, si aluus nil excernat, si vigilent, si pauoribus tententut, si plorent, & colorem mutent, & vitidem, & liuidum, & tubrum habeant. Atq; hæc potissimum fiunt puetulis vsq; ad septimum annum inclusiue. Atq; hoc est id totum, quod dicit in prima parte primæ pattis, quod etsi videatur manifestum, habet tamen aliquas contemplationes ad vsum prædictotiæ facultatis non parum attinentes, quas vt sigillatim percurtamus Hippoctatis verhotum ordinem sequentes, incipiemus hinc: (Puerulis conuulsiones.) Qui sint παιδία, satis ipsemet Hippocra-
Παιδία qui. tes docet, dum dicit, νεωτάτοισι, & ἐς τὰ ἑπτὰ ἔτεα, id est, recentissimis, seu nuper natis vsque ad septennium. Etenim hoc dicit, ἐκ τῶν ἑτοιμοτάτων, id est, promptissime conuulsionibus vniuetsalibus testari; Quod autem hoc ita sit, etiam idem Hippocrates diserte testatus est tertio aphorismotum, aphorismo vigesimoquinto, vbi circa dẽtiendi tempus infestari puerulos conuulsionibus tradit. Verum dubitatio oritur, cur Hippocrates recensens morbos, eo in tertio aphorismotum puetulorum ante dentitionem, haud commemorat conuulsiones, cum commemoraret pauores, & cum Atistoteles in postremo capite septimo de historia animalium, quasi capiẽs Hippocratis ipsamet verba, suppresso tamen nomine, dicat, pueros dum lactant, rentari connulsionibus, atq; ob ipsas magnam partem puerulorum interire ante octauam diem, ob idq; morem fuisse, ne ipsis ante eam diem nomina imponerentur. Quanquam Plutarchus in Probl. Rom. 102. dicar, pueris nono, & puellis octauo die nomen imponi solitum, quoniam septima dies periculosa est ob vmbilicum, qui tunc cadit plerisq;. Ante enim, ait, similiotem puerum esse plantæ, quam animali. Respondendum est, Hippocratem forsan dimisisse eo in loco conuulsionem, quoniam iis diebus, vt dicit Plutarchus, vix animal est puer; & ob id licet, fiat conuulsio, non animaduertitur, nec euidentia signa ipsius ita apparenr, quemadmodũ circa dentitionis tempus. Porro, quid sit spasmus, & cur pneri eo potissimum ex-
Conuulsio quid. erceantur prioribus annis, breuiter est dicendnm, cum alias fusius hac de re ttactauerimus in lectionibus de puerorum morbis. Est enim conuulsio motus præter na-
Conuulsionis & epilepsiæ differentia. turam, quo membra versus sua principia vertuntur, eo pacto, quo in sanitate.

Conuulsio differt ab epilepsia, quæ est motus totius deprauatus, & à facultate
Causa puerorum conuulsionis. stimulata motricę fit, quod non in conuulsione. Vnde hic in puerulis, non comitialis fit. Causa porro, cur huiusmodi ætas adeo obnoxa sit, cõuulsionib. duplex affert

à Galeno,

à Galeno, altera interna, altera externa. Cauſam internam dicit eſſe natiuam infirmitatem animalis, & præſertim motricis facultatis. Cum enim, inquit, tres ſint facultates noſtrum corpus gubernantes, animalis, vitalis, & naturalis; duas, ait, habere validas, nempe vitalem, & naturalem, tertiam autem infirmam, nimirum animalem, quæ non tantum propria eſſentia, quæ eſt temperamentum, talis eſt, verum etiam ob inſtrumenta, ſ. neruos & muſculos, qui in pueris nimium laxi & humidi, cũ ſint, facile replentur plus iuſto, & conſequenter contractionem, quæ eſt ipſa conuulſio, incurrunt. Cauſa externa multiplex affertur, non modo à Galeno, ſed etiam ab Ariſtotele, loco citato, copia, & praua qualitas lactis, aer frigidus, prauus nutricis victus, & præſertim vini nigri vſus, alui adſtrictio, de qua etiam Hippocrates. Sed oritur hoc in loco dubitatio ex verbis Galeni, qui loquens de facultatibus vitali, & naturali puerulorum, inquit, eas eſſe robuſtiores in ipſis, quam in aliis ætatibus. Attamen lib. 3. de cauſ. pulſ. c. 5. ſcribit, iuuenes habere facultatem pulſatoriam, quæ eſt ipſa vitalis, robuſtiſſimam, & pueros minime habere eam in ſummo robuſtam. Præterea 2. de præſag. expulſ. c. 4. ſermonem habens de pulſibus intermittentibus, qui ſequuntur facultatis vitalis imbecillitatem, ait, in pueris minus periculoſos eſſe intermittentes, quam in iuuenibus, quoniam hanc facultatem pulſatoriam debiliorem habent, vt manifeſta videatur, eſſe contradictio in ipſomet Galeno, niſi dicamus, facultatem vitalem habere duplicem operationem, ſ. caloris natiui per vniuerſum corpus diſtributionem, nec non ipſam arteriarum pulſationem. Atq; quoad primam actionem, eſſe in pueris potentiorem; quo vero ad ſecundam in iuuenibus eſſe validiorem. Et ratio eſt, quia cum pueri ſint calidiſſimi, maximeq; coquãt, id ſit, vt vberrime calorem ipſum à corde toti corpori diſpenſent. Cum vero inſtrumenta pulſationi dicata in iis, vt dictum eſt, infirmiora ſint, ac propterea nequeant arteriæ obſequi, inde fit, vt dicantur, hanc facultatem habere imbecillam, eo pacto, quo dicuntur habere facultatem motricem.

Interna cauſa.

Animalis facultas pueris infirmiſſima.

Externa cauſa.

Vitalis facultas duob. modis conſideratur.

ἢν ὁ πυρετὸς ὀξὺς ᾖ.

Si febris ſit acuta.

NEmini dubium eſt, fieri conuulſionem in pueris, atq; in aliis ętatibus interdum ſine febre, interdum cum febre exigua, & ſymptomatica potius, quam eſſentiali. Sed quia de his non loquitur Hipp. ſed de acuta, ea propter addit, ſi febris ſit acuta. Sed dicet aliquis, ſi acutæ febres à bile, & pueri abundant potius ſanguine, quã bile, quomodo poſſunt ipſi tentari febre acuta? præterea vtrum hæc ſit conuulſio ex inanitione, cui febris atteſtari videtur, an ex plenitudine, cui ætas? Cui reſpondeo, dici febres acutas etiam interdum, quę ſolos vehementiſſimos habent motus, qui eſt character alter morborum acutorum. Vnde cum ſimiles fiant in pueris, non ab re dixit, ſi acuta febris ſit. Et ad aliud dicendum eſt, eſſe potius ex repletione. Etenim licet non diffitear poſſe etiam in pueris fieri conuulſionem ex inanitione, difficile tamẽ induci poſſum, vt credam, æque faciliter vtriq; conuulſioni eſſe expoſitos puerulos, vt putant aliqui, quorum licet ſit diſſipabilis humiditas natura, attamen ob eximiam copiam non facile conſumitur. Quamquam nec inconuenit per accidens, non ratione ætatis fieri bilem in puerulis, cuiuſmodi ſæpe ipſorum excrementa crocea, viridia, & nigra monſtrant.

Acuti morbi nonnunquam dicũtur etiam, quorum motus vehementiſſimus eſt.

καὶ ἡ γαστὴρ μὴ διαχωρέῃ.

Si aluus nihil.

HOc idem dicit Ariſt. 7. de hiſt. anim. vlt. nempe fieri conuulſiones, vbi in pueris aluus conſtiterit. Sed notandum eſt, hanc potius eſſe cauſam, quam ſignum prognoſticum. Eſt enim cauſa, quoniam vbi excrementa alui retinentur, magis vapores craſſi in cerebrum eleuantur, qui deinde coaſſiciunt neruorũ principiũ, ſed quodãmodo eſt ſignũ pgn. quoniã cauſa, ſiue cõcauſa pſens ſemp effectũ pmittit.

Nec quicquam obstat, quod qui conuelluntur, emittant sæpe, & fœces, & vrinam, quoniam id fit summa vi, quam patiuntur instrumenta. Satis est aluo adstricta augeri repletionem. Imo Stephanus ex hac conditione colligit, Hippocratem hic loqui tantum de conuulsione & repletione.

καὶ ἀγρυπνέωσι.

Et vigilent.

Vigiliæ sunt pura signa, nullo modo autem causę, imo cum conuulsio in pueris fiat à repletione, ac vigiliæ suapte natura nimiam humiditatem consumant, vt vigilantes testantur, qui semper exiccantur, potius deberent eam curare, quā producere. Atqui signa prognostica sunt, quoniam pueri, qui alioquin, vt dicebat Aristoteles, maximum vitæ dormire solent, vbi vigilant, signum est, cerebrum ipsorum magis affici, quam liceat ipsis dormire. Quamquam Steph. cum dixisset, in pueris non fieri conuulsionem à siccitate, vidissetq; dubitari posse de vigilia, quæ plane exiccat, & tamen dicit Hippocrates, à vigiliis significari, respondet, vigiliam non modo exiccare, verum etiam humectare; si enim inueniat corpus exinanitum magis exiccat; sin repletum humiditatem eam fundens magis humectat, & humiditatem conseruat.

Vigilia quomodo humectet, & quando.

καὶ ἐκπλαγέωσι.

Terrentur.

Etiam 3. aph. 24. in puerulis nuper natis φόβους fieri, scribit Hippocrates, atque hoc dicit Galenus, esse causas, & tāquam causas signa futuræ conuulsionis; Sunt enim causæ, quia vbi perterrentur, maxima fit in cerebro, & corde agitatio, quæ deinde conuulsioni occasionem præbet. Sed quæstione dignum est, quomodo fiant timores in pueris. Non enim ex insomniis, quibus eos carere ante quartum ætatis annum, perhibet Arist. de hist. animal. Neq; etiam in somnio, quia φόβος, vt scribit Arist. 2. Rhet. est expectatio mali futuri proximi corruptiui; In hac ætate non est imaginatio, neq; expectatio huiusmodi mali, quin potius tunc temporis sunt instar plantarum, vt dicebamus retro. Ita confugiendum est ad ipsummet Hippocratem, qui libro de sacro morbo, tradens modum generationis timoris, & terroris, vult fieri, vbi cerebrum corrumpitur à bile, quę effunditur à corpore in ipsum per venas, atq; tamdiu timorem & terrorem durare, donec à cerebro in corpus redeat idem humor, atq; ita cerebrum quiescit, nempe quod vim magnam in homine habere dicit. Notandum, quod dicit Stephanus, terrorem, vel esse vehementem, vel remissum. Si sit vehemens, ita vt superet sensum, ceu fulmen, & fulgur occidit. Sin remissus, conuulsionem facit.

Perterrefactiones puerorum, vt fiant in somnis.

Puerului sunt veluti plantæ.

καὶ κλαυθμυρίζωσι.

Et plorent.

Ploratum esse effectum quendam corporis totius, vel saltem alicuius partis læsionem magnam, sequentis rei ipsius natura satis docet. Hinc fit, vt vbi terrentur pueri, quia cerebrum molestatur, statim plorent, gemant, & clament. Sic enim Gal. 1. de tuend. valet. narrat, pueros, dum à sordibus teneræ ipsorum carnes lacerantur, flere, & clamare, tuncq; bonum esse, vt mutentur indumenta, atq; id se sæpe fecisse, eiulantesq; pueros demulsisse, & placasse dicit. Vnde si puelluli mutati nihilominus flere pergant; aliaq; signa adsint, futura conuulsio metuenda est, quandoquidem signum est cerebrum violari, eamq; ob molestiam & terreri, & gemere. Sed notandū q; scribit Gal. 3. aph. 24. se deprehendisse hæc pueris interdum euenire ob humores in ventriculo collectos, qui nihilominus possunt facere conuulsionem.

Indusiorum mutatio plorantib. subinde puerulis commoda

καὶ τὸ χρῶμα μεταβάλλωσι.

Colorem mutent.

Mutatio coloris ex ſe nil aliud facit, vt initio libri de humor. docet Hippocrates, quam quod vel prauitatem humorum indicat, qui poſtmodum aut ex ſe ſe, aut medio ſuorum vaporum conuulſionem patiunt, vt liuidus, & viridis, vel copiam ſanguinis, vt color rubeus; Neq; enim abſurdum eſt, ſanguinem nimis in cerebro coaceruatum conuulſioni occaſionem præbere, quam certum eſt, tam à plenitudine, quam ab inanitione fieri, ſicut certum eſt, humores corruptos, atq; in naturam, vel flauæ, vel atræ bilis; Vnde liuor, & viror naſcitur, conuerſos magnam vim cerebro inferre, ſicq; cõuulſioni occaſionem præbere, dum ſcilicet, aut ab ipſis humoribus, aut ab eorum tetris vaporibus, vehementer laceſſitur cerebrum. Quamquam, vt optime dicit Stephanus, pueri ob ingluuiem, & inordinatos motus ingentem copiam accumulant humoris crudi, frigidi, craſſi, quo nerui nutriti, & repleti contrahuntur inſtar chordarum, ſicq; conuulſionem inducunt.

Γίνεται δὲ ταῦτα ἐξ ἑτοιμοτάτου.

Fiunt autem hæc.

Hinc ſecunda particula primæ partis incipit, in qua dicit Hippocrates, puerulis nuperrime natis huiuſmodi ſpaſmum ob prædictas cauſas, & cum prædictis ſignis contingere promptiſſime. Et obſeruandum eſt, admirabilem ſenem non dixiſſe fieri ſpaſmum, ſed fieri ταῦτα, quoniam ſpaſmus vniuerſaliter acceptus fit etiam in aliis ætatibus, ſed hæc, hoc eſt, ſpaſmus cum his dictis ſcilicet vigilia, fletu, alui adſtrictione, terrore, coloris mutatione promptiſſime fit in nuper natis vſq; ad ſeptimum annum, tum quia prædictis paſſionibus huiuſmodi ætas valde ſubiecta eſt, tum quia maxime humida eſt, ac propterea nerui, & muſculi facile ipſis ob largam contrahuntur humiditatem vſq; ad primum ætatis ſeptenatium, poſt quem dein deincipiunt corpora paulatim ſicceſcere ob motus multo maiores, & frequentiores, quos tunc facere incipiunt: ob quod etiam incipiunt magis valere ſapientia, & ratione. Eſt & alia ratio accepta ab Hippocrate, quia tunc perficiuntur dentes, & definit ea agitatio, & moleſtia, ob quam dicit Hippocrates 3. aph. fieri pueris conuulſionem, vt etiam ipſa teſtatur experientia. *Pueri ante ſeptimum annum, cur frequenter ſpaſmatici.*

τὰ δὲ πρεσβύτερα τῶν.

Grandiores autem.

Quod dicit Hippocrates eſt, pueri grandiores, hoc eſt, qui ſeptimum annum exceſſerunt, nec non viros ἄνδρας, non amplius tentari conuulſionibus in febre, niſi aliquod ex ſignis fortiſſimis, & peſſimis adſit, qualia ſolent phreneticis contingere. In Coacis prænotionibus paulo diuerſa hæc ſententia habetur, vbi ſcriptum eſt, eos, qui ſeptem annis prouectiores ſunt, non amplius tentari conuulſione in febre, & ſi tententur eſſe ὀλέθριον, id eſt, mortale. Sed vtrumq; videndum eſt, an verum ſit viros in febribus non tentari; et ſi verum, quæ ſit ratio. Nã vſu, & experientia quotidie comprobamus viros in febribus peſtiferis, & malis citra phrenitidem fieri cõuulſiones, atq; aliquos ſeruari, vt multi ſeruantur pueri. Præterea videndum, cur potius Hippocrates accipit in hoc caſu ſigna peſſima phreneticorum, quam aliarum. Circa primum eſt dicendum, vere viros in febribus non tentari conuulſione, ſed ea, de qua hic loquitur, ſcilicet facta propter repletionem, verum ab ea, quæ fit propter ſiccitatem non raro tentantur. Ad ſiccitatem enim reduco etiam eam, quæ fit à mala qualitate lædente neruorum principiũ, vt de ſingultu dicit Gal. 6. de med. 5. C. Etenim vbi acuta febris progreditur, ſiccãtur corpora & nerui; hocq; maxime contingit in colliquatiuis febrib. in quib. ſolent ægrotãtes moribundi cõuelli ſimili- *Virorum qualis conuulſio.*

similiter in febribus pestiferis ob tetram, & acrem vaporum qualitatem, sed vere nullus euadit, nisi magna fortuna; vt vere dixerit Hippocrates in Coacis, non tentari prouectiores in febribus conuulsione,& si tententur esse mortale. Sic enim dicebat Hippocrates 2. aphor. 26. melius esse febrem succedere conuulsioni, quam conuulsionem febri. Ceterum puerulis, etiamsi febri succedat conuulsio, non est adeo lethale, quia cum ex liquefacto vi febris humore oriatur illa conuulsio, potest à febrili calore,& à robore caloris natiui ea humiditas superari, atq; ita æger euadere. Potest etiam responderi, vera cõuulsione puerulos in febribus magis tentari, viros autem motibus conuulsiuis.

Ad secundum dubium respondendum est, propterea Hippocrates pessimum exemplum à phreniticis sumpsisse, tum quia frequenter contingit, vt phrenitidem sequatur conuulsio ob biliosos succos, & vapores, qui vniuersum cerebrum violãt, ac insaniam, vt dicit Hippocrates libro de sacro morbo, inducunt; tum quia in febribus acutis nil peius est phrenitide, siue eam proprie accipiamus, siue communiter pro omni graui delirio, vt frequentissime capit Hippocrates.

Sunt autem signa pessima, eaq; phrenitidem antecedentia, qualia ab Hipp. retro dicta sunt, vt denudare pedes, iactare crura, & brachia, stridere dentibus, manus ad os apponere, festucas,& floccos carpere, vrinas albas & perspicuas mingere, quæ omnia, dicit Stephanus, vbi apparent in viris cum conuulsione, tunc est sciendum, secuturam esse epilepsiam, apoplexiam, atq; mortem. Nam sunt alia conuulsionis futuræ signa, quę non sunt phrenetica, vt distorsio oculorum, colli peruersio, labrum, aut palpebræ distortæ, albi oculorum in dormientibus apparentia, obmutitio repentina in ebrietate, 5. aph. 5. quæ propterea hic excipiuntur, quoniam non fiunt necessario in febribus, aut si fiunt, semper coniunguntur cum signis phreneticis.

Quærunt hoc in loco nonnulli, quæ sit causa, propter quam magis periculosa est conuulsio ex siccitate, quam ex humiditate, cum neruei sint tẽperamento sicci, atq; ab Hipp. dictum sit 2. aph. 34. in morbis minus periclitari, &c. Sed quicquid ceteri respondeant, magis mihi placet, vt aph. ille intelligatur, tum de morbis eiusdẽ generis, tum de temperamentis eiusdem gradus. Nam compertissimum est, temperamentum esse veluti medium inter duo extrema defectum, s. & excessum positum, atq; extrema non solum esse inter se contraria, verum etiam ipsi medio. Vnde si, exemp. gr. temperamentum nerui sit siccum, vt duo, & conuulsio ex siccitate sit, vt quatuor, plane non dicitur conuenire in gradu, sed potius contraria esse ipsi neruo, cum sit excessus respectu ipsius, qui excessus, cum sit magis actiuus, quam humiditas, quæ secundum Philosophos & Medicos nullius pene est actiuitatis: Hinc fit, vt multo deterior sit conuulsio ex siccitate nimia, quam humiditate; Vtrum autem hæc dum fit à vino nigro, & crasso, vt dicit Arist. fiat à calore, quemadmodũ aliqui putarunt, an quia aqua ardens in ipso cõtineatur, vt imaginatus est Cardanus, puto nugas esse; Fit enim, quia vinum propria natura euaporabile est, ita vt repleat faciliter cerebrum, & neruos; quemadmodum ex somno, qui sequitur, apparet; sic enim inebriat propria quadam natura, non quia calidum, & quia euaporet in caput, cum Hipp. dicat, similiter etiam aromata calefacere, & caput tentare.

σὺν δὲ ἀπολεῖσθαι ὑγιὴς καί.

Perituros.

MIror, cur complures interpretes hic nouum caput faciant, quasi etiam Hipp. nouum instituat sermonem de signis salutis aut mortis. Ego enim sum eius sententiæ, potius hanc esse secundam partem tractationis de conuulsione, in qua non futuræ conuulsionis signa, sed futurę salutis, & mortis in eâ breuiter, & vniuersaliter doceat, tanquam hæc sit ipsius sententia, quod qui iudicare volunt vtrum pueri, sint in conuulsione perituri, nec non debent non tantum spectare prædicta signa, scilicet phrenetica, verum etiam quæcunq; alia retro dicta sunt, dum de morte, aut salute prædicenda doceret.

Addit tot dicta esse de acutis, atq; de iis diuturnis, qui ex acutis fiunt, ex quibus verbis videtur finis impositus tractationi præcedenti. Circa quę verba Stephanus Atheniensis miratur magnum Hippocratis ingenium, qui paucissimis verbis multa præclara sit complexus. Nam cum dixit τεκμαίρεσθαι σημειώσιν, monet τέκμαρσιν, & σημείωσιν esse diuersa, quia τέκμαρσις est significatio facta curatione ex natura ipsius rei; σημείωσις vero significatio, facta ex experientia, quasi dicat, Hippocrates non solum accipienda signa ab ipsa rei natura, sed etiam ab experimentis. Addit etiam, Hippocr. dixisse esse examinanda ἕκαστα ἐφ' ἑκάστοις, vt doceret, non vniuersalibus debere esse contentum eum, qui coniicit, sed etiam particularia debere scrutari, vt fecit ipse dum sputa, vomitus, fœces, vrinas consideraret, quas & in vniuersali, & particulariter contemplabatur. Notat Galenus, & prudenter hoc consilium Hippocratem sæpenumero inculcasse, vt diligenter in prædicenda salute, vel morte ęgrotantium signa cuncta expendantur, bonaq; cum prauis conferantur, quoniam ex neglecta huiusmodi consideratione, Hippocrates interdum merito damnatur, quasi signa mortis dixerit, quibus sępe seruantur ægri, & econtra signa salutis, cum quibus extinguuntur, cum hoc minime verum sit, modo signorum omnium recta fiat comparatio, & vbi valde excedunt salutaria salus; vbi vero exitialia mors prædicatur, vbi autem æqualia sunt, anceps quoq; exitus pronuncietur. Notat similiter Galenus, Hippocratem hoc quoq; sæpius dixisse, nempe se de acutis sermonē facere, atq; de iis diuturnis, qui fiunt ex acutis, quasi auguraretur non defecturos, qui ipsum criminarentur, quod de acutis tractans, meminerit quadragesimæ, & sexagesimæ diei, hydropis, quartanæ febris, quæ omnia ad diuturnos potius, quam acutos morbos pertinent. Etenim valde interest ad certitudinem, atq; firmitatem totius huiusce doctrinæ hoc scire, quidquid dixit Hippocrates, in hoc requirendū esse, non in cunctis morbis, sed in iis tantum, qui vel sunt acuti, vel si diuturni sunt, facti ex acutis sint.

σημειώσις & τέκμαρσιν vt differāt.

χρὴ δὲ τὸν μέλλοντα ὀρθῶς.

Oportet autem eum qui.

Dixerat supra vniuersaliter, Medico circa prædictiones versaturo esse necessarium, vt cuncta signa diligenter consideret. Quæ res, quoniam est maximi momenti, iccirco iterum eam repetens docet, quæ & qualis debeat esse huiusce modi consideratio, nempe quemadmodum iam dixi, vt singula signa, quæ sese offerunt in vnoquoque ægro expendantur, atq; singulorum vis diligenter examinetur, postmodum ipsorum scilicet bonorum, malorum, & neutrorum fiat simul comparatio, siq; maiora sint bona, salus prænuncietur, sin maiora mala mors, sin æqualia, assensus (quod faciebant Pyrrhonici) inhibeatur. Pari pacto faciendum est in ferendo iudicio de breuitate, vel longitudine morborum.

Et notandum est, diuinum Hippocratem dixisse, vim esse expendendam signorum, vt doceret nos, quemadmodum optime admonet Stephanus, haudquaquam numero signorum esse fidendum, sed potentiæ; exempli gratia, an vnum signum sit multum exitiale, an parum, an maxime, similiter & salutare; siquidem ad faciendam certam præcognitionem, sæpe signum vnum plus valet, quam duo vel tria, aut etiam plura contraria; exempli gratia, optimus pulsus, & optima respiratio cum prauis vrinis, atq; fœcibus, aliisq; malis signis; & tamen plus valet minor numerus in certitudine facienda, quam maior. Idem quoq; dicendum de malis, quoniam si pulsus deterrimus sit cum festucarum collectione, bonæ autem sint vrinæ, fœces, bonaq; appetentia, certe ad iudicium pessimum faciendum plus valebunt exigua numero, sed potentiora, quam plura minus potētia. Vt autem vis horum signorum determinari queat, dicit Galenus, attendenda esse verba Hippocratis, quia, vbi dicit σωτήριον, vel κάρτα μεγάλην δύναμιν, ὡς σωτηρίαν ἔχον, magna differentia est, quo ad vim significandi, quemadmodum etiam non exigua est differentia,

vbi

vbi dicit θανατῶδες, vel θανατωδέστερον, vel ὀλέθριον κάρτα. Etenim ex huiusmodi signorum diuersorum comparatione tria sequuntur, vt, quod præter rationem fit, cognoscamus, secundo, vt non miremur, tertio, vt consideremus, causamque perquiramus, cur factum sit, & quid significet; Galenus præclarum quendam tradit canonem, in præcognitionis habitu comparando vtilissimum, atq; maxime necessarium; & est, vbi recte natura morbi fuerit cognita, & constet quæ facultas, & quantum sit læsa, bonaq; signa plurima appatuerint, etiamsi aliquod grauissimum, & periculosissimum signum superueniat, haud Medicum debere terreri, sed vel crisim futuram esse prædicendum, vel illud symptoma, aut affuisse ægro etiam ante morbum, aut esse illi consuetum, in qua re sibi magnam existimationem comparasse longo, vt solet sæpenumero, sermone gloriatur.

Et certe Hippocrates minime nos fallit, quando dicit in præsenti contextu, consideranda, & simul conferenda esse signa, quęcunque apparent circa ægrotantes, prout retro præscriptum est, quoniam si cuncta ab illo præscripta considerentur, nihil plane videtur intactum reliquisse, quod facere possit ad artem prædicendi exacte acquirendam, siue signa ab actionibus omnibus læsis, siue ab excrementis, siue à qualitatibus mutatis capienda sint.

Signorum diuersi scopi. Præterea notandum est, alia esse, vt audiuistis, signa, quæ salutem, aut mortem significant, vt decubitus, respiratio; alia, quæ coctionem, & cruditatem, vt vrinæ, fœces, sputa, pulsus; inter quos signorum ordines, haud exigua intercedit differentia.

Nam in signis salutis, aut mortis hæc postrema certiora sunt prioribus, in aliis contra; siquidem quæ indicant coctionem multo certius promittunt salutem, quã cruditatis signa interitum; & ratio omnium horum est, quoniam ad mortem inducendam sufficit vna facultas egregia læsa. Salus vero non sequitur, nisi cunctis bene sese habentibus. In aliis signis contra, vbi coctio adest, necessario sequitur salus.

Dicebat enim Hippocrates in epidem. coctionem esse securitatis signum, & celeritatis iudicii. At cruditas non necessario mortem significat, quandoquidem materia cruda, quandoque à natura aut foras pellitur, aut à loco ad locum transmutatur, ac abscessus facit, sic æger seruatur.

Sed video aliquem esse dubitaturum, quomodo pulsum inter signa coctionis & cruditatis posuerim, cum potius collocandus videatur inter signa salutis, aut mortis; siquidem coctio & cruditas, cum sint humorum passiones, haudquaquam possunt iudicari nisi ab iis, quæ ab ipsis humoribus exeunt.

Certe Galenus in libro nono meth. capite quinto, statuit etiam pulsus inter signa, quibus cognoscitur coctio; Verum per accidens tantum hoc fit, hoc scilicet modo, quoniam vbi coctio iam peracta est, calor natiuus iam tranquillior redditus, ac febrilis imminutus faciunt, vt minor sit necessitas euentationis, ac facultas pulsatrix validior; vnde qui pulsus antea in materia cruda inęqualis erat, & valde perturbatus, vbi æqualis sit, & ad tranquillitatem redit, significat coctionem iam esse consummatam. Vnde hac ratione dici iure potest, pulsum esse quoque inter signa coctionis, & cruditatis per accidens, quemadmodum per se esse dicitur inter signa salutis, aut mortis.

Veruntamen ab Hippocrate neq; hic, neque vspiam alibi pulsus arteriarum, tanqnam signi mentionem vllam fecisse videtur, qua in re certe Galenus ipsum superauit, quoniam cognitioni ex caloris natura, & respiratione commemoratæ, & vsurpatæ ab Hippocrate addidit hanc ex pulsibus non parum vtilem, atq; commodam, tum ad cognoscendum robur, vel imbecillitatem facultatis vitalis; & proinde caloris natiui, merito cuius Medicus detrahit, vel dat cibum ægrotantibus; tum ad cognoscenda febrium tempora, merito cuius cognitionis omnis medici operatio dirigitur, tam in diætetico genere, quam in aliis duobus: tum ad cognoscendam morbi

In pulsuum notione Galenus Hippocratem superauit.

morbi saltem genericam sedem; exempli gratia, quando ex duritie pulsus comprehendimus laborare neruosas partes, & ex mollitie viscus aliquod molle.

χρὴ δὲ καὶ τὰς φορὰς τῶν.

Quin & impetus morborum.

POstquam totam pene artem præcognoscendi in particularibus tradidit nobis, quasi eam in epilogum quendam redigens, nil omittere voluit magnus Hippocrates, quod faceret ad eam præcognitionem exacte tradendam. Eapropter antea quomodo sese circa signa ipsa, quæ intus capiuntur, seu ab internis gerere debeat, compendiose dixit: Nunc autem pergit docere, quomodo debeat versari in eis etiam, quæ ab externis sumuntur. Et nunc dicit, medicum præcogniturum, & prædicturum, debere etiam diligenter considerare, tum morbos grassantes, tum temporis ipsius constitutiones; Quæ verba licet exigua sint, habent tamen insignem quandam efficaciam, merito cuius merentur, vt à nobis diligenter expendantur.

Dicit ergo primo, Oportet, χρὴ, vt nos doceat, non modo vtilem esse, verum etiam necessariam considerationem, & morborum vagantium, & constitutionis temporis, id quod etiam tertio aphorismorum, necnon in libro de aer. aquis & loc. Etenim, vt dicit Hippocrates, solent vagari quædam communia morborum genera; quæ si animaduerrantur maxime instruunt Medicum, non modo ad ferendum iudicium, verum etiam ad cognitionem ipsam morborum assequendam: Similiter dicebat Hippocrates tertio aphorism. omni tempore omnes morbos fieri, aliquos tamen in vno magis, aliquos in alio, vt ob hoc mirum, quantum cognitio ipsorum temporum conferat ad comparandam naturæ morborum cognitionem. Itaque sapienter Hippocrates noster dicit (oportet.) Addit φορὰς τῶν νοσημάτων ἀεὶ ἐπιδημεόντων, id est, impetus morborum. Vbi quæstione dignum est, cur non dicit, considerandum esse morbos grassantes, sed impetus morborum populariter vagantium. Galenus, & recte notat Hippocratem diuersis in locis de morbis populariter grassantibus esse locutum. Nam in tertio aphorismorum de ipsis vniuersaliter, & per capita sermonem habuisse; in libris autem Epidem. peculiariter eos fuisse prosecutum.

Quod autem nunc dicit illud tantum est, vt qui recte vult prædicere præter signa iam indicata, non tantum spectet ipsos morbos vagantes, verum ipsorum etiam fertilitatem, & exitum, (sic enim puto significare vocem φορὰ.)

Etenim si initio quispiam papulis rubeis teneatur, videndum, an vagentur perecchiæ, an variolæ, & an sint salutares, an lethales. Si enim passim variolas vagari obseruabitis, poteritis prædicere futuras variolas; quod mihi contigit hac æstate Florentiæ in nobilissima virgine, contra opinionem alterius Medici, atq; ipsius parentis.

Pariter si erunt salubres grassantes, vel exitiales, ita quoque æque poteritis iudicare.

Et quod dico de maculis, idem quoque statuendum est, & de aliis morborum generibus, ad quos recte prædicendos, & indicandos, mirum in modum valet ipsorum morborum epidemicorum fertilitatis, & naturæ consideratio.

Sic quoque potest dici de anni, temporisq;, & præsentibus, & præteritis constitutionibus, quemadmodum copiose satis in commentario docet Galenus. Quod enim, exempli gratia, morbi aliqui videantur, non in magna copia vagari, haud certa inde fieri potest præcognitio: Sed quando aer fœcundus est, & ferax eorum, ita vt maior pars morborum eiusdem generis sit, tunc firmum aliquod iudicium ferri potest, ita vt non modo de euentu præcognoscere valeat, verum etiam præcognoscens genus futuri morbi facilius, atq; tutius sese curationi instituendæ accommodare potest.

Ταχέως ἐνθυμεῖσθαι τὴν
Celeriter considerare.

Dicit, celeriter considerandum esse, quoniam post alia signa animaduersa, & examinata, si Medicus adhuc sit dubius, tum de natura ægritudinis, tum maxime de euentu, statim considerandi sunt morbi vagantes, & temporis præsens constitutio, à quibus omne dubium tolletur. Exempli gratia, si Medicus ad febricitantem vocetur, sibiq; nondum febris genus sit perspectum, & idæa, animaduertet tempus, quia si æstas, & constitutio calida sit, febrem biliosam putare conueniet. Quod si animaduertetur vagari aut tertianas, aut ardentes, talem quoq; futuram, quæ præ manibus habetur, febrem existimare decebit, quodque de febribus dico, idem quoque de ceteris morbis oportet existimare.

Sic quoque Hippocrates sexto epidem. sectione octaua, dicebat, morborum populariter vagantium modos esse considerandos.

Quod enim hic dicit φορὰ, ibi dicit τρόποι; & quod hic dicit temporis constitutiones, ibi explicatissime, & fusissime dicit, omnes temporis, & præteriti, & præsentis constitutiones esse spectandas.

Εὖ μέντοι χρὴ εἰδέναι.
Probe autem oportet.

Pergit Hippocrates repetere, quæ alias dixit de consideratione exacta, quam debet Medicus habere circa signa certa, & minus certa. Sunt autem, quæ breui hac sententia dicit duo vnum est, quod Medicus bene noscere debet de coniecturis certis, & signis, hoc est, quæ sint τεκμήρια, & quæ σημεῖα. Aliud est, quod nec ignorare debet, scilicet in omni anno, & omni tempore mala malum, & bona bonum significare.

Et circa primum sciendum, non absque ratione Hippocratem hisce duabus vocibus esse vsum, scilicet τεκμηρίοις, & σημείοις, quoniam vt optime interpretatur Stephanus nil aliud velit docere, quam Medicum debere simul esse dogmaticum, & empyricum, hoc est, debere vti, & ratione, quæ τεκμηρίοις agit, & experientia, quæ σημείοις vtitur: Et nisi sciat, quæ signa sint certiora, & quæ minus certa, plane nec ipse rectum iudicium facere poterit.

Medicus bonus, simul dogmaticus & empyricus esto.

τεκμήρια quid, & q͂d σημεῖα.

Sunt enim τεκμήρια, vt alias dixi ex Stephano, indicia, quæ rationem habent coniunctam; σημεῖα vero indicia sunt ex sola experientia inuenta, & propterea minus prioribus firma. Verum, vt melius intelligatis, & quæ dicit Aristoteles primo Rheth. capite secundo, & quæ dicit Galenus in præsenti commentario. Sciendum est, nomina ipsa differentia differentibus quoque rebus accommodati. Vnde cum duæ sint res, circa quas versantur Medici, & Rhetores, nempe aliæ necessariæ, aliæ vt plurimum contingentes, siue aliæ, quæ ex rationali consequutione, alię quæ ex obseruatione empyrica comprehenduntur, in prioribus vsi sunt priore appellatione τεκμηρίων, quæ sunt veluti demonstrationes quædam, siue scientificæ, siue probabiles, & proprie apud Medicos vocantur ἐνδείξεις, id est, indicationes. In posterioribus autem vsurpant vocem σημείων, id est, signorum. Hæc itaque omnia debere Medicum pro assequendo prognosticæ artis habitu probe cognoscere compertissimum; quoniam si signa accipiat pro certis indiciis, vel econtra accipiat certa indicia pro signis, plane falletur non modo in iudicio faciendo, verum etiam in curatione proponenda; adeo vt prudenter dixerit Hippocrates, Medicum non noscere tantum, sed bene noscere hæc oportere.

Circa aliud, scilicet quod Medicus debeat scire omni tempore, & omni anno bona signa bonum, & mala significare malum, dicit Galenus, indigere consideratione. Est autem consideratio, quæ debet haberi hæc, vt sciatur, quæcunq; naturaliter talia sunt, vbiq; & semper esse talia; vnde signa, quæ naturaliter sunt bona, quolibet

libet anno, & quolibet in loco bona ſunt, quemadmodum & mala. Sunt autem excrementa mutata, ſiue ſint vrinæ, ſiue fœces, ſiue ſputa; nec non etiam qualitates mutatæ; quæ omnia vocantur ſecundaria ſymptomata à Galeno; quemadmodum & actiones læſæ, vt ſpiratio, & delirium, cum ſint ſymptomata primaria, mutationē recipiunt, ita vt non ſemper, nec vbique eadem ſint, ſed interdum eueniunt ratione criſis, tuncque bona ſunt, interdum vero ſunt mere ſymptomatica, adeo vt interdum bona ſint, interdum vero mala, de quibus loquens Hippocrates ſecundo aphoriſmorum, dicebat iis, qui præter rationem alleuiantur, non eſſe fidendum, neque admodum formidanda mala, quæ præter rationem eueniunt. Eſt itaque hoc verum, bona ſigna ſemper & vbique bona eſſe, ſicut mala, mala.

Sed tamen negari non poteſt, quin aliquando euarient ratione temporis, aut ætatis, aut regionis, &c. Sed illa variatio non eſt ſecundum genus, ſed tantummodo ſecundum magis & minus.

ἔτι καὶ ἐν Λιβύῃ, καὶ ἐν.

Cum & in Libya.

QVia dixerat Hippocrates, bona ſigna bona eſſe, poterat aliquis hærere, quod hoc intelligatur de tempore, non autem de locis, quia cum loci, regiones, & aeres maxime permutet temperamenta, facile eſt videre, quæ in vno clymate ſunt bona, non eſſe ſtatim, & in altero talia. Sic enim Auerrh. quarto collig. 43. dicit, in ſua regione verum fuiſſe, quod in febre acuta ictérus ante ſeptimam apparens, ſit malus, non autem ita eſſe in aliis regionibus. Sic dicit Alexand. in Problem. primo, libro ſeptuageſimoſeptimo, febres in Æthiopia eſſe deteriores, quam in aliis regionibus. Vnde multi Medici, vt excuſent errores ſuos, quod Hippocratis & Galeni præcepta non ſeruent, dicere ſolent, aliud fuiſſe mederi tempore, & in regionibus illorum, aliud vero eſſe mederi hoc tempore, & in regionibus noſtris.

Signa ſi mutantur ſaltē ſecundum magis & minus, non iuxta genus mutantur.

His ergo, & ſimilibus aliis argumentis reſpondet Hippocrates, non eſſe verum, quod ſigna adeo varientur à locis, & regionibus, quoniam quæ bona ſunt in Libya, eadem etiam ſunt in Dilo, atq; in Scythia. Mouet dubium Stephanus, cur Hippocrates breuitatis ſtudioſiſſimus, voluerit apponere loca particularia, cum recto potuerit dicere in omni loco, & in omni tempore eadem eſſe, quæ vniuerſalia ſufficere ſibi debeant. Galenus autem, qui vidit difficultatem, videtur tantum reprehendere Hippocratem. Sed Stephanus reſpondet, Hippocratem voluiſſe occurrere dubitationi, quæ contra ſe proponi poterat, ſcilicet non poſſe eſſe, verum vt eadem in calida, atque frigida regione bona ſint, atque mala. Nam dicens Libyam, Dilum, & Scythiam, monſtrat hæc vera eſſe, tam in calidiſſima, vt Libya, quam in frigidiſſima, vt Scythia, & quam in temperata, vt Dilo. Etenim vt apud omnes compertiſſimum, Libyam eſſe calidiſſimam regionem, atq; Scythiam frigidam, ſic Dilum eſſe regionem maxime temperatam, antiquitas ſemper credidit. Hæc enim, vt eſt apud Plinium libro quarto, capite duodecimo, ſic appellata eſt, ſecundum Ariſtotelem, quoniam repente nata eſt. Eſt enim Cycladum media olim templo Apollinis, & mercatu celebratiſſima, cuius Apollinis templi fundamenta carbonibus eſſe ſtrata ob humiditatem, narrat Vitruuius, & D. Auguſtinus.

Quæ etiam diu fluctuata terræ motum non ſenſit, vſque ad Varronis tempora. Adhæc Hippocrates voluit explicare loca particularia, quia etiam ipſe in iis fuerat verſatus, atque talia expertus.

Cumque eſſent loca admodum diſſentanea ſitu, varias formas animalium, & hominum varios colores, & mores producant, certo colligi poteſt, ſi in iis bona ſigna, bonum ſignificant, & contra multo magis, id verum eſſet in omnibus aliis locis.

Sed hoc in loco oritur alia non inutilis dubitatio; Vtrum ſit verum ſignum bonum, vel malum ſemper, & vbique tale eſſe. Nam vrina nigra, & fœces nigræ in

principio ſemper malæ ſunt, vt in quartana, in morbis melancholicis, non ita malæ ſunt, & præſertim declinante iam morbo.

Præterea vrinæ bonæ in peſtilentibus non ſemper bonæ ſunt, imo vti, ait Auicenna, vrinæ ſunt bonæ, attamen æger tendit ad mortem.

Dicendum eſt dupliciter, vno modo, Hippocratem non dixiſſe, mala ſigna ſimpliciter eſſe mala, & bona bona, ſed duntaxat in omni anno, omni tempore, & in omni loco; adeo vt ratione loci, temporis, & anni ſigna nunquam mutentur.

Vel dicendum eſt de vrinis nigris, & fœcibus per ſe ſemper eſſe malas, per accidens vero eſſe bonas, quatenus ſcilicet contingit iis euacuari noxiam, & morbificam materiam.

De vrinis vero bonis, in peſtilenti febre, dicendum eſt, aut eas non eſſe vere bonas, ſed ſolum tales apparere, quod præ magnitudine & prauitate morbi vrinæ minus malæ videantur bonæ; Aut dicendum eſt, vrinas non eſſe in peſtilenti febre vllo modo ſigna, ſcilicet nec bona, nec mala, quoniam morbus & venenum haudquaquam eſt in venis, quarum ſigna ſunt vrinæ, ſed potius circa cor, aliaq; viſcera præcipua, quorum ſtatus, aut vllo modo, aut parum cognoſcitur ex ipſis vrinis.

ἐξ ὧν χρὴ εἰδέναι.

Recte vero ſcire oportet.

In prognoſi nunquam aberrare, res diuina eſt.

QVæ modo Hippocrates adiicit, ſunt fere explicatiua præcedentis ſententiæ; aliqua tamen Galenus dicit, quæ non ſunt obliuioni mandanda, ſcilicet vetum artificem rariſſime in præcognoſcendo aberrare. Nunquam vero errare potius rē diuinam eſſe, quam humanam; quemadmodum etiam dicebat ſecundo de med. local. de Archigene, ſicut qui multum errat, multum quoq; ab ipſa arte videtur abeſſe.

Itaq; quod modo dicit Hippocrates, eſt. In prædictis regionibus poſſe Medicum in prædicendo ſæpe verum attingere, modo vim ſignorum intelligat, ipſaq; inter ſeſe diſtinguere ſciat. Et dicit Hippocrates, ſi ediſcens ipſa iudicare, atq; expendere ſciat, quoniam non modo in præcognitione, verum etiam in curatione recte inſtituenda opus eſt Medico doctrina, quæ facit memoriam, atq; ratiocinatione, & diſcurſu; vt id præciſe fit, quod alias ſæpenumero dixit Galenus, ipſam medendi artem duobus potiſſimum conſtare experientia, quæ fit ex multis memoriis, vt perhibet Ariſtoteles, & quæ eſt ipſa Hippocratis obſeruationum excellentia, nec non ratione.

Ars medendi ratione conſtat & experientia.

Ποθέειν δὲ χρὴ οὐδενός.

Deſiderare autem.

COncludit Hippocrates, nullius morbi, ſcilicet acuti, nomen deſiderare oportere, quod hoc in libro non ſit ſcriptum; ſiquidem omnes, qui iudicantur prædictis temporibus, ex iiſdem ſignis cognoſcuntur. Itaque tota hæc ſententia in duas partes diuidi poteſt; vnā, in qua concluſionem affert; alterā, in qua rationem concluſionis proponit. Circa primam ſcil. quod nullius morbi nomen oporteat deſiderare, quod hoc in libro non ſit ſcriptū, valde videtur dubitabile. Imo, vt dicit Gal. falſum, quoniam vt ſignificat Galen. quanquam conſtet Hipp. hoc in libro tractaſſe, rum de omnibus acutis, tum etiam de iis, qui ſiunt ex acutis, tamen aliquos quidem nominauit, aliquos vero abſq; nomine ſubinſinuauit. Verum reſpondendum eſt, id temere; & abſq; cauſa non factitaſſe, quoniam cum eſſent quidam morbi, qui ſeparata, & peculiari egebant doctrina, vt nominarentur neceſſe fuit; aliqua vero prætermiſſa ſunt nomina, quæ ſub communib. ſignis caderent. Exempli gr. etſi non meminerit, vt ait Stephanus. Hippocrates ſynochi, & febris ardentis nominatim, eas tamen complexus eſt ſub illis, qui temporibus in hoc libro prædictis iudicantur, exempli

exempli gratia, cum Hippocrates meminit morborum, qui quarta, vel septima die iudicatur, sane sub iis cōtinētur etiam synochus, & ardens, quarum altera die quarta, altera vero septima iudicantur. Pari pacto, quod initio dixit, faciem mortuosam esse exitialem, similiter & alia signa exitialia in omnibus acutis, qui prędictis temporibus iudicantur, verissima semper inneniuntur. Et quod Stephanus dicit, non fuisse expediens, vt Hippocrates singulorum morborum nomina recenseret, quoniam eadem non sunt apud omnes gentes, cum aliter vocent Scythæ, aliter Germani, aliter Indi, admodum veritati consonat; siquidem signa apud omnes populos eadem sunt, quocirca communibus signis morbos omnes complecti absque nomine multo securius, & rationabilius est, quā singulos nominatim, quum etiam apud omnes signa communia sint eadem. Et verissimum quoq; illud est, quod dicit Hippocrates, pro conclusione scilicet, quæ morborum genera iudicantur omnia etiam iisdem signis cognosci: quasi concludens vniuersam tractationem dicat, de signis prognosticis omnium acutorum, & eorum, qui ex acutis fiunt, satis egimus, quia cum tempora, quibus iudicantur morbi omnes similes tractauerimus, & quæ iudicantur iisdem temporibus, iisdem quoq; signis prænoscantur, & diiudicentur. Sequitur, vt cum sit de temporibus tractatum, simul etiam de cunctis signis, si non explicite, saltem implicite fuerit tractatum. Ac propterea absoluta sit tota de prognosticatione doctrina. Qui certe liber, vt in senectute factus, omnibus quos habemus perfectior à multis existimatus sit.

Morborum apud varios varia nomina.

Libri huius commendatio.

F I N I S.





HIERONYMI MERCVRIALIS FOROLIVIENSIS, MEDICINAM PISIS loco supraordinario vocato profitentis,

PISANÆ PRÆLECTIONES IN HIPPOCRATIS LIBROS Prorrheticorum.



Vm iam prognosticorum explicationem Dei benignitate ad finem perduxerimus, adhucq; tempus aliquod lectionibus aliis relinquatur: congruum esse putaui, Prorrheticorum expositionem adiungere; tū quia eadem pene materia est, & propterea quasi certā cúm iam enarratis connexionem habet; tum quia etiam ipse Galenus, post commentaria Prognosticorum subiunxit Prorrheticorum interpretationem. Ergo à titulo libri recte auspicabimur, qui est Ἱπποκράτους προῤῥητικῶν. Quod pertinet ad Auctorem, plane videtur, esse opus illius magni Hippocratis, qui Prognostica edidit, si titulum spectemus, atq; Celii Aureliani auctoritatem, hunc librum, vt Hippocraticum citantis. Verum Galenus, & in commentar. huius libri sæpe, & tertio epidem. comment. 2. text. 1. negat ad Hippocratem esse referendum; quod in ipso multa falsa, & Hippocratis ingenio minime digna inueniantur; neq; dictio eadem, quæ Prognosticorum sit. Verum, quia etiam multa sunt in ipso bona, & vsui artis admodum conducentia; & Galenus 3. de diff. resp. 1. pollicitus est, se etiam auctoritate spuriorum Hippocratis librorum vsurum; haudquaquam despiciendum esse duco, præsertim quod Galenus luculentissima in hunc librum edidit commentaria. Et ipse ita semper sensi, nullum veterum esse contemnendum librum, quod eo tempore ad scribendum nemo sese traderet, nisi qui aliqua experientia, ingenio, & doctrina valeret. Et quanquam, vt narrat Galenus, tempore Ptolomæi, complures lucri cupiditate incensi libris prauis nomina sapientum auctorum apponerent, vt facilius à Rege præmia consequerentur; credibile tamen est, eum haud facilem fuisse ad recipiendos quoslibet libros, eosq; magno pretio coemendos, quin prius viris doctis, & iudicio præditis, quos apud se plurimos alebat, videndos diligenter, atq; iudicandos consignasset.

An liber hic Hippocrat. nec ne.

Cur veterū scriptorum nullus temnendus. Ptolomæi tēpore multi libri spuriis nominibus editi.

Itaq; videre potestis, quæ me ratio impulerit, & persuaserit, vt quod est reliquum tempus huius anni, lectionem in huius libri interpretatione insumamus.

Iam vero, quid significet hæc vox, Prorrheticum, quid in libro contineatur, & quis illius doctrinæ ordo sit, breuiter est perspiciendum. Πρόῤῥησις, latine sonat prædi-

prędictionem. Cicero autem secundo de diuin. vertit prædicta. προῤῥητικὸν autem significat, vel facultatem prędicendi, vel librum, in quo prædicendi ars continetur. Herophilus, auctor celeberrimus, cuius schola Tharsis, & secta fuit, quiq; vt ait Tertullianus, septingenta hominum cadauera secuit, vt hominem cognosceret, solebat discernere inter præcognitionem, & prædictionem, quod scilicet præcognitio est firma; prædictio vero, quid incertum. Sed nil valet, quandoqnidem, & prædicere, & præcognoscere solemus tam incerta, quam certa, vt est de ventis, imbribus, æstibus, de quibus præcognoscendis, & prædicendis Theophrastus & Aratus scripsերunt. Quanquam de illis modo exacte, & firmæ, modo instabiles, & incertæ sint, tũ præcognitiones, tum prædictiones.

προῤῥησις & προῤῥητικὸν quid significent.

Herophilus 700. humana cadauera secuit.

Itaq; verum illud est, inter prædictionem & præcognitionem differre tantum, quod præcognitio sit in ipsa anima, prædictio in voce aliis communicata; & sicuti nil prædici potest, quin prius sit in anima, quoniam vt Aristoteles ait libro περὶ ἑρμηνείας, ea, quæ sunt in voce, sunt eorum, quæ in animo sunt, notæ: sic nil iuuat ad artẽ, & exercitationem artis aliquid præcognoscere, nisi prædicatur aliis. Scire tuum nil est, dicebat ille Poeta, nisi te scire hoc sciat alter. Sed quęret statim aliquis, si ergo idem est prædicere, atq; præcognoscere; ad quid ergo hi duo libri separati? Ad q; dupliciter respondere licet; Vno modo diuersos fuisse auctores, & ob id non mirũ esse, si diuersi quoq; sint tituli; ita enim compertissimum est, sæpe auctores de vna eademq; re tractantes, diuersas tamen facere inscriptiones.

Præcognitio & prædictio vt differãt.

Vel dicendum est, si hæc doctrina sit Hippoctatica diuersis temporibus, & diuerso modo eam fuisse ab ipso tractatam. Nam iunior ex longis obseruationibus tractationem, confuso quodam modo consarcinauit, vt etiam libros epidemiorũ, ex quibus postmodum senior, & maioris iudicii factus in meliorem formam, atque ordinem redegit, sicq; etiam aphorismorum, & prognosticorum libros construxit.

Hippocrates quæ iunior scripsit, senior elimauit.

Vnde patet, doctrinam totam huius libri, ex puris obseruationibus fuisse cõditam; Attamen haudquaquam esse puram empyricam, sed rationem etiam in plurimis habere; quamquam etiam in nonnullis, vt optime notat Galenus, nulla penitus appareat ratio, ac propterea veritas etiam minus eluceat.

Hinc quoq; apparet minime in hoc libro esse requirendum ordinem, quia si in libris prognosticorum, qui multo magis elaborati sunt non certus, atq; constans sententiarum ordo apparet, vt monstrauimus suo loco, multo minus in hoc, qui ex diuturnis obseruationibus diuersis temporibus adnotatis factus est, vllum rectum ordinem expectare oportet.

Igitur his paulisper prænarratis iam ad ipsarum sententiarum interpretationem accedendum est, in qua facienda ordinem mihi iam in prognosticis propositum non deseram, vt scilicet sententiam auctoris proferam, verba expendam, contemplationes addam, quæq; ad vsum artis faciunt, consequenter edoceam. Dicit igitur Hippocrates primo.

Οἱ κωματώδεες ἐν ἀρχῇσι.

Comatosi in principiis.

HÆc sententia habetur etiam in Coacis, sed in eo potissimum diuersa à Galeno etiam notata, quod voci φρενιτικοὶ, non additur verbum εἰσὶν, vt hic, quę res facit nonnihil sententiam variare; siquidem si addatur, sententia est, eos, qui comatosi &c. dubitari; an sint phrenitici; sin vero non addatur, sententia est, dubitari, an euasuri sint phrenitici. Verum, vt quod scribit auctor, melius à vobis percipiatur, tota præsens sententia in duas partes secatur: Prior est hæc; Comatosi in principio morbi cum dolore capitis, lumborum, hypochondrii, colli, num phrenitici sunt.

Pro cuius explicatione sciendum est breuiter, quid Hippocrates vocet coma, & quid phrenitim. De Comate librum peculiarem habetis Galeni, in quo diligenter totam affectus naturam explicauit: Est enim proprie Coma, delatio, seu ingẽs

Coma quid.

 in-

Phrenitis quid. in somnum propensio, quæ fit, vbi cerebrum à pituita vehementer irrigatur: phrenitis vero apud Hippocratem, interdum significat delirium vehemens ex ebullitione bilis, seu sanguinis biliosi in cerebro; sæpius autem significat quodlibet delirium ingens cum febre, ad differentiam maniæ, quæ & ipsa magnum delirium est, at sine febre, quo in significato nunc accipi ab Hippocrate, iure putat Galenus. Quod igitur vult dicere Hippocrates, est, vbi ægri in principio deferuntur in somnum cum prædictarum partium dolore, & vigiliis, dubitandum esse vtrum simul delirent, vel quemadmodum in Coacis legitur, vtrum phrenitis sint euasuri, aut deliraturi. Vtra enim sententia eligatur potest Hippocratis menti conuenire. Sed ea sunt quærenda, cur Hippocrates dixerit (in principio) cur apposuerit dolores illos, & quomodo possit quispiam simul inclinare ad somnum, atq; vigilare.

Circa primum sciendum est, Coma esse symptoma læsæ imaginationis, in qua sicut fit somnus naturalis, vt Galenus 2. de motu musculorum, sic etiam fit præternaturalis. Quia vere læditur omnis actio tripliciter in comate læsa est diminute, sicut in caro ablate. Quia vero omnis actio læsa dependet ab aliquo morbo, ideo triplici quoq; de causa fieri solet, aut valde cerebro à pituita irrigato, vel resoluto; aut à nimio calore febrili refrigerato. Hæ duæ causæ nequeunt esse in morbi initio, sed in progressu tantum, vnde vt doceret, se intelligere de comate, quod fit humectato nimium cerebro apposuit particulam in principio.

Cæterum de aliis doloribus, scilicet capitis, lumborum, & hypochondrii, & colli, addidit Hippocrates, quoniam vere, vbi pituita est in cerebro, quæ faciat statim ad somnum propensionem, necesse est, vt valde copiosa sit. Pituita vero copiosa extensione membranarum facit dolorem; defluens in collum per spinalem medullam facit non modo ipsius colli, verum etiam lumborum dolorem, sicut etiam ad hypochondria delabens, ibiq; extensionem faciens dolori præstat occasionem. Atqui dubitabit aliquis, quomodo Medicus possit de his doloribus fieri certior, cũ vnus æger possit relatu dolorem Medico significare, atq; in comate sit adeo sepultus, vt nequeat dolorem percipere, nedum inferre.

Morborum principium triplex. Ad quod dupliciter respondetur: vno modo, principium triplex esse, primum insultum, primos tres dies, totum tempus cruditatis. Atq; sic loquitur de principio late accepto, vt dicit Galenus, & consequenter de doloribus, qui inchoant ante comatis accessum: vel, si loquatur de primo insultu, dicendum est non de comate somniculoso loqui, sed de vigili, in quo scilicet conniuent oculi, vt in soporoso. At imaginatio non ita est imminuta, quin possit, & dolores sentire, & de iis conqueri. Iam vero quomodo possint ægri simul & vigilare, & in somnum decidere disertè admodum Galenus declarat. Nam & in sanis corporibus nonnullas fieri ab hominibus dormientibus actiones, quæ à vigilantibus fiunt, & Arist. 5. lib. de gener. anim. ca. 1. & Galenus exemp. sui ipsiusmet satis declararunt. In ægris interdum vsu venit, vt humor biliosus in cerebro exuberet, interdum pituita, interdum vero vterq; humor ex æquo. Si bilis imperium maius sit, fiunt phrenitides vtræq; si pituita siue putredine coma soporosum; aut lethargus si cum putredine, sin vero vterq; humor æqualiter abundet; sicq; inter sese veluti concertent, fit affectus mixtus, qui appellatur coma vigil, quando scilicet conniuent quidem oculi, vt in soporoso, at non ita sepultus est animus, quemadmodum si simul, & lethargus, & phrenitis fiant, oritur alter affectus, qui typhomania, seu typhlomania vocatur à veteribus, vt in 2. de morbis habetur apud Hippocratem. Habemus itaq; hanc esse veritatem, laborantes comate vigili, & in præsentia delirare, cum scilicet abundat, & imperat pituita, vel saltem esse deliraturos, quando scilicet consumpta pituita, remanet dominium ipsi bili, adeo vt siue legamus hanc sententiam, vt habetur hoc loco, siue vt scripta est in Coacis verissima sit, ac propterea Hippocrate digna.

Sequitur modo altera pars, quæ est

Μυκτὴρ ἐκ τυτέοισιν ἀποςάζων, ὀλέθριον.

Nasus in his stillam sanguinis mittens mortale, tum alias, tum maxime quarta die à principio.

NAsus græce μυκτὴρ, sic in Coacis μυκτὴρ ἀπορηγνύων ἐν τυτέοισι κακὸν. Nam etiam in 7.epid. habetur μυκτηρίξειν pro sanguinem è naribus fundere, quæ fusio, quoniam vel exigua, vel multa, vel mediocris est, quæ exigua fit, & guttatim funditur, vocatur ab Hipp. ςάξις, id est, stilla, & ἀπόςαξις, cuius creberrimam mentionem facit, & præsertim epid. lib.

Μυκτὴρ, & ςάξις quid.

ἐν τυτέοισιν ὀλέθριον.

In his mortale.

OMnis exigua euacuatio, sponte facta à natura, mala est, vt scribit Hipp. in Coac. prænot. vbi scribit, quæ copia exigua apparent, veluti stillæ sanguinis, vrinæ, vomitiones, deiectiones esse mala, quod etiam luculentissime dixit Gale. 2. prorrh. 47. Verum maxime omnium lethalis est, sanguinis stilla, præsertim facta in die iudicatoria, vt quarta, & vndecima, ita vt obseruatum sit à Gal. 1. epid. 2. 63. & Hipp. Omnes, quibus larga sanguinis effusio facta est in iis febribus, esse seruatos. Contra vero interiisse omnes, quibus stillauit tantum, quales fuerunt Silenus, Epaminondas, Philiscus. Iam vero videndum, cur sit lethalis stilla, cur potissimum in commemorato hic ab Hipp. casu, & cur in quarta die.

Omnis euacuatio exigua, sponte facta, mala.

Circa primum, Gal. non modo hoc in loco, verum 2. Prorr, 47. omnes vacuationes spontaneas esse malas, ait, propter duas causas, vel quia est signũ, copiosiorẽ esse materiam, quam vt contineri queat in vasis, vel naturam grauari vehementer, ita vt inchoet quidem sese exonerare, sed propter imbecillitatem perficere nequeat. Imo satius videtur, & melius, si natura nil moueat, quam si eum in modum, quoniam vbi nil mouet, id esse potest, quoniam coquat, nec prius mouere tentet, quam totum sit coctum. Quod vero stilla in casu proposito sit mortalis, Gale. inquit esse, quoniam signum est multam materiam in cerebro esse cumulatam, quæ tentetur quidem à natura, sed nequeat expelli. Sic etiam in Coac. prænot. habetur stillam sanguinis in phreniticis esse exitiosam. De quarta die, quod erat tertio loco propositum, id verissimum est apud Hipp. quartam esse iudicatoriam septimæ, & vndecimæ decimæq; nartæ. Propterea qualis est iudicatoria, talis etiam est iudicatoria dies, & cum dies iudicatoria pessima est, omnis spes eripitur. Sic itaq; Philiscus, Epaminondas, ac Silenus, quibus in quarta, & quinta die stillauerat sanguis è naribus, interierunt. Sic dicit Hippocrates 3. comment. huius text. 56. vndecima die difficiles esse stillas sanguinis, præsertim si repetantur, quam repetitionem vocat ἐπίςαξιν, vt etiam in Coacis habetur.

Exiguæ euacuationes cur malæ.

Veruntamen sciendum est, vt adnotauit Galenus, tunc maxime esse lethales, si fiant in febribus ardentibus, atq; sanguis ater sit; vel vt dicit Hippocrates in Coacis, si sit cum sudore exiguo frigido, nec non cum surditate, atq; torpore.

Veruntamen id semper est animaduertendum, an æger soleat huiusmodi stillas pati, quoniam vbi quis consueuit huiusmodi stillas pati, facile fit, vt qualibet leui occasione etiam in ægritudine id patiatur; cum dicat Hippocrates in aphorismis, Quibus aliqua pars ante ægritudinem imbecilla est, facile morbum in eam incumbere.

Κοιλίης περίπλυσις ἐξέρυθρος.

Ventris ablutio rubra.

DIxi ex Hipp. & Gal. non solum sanguinis stillam, verum etiam quamlibet aliam exiguam euacuationẽ, præsertim in die critica factã esse pessimã. Itaq; cũ Hip. in su-

in superiori dixisset, in morbis grauibus capitis, sanguinis stillicidium esse perniciosum; idem nunc dicit esse iudicandum de cruenta ventris proluuie. Dico enim proluuiem, quam Hippocrates vocat περίπλυσιν, quasi dicas, ablutionem. Galenus multus est in explicatione huiusce sententiæ, docens, quæ sint accommodatæ, & quę ineptæ signorum complicationes.

At omnia, quæ dicit, eo tendunt, vt auctorem huius libri, quem Hippocratis esse negat, in eo reprehendat, quod male, cum superius signa lethalia cerebri patientis attulerit, nunc signa male valentis iocinoris, quę sunt alterius generis, aduectat. Etenim ablutionem cruentam alui esse frustrationem in iocinore sanguificationis, siue potius diminutionem apud omnes compertum est; Cum enim in solo iocinore fabricetur sanguis, æquum est, ibidem etiam præternaturalis fiat, quæ, vt ait Auerrhoes tertio colliq. vbi fiunt succi naturales, ibi quoque fiunt præternaturales.

Cruēta ablutio vnde.

Et vere, si rem ipsam conspiciamus, verissima est sententia auctoris, scilicet ablutionem sanguineam alui, esse in cunctis morbis malam. Atque ineptum videtur addere, non minime esse in prædictis malam; siquidem quis est adeo tardus, qui nesciat, si signis lethalibus adiiciantur alia mala signa alterius generis, tanto morbū fieri deteriorem; sicuti si pleuritidi pręter signa propria adiiciantur signa praua attestantia, vel toti corpori, vel aliquibus aliis partibus.

Cur mala.

Sed quare cruenta alui proluuies in cunctis morbis mala est? propter duas causas, vnam, quia signum est facultates naturales, distribuentem scilicet, alterantem, assimilantem, atque vnientem esse valde oblæsas, quæ cum nutritiuę potentiæ famulentur. Certissimum est, vbi hæ vehementer laborent corpus, haudquaquam nutritum iri, ac proptereà caloris atque virium omnium ruinam esse proximam. Siquidem cunctæ alię virtutes ruente naturali, haudquaquam diutius sese possunt sustentare.

Alteram causam esse puto, quoniam proluuies cruenta, cum sit, vt ait Galenus, similis hæc affectio illi indispositioni ventriculi, qua ob redundantiam prauorum humorum affecto illius ore, euomere iugiter cogitur, sic frequens excretio facta ab ægrotantibus, somnum, motum, aliasq; omnes actiones mirum in modum lędit

In Coacis prænotionibus etiam hæc sententia habetur, sed quasi separatus quidam aphorismus à superioribus, cum ibi nil aliud dicat, nisi cruentam ablutionem esse malam rem (κακόν.) Quo fit, vt ibi non committatur absurditas, quam hic Galenus detexit. Atque dubitabit aliquis, an verum sit, male affecto capite vsque adeò pessimam esse cruentam ventris proluuiem; siquidem septimo aphorismorum quinto, scriptum est. Si in mania superueniat dysenteria, bonum esse, quod dicit ibi Galenus, ratione minime carere: similiter quarto aphorismorum vigesimooctauo, scriptum est, in surditate, si deiectiones biliosæ fiant eam solui. Et eodem libro aphor. 60. scribit, in febribus, si aures obsurduerint, aluum turbatam morbum soluere.

Alui fluxus à duplici causa.

Dicendum est, alui fluxum, vel dysenteriam fieri posse, aut vitio aliarum partium, & præsertim iocinoris; aut quemadmodum ait Galen. in expos. prædict. aph. translata lædente materia à capite ad aluum. Si primo modo intelligatur, nil iuuat, sed potius lędit ob causas dictas; sin secundo modo, iuuat. Atque sic loquitur Hippocrates in aphorismis. Si placeret hunc auctorem tueri, possemus dicere, ieirco hoc voluisse addere, ne deciperentur Medici, qui videntes in affectibus capitis sępenumero alui cruentam fluxionē prodesse, id quoq; verum in cunctis putarent, cum vbi fit à iocinore, & est veluti lotura carnium, non modo non iuuet, imo vero potius valde offendat. Vel possumus dicere, quemadmodum Hipp. & Gal. 3. de artic. text. 40. scilicet fluxum cruentum alui, aut fieri affatim, & subito, aut paulatim. Qui fit subito iuuat, cum à repletione fiat, qua euacuata sequitur iuuamentum.

Vnde fit, vt neq; ægrotantes appetentia careant. Si vero paulatim nocent; siquidem huiusmodi excretiones vtplurimum iocineris vitio fiunt.

Αἱ δασεῖαι γλῶσσαι καὶ.
Linguæ aspera & valde sicca phrenetica.

Vtrum hæc sententia sit superiori coniungenda, Galenus nihil diffiniuit. Verum si recte attendatur, potius videtur esse veluti aphorismus quidam separatus ad prognosin, & prædictionem pertinens, quo dicit Hippocrates, linguas asperas, & siccas, phrenesin futuram esse significare. Et quanquam vere vnum hoc linguæ signum acceptum minime phrenesi futuræ videatur attestari, haudquaquam tamen ita, præsertim cum aliquibus aliis coniunctum, videtur esse aspernandum.

Sed examinemus vnumquodq; verbum hic appositum, (αἱ γλῶσσαι, linguæ.) Dicit in numero plurali, vt significet hoc reperiri non in vno, vel altero, sed in cunctis; ac propterea hoc potius ex propria natura ipsius linguæ, quam ob vllam aliam peculiarem proprietatem. Nam Aristoteles 34. sect. Problem. 4. quærens, cur lingua plurimas res significet, & præsertim in morbis acutis febres: atq; ex colore alios humores in corpore dominantes, inquit ideo esse, quoniam lingua suapte natura mollis, & laxa est, propterea q; humorum, & vaporum susceptiua. Adhæc supposita est pulmoni, circa cuius locum fit putredo, vnde febres acutæ ducunt originem; quæ etiam causa est, cur fiat in febribus sicca? (Δασεῖαι, id est, asperæ.) Galenus diserte interpretans hanc partem, scribit, linguam, & ex sese, & ob glandulas, ac vasa sibi humiditatem, & saliuam continuo affundentia esse humidam, cuius humiditas prima, si desit, fit δασεῖα; si vero paulo plus humiditatis consumatur, fit τραχεῖα, id est, aspera; sin vero immodice exiccetur, frangitur, atque scissuras patitur, haud secus atque terra pinguis sub immenso & diuturno aeris feruore exiccata scinditur. Propter quod ait Galenus fieri non posse, vt simul sit terra δασεῖα, & valde sicca; sed aspera, & valde sicca, ita vt rumpatur, esse potest. Vnde putat, vocem illam δασεῖαι, id est, densæ, esse additam à scriptore, vel ab aliquo alio, vt sæpenumero animaduertitur, contigisse antiquorum monumentis, tam Medicorum, quam Philosophorum, atque aliorum scriptorum, quasi sufficiat dicere, linguas valde siccas, ita vt scindantur significare phrenitidem, quippe cum illæ linguæ fiant à febribus ardentibus, quæ originem à bile ducunt; sicut, & phrenitis est morbus, qui à bile originē ducit. Nonnulli interpretes, vt hanc lectionem tuerentur, dixerunt, Hippocratem sub nomine linguarum δασεῖων, id est, densarum, intellexisse eas, quæ edunt voces δασεῖας, quasi dicere voluerit, linguas, quæ simul aridæ sunt, vt voces densas, edant esse phreneticas, quoniam eiusmodi voces haudquaquam mentis sequaces. Verum, vt optime opponit Galenus, hoc est, contra ipsum auctorem, qui quidem potuisset, si placebat, dicere voces densas, cum lingua sicca esse phreneticas.

Lingua cur plurima indicet.

Lingua quando sicca, quando aspera, & quando fissa fiat.

Adhæc alienum est à ratione linguam vsurpare pro voce, siquidem ita dicere possemus, linguam acutam, & grauem, raucam, & claram, pro voce acuta, graui, rauca, & clara, præterquam quod illud est apud omnes compertissimum, linguam sermonis esse instrumentum, ita vt balbuties, vel traulismus, ob ipsam fiat. At vox ab ipsa nequaquam formatur, sed ab aspera arteria, quæ prout affecta est secundum siccitatem, vel humiditatem, sic quoque afficitur, atq; variatur ipsa vox. Siq; simul lingua, & vox exasperatur, vt ait Hippocrates secundo epidem. est quia simul exiccatur lingua cum aspera arteria, cuius deinde exiccationem iure sequitur vocis asperitas hæc.

Forsan autem vox δασεῖαι, sustineri potest; siquidem δασὺ apud Hippocratem significat idem, quod τραχὺ. Vnde si τραχεῖαι, vt Galenus posset sustineri loco δασεῖαι, plane & vox ferenda esset. Quod autem Hippocrati significet, idem atque τραχὺ, colligitur ex ipsomet Galeno 3. de artic. text. sexagesimoprimo, vbi scribit, nonnullos asperam, id est, τραχεῖαν respirationem vocare δασεῖαν. Ceterum, quicquid sit, illud verissimum est, linguas valde siccas esse phreneticas potius, quia

Δασὺ & τραχὺ, aliquando idem.

quia sint significatiuæ phrenesis futuræ, quam vt cum ipsa fiant. Etenim sicut vbi fit phrenesis, vrinæ, quę prius erant crassæ attenuari solēt, quod materia in caput mittatur, sic lingua, quæ erat antea sicca humectari solet à vaporibus, & succis sursum ascendentibus, vnde dicet Hippocrates, infra phreneticos esse paucibibos: Causa porrò, cur significet huiūsmodi lingua phrenesin, siue proprie, siue consumitur accepta, est, tum, quia eadem causa, quæ facit ipsam aridam, nempe feruidus, & biliosus vapor, ac succus etiam in cerebrum petentes, & membranas inflāmantes, phrenesin faciunt; tum etiam, quia siccata lingua atido quodam succo & bilioso inficitur, qui combustus nōn modo excoriat ipsam linguam, & scindit, verum vapores quosdam exustos, & acres ex sese mittit, qui in cerebrum sublati, eiusq; membranas violantes, & mordentes phrenitidi gignundæ occasionem præstant, quo fit, vt Medici in his casibus maximopere studeant linguæ ipsi hum ctandæ, ac molli conseruandæ.

Non me latet aliquos interpretes sensisse, ita hanc sententiam in Coacis, atq; hic esse intelligendam, quasi auctor velit linguas siccas, & squalidas, ac hiulcas fieri per consensum à phrenitide. Quod quanquam verissimum sit, non potest tamen recte accommodari phrasi huic Hippocraticæ, tum quia hæc non esset prædictio, neq; prognosis; tum quia nil doceret Hippocrates dignum; tum quia linguæ eiusmodi fiunt quidem à phrenitide, sed fiunt sæpius ab aliis causis, nimirum à febribus maximis.

Ἐν τῇσι ταραχώδεσιν.
In turbulentis vigiliis.

HIppocrates siue auctor, initio libri videtur scopum habuisse, multa signa phrenitidis futuræ, edocere. Itaq; primum posuit coma, post linguas asperas & siccas; nunc vero vrinas, & vigilias proponit. Sed an sint hæc copulata, an disiuncta, parum referr scire; modo quid in ipsis sententiis ad artis vsum vtile complectatur, à nobis cognoscatur. Itaq; sententia hæc est: Si in vigiliis turbatis vrinæ sint decolores, nigræ, eleuatæ in sudore, phreneticæ sunt, id est, phrenitidem prædicunt; quam sententiam interpretans Galenus, fusissimus est, vt sæpe solet. Et mirum est, quomodo in libris non ita germanis Hippocratis valde plixus sit, cū in vere germanis, vt in aphor. interdum breuior sit, quam res postulet; nisi dicamus, propterea longū esse, quia ad confirmandam, & exponendam auctoris nec certi, neq; ita probati mentem multo pluribus argumentis, atq; demonstrationibus opus sit, quam vbi illius auctoritas spectata, & quasi pro demonstratione est. Sed sigillatim iam expendamus vnumquodq; verbum. (In vigiliis turbulentis.) Iure Gal. dicit, ita esse intelligendum, perinde ac si dicat, in ægris turbate viglantibus. Nam sunt, qui dormiunt turbata mente, & qui vigilant; præterquam enim quod Hipp. id sæpe dicit in epid. & in Coac. prænot. & Plutarchus in sympos. disputans de causa turbati somni in autumno, & humorem melancholicum tunc dominantem, & vsum fructuum, atque vini recentis ponit; quod vero etiam vigilantes ægri sæpe turbētur mente, vsu quotidiano probamus; idq; licet interdum nil aliud mali sequatur, non raro tamen solent etiam deliria, atq; phrenitides sequi, quasi vero similes turbationes sint huiusmodi malorum veluti prælludia quædam. Summatim hanc vocem (ταραχώδεις) qua hic vtitur auctor, videmus sæpenumero vsurpatam ab Hip. de animo, de somno, de vigiliis, quando scilicet confusus, & veluti deuians animus concitatur, atq; actiones & oblocutiones indecentes facit. (Vrinæ decolores.) Decolores seu (ἄχρωα) Vrinæ proprie dicunrur, quæ tenues, ac veluti æqueæ sunt. Sic enim dicuntur ἄχρωοι, quarto de acutis iis, & sexto epidem. sectione sexta, text. 19. qui pallidiores sunr, ac veluti exangues. Galenus scribit, vrinas esse quidem indicia status succorum, venarum, atque arteriarum, veruntamen de phrenitide nullam ex ipsis haberi posse significationem; quandoquidē signa phrenitica habent cerebri statū demonstrare

quod

quod quidem facere nequeunt vrinæ. Sed hæc sententia aliquas habet difficultates. Siquidem etiam ex vrinis signa phrenitidis, vel alterius capitis affectus haberi possunt. Nam vbi in febribus vrinæ turbatæ sunt, quales iumentorum inquit Hippocr. 4. aphor. 70. iis labor capitis, aut adest, aut aderit. Et experientia probatur ferè certissima signa esse delirii futuri, & præsentis maxime; quando ex crassis fiunt tenuiores. Itaq; sicut turbatæ vrinæ signa sunt capitis male affecti, vel afficiendi, videtur rationi consentaneum posse etiam significare eas phrenitidem. Auicen. etiam lib. 1. fen 2. doct. 3. cap. 2. scribit, vrinam rubram, vbi cito fit alba, significare desipientiam. *Turbida vrina capitis dolorem notant.*

Respondendum est, aliquid posse alterius signum esse dupliciter, vel per se, & primo, vel secundario, & per accidens. Vrina primo, & per se est signum status humorum, qui in venis & arteriis continentur, nempe à quib. immediate segregatur. Cæterum secundario, & per accidens potest esse nō modo capitis status indicium, verum etiam alterius partis. Nam quatenus vrina significat biliosos, & prauos humores, non ferri ad vesicam, sed in caput, eatenus significat ab eiusdem humorib. cerebrum iri debere læsum, ac propterea delirium affuturum.

Atque hoc innuisse videtur Hippocr. atque Galen. 4. aphor. 72. vbi scribunt vrinas albas, & pellucidas propterea esse in phreneticis malas, quia significant materiam in cerebrum rapi. Atque hoc pacto intelligendum id, quod in commento multis verbis dicit Galen. scilicet nullum genus excrementorum esse proprium signum phreniticum, neq; tale propositum esse ab Hippocrate in vllo phrenetico Epid. In Coacis prænotion. habetur hæc eadem sententia; sed diuerso modo scripta, scilicet hunc in modum: Decolorata autem in nigris sursum elata cum vigilia, atq; turbatione phrenitica sunt; quasi vero, quod hic dicit Hippocrates de ipso vrinarum liquore, in Coac. dicat de contentis, s. si nigra sint, & aquoso liquore, ac suspensa cum turbatione, & vigilia phrenitidem, id est, delirium significare (nam sæpe dixi Hippocrat. accipere phrenitidem communiter pro delirio.) Sed pergamus ad reliqua.

Nigra suspensa.

GAlenus hic copiosissimus est in ostendendo hunc scriptorem visum esse solœco, quasi τ. sublime petere tribuat ipsis vrinis, cum tribuendum potius sit cōtentis. Verum si legantur verba separatim, ita vt dicat, vrinæ decolores; nigra suspensa, & quæ sequuntur, minime solœcus erit, sed lectio clarissima, cum duo dicat, scil. per se vrinas decolores, & per se suspensa nigra; præter quod hæc esse potest antonomasia, sæpe vsurpata ab Hippocrate, quando scilicet vtitur continente pro contento. Quod vero possint fieri albæ vrinæ cum contentis nigris, habemus 2. Prognost. text. 29. Quod autem hæ sint malæ, & phrenitidem significare possint futuram, non est à ratione alienum, siquidem vstionem ingentem significant, eamque summa petentem, vt licet non sit proprium neque inseparabile signum phrenitidis, aliquid tamen faciat, tum ad ipsam multo certius significandam; tum maxime ad salutem, vel interitum prædicendum.

Etenim, vt præclare admodum scribit Galen. licet signa, quæ non sunt animalis facultatis læsæ propria, sed vel vitalis, vel naturalis pro significanda phrenitide improprie valeant, attamen valent per accidens, siue mediate, quatenus scilicet indicia sunt materiæ, quæ ad cerebrum rapitur, & magis adhuc valent pro significatione salutis vel mortis, siquidem si cum signis phrenitidis, pulsus quoque malus sit, qui male valere facultatem vitalem monstret, aut alui excrementa tetra, quibus pessimus naturalis facultatis status indicetur, certissimum erit rem multo esse deteriorem, quam si signa sint phrenitica, sola absque vllis aliarum facultatum offensarum.

In sudore.

Ἐφ' ἱδρῶσι,) Multis agit Galen. vt demonstret hoc quoq; signum minime esse proprie phreniticum, neq; pertinere ad læsas actiones animæ, sed potius ad naturales.

Et certo verum dicit, quandoquidem cum phrenitis sit ratio deprauata animæ ratiocinantis, solæ huiusmodi actiones sunt vere propria signa sicut excrementa mutata animæ brutalis, & pulsus, ac respiratio vitalis; nihilominus etiam sudor, & præsertim capitis nonnihil per accidens facere potest ad testandum ingens illius partis incendium, ac propterea phrenitim, cum in aphorism. lib. 4. 38. In qua parte sudor est ibi esse quoque morbum, dicatur.

Ἐνύπνιά τι ἐν φρενιτικοῖς.

Insomnia phreniticis.

Pergit author in tradendis signis Prognosticis phrenitidis. Sed quid hac sententia (scilicet insomnia in phreniticis euidentia) docere nos velit Hippoc. diuersi sunt Interpretes. Satyrus præceptor Quinti, quem habuit Gal. præceptorem post Pelopem ita interpretabatur, quasi dicat Hippocr. quòd quæ à phreniticis euidenter conspici, atq; fieri nobis videntur, nō sunt vere vigilantium actiones, sed omnia insomnia euidentia. Quod aūt nonnulli ex somno surgētes circumambulent dormientes quidem, at oculos similiter vigilantibus apertos habentes, & scriptis traditum, & à multis narratum habetur: Imo Galenusmet de seipso id refert. Et miror cur id sic non retulerit, nisi putemus hæc commentaria ab ipso fuisse conscripta, priusquam id sibi contigerit. Vtrum autem, quæ vident & perperam phrenerici, hisce sint similia ignotum est: quomodocunque autem veritas sese habeat ad præcognitionem huiusmodi expositionem nil conducere putat Galen. qui magis ad præcognitionem conferre putat, si ita interpretemur, quasi insomnia præcedentia phrenesin, in quibus dormientes ex somno surgere, exilire, loqui ob imaginationum euidentiam aggrediatur, ipsam phrenitidem prædicere dicamus. Etenim siccitas causa est tum vigiliatū, tum maxime insomniorum claritatis, quo fit vt etiā melancholicis ob siccitatē omnia in somno simulachra euidētia appareant, quemadmodum etiam frugaliter viuentib. sanitatis tempore secus quam illis, qui edunt ac bibunt intemperanter, quorum phantasmata ob turbationem dilabentia minime memoria tenentur, cuiusmodi autumnit insomnia prodidit Plutarch. in sympo-siacis. Sic namq; & in ægritudinibus, quæ ab humiditate cerebri originem ducunt, ægros comatosos somnolentos omniq; phantasmate carentes facit.

Cæterum fuerunt, qui existimarint, nullum phreniticos euidens insomnium habere, quod cum non dormiant, neq; etiam somniare queant: quos tamen & iure Galen. redarguit. Videtur autem Galen. in ea esse sententia omnino, quod Hipp. dicat phreniticis futuris insomnia fieri euidentia propter siccitatē, quæ est vna ex causis cur fiat phrenitis, atque ita huiusmodi dictum vere ad prognosin pertinere. Veruntamen neq; mihi plane satisfacit Galeni sententia, siquidem author loquitur de phreneticis factis, dicens, ἐν τοῖς φρενιτικοῖσιν. Vbi vero vult significare futuram, solet dicere ea signa esse phrenetica, vt sæpenumero loquitur. Ergo Hippoc. omnino puro de phreneticis iam factis loqui. Vt autem, quod ego arbitror vos edoceam, illud primum scire debetis, hanc sententiam non aliam esse, quam in Coacis prænotionibus scriptam: Vbi scribit insomnia in phrenitide euidentia bonum, quasi hic etiam supplere debeamus vocem ἀγαθὸν. Videndum ergo breuiter, quomodo fiant insomnia. quæ sint ἐναργῆ, & quomodo hæc bona sint. Sic enim negare non licebit quin sententia sit tota prognostica, nempe bonum phrenitidis exitum præcognoscendi signum tradens, nimirum somniorum euidentiam.

De insomniis multa præclara & Hippocrates, & Aristoteles in libris proprie ita inscriptis reliquerunt; multa etiam Plato quinto de Republ. Sed omnes in hoc concurrunt, insomnia nil aliud esse nisi repræsentationes quasdam menti factas eorum simulachrorum, quæ à sensibus externis in sensu communi vel extimatiua, vt ait Auerrh. & Auicen. sunt impressa.

Et q̄q̄ interdum etiam ea somnientur, quæ nunquam oculis visa, aliisve sensib. sint

Quidam dormientes ambulant.

Insomnia quid.

ſint percepta, nihilominus eá aliquo pacto dicuntur ab externis ſenſib. facta, quoniam ſunt veluti confuſiones quædam ſimulachrorum à ſenſibus acceptorum, exempli gratia: quod quis chimæram, montes aureos, monſtruoſaque corpora in ſomniis cernat, eſt, quia auri viſi figura cum montium ſimiliter viſorum figuris connectuntur, & confunduntur, ita vt poſtmodum complicata, atque confuſa vnam figuram, & vnum ſimulachrum reddere videantur, id quod etiam de aliis quibusq; ſimilibus eſt exiſtimandum. Atq; ita veriſſimum eſt quod dicit Poeta:

Qui fiat, vt ſomnientur etiã nõ viſa.

Omnia quæ ſenſu voluuntur vota diurno, Mens ſopita videt.

Huiuſmodi porro repræſentationes modo fiũt ita, vt etiam cõprehendantur clare, atq; memoria retineãtur: modo obſcuræ, atq; ita confuſæ fiunt, vt nec ſatis percipi, neque commemorari queant. Illa inſomnia dicuntur perſpicua ἐναργῆ: hæc dicuntur confuſa. Iam vero phrenitici, aut ſunt in ſummo delirii, aut ſunt in ipſo declinante. Si ſint in ſummo, neque fiunt in ipſis inſomnia, quandoquidem ſemper vigilant, & inſomnia ſunt dormientium actiones, neq; ſi fierent aut ab ipſo inſaniente comprehenderentur, aut memoria tenerentur aut recitare adſtantibus poſſent, ita vt cognoſcerentur. Si vero ſint in phrenitide declinante, tunc fiunt, atque animo paulíſper reuiuiſcente cognoſcuntur, & ab ægris referri adſtantibus poſſunt, quod plane bonum ſignum eſt, tum quia ſignificatur phreniticum paulíſper dormire, quod maxime optandum eſt medicis in hiſce caſibus: tum quia ſignum eſt iam illam confuſionem ſedari, ac propterea morbum declinare, cum phantaſmata repræſentata cognoſcat, recordetur, vt referat. Et certe nil melius atque ſecurius haberi poteſt in phrenitide, quã vbi veluti ex ſomno ſurgentes dicant ſeſe ſomniaſſe, atque ſomnia referant, quod etiam eo melius eſt, ſi dicant ſomnia illa fuiſſe læta & iucunda. Id quod in omnibus ægritudinibus fauſtum, fœlixque habetur, quemadmodum non placet medicis, quando ægri vel nil ſomniant, vel tetra, & formidabilia, vel quæ ſomniant, nec recordantur, neque referri ſciunt. Illa enim humiditatem morbidam abundare nimium, hæc vero vapores tenebroſos impedire animum, rationemque & mentem effuſcare indicant. Igitur hæc eſt mea ſententia. Et quamquam non me lateat ab aliquibus magis probari, quod dicat: Inſomnia phreneticorum fieri conſpicua ipſis adſtantibus ex motu, locutione, atque aliis: id tamen, quid ad prædictionem faceret, ſicuti facit, ſi intelligatur authorem dicere bonum ſignum eſſe vbi phrenitici conſpicua habent inſomnia, ita vt ea cognoſcant, recordentur, atque aliis commemorent. Sic enim ſignificari veram declinationem phrenitidis, non autem ſpuriam illam, & fucatam, in qua phrenitici paulíſper ſilent & quieſcunt, quaſi vires omnes iamiam ruant.

Somnia vel clara vel obſcura ſunt. Phrenitici quo morbi tempore ſomnient.

Phrenitici, ſi ſomniorum meminerint bene habet.

Sed hoc in loco duo adnotanda ſunt: vnum eſt, aliquos eſſe qui non ſomnient, vt Ariſtoteles dicit de pueris 4. de hiſtor. animal. cap. 10. in hoc à Tertulliano lib. de anima damnatus, & in Melpomene. Plinius lib. 5. cap. 8. & Tertullianus idem narrãt de Athlantum gente Libyca, & Suetonius Neronem quoque non ſomniaſſe niſi tarde ſcribit. Alterum eſt, tria eſſe ſomniorum genera, vnum quod pene diuinum eſt, & in quo dormientes præuident quid futurum, vel faciendum ſit. Etenim quandam ex inſomniis vaticinationem etiam Plato, Ariſtot. Themiſtius, Auerrhoes, aliique docuerunt. Sic Strabo narrat conſueuiſſe in templo Æſculapii ægros dormire, vt inſomnia adſpirante Deo caperent pro inueniendis opportunis remediis, ſic quoque Galenus narrat ſeſe multa vtilia præſidia ſomniantem reperiſſe.

Alterum genus inſomniorum eſt, quod ex ſimulachris oritur, quæ diurnæ actiones, & ſenſationes imprimunt in phantaſia.

Tertium eſt, quod à vaporibus & humoribus varias & diuerſas imaginationes animo repræſentãtibus principium ducit, in quibus duobus poſtremis generibus vniuerſa medici verſatur negotiatio. Primum vero ad Ariolos potius, atque Prophetas, omneſque Euthuſiaſticos ſpectare videtur. Etenim medici, ſi quando videant ægrotantes ſomniare, quæ fecerunt & dixerunt vigilantes putant, vt Hipp. in lib.

in lib. de insomniis, bene habere, quod sic etiam faciat illi, qui sunt vere sani: Similiter si læta & iucunda, quæq; ipsos recreent somniant, bonum existimat, tum quia significatur iam bilis furorem, calorem, & motum maxima ex parte fuisse sedatos, ac propterea morbum declinare: tum quia huiusmodi somnus, & insomnia calorem natiuum, aliasq; naturæ operationes adiuuant, vt vere dixerit Hippoc. 2. aph. 2. bonum esse vbi somnus delirium sedat.

Ἀνάχρεμψις πυκνή.

Screatus frequens.

ET hoc quoq; est ex iis vere prognosticis signis, quæ phrenesin futuram præmonstrant; & sicut antecedens pertinet ad functiones animi imaginantis, ita præsens ad eiusdem functiones voluntarias pertinet, cum dicat, exscreatum frequentem, si quodpiam aliud signum adsit, esse phreneticum, hoc est, phrenesin futuram indicare, quam sententiam etiam in Coac. habitam, vt planam faciamus: Videndū est primo, quid intelligat pro screatu frequenti. Quid sit aliud signum quod sui præsentia auget prædictionem phrenitidis, & qua ratione prædicant, seu potius prænuncient ipsam phrenitidem futuram. Ἀνάχρεμψις vox sæpe in hoc lib. in Coacis, & alibi vsurpata ab Hesychio ἀνάβηξις, & communiter ab Interpretibus screatus vertitur, & nihil aliud est, quam motus quidam vehemēs oris, & laryngis ad excludendam materiam ibi detentam factus. Ex quo differt à sputatione, quæ sine vehementia efficitur. Quamquam Hippoc. & pro sputo simpliciter hanc vocem vsurpasse obseruatus sit, 4. aphor. 47. & 7. aph. 65. Fit autem huiusmodi semper ab imaginatione, seu animi appetitu, qui vel ratione regitur, vel falsa imaginatione. Si ratione regatur, solum fit quando materia aliqua stimulans eas partes, aut foramini palati affixa imaginationem ad mouendum & expellendum concitat, quando, vbi, & quomodo oportet. Sin autem ratione minime regatur, sed solum falsa imaginatione ducatur, aut facit hunc motum etiam cum non stimulatur. Vnde Galenus putat melius fuisse si additum nullo sputo exeunte; aut eum stimulat quidē materia, sed nec debito tempore, vt pote si frequentius quam conueniat; nec debito modo, vt si in aliquem; nec debito loco, vt eum coram viris grauibus, &c. Itaq; vbi fit screatus ab appetitu, seu imaginatione irrationali, scilicet frequentius quam conueniat, signum est futuræ phrenitidis. Sed cum possit esse error etiam in loco, & in modo, cur Hippocrat. solius frequentiæ, quæ est vnius temporis differentia mentionem facit.

Exscreatio quid?

Screatio duplex.

Cū ratione.

Citra rationem.

Respondeo frequentes motus omnes à calido & sicco oriri, sicuti tardi, atque torpidi à frigido & humido. Vbi vero animus errat ob calidum & siccum, iure metuēda est phrenitis, quæ calidus & siccus affectus est. Quod autem sit illud signum aliud, de quo loquitur Hoppocr. quodque secundo loco considerandum proposuimus, iure dicit Galen. idcireo Hippocr. sic locutum esse, quoniam vere exscreatio sola non est signnm proprie phreniticum, quia nec soli, nec omni, nec semper conuenit. Vnde opus est sibi coniungatur aliquod aliud, quod sit magis phreniticum, exempli gratia: Vigiliæ turbulentæ, clamosæ, exsilitiones, locutiones insanorum, atque alia similia, vt plicaturæ vestimentorum, & stragulorum, quæ dicit Plinius lib. 7. cap. 51. esse signa mortis in sapientiæ ægritudine.

Sed videaliquem protinus esse dicturum huiusmodi signa per se sola, & præsertim in febribus esse efficacia ad præsignificandum phrenitidem: ideo superuacaneum esse exscreationem.

Cui respondeo hoc quidem verum esse, attamen hoc quoque recensere inter signa phrenitica, propterea quod sæpe eum aliis accidit; eo quod caliditas, atque siccitas immodice in cerebro existentes, foramen in palato existens veluti corrugantes facultatem motricem ad eam noxam licet inaniter depellendam excitant.

Erat

Erat tertium considerandum quomodo dicatur huiusmodi signum phreneticum, quia in re quærit Gal. cur dixerit numero plurali φρενιτικὰ, & non potius dixerit singulari numero φρενιτικὸν, respondetq; vel vocem illam referendam esse ad signa, quasi dicat exscreatum frequentem cum aliquo alio signo esse phrenitica, id est, phrenesin, aut futuram aut præsentem præmõstrantia, aut πρὸς πάθημα, id est, ad affectiones esse referēdam, perinde ac si diceret exscreationem frequentem cũ alio quopiam signo esse passiones phreneticas, quando scil. fit screatus frequens, atq; sine causa, & ratione. Iam vero vt screatus frequens possit testari phreniridē futuram dixi retro huiusmodi, actiones prohæreticas seu electorias cum fiant celeres, & frequētiores esse, quia ratiocinatio est deprauata: Deprauantur omnes functiones, vt dicunt Galenus & Auicen. duntaxat à causa calida, quemadmodum à frigida minuuntur, atque deperduntur. Læsio rationis à causa calida, aliud non est quam phrenisis communiter saltem accepta, quod dico, quia scio maniam, quę est à phrenitide differens insania, etiam & ipsam à calidissima causa oriri.

Τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα.

Relicti ardores.

SAne præsens sententia cõmune nihil habet cum superiore, neq; etiã cum subsequēte. Vnde est veluti aphorismus quidã separatus, cuius hic est legitimus sensus: malum esse vbi iam febre refrigerata adhuc in hypochondrio remaneat incendium, maxime in sudoribus. Causus de quo videtur Galen. hic loqui author, & in quo exteriora frigent, & interiora vruntur, vel tale fit initio, vel paulo post, quando scilicet nimio incendio calor in extremis partibus, veluti extinctus deficit. Nam vt scribit Aristot. Theophrastus, & Galen. inter modos varios, quibus calor extinguitur, vnus est, quando à nimio calore superatur, & consumitur. De hoc autem loquens hoc in loco Hippocr. dicit, si intus remaneat æstus, & exteriora refrigerentur malum esse. Etenim febrem refrigerari certe nil aliud significare potest, quam calorem febrilem, qui erat in superficie extrema deficere remanente eo duntaxat intus. Id quod etiam sæpe alias dixit Hippocr. tum in Coac. tum maxime 4. aphorism. 48. Et quamquam ibi dicat esse lethale, hic vero malum, perinde tamen est, quoniam, vt inquit Galen. in comment. illius aphorismi, hoc solis exitialibus, aut admodum malignis febribus conuenit, vt lipyriis, cum neq; tertiana vlla, neq; vlla febris ardens, nisi maligna sit, hoc symptoma habere queat. Vnde aũt id oriatur explicans Gal. ait esse quoniam aliqua inflammatio, vel erysipelas partes profundas tenet, à quibus trahitur totus calor à corpore ad ipsas; vnde postmodum sequitur extremorum refrigeratio. *Qui per febres ardētes exteriora frigeant.*

Et notandum ex eo Galeni commentario colligi huiusmodi febres, quæ sequuntur internas inflammationes, dici malignas, quod semper iis praua symptomata superueniant, quæ sunt characteres malignitatis, vt idem Galen. prodidit 1. & 3. lib. de Crisi.

Porro quid sibi velint ea verba in fine sententiæ posita (maxime si in sudoribus) Galen. scribit hunc dicendi modum vsurpari, vel cum fiunt simul sudores in capite vel in thorace, vel etiam in toto corpore, sed exigui: Atque vero si ex his fiant sudores in febribus ardentibus haud bonum esse signum, quoniam qui fiunt sudores paulatim per totum corpus, cum non soluant incendium hypochondriorum, minime boni sunt; qui vero in superioribus partibus fiunt etiam mali sunt duplici ratione: vel quia facultas imbecilla est, vel quia à multitudine grauatur, & hinc est, quod in commentariis ab Hippocr. ægris, 1. atque 3. Epidem. huiusmodi sudatiunculas in febribus ardentibus factas semper exitiosas fuisse obseruatum est.

αἱ παρεξαδυνατησάντων παρᾳ.

Deliria eorum qui antea impotentes erant.

DIci posset pro continuatione huius partis cum superioribus, hic etiam agi de phrenitide communiter accepta; hoc est, de Prognosticis signis eorum, qui prius à morbi debilitate delirant. Sed pòstquam hic etiam liber sine ordine conflatus est, non oportet vt connexionem in cunctis quæramus. Dicit igitur deliria, quæ contingunt ægris iam à morbis, esse pessima, vt Thrasinonti. Quid autem doceamur, iam videamus: παρεξαδυνατησάντων. Hac eadem voce vtitur Hipp. in Coacis. Notat autem Galen. in comm. particulam illam ἐξ addere augmentum, & ic- circo totam illam compositam vocem eos significare, qui antea valde sint effractis, atq; debilitatis viribus, scil. ob morbum. Id enim vsu quotidiano comprobatur, deliria contingere in progressu morbi, cum iam infirmę sunt vires. Quinimo raro fit, vt inter ęgritudinum initia contingant deliria, παραφροσύναι κάκισαι: (Delíria pessima.) Delirium, quod contingit hominibus, potest inquit Galen. & ab externa, & ab interna causa fieri. Et si ab interna, aut per ἰδιοπάθειαν cerebri, aut per sympathiam: quod fit ab externis causis, vt carbonibus male extinctis, nimia ebrietate, domo recenter calce oblita, medicamento, vt altereo, aliisq; plurimis à Nicandro commemoratis, est quidem noxium atq; pernitiosum, sed non pessimum adeo & exitiale, vt quodcunq; fit ab interna. Adhæc factum ab interna causa per consensum, vt fit in plurimis febribus malignis est certe deterius q̃ factum ab externis, sed multo lethalius est, quod fit per propriam ipsius cerebri affectionē, atq; adeo deterius est, vt dicat Galen. nullam superesse spem, eo quod ostendat maximam ipsius cerebri imbecillitatem, atq; in deliriis nihil magis expectatur, quam viriū robur, vt possint morbum coquere, quemadmodum etiam in pleuritide, peripneumonia, aliisq; acutis ægritudinib. Accedit etiam his, quod vbi ægrotantes delirant, consequenter etiam consueuerunt vigilare, & vigiliæ quantum detrahant viribus, quantumque coctioni incommodent, non opus est probare. Quod porro in fine sententiæ addit (veluti Thrasinonti) inquit Galen. esse notatum ab Hipp. ad memoriam, quasi hoc alicui sic vocato id cōtigerit experientia, quod in vniuersum protulit. Id enim admirabili arte factum est ab Hipp. vt ex iis, quæ quotidie in ægrotantib. accuratissime obseruabat dogmata vniuersalia conflaret, vt manifeste cognoscitur ex tot historiis in lib. Epid. narratis, in quibus licet obseruare ea esse verissima dogmata, & præcepta, quæ in progn. aphoris. aliisq; commentariis scripta reliquit. Vtrum vero fuerit id nomen viri proprium, an vero attributum ex conditione, s. propter audaciam, aut fiduciam, quemadmodum Thraso apud Terent. & Thrasonides apud Plutarch. in lib. de amore diuitiarum, nil pertinet ad ipsam artē inuestigare, nisi dicamus audacibus nimis, atque confidentibus facile accidere vt ad desipientiam deueniant, atq; propterea Hippoc. adnotasse nomen quemadmodum alias ipsum annotatum est à nobis in lectionib. 2. Epidemiorum.

Deliriū causatum interna quam externa.

Τὰ φρενιτικὰ νεανικῶς.

Phrenetica iueniliter tremula desinunt.

HÆc pariter ad præsagium phreneticorum pertinet, sed longe diuersa ratione ab aliis, quandoquidem ex ipsa phrenitide aliud affectionis genus nimirum tremorem prædicere docet, ita scribens: phreniticor. &c. In cuius sententiæ explicatione Galen. pauca dicit, sed ea non sine contemplatione atque examine prętereunda.

Primum autem, quod dicit est, vocem νεανικῶς, seu iuueniliter idem significare quod γεννικῶς, id est, generose, vel σφοδρῶς, id est, vehementer, vel ἰσχυρῶς, id est, fortiter. Et vere iuuenes dum phrenitide tentantur, solent vehementer ferocire, atq; ita, vt interdum à multis viris contineri nequeant. Sic. n. Horatius depingens iuuenem

nem phreniticum valde insanientem, ac pugilis instar manus inferentem facit. Sic alias Hippocrat. νεανικὰς αἱμοῤῥαγίας, pro vehementibus sanguinis eruptionibus accepit.

Aliud quod dicit Galen. est, particulam illam νεανικῶς, id est, iuuenilitet fortiter esse interiectam, inter vocem (phrenitica,) & vocem (tremula:) ac propterea si res grammatice agatur, posse vtriq; côiungi, vt s. dicat, vel (phrenitica valde) vel potius valde (tremula.) Atqui si rei ipsius natura, & veritas spectetur, deberet coniungi cum voce phrenitica, eo quod non sit verum phreniticos simpliciter acceptos fieri valde tremulos, sed verissimum quod phrenitici valde fiant tremuli.

Tertium & postremum, quod dicit est, tremorem phreniticorum non aliunde oriri quam ex summa neruorum siccitate, necnon ob facultatem nimiis vigiliis, atque motionibus resolutam. Ego vero de hoc postremo non parum dubito. Nam tremores fieri ob facultatis motricis imbecillitatê, corporis onus sustinere, & mouere nequeuntis verissimum est, sæpeq; à Galen. & lib. 1. & 2. de caus. sympt. c. 2. scriptis traditum. Atqui q̄ ad hoc possit vllo modo concuttere eximia neruorum siccitas vehementer hæreo, quandoquidem humiditas neruorum est, quę proprie ad tremorem conducit, vt ostendunt pueri, atq; ebriosi; quos facilitet tremere ob nimiam humiditatem, & ratio ipsa, & Arist. 3. sect. probl. clarissime docet, præterquā quod ipsemet Gal. lib. 3. de sympt. causis. c. 3. videtur innuere rationem, ob q̄ phrenetici vsqueadeo vehementes eduntmotus, non aliam esse quam instrumētorum motui deseruientium siccitatem, quæ si sit vehemens, conuusionem facere. Itaque dicendum videtur duplicem apud Hipp. esse tremorem, alium verum & legitimū, quem sola imbecillitas facultatis edit facta ab intemperie frigida, & potius humida quam sicca, vt in senibus; Sic enim dicebat Galen. lib. de sect. venæ aduersus Erasist. cap. 5. narrans historiam illius mulieris Stimargeæ famulæ, cui in tremore Hippo. sanguinem miserat, tremorem esse affectum frigidum, quod etiam aliis sexcentis locis dicit: Alium esse tremorem non verum, neque simplicem, sed potius conuulsioni commixtum, & valde similem. Sic enim hoc met in lib. 1. reperitur 20. linguæ σπασμοὶ τρομώδεες; & lib. 3. tex. 13. τρομώδεα σπασμώδεα, libro vero 3. text. 70. σπασμὸν τρομώδεα: & quamquam contextus non habeat hoc nomen, attamen ex postremis verbis Galeni in comment. videtur sic legendum. Et licet Galen. hos locos exponens dicat, haud fieri simul posse tremorem & conuulsionem, sed fieri alterum post alterum, attamen secus videtur sentire author. Et tamen id côncedendum, ita vicissim vtrunque hunc motum aliquando fieri, vt internosci nequeant. Ergo si de tremore vero loquamur, nunquam fieri potest à sicco, alioquin marasmati, & penitus consumpti cum in summa sint siccitate deberent tremere.

Tremor duplex: verus,

Si vero loquamur de spurio tremore, plane quod hic dicit Hippocrates est verissimum, siquidem phrenitici valde cum motu tremulo, & conuulsorio desinunt, hoc est, vitam finiunt, idque vsu quotidiano comprobari potest cum phrenitici ante mortem frequenter conuulsoriis, & tremulis motibus corripiantur. Atque hoc est, quod etiam dixit Hippocr. in Coacis prædictionibus vbi scribit τ̄ νεανικῶς φρενιτικῶν τρομώδεα θανάσιμα, id est, valde phreneticorum tremores esse lethales.

Τὰ ἐν κεφαλαλγίῃσι ἰώδεα.

Vomitus in capitis doloribus.

Hoc quoque signum prognosticum est pro præcognoscendo, & prædicendo futuro delirio. Dicit enim Hippocrates: Vomitus in doloribus capitis æruginosos cum surditate, & vigilia celeriter maniam futuram indicare, cuius sententiæ veritatem habemus confirmatam ab Hippocrate tertio Epidemio. sect. secunda, histot. prima, vbi narrat Philistam, vbi diu capitis dolore laborasset, ac demum febre tentatus esset, prima biliosa, mox æruginosa vomuisse, secunda vero surditate accedente aliisq; symptomatibus circa meridiem insaniuisse.

Huius

Huius autem adeo celeris insaniæ duæ potissimum causę possunt esse, debilitas cerebri ex antecedente dolore contracta, necnon humoris exuberantis in ventriculo prauitas: Sic enim eleuatus teter halitus, & succus à ventriculo, atq; adeo ab ipso iocinore in cerebrum, eiusq; membranas acriter percellens, simul, & vigilias, & insaniam parit. Sed paulo magis hanc examinare sententiam vtile erit.

In doloribus.

CEphalalgia potest esse diuturna, atq; etiam recens, sicut hemicrania, & cephalæa semper est diuturna. Hic autem dolor ponitur primo loco, quia ad hoc vt sequantur quæ dicit Author, operæpretium est antecedat dolor: nam & exemplũ antea commemoratum Philistę indicat, quem primum ante febrem diu capite doluisse narrat. Itaq; iure dicit (in dolorib. capitis,) quasi dicere velit, cum aliquot dies durauerit dolor. (Æruginosi vomitus.) Quomodo fiat æruginosus vomitus, etsi alias abunde docuerim, nunc tamen rememorandum est, quod dicit Galen. in comment. nimirum huiusmodi humorem esse veluti mediam quandã viam à flaua bile ad nigram: siquidem vbi flaua bilis superassatur, fit æruginosa, quæ si adhuc maiorẽ assatiouem patiatur, fit nigra, quicquid dicat Auerth. de æruginosa. Huiusmodi autẽ assationes à magnitudine febris pendere à nemine dubitatur, adeo vt si in cerebrum feratur bilis, ibiq; assata à febre æruginosa, & nigra euadat, sua teterrima natura membranas mordens maniam faciat. Et tanta est prauitas huius humoris, vt quemadmodum dicit Galen. lib. de atra bile à nullo viscere sustineri queat, sed ab omnibus depellatur. Atque hinc est quod æruginosus & niger humor in quacunq; parte sit, & vndecunq; exeat, semper ingens malum significet. Cæterum quomodo cognoscatur locus vbi sit ex symptomatibus contingentibus facile conijcitur, vt si vomitus accedat, in ventriculo sit, quamquam Galen. vomitum etiam fieri per consensum à cerebro dicat, si vigiliæ & surditas etiam in cerebro, si vrinæ nigræ, & fœces in iocinore. Ergo cum in hoc casu dolor capitis, vigilia, vomitus, atque surditas indicent pessimum humorem nempe æruginosum in capite exuberare, iure expectandus est furor, atque celeriter, quod febris occupet cerebrum, simulque humor valde calidus, & siccus, à quo & febrem cum cerebri temperamentum sit magnopere immutatum, quid aliud expectãdum est, quam vt citissime ipsius propria functio, quæ est ratiocinatio dependens, vt ait Galen. de vsu partium 8. ab ipsius temperamento deprauetur, atque adeo ferinum delirium succedat: Etenim sicuti quæ fiunt à succis frigidis, & crassis, lente, & tardo fiunt, sic quæ à succis calidis tenuibus, & mordacibus habent generationem, celeriter fieri, & vehementer necesse est.

Maniæ generatio.

Τὰ ἐν ὀξέσι κατὰ φάρυγγα.

In acutis morbis secundum fauces.

IN docendis variis, & pene innumerabilibus futuræ phrenitidis signis, vsque adeo prodigus est author hic, vt certe alienus valde ab Hippocratica breuitate, atque grauitate videatur. Nam & præsens sententia eiusdem rei est cum superioribus, scilicet, pro prædicenda phrenitide: inquit enim in acutis morbis dolorosa, secundum fauces, gracilia, parua, suffocatoria, & quando hiat, non faciliter cogere, & claudere os dilirium significant, atque ex his euadunt phrenerici, & perniciosi. Mira certe rerum variarum & symptomatum coniunctio, quæ tamen cum inflammationem, seu saltem æstum, & siccitatem ingentem sequitur, sedesq; affecta prope cerebrum sit, non arduum est conijcere fore vt cerebrum compatiatur, atque ob id ipsum etiam inflammatum delirium, ac phrenitidem faciat, quæ eo perniciosior est existimãda, quo focus ipsi cerebro est proximior. [In acutis loco faucium.] Dicit Hippocr. in acutis, quoniam quæ sequuntur symptomata possunt esse absq; acuta febre, quo in casu non adeo periculum est delirii, & phrenitidis. Etenim non raro columella, aliæq; partes faucium dolent, exiccantur, nec tamen sequitur delirium:

tium. Et certe hoc ita est si sequentia symptomata separatim aliqua saltem capiantur: verum si omnia simul sumantur vix fieri potest, quin sua sponte morbus acutus videatur, vnde si ita essent accipienda, sane frustra in primis verbis apposuisset, in acutis, τὰ κα τὰ φαρύγγα. In acutis morbis sæpe fauces inflammari, siccari, & scindi etiam experimento intelligitur, præterquam quod cum focus putredinis, & incendii est circa spirituales partes, inde faciliter vapores, & fuligines in fauces efferuntur, easq; acredine & æstu incendunt, atq; siccant; Vnde fiunt (vt scribit author) primũ dolorosæ, deinde graciles, scilicet, exsiccatæ & paruæ.

Sed quomodo fieri possunt suffocantes, nisi tumeant, atq; tumore os, vnde spiritus manat, angustetur, atq; ita suffocationis imaginem claram reddat. Quare, vt dixi videntur hæc separatim esse accipienda, nisi dicamus (quod videtur innuere Galen.) exsiccatis faucib. principium neruorum, aut ipsos musculos exsiccari, quasique conuulsos, atq; respirationi famulari nequeuntes suffocationi occasionẽ præbere. Etenim nulla magis suffocatio apparet, quam cum musculi thoracem mouentes otiantur. (Quando hiat os.) Galen. multis agit, vt ostendat quomodo fieri possit, vt ægri huiusmodi symptomatib. oppressi, neq; os claudere, neq; aperire queãt; & eorum omniũ summa est, vel principium neruorum affici, vel musculos, aut neruos vtramq; maxillam mouentes, quo fiat, vt nequeant suo munere fungi. Quod autem vitio illorum id cõtingat, scribit probari posse faucium gracilitate, quasi nõ extimæ, sed intimæ, atq; penitiores partes patiantur tunc, cum nullus tumor, nullaq; eleuatio appareat, quæ apta sit locum coarctare, ac subinde suffocationem parere. παρακρουστικὰ vox est Hippocr. & veteribus vsurpatissima, qui vt docet Erotianus, quoties docere volebant aliquod symptoma vel significare, vel inducere leuẽ mentis alienationem, dicere solebant παρακρουστικὰ, vel παρακρουστικὸν, quemadmodũ etiam quando simpliciter delirium intelligebant, vt sunt innumera apud Hippoc. exempla. Hoc autem in loco accipiendam eam vocem esse pro exiguo delirio, satis patet ex sequentibus: Ex talibus phrenetici & pernitiosi, quasi dicat non solum, qui habent hæc signa leuiter delirant, verum etiam post leue delirium fiunt phrenetici, hoc est, grauissime delirantes, atque pernitiosi, hoc est, lethaliter insanientes. παρακρουστικὸν qd.

Ἐν τοῖσι φρενιτικοῖσιν ἐν ἀρχῇ.

In phreneticis.

ET hæc sententia pertinet ad phrenitidem, in qua dicit Hippoc. in phreniticis in principio, si omnia mitia sint, frequenter autem permutentur, malum esse, esse etiam malam spuitionem. Vt optime dicit Gal. nil rarum in hoc habet phrenitis, sed natura comparatũ est, vt semper malum sit, vbi ex statu tranquillo fit mutatio in deterius, & quò frequentior, eò peior: etenim signum est naturam à morbo superari. Dicit autẽ Auctor in initio, quia cũ phrenitis sit morbus valde acutus, huiusmodi transmutationes fieri solent, vel ad partes præcipuas, vel ad partes ignobiliores. Si enim ad partes præcipuas trãquillitatẽ ex toto corrũpunt; sin vero ad partes ignobiles, significant debere medicum omni sollicitudinẽ prospicere tũ quantitati, tum qualitati peccatis materiæ, ne scil. ad principaliores partes repat, id quod fit euacuatione, vt ait Gal. Atq; hoc ipsum est, quod alias Hippoc. nos monuit, vbi materia turget, statim deueniendũ ad vacuationem nulla coctione expectata, vel plenitudinis, vel cacochymiæ. Ex quo Gal. loco facile colligitur in morbis acutis, etiã vbi materia ad partes ignobiles transmutata est, euacuandum in principio, sed cum periculum est, ne iterum ad nobiliores transmutetur.

Addit Hippocrates καὶ πτυαλισμὸς κακὸν, id est, sputatio frequens mala. Cum autem dicat Galenus fieri πτυαλισμὸν tum vitio cerebri, tum vitio oris ventriculi nimis humidorum, in phreniticis est mala sputatio, quoniam fit vitio cerebri.

Sed

Sed quomodo poteſt fieri, vt in phrenitide, quæ eſt affectus inflammatorius, & propterea valde calidus ſit ptyaliſmus ex immenſa cerebri humiditate? Galen. vt hunc ſcopulum euitaret, dixit idem euenire, quod oculis inflammatione laborantibus, in quibus etiam fluxio copioſa ichorum tenuium fieri ſolet. Sed hæc ſimilitudo nihil valet, quoniam oculi inflammati habent, vnde ſuo calore immẽſo, ſ. cerebri humiditates attrahant ad ſeſe: Atqui cerebrum inflammatum non habet, vnde attrahat ad ſeſe humiditates: niſi dicamus non attrahere, ſed inexiſtentem ſibi eliquare, atq; ita eliquatam ruere in os, ibique ſputationem frequentem cauſare, quamquam cerebrum attrahere ad ſeſe pituitam etiam ex ſtomacho ſcribit Hippoc. lib. 4. de morbis: quæ frequens expuitio in phreneticis non tantum damnatur ob copiam, verumetiam quia indecore ab ipſis, dum ſin ota & pannos adſtantium inſpuunt; ob quod dicebat Hipp. in Coac. huiuſmodi phreneticos, ſputatores, fanaticos, perire tremulos.

Phrenitici, cur, & qui ſpuant.

Ἐν φρενιτικοῖς, λευκὴ διαχώρησις.

Phreneticis alba excretio.

PRæſens ſententia, quæ ſimiliter vt aliæ ſpectat ad phreneſin hunc in modum ſe habet, in phreneticis alba excretio malum, quemadmodũ & Archecrati. Verũ in talib. & ſtupor ſit? rigor in his peſſimus. Si autem totum hoc diligenter conſideretur in tres partes diuidi poteſt: Quarum prima eſt. In phreneticis excretio alba malum, vt Archecrati. Circa hanc autem primum illud conſiderandum, quæ ſit excretio alba, & cur ſit mala in phreneticis, poſtremo cur Hipp. appoſuerit exemplum Archectatis. Albæ dicuntur deiectiones, quãdo comparatæ naturalibus ab ea flauitie recednnt, quæ ſolet eſſe communis cunctis ſane degentib. ac ad album colorem declinant, taleſq; fiunt, vel propter cibos, aut potus, vt lac, quemadmodũ narrat Hipp. in Epid. contigiſſe Apollonio ob lac, quo in febre victitabat, multum panis, ptiſana, aliaq; ſimilia; vel propter flauæ bilis tranſitum ad inteſt. na impeditũ, atq; vna cũ ſanguine per vniuerſum corpus ipſius diſtributionem, ꝙ impedimentũ fieri conſueuit, aut obſtructo meatu veſicę fellis, aut ductu qui ab eo in duodenum tendit, quemadmodum in ictericis, aut quod dicit Gale. ob incendium vehemens in partib. ſupra iecur, quod incendium ad ſeſe rapit ſanguinem & bilem. Si primo modo impediatur bilis tranſitus ad inteſtina in phreneticis mala cauſa eſt, quoniã cum prius cerebrum phreneticorum ſit bile ſuffuſum, & refertum, multo adhuc magis bile repletur, ex eius cum ſanguine per vniuerſum corpus diffuſione. Sin vero ſecnndo modo fiat, non modo eſt mala cauſa, vt dictum eſt, verum etiam malum ſignum, ſi quod ingens in ipſo ſit incendium, à quo bilis ab inteſtinis ad ſeipſum rapiatur. Quod autem dicit Hippoc. (vt Archecrati) inquit Galen. additum eſſe non tanquam alicui libro edendo, ſed vt commentario ad memoriam facto. Etenim vbi aliquod dogma faciebat Hippocr. de quo dubitari potuiſſet, adnotabat ſemper Hippoc. homines, in quibus illud obſeruauerat, tum vt ſibi inſeruiret exemplum ad idem ex aliis confirmandum, tum vt poſtulante vſu aduerſus incredulos, vel ignaros exemplo vti argumento vteretur. Quis autem fuerit ille Archecrates, nec multum intereſt ſcire, nec ſi intereſſet, facile eſſet ſcire, puto bene virum aliquem inſignem, aut ſibi cognitum valde fuiſſe, poſtquam nec patriam, nec vitæ exercitationem, vt ſæpe conſueuit facere, appoſuerit.

Deiectiones albæ, quæ & vnde.

Secunda pars eſt, vtrum ſtupor ſit? Sed in Coacis prænotionibus hoc ſpecus legitur, vbi hoc haud dubitatiue ponitur, ſed copulatiue cum ſuperioribus hunc ſcilicet in modum: in phreneticis alba excretio, & torpor malum. Sed ſiue hoc, ſiue illo modo legatur, parum refert. Nam & poteſt fieri torpor in phreneticis cum excretione alba, & fieri non poteſt. Galenus putat hoc ab Authore additum eſſe poſt Archecratem, quaſi ipſi phrenitide laboranti cum fæcibus albis torpor etiam accideri. Sed cum hæc eadem ſententia in Coacis habeatur, quo pacto iam monſtraui, minime exiſtimo ob id additum eſſe, Sed quia videatur maxime dubitandum,

dum, verum in affectu maxime calido, & sicco cuiusmodi est phrenitis fieri possit torpor, qui est frigidus affectus, nec biliosi, sed potius pituitosi frigidi crassi, & visci di succi, & difficiliter mobilis soboles. Et Galen. cum intueretur hanc iustam du bitandi causam, quodque fieri nequeat, vt torpor in phrenitide fiat, ausus est dicere hanc particulam aliis fuisse malè coniunctam. Et quia poterat quispiam dicere hunc affectum frigidum fieri saltem in phreneticis moribundis, scilicet propter caloris natiui ab incendio veluti extinctionem, respondet hoc non esse proprium ipsius phrenitidis symptoma, neque posse quemq; ex his seruari, sed esse commune omnium eorum qui propter immanem aliquam intemperiem calidam intereunt. Sed quid dicemus ad locum prædict. coacarum, vbi monstrat cum phrenitide fieri torporem? Ego certe credere nequeo pro torpore intelligendum esse caloris natiui extinctionem, siquidem puerile est dicere caloris extinctionem esse malam, cũ sit exitialissima in phrenitide, & prorsus absque vlla spe. Igitur dicendum est pro torpore hunc authorem accipere immobilitatem quandam, & veluti segnitiem, ac stupiditatem, quæ vt coma potest phreniticis coniungi, quando simul dominante bile & pituita, primum tota bilis & biliosus affectus finiuntur, sicque remanens pituita, eiusque frigiditas à calore bilis haud amplius refracta affectum torpidum, & comatosum inducit, nisi quod magis placeat dicere, pro torpore intelligere quandam insensibilitatem, & immobilitatem, quæ ex imaginatione nimium abstracta oriri potest, & veluti quædam impotentia efficitur. Sic enim scimus post phrenitidem fieri lethargum, atq; tunc vniuersum corpus torpere, neque dubitare oportet, quin etiam sæpe phrenetici fiant catochi, atque comatosi. *Torpor quomodo possit esse cũ phrenitide.*

Tertia pars est, RIGOR in phreneticis pessimus.) Circa quam scribit Galen. & vere hanc propositionem non esse ita simpliciter intelligendam, quandoquidem interdum fit vt rigor in phreniticis cum sudoribus crisin pareat, & liberet, iuxta quod etiam Hippocr. dicit in aphor. 4.53. In febri ardenti si rigor superuenerit fieri morbi solutionem. Itaque intelligendum est Hippocr. sententiam tunc esse veram cum fœces fiunt albæ. Cur autem tunc vsque adeo exitialis sit rigor eo tempore, nulla alia est ratio melior, quam quod tunc vires sunt fractæ & languidæ. Dicebat autem Hippoc. 4. aphor. 46. Si rigor inciderit febre non deficiente, ægro iam imbecillo, esse lethale. Quod vero tunc vires imbecillæ sint, duplex est ratio: vna quoniam materia est copiosa, praua & cruda, cum bilis sit sanguini permixta, ac per vniuersum corpus propagata. Altera ratio est, quoniam ingens incendium est in cerebro, atque etiam in vniuerso corpore; quo fit vt calido natiuo à febrili ingenti pene extincto, vires, quæ in ipsius incolumitate sunt sitæ, necessario infirmæ sint. Et quod hic dicit Hippocr. de rigore superueniente phreniticis cum albis excretionibus, & torpore, idem quoque dicit in Coacis prænotionibus, quasi pessimus tunc sit rigor, quando superuenit phreniticis iam albas fœces, & torporem habentibus.

Τοῖσι ἐξισταμένοισι μελαγχολικῶς.

Insanientibus melancholico modo.

PRæsens aph. etsi videatur à superioribus separatus: attamen quodam modo potest iis coniungi, quod delirio cuncti loquantur. Est itaq; sententia: Quibus à mente melancholico modo alienis tremores superueniunt, malignum est. Pro cuius intelligentia, & examine primum videndum est, quid sit ἔκστασις. Dicit. n. Hipp. ἐξισταμένοισι, & quid sit melancholicè mente excidere. Postremo cur superueniente hisce tremore sit malignum κακοηθές. Ἔκστασις, si primam ipsius nomenclaturam inspiciamus, aliud nihil significat, quam simplicem mẽtis quasi è corpore egressionem, aut saltem à corpore sequestrationem. Sic enim dicuntur ecstatici, qui ita abducũt mentem à corpore, vt id etiam percussum nihil sentiat. Sic enim de Scoto, atq; aliis ecstaticis narratur. Hæc aũt ecstasis, vt dicunt Philosophus, atq; Theologi, quatuor modis potest contingere, aut in vigilia, aut in somno, aut cõtemplatione, aut diuina virtute. Addunt medici quintum modũ s. morbum, fit enim morbo præsertim me-

lancholico vt mens per imaginationum multitudinem à sensib. abducta quasi extra corpus rapiatur. Verum hæc quoque duplex est, aut impetuosa, aut sedata. Hanc vocat modo ἔκστασιν σιγῶσαν in Coac. prænot. modo μετὰ σιγῆς: illam vero vocare solet simpliciter ἔκστασιν, vel melancholiam. Et hinc est quod Galen. interpretans hanc sententiam præsentem inquit, ab Hippocr. ἔκστασιν melancholicam nuncupari insaniam vehementem, & ferinam, nempe, quæ fiat à bile superassata cerebrum irrigante.

Et notandum est Galenum dicere διαβρέξιος, ad differentiam veræ maniæ, in qua cerebrum profunditus bile atra deusta madidum corroditur. Sic enim etiam consueuit loqui hoc eodem in libro 35. & 2. in 1. Epidem. text. 63. vbi loquitur de bile profusa per totum cerebrum, quæ facit phrenitim simpliciter, sicut alicubi firmata veram phrenitidem.

Summa in neruis siccitas immedicabilis. Circa postremum, cur scilicet superueniente tremore his sic affectis sit κακοήθες, Galen. inquit, signum esse tremorem non verum sed conuulsorium motum, neruos esse magnopere superexiccatos, ac propterea esse exitiale, cum summam siccitatem corrigere in neruis sit fere impossibile; quo fit vt reprehendat authorem, quasi male dixerit κακοήθες, cum symptoma vere ὀλέθριον sit: quo fit vt qui melancholico modo à mente aberrantem tremore superueniente moriturum dixerit, non sit erraturus, cum malignos morbos appellare solemus, qui quidem ægrotantibus periculum afferunt; sed spem penitus non adimunt.

Cæterum, vtrum hoc sit ita exitiale, vt dicit Galen. dubito: primum, quia Hipp. in Coac. prænot. hanc habens eandem sententiam, scribit esse simpliciter κακὸν, imo ibidem addit ecstasi melancholicæ cum tremore etiam πτυαλισμὸν, & tamen nō dicit esse exitiale, sed dubitat an sint phrenetici, dicens hoc pacto οἱ ἐξιστάμενοι μελαγχολικῶς τρομώδεες γινόμενοι καὶ πτυαλίζοντες ἆρά γε φρενιτικοί. Deinde dubito, etsi statuamus tremorem, seu motum illum conuulsiuum fieri ob summam neruorum siccitatem, illa tamen siccitas est recens non autem vetusta, & propterea non est adeo irremediabilis, quemadmodum supponit Gal. Vt. n. hectica nō vetusta potest curari, vt vbiq; docet ipsemet Gal. sic quoq; non inconuenit, quia recens, vt sic dicā neruorum hectica curationem aliquam admittere possit. Quare non male videtur esse dictum ab authore, malignum pro malo & periculoso.

Οἱ ἐκστάντες ὀξέως.

Mente excedentes.

Ecstasis morbosa triplex. MEntis excessus, seu ecstasis morbosa, vt antea dicebam apud Hippoc. triplex ponitur: altera simpliciter, altera melancholica, altera cum silentio. De quibus omnibus in Coacis prænot. frequens habetur mentio. Quam autem hic appellat ecstasin, puto esse simpliciter sic f. mentis emotionem validam, de qua dicit, quod quicunq; mente excidunt, atq; cum sudore superfebricitāt, phrenitici fiunt. Notat Galen. hanc dictionem esse asymphonon, quod possit diuersimode componi, ac propterea obscuram esse, in eaq; exponenda præstate ipsius rei naturam, & veritatem attendere. Itaq; supponamus Hipp. dicere eum, qui mente non constat, si à febre acuta cum sudore corripiatur euasurum esse phreniticum. Nam ex hac dictione apparet primum esse læsum cerebrum, similiter ex febre acuta abundare biliosum succum; ex sudore eum succum esse copiosum.

Cum igitur Hippocr. in Aphorism. dicat: Quibus ante morbum aliqua pars est imbecilla, in morbo fieri ad ea decubitum, iure expectandum est hoc in casu bilem à febre agitatam in cerebrum ante debilitatum esse decubituram, cum etiam prius id infestauerit, ac propterea ibi feruentem, & putrescentem esse tandem inducturam phrenitidem: id quod tamen, vt optime notat Galen. haud perpetuo putandum est verum esse, sed vt plurimum: imo fieri potest, vt scriptor hoc semel, aut iterum obseruarit contigisse in ægris, non autem ex propria morbi ipsius natura, & constitutione tradiderit.

Etenim

Etenim veteres vt sæpe monui maxime valebant in obseruationibus faciendis, at non ita omnes rem acu, vt prouerbio dicitur, attingebant, quemadmodum Hippoc. quo fit vt Galen. dicat hunc librum non esse Hippoc. ex eo posse præ cæteris coniici, quod multa empyrice accumulet, ex quibus nequeunt rationalia theoremata colligi, cuiusmodi faciebat Hippocr. qui & ipse ex solidis obseruationib. dogmata faciebat, sicuti licet faciliter intelligere compatantibus libros aphotismor. & prognosticorum historiis ab Hippocrat. relatis in Epidem. libris, vnde illos conflauit.

Οἱ φρενιτικοὶ βραχυπόται.

Phrenetici paucibibi.

HAbetur hæc eadem sententia in Coac. prænot. sed paulo diuersa. Ibi enim dicitur phrenitici paucibibi à strepitu perculsi tremuli, vel conuulsorii. Hic vero deest vltima vox (conuulsorii.) Vtcumq; autem sit, sententiæ sensus legitimus est, Phreneticos parum bibere, atque à strepitu percelli, & commoueri sicq; tremere, conuelli & moti. Videndum autem est, quomodo phrenetici sint βραχυπόται, quare inter bibendum strepitum faciant, & cur sequatur strepitum tremor, atq; conuulsio. Βραχυπότας dicit Galen. 3. in 3. Epidem. in Pythione vocare, qui parum, & raro bibunt. Sic enim dicit phreneticos illius constitutionis fuisse paucibibos. Cælius Aurelianus lib. 3. de acutis passion. cap. 15. disputans, vtrum hydrophobia sit nouus affectus, an vetustus, putat hoc in loco Hippoc. sub nomine (paucibibi) intellexisse eos, qui rabie canina occupantur, atq; aqnam timent, eo quod Hippocr. dicat phteneticos esse non modo paucibibos, verumetiam pauidos, & quolibet strepitu perculsos tremere quemadmodum contingere solet ipsis rabie tentatis. Sed nugæ sunt, quoniam vt monstraui in variis lectionibus Hipp. atq; Arist. ætate haudquaquam nota fuit hydrophobia.

Priusquam vlterius progrediamur contradictio videnda in Galen. qui lib. 1. de diffic. respir. cap. 12. loquens de delirantibus, inquit eos raro, & multum spirare, similiter quoque raro, & paulo plus bibere, subiungens Hippocr. propterea vocare βραχυπότας, quod fecit 3. in 3. Epidem. & hoc in loco. Atqui Galen. loco citato 3. Epidem. dicit βραχυπότας, raro, & parum bibere. Vnde manifesta apparet contradictio, cum Galen. vno in loco dicat paucibibos bibere parum & raro, in alio vero dicat bibere raro & paulo plus. Pro qua contradictione tollenda, dicendum est particulam comparatiuam (paulo plus) vel posse referri ad naturalem, vel ad præsentem. Si enim ad natutalem, paulo plus bibunt vere quam conueniat naturali statui, atque sic loquitur primo de diffic. respir. Sin autem teferatur ad statum præsentem; certe cum phrenitis sit affectus calidus, & siccus cum febre acuta, exigeret natura affectionis, vt multum sitirent, & multum biberent: vnde cum non bibant secundum rationem ægritudinis, dicuntur parum bibere. *Galen. & Hipp. conciliantur.*

Sed quæstione dignum est, vnde fiat, vt phrenetici cum sint calidi valde, & sicci, vsqueadeo parum bibant. Aliqui putarunt esse propter humiditatem à capite descendentem, & fauces irrigantem, cuius merito fiunt etiam sputatores. Atqui licet id in nonnullis contingat, haud tamen contingit in multis, imo pleriq; phrenetici non expuunt, aut parum & raro. Galenus melius dicit esse propter errorem mentis, quoniam scilicet non percipiunt sitim iuxta id, quod scribit Hippocrat. 2. aphorismor. 6. scilicet, quicunque dolentes aliqua parte dolorem non sentiunt iis mentem ægrotare. Et vt hoc recte intelligatur, scire oportet, sitim esse perceptionem ipsius alterationis, quæ fit à sicco, sicuti omnis sensatio nil aliud est quam perceptio alterationis factæ in ipso sensorio. Iam vero perceptio fit à mente aut facultate cognoscitiua. *Mente ægroti dolorē nō sentiunt.*

Vnde quando abducitur ipsa mens à sensibus, & si fiat alteratio, non fit tamen ipsius perceptio. Vnde est, quod sæpe quæ habemus ante oculos, & voces præsentium non videmus, nec audimus, quod mens sensibus non adsit vt opus est. Sic

enim dicebat Aristot. ab Archilocho poeta Græco, mens audit, mens videt, quod etiam confirmatum est à Plinio, & si in eius contextu mendum appareat.

Cum ergo phreneticorum mens ob errorem sit penitus à sensibus abducta, haudquam percipiunt sitim, alioquin magnam, proptereaq; nec potum postulant, nec oblatum recipiunt. Possumus etiam dicere facultatem appetitoriam vi magni morbi esse fere extinctam, vnde fit vt cibum, simul atque potum reiiciant. Sic enim dicebat Galen. 2. Prorrhet. 8. & 3. in 3. Epidem. fieri quandoque sitis permutationem, hoc est, modo sentiri, modo non sentiri propter obscurationem, seu hebetudinem facultatis sensitricis, & magnitudinem intemperiei calidæ, & siccæ, quarum causarum modo vna præualet, modo altera. Hermocratem notat Hippocrates 3. Epidem. in ægrit. etsi mente constaret auersatum esse cibum, & non sitiuisse, quod scilicet facultas sensatrix esset pene deleta.

Atque hinc apparet quomodo dignoscatur quando ægri sitis causam habentes non sitiunt, neque bibunt, vel ob mentem, vel ob facultatis sensitricis vitium, quia in hac mens constat, in illa minus.

Sequitur modo, vt videamus quid sibi velint sequentia verba, scilicet, ψόφῳ καταπλῆσσόμενοι, quæ etiam habentur in Coacis. Galenus nimis grammatice de his verbis loquitur. Sed cum dicat phreniticis contingere, quod illis contingit, qui vel repente feram aliquam intuentur, vel fulmina & tonitrua exaudiunt, quasi phrenetici similiter quouis strepitu terreātur, haud ita compertum est, siquidem phrenetici potius audacissimi sunt, cum cerebra ipsorum à bile stimulentur, ac torqueantur, quam vllo pacto timidi. Nisi tamen dicamus fieri quidem phreneticos audacissimos, dum caput à bile tantum infestatur; at vbi ea vsqueadeo combusta est, vt in atram euaserit facere horrorem, ac formidinem, vt inducunt tenebræ. Alii graues Interpretes Coacarū putarunt hanc vocem intelligendam esse de strepitu, quem inter bibendum, tanquam ab illa percellantur. Verum etsi inter bibendum huiusmodi strepitus interdū efficiatur, minime tamen hic sensus verbis Hippoc. accommodari possit, maxime cum dicat esse paucibibos.

Cæterum vt aliquid quoq; eo de strepitu dicamus, sciendū sæpe in moribundis huiusmodi strepitum dum quippiam potabile sumunt, sentire, quod signum exitialissimum est, ita vt quotquot referuntur in Epidem. huiusmodi signum habuisse, omnes interierint.]

Strepitus in phreneticis quæ causa. Causæ autem propter quas fit strepitus talis, possunt esse tres: vel nimia siccitas œsophagi, per quem transiens liquor edit sonitum haud secus, atq; obseruamus strepitum fieri cum per parietes aridos aqua decurrit, vel flatus, qui è ventriculo erumpens, quo tempore descendit potus, atque cum eo colluctans motum streperum facit, vt aqua vento agitata in loco arido. Sic enim pueros inter bibendum nō raro animaduertimus similem strepitum edere: vel fit ob imbecillitatem facultatis attractatricis & retentricis, vbi enim valemus potus opere facultatem retentricis & attractatricis œsophagi paulatim, atq; sine vllo strepitu in ventriculum labitur. At vbi iis facultatibus ob eximiam imbecillitatem nihil cooperantibus potus suo pondere affatim ruit in stomachum talem strepitum facit, qualem vinum vel aqua in vas inane affatim coniecta.

Tremuli.

Quod enim expauefacti tremant vsu quotidiano experimur, vt ob hoc minime mirari oporteat, si Hippocrates dicat, phreneticos strepitu perculsos etiam *Metuentes cur tremāt.* tremere: Cur autem metuentes tremant, explicat causam Aristot. 27. sect. probl. 1. & 7. vbi dicit, metuentes refrigerari, quia calore ab extremis ad intima sese recipit, quo deserræ partes cum nequeant sese sustinere, summo iure fit tremor. Atqui in phreneticis non fit huiusmodi refrigeratio, nisi vel vbi proxime sunt morituri, vel vbi pauor iis accidit, qui faciat calorem intro cogi.

Quod porro additur in Coac. σπασμώδεις, id est, conuulsorii, & illud verissimum est, siqui-

est, siquidem vt sæpe dixi multo facilius est phreniticos, quorum nerui, & pene totum corpus valde exiccantur, conuelli, quam tremere. Vtrumque tamen exitiale valde est, etsi ab Hippocr. de hoc nihil habeatur significatum.

Τὰ ἐξ ἐμέτȣ ἀσώδεος.

Ex vomitu fastidioso.

ET hæc sententia quoque habetur in Coacis paulo diuersa, sed explanatior & vberior hæc est, in qua Author scopum habet docendi alia signa futuræ maniæ: Et dico alia, quoniam quædam etiam docuit retro, vbi dicit in doloribus capitis vomitus æruginosi cum surditate, & vigiliis maniam portendere, & forte cum illa coniungitur hæc, in qua etiam de vomitu agens dicit, ex vomitu fastidioso vocem clangosam, & oculos puluerulentos esse maniacos, quemadmodum vxor Hermozygi, quæ acute priuata voce interiit. Duæ itaq; sunt totius sententiæ partes. Vna est, Ex vomitu, &c. Altera vero est historia Hermozygi vxoris ad confirmationem sententiæ producta.

Circa primam partem quis sit ἀσώδης ἔμετος, seu fastidiosus, non est admodum difficile intelligere. Est enim vomitus, qui fit cum maxima anxietate, adeo vt vomituriens magnopere angatur, nec locum inueniat vbi quiete possit degere. Causa ipsius, vt dicit Gal. est humor biliosus, & mordax, qui vbi os ventriculi pertransit, illud mordens ingentem cruciatum parit, quasi cum ipso simul cor afficiatur. Vnde etiam ἄση apud Hippocr. est veluti cardialgia quædam, vel cardioginos, & est symptoma quod malignas, & grauissimas febres, necnō phrenitidas comitari consueuit, quod eo frequentius contingit, quo magis humor mordax, & malignus affluit in stomachum, eiusque os dilacerat.

Vox autem clangosa est stridula instar vocis gruum & anserum, describitur ab Erotiano esse vocem à graui tono inchoatam, atq; in acutum desinentem, veluti cum quis inter loquendo deficit. Apollonius autem Cetticus dicebat esse vocem intercisam, & inæqualem, necnō obscuram qualem edunt temulenti, sed hæc potius rauca quam clangosa, siquidem clangor fit à siccitate instrumētorum vocaliū, vti βράγχος, seu raucedo ab humiditate, quemadmodum etiam scribit Aristot. *11.* sect. problem. vnde pastis temulentis, atque vigilantibus asperiorem vocem fieri docet, quoniam instrumenta vocalia nimium humectata haud ita aerem possunt percutere, sicuti par esset. *Vox clangosa quid.*

Cæterum dubitatur, quomodo post vomitum anxiosum reddatur vox clangosa cum Aristot. sect. *11.* problem. *18.* dicat à vomitu potius grauem fieri vocem eo, quod per vomitum humor aliquis in asperam arteriam trāsiens angustat viam, quo fit vt spiritus emissus tardius exire queat, ac propterea grauem efficiat vocem, quæ fit morus tarditate; Nisi dicamus pro graui voce Arist. non intelligere eam, quæ vere grauis est, & bassus populari vocabulo dicitur, facta potius ob amplitudinem cannæ, sicut acuta ob angustiam. Sed eam, quæ tarde nō impetu & celeriter fit cuiusmodi est tum rauca, tum etiam clangosa.

Oculi puluerulenti.

VOx ἐπίχνοος exponitur ab Hesychio pro obtenebrata. Galenus in expositione linguarum exponit lanuginem concretam, seu lanuginosam concretionem. Sed aliud est, quod hic scribit Hippocr. nempe oculos puluerulentos non alios intelligit, quam oculos veluti puluere, aut lemate oppletos, quales solent apparere in æstate, necnon in affectibus siccis, in quibus ob siccitatem veluti corrugantur oculi, ex qua corrugatione oboritur quædam imago quasi pulueris ipsos oculos contrectantis. Hippocrates in libr. de locis in homine mentionem facit cuiusdam affectus oculorum, in quo οἷον λίθοι ὑποτρύχωσιν, ac cieti medicamento lachrymas mandat, Sed aliud est ab eo, quod hic scribit. Galen. dicit phreneticis, &

 mara-

marasmatis contingere hanc veluti à puluere factam exficcationem oculorum; at in eo differre quod marasmati vultum totū consumptum, & visum timidum, phrenetici vero integriorem faciem & visionem truculentiorem habeant.

Μανικῶ) Vox vsitata Hippocr. 3. aphor. 20. 22. 1. Epidem. & alibi. Vbi igitur prædicta contingunt scilicet, vt ægri vomitum fastidiosum habeant, vocem clangosam atque oculos puluerulentos, iam maniace delirare inquit Galen. qui nihil significare hoc videtur velle, quam tunc bilem flauam vehemēter adustam esse, ac propterea pro phrenitide iam maniam, atque furorem inducere: Etenim Hippocrat. *μανίαν* significare vehementem, atque immanem insaniam sæpenumero testatus est Galenus.

Atque hactenus prima pars, sequitur secunda, quæ est: Veluti Hermozygi vxor maniaca acnte, & sine voce interiit. Quæ fuerit vxor, cuius ætatis, ac complexionis, & si Hippóc. non dixerit, possumus tamen cōiicere ipsam fuisse habitu melancholicam in ætate consistente, vel iuuenili constitutam, in vere vel autumno, ac forsan ipsi menstruas purgationes defecisse. Hæc namq; omnia valde conferre ad inducendas ingentes insanias docet Hipp. 3. aph. Sic itaq; eiusmodi mulier cum prius in phrenitide vomitum habuisset fastidiosum, vocem clangosam, & oculos puluerulenros, tandem maniaca vehementer facta, ac demum sine voce interiit: Cur enim facta sine voce fuerit, non est arduum colligere ex præcedenti voce clangosa, quæ ob siccitatē talis reddita, anctà illa mirum in modū, necessario factum est, vt instrumenta ob siccitatē motu prorsus destituta vocem edere nequiuerint; sic mors subsecuta sit. Galen. historiæ nullam prorsus facit mentionem, forsan quod in ipsius codice non reperiretur, sitq; veluti glossema additum: neq; etiam habetur in Coacis prænotionibus, quamuis in hisloco historiæ habeantur in fine, quod huiusmodi phrenetici facti maniaci acute, moriuntur absque voce, quod nerui siccati, & conuulsi vocem facere nequeant. Atq; hoc est, quod alias Hipp. dicit, phreneticos conuulsos voce priuatos perire, vt etiam ex historia phrenetici 3. Epid. com. 3. hist. 4. probari potest, qui cum toto corpore conuulsiones passus fuisset, voce tandem destitutus, quarta die à voce amissa crudeliter interiit.

Ἐν πυρετῷ καύσώδει.

In febre ardente.

Qvicquid Author fere in hoc priore libro scribit ad facultatis animalis actiones læsas, præcipue vero hegemonicas vocatas videnrur pertinere, vt scilicet doceat signa prædicendi modo phrenesin, modo maniam, modo simplicem desipientiam, modo melancholiam. Et in præsenti dictione docet, quo pacto præcognoscenda sit imaginationis læsio, quæ melancholia nuncupatur. Sic enim appellar melancholico modo ecstasin pari, quando scilicet imaginatio errans à corpore velut abducta alio temere ferrur. Dico temere, quoniam vt audiuistis fiunt quædam ecstases melancholicæ, in quibus animi, & imaginatio à rebus corporeis abducta altiora, & meliora petit, qualis fuit raptus D. Pauli ad tertium Cœlum, & quales sunt studiosorum, & contemplantium ecstases. Itaque tribus signis in febre ardenti monstrat præcognosci, & prædici posse futuram melancholiam. Atque hoc tanquam rarum quiddam, si quidem in febre ardente, quæ à feruido & biliofo humore plerunque oritur potius vel phreniridem, vel maniam esse expectandam videtur. Signa autem sunt capta à læsionibus sensuum exteriorum auditus, visus, & olfactus.

Neque vero præter rationem est, vt ex sensibus læsis imaginationis quoque & mentis læsiones præcognoscantur, cum animus semper ad sensuum operationes conueniat, ita vt nisi illi accedat, operationes sensuum nullæ prope sint, vtque hac ratione sæpe contingat, quæ sunt ante oculos non videri, & quæ propinquissime dicuntur non audiri, nec odorari, quæ nares tangunt.

Sic

Sic dicebant Arist. & Plinius ex Epicharmi sententia mentem audire, & videre, quasi nullus ex his sensibus vere sentire queat sine animi adsistentia. Vnde vt est apud Aristotel. 3. de anima, & Plato in Thæteto non defuerunt inter veteres, qui putarint idem esse sensum, & intelligentiam, siue scientiam. (In febre ardente.) Non parum intereſt dicere ἐν καύσῳ, vel ἐν τῷ καυσώδει πυρετῷ, quoniam causus proprie fit vel à bile, vel à pituita salsa in magnis vasis prope cor putrescentibus, absque vlla visceris alicuius inflammatione. Cæterum febris causodis, seu ardens fit, vbi aliqua ingens inflammatio hoc, vel illud viscus occupat. Igitur cum nunc loquatur de febre ardente huiusce postremi generis, atque hæc consequi possit, vel cerebrum, vel aliquod aliud viscus, dubitari iure merito poteſt, quam nam inflammationem sequatur præsens febris, de qua loquitur author. Etenim si considerentur sympromata, hoc eſt, sensuum actiones læsæ, quas vt signa proponit, possunt æque, vt docet Galen. ab inflammatione cerebri, aut partium inferiorum proficisci, siquidem vbi in cerebro feruet humor, ita vt & ipsum incendat, ex eo humore præsertim quando copiosus & crassus eſt, eleuantur flatus, qui inter anfractus, & meandros illos aurium conclusus, exitumque quætens sonitum facit. Vbi vero ad oculos conuertitur sua crassitie obductus pupillæ visus obscuritatem induxit, quemadmodum ad nares missus, & copia, & crassitie ibi grauitatis sensuum efficit, haud secus etiam si prædicti succi in aliquo inferiori viscere incensi illud quoque inflamment, vapores dese edunt, qui sursum vel in aures, vel in oculos, vel in nares ducti prædictos affectus pariunt, adeo, vt vbicunque fiat inflammatio, possit similiter auditum, visum, atq; odoratum oblædere. Causi causa.

Neque enim fit hebetudo oculorum tantum ob vapores crassos, & nebulosos, vt ait Galenus, sed etiam ob duritiem, quam oculis inducit humor melancholicus, imo etiam toti corpori, vnde apud Plautum in Menechm. dum vellet scire, an insaniret, interrogabat, an oculos haberet prædutos? Imo vero vt ait Galenus etiam in pura febre continua magna possunt æque prædicta symptomata fieri.

Itaque licet quod dicet Author possit intelligi de omnibus prædictis, in quibus humores incensi tandem in melancholiam conuertuntur, faciuntque ægrotantes melancholico modo delirare: attamen proprie magis hæc cuncta videntur competere, vbi in cerebro humores crassi incenduntur; & ratio eſt, quoniam tot sensuum læsiones non tãtum humorum copiam, quantum loci, & foci vbi morbus eſt, propinquitatem indicant.

Quod aũt potius melancholico modo, id eſt, vehementer, vt exponebat retro Galen. è mente cadant, quam phrenitico aut maniaco, eſt quoniam vbi eſt visus hebetudo, cum narium grauitate signum eſt malum à crassis succis & vaporibus oriri, qui cum sint, melancholicam insaniam facere nequeunt.

Et aduertendum eſt dixisse Hippocratem melancholico modo, quia vero melancholia cum fiat cum timore, & mœrore à frigido, atque sicco humore, nequaquam stare poteſt cum cerebro incenso, atque febre ardente. Siquidem natura ipsius melancholiæ morbi eſt, vt sit delirium absque febre, nedum sine ardente.

Αἱ παρακρούσιες σὺν φωνῇ.

Deliria cum voce clangosa.

Sententia præsens Hippocratis eſt, vocem clangosam cum linguæ conuulsione, & tremore mentis alienationem producere. Quod si duities quoque ipsi linguæ accedat, pernitiosum & mortale esse. Galenus autem hæc omnia contingere dicit ob immensam siccitatem tum ipsius cerebri, tum famulantium linguæ musculorum.

Verum pura siccitas haudquaquam mentem lędit. Nam in torridis & frigidis, marasmis apparere ægri solent, semper mentem mirum in modum constantes, ita vt quanto plus morti accedunt, tanto magis videantur sapere. Itaque satius eſt intelliga-

telligamus etiam siccitati calorem nimium copulari. Est enim Auicennæ & ipsius Galeni probatissima sententia actiones animi diminutas à frigore, deprauatas verò à calore reddi, & rationabiliter, quia vt quies, & torpor frigus consequũtur, sic motus calorem; vt iure Plato in Timæo inter præcipuas ignis qualitates posuerit motum. Iam vero phrenitidas, manias, deliria, motum vel mentis, vel imaginationis errantium sequi non est vt dubitemus.

Linguæ tremula.

QVi velit singulatũ huius libri sententiarum ordinem reperire, is sane cribro aquam tentabit haurire, quoniam videtur potius confusionem quam ordinem affectasse author. Id sat est, vt plurimum versari eum in ponendis signis, quib. mentis errores liceat prædicere, quale est nunc quod proponit linguæ, quæ vbi tremit, eam mentis minime constantis signum esse dixit dicit. Notat Galen. & vere linguæ tremorem minime proprium signum esse phrenitidis, neque prædicere, sed consequi phrenitidem, quia per consensum cerebri efficiatur, quemadmodum, quod facultas animalis non valeat, ac propterea tremor linguæ sequatur, qui tremor vt alias dixi, est soboles ipsius facultatis imbecillitatis. Atqui cum metuentiũ, & melancholicorum linguas fieri tremulas, & Aristot. 11. problem. sectio. 36. & ipsa quotidiana experientia doceant, videtur rationi consentaneum, vt etiam tremor linguæ non tantum vitio instrumentorum, vel ipsius facultatis fiat motricis, verũ etiam vitio imaginatricis, quę vbi adducta alio est, non ita mouet linguam, vt deceret; quod porro dicit Galen. Hippocr. vsum esse voce ἐχ ὑδρωμένοις γνώμαις ad significandum calidũ affectum, quoniam à frigore, vel tolluntur, vel saltem stabiles fiũt operationes animi, quemadmodum à calore deprauantur, est quidem verum, quemadmodum nos antea dicebamus, quod scilicet stabilia cuncta difficiliter mobilia, atq; immobilia reddit; propter hoc tamen non est semper necesse, vt motus à frigida intemperie penitus tollatur. Etenim melancholici habent perpetuos imaginationis motus, ita vt neque etiam somnum capere queant, quemadmodum dixit Poeta de Phœnissa, nec soluitur in somnum oculisve, aut pectore noctem accipit: Attamen frigida potius, & sicca intemperie cerebrum eorum laborat. Nisi dicamus metum esse in melancholicis, qui simul & facultatem imbecillam reddit, & linguam trepidantem.

Ἐν τοῖσι χλοώδεσι ἀκρήτοισι.

In biliosis & sinceris.

SEntentia est Hippocr. quod in biliosis sinceris deiectionibus spumosa efflorescentia mala, tum in quocunque alio, tum maxime in eo, qui lumbo doluit, atq; mente emotus fuerit. Est etiam in Coac. prædict. hæc sententia, sed paulo diuersa, cum ibi in fine sit dictio: Vtrum dolor expectãdus, quæ sane videtur superuacanea, cum iam dolorem adfuisse dicat: nisi velimus intelligere dubitandum esse non redeat.

In biliosis.

CErtum est biliosas deiectiones sinceras vocari, vt sæpe dictũ est, quib. nil aquosum permisceatur, sed pura bilis est, atq; eas malas esse non semel dixit Hippoc. quandoquidem huiusmodi humor à fornace ardente ipse ardentissimus necessario exit.

Spumosa.

EFflorescentia spumosa dicitur, quando instar floris cuiusdam tota spuma extuberat, perinde ac etiam χεαὸς dicitur, quod superficietenus eleuatur. Fit autem spuma non quidem à frigore vnquam solo, sed cum motu; fit etiam & calore cum motu; adeo vt nunquam spuma esse possit, quin motus vel comitetur, vel saltem antecesserit. Ad hoc enim vt spuma fiat, opus est per motum in humore glutinoso aer inclusus retineatur, quo fit vbi bilis est, ac simul spuma necessario adsit ingens calor

Spuma vnde.

cum

cum motu, & propterea valde malum est. Quod si accedat dolor lumborum antecedens, necnon mentis alienatio, malum mirum in modum augetur, non modo quod semper affectum grauem affectui similiter graui superuenire detestandũ est, vt dicit Hippocr. lib. περὶ παθῶν, sed quia signum humores, calorem, & motum non vna tantum in parte esse, verumetiam in cerebro, in lumbis, in intestinis, per quæ dum transit biliosus, atq; feruidus humor, quis non videt graue periculum dysenteriæ imminere?

Τὰ ἀραιὰ κατὰ πλευρόν.
Rarus secundum latus.

LAborat Galen. in exponenda hac sententia, quasi deficienter, atque indefinite sit prolata. Sed si particula (in talibus) intelligatur, seu referatur ad prædictam seantentiam, vt mihi videtur esse faciendum, plane perspicua erit, scil. In biliosis deiectionibus cum spumosa efflorescentia, &c. dolorem rarum costarum significare delirium. Nam dolor rarus dicitur non tantum qui modo fit, modo non fit, vtpote flatus soboles existens, verumetiam qui licet adsit non tamen continuo percipitur, sed per interualla, sicut spiritus rarus mentis errorem sequitur, vt sæpe dixit Hipp. quod ægri mente laborantes obliuiscantur spirare, sic dolor existens, sed non semper perceptus mentis alienationem significat, sicut dicebat in aphor. lib. 2. Hippo. iis mentem esse læsam, qui dolentes aliqua parte dolorem non sentiunt. Nam vbi dolor, & bilis aliquo in latere est, vix potest fieri, quin vel cerebrũ, vel septum transuersum coafficiatur, ac propterea delirium subsequatur.

Αἱ μετὰ λυγγὸς ἀφωνίαι.
Vocis priuatio cum singultu.

APhoniam de qua hic loquitur author, esse integram vocis intereeptionem significare ostendit vox κάκιστον. Etenim hæc vere pessima est, quoniam siue fiat vitio alicuius instrumenti vocis generationi inseruientis, siue ob ingentem principii neruorum læsionem, haud quaquam facultatem transmittentis semper pessimũ signũ est. Atqui si singultus accedat, malum augeri minime est dubitandum. Est.n. singultus, vt recte dicit Gal. haud conuulsio oris ventriculi, siquidem ventriculus nullum motum localem à natura habet, & conuulsio est huiusmodi motus deprauatus, quemadmodum Gal. docuit 1. cap. 2. lib. de sympt. causis. Sed est dispositio quædam similis ipsi conuulsioni, quod etiam colligitur ab Hipp. & Gal. 6. apho. 39. atque alibi. Fit autem tum à repletione, tum ab inanitione, tum à tertia quadam causa, quam Barbari appellant non proportionatam ad materiam. Sed vtcunque sit, singultum, de quo hic loquitur Gal. vult esse à repletione, quoniam superueniat aphoniæ, quæ fit à multitudine materiæ. Sed ego sane haud video hanc necessitatem, quoniam etiam potest vox intercipi vbi initium neruorum nimium exiccatur, vt retro visum est, quo fit vt simul eadẽ ratione singultus oriri possit. Nisi tamen dicamus à siccitate aphoniam, & singultum non oriri subito, sed longo tempore. Authorem vero hic loqui de affectu potius subitaneo, quam longo, & diuturno. Et quod dicit Hippocr. de aphonia cum singultu, dicit quoq; de ea, quæ fit cum exsolutione, scilicet, & hanc quoq; pessimam esse, quoniam cerebri maximam læsionem significat. Quamquam de hac parte nihil dicit Galen. quasi in ipsius contextu minime fuerit. Est enim ἔκλυσις vt sæpe docuit Galen. præsertim 3. Prorrhet. 28. & 2. aphor. 36. 41. quædam virium prostratio, atque animi defectio, quibus corpus tam ad sensum, quam ad motum impotens redditur. Hanc vero per se rem pessimam esse, nemo non nouit, tantò magis si coniungatur cum vocis priuatione.

Singultus quid.

Eius causæ.

ἔκλυσις quid?

Ἐν ἀφωνίῃ πνεῦμα.

In vocis priuatione spiritus.

SEntentiæ præsentis sensus est, si spiritus difficultas qualis fit iis, qui strangulātur, prompte appareat in vocis interceptione, malum esse, atque dubitandum, vtrū mentem emoueat. Galen. autem exponens, quis sit spiritus apparens, ait idem esse, quod alias in Epid. vocauit μετέωρον, & quod sic πρόχειρον, siue elatum, scil. quando præ difficultate ipsum trahendi ita musculi thoracis operantur, ita vt perspicue tū ex alis motis, tum etiam ex ipsis tegumentis, quæ & ipsa euidenter mouentur, appareat manifeste difficultas respirandi, quod similiter contingit illis, qui suffocantur, eo quod aeris copiam, quæ necessaria est attrahere, nequeunt.

Duas vero ait Galen. huiusce difficultatis causas esse, vnam instrumentorum spiritualium angustiam, alteram vero principii neruorum læsionem, ob quam motrix facultas debilitata mouere non potest thoracem eo pacto, quo oporteret. Sed dubium est, à qua nam ex commemoratis causis fieri supponat hunc affectum, & cur dicat malum esse, atq; deinde dubitet vtrum mentem moueri faciat. De primo dicendum est, etsi ab Hippō. non habeatur explicatum genus causarum præsentis affectus, seu ꝓgnostici, non est tamen arduū colligere illud si quispiā animaduertat vbi ex anguitia instrumentorum spiritualium fit difficultas suffocatoria anhelitus impendere subitaneæ mortis periculum, non autem delirii, quo fit vt necessario de ea difficultate spiritus loquatur, quæ originem ducit à principio neruorum læso, & propterea à motricis facultatis imbecillitate. Cum enim aliqua insigni intemperie laborat ea pars cerebri, vbi neruorum principium est collocatum, quis nescit facillime posse eam toti communicare, & consequentet functiones hegemonicas deprauati, sieq; mentem turbari? Quod autem dixerit hoc esse malum, vt plerunque solet, causa est quemadmodum dicit Gal. quia id tanquam manifestissimum non esse prætereundum putauit. Nam vnicuiq; etiam mediocris iudicii medico liquet, vbi difficultas adhelandi est cum vocis interceptione ægrum clare periclitari, imo vero non dubitari quin subito strangulatus extinguatur. Itaq; est perinde ac si diceret, malum esse vbi difficultas euidēs spiritus est cum vocis interceptione oritur ex angustia vasorum, vbi autem fit vitio principii neruorum esse dubitādum, quin sequatur mentis alienatio. Adnotandum est dicere, ἐν ἀφωνίᾳ πνεῦμα, &c. vt doceat se intelligere, quod prius vocis interceptio præcedat, & deinde sequatur spiritus difficultas, alioquin si primum difficultas fiat, ex ea oriatur vocis priuatio non amplius est dubitandum de futuro delirio, & cito expectanda est mors.

Αἱ ἐπ' ὀλίγε θηριώδεα.

Quæ paulatim.

QVod dicit Hippocr. in præsenti est, ea deliria quæ paulatim fiunt truculenta tandē euadere ferina. Quæ sententia habetur quoq; bis in Coac. prænot. Vno enim loco scribitur deliria, paulatim exacerbata ferina, & conuulsiones significant; in altero vero habetur. Delitia, quæ paulatim fiunt ferocia malum & ferinum: hoc similiter in loco varia est sententia. Contextus enim Galen. habet deliria paulatim ferocia fiunt ferina, & si paruo tempore durent; in aliis vero deest postrema particula, quam & ipse superfluam esse puto, tum quia nihil plus dicit; tum quia Galen. eam in commentario prætermittit. Itaq; interpretrabimur eam tantum, quam & ipse Galen. scilicet: Deliria, vbi paulatim fiunt ferocia, vel vbi parum intermittunt, tandem fieri ferina: Circum q̃ videndum est quæ sint deliria θηριώδεα, & quæ θηριώδεα, seu ferina: deinde cur huiusmodi deliria ferocia paulisper remittentia. Fiunt ferina vox θρασὺς, θρασέως, & similia sæpenumero ab Hippo. vsurpantur, cum homines alioquin placidi, & optimorum morum fiunt acerbiores, audaciores, atque implacabiliores.

θρασὺς quid?

Sic

Sic enim in Coacis prænotionib. scriptum est, ἐκ κοσμίου θρασεῖα ἀπόκρισις κακὸν, id est, ex modetato ferox responsio malum; quæ sententia etiam habetur secundo huius text. 9. Causa vero huius, quoniam mutatio omnis vel naturalis, vel ex consuetudine habitus in contrarium non fit, nisi à potentissima causa: & propterea valde mala est. Iam vero θηριώδης vox, & ipsa frequens est Hippocrati. Quid vero in præsenti significet, docet diserte satis Galen. qui scribit τὰς παρακρούσιας θηριώδεις esse, cum ægri latrant, calcitrant, mordent, & excandescunt aduersus ingredientes, tanquam sint inimici. Sic etiam Horatius venuste lib. 2. Satyr. 3. vocat phreneticos pugiles.

Iam vero cur feroces desipientiæ fiant ferinæ est; quia passio assidua licet aliquantisper interpolata, & rediens, seu deliria assidua haud possunt à febre tantum oriri, quippe quæ facit deliria multo magis interpolata, nec nisi ipsa crescens: vnde necessario oriuntur ab ἰδιοπαθείας cerebri, quæ non potest aliud esse quam phreniticus affectus, quia cum fiat à bile, ea si continuo magis accendatur, certum est, paulatim quoque auctum iri delirium, donec tandem in maniacum, & ferinum euadat. Sed dicet aliquis, num etiam quæ fiunt non paulatim, sed affatim ferocia deliria, fiunt ferina? Et si fiunt, cur Hippoc. loquitur tantum de iis, quæ paulatim?

Respondendum est fieri etiam multo magis ferina, quæ fiunt affatim ferocia cum multo maius cerebri malum indicent; atqui Hippocrates illa tacuit, vt dicit, & recte Galen. quod nil ad præcognitionem comparandam faciant. Nam vbi quispiam antea modestus in morbo, fit statim ferox nemo dubitat, quin furiosus sit euasurus. At vbi ferocia latenter, & paulatim augetur, ac nunc desinit, nunc fit, illud est, quod ab omnibus non cognoscitur: propterea que opus habet, & præcognitione, & ptædictione.

Δυσφορίαι φρενιτικαί.

Moleste ferre morbum.

ET hæc sententia, ceu & aliæ superiores plane pertinet ad signa docēda prognostica futuræ phrenitidis. Et certe dum considero, quam multa author huiusmodi signa tradat, duo mihi subit dicere: alterum est scriptorem, quicunque fuerit versatissimum fuisse in curandis morbis, postquam in vna phrenitide, seu delirio, aut saltem capitis affectuum genere tot obseruauit. Alterum est Græcos maxime phrenitidi obnoxios fuisse non tam cœli, & soli illius proprietate, quam quod multum, & vina generosa potarent, cuiusmodi etiam nunc sunt reliquiæ hominum superstites tantæ græciæ gloriæ. Etenim quam facile vinosi omnes mente tententur, non est opus probare. Sententia autem præsens est, si cuipiam febricitanti cum refrigeratione & partium superiorum sudore difficiliter morbum ferre contingat, phreneticum, vt Aristagoræ accidit, & mortuus est. Quis fuerit Aristagoras commemoratus, neque certe sciri potest, cum multi eius nominis fuerint, nec admodum interest scire: certe vir notus esse debebat, quando ad confirmandam huiusmodi sententiam non ita perpetuam, neque casum ita frequentem, illius tanquam notissimi exemplo vtitur. Et si quid hac in re licerdiuinari, dicerem illum Aristagoram Milesium fuisse, quem Herodotus in quinto narrat, cum Ionibus defectionem suasisset à Dario, ac propterea à Dario victi essent, mente fuisse alienatum. Etenim hunc fuisse ætate Hippocratis monstrat Herodotus, qui Hippocratis fuit coetaneus, aut paulo iunior, verisimile est morbo captum euasisse quidem, sed non sanum mente. Nam & ex Hippocrate colligitur, non in ea ægritudine obiisse.

Author huius libri optimus practicus.

Græci olim phrenitidi maxime obnoxij.

Cæterum illud vtilius erit, si indagabimus quomodo dicat prædicta signa, & phrenesin, & mortem significare, quod vt ordinate, & breuirer faciamus, notandum est quatuor esse, quæ in ægro supponit febrem continuam, sudorem partium superiorum, refrigerationem, & morbi δυσφορίαν, quæ signa cum

sint

sint actiones læsæ, plane sequuntur aliquem morbum, qui est febris praua, in qua interiora calent, & exteriora frigent: Etenim δυσφόρια monstrat æstum ingentē intus latere; Sudor vero partium superiorum ibidem morbum esse positum, cum Hipp. in aphor. scripserit, vbi sudor est, ibi quoq; esse morbum. Itaq; laborante vehementer capite cum febre acuta, & ardente enim inquietudine, cum refrigeratione extremorum partium rationabiliter expectari potest, & phrenesis, & mors, cum Hipp. 2. Prognost. inter pessima posuerit difficiliter ferre morbum, sudare tantum capite, vel collo, extrema frigere, & interiora vri.

Vbi sudor, ibi morbus.

Quod porro Galen. in hoc commentario quinque ordines signorum faciat, quorum alia appareant statim incipientibus morbis, alia non statim, sed valde prope, alia nec prope, nec admodum longe, alia ambigua, alia demum hisce inferiora, certe apud me difficile est captu, cum sciam alias ab ipso tres tantum huiusce signorum ordines fuisse constitutos, nempe pathognomicorum, assidentium, & superuenientium: Sed neq; hoc admodū refert, modo illud habeamus proposita hoc in loco signa superuenientia esse aliquo modo phrenetica, sed certe lethalia multo magis vbi, vel cū ipsis morbis, vel paulo post incipiunt. Etenim initio Coac. prędict. 2. aph. habetur solam dysphoriā cum refrigeratione esse pessimam, id est, exitialissimā, quanto magis cum sudatione partium superiorum. Est aūt dysphoria, cum ægri nesciunt locum inuenire, vbi quiescant, sed modo hunc, modo illum mutant, iactant brachia, crura, vt Chatteades 7. Epidem. surgunt, iacent, miraq; anxietate afficiuntur, cumque tot mala habeat, non est mirum si Hippocr. ipsam variis nominibus appellauit ἄσην, ἀλυσμὸν, ῥιπτασμὸν, βλησεισμὸν, ἀπορίαν, μετεωρισμὸν, vt Galen. in exegesi. Fit vero, vel ob crisin imminentem, vel ob accessionem febris, quarum illa non mala, hæc non adeo, vel virium imbecillitatem, vel ob humores acres ori ventriculi infixos, atque mordentes, quæ duæ causæ disphoriæ semper lethalissimæ, atque tunc magis cum extrema perfrigerantur.

Fit etiam interdum disphoria, vbi cibus importune ingestus est, vt monuit Hippocr. 2. de victu acurorum. Sed hæc sedatur vel vomitu, vel alui subductione, vel abstinentia, vel sola patientia. Habetur quoque in Coac. hæc sententia, sed cum additione sudoris miliaris.

Τὰ ἐν φρενίτισι πυκνὰ.

In phreniticis crebræ mutationes conuulsoria.

IN Coacis quoque habetur hæc sententia, sed paulum diuersa; ita enim scribitur ἐν τοῖσι φρενιτικοῖσιν ἐπ' ἀρχῆς τὰ σπασμώδεα ἔχοντα πυκνά τε μεταπίπτοντα κακόν. Sed videamus quid præsens doceat, nimirum timendam esse conuulsionem, vbi phrenetici frequenter mutantur. Galenus declarans quis sit in præsenti authoris scopus, ait quod cum antea Hippocrates scilicet, contextu duodecimo nonnihil dixisset de placiditate in initio phrenitidis, & de crebra mutatione, nempe eas esse mala signa; nunc sibi propositum esse dearticulare, quibusnam de permutantibus sibi sermo sit, siquidem cum possint symptomata inter se ipsa commutari, scilicet bona in mala, & econuerso, quemadmodum ex sitire in non sitire, & econuerso, vt clatius dicit inferius, modo de symptomatibus malis in mala sermonem habet.

Iam vt fiant huiusmodi mutationes, atque conuulsionem futuram minentur perscrutari cum Galeno oportet. Et primo, cur fiant hæ mutationes tam in actionibus sensoriis, quam in hegemonicis duas causas præcipuas proponit, loci conditionem, & humoris transmissionem.

Quod enim hæ fiant mutationes in phreneticis, de quibus semper manentibus phreneticis omnia sunt intelligenda ab humoribus tanquam firmum supponit. Etenim vbi humores ab vno in alium locum mutantur, alia atque alia subinde exoriuntur symptomata secundum loci, & humoris proprietatem. Exempli gratia,

gratia, vbi bilis vel humor melancholicus modo ad sensorium visus, vel auditus, vel olfactus, vel tactus, qui est, & gustus, mutantur, varia secundum sensuum instrumenta inducunt symptomata, quorum omnium exempla locupletissime, & diserte satis proponit Galenus. Pari pacto vbi similes humores modo in vnam, modo in alteram partem cerebri affluunt, etiam si æger semper sit phreneticus ex vno in aliud malum sympioma mutatur, ita vt modo rationis, modo memoriæ offensatū aliqua species appareat: & cum humores metuantur, facile est vt etiam in neruorum principium ferantur, quod percutientes atque lædentes faciunt, vt musculos & neruos ad fugiendam noxam secum contrahat, sicq; conuulsio fiat. Adeo vt ex hoc toto discursu videatur colligi id quod senserunt Arabes, etiam Galeno probari, nempe secundum varios cerebri locos, & partes, fieri quoq; varias animi operationes tam læsas, quam integras.

Τὰ ἐρόμενα μὴ.

Quæ minguntur.

QVod dixi semel id verissimum est, hunc priorem librum versari circa signa læsionum animi, & præsertim phrenitidis: Vnde licet nunc taceat author phrenitidis nomen, tamen est subintelligendum perinde ac si dicat; quæ meiuntur sponte sine vlla animaduersione, vel potius, qui non recordantur dum mingunt, vel postquam minxerunt sese minxisse, vel vt dicit Gal. qui non petunt matulam, sed confuse, & sine ratione vrinam supra stragula proiiciunt, eos lethaliter ægrotare, atque tunc maxime, cum vrina, quæ mingitur est valde perturbata, perinde ac iumentorum.

Cum enim hisce cognoscatur duas principales facultates laborare, nimirum animalem, atque naturalem, quis non etiam intelligit maximum mortis periculum imminere? Itaq; cum hoc in cunctis sit lethale signum, multo lethalius est in phreneticis, quod iam non modo ratio, & discursus, verum ipsa memoria sit læsa, ac propterea vniuersum cerebri temperamentum corruptum. Id, quod voluit dicere Galen. scribens multo deterius hos habere, quam illos qui non mingunt nisi excitati, & inuitati, quasi si habeant saltem discursum non ita læsum, postquam cauent stragula maculare lotio. Similis huic est illa sententia Coacarum prædictionum, nempe vbi clam vrina in pudendum illabitur, eos conuelli desperatos. Sed dubitatur, cur Author de turbata vrina loquens percunctatur quasi dubitās: num in his mingatur? Gal. inquit, non esse hoc signum demonstratiuū, quasi semper huiusmodi vrina in phreneticis immemoribus mingatur. Sed forsan illud in duobus tribusve ægrotantibus obseruasse, ac propterea addubitasse. Etenim vrinæ huiusmodi turbatæ sunt effectus succorum crudorum copiæ, qui vel coquuntur, vel in flatus conuersi sunt, non autem phrenitidis. Et propterea ab ea possunt abesse, sicut & adesse, quemadmodum, & alia quædam symptomata, quæ nec propria, nec contraria sunt ipsi phrenitidi.

Οἱ παλμώδεες δι' ὅλȣ.

Palpitantes per totum.

DIcit Author. Qui palpitāt per totum corpus, vtrū pereant voce priuati? Circa quā sententiam videndū est, quid sit palpitatio, vtrū fieri possit toto corpore, & quare dubitet, numne sine voce moriantur? Vt itaque docet Galen. hoc in loco, lib. de palp. tremore, secundo de sympt. causis, & alibi sæpe palpitatio est motus præter naturam factus à solo morbo, quo pars aliqua sursum, ac deorsum mouetur, nil adiuuante motrice facultate. Fit autem hic motus à flatu, & flatus à refrigeratione, adeo vt iure dixerit quandoque Galen. palpitationem fieri semper aliqua parte refrigerata. *Palpitatio quid & vnde.*

Atqui

Atqui de palpitatione cordis dubium est, an semper fiat ex refrigeratione, quãdoquidem Galen. 4. de loc. aff. quem alii sequuntur docet se cuidam sanguineo iuueni palpitatione cordis laboranti venam secuisse, atque ita eum liberasse, quod argumentum est, non semper à causa frigida, sed etiam interdum à calida oriri, nisi dicamus, flatum quidem semper suo motu facere palpitationem, attamen non inconuenire, quin flatus à causa frigida genitus, interdum causæ calidæ commisceatur, vt videmus in feruentibus lebetibus, in quibus ex aqua bulliente educti flatus eam moueri sursum, deorsumq; faciunt. Quod autem scribit Plin. libr. 7. cap. 16. Zoroastri nuper nato cerebrum ita palpitasse, vt manum contrectantis repelleret, idque futuræ scientiæ eius argumentum fuisse non est penitus à ratione alienum, cum experientia quotidiana comprobetur etiam cor vsque adeo vehementer palpitare interdum, vt costas frangat: quod etiam dicit Aristot. Vnde Aristot. in lib. de respiratione dicebat, palpitationem fieri semper à refrigeratione, vel excremēticia, vel colliquatrice, id est, morbosa, atque iuuenes propterea magis quam ætate confectos palpitatione tentari, quoniam in ipsis maior halituum copia generatur, nisi etiam dicamus palpitationem factam à calore esse potius σφύξιν, seu πήδησιν, non veram palpitationem, cum etiam in bullitione ex ipso humido beneficio, & opera caloris flatus gignatur: dicit Arist. 3. de partib. animal. cap. 6. contra Platonem, non esse pulmones factos ob palpitationem, vt is dixerit in Timæo, quoniam vni prope homini cor palpitat ob spem rei futuræ, est potius intelligendum de saltu facto à frigiditate excrementitia, quemadmodum & in metu, quam de morbosa hac de qua loquimur palpitatione.

Zoroastri na scentis mira palpitatio in cerebro.

Cæterum an hic affectus (quod erat à nobis secundo loco diffiniendũ) possit in toto corpore, sicut in parte, vel partibus aliquibus fieri dubium est. Etenim author hic videtur consentire fieri posse, quemadmodum etiam Galen. in comment. Est etiam, & ratio, quia vt inquit Arist. lib. 1. de respir. veræ omnes patiuntur saltum seu σφύξιν, vbi cor idem patitur. Et hoc anno Florentiæ vidimus quendam fabrum ferrarium, cui vna cum corde cunctæ venæ palpitabant ob aneurisma prope cor natũ. Ex altera parte cum hic loquatur author de palpitatione facta ob refrigerationem vix videtur fieri posse vt in toto sit tanta refrigeratio, quæ possit vniuersum corpus palpitare facere, neque etiam apud quemquam alium authorem facile est reperire, quod palpitatio δι' ὅλου, vt hic habetur fiat. Itaque cogor in hoc à Galen. dissentire, aut præsentem authorem denegare. Nam si palpitationem accipiamus pro saltu, vel illa cordis motione, quæ fit ob calorem instar ebullitionis, sane secundum Aristotelem fieri potest in vniuerso corpore, cum omnes venæ suo motu cordis motum sequantur. Huiusmodi motus seu pulsatio cordis oritur ab halituosa materia caloris opera genita, & cordi immissa.

Quod porro dubitat, vtrum huiusmodi vniuersali corporis trepidatione captus possit perire sine voce? dicit Galen. necessario arguere sese loqui non de peculiari palpitatione, sed vniuersali totius, quandoquidem à peculiari non potest vox adimi, quemadmodum adimitur vbi totum refrigeratur. Id haud quidem mihi probatur: Primum, quia experientia monstrat eos, qui palpitatione magna cordis laborant nec anhelare, nec loqui posse, eo quod exsufflatio, quæ est materia vocis impeditur, atque aufertur, ita vt intereant statim, id quod Aristoteles loco citato de respiratione dicit quoque euenire in palpitatione facta ob metum, vt scil. statim extinguantur.

Ad hæc, si etiam intelligamus de trepidatione totius ob ebullitionem, idem quoque contingere potest. Itaque vere, & iure dubitat author, vtrum palpitantes toto, possint perire sine voce; cum scilicet ob ingentem circa cor ebullitionem venæ omnes trepidant, non autem quod totum corpus refrigeratum sit: Nam etiam in iis, qui moriuntur refrigerato toto, ac extincto calore, attamen vox seruari potest, vt quotidie videmus.

τὰ ἐν τοῖς φρενιτικοῖσι μετὰ.

Quæ in Phreniticis cum refrigerati.

IN Coacis prænotionibus perspicua magis, & rationabilior habetur hæc sententia vbi habetur, phrenitici, quicumque cum refrigeratione sputatores sunt, sese nigra vomituros indicant. Phrenitici qui sint, millies dictum est, quomodo antem cum phrenitis morbus sit calidus & siccus, in iis fiat totius corporis perfrigeratio; facile est intelligere iis, qui sciunt in febribus tertianis perfrigerationes, atque rigores fieri, cum biliosus succus partes sensibiles vellicans calorem sese intro cogere facit, quasi etiam in phrenitide non alia ratione fiat, quam quod bilis fusa per partes sensibiles, easque mordens refrigerationi præbet occasionem.

Cæterum quo pacto phrenitidi, & refrigerationi superueniens sputatio, nigrum vomitum indicet futurum, & ad quid autor non dixerit, vt solet, vel bonum, vel malum, est quærendum; atque eo maxime, quod nihil addere videtur hoc signum, cum phrenitis prope cum sola refrigeratione videatur malum multo maius, quam vomitus niger.

Sputatio quod hoc in loco est, τὸ πτυαλίζειν nil aliud significat, quam vt ait Galenus, expuere sæpenumero, vel os sputo plenum habere. Hoc autem in phrenitide atque adeo in morbo calido & sicco fit, vel quod ex capite quicquid feri est in sanguine bilioso, & humore morbifico in palatum, & stomachum exprimitur: vel quod bilis in ventriculo abundans, ac propter ea tunicam communem, & ventriculo, & linguæ oblædens facultatem expulsiuam continuo irritat ad expellendum quicquid in ore humiditatis reperitur; vel quod putredo humorum ingens fit proxime palatum, & os, ad quos deinceps humiditas effundatur, si quidem vt testatur Aristoteles 4. meteor. quæ putrescunt prius humida, deinde sicca fiunt. *Sputatio unde.*

Iam vero hoc in loco fit expuitio non per expectionem, neque per putrefactionem, sed ob humoris biliosi in ventriculo exuberantiam, id quod testatur refrigeratio, quæ indicat bilem partes sensibiles percellere. Itaque res ita sese habet, quod sputatio fore vomitum indicat, refrigeratio vero, humoris biliosi vomitum.

Sed dicet aliquis cum secundo progn. multa alia signa fututi vomitus, doceat Hippocrates, cordis morsum, oculorũ obtenebrationem, labii inferioris trepidationem, cur hic tantum meminit expuitionis & refrigerationis? Cui respondendum est, alia esse signa, quæ habentur ex relatione ægri, alia, quæ ex sola medici industria, atque ipsa inspectione. In phreniticis non possunt relatione ægrotantium vlla haberi signa. Itaque sola, quæ ex sensu ipso spectantur, habetur. Vnde iure Hippocrates hoc in loco vbi loquitur de phreneticis, cum videret ab iis non posse signa vlla haberi, tantum docuit quæ ex sensu & medici industria comparantur, nam in Coacis aperte dicit vomituros semper πτυαλίζειν.

Verum ad quid iuuat præcognitio futuri vomitus nigri? Ad duo, ad existimationem comparandam apud adstantes, nec non ad prædicendum interitum. Siquidem cum niger vomitus fit in cunctis exitialis, vt sæpe dictum est, in phreneticis maxime omnium est, vt alias dictum fuit, imo vero celerem mortem significat. *Vomitus niger exitialis.*

Κώφωσις καὶ οὖρα ἀκατάστατα.

Et vrinæ inconstantes.

HÆc sententia parum longa est apud Galenum. Mihi videtur posse in plures partes, seu in plures sententias diuidi: & icirco vt melius & commodius exponi queat, faciam plures partes, vt etiam video factum in Coacis, quarum prima

hæc erit; surditas & vrinæ, &c. Germanus sensus hic est, vrinas, quæ sunt prærubræ, & crassæ, ita vt nunquam clarescant, nec subsidentiam faciant, sed tantum suspensionem habeant, delirium futurum esse significant. Haud dissimile est illud, quod habetur 4. aphorismorum 70. vbi scribit Hippocrates vrinas perturbatas quales iumentorum, dolorem capitis, aut adesse, aut fore significare. Videamus autem vnamquamque dictionem Κώφωσις, id est, surditas, dupliciter fieri solet, & per ἰδιοπάθειαν cerebri, & per sympathiam à toto, à pulmone præsertim. Nam Aristoteles 34. problem. 14. dixit surditatem fieri vitio pulmonis. Vbi enim magna fit perturbatio in corpore, ita vt copiosi & crassi flatus in aures ferantur, quemadmodum in aliquibus febribus solet auditus læsio subsequi. Vnde quod dicit Galenus in comm. surditatem esse indicium patientis cerebri, intelligendum est, vel per consensum, vel per propriam passionem. Quanquam si vrinas perturbatas, & prærubras adiungamus, multo fit verisimilius intelligendam esse Galeni sententiam, quod cerebrum per consensum patiatur. Et vrinæ non consistentes ἀκατάςατα dicit Authore, Galenus interpretatur ἀκατάςατον, cum eneoremate, eam vrinam, quæ habet suspensum crassius, quam reliquam substantiam: atque hanc ait significare perturbationem in venis existẽtem, simul cum prænaturali calore, nec exigua spiritus flatulenti copia. Huius ἔρα in Epidem. vocat μὴ καθιςάμενα, & quatum suspensum haud firmatum est.

Surditas dupliciter fit.

Sed dicet aliquis quo pacto fieri possunt vrinæ crassæ cum eneoremate, & sine sedimento. Nam vbi est crassities, videtur, si quid colligitur in vrinis, debere quoque esse crassum, graue, & propterea petere fundum. Resp. fieri hoc, quoniam & si materia eneorematis grauis existat, attamen à flatu, qui facit eam turbatam quicquid colligitur sursum retinetur. Ἐξερυθρὰ prærubræ, in Coacis legitur ὑπερυθρὰ, id est, subrubræ, sed melior & accommodatior est præsens lectio, qua significatur immensus calor, qui sicut perturbatam, sic valde rubram reddit vrinam. Etenim insignis vrinarum rubor, aut vitio renum contingit, ob quod fit, vt sanguis ipsi vrinæ permixtus eam valde rubram reddat: aut ob multæ, & saturatæ bilis mixtionem, aut ob feruorem succorum in vasis existentium. Certum est hic non posse loqui de prima, quoniam nil attinent affectus renum ad cerebrum: neque etiam de secunda, quoniam in illa haud crassa fit vrina; sed rubra quidem & tenuis. Ergo necessario de postrema, quæ tametsi per se haud sit efficax signum futuri delirii, attamen cum surditate coniuncta videtur plane significare illud, iuxta id quod scribit Hippocrates 4. aphorismo. 70. vrinæ turbatæ quales iumentorum, &c. Et quamquam vrina, quæcunque sit per se haud aliud ostendat, quam statum vasorum, ac proinde solius facultatis robur, vel imbecillitatem, attamen medio quoque huius status, & facultatis significat quoque cerebri statum, siquidem vbi perturbatio est in vasis ob feruorem rationabiliter vapores feruidi in cerebrum feruntur, qui illud violantes, delirio, & phrenitidi præstant occasionem. Atque hoc est, quod sæpe ex vrinis Hippocrates arguit phrenitidem futurã, vt in virgine Laryssæa, in vxoribus Philini, & Dromeadæ, atq; aliis permultis.

Ruber vrinarũ vnde?

Τοῖσι τετέοισι ἰκτερῶδεα:

Ictericum fieri.

Sunt quædam signa, vt dicebam, quæ sola nec mala, nec delitium non significant, sed alterius generis signis si misceantur, significant, vt supra vrina cum surditate. Sunt & alia, quæ sola sunt mala; Ictericia per se non adeo mala est in febribus, licet quandoque vt in quinta, vel ante septimam & sine coctionis signo, quemadmodum in aphorismis, & in Coacis habetur.

At mixta mala sunt, quemadmodum nunc Hippocrates docet, dicens, talem ægrotum hoc est cũ vrina prærubra, & crassã, & surditate esse malũ, si ictericus fiat.

Ratio

Ratio est, quia tametsi prædicta mala sufficiant ad occidendum, attamen multo magis id faciunt, si alia iunguntur, vt est icterus factus non ob vesicæ fellis obstructionem, sed ob copiosæ bilis præ feruore generationem, & illius in vniuersum corpus, atque adeo in ipsum etiam cerebrum effusionem, quæ omnia mala sunt, & multo magis vbi nec in die legitima, nec apparenti coctione eueniunt. Porro quod scribit in Ictero fatuitatem esse malam, verissimum est. Atqui nec frequenter hoc videtur, nec etiam præcedentibus admodum conuenit. Ad hoc, quia fatuitas vix cum præcedentibus malis fit: non primum, quia vbi bilis fit potius phrenitis, quam μώρωσις fit. Vnde Galenus pro fatuitate exponit νωθρότητα. Sed nec illud valet, quoniam νωθρότης est vitium non minus facultatis motricis, quam sensitricis, & ratiocinatricis. Fatuitas vero est vitium ratiocinatricis quidem, sed magis memoriæ, cuiusmodi sæpenumero contingit senibus, de quibus dicebat Aristoteles 7. politicor. 2. ἔςι δὲ ὥσπερ σώματος καὶ τῆς διανοίας γῆρας. Fit autem à frigida cerebri intemperie, modo sicca, modo nō multum humida. Cum ergo ita sit qui fieri potest, vt fatuitas in ictero contingat? nisi dicamus iccirco fieri quia bilis effunditur quidem in corpus vniuersum; atque adeo in ipsum cerebrū quod ita refrigeratum, atque humectatum est, vt nequeat à bile excedente colligi, quasi vero senile & propterea irremediabile euaserit. Et mihi magis placet, vt hæc sententia à præcedentibus disiungatur, quasi sola ita sit proferenda in ictero fatuitas malum, aut tamquam parenthesin, quod magis placet, accipienda. At possumus etiam dicere, quod sicut Hippocrates secundo huius tex. 60. dicit τὰ καυςικὰ μεμωρωμένα, idest morbi vrentes faciunt fatuitatem, eo quod absumpto ab æstu calore natiuo remanet frigida intemperies, quæ facit fatuitatem. Si etiam possumus dicere ab accedente bile cerebri calorem obtundi, sicque frigus succedere. Et tertio in tertium epid. in tempest. pestil. habetur multos in ardentibus febrib. comatosos fuisse. Vt hac eadem ratione non inconueniat etiam in ictero fieri fatuitatē, & vt dicit Galenus νωθρότητα, quippe cum à frigido, & humido æque lædatur motrix, atque ratiocinatrix facultas.

Fatuitas vnde?

Τοὺς τὰς ἀφώνους μὲν.

Hos autem voce priuatos.

HAnc sententiam non esse referendam ad immediate antecedentem, sed eam per parenthesim interpositam esse superioribus coniungendam, facile intelligit, qui nouit haudquaquam necessarium esse, vt icterici & fatui voce priuentur, quemadmodum alioquin probabile videtur, vt, qui habent cum mentis emotione perturbatas vrinas, icterici fiant. Siquidem si ob ingentem ad caput humorum elationem, verisimile est totum cerebrum pati, atque propterea læso neruorum, qui ad linguam feruntur, principio, non facultatis motricis ad eam transitum impediri, verum etiam ipsorum instrumentorum actiones & facultatem aboleri: sed cum facultatis motricis transitus impediatur ad linguam, cur non item & sensitricis: cum vna & eadem sit illustratio? Respondendum est Hippocratem seu authorem hoc notasse tamquam rarum, & propterea addidisse nomē patientis, scilicet Hermippum, quasi non ita rationi sit cōsentaneum. Vel dicendum est. vt Galenus ait, aliquando motricis actiones dumtaxat lædi, aliquando vero simul cum sensitricibus. Si simul omnes læduntur, id fit, quia commune principium neruorum est læsum; sin autem sola motrix, vt in priuatione vocis id fit. quia instrumenta ipsius vocis non commune neruorum principium læduntur. Sunt instrumenta vocis musculi intercostales; faciunt exsufflationem, nerui recurrentes musculi laryngis, larynx ipsa.

Quod porro dicit in fine, seipsum putare, ꝙ hisce aluus ēt perturbatur, vt cōtigit

Hermippo, qui voce priuatus, & cum aluo perturbata, aliisque symptomatibus dictis interiit: Ait Galenus ab auctore propositum fuisse, eique nomen additum, quoniam neque experientiis multis viderat, neque ex ratione inueniri poterat. Etenim illud fuit Hippocrati in more positum, vt in quibus affectibus, nec symptomatum multas obseruationes habebat, neque rei naturam sequi poterat, vel ægrotorum nomina, in quibus id obseruarat, & præsertim non obscurorum apponeret, vel nihil affirmaret; sed tantummodo dubitaret. In Coacis prænotionibus haud habetur ægrotantis nomen, sed & in alio differt, quia vbi sic dicitur γίνεσθαι συμβαίνει ibi habet πνίγεσθαι συμβαίνει: & forsan etiam Hermippus mortuus est suffocatione. Etenim symptomata esse exitialia ex eo monstrat author, quia scribit Hermippum fuisse mortuum.

Quis autem fuerit Hermippus, &c. non referat scire; possumus tamen suspicari fuisse illum Hermippum veteris comœdiæ authorem, qui monoculus erat, ac tempore Periclis Hippocrati coætanei vixit, quique Aspasiam accusauit, quod mulieres ingenuas ipsi Pericli conciliaret. Hic enim celebris erat, & Hippocrate, vbi nomen proprium dumtaxat, apponit, signum est ipsum loqui de persona tunc notissima, sicut vbi loquitur de obscurioribus, apponit patriam, patrem, coniugem, habitationem, professionem, & similes conditiones, quæ alioquin ignotos ægrotantes indicare possunt.

Κώφωσις ἐν ὀξέσι.

Surditas in acutis.

Dicit Galenus interpretans hanc sententiam, surditatem in morbis acutis, & turbulentis fieri facultate sensitrice iam extincta, eo, quod quæ fit ob humores meatibus auditoriis impactos, nil mortiferum habet, vt certo videmus quotidie, & surdos & ob surditatem mutos diu viuere. Addit etiam Galenus iccirco asseueranter, & non apposito ægrotantis nomine authorem dixisse surditatem in morbis acutis, atq; turbulentis esse malum, quoniam ratio, & ipsius rei natura satis id docent. Attamen etsi ego non dissentiam, quin surditas fiat facultate sensitrice emortua in acutis & turbulentis morbis, id tamen contingit vbi moribundi, & fere expirantes sunt ægri. Attamen obseruamus etiam quotidie fieri surdastros, acute, & lethaliter laborantes, vbi in tumultu, & corporis perturbatione copiosi, atque crassi vapores elati in auditorios meatus facultatis sensitricis receptionem impediunt, atque hoc malum quidem est, sed non adeo exitiale, quin interdum aliqui superstites euadant, qui etiam post defunctum morbum diu male audiant. Atque de his suspicor potius loqui authorem, quod dixerit non simpliciter esse lethale, sed κακὸν, id est, malum, quemadmodum etiam in Coacis prænotionibus, vbi hæc eadem habetur sententia. Nam 4. aphorismor. 60. habetur ab Hippocrate in febribus acutis surditatem superuenientem solui, vel sanguinis fluxu, vel alii. Nisi dicamus pro Galeno sic pro morbo turbulento accipi eum, in quo ægri vehementer turbantur, exiliunt, clamant, quasique furiis agitantur, in quibus vbi iam virtus extinguitur cerebri, surdi penitus fiunt, statimque pereunt; de quibus loquens Hippocrates 4. aphorismor. 49. dicebat, si ægro debili existente surditas accidat proximam esse mortem, quo in loco inquit Galenus, & bene, surditatem in his fieri ob sensificæ facultatis imbecillitatem.

ἀιτρομώδεες, ἀσύφεες;

Tremulæ inconspicuæ.

Plura hactenus de phrenitide docuit author, sed quia phrenitidis plures sunt gradus, prout scilicet ægrotantes magis, vel minus insaniunt, iccirco nunc

quæ

quæ sint magnę phrenitides, quomodoque præcognosci, & prædici debeant, docet; dicens, deliria tremula, obscura, & palpitantia esse valde phrenitica, hoc est, ostendere magnam esse phrenesin.

In Coacis habetur tantum contremiscere, & manibus palpare esse phreniticum. Iam vero vt, quod dicit auctor, & Galenus in copioso satis commentario rectè percipiatur, scire oportet, simplicis phrenitidis tres esse gradus: Primus est, cum bilis pallida, non flaua adhuc per cerebrum fertur, illudq; tantummodo irritat, in quo fit leue delirium, scilicet obloquuntur, exiliunt, manus iactant, stragula, & pannos colligunt, floccos vellunt, quod genus sese quandoque passum esse, Galenus testatur, quæ omnia atrocius faciunt, vbi non pallida, sed flaua bilis infestat. Secundus gradus phrenitidis fit, cum eadem bilis flaua combusta cerebrum tentat, quo in casu ægrotantes magis efferantur, & à Galeno, quandoque melancholica desipientia dicitur, quandoque θηριώδης, præsertim in mulieribus. Tertius est, cum ægrotantes silent, nec delirare videntur, quique fit, cum iam bilis non excurrit amplius per cerebrum, sed ipsi veluti infixa instar tincturæ in lana, vt ait Galenus, habitum quendam phrenitidis inducit; perinde atque, vbi calor præternaturalis occupat tota cordis solida, fit febris hectica. *Simplicis phrenitidis tres gradus.*

De prioribus loquitur Hippocrates in Coacis prænotionibus; de posteriore autem loquitur, tum in tertio epidemiorum, vbi multos hoc genere phrenitidis extinctos memorat, tum hic; nunc siquidem tremere, & manibus gesticulari, aut floccos, & festucas carpere, sunt quidem phrenitici symptomata, sed maioris mali indicium est, ac vt ait Hippocrates πάνυ φρενιτικά, vbi silent, ac veluti quieti manent.

Vnde hic auctor iccirco monere voluit, ne Medici finerent sese falli à quiete phreneticorum, quasi somnus sit, nempe, quæ vbi durat, solet multo peius signũ esse, quam dum agitantur, ac temere obloquuntur.

Cognoscuntur autem ii, non modo taciturnitate, & carphologismo, verum etiam, vt ait Galenus, pulsu duro languido, & humili, tanquam facultas veluti sopita præ languore nequeat arteriam mouere.

Cur porro adiicit in fine, vt Didymarcho in Co. dicit Galenus, esse quæsitum sophisticum, hoc est, nihil ad artis vsum conducens. Nam dictum est ante Hippocratem consueuisse nomina propria, & patriam apponere, vbi neque rem audet in vniuersum affirmare, neque ęger est adeo illustris, vt solo proprio nomine cognoscatur.

Atque in præsenti licet forsan, verum sit, Hippocratem apposuisse patriam, non erat ęgrotans satis clarus, attamen verissimum est, atque in omnibus compertum maximam, & exitiosam phrenitidem esse, vbi hectica cerebrum intemperie laborans obscuram, & tacitam phrenitidem inducit.

Nisi dicamus iccirco, voluisse Hippocratem dogmati facto adiungere testimonium, eoque complures tam Medici, quam idiotę decipiuntur in iudicandis huiusmodi phreniticis: quasi vero ipse Hippocrates interdum alicui occurrerit, qui dubitaret, vtrum huiusmodi æger phreniticus valde, atque mortalis esset.

Αἱ ἐκ ῥίγεως νωθρότητες.

Torpores ex frigore non.

Similis huic sententiæ illa est, quæ habetur initio Coacarum prædict. rigores multi torpidi, maligni. Galenus autem dubitat, cur hic scriptor sæpe, quod tribuendum est ægrotanti, tribuit morbo, vt hic, & quod morbo tribuitur, ipsi tribuit ęgrotanti.

Nam dicere debebat, qui cum rigore torporem habent, non admodum apud se sunt, non autem rigores torpidi non apud se sunt: & respondens inquit,

forsan ita locutum, quasi dicere voluerit, quod vbi rigorem sequitur torpor, haud inregta permanet mens. Vtcumque sit, verus, & germanus sensus est, eos non admodum valere mente, qui simul, & rigore, & torpore occupantur.

Quid sit rigor, & quomodo fiat, clarissimum est. Etenim dicit Galenus libro de rig. capite septimo, veterum ætate, & præsertim Hippocratis, non consueuisse fieri absq; febre, sed posterioribus ætatibus ob luxum & intemperantiam fieri, non raro consueuisse. Quod autem necessario febris sequatur rigorem, Hippocrates primo de morbis probat, quoniam vbi vim humorum stimulantium, & calorem intro cogentium depulerit, sanguis simul, & pituita percalescunt, sicque febris suboritur. Torporem vero esse sensuum & motus imbecillitatem clarissimum est. Quomodo autem vbi hæc duo conueniunt ægrotantes, haud multum ratione, & discursu valeant, dicit Galenus esse, quoniam vbi vniuersum corpus frigido intemperamento occupatur fieri nequaquam posse, quin etiam cerebrum coafficiatur, ac propterea ratio ipsa, & discursus detrimentum patiantur.

Rigor veterum tempore fieri absq; febre non absq; febre.

Sicut enim rota vis animæ ratiocinantis sita est in optimo cerebri temperamento; sic vbi vel ad calidum nimis, vel ad frigidum declinat illa offendatur; necesse est. Si enim calidum nimis fiat, sequuntur deliria phrenitides, maniæ; Si à frigido fatuitas, obliuio, dementia, & similia, quæ sunt diminutæ animi operationes. Nam scitum est Galeni & Auicennæ dogma, functiones omnes à nimio calido deprauari, à nimio autem frigido, vel diminui, vel deperdi.

Vtrum autem hæc sententia sit intelligenda, de rigore sine febre dubitari posset, nisi iam constitutum esset, veteres non agnouisse rigorem sine febre. Itaque vbi in febribus tempore rigoris, sit etiam torpor malum, siue malignum est, vt initio dicitur Coacarum, eo, quod mens lædatur, fiatque ignoratio, obliuio, & alia, quæ commemorat Hippocrates tertio epidemiorum, contigisse iis, qui in illa constitutione pestifera ægrotabant. Etenim siue desinat, & recurrat rigor, siue protrahatur diutius, quem vocat Hippocr. methodo δυσεκθέρμαντον, modo ἀνεκθέρμαντον, vbi adest simul inexpugnabilis segnities, signum est in cerebro, vel pertransmissionem esse coaceruatam ingentem humoris frigidi, & crassi copiam, quę cum rigoris concussu elidi nequeat, non modo mentem hebetat, verum etiam mortis periculum minatur.

Οἱ περὶ ὀμφαλὸν πόνοι.

Dolores circa vmbilicum palpitantes.

HÆc sententia in tres partes commode potest diuidi, imo etiam debet; quandoquidem tertia pars habetur sæpius in Coacis, sed diuersis coniuncta sententiis ab hac, vt suo loco videbitur. Prima igitur est, in qua dicit Hippocrates, Palpitationes dolorosas circa vmbilicum, habere aliquid mentem alienans. Secunda est in his spiritum vix, &c. Tertia est in his: dolores circa suram indicare mentis motionem.

Quod itaq; ad primam partem attinet, in Coacis prænotionibus iisdem omnino verbis scripta est, quibus hoc in loco scribitur. Porro quod palpitatio sit motus partis palpitantis sursum, deorsumque vicissim factę à flatu, & quod flatus à debili calore ex materia crassa fiat, etiam apud omnes compertissimũ est, quemadmodum locus circa vmbilicum superior cum septo transuerso proximus sit, facile flatus ibi contentus ipsum septum afficit, quo cerebrum coaffectum est causa mentis emotionis. Sed notandum est, Hippocratem dicere habere, τι παράφορον, id est, aliquid mentem alienans, quoniam vere neque semper, neque multum delirant, quibus fiunt hæ palpitationes. Quinimo vidi, quibus palpitabat valde regio circa cor, & septum, vna cum arteriis, qui tamen mente valebant recte. Sed dubium est, quomodo à flatu ex humore crasso, & frigido, vt dicit Galenus, possit fieri mentis emotio? siquidem à causa calida, non à frigida fiunt huiusmodi læsiones; nisi

Palpitatio quid.

nisi dicamus hoc totum verificari vbi febris est. Nam in eodem libro Coacarum habetur palpitationem ventris in febre insaniam facere. Etenim vbi pituita circa vmbilicum putrescens facit febrem, simul etiam flatus calidos de se excitat, qui partim circa vmbilicum detenti faciunt simul & dolorem, & palpitationem; partim vero sursum elati ad septum, & ad cerebrum, faciunt insaniam, sed exilem, vt vere dicat Auctor, habere aliquid mentis emotorii, nisi tamen ea in parte sit inflammatio. Etenim vbi circa vmbilicum fit inflammatio, ratione incendii, attetia, quę ibi est vehementer, pulsans imaginem palpitationis reddit, ac simul etiam septo feruorem communicans mentis alienationem, sed vehementiorem producit.

Notandum est præterea, arteriam circa vmbilicum in melancholicis sæpe pulsare, & præsertim in extenuatis corporibus, vt etiam dixit Galenus initio libri de pulsi. ad Tyrones: At in iis non fit dolor: & vbi fit dolor simul, & pulsatio illa vehemens plane delirii melancholici indicium esse potest, vt ob hoc minime absurdum sit sententiam interpretari de huiusmodi melancholia, seu delirio melancholico.

περὶ κρίσιν δὲ τυτέοισι πνεῦμα.

Circa iudicationem autem.

IN hac secunda parte Galenus examinat diuersitatem lectionum ipsius, quæ habetur, sed quia hæc res logica potius, quam ex vsu artis est, id sufficiat dixisse in Coacis prænotionibus, loco dictionis πνεῦμα, quæ hic habetur, legi φλέγμα, quam diuersitatem etiam Galenus adnotauit: & pręterea ibi est particula συχνὸν, quæ hic desideratur. Siue igitur legamus, vt hic, circa iudicationem autem spiritus vix cum robore exit: siue vt in Coacis, circa autem iudicationem, pituita multa, & cõferta cum tensione, vel dolore transit, verissima est sententia; siquidem vbi in febre ex pituita existente circa vmbilicum fit flatus, atque ex flatu palpitatio, & interdum amentia, vsque adeo, vt ante est dictum, tenax, & adhærens est illa materia, vt nequeat nisi cum magna violentia, & dolore exire, vtrobique sic legitur, vel per intestina, vel per os, vel per vrinam, & si quid exit, aut flatus, aut pituitæ, si est exiguum parum adiumenti affert, etiam si fit crisis, hoc est, appareat coctio. Sin autem multum soluit, sed tempore crisis, siquidem solent tunc fieri copiosæ, & faciles euacuationes. Vnde quando, & exiguæ, & laboriosæ fiunt, nequaquam id contingit.

Quod antem fiat exitus materiæ, per loca superius dicta, locupletissimum assertorem habemus Galenum septimo aphorismorum quinquagesimoquarto, vbi scribit, quod quibus ventrem inter diaphragma pituita concluditur, & dolorem facit; quæ in alueorum neutrum exitum habet, his per venas conuersa in vesicam aqua, solutio datur morbi. Sequitur pars tertia, quæ est.

καὶ αἱ κατὰ γαστροκνημίην πόνοι.


Et dolores circa suram.

HÆc sententia habetur bis in Coacis prædictionibus, sed vario modo. In principio enim post conuulsionem manuum, & pedum in febribus subiungit, sed nec genuum dolor bonus, at & surarum dolor malignus est, & mentem emouet, tũ alias, tum si vrinæ sublimamentum eleuet. Rursum ita scriptum inuenitur. Tremulare palpantes desipientiæ phreniticæ, & in his ad suram labores mentem transferentiam agunt. Quæ sentẽtia postrema rursum separata repetitur. Quare cum hæc sententia, toties habeatur ab Hippocrate, repetita, eam esse veram, non est dubitandũ. Atqui experientia constat, nõ semper dolores crurum comitari mentis emotionẽ; vnde necesse est ad eã vniuersaliter verificandã opus esse aliqd aliud subintelligere.

& est, vt hic dolor fit in febre, & vt repente, ac sine signo delitescat. Nam sicuti dicunt Hippocrates atque Aristoteles. Insanientibus si varices superueniunt liberari, & si varices euanescant, insaniã fieri, scilicet humore crasso, & melancholico sursum recurrente: Haud secus etiam vbi fiunt in cruribus dolores, si ii euanescant sine signo vllo, recurrentes in cerebrum humores, mentis faciunt emotionem, id quod etiam exemplo Calui Laryssæi satis comprobatur, qui cum prius doleret genu, & cruore, eo dolore disparente, delirus factus est; quemadmodum è conuerso contigit Heropyto, & Herophonti, qui cum essent delirantes, translata ad suras materia mentis euaserunt compotes. Veruntamen aduertendum est, quod prudenter monuit Galenus, in explicatione historiæ Calui Laryssæi, scilicet ad hoc, vt verum sit, quod hic habetur, illam materiam eo sponte à natura esse propulsam, nõ autem vlla externa causa, vel ibi congestam, vel transmissam.

Sed dicet aliquis, nonne potest dolor ventris tibiæ sedari absque signo, & materia in aliam partem, & non in caput recurrere. Imo vero potest. Et etiam Galenus dicit, sed tunc lethale erit signum; Neque enim Hippocrates, hoc dicit esse perpetuum, vt mens lædatur, nisi dicamus, Hippocratem dicere in talibus, hoc est, in quibus circa septum transuersum mali fomes est, ad quod verosimile est, materiã ad crus demissam, inde ad septum restagnare, ac propterea mentis emotionem facere.

FINIS.



INDEX

INDEX LOCVPLETISSIMVS RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM, QVÆ IN HOC OPERE PRÆSTANTISSIMI VIRI HIERONYMI MERCVRIALIS FOROLIVIENSIS

Medicinam Pisis & Bononiæ profitentis, &c. continentur, alphabetica serie collectus & concinnatus. Prior numerus vel historiam vel caput, vel librum, alter paginam siue folium indicat, vbi vero numerus vnicus, tunc folium denotat.

A.

Index.

Ari-

Index.

Col-

Index.

D.

Index.

Du-

Index.

Index.

Depu-

F I N I S.

